6
9-A
10

6
17 0
25

6-9.A.9

Digitized by Google

K. 251. IX.

Digitized by Google

HISTORIA
REI LITERARIÆ
ORDINIS S. BENEDICTI,
IN IV. PARTES DISTRIBUTA.
OPUS
ERUDITORUM VOTIS DIU EXPETITUM,

AD

Perfectam Hiſtoriæ Benedictinæ Cognitionem
ſummè neceſſarium, & univerſim omnibus bonarum
Artium Cultoribus non utile minùs, quàm ſcitu
lectúque jucundum,

A

R. P. MAGNOALDO ZIEGELBAUER,
O. S. B. Theologo Presbytero, &c.

Ichnographicè adumbratum,

RECENSUIT, AUXIT, JURISQUE PUBLICI FECIT

R. P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS,
Ejusdem Inſtituti ad S. Martinum Coloniæ Cœnobita, SS. Theologiæ Licentiatus, & Profeſſor emeritus, Societ. Lit. Germ. Bened. Promotor & Secretarius.

PARS TERTIA
BIOGRAPHICA,

Virorum Illuſtrium, ac eorum præcipuè, qui Ingeniô, Virtute, Doctrinâ, & Lucubrationibus Orbi univerſo inclaruerunt, Vitas, Res geſtas & Scripta, aliáque memoranda exhibet.

PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. ET HERBIPOLI,
Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ,
ANNO MDCCLIV.

Dignum valdè eſt, & ſummè utile, eorum ad laudem Domini Geſta recolere, quorum Vita profutura eſt ad ædificationem Legentibus, & ad æmulationem Virtutum Audientibus.

Fulbertus Carnotenſis in Prologo Vitæ S. Auberti XIII. Decembris.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO,

PERILLUSTRI AC AMPLISSIMO

DOMINO, DOMINO

BENEDICTO

CELEBERRIMI AC IMPERIALIS MONASTERII

GENGENBACENSIS,

ORDINIS SANCTI BENEDICTI,

ABBATI ET PRÆLATO

MERITISSIMO,

INCLYTÆ CONGREGATIONIS ARGENTINÆ

PRÆSIDI AC VISITATORI

PRIMARIO;

NEC NON

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

ALMÆ SOCIETATIS LITERARIÆ

GERMANO-BENEDICTINÆ

ANTISTITI ET SOSPITATORI

GRATIOSISSIMO...

VIRO

AD OMNIA MAGNA NATO,

INSIGNI PRUDENTIA, PIETATE ET DOCTRINA

MAXIME SPECTABILI,

MULTISQUE IN REM NOSTRAM MERITIS,

PERENNATURIS ACADEMIÆ FASTIS

OLIM CELEBRANDO...

DOMINO, DOMINO

MÆCENATI SUO ET FAVITORI

SUMME VENERANDO...

QUOD
SINGULARI AC PRÆCIPUO
IN DECUS ORDINIS ET BONAS ARTES
STUDIO
STABILIENDÆ
INTER GERMANIÆ BENEDICTINOS
SOCIETATIS LITERARIÆ
NEGOTIUM
STRENUÉ PROMOVEAT,
FIRMANDISQUE EJUS PRIMORDIIS,
ET AUGENDO SPLENDORI
OPEM ET OPERAM
IMPENDAT;
TERTIUM HOC
HISTORIÆ LITERARIÆ O. S. B.
VOLUMEN,
SPECTANDA VIRORUM ILLUSTRIUM EXEMPLA
AD IMITATIONEM EXHIBENS,
IN
PUBLICUM ET PERENNE
CULTUS, DEVOTIONIS, OBSERVANTIÆ
TESTIMONIUM,
COMMUNI SODALIUM SUFFRAGIO,
DAT, DICAT, DEDICAT
P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS
ILLUSTRISSIMI EJUS NOMINIS
CULTOR DEVINCTISSIMUS...
III. NONAS OCTOBRIS
A.R.S. CIↃ IↃ CCLIV.

PRÆFATIO.



PRÆFATIO.

Qui Benedictinæ Familiæ alumni, liberalium artium diſciplinis exculti, nomen ſuum, libris præclarè ſcriptis poſteritati commendârunt, peculiarem ſibi Librum in Hiſtoria Literaria O. S. B. jure ac merito depoſcunt, non eâ tantùm causâ, ut *ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Eccleſia;* ſed quòd nemo Sodalium noſtrorum rei lit. domeſticæ paullò amantior ſit, qui eorumdem, ceu Majorum ſuorum, Vitam, Mores, Ingenium & Virtutes callere non percupiat: *Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens, & narrationem Virorum nominatorum conſervabit.* (a) Habet id genus notitia permixtum utile dulci, nec magis ex Auctorum gloria, quàm ex Ordinis commendatione, atque è re & uſu Poſterorum eſſe dignoſcitur. Nihil enim de religione, nihil de pietate & doctrina, nihil de virtutibus & vitiis, nihil de officio, nihil de ſtrenuis actibus, nihil de erroribus & perturbationibus animi, quæ ſæpè cadunt in homines, nihil, *inquam*, ſine ea ſcientia amplè & copiosè dici, ſcribi aut explicari poteſt. Duplex verò cùm ſit proficiendi in literis via, una *per præcepta*, altera *per exempla*, hæc poſterior priori vel ideò videtur præferenda, quòd dictante Seneca (b), *Longum iter ſit per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Nec minùs intereſt Virorum *Virtute & Doctrinâ* illuſtrium memoriam geſtáque fortia ſcriptis perennare, quàm ejusmodi homines habuiſſe: ſunt enim illi, quos vitæ meritum & ſapientiæ ſplendor præ cæteris extulit, velut ſimulacra in exemplum poſita ad informationem eruditionis & incitamentum probitatis, ut minores veſtigia Majorum, quæ ſequi debeant, aſpicientes, ſine offenſione paſſibus boni operis currant viam ſalutis ad gloriam, & ad bravium ſupernæ vocationis, quod ipſi ſunt aſſecuti, acriùs contendant. *Quotiens*, inquit Milo Criſpinus, (c) *magnorum facta Virorum literis conſignata recitantur, mentes audientium ad benè agendum informantur, & iis, in quibus torpeſcere ſolet fervor, reaccenditur, dum vident alios feciſſe, quod ipſi facere monentur.* Unde & illa laudabilis & honeſta apud Veteres conſuetudo fuit, Majorum ſuorum imagines erigere, & præclara eorum

(a) Eccleſiaſt. 39. (b) Seneca Ep. 6. (c) Milo in Vitis Abb. Beccenſ.

eorum facta memoriæ ſcribendo commendare, quò & alios provocarent ad imitationem, & ipſi laudem, ut putabant, aſſequerentur perennem.

Hunc & nos morem eò ſtudioſiùs ſervandum credimus, quòd Divino moneamur Oraculo, *laudare Viros glorioſos in generatione ſua,* eos nempè, quibus cùm ex Virtutis, tum ex Literarum ſtudio inſignem quamdam gloriam obveniſſe conſtat. Horum quippe memoriam, quoad licet, ab oblivione vindicare, præclarè verò geſta memori ſemper mente circumferre, ac ſuum cuique honorem pro meritis reddere, Poſteros non tantùm decet, ſed & æquitas jubet: *Valere,* inquit Cicero, *apud nos debet perpetua clarorum hominum benè de Republica meritorum memoria.* Et Plinius: * *Pulchrum inprimis videtur, non pati occidere, quibus debetur æternitas.* Si autem id pulchrum & æquum eſt, quidni ex diverſo turpiſſimum erit, illos perpetuæ oblivionis inferre ſepulchro, quorum nomina immortalitati *Virtus & Doctrina* conſecravit? Si quæ quis in re militari, vel in adminiſtratione rei publicæ aut familiaris memoratu digna egit, ſcripto eduntur ad poſteritatis exhortationem; quippéni Viri Illuſtres, qui Literato in Orbe famam ſibi noménque in omnem poſteritatem comparârunt, ſuâque eruditione ſacro Ordini ornamentum attulerunt, juſtis honoribus à nobis viciſſim ſunt condecorandi? Iniqui profectò eſſemus, & Abderitanæ pectora plebis gereremus, ſi hæc Luminaria extinguere, aut eos, qui noſtræ Genti tantum decus, tantámque gloriam conciliârunt, vellemus inglorios ad plures dimittere.

Neque verò parùm ad Sacræ Familiæ noſtræ Dignitatem & æſtimationem ſpectat, ut Virorum Sapientiæ & Literarum laude celebrium Vitæ Poſtetorum memoriæ prodantur. Quod enim Viridariis roſarum eſt purpura, ſylvis arborum viror, cœlo ſyderum fulgor, hoc Ordini Benedictino Monachorum eſt eruditio: *Qui docti fuerint,* inquit ſacer Textus, *fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Unde nullus eſt Ordo, nulla Familia, quæ non in hujuſmodi Viris tamquam ſyderibus ſuis & ornamentis ad invidiam glorietur. Hoc fecerunt Antiqui, hoc faciunt adhuc noſtræ tempeſtatis multi, nolentes præterire tacendo, quos alicujus momenti in Orbe erudito fuiſſe putârunt. Quòd ſi verò nulla eſt Familia Religioſa, quæ non gloriæ atque honori ſibi ducat, ſi virum eximiæ eruditionis vel unicum tulerit, quantum ad Ordinis Benedictini commendationem decus eſt, quòd Viros numero ſanè non minimo progerminârit, qui cunctarum ferè Scientiarum diſciplinas mirâ ingenii felicitate, nec minoris doctrinæ copiâ atque varietate excoluerunt, ita quidem, ut ſcientiam cum virtutum ſtudio feliciter conjunxerint, nec ſe per literarum cultum à regularis diſciplinæ obſervantia deduci paſſi fuerint, probè gnari, quòd Monachus ſine Religionis ac Pietatis ardore, non ſecùs ac equus ſine fræno in præcipitia, navis ſine clavo in ſcopulos feratur. Hâc verò viâ gradientes non modò inter æquales ſuos in Monaſteriis floruerunt ut roſæ inter ſpinas, ſed permulti eorum ex clauſtris educti Epiſcopalibus infulis, purpureis galeris, Pontificiisque tiaris condecorati enituerunt *quaſi ſplendor firmamenti.* Quamdiu nempe ſtudiorum cura penes noſtros fuit, tamdiu Viri Illuſtres, penes quos deinde Eccleſiæ dignitates reſidebant, Ordini non defuerunt. Nec aliæ ſcalæ, quibus Majores noſtri in Regum, Imperatorum & Principum aulis ad ſumma dignitatum culmina conſcendere ſolebant, atque *Virtus & Doctrina* fuerunt.

* Plinius Lib. V. Epiſt. 8.

Cujus autem ignaviæ jam fuerit, Majores noſtros tanquam illuſtres ac præſtantes Viros, laudibus atq; præconiis ornare, & tamen otio, luxu & deſidiâ diffluere malle, quàm eorum veſtigia premere? Specioſum *Ædepol!* non eſt, Virtutem atq; eruditionem Majorum verbis comendare, & easdem in poſtremis deinde curis habere; Non ex animo Viros Illuſtres admiratur, qui generosâ æmulatione eos non imitatur. Clara Anteceſſorũ vita impigram imitandi neceſſitatem Poſteris ſeriſque nepotibus imponere non immeritò cenſetur. P. Scipio cùm Majorum ſuorum, qui nihil unquam ſibi præclarùm prætet bellicam fortitudinem putârant, ſtantes in atriis imagines intueretur, ad eorum egregia facinora, geſtáque fortia preſſim æmulanda animum ſuum vehementer accendi atque inflammari fatebatur. Hoc certè animo & fine ſapientes quidam Ordinis noſtri Superiores Virorum omni liberali diſciplinâ & virtute præſtantium *Gregorii M. Ven. Bedæ, Alcuini, Rabani, Lanfranci, Anſelmi, Ruperti Tuitienſis, Trithemii, Mabillonii, Calmeti*, aliorúmque complurium imagines in Bibliothecis, Muſæis, aliisque Monaſteriorum locis ob oculos conſtituunt, ut Monachis incitamento eſſe poſſint ad ea demùm ſectanda ſtudia, quorum laude illi cæteros antecelluerunt. Doctos & induſtrios celebrare Majores, quid aliud eſt, atque facem Poſteris, quam ſequantur præferre? Neque enim illud Symachi à vero abludit: *Ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo bonoris alieni.*

Nec eruditio tantùm & doctrina conſideranda eſt, ſed morum etiam caſtimonia & integritas oppidò venit attendenda: quales nempe ſe geſſerint, quámque præclarè vita doctrinæ eorum ac eruditioni reſponderit. Quid enim præcellens illa multarum rerum Scientia, ſi quis illam non ad ſupremi Numinis gloriam, ſed ejus contumeliam, non ad ſuam & proximi ſalutem, ſed ad perniciem convertat? Jam verò quàm multos cùm *Doctrinâ*, tum *Virtute* præſtantes Viros Benedictina Familia olim protulit, & hodiè profert, qui ut nemini, quin utrâque laude excelluerint, ita omnibus, utrâ potiùs eminuerint, dubium relinquunt. Quis non anceps hæreat (*ut rem unico demonſtremus exemplo*) an Venerabilis Beda Scientiarum magis, an Virtutum cultui fuerit addictus? Quis dicat, num ad Preces fundendas, vel Literas excolendas ardentiùs incubuerit? *Ejus vitam ſi conſideres*, inquit Gottfridus Bouſſardus, *nibil ipſum literis indulſiſſe; ſi ſtudia, nibil orationi impendiſſe judicabis.* Omittimus *Gregorios Magnos, Ambroſios Autpertos, Lanfrancos, Anſelmos*, aliósque quamplurimos, è quorum vita non Scientiarum modò, ſed Virtutum omnis generis exempla peti poſſunt præclariſſima, contenti monuiſſe cum Terentiano illo Demea: *Inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.* Certè Librum hunc non eâ ſcribere causâ aggreſſi ſumus, quò ambitioſam ac quaſi ſuperbientem Virorum editis exactæ doctrinæ monumentis clarorum pinacothecam adornaremus, ſed ut Sodales noſtri, quorum animi magis domeſticis, ut par omninò eſt, quàm exteris atque aliunde petitis commoveri ſolent exemplis, ſi non plenum & accuratum, aliquem tamen, quantum Sciagraphiæ ratio patitur, in promptu haberent Anteceſſorum ſuorum Indicem, ad quorum exemplar ſua literarum ſtudia moresq; componere & vellent & poſſent, juxta illud *Horatii* ad Piſones monitum: *Reſpicere exemplar vitæ morúmque juvabit Doctum Imitatorem. . .*

Hoc enim illud eſt præcipuè in Auctorum notitiâ ſalubre & frugiferum, *ut imitari non pigeat, quos celebrare delectat.* Nec privatis ſolùm Monachis præſens Commentarius ſtimulos addere poteſt, ut Viros Doctrinâ inclytos æmulari ſtudeant, ſed Superioribus etiam incitamento eſſe; ut illorum ſimiles quàm plurimos habere Religioſos contendant. Profectò non illæ Abbatis laudes dignæ fuerint, ſi ſuperba conſtruat ædificia; Turris Babylonicæ Structorum hæc ambitio eſt: *Celebremus nomen noſtrum.* Non ſi auri argentive coacervandi ſtudio teneatur; *Euclionum & Publicanorum hoc negotium eſt.* Non ſi agros cum agris copulet, fineſque Monaſterii protelet; *Conqueſtorum hoc Opus eſt.* Sed illa Abbatis laus eſt, ſi ſitipſe doctus Lege Divinâ, ſi ſciat proferre nova & vetera, ſi nihil antiquius habeat, quàm ut Monachi ſui in viros Virtute & Scientiâ præclaros evadant. Ab his petitur vera & ſolida Abbatum gloria, veráque laus & commendatio: *Filius ſapiens gloria Patris.* Cæterorum, ſive ſint auro laqueata, ſeu obryzo tecta, ſive penſiles horti, aut amplæ ditiones, vel Attalicæ etiam opes, vana eſt oſtentatio. Non de bobus, vaccis & equis, ſed de ovibus reddenda eſt Abbatibus ratio. Oves verò ſunt Monachi, in quibus quidquid utilitatis, tum religioſæ Pietatis, tum ſacræ Doctrinæ, quâ tam ſibi ipſis, quàm Eccleſiæ & Ordini prodeſſe valebant, Paterfamilias minus invenire potuerit, culpæ Paſtoris incumbit.

Nolim verò, ut qui præſentem inſpicere Librum dignabitur, exiſtimet Nos omnium, qui eruditionis laude Ordinem noſtrum illuſtrârunt, Auctorum vitas contexere, ac ſcripta ad obruſſam exigere; cùm hoc opus ſit, quod unius atque alterius hominis quantumvis induſtrii vires ſuperare videtur. Quàm multi enim ab incunabulis Benedictinæ Familiæ tredecim ab hinc Seculis exortæ Viri claruerunt, quorum ætas, locus profeſſionis, vitæque munera & ingenii monumenta ita ſunt à notitia non vulgi modò, ſed rei hiſtoricæ etiam peritorum cognitione remota, ut non dicam integram, ſed nec mutilam de iiſdem texere narrationem, imò de quàmplurimis ne rudera quidem vel parietinas aut veſtigia invenire liceat. Eorum nempe memoriam vel longa oblivio, vel temporum injuria, aut etiam Domeſticorum, qui nihil literis conſignârunt, incuria abolevit. Certè non infimi nominis ſunt Monaſteria, quæ licèt viros celebratæ olim inter doctos famæ habuiſſe conſtet, nullam tamen de eiſdem paulò exactiorem notitiam fide dignis habent monumentis conſignatam. Unde, ut eoſdem ex profundo, in quo ſepulti jacent, oblivionis eruas puteo, actum ſæpiùs ages.

Illud autem indignum planè & propudioſum, quòd quidam Sodales noſtri putidâ, neſcio quâ, rerum ſuarum incuriâ in transverſum acti, nec precibus, nec literis ſe exorari patiantur, ut vitas Auctorum recentioris ævi, qui eorum in cœnobiis claruerunt, cum aliis communicent. An non monſtro ſimile, Viros ſui Monaſterii illuſtres in obſcuro jacere malle, quàm notitiæ de eorum geſtis ſcriptiſque alios facere participes, qui eadem non modo ad ipſorum Cœnobii, ſed ad Ordinis totius commendationem, Poſterorúmq; utilitatem publici juris eſſent facturi? Nec ego ſolus, ſed & alii Viri docti, quorum calamus in eodem verſabatur argumento, ante me repulſam tulerunt: *Tantum*, exclamat nonnemo de Re Literaria Benedictina optimè meritus in literis ad me datis, *Tantum Sodalium noſtratum aliqui Ordinis honorem curant, tanti ſuorum Concellitarum merita æſtimant! &c.* In quo igitur culpa hæret, quòd multorum vitæ Scriptorum memoratu non indignæ ſilentio involvantur?

vantur? O ſurdas, ne dicam, ſuperbas aures! quæ nullis, tametſi honeſtiſſimis patent poſtulatis. Rem utiq; propudioſam & liberali pectore indignam, quod neque ſuorum Monaſteriorum Viros doctrinâ inſignes ſibi demereri, neque alios benè de iisdem merendi cupidos beneficii ſui memores & præcones habere, ſuámque cum iis extendere famam velint.

Quid igitur hujus editione Libri contendimus? Non ut eum ceu doctrinæ ac eruditionis palatium, in quo omnibus & ſingulis Familiæ noſtræ Scriptoribus ſua honoris attribuatur ſedes, haberi velimus, ſed hoc tantummodo cupimus, illuc omnis noſter collineat labor, ut Sodales excitemus noſtros, quò & ipſi in hac ſparta ſolertiùs excolenda operam collocare non graventur. *Peculiarem commentarium*, inquit Mabillonius (a), *poſtulant Ordinis noſtri Scriptores, ex quibus præcipuos quidem in his Annalibus debito non defraudavi honore; at ſingula eorum recenſere opera, & à genuinis dubia & ſpuria ſecernere, res nimiùm faſtidioſa fuerit: quod quidem in peculiari* de Scriptoribus Benedictinis *Opere rectiùs & opportuniùs à quodam è noſtris præſtari poterit.* Sed quis ille, qui id laboris ſuſciperet, poſt *Mabillonium* fuit? Nemo unus; niſi fors Clar. P. Bernardum Pezium nominavetis. Sed vir ille eximius ad hanc provinciam egregiè defungendam, magnâ eruditione, acri judicio, nitido ſermone, cæteríſque præſidiis apprimè inſtructus labori, *proh dolor!* immortuus eſt. Tametſi verò omnes de adornanda Rei Literariæ O.S.B. Hiſtoria cogitantes idem manere fatum notiſſima inter Eruditos vagaretur fabula, jámque *Pezio* vivis erepto ſpes omnis edendæ ipſius Bibliographiæ proſtrata jacetet (b); Rem tamen ſummâ laude dignam, & multorum votis expetitam aggreſſus eſt *Magnoaldus* noſter, ſociatíſque mecum ſtudiis & operis, prima nobis cura fuit, in omnes oras circumſpicere, atque doctos ubique Viros ſollicitare de juvando hoc inſigni molimine, déque plurimorum eruditorum votis benè mereri. Nunquam tamen ipſi in animo fuit de omnibus Auctoribus univerſim narrationem inſtituere; hanc ille mihi provinciam reliquerat emetiendam, nimis id genus argumenti pro Sciagraphia, quam adornabat, ptolixum fore exiſtimans. Centum itaque, non plurium, Virorum ac Fœminarum eruditione Illuſtrium vitas ſuis commenrariis pro ſpecimine annumeraverat *Magnoaldus*, quibus præter ſymbolas ipſi à me ſuffectas, tredecim alias, ſudante ſub prelo Opere, adjeci, ac etiam Scriptores non paucos ab eo omiſſos ſupplementi loco attexui. Quâ autem ratione, quóve ordine vaſtum hunc & ſalebroſum emenſi fuerimus campum, paucis libet exponere.

Et quidem uti *Aratus* à Jove incipiendum dictitabat, *quia Jovis omnia plena*, ita nos ab alio, quàm à ſanctiſſimo Religionis Benedictinæ Fundatote hanc Scriptorum ſyllogen exordiri, nobis religioni non immeritò duximus, quia, ut Divus ait Gregorius, *omnium Juſtorum Spiritu plenus fuit.* Sanctiſſimum Legislatorem *Corona Patrum*, non omnium, ſed aliquorum duntaxat celebriorum Capite ſecundo excipit. Ita verò illi in reverenriæ atque ætatis indicium vocantur, qui & morum ſanctimoniâ & eruditionis præſtantiâ inclyti ante Theologiæ Scholaſticæ incunabula Divinam Doctrinam, libris publicam in lucem datis, expoſuerunt. Poſt quos Capite tertio locum ſortiuntur alii Scriptores, qui à Seculo XII. ad renatas ferè literas floruerunt. Magna Rei Literariæ in Ordine Benedictino fuiſſe decrementa Seculo XIII. & XIV. jam in prima hujus Hiſtoriæ Parte uberiùs

(a) Præf. ad Tom. 1. Annal. O. S. B.

(b) Vide meam Epiſtolam ad Calmetum Bibliothecæ Lotharingiæ præfixam pag. XXVII.

expoſuimus & deploravimus. Neque tamen cùm ad duo iſthæc Secula accedendum eſt, videri nobis debemus ex literata Græcia, ubi magna vis Philoſophorum, in rudem Scythiam, ubi unus *Anacharſis*, eſſe delati. Etſi enim nec tam frequentes, nec tantæ ſemper Doctrinæ Scriptores, uti Seculis antecedentibus, ſeſe offerant; Seculo tamen XIII. octoginta & plures; Seculo autem XIV. centeni ſe videndos præbent Viri doctrina & ſcriptis illuſtres; inter quos etiam Summi Pontifices, Cardinales, Archipræſules & Epiſcopi non pauci veniunt numerandi. Verùm plerorumque ac ferè omnium horum beatam analyſin aliis perſcribendam relinquimus. Seculum XV. inter alios quàm plurimos Abbates & Monachos ſcriptis inclytos, præcipuè illuſtrârunt *Nicolaus Tedeſchus* Abbas Panormitanus, & *Joannes Tritbemius* eruditorum ſuo ævo æviternus Phœnix, cujus vita tribus libris comprehenſa exhibetur integra *pag.* 217. *ſeqq.* Capite quarto Elogia hiſtorica Scriptorum recentioris & noſtri ævi, qui & multi & oppidò docti ſunt, in medium afferuntur; Nullius tamen, qui vitali adhuc veſcitur aurâ, vitam intertexere libuit, quòd tutius ſit hominum magis memoriæ laudem dare, quàm vitæ, *ut illo potiſſimùm tempore merita extollantur, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio.* Capite quinto texuntur vitæ Sanctimonialium, quæ doctrinâ, eruditione & ſcriptis illuſtres, argumento ſunt Benedictinis Veſtalibus hodie non ingenium, ſed animum, aut inſtitutionem atque exercitationem deeſſe. Habent ſanè non Viri tantùm Ordinis noſtri, ſed fœminæ etiam Majores ſuos, unde ſtudii & gloriæ ſplendida petant exempla. Sexto demùm Capite non Biographos, ſed Nomenclatores agimus ſola Scriptorum utriusque ſexûs nomina appendendo, quorum vitæ ſynopſin Sodalibus noſtris contexendam relinquimus. Quod idem de Anonymis & Pſeudonymis, aliíſque quorum in adjunctis meminimus appendicibus, intelligendum venit.

Licèt autem noſtro in Indice nonnulli parùm literati inveniantur adſcripti, atque adeò Criticorum fortaſſe judicio haud ſatis digni reputentur, qui inter Doctos locum ſortiantur; quia tamen in comparatione aliorum tam pauci ſunt, ut vix numerum faciant, non ideò reliquis numerô & doctrinâ longè præſtantibus, ſi immiſceantur, conflare invidiam debent, aut præjudicium. Sed & modernos Scriptores aliquos aliis ſubinde attexui, qui pauca admodùm ſcripſerunt, & Schediaſmata ſolùm ac Theſes ediderunt; quod duplici ratione feci, tum ne ipſos ſpreviſſe arguerer, tum maximè, quia in vivis agentes, forſan plura & majora ſint elucubraturi, ut ſeſe digniores reddant locis, quibus ſunt poſiti. Calamum autem ab immodicis laudibus & encomiis, quâ licuit, abſtinui. Tametſi namque mos ille haud improbus hodie obtinuit, ut Vitæ Scriptorum, qui adhuc in vivis ſpirant, literis mandentur, vitio tamen non vacat id ſcribendi genus, ſi illos, quorum geſta ſcriptáque referre quis ſuſcipit, invidendis mactet elogiis, meráſque charites buccinet. Quis enim non rideat ejusmodi panegyres, in quibus ſæpè tanta pygmæis doctrinæ copia, tantáque morum ſanctitas affingitur, quantam nec in *Auguſtino*, *Hieronymo*, aut aliis præcipuis Eccleſiæ Doctoribus ſuſpicimus? Certè Eminentiſſimus noſter Cardinalis *d'Aguirre* cùm laudes juſtò majores in viros quosdam doctos contuliſſe ſibi viſus fuiſſet, publico easdem ſcripto, quo erat veritatis ſtudio, & tenerâ conſcientiâ, revocavit. Quod exemplum uti ſemper magni feci, ita deinceps ſequi mecum decrevi, minimè quid huic aut illi placiturum

ſit

ſit attendens, ſed id quod actum eſt infucatè exponens: Ita enim *Lucianus* de virtutibus Hiſtorici, *Maximè*, inquit, * *& ante omnia libero ſit animo, ut neque metuat quemquam, neq; ab ullo ſperet quicquam; quoniam ſimilis hoc pacto foret malis judicibus, qui vel ad gratiam, vel ad odium, acceptâ mercede, ſententiam ferunt.* Sed hæc conſilia, utùt mihi conſtanter ob oculos verſentur, in eorum tamen vitis, quæ veram, quantumvis invidendam Majorum laudem complectuntur, *non ideò verecundiâ*, ut Vellei Paterculi utar verbis, *domeſtici ſanguinis quidquam ſilebo;* ſed quemadmodùm Virgilius:

Dicta meæ genti ponam, lectôsque ſacrabo
Alma Viros. . .

Cùm autem omnis ætas ſuorum incurioſa ſit, & ut Paterculus ajebat, *Præſentes invidiâ, mortuos, virtutèmque extinctam demùm veneratione proſequamur;* conſultum fore credimus, ut Eruditus quisque ſuos ipſe labores literarios citra inane aucupium enarret: Nemo enim melius novit, quid ſit in homine, quàm ſpiritus, qui inhabitat. Nec id Biographiæ genus exemplis caret: Plerique enim Viri Doctrinæ & Virtutis famâ celebres, ut ſuo Nomini conſulerent, & poſteritati ſervirent in exemplum, ſuam ipſi vitam laborésq; exantlatos enarrare, & Poſterorum memoriæ committere fiduciam potiùs morum, quàm oſtentationem & inclareſcendi pruriginem arbitrati ſunt. Quin referente *Tacito* in Agricola: *Uti apud Priores agere memoratu digna pronum magìsque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam Virtutis Doctrinæque ſuæ memoriam ſine gratia aut ambitione, bonæ tantùm conſcientiæ pretio ducebatur.* Id fecere ex Priſcis, *Rutilius, Scaurus, Julius Cæſar, Ovidius &c.* Ex recentioribus *Petrarcha, Tritbemius, Cardanus, Thuanus, Andreas Schottus, Huetius, Thomaſius,* & noviſſimè *Guido Bentivolus, Auguſtinus Valerius, Calmetus,* Angelus Maria Quirinus, aliique plures Idiobiographi, & rerum ſuarum Commentatores. Nec iſtud ipſis citra fidem, vel obtrectationi, aut vitio fuit: quandoquidem *Tacito* teſte, *Famæ boni omnes indulgent, & in magnis viris ſola animum mentèmque perurit gloria;* ita quidem ut & omnes affectus faciliùs à Sapientibus exuantur, quàm cupido famæ & perennandi ſtudium: *Gloriæ cupidinem,* inquit Plato, *& Nominis curam velut ultimam tunicam anima ſolet deponere.*

Quamvis ergò pernicioſa hæc prævaleat Mortalium conſuetudo, ut æſtimationi vileſcant præſentia, ſoláque præterita menti placeant, pauci de futuris ſint ſolliciti; in id tamen ſeriò incumbendum duximus, ut quæ modò in Ordine à Viris Illuſtribus geruntur memorabilia, aut eduntur ingenii monumenta, ſedulò adnotaremus. Veniet enim tempus, quo ſeri nepotes in noſtræ ætatis acta & hiſtorias non minùs ſtudioſè inquirent, quàm nos modò in præterita inquirimus, & quemadmodùm hodie magni facimus Annales Veterum utut parcos & jejunos, ita quæ nos ſcribimus, quamvis animis vileſcant noſtris, olim judicio placebunt poſteritatis. Stet igitur ſua gratia beatis *Magnoaldi* manibus, quem hujus Operis Architectum veneramur. Sed ut nihil eſt humanis in rebus, quod perfici ſubinde nequeat, ſic id maximè verum in Hiſtoria ſit, ad quam beneficio Seculi noſtri quotidianæ fiunt acceſſiones, nova deteguntur monumenta, novæ doctorum hominum lucubrationes, quibus ad vetera novum lumen accenditur. His adjumentis feliciores, quàm Nos, Poſteri facilè demùm hac in re omnem omnium ſuperare poterunt jactum, totámque exhaurire Aganippam. Tantùm Sodales noſtros, qui poſſunt, rogatos velim, ut cùm materia fabro non deſit, fabri ipſimet materiæ deeſſe nolint, ſed pro ſuo quisque amo-

* Lucianus ex Mycilli editione p. 363.

amore & ſtudio erga ſui Monaſterii Viros Illuſtres, eorum Elogia hiſtorica literis noſtro ritu conſignanda ſuſcipiat. Dubium certè non eſt, quin de iisdem pariter ac de republica literaria optimè ſint merituri, totiúsque Ordinis noſtri gratiam inituri; ut qui hàc ratione confectas habebit vitas, quas in unum corpus redactas, non tam publicæ luci ad uſum exponat, quàm ad imitandum alumnis ſuis proponat. Ad id verò laboris in ſe recipiendum eos quàm maximè deberet permovere, cùm familiæ ſuæ decus, tum publicum Literatorum commodum, tum etiam invidioſa vetuſtas, quæ præclara quæq; ingenii monumenta evertit, exedit, funerat, ſempiternæq; oblivioni tradit.

Cùm verò non minùs in ſinceræ ac genuinæ hiſtoriæ Canones peccent, qui Viros Illuſtres Ordini Benedictino ultra veritatis leges adjiciunt, quàm qui eosdem invidiosè detrahunt, ſummæ nobis curæ ſit oportet, ne quos in cenſum Scriptorum referamus, qui *Beati Benedicti* inſtitutum reverà profeſſi non fuerunt. Et quamquam quorumdam è noſtris opinione, ii parùm Ordinis honori conſulere videantur, ſoleántque ignominiosè velut *Expunctores* traduci, qui ex Catalogo Virorum Illuſtrium, adhibitis ſanioris Critices regulis, eos expungunt, quibus in Domeſticorum ac Sodalium ſyllabo nonnulli è noſtris Scriptores, argumentis neſcio, quàm firmis, locum attribuerunt; ex adverſo autem *Zeloſi* in honore Ordinis propagando cenſeantur, qui in Virorum clarorum indice vel ſupra modum amplificando nervos omnes intendunt; hàc tamen ratione nos nullo modo, niſi inadvertenter, paſſi fuimus, ut Librum hunc ſubditiis oneraremus Scriptoribus. Zelum ſed inconſultum, minúſque providum ſapit nimius Ordini Viros inſignes vindicandi ardor. Quis enim non videat, ſi ejusmodi homines, qui ad Ordinem non ſpectant, ad eundem tamen collo quaſi obtorto abripiantur, perfacilè fieri, ut certi etiam & indubitati ab adverſæ partis hominibus eidem negentur? Summoperè ergò conducit, ut exiſtimationi Ordinis benè conſulatur, non ſolùm pietatem, non ſolùm zelum, non ſolùm Benedictinæ gloriæ ſtudium, ſed Hiſtoriam, Antiquitatem, ac Criticam habere perſpectam. Qua in re Magni Mabillonii veſtigia præ cæteris nobis terenda duximus. Quemadmodum enim nemò eruditiſſimo hoc Añalium Benedictinorum Patente meliùs intellexit, quæ decora & ornamenta Ordinem ſibi chariſſimum commendent, ita veri & ſinceri Hiſtorici partes nemo magis explere ſtuduit. Quos ille pro Benedictinis habuit, nos quoque habemus; quos ceu adſcriptitios expunxit, expungimus; quos malè ab aliis negatos vindicavit, vindicamus. Hæc præmittenda cenſuimus, ne qui Sodales noſtri nimio forſan vindicandæ Ordinis gloriæ ſtudio abrepti, nos violati Illuſtrium Virorum canonis reos temerè ſuſpicentur, & ſugillent. Etſi verò hìc venirent jugulandæ ſerpentes quædam adverſum me criminationes; quia tamen ut Terentius ajebat, *in Prologis ſcribundis operam abutitur, non qui argumentum narret, ſed qui malevolorum maledictis reſpondeat*, dehinc *ut quieſcant, porrò moneo, & deſinant maledicere, malefacta ne noſcant ſua.* Tu interim *Lector candide!* hoſce labores meos, qui Tibi aditum ad tot præclaros Scriptores & ſcripta patefaciunt, tantò æquiùs ſuſpice, quò iniquiùs mecum, dum eos ſubirem, actum eſt. Vale!

ELEN-

ELENCHUS
CAPITUM, SECTIONUM, & PARAGRAPHORUM
PARTIS III. BIOGRAPHICÆ,

in qua

Vitæ ac ſcripta Virorum Doctrinâ Illuſtrium, Ord. S. B. inde ab Origine ad noſtram usque ætatem repræſentantur hac ſerie:

CAPUT I.

Vita Fundatoris SS.mi P. BENEDICTI, cum ejusdem S. Regula, inque eam Commentariis, Verſionibus, Editionibus, aliíſque Lucubrationibus ad eandem illuſtrandam in lucem emiſſis. † 543. - - - *pag.* 2.

SECTIO I. De Regula S. Benedicti. - *pag.* 2.
§. I. *Sacra Regulæ autographi & apographi, ſeu Manuſcripti Codices.* - - - 6.
§. II. *Sacræ Regulæ Verſiones.* - - 8.
§. III. *S. Regulæ Editiones, Declarationes, Variæ Lectiones, Notæ & Obſervationes.* 10.
§. IV. *Commentatores in Sacram Regulam.* 12.
§. V. *Authores, qui in S. Regulæ quædam Capita & loca difficiliora Commentati fuerunt.* 24.
§. VI. *Qui lucubrationes ad S. Regulæ Commendationem, praxin & uſum ediderunt.* 29.
SECTIO II. Alia Opuſcula S. P. B. adſcripta. 32.

CAPUT II.

SS. Patrum O. S. B. Corona, eorúmque Vitæ ac Scripta.

§. I. S. GREGORIUS I. P. M. † anno 604. *pag.* 34.
II. S. ILDEPHONSUS Archiep. Toletanus. † 669. 39.
III. S. ALDHELMUS Epiſc. Schirburnenſis. † 709. 43.
IV. *Venerab.* BEDA Presbyter. † 735. - 46.
V. S. BONIFACIUS Archiepiſcopus Moguntinus, Germaniæ Apoſtolus. † 754. - 54.
VI. AMBROSIUS AUTPERTUS Abb. in Monaſterio S. Vincentii ad Vulturnum in Italia. † 778. - - 57.
VII. B. ALCUINUS Præceptor Caroli M. † 804. 60.
VIII. B. RABANUS Maurus Archiepiſcopus Moguntinus. † 856. - - 65.
IX. S. PASCHASIUS RADBERTUS Abbas Corbeiæ Veteris. † 860. - - 77.
X. B. SERVATUS LUPUS Abbas Ferrarienſis. † 860. - - 83.
XI. S. ADO Archiepiſc. Viennenſis. † 875. 86.
XII. B. PETRUS DAMIANI S. R. E. Cardinalis. † 1072. - - 88.
XIII. ALBERICUS Caſinenſis Monachus S. R. E. Cardinalis. † 1089. - - 93.
XIV. B. LANFRANCUS Archiepiſcopus Cantuarienſis. † 1089. - - 94.
XV. S. ANSELMUS Archiepiſcopus Cantuarienſis. † 1109. - - 99.

APPENDIX

De GOTHESCALCO Orbacenſi Monacho Seculi IX. Cilone, qui noſtra ætate etiam ſuos habet & Adverſarios & Patronos. 104.
Ejus Vindiciæ per Em. Card. Henricum Noriſium. - - - 105.
Ludov. du Meſnil S. J. in eum criminationes. 122.

CAPUT III.

Vitæ Virorum Doctrinâ Illuſtrium O. S. B. Medii Ævi, inde à Seculo XII.

I. ODO Abb. S. Martini Tornacenſis atque Epiſc. Cameracenſis. † 1113. *pag.* 126.
II. S. BRUNO Epiſc. Signienſis, S. R. E. Cardinalis. † 1125. - - 129.
III. HERVEUS Burgidolenſis Aſceta. C. 1130. 130.
IV. GOFFRIDUS Abb. Vindocinenſis, S. R. E. Cardinalis. † 1131. - *pag.* 132.
V. *Venerabilis* HILDEBERTUS. † 1134. - 134.
VI. DROGO S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis. † 1136. - - 140.
VII. EADMERUS Epiſc. S. Andreæ in Scotia. † 1137. - - 140.
VIII. PETRUS *Diaconus* Caſinenſis. † 1140. 143.
IX. SUGERIUS Abbas S. Dionyſii, & Regens Franciæ. † 1152. - - 147.
X. S. PETRUS MAURITIUS, cognomento Venerab. Abb. Cluniacenſis. † 1156. - 151.
XI. WIBALDUS Abb. Stabulenſis & Corbeienſis. † 1158. - - 155.
XII. GODEFRIDUS Abb. Admontenſis. † 1165. 160.
XIII. PETRUS *Cellenſis* Abbas, ac poſtea Epiſcopus Carnotenſis. † 1187. - 162.
XIV. REINERUS Monachus S. Laurentii Leodienſis. Claruit 1182. - - 166.
XV. CÆSARIUS Prumienſis poſtea Heiſterbacenſis Monachus. Clar. 1222. - 170.
XVI. MATHÆUS *Pariſius* Regis Angliæ Hiſtoriographus. † 1259. - - 171.
XVII. BERNARDUS Abb. Caſini & S. R. E. Cardinalis. † 1282. - - 172.
XVIII. ENGELBERTUS Abbas Admontenſis. † 1331. - - 175.
XIX. CLEMENS VI. P. M. † 1352. - 180.
XX. PETRUS BERCHORIUS Prior Collegii S. Eligii. † 1362. - - 183.
XXI. ADAMUS ESTON S. R. E. Card. † 1397. 185.
XXII. BASILIUS VALENTINUS. a. 1413. - 188.
XXIII. *Venerab.* NICOLAUS de MAZEN Abbas Mellicenſis. † 1425. - 192.
XXIV. JOANNES LIDGATUS. † 1440. - 194.
XXV. JOANNES WHETHAMSTEDUS Abbas S. Albani in Anglia. † 1440. - 195.
XXVI. NICOLAUS TEDESCUS Abb. Panormitanus. † 1445. - - 198.
XXVII. MARTINUS Abbas Scotorum Viennæ Auſtriæ. † 1470. - 201.
XXVIII. CAROLUS FERNANDUS Profeſſor Regius in Univerſitate Pariſienſi. † 1496. 203.
XXIX. ADAMOS VILLICUS Abb. S. Martini Maj. Coloniæ. † 1499. - - 204.
XXX. JOANNES RAULINUS Regii Navarræ Gymnaſii Magnus Magiſter. † 1514. 213.
XXXI. JOANNES TRITHEMIUS Abbas Spanheimenſis. † 1516. - - 217.
XXXII. JOANNES de MARRE, Epiſcop. Condomienſis. † 1521. - - 333.
XXXIII. JOANNES PIEMONTANUS cognomento Bouzbachius Lacenſis. † 1526. 335.
XXXIV. NICOLAUS ELLENBOGIUS. † 1543. 338.
XXXV. GREGORIUS CORTESIUS S. R. E. Card. † 1548. 21. Octob. - 339.

XXXVI. Isidorus Clarius Fulginei Epiſcopus. † 1555. - - *pag.* 344.
XXXVII. Joachimus Perionius Theologus Univerſitatis Pariſienſis. † 1559. - 348.
XXXVIII. Dionysius Faucherius Prior Lerinenſis. † 1562. - - 351.
XXIX. Florianus Treflerus. † 1665. 353.
XL. Jacobus Billius Abbas S. Michaëlis in Eremo. † 1581. - - 353.
XLI. Joannes Feckenamus Abbas ultimus Weſtmonaſterienſis in Anglia. † 1585. 357.
XLII. Ninianus Winzetus. † 1592. 360.
XLIII. Gilbertus Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis. † 1597. - - 361.
XLIV. Joannes de Castanniza. † 1599. 367.

CAPUT IV.

Vitæ Virorum Illuſtriũ Recentioris ævi.

I. Leonardus Rurenus Abb. Abdinckofenſis. † 1609. - - 368.
II. Jacobus Breulius Prior S. Germani à Pratis. † 1614. - - 370.
III. Jacobus Bossutius Conſultor Congregationis de auxiliis. † 1626. - - 371.
IV. Gulielmus Gifford Archiepiſcopus Remenſis. † 1629. - - 373.
V. Antonius Perezius Archiep. Tarraconenſis. † 1637. - - 375.
VI. David Gregorius Cornerus Gottwicenſis in Auſtria Monaſterii Abb. † 1648. 375.
VII. Benedictus Hæftenus Præpoſitus Afflegienſis. † 1648. - - 377.
VIII. Constantinus Cajetanus Abbas S. Baronti. † 1650. - - 379.
IX. Clemens Reynerus Abb. Lamſpringenſis. † 1651. - - - 383.
X. Placidus Vigellius Abb. Majoris Augiæ Brigantinæ. † 1651. - - 384.
XI. Carolus Stengelius Abbas Anhuſanus. † 1663. - - - 386.
XII. Adamus Adami, Epiſcopus Hierapolitanus, & Hildeſienſis ſuffraganeus. † 1663. 389.
XIII. D. Franciscus Delfau. † 1676. - 395.
XIV. Ludovicus Engel, SS. Canonum Doctor & Profeſſor. † 1674. - 401.
XV. Gregorius Geisserus Abb. ad S. Georgium in Sylva Nigra. † 1690. - 403.
XVI. Angelus de Nuce, Archiepiſcopus Roſſanenſis. † 1691. - - 407.
XVII. Vitalis Terra Rubra è Congregatione Caſinenſi. † 1691. - - 413.
XVIII. Augustinus Rheding, Abbas & Princeps Einſidlenſis. † 1692. - - 415.
XIX. Cœlestinus Sfondratus, Princeps & Abb. San-Gallenſis, S. R. E. Cardinalis. † 1696. - - - 416.
XX. Josephus Saenz de Aguirre S. R. E. Cardinalis. † 1699. - - 420.
XXI. Claudius Stephanotius. † 1699. 424.
XXII. Ignatius Clavenau. † 1701. - 427.
XXIII. Oderisius Pierius. † 1702. - 430.
XXIV. Otto Aicherus Profeſſor Univerſitatis Saliſburgenſis. † 1705. - 435.
XXV. Joannes Mabillonius. † 1707. 436.
XXVI. Claudius de Vert Prior S. Petri Abbatis-Villæ. † 1708. - - 439.
XXVII. Paulus Rabusson Superior Generalis Congr. Cluniacenſis. † 1717. - 441.
XXVIII. Antonius Augustinus Touttée è Congregatione S. Mauri. † 1718. - 442.
XXIX. Ludovicus Babenstuber Theologus Ettalenſis. † 1726. - *pag.* 444.
XXX. Benedictus Bacchinus Abb. Congregationis Caſinenſis. † 1721. - 445.
XXXI. Dionysius *de Sainte-Marthe.* † 1725. 451.
XXXII. Mathæus Petit-Didier. † 1728. 455.
XXXIII. Corbinianus Khamm. † 1730. 457.
XXXIV. Carolus Meichelbeck Benedicto-Buranus in Bavaria Monachus. † 1734. 458.
XXXV. Bernardus Pezius Bibliothecarius Mellicenſis. † 1735. - - 466.
XXXVI. Marianus Armellinus è Congregatione Caſinenſi. † 1737. - - 446.
XXXVII. Bernardus de Montfaucon Congregat. S. Mauri Decus inſigne. † 1741. 479.
XXXVIII. Godefridus Besselius Gottwicenſis in Auſtria Monaſterii Abb. † 1749. 481.
XXXIX. Placidus Böckhn. † 1752. 484.

CAPUT V.

Vitæ Authorum Fœminei ſexûs O. S. B. Doctrinâ, Eruditione, ac Scriptis Illuſtrium. - - 485.

I. Roswitha Monialis Gandersheimenſis. Claruit anno 980. - - 491.
II. Diemudis Sanctimonialis Weſſofontana. Claruit anno 1073. - - 494.
III. Bertrada Vilecenſis Sanctimonialis. Claruit anno 1030. - - 496.
IV. Adela Monialis Marcianenſis. † 1110. 497.
V. S. Elisabetha Schœnaugiæ Abbatiſſa. † 1160. - - - 499.
VI. Heloissa Paracletēſis Abbatiſſa. † 1163. 501.
VII. S. Hildegardis Abbatiſſa in Monte S. Ruperti prope Bingas. † 1178. - 503.
VIII. Rilindis ſeu *Regilindis* Abbatiſſa Hohenburgenſis. † 1169. - - 508.
IX. Herradis Hohenburgenſis Abbatiſſa. Sec. XII. - - - 509.
X. SS. Gertrudis & Mechtildis Sorores C. Sec. XIII. - - - 510.
XI. Angelica Baitelli. C. 1657. - 514.
XII. Helena *Lucretia Cornelia Piſcopia.* † 1684. - - - 514.
XIII. Regina Jurata. † 1685. - - 528.
XIV. Maria *Crucifixa à Concept.* † 1699. 528.
XV. Maria *de Blemur* Sanctimonialis è Congr. perpetuæ adorationis SS. Sacramenti. † 1696. - - 530.
XVI. Maria *Stella Scutellari.* † 1702. 533.
XVII. Maria *Magdalena Gabrielis de Rochechouard* Abb. Fontebraldenſis. † 1704. 533.

CAPUT VI.

Recenſentur nomina aliorum utriusque ſexûs Scriptorum, qui variis ingenii ſui monumentis Rempublicam Literariam locupletârunt. *pag.* 535. usque ad 639.

APPENDIX I.

De Script. Anonymis & Pſeudonymis. *pag.* 639.
§. I. *De Anonymis.* - - 639.
§. II. *De Pſeudonymis.* - - 645.
§. III. *Alii Benedictini, qui in Eruditorum Societates adlecti varia nomina tulerunt.* 651.

APPENDIX II.

Exhibet Scriptores omiſſos in ſuperiori Indice cum additionibus & correcturis. *pag.* - - 654. usque ad 674.

HISTO-

IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.

HISTORIÆ REI LITERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI

PARS TERTIA

DE AUTHORUM NOTITIA.

PRæcipuam Hiſtoriæ Literariæ partem conſtituit Virorum Eruditorum notitia; cùm enim duplex ſit proficiendi in literis via, altera per præcepta, altera per exempla, hæc poſterior priori præferenda omninò eſt, quò magis ipſe uſus in rem præſentem deducit. Prout namque incidimus in vitam Theologi, Philoſophi, Juriſconſulti, Politici, Ethici, Philologi, ita multa diſcimus ſingularia ad illas ſcientias ſpectantia, de quibus nunquam cogitârunt, qui præcepta tantùm proponunt. Ex illis arcana quædam colligi poſſunt, quæ non ſcientiam tantùm, ſed & prudentiam hominis literati augent, & maximas validiſſimáſque addunt vires, tum ad rectè diſcendas artes, cùm ad vitia emendanda & mores formandos; Omnes quippe Biographi id unum æquè ſpectare videntur, ut commemoratis Majorum virtutibus ac vitiis, quid ſit in vita ſummoperè optandum vel fugiendum poſteritati præcipiant. Impoſitas autem à Republica noſtra partes implere, ex eorum potiſſimùm rebus geſtis docemur, qui ſub eadem nobiſcum diſciplina vixerunt. Quamvis enim in hominum quorumcunque moribus latè patentia honeſti principia, animíſque innata ſemina deprehendere interdum liceat; contractioris tamen Societatis jura & domeſtica diſciplina, niſi perſpecta ejuſdem familiæ alumnorum, & variâ temporum conditione cognoſci vix unquam poſſunt. Quapropter Religionis Benedictinæ Scriptores, quorum nobis aliqua ſuppeditat notitia, communi Sodalium noſtrorum bono deſcripturi, eos præſertim in theatrum adducemus, qui vitæ intra clauſtra ritè degendæ ac ſimul per bonas artes omnibus inclareſcendi extantiora nobis præbent exempla. Hunc autem in ſcopum collimantes

ab alio, quàm ab ejusdem Ordinis *Fundatore* exordiri non immeritò religioni nobis ducimus. Uti igitur *Aratus* à Jove incipiendum putat, *quia Jovis omnia plena*, ita nos ritè cœpturi à Ss.mo Patriarcha Benedicto videmur, quoniam, ut Divus ait Gregorius, *omnium Juſtorum ſpiritu plenus fuit*, quem etiam *Joan. Trithemius* magni nominis Bibliographus in libro ſuo de Viris Illuſtribus O. S. B. primo collocavit loco, ut inſpecto capite reliqua deinceps membra eò faciliùs dignoſcere valeamus. Sit igitur

CAPUT I.

Vita Fundatoris S. Benedicti cum ejusdem Regula, inque eam commentariis, versionibus editionibus &c.

Orbi natus A. 480. † 543.

S. BENEDICTUS Nurſiæ, urbe quondam epiſcopali, Valeriæ provinciæ contermina, in lucem anno Chriſti 480. editus claros habuit parentes. De generis proſapia multi afferunt multa, ſed pleraque non ita certa, ut ab aliis non in dubium vocentur. Quid? quòd *Gabriel Bucelinus* D. BENEDICTUM, ceu unum ex Majoribus Auguſtæ Domûs Habsburgo-Auſtriacæ, *Archiducem* cognominârit: quam verò appellationem cum à viris eruditis (a) explodi videret, meritò eam deſeruit. *Mabillonio* non diſplicuit *Leonis Marſicani* in Chronico Caſinenſi ſilentium de genere & proſapia S. Benedicti, quòd in magnis viris decus originis nihil addere niſi contemptu ſuo poſſit. *Boni vini & boni viri non eſt quærenda origo*, inquit apud Angelum Nuceum (b) Veſpaſianus: *ſiquidem & viliſſima gleba generoſum ferre poteſt vinum, & virum egregium gregaria humilîsque familia.* Non ergò *Benedicto* de patria, de gente & familia, ſed patriis, gentibus & familiis de *Benedicto* honeſtiùs, quàm de *Homero* certandum. Ut tamen Mabillonius quorundam comentis, qui S. Benedicti genus deprimere conantur, occurreret, *Obſervationes* (c) *de genere ejusdem* edidit, in quibus ex S. Gregorio M. vitæ authore comonſtrat S. BENEDICTUM *liberiori genere*, ac ſi dicatur *nobiliori genere*, fuiſſe ortum, ſive hac voce comparativus abſolutè, ſive ſuperlativus ſumatur. Certè *Adrevaldi* monachi tempore, id eſt, ſeculo nono, paternarum ejus ædium veſtigia ſupereſſe dicebantur, quæ quorumvis palatiorum magnificentiam ſuperabant.

de genere & proſapia S. Benedicti.

Cùm *Benedictus* ad diſcendas artes idoneus haberetur, Romam liberalibus literarum ſtudiis imbuendus miſſus eſt. *Sed* (d) *cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret; eum, quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retraxit pedem: ne, ſi quid de ſcientia ejus attingeret, ipſe quoque in immane præcipitium totus iret. Deſpectis itaque literarum ſtudiis relicta domo rebúsque patris, ſoli Deo placere deſiderans ſanctæ converſationis habitum quæſivit.* Quibus Divi Gregorii verbis *Hermannus Conringius* (e) ut Benedictinis ægrè faceret, doctrinæ laudem S. Benedicto adimere conatus eſt. Id quod authoritate S. Antonini evincere ſe poſſe, nullus dubitavit; qui poſtquàm part. 2. Summæ hiſtorial. tit. XV. c. XIII. verba D. Gregorii M. attuliſſet: *Receſſit igitur ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus*, ſubjungit: *Quæ utique indicant averſum à liberalibus ſtudiis Benedicti animum.* Verùm cum D. Thoma Aquinate dicendum, quòd *iſte non diſceſſit à ſtudio, quaſi ſcientiam horreret aut ſtudium: ſed ſecularem vitam & ſocietatem formidans.* Unde *Angelus de Nuce* in notis ad vitam S. Benedicti cap. 1. num. 11. ſcitè annotat, BENEDICTUM non ſcientiam aut ſtudium abhorruiſſe, ut inquit Thomas, ſed ſecularem vitam & ſocietatem formidâſſe. *Felix*, addit, *ſapientia eſt, multa neſcire, quæ noceant, nihil non nôſſe, quod juvet; quanquàm neſcire interdum*

A. 486. puer ſeptennis Romam ad ſtudia mittitur.

(a) Vid. Jo. Lud. Schönleben in Prolegom. ad Annum ſanctum Habsburgo-Auſtriacum.
(b) in Notis ad vitæ cap. 1.
(c) Annal. Ben. tom. 1. append. 2. §. 2. pag. 675.
(d) S. Greg. M. l. 2. Dial. in vit.
(e) in Supplem. ad Differt. de Academ. Antiq. n. xxx. Opp. tom. v.

terdum accipitur pro eo, quod eſt non probare, neſcio vos. Quæ Nucci verba cùm doctiſſimus *Goebelius*, Conringii Scholiaſtes, retuliſſet, ejusdem verbis proſequitur: *Alioquin & in ſpecu & in convictu divinis inſtrui diſciplinis maximè ſtuduit, ut ipſe ſanctæ ſuæ legis textus abundè prodit, quæ ex S. Scripturæ oraculis, ſanctorúmque Patrum doctrinis eſt opus teſſelatum.*

A. 494. ætatis 14. ab urbe recedit, & in eremũ ſe abdit.

Igitur cum ſanctus adoleſcens Romanis Muſis valedixiſſet, in eremum ſeceſſit. Hîc poſt aliquot annos duo ſupra decem monaſteria condidit, in quorum primo Romanorum Procerum filios virtute primùm, tum doctrinâ inſtituendos accepit. Sic enim de pietate parentes curabant, ut congruæ tamen eruditioni ſecundas tribuerent.

A. 506. Gymnaſium ſanctioris vitæ aperit.

Quis namque ſibi perſuadeat, Viros apprimè nobiles ac generis Senatorii filios ſuos in ſinum ac complexum *S. Benedicti* commiſiſſe, ut *ſanctam* ſolùm *ruſticitatem* ab eo addiſcerent, non verò ut literis etiam illuſtri proſapiâ dignis informarentur? Hinc *Mabillonius* (f) edito libro Abbatem *de Trappa* meritò confutavit, qui dicere non erubuit, quòd D. BENEDICTUS *non modò ſcientiam proculcaverit, ſed & quodam modo ignorantiam publicè profeſſus fuerit.* „Contemni poteſt ſcientia, proculcari etiam poteſt, quin publicè ignorantiam profiteamur. Et reverà doctiſſimus quisque ea, quæ didicit, parvi pendere debet, ſi cum ſcientia ſalutis comparentur. Abrenunciare poteſt, imò & quandoque debet quibusdam ſtudiis, quibus excellit, ſi ſibi offenſionis & lapsûs occaſio fuerint. Denique inanem ſcientiæ gloriam contemnere debet, quin propterea palàm inſcitiam profiteatur. S. Benedictus, cùm Romæ ſtuderet, deprehendit juvenum conſuetudine atque diuturna in magna illa civitate commoratione creari ſibi ſeductionis, & à *Deo* averſionis periculum. Ideò ſtudia reliquit, non propter ipſa, ſed propter ipſorum circumſtantias. Sequitúrne ex hoc, quòd poſteà in ſuo receſſu nequaquam ſtuduerit? cùm ipſe non ſolùm ad legendas ſacras Scripturas, ſed etiam ad evolvenda Opera Patrum ſuos Religioſos exhortetur; *cùm denique ipſe Scripturarum ſcientiam abſolutiſſimè calleret, ſi D. Abbati credimus.*" Hæc *Mabillonius*, qui multis prætereà docet argumentis, quod à ſancto *Benedicto* ſtudia literarum ex Ordinis à ſe fundati monaſteriis non modò non proſcripta, ſed planè in iis fuerint inſtituta.

A. 523. Sublacũ repetit & nobiles liberos educandos ſuſcipit.

Cæterùm cùm *Florentius* BENEDICTO inſidias collocaret, Sublaco diſcedens in monte Caſino monaſterium condidit. Hîc Regulæ ſanctæ, quam in Sublacenſi monaſterio ſcribere exorſus erat, neque omni tamen ex parte perfecerat, ſuprema ab eo manus impoſita eſt. A ſolo autem hoc Regulæ libro Romanus Pontifex Gregorius M. (g) inſignem S. Patris eruditionem commendare non dubitavit: *Hoc*, inquit, *nolo te lateat, quòd Vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, Doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulſit. Nam ſcripſit Monachorum Regulam diſcretione præcipuam,* SERMONE *luculentam.* Quod tanti Doctoris elogium ab aliis identidem repetitum, non infimum ei inter ſacros Scriptores locum meritúmque conciliavit. Chronographus noſter *Yepeſius* (h) poſt alios ait: „Neque multos, neque magnos libros S. Benedictus compoſuit; modicum tamen id, quod veluti in ſpecimen divini ſui ſpiritûs poſt ſe dereliquit, excellens prorſus eſt, & admirabile." Et citatis ſuperioribus S. Gregorii verbis, ſubdit. „Loquitur de S. Benedicto Gregorius, tanquam de valdè erudito, & eximio non in prudentia ſolùm & doctrina, verùm etiam in eloquentia, & proprietate Latini ſermonis, quo ſuam Regulam exaravit. Sancti enim in ſuis ſcriptis diſerti fuerunt & eloquentes; non rudi ac barbaro ſtylo, ſed valdè exacto ac proprio fidei myſteria explicantes." Ita ferè ille.

A. 529. Caſinum migrat, idola evertit, Regulam ſcribit.

Quam verò vitæ rationem in laudatiſſima hac ſua Regula complexus eſt, ea eſt, ut abſque ſtudiorum fulcimentis nec erigi potuerit, nec erecta ſubſiſtere queat. Nec ipſius Regulæ verba obſcura ſunt, quibus probari nequeat, *S. Benedicto* præter eximiam morum ſanctitatem, mentis etiam ſacram eruditionem cordi fuiſſe. Quid enim illa cap. 64. *Vitæ merito &* SAPIENTIÆ DOCTRINA *Abbas eligatur.* & cap. 21. de Decanis: *non eligantur per ordinem, ſed ſecundùm vitæ meritum &* SCIENTIÆ DOCTRINAM. Ne-

Ex qua elucet ejus ſapientia & vitæ ratio.

que

(f) Tract. de Stud. Monaſt. vol. 2. art. 13. pag. 65.
(g) Dial. l. 2. cap. 36.
(h) ad an. Chr. 529.

que Abbatem aut Decanos tantùm, ſed cæteros etiam ſuæ Regulæ ſectatores ad faſtigium doctrinæ & virtutis evehere voluiſſe, illa ſacræ Regulæ verba cap. 73. argumento ſunt: *Hanc minimam inchoationis Regulam deſcriptam adjuvante Chriſto perfice; & tunc demùm ad majora, quæ ſupra commemoravimus, Doctrinæ virtutúmque culmina, Deo protegente pervenies.* Quò ut pertingerent, neceſſe fuit, ut adminicula illis ſuppeditaret, ſtudia nimirùm, & lectionem ſacræ Scripturæ, atque Eccleſiæ Patrum, præter Monaſticas Inſtitutiones: ſine ſtudio etenim hæ lectiones nunquam cum fructu fieri potuerunt: ſine ſtudio nunquam ad illud doctrinæ faſtigium licebit aſſurgere.

prædicatione ſuâ Gentes ad fidem vocat.

Cùm profanæ verò ſuperſtitionis non modicæ reliquiæ ea in regione ſupereſſent, nihil antiquius babuit, quàm ut qui Caſino in monte atque agro vicino paganis ritibus etiamnùm dediti eſſent, ad ſacra Chriſtiana perducerentur. Quin ipſus etiam cùm eſſet Scripturarum ſanctarum, ut Abbas Trappenſis diffiteri non audet, ſcientiſſimus, munus prædicandi obivit, felici uſque adeò ſucceſſu, ut *commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ* ad fidem adduxerit. Utì verò S. Benedictus *verbo doctrinæ non mediocriter* effulſit, multóſque gentilium divina luce colluſtravit, ita ſubinde pro *exhortandis animabus* diſcipulos rerum divinarum intelligentes crebrò ſubmiſit.

circa A. 543. ætatis 63. vita defungitur.

Ad extremum cùm S. Pater rudes, eruditos, literatos, illiteratos, nobiles, ignobiles ſaluti ſuæ conſulere volentes in diſciplinam ſuam admittens præclarè inſtruxiſſet, è vivis ad Superos exceſſit, iis añumerandus, de quibus ſcriptum: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Vixit S. BENEDICTUS annos tres ſupra ſexaginta, cùm egiſſet Nurſiæ annos ſeptem, Romæ ſeptem, Sublaci triginta quinque, in monte Caſino quatuordecim.

Vitæ S. Benedicti Scriptores.

Vitam illius & admiranda Geſta poſt Gregorium M., qui unus omnium inſtar eſſe debet, varii cùm veteres tum recentiores literarum monumentis conſignârunt. Eorum enumeratio ne vaga nimis eſſet, in claſſes aliquot Benedictus *Hæftenus* coëgit. Prima claſſis eſt eorum, qui ſancti Patris vitam lato calamo & ex profeſſo ſcripſerunt. Altera Hiſtoricorum eſt. Tertia Chronologorum, qui omnes paſſim S. Patris meminerunt. Quarta Martyrologii Scriptorum. Quinta Concionatores & Panegyriſtas repræſentat. Sexta Poëtas exhibet, qui ſuis carminibus magnum hunc Heroa, ejúſque Geſta decantârunt. Septima eſt eorum, qui ex aliquâ occaſione, & veluti per tranſennam de hoc SS.mo Patriarcha mentionem fecerunt. Poſt *Hæfteni* tempora, qui & ipſe inſigni commentario res geſtas S. Legislatoris illuſtravit, plures alii ejusdem vitam ſeculo proximè elapſo, & hoc labente ſeu condiderunt, ſeu encomiis celebrârunt.

Hiſpani & Itali: Alphonſ. à S. Victore,

Ex Hiſpanis *Alphonſus de S. Victore*, Philippo IV. Hiſpaniarum Monarchæ à concionibus, Almerienſis primùm, dein Aurienſium in Gallæciâ, tandem Zamorenſis Epiſcopus librum edidit duobus Tomis comprehenſum hac epigraphe: *Sol Occidentis, & magnus Pater Benedictus.* Prior Tomus Matriti an. 1645. alter 1648. prodiit.

de Nuce,

In Italia *Angelus de Nuce* Vitam S. Benedicti à Leone Marſicano, Oſtienſi Epiſcopo, ſcriptam recenſuit cum Spicilegio addito Chronico Caſinenſi, Lutetiæ Pariſiorum anno 1668. typis excuſo. Habetur etiam Tomo V. Scriptorum rerum Italicarum inſerta à V. C. Lud. Ant. Muratorio. ANGELUS SANGRINUS, Abbas Caſinenſis, vitam S. P. Benedicti carmine & metro, ut erat excellentis venæ Poëta, deſcriptam, atque elegantiſſimis iconiſmis condecoratam Chriſtiano Orbi exhibuit. Opus Florentiæ primum typis Sermartellianis impreſſum, Romæ an. 1587. & 1634. in 4. recuſum. Romæ D. *Joſephus Coſtalta*, Abbas S. Pauli extra & propè Muros Congregationis Caſinenſis in Divum Benedictum elogia edidit anno MDCLXV. typis Fabü de Falco in 8. maj. *Angeli Mariæ Quirini* Vita Latino-Græca S. Patris Benedicti, in quâ Textus Latinus, Authore Gregorio Magno cum duobus Codic. MS.tis Sublacenſibus nunc primùm comparatur, exhibitis etiam variantibus veterum editionum lectionibus. Verſio Græca authore *Zacharia* Papa, eadem ratione cum Codic. MS. Abbatiæ Florentinæ confertur. Altera pars, Veterum Carmina, Sermones, & Homilias de S. P. Benedicto complectitur. Poſtrema Variorum notas in eandem vitam contractas, & ad examen revocatas, in medium affert. Venetiis 1723. apud Antonium Bartoli.

Sangrinus, Coſtalta, Quirini,

Galli: Planchet-te.

In Gallia ex Congregatione S. Mauri plures habemus Scriptores. *Joannes Bernardus Planchete* Vitam S. Benedicti Gallicè ſcriptam, ac in tres diſtinctam libros, atque Pariſiis in 4. anno 1652. impreſſam Reginæ dedicavit. In primo Geſta S. Patris memoratû magis digna exponit, in altero illius virtutes perſcribit, in tertio quid contineatur, paulò pòſt dicturi

Bugnot,

ſumus. *Ludovicus Gabriel Bugnot*, perelegantis ingenii vates, S. Patris Regulam & vitam carminibus expreſſit in 12. Pariſiis apud Ludovicum Bil-

Mege,

laine 1665. *Antonius Joſephus Mege* vitam S. P. Benedicti à Gregorio M. ſcriptam cum explicatione quorundam maximi momenti locorum, & epitome Hiſtoriæ Ordinis Benedictini edidit in 4. Pariſiis 1690. Denique *Joan-*

Mabillon.

nes Mabillonius magno judicio, ut cætera omnia Vitam S. Fundatoris conſcripſit in Annalibus Benedictinis, in Actis verò Sanctorum Ord. S. B. eandem notis illuſtravit.

Germani: Hermannus Schutterenſis,

In Germaniâ *Hermannus* Schütterenſis Abbas *S. Benedicti* Biographiam verſibus expreſſit, quæ in *Stephani Pariſienſis* Commentario Regulæ S. Benedicti in Ss. Udalrici & Afræ Bibliotheca adſervato cum iconibus deſcripta conſpicitur, hac ad calcem adjectâ epigraphe:

Suſcipe depicta vita formam Benedicte!
Dogmata quæ ſana deſcribit Gregoriana,
In Schutt' Hermannus *Abbas Pater hoc tibi munus*
Offert, quem merita tua ditent perpete vitâ.

Stengelius,

Eo ex opere anno 1495. per R. P. *Thomam Rieger* deſcripto, *Carolus Stengelius* ex Aſceta San-Udalricano Auguſtæ Vindelicorum Abbas Anhuſanus, quàm pius tam doctus, Vitam S. Legislatoris cum figuris æneis publicæ luci exhibuit Auguſtæ Vind. in 18. 1621. Quam dein ex Latino Garmanicè reddidit ibid. 1630. Idem Laudes S. P. N. Benedicti An. 1647. & Æconomiam Regulæ A. 1648. ibid.

Bucelinus,

edidit... *Gabriel Bucelinus* è Congr. S. Joſephi in Suevia Monachus Weingartenſis Vitæ S. P. B. compendium exhibet Operum Gerardi Belgæ Parte III. typis S. Galli in 12. an. 1641. *The-*

Gangelt,

odorus Gangelt S. Pantaleonis Coloniæ quondam Prior, *Regulam* S. Benedicti unà cum ejus *vitâ*, in dies ſingulos diſtributam, piſque rythmis & ſummariis verſibus illuſtratam publico dedit Coloniæ anno 1663. in 12. *Rupertus Hausdorff*, Brevnovienſis in Bohemia Monaſterii Aſceta perdoctus, S. Fundatoris Doctrinam, virtutes, miracula, ſeu vitam patrio, id eſt, Germanico ſermone edidit Glacii in 12. An.

Sulger,

1680. *Arſenius Sulger*, Prior Imperialis Monaſterii ad Duplices Aquas vitam S. Inſtitutoris ſtylo Latino, nitido, eleganti, & didactico dedit, typis iteratis Monaſterii Sangallenſis in 12.

Clavenau,

excuſam an. 1691. *Ignatius Clavenau* in Monaſterio Admontenſi in Styria Novitiorum Magiſter longè piiſſimus, Vitam S. P. Benedicti moraliter expoſuit, quæ ab ipſius beato obitu Salisburgi in 4. an. 1720. typis Joannis Joſephi Mayr excuſa fuit. Extat in Authoris Aſceſi poſthuma Part. I. pag. 1.

Erhard,

181. *Thomæ Aq. Erbard*, Theologi Weſſoſontani è Congr. Bavarica GLORIA SS. PROTOPARENTIS BENEDICTI IN TERRIS ADORNATA, ſeu *Vita*, *Virtutes*, *prodigiosè Geſta*, *&* *Cultus* Ss. *Patriarchæ*, in libros viginti quinque diviſa, hi in IV. Opera: quorum primum complectitur vitam S. Benedicti; ſecundum ejus Regulam; tertium Benefactores Ordinis noſtri; quartum Ordinem ipſum, ejus fructus, ſanctitatem omnigenam &c. Ex his IV. Operibus Opus I. in quatuor libros diviſum lucem aſpexit Auguſtæ Vindelicorum anno 1719. ſumptibus Joannis Strötter Bibliopolæ. Quid ab obitu Authoris de cæteris tribus Operibus factũ, vel futurũ ſit, me præterit. Nihil eorum hactenus, quod ſciam, publicam aſpexit

Rupertus Sutor.

lucem. Quo eodem anno R. P. *Rupertus Sutor* neſcio cujus Monaſterii Religioſus Vitam S. P. Benedicti prælo ſubjecit Monachii in 8. Similiter incompertum habeo, cujus Benedictini operâ & induſtriâ Miracula S. Patriarchæ Benedicti anno 1678. in 12. Salisburgi formis æneis fuerint excuſa. Item Hebdomodaria Devotio ad S. P. Benedictum, unà cum compendio vitæ & doctrinæ ejus typis Monaſterii Einſidlenſis in forma minori. De Præſidio & Patrocinio S. P. Benedicti in articulo mortis Diſſertatio Germanicè ſcripta à me edita fuit Conſtantiæ in 8. typis Jo. Ignatii Neyer an. 1730. De Sacris Cruciculis, ſeu Numiſmatibus S. P. Benedicti *Diſquiſitionem* edidit A. 1743. Viennæ *Benno Löbelius* Abbas Brevnovienſis.

SCRIPTA SS.MI P. BENEDICTI.

SECTIO I.

Sacra Regula.

Ondini de Regula S. Benedicti judicium.

CAſimirus Oudinus in Commentario de Scriptor. Eccleſ. Tom. I. col. 1414. de Regula S. Benedicti agens: *Quamvis autem,* inquit, *hanc Regulam Divo Benedicto Abbati Caſinenſi abnegare nolim, non deſunt tamen argumenta ex ipſa lectione & contextura petita, quibus eruditi credunt, non eſſe opus à ſolo Benedicto Abbate compoſitum, ſed factum ex communi ſuffragio totius Congregationis Monachorum, unde non tanquam Abbas privatus, ſed nomine plurali totius velut Congregationis loquitur.* Hæc Oudinus, in cujus ſententia, veriùs opinatione leviſſimâ, haud alii ſunt eruditi, atque Joachimus Vadianus, ſimiléſque heterodoxi ſcriptores, quos dudum Benedictus Hæftenus (i) jure ac merito exploſit. Quis deinde neſcit, quòd, qui leges & ſtatuta aliis obſervanda præſcribunt, pro ſingulari plurativum numerum authoritatis gratiâ ponere ſoleant? His igitur non tam confutatis, ne eorum dicta aliquo habere loco videamur, quàm ſilentio prætermiſſis, & rejectis, cum univerſa Catholica Eccleſia, verbis D. Gregorii M. Romani Pontificis pronuntiamus: *S. P. Benedictus* nullius hominis adjutus eruditione ac doctrina, ſed divino afflatus Spiritu ſolus ſcripſit *Monachorum Regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam.* Quâ de re videſis ſuperiùs dicta Part. II. Cap. I. Sect. V. pag. 193.

Regulæ Summa.

Regulæ totius Summam his paucis (k) Joannes Mabillonius in Annalibus Benedictinis complexus eſt: „ Tribus „ maximè virtutibus fulcitur tota Be„ nedictinæ religionis diſciplina, nimi„ rum ſilentio cum ſolitudine ac receſ„ ſu, humilitate & obedientia. Hanc „ ſolam cum converſione morum ſe„ cundùm regulam ſolemni voto pro„ mittimus, ad difficillima quæque ſeu „ impoſſibila usque extenſam. Pri„ mum in religioſis exercitiis officium „ divinum, opus Dei & ſervitutis no„ ſtræ penſum; ſecundum lectio & la„ bor, qui manû exercetur. Nocte „ vigiliæ nocturnæ paulum de media „ nocte, interpoſito ſpatio ante matu„ tinos, quos modò Laudes appella„ mus. A matutinis redire ad lectos „ non licebat, quod tempus medita„ tioni & lectioni inſumebatur. Poſt „ Primæ officium labor manuûm à Pa„ ſcha ad kalendas Octobris, intra „ tres ferè horas: ab his kalendis in „ Paſcha poſt lectionem, quæ per bi„ nas ternáſve horas manè fiebat. Ho„ ra ſecunda agatur Tertia, inquit „ Regula, & usque ad Nonam omnes „ in opus ſuum laborent. In Quadra„ geſimæ verò diebus à mane usque ad „ Tertiam plenam lectioni vacent, & „ usque ad decimam horam plenam „ operentur, quod eis injungitur.... „ Fratribus infirmis aut delicatis talis „ opera aut ars injungatur, ut nec oti„ oſi ſint, nec violentia laboris oppri„ mantur. Poſt meridiem in lectulis qui„ eſcant. Tum iterum lectio ſpiritualis, „ iterúmque labor pro portione virium „ cuique aſſignatus, ita ut debiles im„ poſitum non refugerent, validiores „ cuperent etiam duriorem. Veſpe„ ras demum & Completorium pſal„ lebant.

Atque de ſacratiſſima hac Regula, quam Principes viri, ac mulieres, relictis ſeculi pompis, ingenti numero profeſſi fuerunt, plura nobis expendenda veniunt. Ut verò non inconcinno ordine progrediamur; primùm acturi ſumus de autographis & apographis codicibus, tum de ejusdem ex Latina in alias linguas verſionibus, deinde de variis accuratis editionibus; pòſt de Scriptoribus, qui in eam vel Commentaria, vel alios libros ad illius commendationem, uſum, & obſervantiam conſcripſerunt. Sit igitur

§. I.

Sacræ Regulæ autographi & apographi, ſeu Manuſcripti Codices.

Autographum Regulæ S. Mauro traditæ.

QUantum ex hiſtoriarum (l) monumentis eruere licet, videtur glorioſiſſimus Legislator noſter Regulam ſuam pluries, minimúmque bis in literas retu-

(i) in Not. ad Reg. cap. 73. pag. LVIII.
(k) Tom. I pag. 57.
(l) Hæften. Diſq. Mon. l. 2. tr. 1. Diſq. 4. p. 107. col. 2.

retuliſſe. Nam conſtat, eam ipſam, quam ſcripſerat, *S. Mauro* in Gallias proficiſcenti tradidiſſe Regulam, ut teſtatur viæ vitæque ejus ſocius *S. Fauſtus*, qui ait: *Oſculatis nobis, ac benedictione ſuper nos tradita, dedit Ss.mo diſcipulo Mauro librum* REGULÆ, *quem ipſe Sanctus* MANU SUA SCRIPSERAT, *proferrique juſſit pondus libræ panis, & vaſculum æneum, vini heminam capiens, & ita nos ſivit abire.* Hunc verò Regulæ authographum Codicem piiſſimi Authoris manû exaratum, quem *S. Maurus* in Gallias attulit, illum ipſum fuiſſe certum eſt, qui poſtmodùm in Majori Monaſterio apud Turones aſſervatus fuit, (m) ex deſtructo fortè Glannfolienſi cœnobio iſtuc allatus, Pro reliquiis certè haberi meruit, quem *Petrus Venerabilis*, Abbas Cluniacenſis, piis perluſtravit oculis, ut *Jacobus Breulius*, Aſceta S. Germani à Pratis, ex veteri codice refert. Utut eſt, periit exemplar illud Majoris Monaſterii, uti & authographum Aſceterii Caſinenſis. Præter exemplar enim, quod S. *Maurus* in Gallias aſportavit, alterum quoque S. Legiſlatoris manu exaratum in Italia manſiſſe, neceſſariò fatendum eſt. Cùm enim anno Chriſti 586. Longobardi Caſinenſe Monaſterium vaſtarent (uti jam olim S. Benedictus præviderat) fugientes Monachi, Romam petierunt, ſecum codicem SANCTÆ REGULÆ, quam præfatus *P. Benedictus* ſcripſerat, & quædam alia ſcripta, nec non pondus panis, & menſuram vini deferentes; ut tradunt Leo Oſtienſis, & Aimoinus de Geſtis Francorum. Poſt annos autem centum & ampliùs, inſtaurato à Petronace Caſinenſi Monaſterio, eadem Regula à *Zacharia* Papa eodem relata eſt, ut præter Leonem Oſtienſem teſtatur *Adrevaldus* Floriacenſis. Sed ediſſerat nobis ipſe Pontifex hanc ſuam erga Benedictinos liberalitatem, qui in Privilegio, quod Caſſinenſi Chronico ſubnectitur, ſic ait: *Hæc autem eo die, quo ſanctiſſimi Patris eccleſiam dedicavimus, parvitas noſtra obtulit*: libros ſcilicet SANCTÆ SCRIPTURÆ, *& librum* REGULÆ, *quam Piiſſimus* PATER MANU PROPRIA SCRIPSERAT. *Pondus etiam libræ panis, & menſuram vini, nec non diverſa ad Eccleſiaſticum miniſterium ornamenta, & poſſeſſiones Apoſtolica liberalitate conceſſimus.*

In Galliis aſſervatum.

Alterum exemplar Caſini cuſtoditum.

Ex hoc verò exemplari ſuſpicatur Hæftenus, (n) *Theodemarum*, poſt Romanam è Laterano transmigrationem, ſeptimum Caſinenſem Abbatem, curâſſe deſcribi *Regulam* illam, quam Carolo Magno in Franciam miſit. Sic enim in ejus Epiſtola, ad calcem Chronici Caſſinenſis edita habetur: *Volumen vobis Regulæ ejus B. Patris* (BENEDICTI) *de ipſo codice, quem ille ſuis ſanctis manibus exaravit, tranſcriptum direximus.* At enim ubi tam pretioſus theſaurus deinde remanſit? Sanè, quod aliis rebus ſanctiſſimis quoque evenit, in cineres & favillas, proh dolor! abiit, ut teſtis eſt Leo Cardinalis Oſtienſis lib. 1. Chron. Caſin. cap. 51. *Septimo*, inquit, *hujus Abbatis* (*Ragemprandi*) *anno, Monaſterium Teanenſe occulto Dei judicio cum omnibus operibus ſuis igne abſumptum eſt; ibi etiam* REGULA, QUAM BEATUS BENEDICTUS MANU SUA CONSCRIPSERAT, *& facci, in quibus divino juſſu cœlitus eidem Patri Benedicto eſcæ delatæ ſunt, & plura inſuper cœnobii iſtius monumenta incendio conflagrarunt.* At ne omnia voracibus periiſſe flammis putemus, ſubditur ibidem: *Quidquid à Fratribus de theſauro Eccleſiæ potuit quomodolibet eripi, in Epiſcopio ejuſdem civitatis repoſitum eſt.* Inter quæ fortè fuerit particula quædam REGULÆ, quæ etiamnum in Caſſinenſi Sacrario inter reliquias aſſervatur. Scribit enim Milletius, ſe anno Domini 1605. in Sacriſtia Montis Caſini vidiſſe *Ultimum Caput Regulæ S. Benedicti*, propria ipſius manu in cortice arboris deſcriptum. Erat autem argento, pellucidóque criſtallo incluſum, hæc verba cœlaturæ inſculpta gerens: HÆC EST SCRIPTURA PROPRIÆ MANUS S. BENEDICTI ABBATIS. At enim Mabillonio hæc Scriptura, qui eam, cùm Caſini eſſet, oculis accuratè ſubjecit, haudquaquam tantæ viſa eſt antiquitatis. Veriſimilius, inquit, exiſtimem, eam eſſe *Regulæ* partem, quam Drogo Abbas Glanofolienſis, cùm anno ſupra milleſimum centeſimo tertio Caſinum adiiſſet, Caſinatibus obtulit, cum reliquiis beati Mauri.

De quo Theodemarus Abbas in epiſt. ad Carolum Magnum.

Quod ad Codices apographos, ſeu manuſcriptos attinet, præ cæteris memoratu dignus eſt perantiquus codex, qui in Aſceterio Fuldenſi aſſervatur, cujúsque ad calcem hoc præclarum attexitur mnemoſynon beati Patriarchæ: *Codex peccatoris* BENEDICTI. *Væ mihi miſero habenti contrariam mihi rem.*

Codices apographi.

Qui

(m) Ruinart in Apolog. Miſſionis S. Mauri, quæ extat ad calcem Tom. I. Annal. O. S. B. p. 637.
(n) loc. cit. pag. 198. col. 1.

Qui reus in his omnibus, quæ adverſantur moribus meis malis. Tu verò bonum lector, ſi tuam vitam videris concordare præceptis, orans pro ſcriptore, codicem redde domino ſuo. „ Hæc verba
„ S. Patris, ſubdit hujus clauſulæ ſcri-
„ ptor (o), reperta ſunt in fine regulæ,
„ quam ipſe manibus ſuis propriis ſcri-
„ pſit, & S. Mauro, cùm eum ad Gal-
„ lias mitteret, tradidit: quæ domnus
„ ac venerabilis Abbas N. (*Ruthardus*
„ ſcilicet, qui Fuldenſi Monaſterio
„ præeſſe cœpit anno MLXXV.) cùm
„ apud Majus Monaſterium Turonen-
„ ſe in eadem Regula, quæ ibi pro re-
„ liquiis aſſervantur, inveniſſet, roga-
„ vit ſibi apud Cluniacum transmitti,
„ & in hac Regula noſtra pro amore
„ ipſius ſanctiſſimi Patris noſtri juſſit
„ ſtudiosè deſcribi. „ Grimaldus & Tatto Monachi San-Gallenſes cùm ex Gallia confratribus ſuis in S. Gallo Regulam beati Benedicti egregii Confeſſoris direxêre, hoc etiam exemplari haud dubiè uſi fuerunt. Fieri hoc ab ipſis potuit forſan, cùm reſiderent in ſcholis Martiniani Cœnobii Turonenſis. An adhuc in S. Gallo habeatur, me præterit.

Alii Codices manuſcripti. Quem finem jam habitura noſtra eſſet oratio, ſi manuſcriptos Codices quoscunque recenſere inſtituerem. Vix enim ullum eſt Ordinis noſtri Monaſterium, quod non manu exaratos aliquos exhibere codices poſſit; cùm Novitiorum apud quosdam hoc fuerit ſtudium, ut eam, juxtà quam vivere elegerant Regulam, ſuâ manu deſcriberent. His verò omnibus prætermiſſis, eos tantùm commemorare juvat, qui Hugoni Menardo, Benedicto Hæfteno atque Edmundo Martene, celeberrimis S. Regulæ Expoſitoribus, uſui fuerunt. Et quidem *Menardo* ſeptem Regulæ S. Benedicti Mſſtæ adfuerunt; una, cui adjuncti erant Commentarii Ruthardi, monachi, uti ipſe quidem exiſtimat, Eremi S. Mariæ apud Helvetios: duæ ex Bibliotheca Monaſterii S. Germani à Pratis. Item duæ ex Bibliotheca monaſterii S. Victoris Pariſiis ſiti, una ex monaſterio S. Ebrulphi, diœceſis Lexovienſis, poſtrema & recentior S. Faronis propè Meldas. *Benedicto Hæfteno* MSs. Codices quinque auxilio adfuerunt, ex quibus vetuſtiſſimum Hugo Menardus ex S. Ebrulphi Ordinis noſtri in Normannia monaſterio ad ipſum ante aliquot annos transmiſit. Proximè ſequitur *Dionyſianum*, probæ notæ ex Cœnobio S. Dionyſii in Brocquerovia propè Montes Hannoniæ. Membranæ *Affligenienſes* tertium ſuppeditârunt. R. D. Abbas S. Andreæ juxtà Brugas quartum exhibuit; quintum eſt Bibliothecæ S. *Hadriani* Martyris Gerardimonte minùs correctum, quod capitum lemmata præfigit, mutátque arbitratu, reclamantibus plerumque cæteris. *Edmundo Martene* ſubſidio fuerunt Mſſti codices plurimi, maximè vetuſtiſſimus omnium ante annos mille uncialibus literis ſcriptus, cujus varias lectiones ex Bibliotheca Bodleiana, quæ eſt Oxonii in Anglia, transmiſit ad Joannem Mabillonium V.C. *Eduardus Bernardus*, deinde Narbonenſis ante annos nongentos exaratus; cujus varias item lectiones, uti & alterius monaſterii S. Sabini Tarbeienſis annorum ſexcentorum excepit Claudius Stephanotius è Congregatione S. Mauri. Alios etiam quinque conſuluit, nempe duos Pariſienſes S. Germani à Pratis, tertium S. Cornelii Compendienſis, quartum S. Petri Conchenſis, quintum B. Mariæ Lyrenenſis.

Hos verò omnes Codices ævi diuturnitate exſuperat Codex ſeculi octavi, qui apud nos Germanos in celebri Sueviæ Monaſterio Faucenſi, vulgò Fiessen, cum cura aſſervatur. Codex Seculi VIII.

§. II.
Sacræ Regulæ Verſiones.

Cùm antiquiſſimis temporibus Regulam Benedictinam multi utriusque ſexûs in variis Europæ regnis ac provinciis fuerint profeſſi, qui Latinis literis minimè imbuti, eandem hoc ſcriptam idiomate non intellexerunt, neceſſariò in eorum gratiam in illum ſermonem, cujus periti erant, converti debuit. Quomodo enim aliàs præcepto S. Legislatoris ſatisfieri potuiſſet, dum conceptis verbis mandat, ut monaſticæ vitæ tyroni Regula per ordinem non modò legatur, ſed etiam relegatur, *ut ſciat, ad quid ingreditur*, c. 58. Unde complures S. Regulæ habemus verſiones, Græcam, Anglosaxonicam, Gallicam, Hiſpanicam, Italicam, Germanicam, Bohemicam, Poloni-

(o) apud Mabill. Præfat. in Sec. iv. O. S. B. §. v. n. 98.

lonicam, Hungaricam, aliáſque, è quibus tamen aliæ exciderunt, aliæ non ita pridem noviter adornatæ fuerunt.

Verſio Theotiſca. KERO, ſive GERO, Monachus S. Galli, tempore S. Othmari Abbatis circa An. 720. in uſum monaſterii ſui *Regulam S. Benedicti* ex Latino in Theotiſcum ſermonem convertit, quem ex codice nongentorum, ut Mabillonio To. 4. Analect. p. 632. (edit. novæ p. 19.) viſum eſt, V.C. *Bernardus Franckius*, tunc Bibliothecæ San-Gallenſis præfectus, nunc verò Abbas & Princeps Diſertinenſis deſcripſit, atque ad D. Jo. Schilterum, Juriſconſultum celeberrimum transmiſit, in cujus tomo I. Theſauri Antiquitatum Teutonicarum publicam lucem aſpexit, editionem poſt laudati Schilteri obitum curante Jo. Georgio Scherzio D. & Juris in Univerſ. Argentorat. Profeſſ. P. Ord. Ulmæ ſumptibus Danielis Bartholomæi MDCCXXVI. Confer tamen Jo. Georg. Eckardum Tom. 2. de Reb. Orient. Franc. pag. 326. ubi hæc habet: „ Scio illam interpretationem „ in ſeculum octavum referri, & *Keroni* tribui; ſed utrumque ſine validis ſatis argumentis. Neque enim „ eam ante Reformationem Ordinis „ Benedictini per S. Benedictum Anianenſem ſactam puto. Et *Kero* poſterioris adhuc ætatis Monachus hinc „ *Gloſſarium* excerpſit, quod Goldaſtus in Alamannicis tom. 2. part. 1. „ p. 64. in lucem protulit.

Anonymi verſio germanica ſeculi XIII. ANONYMI Benedictini Verſio Germanica Regulæ S. Benedicti ſeculo XIII. adornata extat in volumine Monaſterii Aſpacenſis in Bavaria, quam gloſſis neceſſariis inſtructam prelo dudùm paratam habet V. C. *Placidus Ambos*, Cellerarius Mellicenſis, rei antiquariæ non parùm peritus. Alia Germanica verſio ſec. XV. habetur in Bibliotheca San-Emmeramenſi. Vid. Catalog. p. 98.

Recentiores verſiones: JOANNES DE SPIRA, Mellicenſis Cœnobita, ſeculo XV. S. Regulam in Germanicam transtulit linguam. Inc. *Translatio: O Sun bör fliſiklich die Gepot des Meiſters &c.* Vid. Hiſt. Bibl. Mellic. p. 295.

CAROLI STENGELII, Abbatis Anhuſani, Germanica verſio prodiit in 8. Auguſtæ Vindel. anno 1610. Alia recentior edita *Conſtantiæ* anno 1749. in 12.

Saxonica, *S. Æthelwolfus* ex Abbate Abendoniæ Epiſcopus Wintonienſis in Anglia ſeculo X. creatus, *Pater Monachorum, & Sydus Anglorum* à Joanne Bromtone Abbate Jornalenſi vocatus, ſacræ Regulæ translationem Saxonicam adornavit, de qua in Hiſtoria Elienſi hæc leguntur: *Eadgarus Rex, & Alfreth ſive Alfred dederunt ſancto Ethelwoldo manerium, quod dicitur Suthburn, & cyrographum, quod pertinebat, quod Comes, qui dicebatur Scule, dum poſſederat, eo pacto, ut ille Regulam S. Benedicti in Anglicum idioma de Latino transferret.* Extat hæc verſio inter Mſs.tos Codices Univerſitatis Cantabrigienſis codice 1543. Vid. Caſ. Oud. tom. 1. p. 1792.

REGULÆ S. BENEDICTI Abbatis, Patris Monachorum, Militum Chriſti, de generibus eorum & vita, Latinè, cum verſione Saxonica interlineari aſſervantur in Bibliotheca Cotton. ſub effigie *Tiberius* Lit. A. Cod. 3. Notandum, duplicem S. P. B. Regulam aſſervari in Bibliotheca Cottoniana; Alteram Paraphraſticè translatam, alteram Anglo-Saxonicè interlineatam. Utramque deſcripſit Junius, atque illam libellum eſſe dicit quantivis pretii in ſuis Anglo-Saxonicis. Vid. Tenzel in Colloq. menſtr. menſ. Aug. An. 1691. ubi libros Mſs. Bibliothecæ Cottonianæ recenſet.

REGULÆ SANCTIMONIALIUM eximii Patris beatiſſimi Benedicti, Latinè & Saxonicè, h. e. poſt ſingula capita ſequitur Saxonica Verſio; aſſervantur inter Mſs. Codd. Bibliothecæ Cottonianæ ſub effigie *Tiberius* Lit. D. Cod. III.

HENRICUS VAN DEN ZYPE, vulgò *Zypæus*, Abbas Monaſterii S. Andreæ Brugis, Regulam Benedictinam in Belgicum idioma primus convertit, atque typis vulgavit. Vid. Hæften. Diſq. Monaſt. l. 2. tr. 5. diſq. 4. p. 163. col. 2. **Belgica,**

JOANNES DE ROBLES, Abbas Monaſterii S. Vincentio Martyri apud Salmanticenſes ſacri vulgari lingua convertit, atque edidit *La Regla del Glorioſo Padre S. Benito.* i. e. *Regulam Glorioſi Patris S. Benedicti*, Salmanticæ. ex Officina Alexandri de Canova. an. 1571. 8. & ex Lucæ Juntæ an. 1583. in 8. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. **Hiſpanica,**

GALLICA VERSIO, antiqua MS. Conchenſis Monaſterii, de qua Edmundus Martene meminit in Cap. 8. Sac. Reg. pag. 251. **Gallica,**

GUIDO JUVENALIS, Abbas S. Sulpicii Bituricenſis, Regulam S. Benedicti Gallicè interpretatus eſt. Floruit. c. an. 1490.

CLAUDII DE VERT è Congr. Cluniac.

niac. *Traduction de la Regle de S. Benoit*, id eſt, *Verſio Regulæ S. Benedicti*. Pariſiis 1689. in 12. Ita Nizeronius Memor. Tom. XI. pag. 315. qui tamen ſtatim ſubjungit, *Claudium* eſſe ſolùm editorem hujus verſionis.

Joannis Mabillonii è Congreg. S. Mauri Regulæ S. Benedicti verſio unà cum Stephani Poncherii Pariſienſis Antiſtitis conſtitutionibus ad ſuæ diœceſis Sanctimonialium uſum accommodatis, in gratiam Sanctimonialium Calamenſium, vulgò de Chelles. Pariſiis. 1697. in 18.

Italica *Italica verſio*, neſcio cujus Benedictini opera & ſtudio prodiit Romæ an. 1610. typis Barthol. Zaneti in 24. Noviſſima eſt, quod ſciam, Venetis typis an. 1745. (quæ fuit poſt annum undecimum ſecunda editio) excuſa tacito nomine interpretis, qui eſt V.C. *Angelus Calogiera* Monachus Camaldulenſis Benedictinus, qui verſione hac admodùm clara & perſpicua magnam promeritus eſt laudem.

§. III.

S. Regulæ Editiones, Declarationes, Variæ Lectiones, Notæ & Obſervationes.

Arnoldus Wion ante ſuam S. Regulæ editionem Venetiis año 1593. accuratam, ultra centum alias jam numeravit; inter quas celebris eſt Vetuſtiores editiones. vetuſtioneta anno 1489. & Pariſienſes minimùm octo; prima ex Officina Colinæi typographi, utriusque teſtamenti ſententiis approbata, ac ſanctorum Patrum Scripturis elucidata, an. 1522. in 12. altera edita ſtudio & opera Guidonis Juvenalis, Abbatis S. Sulpitii Bituricenſis, cum ejus interpretatione Gallica; tertia cum Speculo Bernardi Abbatis Caſinenſis anno 1507. Quarta ſtudio Jacobi Breulii Prioris S. Germani à Pratis accurata fuit anno, ni fallor, 1604. unà cum veteri Cæremoniali Benedictino, & Bullis Pontificiis, quæ ad reformationem Benedictinorum attinent, pro uſu Monachorum Congreg. Bursfeld. in Germania. Quæ editio an. 1616. Pariſiis repetita fuit. Quinta, in minima forma & una cum libello de imitatione Chriſti per Franciſcum Vallgravium an. 1635. Sexta, cum declarationibus & conſtitutionibus Congregationis S. Mauri, juſſu & authoritate Capituli Generalis ejusdem Congregationis 1646. in 8. Septima, cui acceſsêre paucula ipſius S. Patris Opuſcula ex diverſis Auctoribus in unum collecta, & vetus Cæremoniale Benedictinum à VV. PP. Congr. Bursfeld. ante annos centum & qnadraginta compilatum, in quo omnium Capitum Regulæ S. Benedicti vera praxis oſtenditur, apud Hieron. Drouart 1610. in 8. Octava, & noviſſima, quod ſciam, anno 1730. in minori forma.

Regula *à S. Dunſtano correcta*, typis Aſcenſianis & Pariſienſibus olim vulgata, haud alia eſt ab ea, quam *Chriſtianus* Presbyter & Monachus Pariſienſis circa an. Domini 1544. adornavit. In præfatione certos nos eſſe jubet, ſe in quodam cœnobio, & obſervantiæ regularis gloria & antiquitate inſigni, inveniſſe Regulam à *B. Dunſtano*, Cantuarienſi Archiepiſcopo, ad integritatem reſtitutam, & explicatam, quam tranſcripſerit, atque edi curaverit. Hæften. l. c. p. 109. col. 1. Exemplar hujus Editionis mihi viſum eſt in Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi.

Editio *Colonienſis* unà cum Commentariis *Smaragdi*, & *Joannis à Turrecremata* apud Gervinum Calenium An. 1575. *Florentina* cum Statutis Caſinenſibus 1520. *Veneta*, 1609.

Joannes Bertels, Abbas B. Mariæ Luxemburgenſis, novam S. Regulæ editionem accuravit Coloniæ apud Maternum Cholinum, an. 1581. in 12.

Petrus Abbas Monaſterii Burgenſis in Hiſpania edidit Regulam S. Benedicti unà cum ejus vita & rebus geſtis, Barcinone an. 1633. in 8.

Benedictus Rolle, Gallus Benedictinus, *Regulam S. Benedicti* anno 1594. typis vulgavit Pariſiis apud Hieronymum Drouart; cui alia quinque Opuſcula ſubjecit, quæ S. Legislatori verè, an veriſimiliter tantùm tribuuntur.

S. Regula excuſa in folio auctoritate *Patrum Congregationis Bursfeldenſis* in Germania: cui ad amuſſim penè reſpondet altera editio in 4. cum Martyrologio Benedictino, Cæremoniis, ſive Conſtitutionibus, & Ordinario divinorum Officiorum ejusdem Unionis. *Certè omnium diligentiam*, judice Hæfteno, *ſuperârunt Congregationis Bursfelden-* Editio per Patres Bursfeldenſes procurata.

feldenſis Patres, qui Regula in 122. diſtinctiones partita, in ipſo Martyrologio ad ſingulos dies imprimi curârunt, quæ Regulæ pars legenda: atque ita, ſicut de Novitiis S. P. Benedictus præſcripſerat, ter in anno Regula prælegatur: &

Nulla dies abeat, quâ REGULA *non recitetur.*

Ubi verò hæc editio accurata ſit, ignoramus: ex hiſtoria verò Regiæ Abbatiæ S. Germani à Pratis diſcimus, quòd *Jacobus Breulius* prelo Pariſienſi ſubjecerit Regulam S. B. unà cum veteri Cæremoniali Benedictino, & Bullis Papalibus de Reformatione Benedictinorum *ad uſum Congr. Bursfeldenſis.* Quæ editio anno 1616. iterata fuit. Vid. Jac. Bouillart l. c. lib. 5. p. 219. Eandem verò piis rithmis diſtinctam, & variis officiis ac etiam exercitiorum praxi auctam publico dedit *Theodorus Gangelt* S. Pantaleonis Coloniæ Prior anno 1663. & ſæpiùs in 12.

Patrum Caſinenſium,

Regula S. P. Benedicti cum Declarationibus & Conſtitutionibus editis à Patribus Congregationis Caſinenſis *Moguntiæ* apud Balthaſarem Lippium: an. 1604.

& Auſtriacorum editio.

Regula S. P. N. Benedicti unà cum Conſtitutionibus Congregationis Auſtriacæ Monaſteriorum Ord. ejuſdem S. B. Urbani VIII. Pont. Max. authoritate recognitis, approbatis, confirmatis. Linzii excudebat Joañes Plancus an. 1626. in 12.

Regula S. Benedicti Abbatis, Monachorum Patriarchæ, cum Declarationibus & Conſtitutionibus Patrum Congregationis Caſinenſis motu proprio confirmatis à Sanctiſſ. D. N. Innocentio Papa XI. anno Domini MDCLXXX. Romæ typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1680. in 4. maj.

Aliæ editiones privatæ.

HUGO MENARDUS è Congr. S. Mauri Regulam ad plures Mſs. Codices diligentiſſimè correctam, atque eruditis notis illuſtratam edidit in *Concordia Regularum*, Parif. 1631. in 4.

Lucæ Holſtenii,

Editio perquàm celebris *S. Regulæ* habetur, quam *Lucas Holſtenius* in Codice Regularum Antwerp. an. 1638. fol. accuravit, Romæ an. 1661. & Pariſiis an. 1663. in 4.to præmiſſis S. Gregorii M. & aliis veterum, Simplicii etiam Abbatis Caſinenſis teſtimoniis.

Hæfteni,

BENEDICTUS HÆFTENUS ad *Monaſticas Diſquiſitiones* Regulam adjunxit, ſeu, ut rectiùs loquar, neceſſariò præmiſit, cum variis Lectionibus & Notis, quas in quibusdam editionibus & Mſs.^tis^ exemplaribus, non omnes quidem, ſed quæ alicujus eſſent momenti, annotavit. Ubi à cæteris omnibus diſcrepabat, aut manifeſtum apparebat mendum typographicum, veriorem lectionem ſubſtituit, ſed admodùm raro, ne temerè quid mutare, aut ſuo tribuere judicio videretur.

Pauli Auguſtini de Ferrariis,

PAULUS AUGUSTINUS DE FERRARIIS, patriâ Genuenſis, profeſſione Monachus Caſinenſis, imprimendam curavit SS.^mi^ Patriarchæ Benedicti Regulam, ex vetuſtiſſimis membranis Sac. Monaſterii Caſinenſis ſumma fide ac diligentia exemplatam, cui varias lectiones & notas addidit ipſemet Paulus Auguſtinus Neapoli typis Novelli de Bonis anno 1659. Opus ſanè perutile ac valdè eruditum, ſed quod Paulus Auguſtinus magna ex parte deſumpſit ex Collectionibus Angeli de Nuce, qui Notas eruditiſſimas in vitam ejuſdem SS.^mi^ Protoparentis, & in Chron. Caſin. concinnavit, quod quidem Paulus in fine ſuæ Præfationis non diffitetur, Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p. 119.

Angeli de Nuce,

Angeli de Nuce, Abbatis Caſinenſis, *Variæ lectiones, & Notæ eruditæ in Regulam S. P. B.*, jamdiu impreſſæ ſub nomine Pauli Auguſtini de Ferrariis, ut modò diximus. Armell. l. c. part. 1. pag. 38.

Edmundi Martene,

EDMUNDUS MARTENE, ſcripturus Commentarium in ſacram Regulam, priùs ejus textum tam ad probatiſſimos Mſs. Codices, eósque non paucos, quàm ad antiquiſſimas editiones magna induſtria & indefeſſo labore emendare ſtuduit; unde hæc editio pro omnium optima & caſtigatiſſima haberi debet. Prodiit verò unà cum Commentario Pariſiis in 4. maj. anno 1690. apud Franciſcum Muguet.

Thomæ Erhard,

THOMAS ERHARD, Monachus Weſſofontanus è Congr. Bavarica Regulam ſacram S. P. N. Benedicti ad modum Bibliorum in verſus diſtribuit, & variæ lectionis notis illuſtravit. Auguſtæ Vindelicorum ſumptibus Joannis Strötter, Bibliopolæ, typis Antonii Maximiliani Heiſs. 1722. in 8.

Franciſci Mariæ Ricci,

FRANCISCUS MARIA RICCI, Romanus, S. Mariæ Florentiæ Monachus edidit Regulam aliàs in Italicam linguam jam converſam unà cum Conſtitutionibus & Declarationibus PP. Congr. Caſin. Mantuæ ex typogr. D. Benedicti per Albertum Pazzonum, an. 1723.

Meyenſchein,

BENEDICTUS MEYENSCHEIN Ringelheimenſis in Saxonia Monaſterii Subprior Regulam S. P. N. Benedicti cum Notis & variis Lectionibus edi-

dit Hildeſii in 12. typis Wilhelmi Theodori Schlegel an. 1729.

Joannis Belgæ,

JOANNES BELGA, Monachus & Abbas Monaſterii S. Bavonis Gandavi, *Declarationes* edidit *in Regulam S. Benedicti.* Claruit anno 1390. Hæften. l. c. p. 161. col. 2.

Ludovici Barbo,

LUDOVICI BARBO, Abbatis S. Juſtinæ, & Præſidis Congregationis, quæ ab eadem Diva nomen accepit, *Declarationes* nonnullæ in Regulam S. P. B. adnexæ libro, cui titulus: *Privilegia præcipua Congregationi S. Benedicti Valliſoletanæ à Summis Pontificibus conceſſa.* Vallis Oleti excudebat Andreas Merchan an. 1595. Armel. Bibl. Caſ. part. 2. p. 84.

Andreæ Salazar,

ANDREAS SALAZAR, Hiſpanus, Monachus S. Æmiliani ſcripſit *Notas ad Regulam S. Benedicti* Romæ 1614. Vid. Nic. Ant. in Bibl. Hiſp. Nov.

Joachimi Seiler.

JOACHIMI SEILER, Abbatis Fiſchingenſis Monaſterii è Congregatione Helvetica, Notæ & Obſervationes in S. Regulam, prout illa in Provinciis ſuperioris Germaniæ noſtrâ ætate obſervari conſuevit. Ingolſtadii apud Thomam Gras 1706. editio tertia. Author patrio, id eſt, Germanico ſcripſit ſermone. Hæ Animadverſiones in Latinum converſæ ſermonem recuſæ fuerunt Auguſtæ Vindelicorum in 12. An. 1727.

-- Ejusdem *Hortus Liliorum* ex ſpinis Regulæ S. B. plantatus cum Animadverſionibus ſuper S. Regulam. Warſaviæ. 1731. 8.

Benedicti Bacchini,

BENEDICTI BACCHINI, Itali, Parmenſis, è Congr. Caſin. Abbatis undequaque doctiſſimi *Obſervationes in Regulam S. P. B. & in Conſtitutiones Congreg. Caſin.* Opus Mſs. in fol. Vid. Armel. l. c. part. 1. p. 82.

Gregorii Marſala,

GREGORIUS MARSALA, Siculus Panormitanus, & Monachus ad S. Martinum de Scalis anno 1655. factus, vir apprimè pius ac religioſus, præter vitam S. Legislatoris noſtri, etiam ejusdem Regulam in Italicum idioma translatam notis illuſtravit, ac typis excudi fecit Panormi per Thomam Rommolum 1689. in 12. Qui libri Italicè ſcripti non mediocriter, ſtatim ac prodierunt, probati ſunt, adeóque ab omnibus ſub Regula S. P. Benedicti militantibus excepti, ac celeriter omnes diſtracti; unde nova exſpectabatur eorundem editio; abundant enim doctrinis, exemplis, monitísque ad rem monaſticam pertinentibus, ac inſuper Autoris animum religioſiſſimum, ac piiſſimum veluti in ſpeculo oſtendunt. Armel. Part. I. p. 188.

Auguſtini Dornblut

AUGUSTINUS DORNBLUT Gengenbacenſis in Alſatia Monaſterii Coenobita perdiligens, edidit Moguntiæ anno 1749. *Praxim Regulæ S. Benedicti.* Plura ejus generis opuſcula prelo parata habere dicitur.

§. IV.

Commentatores in Sacram Regulam.

SEquitur, ut de Commentatoribus, qui ſuam in S. Regulam impenderunt operam, brevem inſtituamus operam.

Benedictus Anianenſis,

S. Benedictus Anianæ in Britannia minore, ſive Septimania Galliæ provincia Abbas, anno Chriſti 821. defunctus, omnium primus occurrit. Is, teſtante Ardone ejus diſcipulo, *omne deſiderium ſuum in obſervantiam Regulæ converterat, ſuúmque hoc permaximè erat ſtudium, ut nihil intellectui ejus excederet. . . . . & ut oſtenderet contentioſis nulla frivola caſſáque à B. Benedicto edita fore; ſed ſuam ex aliorum fultam eſſe Regulam, unum collectis Regularum ſententiis compoſuit librum, cui nomen Concordia Regularum dedit; ita ut B. Benedicti præcederet ſententia: ei verò rationabiliter convenientes jungerentur.* Sex verò ac viginti omnino ſunt Regulæ, quæ cum Benedictina Regula conferuntur ac conciliantur. Hujus Concordiæ Regularum vetuſtiſſimum exemplar in Bibliotheca Floriacenſi Edmundus Martene & Urſinus Durand repererunt, quod haud aliud ab eo fuiſſe opinor, quod Hugo Menardus ex eadem Bibliotheca erutum, notíſque & obſervationibus à ſe illuſtratum evulgavit Pariſiis 4. An. 1631. ex officina Hieronymi Drouart. Elenchum verò Scriptorum, è quibus Concordia illa compoſita eſt, Cl. Jaon. Albert. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. 2. p. 537. ad paginas editionis Menardinæ adornavit, quem hîc ſubjicere non gravabor.

Index

Index Scriptorum, è quibus Concordiam Regularum cum Regulâ S. P. Benedicti concinnavit S. Benedictus junior, Abbas Anianenſis.

Ambroſii roſeus hymnus. pag. 384.

Auguſtinus. pag. 223. 298. 391. 431. 458. 487. 550. 551. 554. 555. 618. 633. 664. 665. 666. 667. 668. 833. 859. 860. 877. 878. 902. 1044.

Aurelianus Epiſcopus. pag. 177. 178. 195. 221. 222. 325. 333. 388. 389. 502. 512. 543. 583. 623. 668. 671. 697. 714. 715. 749. 762. 770. 771. 784. 797. 881. 923. 979. 980. 991. 992. 1017. 1044. 1087. 1100.

Baſilius. pag. 112. 151. 184. 185. 193. 194. 195. 211. 212. 213. 214. 215. 241. 244. 245. 259. 262. 269. 270. 275. 278. 279. 294. 305. 308. 317. 385. 386. 387. 405. 476. 477. 478. ſeq. 485. 496. 497. 510. 569. 570. 592. 593. 594. 605. 606. 607. 616. 617. 618. 626. 632. 662. 721. 722. 723. 726. 779. 780. 781. 795. 796. 815. 836. 837. 847. 876. 897. 900. 901. 933. 950. 951. 952. 988. 1011. 1024. 1055. 1056. 1057. 1072. 1073. 1079. 1080. 1090. 1092. 1093. 1094. 1095. 1105. 1106. 1107.

Beda. pag. 562. 845.

Benedictus. pag. 79. 87. 99. 133. &c. per totum librum.

Cæſareus Epiſcopus. pag. 171. 397. 399. 484. 527. 528. 529. 628. 653. 669. 670. 681. 784. 1070. 1087.

Caſſianus. pag. 266. 268. 276. 281. 295. 297. 301. 307. 314. 315. 322. 323. 324. 360. 395. 409. 411. 453. 493. 544. 558. 559. 624. 643. 645. 698. 750. 781. 782. 794. 826. 827. 914. 931. 967. 968. 969. 970. 1058. 1074.

Caſſiodorus. pag 384.

Columbanus. pag. 199. 232. 234. 247. 260. 334. 485. 506. 508. 509. 710. 1082. 1101.

Regula Cujuſdam. pag. 182. 185. 248. 287. 290. 291. 433. 466. 483. 501. 509. 519. 545. 572. 573. 579. 600. 610. 626. 652. 672. 686. 703. 717. 728. 761. 785. 800. 1029. 1039. 1042. 1097. 1098.

Cujuſdam (Trithemio, Servi Dei, regula ad Sorores) p. 629.

Donatus. pag. 255. 289. 560. 883. 548. 572. 577. 608. 620. 621. ſeq. 661. 671. 682. 684. 696. 720. 732. 747. 758. 775. 776. 821. 832. 868. 880. 911. 913. 927. 955. 956. 1026. 1027. 1098.

Ferriolus, ſive *Ferreolus* pag. 96. 174. 220. 235. 303. 305. 420. 465. 502. 504. 505. 516. 529. 580. 622. 635. 713. 733. 823. 824. 908. 909. 910. 953. 1012. 1058. 1085. 1099.

S. Fructuoſus Epiſcopus. pag. 117. 139. 174. 241. 270. 271. 272. 275. 281. 309. 313. 363. 416. 418. 447. 450. 464. 481. 500. 517. 537. 542. 548. 572. 577. 608. 620. 621. ſeq. 661. 671. 682. 684. 696. 720. 732. 747. 758. 775. 776. 821. 832. 868. 880. 911. 913. 927. 955. 956. 1026. 1027. 1098.

Fructuoſus alter. pag. 140. 179. 732. 793. 958. 960. 961.

Gregorius Nazianzenus. p. 550.

Hieronymus. p. 116. 932. 1018. 1025.

Horſieſis, vide *Orſieſis.*

Iſidorus. pag. 83. 119. 150. 173. 187. 215. 217. 279. 330. 430. 463. 480. 497. 511. 534. 541. 568. 571. 583. 591. 607. 619. 620. 642. 643. 663. 686. 695. 711. 712. 713. 744. 746. 757. 778. 779. 793. 818. 869. 870. 878. 879. 880. 903. 906. 907. 952. 991. 1026. 1043. 1044. 1060. 1087.

Macarius. p. 161. 210. 274. 567. 796. 809. 810. 866. 868. 930. 847.

Magiſter. pag. 93. 105. 142. 227. 228. 236. 249. 250. 282. 325. 365. 400. 406. 438. 459. 461. 520. 523. 537. 545. 572. 578. 584. 596. 608. 646. 648. 652. 673. 674. 681. 686. 700. 716. 734. 752. 759. 772. ſeq. 774. 838. 849. 855. 861. 871. 872. 918. 926. 931. 972. 967. 968. 971. 993. 1001. 1036. 1062. 1064. 1067. 1068. 1069. 1087.

Orientalium regula. pag. 183. 196. 422. 424. 426. 433. 482. 572. 595. 625. 699. 758. 759. 882. 971. 1035. 1042. 1059. 1081.

Orſieſis. p. 86. 163. 166. 167. 169. 170. 226. 432. 615. 876. 907. 1076.

Pachomius. pag. 192. 193. 219. 246. 427. 429. 430. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 492. 493. 506. 576. 579. 604. 605. 616. 658. 659. 660. 661. 693. 694. 695. 756. 768. 769. 770. 813. 814. 847. 865. 895. 916. 917. 948. 949. 1045. 1047. 1051. 1052. 1053. 1054. 1055. 1076.

Regula Patrum, pag. 161. 162. 196. 232. 407. 491. 515. 590. 604. 676. 693. 766. 798. 811. 812. 855. 867. 894. 927. 945. 1009. 1010. 1050. 1082. 1095.

Aliorum Patrum. pag. 678. 767. 945.

Cujuſdam Patris. pag. 198. 235. 783. 830.

Paulus & Stephanus. pag. 85. 197. 246. 388. 489. 594. 619. 777. 778. 789. 799. 815. 816. 817. 851. 918. 1046. 1057.

Tarnatenſis regula. pag. 421. 511. 544. 561. 595. 637. 669. 698. 783. 829. 860. 870. 882. 915. 965. 1046. 1058. 1100. 1101.

Valerius. p. 126.

Hanc *Regularum Concordiam* nos Benedictini non ea tantùm cauſa magni facere debemus, quòd in Sacram Regulam primum ſit opus, ſed quòd etiam à S. Benedicto Anianenſi Abbate fuerit compoſitum, qui omnibus Ordinis Monaſtici alumnis ſingulari veneratione colendus, ab antiquis *Benedictus ſecundus* meritò eſt appellatus; & certè poſt ſanctum Legislatorem nulli fuit ſecundus.

Smaragdus, *Smaragdus*, Abbas S. Michaelis in agro Virdunenſi Commentarium ſuum ſuper Regulam ſanctam non ſolùm ex variis antiquarum Regularum ſententiis compoſuit; ſed ex diverſis inſuper SS. Patrum dictis, ſuppreſſo auctorum nomine contexuit, opus tanto ſcriptore dignum: quamvis in aſſignando vero, & genuino illius parente non omnes conſentiant. Nonnulli enim, quos inter Pamelius, Rabano Moguntinenſi Archiepiſcopo illud adſcribunt; ſed quàm perperam probat Jo. Mabillonius in veterum Analectorum Tomo II. cujus ad probationes hanc etiam Edmundus Martene (p) addit, quòd ſub *Smaragdi* veri auctoris nomine citetur à Gratiano. Eundem librum Smaragdo Ardoni, Benedicti Anianenſis diſcipulo tribuit Menardus; & quidem conſentiunt nomen, ætas, tempúſque auctoris, atque uſus Concordiæ Regularum: at refragatur Abbatialis dignitas, quam Commentarii Scriptori tribuunt codices MS.ti, nec aſſecutus eſt Smaragdus Anianenſis. Alii denique cum Trithemio *Smaragdum* Abbatem Luneburgenſem S. Michaelis hujus Commentarii agnoſcunt auctorem, qui etiam extat in Pariſienſi S. Germani Bibliotheca ſub nomine S. Dunſtani ſcriptus; ſed illi tardiùs vixerunt, decimo ſcilicet ſeculo, quàm ut eis poſſit tribui fœtus, quem longo ante tempore emiſſum fuiſſe conſtat. Commentarius verò Abbatis Smaragdi excuſus fuit cum Commentario Joannis de Turrecremata Coloniæ anno 1575.

Paulus Diaconus. *Paulus Diaconus*, Caſinenſis Monachus, in Regulam S. Benedicti commentatus eſt. Cujus rei fidem facit author ùt cùm maximè idoneus Bernardus Ayglerius, Abbas Caſinenſis, & S. R. E. Cardinalis. Cùm enim à Monachis ſui Aſceterii impensè rogatus fuiſſet, ut expoſitionem in S. Regulam conficeret, equidem eorum votis ſatisfaciendum putavit, in prologo tamen eos hiſce verbis affatus, *mirandum*, dixit, *quòd beati Patris regulam declarari petitis, & pleniùs exponi, præcipuè cùm Eſmaragdus* * *Abbas, Paulus, Petrúſque Diaconi Monachi Caſinenſes,* * L. Smaragdus. *ſi quid in ea difficultatis eſſe prima facie videbatur, cum diligentia explanantes ſuæ vobis expoſitionis Scripturas, quas in Bibliotheca monaſterii reſervatis reliquerunt.* Ex quibus verbis liquet, quòd ævo Bernardi Abbatis, qui anno 1463. regimen monaſterii adiit, Pauli commentarius in Bibliotheca Caſinenſi cum cura aſſervatus fuerit, nec mihi dubium, quin eodem loci inter manuſcriptos Codices hodiedum cuſtodiatur.

Hildemarus Francigena Ludovici Hildemarus, Pii Imperatoris temporibus floruit. Is, ab Angelberto Mediolanenſi Archiepiſco accerſitus in Italiam, & ad Rampertum Brixienſem Epiſcopum miſſus, vitæ ſeverioris normam in monaſterio SS. Fauſtini & Jovitæ reſtituit. Ibi optimum omnium, judice *Edmundo Martene*, Commentarium in Regulam S Benedicti compoſuit, quem Paulo Diacono jam ante annos ſexcentos adſcripſerunt Leo Marſicanus, & Petrus Diaconus, adſtipulantibus Petro Caſinenſi, & Petro Boberio. At Paulo Diacono recentiorem eſſe, exinde manifeſtum facit laudatus Martene, quòd citetur in eo celebratum Aquisgrani ſub Ludovico Pio Concilium, cùm tamen Paulus ſeculo VIII. vivere deſierit. Plures alias rationes, quibus Paulo Diacono is Commentarius meritò abrogatur, affert Angelus Nuceus in Notis ad Chron. Caſin. Leonis Marſicani lib. I. c. xv. Eundem *Ruthardo* Hirſaugienſi Monacho, Rabani & Strabi auditori, adſcribit Trithemius, & poſt eum Eyſengrenius in Catalogo Teſtium Veritatis pag. 69. his verbis: *Ruthardus primò Fuldenſis, poſt Hirſaugienſis Monachus Sanctiſſimi Patris Benedicti Regulam Commentariis primus illuſtravit.* Alteri Ruthardo monaſterii Eremi B. Mariæ in Helvetiis alumno eundem Commentarium Hugo Menardus aſſignat. At neque Germanus, neque Helvetus fuit auctor, qui monaſterii ſui in Francia non ſemel facit mentionem. Eundem etiam, tametſi non integrum, in Augienſi monaſterio reperit Mabillonius cum hac inſcriptione. *Incipit expoſitio Baſilii Abbatis ſuper Regulam S. Benedicti Abbatis primitus.* At genuinum Hildemari fœtum eſſe probant Gallicani Codices quàmplurimi, San-Germanenſis, Pratellenſis, S. Petri in Claravalle

(p) in Præfat. ad Comment. in S. Reg.

Digitized by Google

ravalle maximè vetuſtiſſimus ex Bibliotheca S. Benigni Divionenſis, ab annis circiter octingentis exaratus, cui hæc præfigitur inſcriptio: *In nomine D. N. J. C. Dei æterni. Incipit traditio ſuper Regulam S. Benedicti, quam magiſter Hildemarus Monachus tradidit, & docuit diſcipulis ſuis. Quocirca obſecro, cùm aliquid incompoſitum, ſive inhoneſtum ibi inventum fuerit, non magiſtro, ſed diſcipulis imputetur.* Incipit autem: *Tres ſunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, prima phyſica, id eſt naturalis.* In fine Codicis: *Explicitus liber, ſeu Commentarius* &c. Cui favet epiſtola ipſius Hildemari ad Urſum Epiſcopum Beneventanum, quæ capite 38. integra refertur. Adde, quod in cap. xiv. agens de Sanctorum feſtivitatibus, in exemplum adducit Feſta SS. Ambroſii, Protaſii & Gervaſii, Naboris, Nazarii, & Celſi, Sanctorum diœceſis Mediolanenſis, cui præerat Angilbertus, qui Hildemarum ex Francia advocaverat. Denique in Romanis monaſterii S. Pauli conſuetudinibus ante annos ſexcentos deſcriptis ſub nomine Hildemari hic Commentarius laudatur, ut nulli dubium ſupereſſe debeat, quin vulgata Pauli Diaconi nomine Commentatio Hildemaro genuino auctori ſit vindicanda. Nec illud taceamus, quòd hæc *Hildemari* expoſitio allegetur à Guidone in Diſciplina Monaſtica Farfenſi, quæ non ita multis ante annis lucem aſpexit publicam in Sylloge Scriptorum de Veteri Diſciplina Monaſtica Pariſ. 1726. pag. 48. ad quem locum annotat eruditus Editor Marquardus Herrgott pag. 48. ſe illam Hildemari Expoſitionem typis vulgaturum *in Catena Commentariorum in Regulam S. Benedicti.* Quòd tamen fors nunquam futurum eſt, cùm Vir Clariſſimus aliis ſcribendis & agendis occupatus omnem de illa Catena in lucem emittenda cogitationem abjecerit, niſi ejus Sodalis, *Stanislaus Wilbertius*, cui eandem in manus conſignavit, hoc facturus ſit. Etiam Mabillonius hunc Commentarium cum aliis publici juris facturum ſe receperat Tomo 2. Analect. pag. 96. (editionis novæ pag. 418.) *Hildemari* manuſcriptus Commentarius habetur in Bibliotheca Mellicenſi. Vid. Kropfius in ejusdem Hiſtoria pag. 31.

Hildemarus,

Remigius,

Remigius, monachus Autiſiodorenſis ſancti Germani, vir haud diſſimiliter pius ac doctus, claruit ſub finem ſeculi noni: Ejus *Commentarium in Regulam S. Benedicti*, ut putatur, Bernardus de Montfaucon ſe in Bibliotheca Monachorum Camaldulenſium B. Mariæ de Angelis hand procul Mediolano vidiſſe aſſerit in Diario Ital. Itin. p. 354.

Hugboldus,

Hugboldus, ſeu *Hucbaldus*, Elnonenſis Monachus, Remenſibus ſcholis cum *Remigio* mox laudato à Fulcone Archiepiſcopo præfectus, ex diverſis SS. Patrum ſententiis in unum collectis, expoſitionem in Regulam S. Benedicti compoſuit, quæ manuſcripta aſſervatur in percelebri S. Amandi apud Belgas monaſterio. In Catalogo MSs. Codd. Bibliothecæ S. Martini Maj. Coloniæ *Hugo* in Regulam S. Benedicti ſcripſiſſe legitur. Quis iſte *Hugo* ſit, ignoramus, forſan legendum eſt *Hugboldus.*

Rudigerus,

Rudigerus monachus & Scholaſticus Monaſterii Epternacenſis ſeculo X. in Regulam S. Benedicti explanationem elegantem compoſuit. Trithem. Annal. Hirſaug. ad an. 990. p. 135.

Dunſtanus,

S. Dunſtanus ex Abbate Glaſtonienſi primùm Wigornienſis, tum Londinenſis Epiſcopus, ac denique Archipræſul Cantuarienſis ſcripſit in *Regulam S. Benedicti Tractatum parvum*, quem in Belgio extare memoriæ prodit Pitſeus de illuſt. Angl. Scriptor. pag. 179. Sed ubinam locorum, non innuit. Miror, quòd Benedictus Hæftenus, Affligenienſis in Belgio Præpoſitus, recenſendo Commentatores in Regulam S.B. ejus nullam fecerit mentionem. Certè ſi alicubi extaret, illum non detexiſſet modò, ſed pro tanti Auctoris reverentia in apricum etiam produxiſſet.

Teuzo,

Teuzo, Monachus Florentiæ Abbatiæ B. M. circa annum 1038. edidit Commentarium in Regulam S. B. qui aſſervatur in illius monaſterii bibliotheca, cum præclara epiſtola ad Odelricum, quod Commentarium non ſuo Marte, ſed ex *alicujus laboribus* à ſe compoſitum fuiſſe dicit. Illud ſe evolviſſe teſtatur Mabillonius Annal. tom. iv. p. 421. Extat etiam MS.tus in Bibliotheca Mellicenſi.

Marquardus,

Marquardus, Monachus & Scholaſticus S. Burchardi Wirzeburgenſis, ſec. XI. in Regulam S. P. N. Benedicti Commentarium edidit. Trith. l. c. ad an. 1048.

Rupertus Tuitienſis,

Rupertus Abbas Tuitienſis cœnobii juxtà Coloniam Agrippinam, vir in divinis Scripturis à Spiritu ſancto perviſum eruditus, ſcripſit ſec. XII. libros IV. in S. Regulam; qui ultimæ ope-

rum

rum ejus editioni acceſsêre curâ & ſtudiô Andreæ Scoti S. J.

Petrus Diacon9,

Petrus Diaconus Caſin. Expoſitionem Regulæ in libros IV. diviſit, ut ipſemet teſtatur lib. 4. Chron. Caſin. cap. 68. Opus ſatis magnum, cujus unicum fragmentum refertur à Card. Joanne Bona lib. de Harmonia Pſallentis Eccleſiæ cap. 12. §. 2. de Officio Parvo beatæ Virginis Mariæ pag. 244. Cuſtoditur iſte Cōmentarius cum aliis quibusdam Petri Opuſculis manuſcriptis in Caſinenſi Bibliotheca, ſcamno primo ad lævam ingredientibus. Gattola in Chron. Caſin.

Stoutton,

Edmundus Stoutton, ſive *Stourton*, Anglus, Glaſconiæ monachus, laudatus Balæo XII. 98. Expoſitionem, ſeu Dialogum in Regulam S. Benedicti ſcripſiſſe dicitur in Poſſevini Apparatu. Claruit anno 1200. Pitſeus verò tempus, quo vixit, incertum habet.

Simon Affligenienſ.

Simon, Monachus Affligenienſis, ſec. XIII. in Regulam S. P. Benedicti librum I. ſcripſit, teſte Trithemio in Chron. Hirſaug. ad an. 1242.

Bernard9 Caſinenſis,

Bernardus Aiglerius, natione Gallus, ex Abbate A. 256. Lerinenſi, ac deinde 1263. Caſinenſi Acerrarum Epiſcopus, ac demùm S. R. E. Cardinalis obiit an. 1282. Erat *in Scripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, Regularis diſciplinæ zeloſus amator, ingenio ſubtilis, conſilio promptus, ſententia ſolidus, eloquio apertus & compoſitus*, ùt ait Trithemius. Scripſit ad preces & petitionem Thomæ Decani & Fratrum Caſinenſium egregium ſuper Regulam S.B. Cōmentarium, quem tanti fecére poſteri, ut illum penè ad verbum tranſcripſerit in ſuo Commentario Petrus Boherius, eúmque *Joannes de Precis*, Abbas S. Germani Pariſienſis, Gallico idiomate donaverit, cujus verſione etiam aliquoties ſe uſum fuiſſe fatetur Edmundus Martene.

Arnaldus Odo,

Arnaldus Odo, ſeu *Otto*, de Leomania, anno 1285. in Abbatem Condomienſem electus, ſuo nomine non tantùm verbo & exemplo utilis fuit, ſed expoſitionem etiam Regulæ S. Benedicti conſcripſit. Vid. Dion. Sam̃arth. Gall. Chr. to. 2. pag. 961.

Nicolaus de Fractura,

Nicolaus de Fractura, Arnoldo Wion dictus *Nicolaus de S. Germano*, J.U. Doctor, Monachus primùm Caſinenſis, deinde Abbas Monaſterii S. Vincentii juxtà Vulturnum, anno Domini 1299. Scripſit expoſitionem ſatis perſpicuam & doctam ſecundùm jura canonica & civilia ſuper Regulam S.P.N. Benedicti, ut idem teſtatur Arnoldus. Codex, quo uſus eſt Edmundus Martene, ita deſinit: *Explicit expoſitio Regulæ S. Benedicti ſecundùm Nicolaum Abbatem S. Vincentii Decretorum Doctorem, quem expoſuit in Monaſterio Caſinenſi, ſub anno Domini* 1299. *ſub Abbate Gallardo, qui eo tempore monaſterio Caſinenſi præſidebat.*

Hic liber eſt ſcriptus, exponens ſit benedictus,
Ut roſa flos florum, ſic eſt liber iſte librorum.

Richardus de S. Angelo. In hoc Commentatore deſerendus mihi eſt Cl. Martene, cujus veſtigia hactenùs plerumque preſſi. Ex uno enim tres facit. En verba ipſius. „ Tres Richardos de S. „ Angelo Regulæ noſtræ Commenta„ tores reperio. Unum Caſinenſem „ Abbatem, teſte Placido Caſinenſi „ Monacho in Supplemento Virorum „ illuſtrium ſui monaſterii, qui anno „ 1240. à Gregorio IX. creatus eſt Car„ dinalis. Alterum Monachum Ca„ ſinenſem, & poſteà tempore Cœle„ ſtini Papæ V. Abbatem S. Juſtinæ „ de Padua, cujus Opus laudat ali„ quando Paulus Auguſtinus à Janua. „ Tertium Monachum item Caſinen„ ſem, & Præpoſitum Vallisducis, ac „ Capellanum Landulfi S. Angeli Dia„ coni Cardinalis, cui etiam librum „ ſuum dedicavit. Duorum priorum „ lucubrationes mihi percurrere non „ licuit, ſed tamen tertii, in cujus „ Commentario intacta aliquot capi„ ta, tanquam omnibus nota, aut à „ peritioribus exponenda, ut ſe ipſe „ explicat, reperi, ſcilicet ab octavo „ ad decimum nonum. „ Hæc Cl. Edmundus Martene, quem ſalli tamen, quòd tres Richardos diſtinguat, Eraſmus Gattola in Hiſt. Caſin. ſec. X. §. VIII. p. 558. pro certo habet: Unus quippe duntaxat fuit Richardus à S. Angelo, Abbas S. Juſtinæ factus à Cœleſtino V. ut ipſe teſtatur ad cap. 21. hiſce verbis: *Et ego fui unus de revocatis à Bonifacio VIII. qui fueram effectus Abbas Monaſterii S. Juſtinæ de Padua.* Ejus Commentarius Mſ. in Regulam S. Benedicti ad Landulſum Bruncatium evolvit Cangius in Bibl. S. Germani de Pratis Codice 802. Confer Oud. to. 3. p. 650. Nec crede, quæ in Bibl. med. & inf. Lat. lib. 17. p. 233. ex Supplemento Placidi Caſin. afferuntur. **Richard9 de S. Angelo,**

Petrus Boberius, Narbonenſis Gallus, Decretorum Doctor, primùm Abbas S. Aniani in Diœceſi S. Pontii Thomeriarum, & poſteà Epiſcopus Urbevetanus ab An. 1364. ad 1378. duplicem in Regulam S. Benedicti edidit expoſi- **Petrus Boherius,**

expoſitionem; unam ad petitionem fratrum ſuorum, quam præſidentibus in Capitulo Provinciali Abbatibus obtulit corrigendam & emendandam. De ea ita ſcribit Trithemius (q) *Petrus Boberius ſcripſit ſuper Regulam S. P. Benedicti Opus certè laborioſum & comendabile, in quo ipſam Regulam juri & canonibus penè in ſingulis verbis concordare oſtendit.* Sed cùm in iſta SS. Patrum ſcita aliquo modo neglexiſſet; alteram jam factus Epiſcopus ex variis SS. Pachomii, Baſilii, Hieronymi, Caſſiani, & ex vitis Patrum, ſententiis compoſuit, quam in ſacra S. Benedicti ſpelunca *corpore collocatus, miniſtrato candelæ lumine, cum tremore ſubſcribendam incepit.* Hunc ſecundum Commentarium Carolo Franciæ Regi nuncupavit, in cujus præliminari ad eundem Carolum epiſtola hæc leguntur: *Oro igitur, Heros noſter, & inclyte Princeps, eandem Monachorum excipe Regulam, per me tuæ Majeſtatis Oratorem humillimum in ſpecu, ubi ipſe Benedictus eam edidiſſe, & in qua diu manſiſſe pœnitentiæ gratia legitur, ſanctorum Patrum dictis ſalvificis noviter commentatam. Ipſámque enim dexterâ ſacrâ tuâ, cùm tu eâ minimè egeas, porrige, precor, Abbati venerabili S. Dionyſii, ſuóque ſacro conventui, meis in Chriſto Patribus, veráque charitate & profeſſione parili fratribus præamandis.* Eandem etiam Sublacenſibus Monachis Petrum tranſmiſiſſe docent verſus initio libri ipſius appoſiti. Utraq; verò expoſitio extat in Bibliotheca S. Benedicti de Mantua; quâ verò uſus eſt Benedictus Hæfftenus, habetur in Monaſterio Haſnoienſi in Hannonia. Maurus Marcheſius è Congr. Caſin. typis excudi fecit *Petri Boerii Commentum in Regulam S. Benedicti*; ſed Mongitorius, qui hoc narrat, memoriæ non prodidit, an hoc de utroque commentario, vel uno tantùm, & quo? intelligendum ſit; quemadmodùm locum etiam, & annum impreſſionis, itémque impreſſoris nomen non indicavit. Prodiîſſe verò *Petri Commentarium* unà cum alio *Commentario* in *Conſtitutionem Benedictinam* Pariſiis in 8.vo An. 1519. apud Fabricium lego Bibl. med. & inf. Latinit. lib. 2. p. 531.

Angelus Sineſius, *Angelus Sineſius*, Siculus Catanenſis, Cœnobii S. Nicolai de Arenis Monachus, vitæ ſanctimoniâ conſpicuus, ſcripſit *Expoſitionem Regulæ S. Benedicti.* V. Abb. Pirrhus l. 4. Sicil. ſac. pag. 168. Obiit Angelus anno 1386.

Joannes Caſtellenſis in Palatinatu ſuperiori Monachus propè Ambergam, de quo Trithemius in Chron. Hirſaug. ad an. 1420. p. 365. hæc habet: *Claruit his temporibus in Bavaria Joannes Monachus Ordinis noſtri Cœnobii Caſtellenſis in Diœceſi Eichſtattenſi, homo ſtudioſus, doctus, & multæ lectionis, qui ſcripſit in Regulam ſanctiſſimi P. N. Benedicti duo magna volumina.* Ejus expoſitio MS. aſſervatur in monaſterio S. Petri Salzburgenſis, ad cujus calcem habetur gloſſa in Regulam eodem auctore, quæ forſitan, ut Cl. Martene ſuſpicatur, pro ſecundo illius libro habenda eſt. Sunt verò Commentarii tres Partes, quarum prima & tertia manuſcripta habetur in Bibliotheca Lunælacenſi; ſecunda verò in Bibliotheca San-Emmeramenſi inter Mſs. Codd. Vide utriusque Bibliothecæ Catalogos typis nuper excuſos. Joannes Caſtellenſis,

Joannes Keck, Tegernſeenſis in Bojaria Monachus, vir inprimis doctus, qui etiam interfuit Concilio Baſileenſi, ubi coram Juliano, Summi Pontificis Legato, cæteríſque Patribus orationem habuit, eruditum compoſuit in Regulam S. B. Commentarium, quem Caſpari de Grandeſen Abbati nuncupavit, extátque Mſs. in Bibliotheca Tegernſeenſi. Joannes Keckius,

Joannes Schlittpacher, Prior Mellicenſis, & in reformatione Monaſteriorum Germaniæ Viſitator Generalis edidit Joannes Schlittpacher,

1.mò) *Commentarium in univerſam Regulam S. Benedicti.* Opus fuſum, operoſum, & undequaque conſumatum.

2.) *Expoſitionem priorum quinque S. Regulæ Capitum*

3.) *Memoriale viaticum ſuper Regulam S. Benedicti.* Eſt perpetua S. Regulæ expoſitio.

4.) *Expoſitionem breviorem Regulæ S. Benedicti.* Progreditur hæc expoſitio uſque ad cap. 28. S. Regulæ excluſivè.

5.) *Expoſitionem Germanicam Regulæ S. Benedicti.*

6.) *Regulam fratrum converſorum Laicorum.*

De his videri poteſt Bibliotheca Mellicenſis, ubi pag. 441. corrigitur Cl. P. Edmundus Martene in Præfatione Comentarii in Regulam S. B. in qua duo diſtincti Benedictini Mellicenſes, Regulæ S. Benedicti comentatores ab eo ponuntur, ſcilicèt Joannes *Vlitpacher*, & Joannes *Schlippacher*. Cùm unus, idémque auctor fuerit, nimirùm *Joannes Schlittpacher*, nullúſque unquam

(q) apud Martene l. c.

quam in Mellicenſi Monaſterio Benedictinus *Vlitpacher* extiterit. Obüt *Schlippacher* anno 1482.

Chryſoſtomus Altahenſis, *Chryſoſtomus*, Abbas Altahæ ſuperioris, ſcripſit Expoſitionem ſacræ Regulæ, quam, ùt ipſe ait, *ex diverſis*, qui ſuper eandem ſcripſerunt Regulam, *viris egregiis*, videlicet Bernardo Abbate Caſinenſi, Stephano Pariſienſi, Hildemaro Abbate, Domino reverendiſſimo Johanne Cardinali, dicto de Turrecremata, nec non magiſtro Johanne Keck Tegernſeenſi, Johañe Caſtellenſi, & Johañe Schlittpacher Mellicenſi dictæ Regulæ Profeſſoribus collegit. Ea habetur etiam in Monaſterio Scheyrenſi anno 1491. ſcripta in die S. Marci Evangeliſtæ.

Chriſtianus de Saltzburga, *Chriſtianus de Saltzburga*, Baccalaureus Viennenſis, Prior Tegernſeenſis, & Abbas demùm Oberaltaichenſis in Bavaria, ſcripſit *Expoſitionem ſuper Regulam S. P. Benedicti*, quam Bibliotheca Lunælacenſis inter Codices manu exaratos aſſervat. Vid. Catal. hujus Bibliothecæ.

Mathias Tornacenſis, *Mathias*, Monachus ac Prior S. Martini Tornacenſis (quod cœnobium ſeculo ſeptimo conditum à S. Eligio Epiſcopo Noviomenſi) dedit comentarium in Regulam S. Benedicti. V. du Freſne in Indice Auctorum. Fabric. Bibl. med. & inf. Latinit. lib. xu. tom. 5. p. 169.

Kylianus Weybeck, KYLIANUS WEYBECK, Abbas Nideraltaichenſis in Bavaria ſcripſit ſeculo XVI. (an. 1529.) patrio ſermone Commentarium in Regulam S.P. Benedicti, qui inter Mſs.tos Codices Bibliothecæ Lunælacenſis aſſervatur. Vid. Catal. Bibl. Lunælac. Claſſe V. p. 368.

Joannes Trithemius, *Joannes Trithemius*, Abbas Spanheimenſis, vir pietatis & doctrinæ non vulgaris, ſuum Commentarium edidit paulò poſt annum 1484. quô primùm creatus eſt Abbas. Extat inter ejus Opera ſpiritualia, quæ in unum congeſta corpus Joañes Buſæus S. J. Theologus publici juris fecit Moguntiæ. anno 1605. apud Joan. Albin. Prodiit etiam opera ac ſtudio Henrici Somalii è S. J. variis modis illuſtratus, ac Indice copioſiſſimo auctus, Valencinis in Belgio anno 1608. in 8. Hoc opus reconditiorem viri eruditionem, multigenámque SS. Patrum lectionem exhibet; ſed quod ſatis doleri non poteſt, inquit Cl. Martene, decurtatum, ſeptem duntaxat continens capita cum prologo, in quibus vix aliquid ad accendendum fovendúmque religioſæ diſciplinæ ſtudium ac fervorem aptius aut fortius deſideres. Utinam reliquorum Capitum expoſitio non periiſſet. Jacobus enim du Breul in Supplemento Antiquitatum Urbis Pariſiacæ citat eundem Trithemium in caput quadrageſimum Regulæ, Tractatu C. V. Hæften. l. c. p. 162. col. 1.

Joſephus à Placentia, *Joſephus à Placentia*, Profeſſus S. Sixti ejusdem Urbis effectus año 1556. die 1. Maji, Decanus, tyronúmque ibidem Magiſter, vir valdè devotus ac pius ſcripſit:

Eſpoſizione della Regola del noſtro Santiſſimo P. Benedetto fata per profitto de' ſuoi Novizj. id eſt: *Expoſitionem Regulæ ſanctiſſimi Patris Benedicti ad uſum & profectum ſuorum Novitiorum.* Quam cum cæteris ejus Opuſculis unico volumine comprehenſis penes ſe habuit Armellinus. part. 2. pag. 45.

Joannes Bertels, *Joannis Bertels*, Lovanienſis Abbatis B. Mariæ Luxemburgenſis, Regula D. Benedicti Dialogis XXVI. feſtivis, utilibúsque ac pietate conditis narrationibus pereruditè explicata in gratiam ejus Ordinis alumnorum. Coloniæ 12. apud Maternum Cholinum 1581.

Jacobus Marquais, *Jacobus de Marquais*, ſacræ Theologiæ Baccalaureus ac Prior S. Vedaſti Atrebatenſis, S. Martini Tornac. an. 1584. Regulam S. Benedicti piis ac eruditis illuſtravit Commentariis. Gall. Chr. tom. 3. p. 282.

Petrus à S. Audomaro, aliàs *de Wallon-capelle*, Prior S. Winoci eruditum commentarium in regulam conſcripſit, qui teſte Hæfteno, MS. aſſervatur in eodem Monaſterio, & ad S. Petrum in monte Blandinio.

Mathæus Lambert, Prior Monaſterii Alnenſis, Expoſitionem brevem in totam Regulam edidit Leodii excuſam anno 1596.

Wernerus, Sigebergenſis, in ſacram Regulam commentatus eſt, ùt ex Molani diſcimus Bibliotheca. v. *Regula.*

Henricus Crixtede, Anglus in Regulam Monachorum, ut Poſſevinus in Apparatu ſuo teſtatur, ſcripſit. Eſt verò Scriptor incertæ ætatis.

Euſtachius à Strax, Prior Monaſterii ad S. Jacobum Leodii Commentarium in Regulam S. Benedicti elucubravit. V. Edm. Martene præfat. in Collect. Ampl. to. IV. p. XX.

Philippus de Lattre, Subprior Cœnobii Vedaſtini, Regulam S. Benedicti eruditis juxtà ac piis lucubrationibus illuſtravit. Hæften. l. c.

Cornelii Columbani Vrancx. S.T.L.

ex

ex Canonico ac Pœnitentiario Gandavenſi, D. Petri in Monte Blandinio Abbatis Commentarium MS. penes ſe habuit Hæftenus.

Laurentius Bernard, S. T. D. & Prior Collegii Cluniacenſis Pariſiis, tribus tomis Paræneſes ſuas in Regulam digeſſit. Hæften. l. c.

Antonius Perez, *Antonius Perez*, Hiſpanus, natus in oppido S. Dominici de Silos, ex Præſide Generali Congregationis Benedictinæ per Hiſpaniam Epiſcopus primùm Urgellenſis, tum Ilerdenſis, ac deinde Archiepiſcopus Tarraconenſis luculenta *in Regulam S. Benedicti Commentaria* dedit, quæ Lugduni duobus tomis in 4. an. 1624. Barcinone verò in fol. Vol. II. prodierunt an. 1632. ex prelo Petri Lacavalleria juxtà Bibliopolas.

Thomas Mannarinus, *Thomas Mannarinus*, Siculus Panormitanus, in Monaſterio S. Martini ibidem Profeſſus, J. U. Doctor, ac in Univerſitate Salisburgenſi primus SS. Canonum Profeſſor, inter plura egregia volumina typis parata, *Commentarium in Regulam S. P. Benedicti* reliquit, cùm anno 1636. naturæ debitum ſolviſſet. Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p. 199.

Gerardus Belga, cujus pium, devotúmque Commentariolum in S. Regulam cum notis edidit Gabriel Bucelinus typis Monaſterii S. Galli an. 1641.

Hæftenus, *Benedictus Hæftenus*, Belga, Ultrajectenſis, Monaſterii Affligenienſis Præpoſitus, in rebus monaſticis quantoperè verſatus fuerit, probant duodecim monaſticarum Diſquiſitionum Libri, Antverpiæ apud Petrum Bellerum anno 1644. in fol. typis excuſi. Opus inprimis laudandum & utile, cui nonnulla ſi detraxeris, correxeriſve, neſcire ſe fatetur Cl. Martene, an præſtantius aliquid in S. Benedicti Regulam exquiras.

Alphonſus de S. Victore. *Alphonſus de S. Victore*, Hiſpanus Burgenſis, nobili ſtirpe prognatus, Congregationis Valliſoletanæ Præſes Generalis, almo rerum fidei Concilio à cenſuris, doctus vir, & in rebus domeſticis exornandis ſpectatus, ſcripſit *Commentaria in S. Regulam*, duobus tomis; quorum alter Madriti prodiit Catholicæ Majeſtati dicatus año 1645. fol. alter Toletanæ almæ Eccleſiæ. 1648. Creatus demùm Almerienſis Eccleſiæ Antiſtes XXIII. Octobr. MDCLI. Aurienſiſque I. Septemb. MDCLIII. & Zamorenſis XXVII. Januarii MDCLIX. Obiit anno ſequenti MDCLX. Nic. Ant. Bibl. Nov. Hiſp. p. 38.

Stengelius, *Caroli Stengelii*, Abbatis Anhuſani, *Oeconomia Regulæ S. Benedicti*, ex Benedicti Hæfteni, Mon. Affligenienſis Præpoſiti Diſquiſitionibus Monaſticis inſtructa, & decem libris illuſtrata. Aug. Vindel. typis Andreæ Apergeri 1648. in 4. Hæc Epitome iis præſertim ſufficere poteſt, quibus per otium minimè vacat prolixas Hæfteni lucubrationes ſtudioſè perlegere.

Vigelius, *Placidus Vigelius*, Abbas Augiæ Majoris Brigantinæ Commentarium in Regulam S. B. in manuſcriptis reliquit, anno 1651. vitâ functus.

Rheding, *Auguſtini Rheding*, Abbatis & Principis Einſidlenſis, præſtanti doctrinâ Theologi, an. 1692. è vivis ſublati Explanationes & exhortationes in S. Regulam S. P. B. Mſs. in fol. aſſervat Monaſterii Bibliotheca.

Baradat, Domina *de Baradat*, dicta *de S. Gertrude* (prænomen me fugit) Monialis Cœnobii Jotrenſis in Gallia, quam Edmundus Martene à virtutum & literarum ſtudio commendat, paucis ante annis *Commentarium in S. Regulam* elucubravit, quem tamen prelo fuiſſe ſubjectum mihi non conſtat. Vid. Voyage Liter. part. 2. p. 74.

Hugo Menardus, *Hugonis Menardi* etſi inter eos, qui Regulam S. P. Benedicti ad Mſs. Codices emendârunt, notíſque illuſtrârunt, mentionem jam fecerimus, nomen tamen hìc repetere juvat, cùm vir ſit æternâ dignus memoria. Ex Monacho S. Dionyſii in Francia, zelo ſtrictioris obſervantiæ Congregationi S. Mauri nomen dedit, in qua doctrinam cum pietate ita conjunxit, ut non ſolùm inter perfectiſſimos Monaſticæ vitæ cultores numerari debeat, verùm etiam & doctiſſimis ſuperioris ævi Scriptoribus æquiparari poſſit, eccleſiaſtica, monaſtica, profanáque eruditione refertiſſimus, inter alia, quæ plurima edidit, *S. Benedicti*, Abbatis Anianenſis, *Regularum Concordiam* publici juris fecit; quam ad plures Mſs. codices exegit, & notis exquiſitiſſimis illuſtravit; quo ex fonte hauſerunt, quicunque, momenti alicujus opus aliquod in Benedictinam regulam poſteà ſcripſerunt, maximè verò Carolus Cointius, Oratorii Domini Jeſu Presbyter, in Obſervationibus ad eandem Regulam, quam in Annalium Eccleſiaſticorum Francorum Tomo I. integram inſeruit. *Vid. Martene in præf. ad Comment. in S. Reg.*

Edmundus Martene, EDMUNDI MARTENE Presbyteri & Monachi Congregationis S. Mauri *Commentarius in Regulam S. P. Benedicti Literalis, Moralis, Hiſtoricus, ex*

variis antiquorum Scriptorum commentationibus, Actis Sanctorum, Monaſteriorum ritibus, aliíſque monumentis cùm editis, tum manuſcriptis concinnatus. Pariſiis. typis Franciſci Muguet anno 1690. *in* 4. Hoc in Regulam S. Benedicti Comentario nec uberior optandus, nec parcior, in quo quidem auctorum, qui ad mentem Legislatoris aſſequendam conducere valeant, quàm magnus eſt numerus, tam exquiſitus eorum delectus. Ex Domini *Piroti*, Doctoris Sorbonæ, judicio, qui Commentarium approbavit, non aliunde legis animus poteſt haberi certiùs, nec ipſe alibi clariùs exprimit. Verè igitur *Literalis* Commentarius dici meretur, cùm Author omni ſtudio ab eo comentandi genere ſe ſejunxerit, quò nonnulli recentiores Scriptores uſi fuerunt, quíque adeò alienam à mente S. Benedicti doctrinam tradiderunt, ut nihil minùs quàm ejus Regulam explicuiſſe videantur. *Moralis* verò eſt, quia Author hoc unum ſtuduit, ut S. Benedicti Regulam iis SS. Patrum doctrinis fulciat, & corrobotet, quæ ad Cœnobitarum animos piis ac religioſo homine dignis moribus informandos unicè conducunt. Denique *Hiſtoricus* eſt, quia S. Regulæ expoſitiones præclaris, iíſque ſelectis Sanctorum exemplis confirmantur. Videant igitur Sodales noſtri, maximè ii, qui Religioſæ vitæ tyrones monaſticis legibus & præceptis inſtituendos ſuſcipiunt, ut Commentarium hunc præ cæteris aſſidua lectione familiarem ſibi reddant. Multùm refert, quibus ſacræ Regulæ expoſitionibus Novitiorum animi primitùs imbuantur; eas ſiquidem, ceu recentes teſtæ, diu ſervabunt. Cl. verò *Martene* non Expoſitor tantùm, ſed & Factor, ut ita loquar, ſacræ Regulæ vitam hanc cum meliore an. 1739. commutavit.

Antonius Joſephus Mege,

ANTONII JOSEPHI MEGE è Congregatione S. Mauri *Comentaire ſur la Regle de St. Benoît, où les ſentimens, & les maximes de ce Saint ſont expliquez par la doctrine des Conciles, des Sts. Peres, des plus illuſtres Solitaires, & des principaux Auteurs, qui ont traitè de la vie Monaſtique.* id eſt: *Commentarius in Regulam S. Benedicti, in quo Placita & Axiomata ſancti Legislatoris explicata habentur per doctrinam Conciliorum SS. Patrum, Monachorum magis illuſtrium, & præcipuorum Autorum, qui de Vita Monaſtica egerunt.* 4. *Pariſiis* 1687. *apud viduam Edmundi Martini, J. Boudot, & Stephani Martin,* Author ſuo in Commentario nullum ſacræ Regulæ caput diductiùs expoſuit, atque illud ſeptimum de Humilitate. Hîc ſibi occaſionem refellendi Abbatis de Trappa datam exiſtimavit. Celebris hic Cœnobiarcha, ut morem ac praxim humiliationum in Monaſteriis à ſe reformatis aſſereret, inter cætera non minimæ curæ habuit. Sæpè Monachis ſuis crimen objiciebat, cui nunquam ſe affines ſecerant. Ut enim ipſius ſerebat opinio, nihil Cœnobitis utilius magíſque ſalubre eſſe poteſt, atque ſi culpæ, cui nunquam obnoxii fuerunt, coram aliis inſimulati publicum dentur in rubotem. Ab hac ſententia multùm P. Megius aberat. Authoritati S. Joannis Climaci, atque aliorum Orientis Monachorum, quibus hoc humiliandi genus non fuiſſe inſolens videtur, authoritatem S. Anſelmi, quæ certè haud minoris facienda eſt, oppoſuit. Deinde magnis rationibus contendit, ſanctos Auguſtinum & Bernardum non unquam Religioſis ſuis, quò eos mortificandi cauſam haberent, delicta affinxiſſe, nec ullius unquam culpæ gravioribus increpâſſe verbis, quàm cujus reipſa ſe reos reddiderant.

Quale ſilentium S. Benedictus ſuis impoſuerit.

Non minora ſunt rationum momenta, quibus *P. Megius* probat, S. Benedictum nunquam diſcipulis ſuis ſilentium ita rigoroſum impoſuiſſe, atque illud eſt, quod in Trappenſi Monaſterio obſervatur. Cùm enim capite 42. velit, ut Monachi ſilentio ſtudeant, maximè nocturnis horis, nunquam ſeverâ adeò lege eos conſtringere voluit, quâ inter ſe convenire mutuíſque colloquiis animum relaxare prohibeantur. Capite 48. prohibet, ne frater jungatur ad fratrem horis incompetentibus: horæ igitur erant, in quibus certis diebus ac temporibus libera ipſis poteſtas fiebat, inter ſe conferendi ſermonem. Adducere potuiſſet Comentator, quòd, cùm S. Legislator in Capite de Obſervatione Quadrageſimæ ſuis præſcribat diſcipulis, ut his diebus præter cætera etiam à loquacitate & liberioribus colloquiis ſe abſtineant; ex hoc loco ejus ſententia, quòd Solitarii non ſemper ori digitum imponere debnerint, ita evidens fit, ut à nemine in dubium vocari poſſit.

Quod ad loca Regulæ obſcuriora attinet, quæ per ipſam Regulam elucidari haud poſſunt, *Megius* à communi & recepta opinione non diſcedit. Diſſentit igitur à S. Hildegarde, cujus ſententia, quòd S. Benedictus eum vela-

vela-

volatiliom frattribus ſuis conceſſerit, ipſi haud probatur. Majorem tamen vini menſuram indulſiſſe, quàm Lancellotus, & alii ſeveriores Critici volunt, multîs contendit. De ſtudiorum neceſſitate in Monaſteriîs idem ſentit, quod doctiſſimi quique eorum aſſertores.

Megii Comentarius laxitatem ſapit.

Erit jam verò, qui hîc quærat, quam ob rem *Cl. Edmundus Martene* recenſendo Commentatores in ſacram Regulam nullam *Megii* mentionem fecerit, cùm tamen non neſciret, quòd is tribus ante annis, quàm ipſe ſuum Commentarium luci publicæ expoſuit, alium typis vulgârit? Cauſam reddere non poſſum, divinare poſſum. *Megii* Commentarius cùm nonnihil laxitatis, & quod ad chordam ſtrictioris diſciplinæ monaſticæ ſolvendam facit, continere videatur, ea cauſa ſors à *P. Martene* regularis obſervantiæ ſtudioſiſſimo ſilentiò prætermiſſus eſt. Certè ejus lectio in Congregatione S. Mauri non cuivis promiſcuè permittitur. Vide le Cerf Bibl. Hiſt. Crit. p. 348.

Ignatius Clavenau,

Ignatii Clavenau, Styri Græcenſis, in celebri Monaſterio ad Montes Profeſſi, vitæ ſpiritualis Magiſtri peritiſſimi *Elucidarius in Regulam SS.mi Patris Benedicti Salisburgi 4. typis Joan. Joſephi Mayr an.* 1720. Author cùm vitæ ſanctimoniâ eſſet conſpicuus, atque regolaris diſciplinæ obſervantiſſimus, nihil in ſuo ſcripſit Commentario, niſi qnod ad eam quà excitandam, quà augendam & conſervandam apprimè facit. Opus non utile tantùm, ſed etiam lectu gratum, & amœnum.

Auguſtinus Calmet,

Auguſtinus Calmet, Lotharingus, Abbas Senonenſis, Comentarium Gallicè in Regulam S. P. N. Benedicti elaboratum in publicam lucem emiſit Pariſiis apud Emerici Socios an. 1734. Tom. II. in 4. quem quidem videre non merui; nullus tamen dubito, quin celebratiſſimus Author pro inſigni ſua eruditione ac doctrinâ non *novè* tantùm, ſed etiam *nova* ſcripſerit. Quis enim non illum in D. Benedicti Regulam, exiguæ molis libellum, præclarè fuiſſe commentatum exiſtimet, qui in univerſæ ſacræ Scripturæ libros egregia adeò Commentaria cum erudito orbe communicavit, nihil ut in hoc genere præſtantius legi poſſit? Cæterùm *Calmeti* Commentarium Gallicè ſcriptum, Latinè reddendum ſuſcepit Domnus *Hilarion Morin* è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi; & primum quidem Tomum abſolvit, ſecundum ad mediam partem perduxit, reliquum infirmitate, & aliis occupationibus impeditus imperfectum reliquit. Sed quod deerat, operâ alicujus è ſuis expleri curavit R.mus Abbas, ac in Germaniam typis excudendum miſit. * Prelo autem liberata prodiit hæc verſio *Lincii in Auſtria*, veriùs *Auguſtæ Vindelicorum* anno 1750. Tom. II. in 4. hoc titulo: *Commentarius Hiſtorico-Moralis in Regulam S. P. Benedicti cum annotationibus pro variis religioſorum ordinibus regulam S. Benedicti profitentibus à R.mo D. Authore*-Auguſtino Calmet *O. S. B. Abbate Senonenſi Congr. Ss. Vitoni & Hidulphi in Lotharingia, Gallicè primùm in lucem editus, annexis obſervationibus criticis in Religioſorum & Canonicorum regulas, ab ipſo R. Domno Authore modò copioſiſſimè auctus, reviſus, emendatus, & in duo volumina diviſus, nunc ob eximiam hujus Operis præſtantiam, genuinam & S. Regulæ congruam enucleationem à quodam hujus Ordinis profeſſo, ac ejusdem Congregationis Monacho latinitate donatus...* Opus inſcripſit Bibliopola Ill.mo Domno *Eugenio de Inzaghi* ad S. Lambertum in Styria Abbati, præfixâ ejus icone ad vivum æri inciſâ; Sed dolent boni omnes editionem innumeris ſcatere erratis, ac oſcitantiam, neſcio quam, prodere Germano nomini ingloriam. Eundem Comentarium teutonico idiomate donavit *R. P. Auguſtinus Dornbluth* Gengenbacenſis, quam verſionem publicæ luci dandam in ſe recepit *Matthæus Rieger*, Bibliopola Auguſtanus.

* Olliverii nota.

Anonymi Comentatores ex San-Martini Coloniæ,

Hactenùs eos recenſuimus Expoſitores, quorum nomina nos non latuerunt; nunc duo *Anonymi* commemorandi veniunt, de quibus divinare magìs, quàm ſententiam præcipitare malumus. Primus eſt *San-Martinianus* Colonienſis, cujus Commentarius inſignis in membranis ſol. maj. exaratus eſt ſub annum 1474. hoc initio: *Jeſu Chriſto humiliter invocato accipite diſciplinam per ſermones meos, & proderit vobis.* Hunc fœtum eſſe *Adami Mayeri*, zeloſiſſimi juxtà ac doctiſſimi Abbatis S. Martini Colonienſis Cl. *Oliverius Legipont*, ejusdem Cœnobii alumnus, aſſeverat, certè quidem in San-Martiniana Bibliotheca aſſervatur MS. nec alibi reperitur.

Alter ejusdem loci & ætatis *Anonymus* eſt, cujus Commentarius in Regulam S. Benedicti præfert titulum, EXPOSITIO CONTINUA; hoc exordio: *Quod minùs attentos fugit, & diligentiores advertere poſſunt, almi præcepto-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ris Monachorum tam gratiæ quàm nomine Benedicti Regula brevis quidem verbis, ſed longa ſententiis, miro modo ſic clara eſt, ut etiam ſit profunda. Aſſervatur in eadem S. Martini Colonienſis Bibliotheca. Quidni igitur ſuſpicari liceat, hujus Commentarii Authorem eſſe WILHELMUM STADEN, cujus in S. Regulam MS. lucubratio in laudata habetur Bibliotheca, teſte Hæfteno Diſq. Monaſt. lib. 2. tr. 5. p. 162. Hæc Author noſter per me pridem literis inſtructus; Verùm, ne quid diſſimulem, poſteà intellexi eandem *Expoſitionem* reperiri MS. in Monaſterio S. Laurentii Leodii, quam Vir eruditus R. P. *Cœleſtinus Lombard* ejus loci alumnus & Bibliothecarius, fundamentis, neſcio, quibus innixus attribuit ſuo Concellitæ *Joanni de Iride.* Clariſſimus verò P. *Bernardus Pezius* deſuper à me conſultus literis IV. Junii A. 1730. ita reſcribebat: *In nova TE Cl. Pater! atque præclara quotidie, dum vetuſtos libros accuratiùs evolvis, incidere vehementer lætor, ac præprimis gratulor. Inter ea haud dubiè eſt illa* Expoſitio continua in Regulam S. P. Benedicti, *de qua nihil hactenùs à quoquam intellexi. Ea certè, quantum ex tuis excerptis conjicio, prelo digniſſima videtur, fortè tunc condita, cùm Reformationis Burſfeldenſis fundamenta jacerentur. Dùm in reditu meo Gallicano ad ampliſſ. Monaſterium S. Blaſii in ſylva Hercinia delatus eſſem, vidi ibi ad octo in fol. volumina, quibus omnia ferè in S. Regulam noſtram Commentaria prelo deſtinata continebantur. Num verò inter hæc etiam illa tua* Continua Expoſitio *extet, aliàs reſciam...* Tùm in aliis 18. Decembris ejusdem anni, *Auctorem*, inquit, *Continui tui Commentarii in Regulam nondum hactenus detegere potui. Conſule, ſuadeo præfationem Commentarii in hanc Regulam, quod pridem edidit* P. Edmundus Martene *è Congreg. S. Mauri in 4. ubi ampliorem Scriptorum in Regulam recenſionem comperies...* Iſta Pezius; *Martenius* verò literis à me interpellatus hæc reponebat: *De Commentario in Regulam S. P. N. Benedicti, quem inter veſtræ Bibliothecæ libros manu exaratos reperiſti, certi nihil dicere poſſum. Si præ manibus Codicem haberemus, auctorem ipſius forſitan expiſcari non deſperarem. Tuum erit, Vir Erudite! id accuratiùs examinare. Suſpicor circa initia Burſfeldenſis Reformationis ſcriptum, & eſſe fœtum alicujus tui monaſterii Cœnobitæ...*

P. Oliverii in eos animadverſiones.

Commentariorum in Reg. S. Bened. octo Tomi, in S. Blaſii Bibliotheca.

Præter hoſce *Anonymos*, alii duo *Expoſitores* non reticendi videntur: quorum primus eſt *Stephanus Pariſienſis* ſeculo XII. declivi clarus, quem noſter *Poncherium* cognominat, & *Pariſienſem* facit *Antiſtitem*, ſubdens, *Eum conſtitutiones ad ſuæ Diœceſis Sanctimonialium uſum accommodatas edidiſſe, ac Regulam S. Benedicti Commentario expoſuiſſe in gratiam Sanctimonialium Calamenſium vulgò de Chelles.* Unde hæc hauſerit *Magnoaldus* non indicat; nec mihi perinde probantur: *Stephanus* enim ille *Pariſienſis Antiſtes*, jam anno 1140. diem ſuum expleverat: At verò Commentarii Authorem poſt annum 1193. adhuc in vivis egiſſe, ex ipſius præſatione liquet; ita enim habet: *Venerabili Patri & Domino* ROFREDO *Inſulano Divinâ Providentiâ Ss. Marcellini & Petri Cardinali Presbytero & S. Cœnobii Caſſinenſis Abbati*, Seraphyniato Adenulpho *Decano Viro liberali atque diſcreto, totíque ejus Cœnobii conventui glorioſo*, Stephanus Pariſienſis *omnium Clericorum ultimus...* Atqui ROFREDUS *de Inſula, quem ingentis animi altíque conſilii, admirandæque ſapientiæ & fortitudinis virum* nuncupat Ciaconius, primùm anno 1193. purpurâ & titulô Presbyteri Cardinalis à *Cœleſtino* III. donatus eſt, uti nos docet EGGSIUS in purpura docta libr. 1. pag. 107. Sequitur ergò *Stephanum* eodem tempore vixiſſe. Quod autem noſter comminiſcitur, eundem *Regulam S. Benedicti Commentario expoſuiſſe in gratiam Sanctimonialium Calamenſium*, facilè quoque refellitur ex eadem præſatione, ubi Author Caſinenſes his affatur verbis: ... *Harum deliciarum ſuſpirans ego non ex meis meritis, ſed veſtris incitatus, dulcedine quâdam, etiam novitatis gratiâ ſerenatus, dulci cœpi ac quieto animo cogitare, quid vobis tamquam Patribus & Benefactoribus meis ſpecialiſſimis, à quibus multa ſpiritualia ac temporalia bona neceſſitatum ac tribulationum mearum tempore ſuſceperam, & aſſiduâ compaſſione ſuſcipio, de gazophylacio meo poſſem convenienter offerre. Inſpiratus itaque non vento ſuperbiæ tumultuoſo, ſed ſuaviſſimo caritatis ſpiramine conſideravi attentiſſimâ conſideratione, quòd, prævia regularis doctrinæ B. Benedicti radiantiſſimâ claritate, ipſam eandem Regulam ſecundùm, quòd Spiritûs ſancti benignitas meum animum inſtruere dignaretur, exponerem, expoſitámque veſtræ benignitati caritatíve offerrem...* Et infrà: *Sanctis igitur orationibus veſtris me prece humili commendatum eſſe depoſco...*

Stephanus Pariſienſis.

Caſinenſibus ſuam dicat expoſitionem.

ſco... Et ne hæc Expoſitio, quam multis SS. Patrum corroboravi auctoritatibus, quot Lectores, tot inveniat Correctores, ad Sedem appello Apoſtolicam, ne quis eam præſumat corrigere, niſi de judicio S. R. E. & de ſententia doctrinæ Apoſtolicæ, cujus magiſterio tota debet Chriſtianitas ſubjacere. En igitur in quorum gratiam conſcriptus eſt iſte Commentarius, eo fortè tempore, quô *Innocentius III.* Pontifex Max. datis ad ROFREDUM Abbatem Caſinenſem literis, graviter eum reprehendit, quòd Ordinis monaſtici diſciplinam plùs æquo relaxari permitteret. Verba Innocentii hæc ſunt: *Super hoc tu non videris alienus à culpa, qui, cùm tibi ſit ipſius Eccleſiæ cura commiſſa, culpam negligis corrigere ſubditorum; quia juxtà verbum Sapientis:* ubi non eſt Gubernator, populus corruit, *Paſtoris incuriam diſſolutione ovium accuſante...* Quibus monitis ROFREDUS *correctus ipſe alios correxit.* Num verò *Stephanus Pariſienſis* Benedictinorum albo ſit inferendus, haud ita pronum eſt definire; In Manuſcripto Udalricano rubrum ante caput primum Regulæ ita habet: *Incipit Regula Ss.mi Patris noſtri Benedicti unà cum ſubtili enucleatione Venerandi Viri Magiſtri* Stephani Pariſienſis *Literarum ſacrarum peritiſſimi, immò & ejusdem regulæ Monachi per expreſſum profeſſi...* In contextu ferè utitur *Stephanus* hâc loquendi formulâ: *B. Patris noſtri Benedicti...* In expoſitione capitis XL. de Hemina vini, & ſuo apud Caſinates incolatu ita diſſerit: *Conſtituitur Monacho in die Emina vini,* id eſt, *juſta menſura, quæ corporis ſufficiat neceſſitati, & ſobrietatis metam nullatenùs excedat. In Caſinenſi cœnobio eſt lignea juſticia habens coopérculum ejusdem juſticiæ. Septies implebitur, juſticiæ faciet complementum. Sicut enim in Evangelio pondus talenti ſignificot* mna, *ita hic per Eminam juſta intelligitur Monacho vini appoſiti menſura: juſticia enim Caſinenſis, quæ tenet ſeptem coopercula,* Emina *poteſt dici juſta quidem menſura; ſufficiens enim eſt, & rationabilis, ut ego ipſe probavi ſæpenumerò, & non ſuperflua.* Ex quibus quid certi de ipſius Authoris monachatu erui poſſit, aliis dijudicandum relinquimus. In fine totius Operis hæc legitur deſcriptoris clauſula: *Explicit Expoſitio* STEPHANI PARISIENSIS *ſuper Regulam Benedictiſſimi* BENEDICTI, *deſideratúsque finis huic perquàm eleganti opuſculo jam fauſtè imponitur per fratrem* THOMAM RIEGER *Auguſtenſem tunc temporis Subpriorem* PP. *Venerabilium Ss. Udalrici & Afræ anno Virginei partûs* 1495. *horâ quaſi tertiâ peracto prandio feriæ tertiæ poſt Dominicam Judica...* Codex eſt membranaceus in San-Udalricana Bibliotheca hodie aſſervatus. Majuſculæ ſingulorum capitulorum exhibent *vitam Ss.mi P. Benedicti* iconibus & verſibus expreſſam; Ante Expoſitionis præfationem hæc leguntur:

Ejus de Hemina vini expoſitio.

Bis bini juſti narrant vitam BENEDICTI:
Scribit GREGORIUS, *ſcrutatur ſingula* PETRUS.

Qui verſus alludunt ad Iconem initiali literæ præfixam, nec ſunt ipſius *Stephani*, uti nonnemo falſus, neque *Thomæ Riegeri* deſcriptoris, ſed *Hermanni* Abbatis in Schütter; Ita enim indicat epigraphe ad calcem appoſita, ubi hujus biographiæ Auctor depictus viſitur genuflectens, & *S. Benedicto* in throno ſedenti librum porrigens cum hoc alloquio:

Suſcipe depicta vita formam BENEDICTE!
Dogmata, quæ ſana deſcribit Gregoriana,
In Schut' Hermannus *Abbas, pater! hoc tibi munus*
Offert, quem merita tua ditent perpete vitâ.

Completur opus 133. foliis opiſtographis. Num verò idem ſit ille *Stephani* Comentarius, quem in Senonenſi Lotharingiæ monaſterio extare perhibet *Theodoricus Ruinartus* in ſuo per Alſatiam itinerario Tom. III. opp. poſth. pag. 442. aliis examinandum committo: Nec enim præſto mihi ſunt neceſſaria ad id genus trutinæ ſubſidia.

Alter Regulæ S. Benedicti percelebris Expoſitor eſt JOANNES DE TURRECREMATA S. R. E. Cardinalis Ord. S. Dominici & cujusdam Monaſterii Florentini Abbas Comendatarius, qui rogatu ARSENII Congregationis Caſinenſis, tum adhuc dictæ *S. Juſtinæ de Padua*, Præſidis, Commentarium ſcripſit in Regulam S. Benedicti. Opus magnum & accuratum prodiit *Coloniæ Agrippinæ* typis Gervini Calenii & hæredum Quentelii anno 1570. in fol. Acceſſit *Expoſitio Smaragdi* in eandem Regulam. Antiquior eſt editio Pariſienſis de anno 1494. & Rothomagenſis A. 1510. in 4. Idem Cardinalis ſcripſit *Tractatum de Reformatione*, ſeu *Deciſiones in Regulam S. Benedicti pro conſcientia Prælatorum & Subditorum*, quæ prodiêrunt *Venetiis* anno 1618. in 8. Plures editiones enumerat *Fabricius*

Joannes de Turrecremata S. R. E. Card.

bricius in Bibl. med. lat. vol. 4. pag. 476. Alios verò plures in Regulam Commentatores recenſent *Hæftenus*, *Martenius* & *Calmetus*, quos conſule. Nos ſanè nihil magis in votis habemus, quàm ut Sodales noſtri inito inter ſe conſilio, unitiſque operis, extantiores ejusmodi Commentarios editos & ineditos colligerent, atque in unum corpus redactos publico ſiſterent.

§. V.

Authores, qui in S. Regulæ quædam capita & loca difficiliora commentati fuerunt.

Rabanus, B. RABANI MAURI *Opuſculum contra eos, qui repugnant inſtitutis B. P. Benedicti*, id eſt, S. Regulæ capiti LIX. *De filiis nobilium, vel pauperum, qui offeruntur.* Tria verò in eo probat Author: primum, licere homini Chriſtiano ſuam ſobolem Deo conſecrare: alterum, votum, quod Deo vovetur, ſine magno reatu omitti non poſſe: poſtremum, vitam monaſticam non humana, ſed divina authoritate inſtitutam eſſe. Deſideratur verò in editis Rabani Opuſculis, ejus tamen copia Mabillonio facta eſt ex codice Mellicenſis in Auſtria Monaſterii, quod integrum in Tomi II. Annalium O. S. B. appendice retulit.

Rodulphus, RODULPHI S. Trudonis propè Leodium Abbatis *Epiſtola ad Sigebertum de ſuſceptione puerorum in Monaſteriis* unà cum literis SIGEBERTI ad Radulphum, habetur apud Mabillonium. Analect. Tom. II. p. 495.

Elemon, ELEMON, Monachus Benedictinus, & Doctor ſcripſit elegantem Tractatum ſuper *Inſtrumenta bonorum Operum* ſive cap. 4. Regulæ S. Benedicti, qui ſic incipit: *Sicut ſunt Fabrorum &c.* Extat MS.tum in membranis, in reliquiario Cœnobii S. Georgii Majoris Venetiis, ſed aliqua ex parte imperfectum, quo autem vixerit tempore, non proditur: Hæſten. Diſquiſ. Monaſt. lib. 2. tr. 5. Diſquiſit. 4. p. 163. col. 2. Poſſev. Appar. Sac. tom. 1. pag. 434.

Hildegardis, S. HILDEGARDIS Abbatiſſa in monte S. Roberti propè Bingam præcipua capita expoſuit. Eſum volatilium à S. Benedicto monachis non interdictum fuiſſe aſſeruit. Ad Sponſum migravit anno 1180. vel 79. extat ejus commentatio cum Epiſtolis ipſius, impreſſis Coloniæ apud Hæred. Jo. Quentell. & Gerwin. Colenium anno 1566. in 4.

Joannes Belga, JOANNES BELGA, cujus jam ſupra §. III. meminimus, Librum edidit *de eſu carnium.* Hæſten, l. c. pag. 161. col. 2.

Ultredus Bultonus, ULTREDI BULTONI, Monachi Dunelmenſis in Anglia Monaſterii, Theologi ſuo ævo nemini ſecundi, *Diſceptatio, nunquid licitum ſit Monachis, ſecundùm B. Benedicti Regulam profeſſis, carnes edere, exceptis debilibus, & infirmis?* Author, qui vixit tempore Gregorii XI. ad quem legatus fuit, in utramque partem fusè diſputat. In fine dicitur eſſe Tractatus utilis & compendioſus, qui aſſervatur in Bibliotheca Cottoniana ſub effigie Vitellii Lit. F. Cod. XII.

Joannes S. Bavonis, JOANNES S. *Bavonis* Gandavi in Flandria Abbas circa A. 1390. ſcripſit *Declarationes in regulam S. B.* nec non de illicito ſanis monachis eſu carnium. Trith. de S. E. cap. 691. & de Scriptor. Germ. c. 142.

Joannes de Spira, JOANNES DE SPIRA ſeculo decimo quinto ineunte cùm excellenti ac perſpicaciſſimo eſſet ingenio, in Academia Heidelbergenſi Philoſophiæ, ſacris Canonibus, ac Theologiæ ſub celeberrimis ætatis ſuæ Magiſtris operam navavit non ſine ingenti progreſſu. Cùm Sacerdotio initiatus pinguia aliquamdiu beneficia aucuparetur, divino colluſtratus lumine, certa ſalutis pericula, quæ id genus aucupes manerent, animadvertit. Quare Eccleſiaſticam cum Monaſtica commutare vita conſtituit. Non aliud ferè id temporis monaſterium à morum ſanctimonia & exactiſſima Regulæ Benedictinæ obſervantia magìs celebrabatur, atque Mellicenſe in Auſtria Monaſterium. In hoc igitur ſuſcipi & petiit, & impetravit. Monachus factus ita virtutem coluit, ut literarum ſtudia neglectui non haberet. In calamum incumbens plurima literis mandavit. Quæ verò huc pertinent, ſunt ferè ſequentia.

1.) *Tractatus in Caput XXXIII. & XXXIV. Regulæ S. Benedicti, & in Caput XIII. Regulæ S. Auguſtini cum variis quæſtionibus de proprietate & communitate Monaſticorum bonorum.* Inc: *Præcipuè hoc vitium radicitùs amputandum eſt &c. Quod dicit* præcipuè, *intelli-*

telligendum eſt: *ante omnia & maximè* &c. Autographum in Bibl. Mellic. habetur in Cod. Chart. 4. notato lit. N. num. 14.

2.) *Tractatus de vitio proprietatis Monachorum in Caput XXXIII. Regulæ S. Benedicti.* Inc. *præcipuè hoc vitium radicitùs amputandum eſt* &c. *Hoc eſt Capitulum XXXIII. Regulæ B. Benedicti, quod poteſt dividi in tres partes. In prima prohibetur Monachis, ne res temporales debeant habere &c.* Cod. ch. 4. lit. N. 14. & ch. 4. P. 31. Autographum eſt in codice Bibliothecæ Lambacenſis.

Ultredus Buitoos,

3.) *Tractatus* alius & à præcedentibus diſtinctus, *de proprietate Monachorum in Caput 33. Regulæ S. Benedicti.* Inc. *præcipuè hoc vitium radicitùs amputandum eſt &c. Quia in hoc Capitulo Regulæ XXXIII. prohibetur Monachis, ne habeant proprium &c.* In codice autographo N. 14. & in codice P. 31. ac in laudato codice Lambacenſi.

Joannes S Bavonis,

4.) *Tractatus in Caput VII. Regulæ S. Benedicti ſuper illa verba*: Ergò his „omnibus humilitatis gradibus aſcenſis, mox ad charitatem Dei perveniet „illam, quæ perfecta foras mittit timorem &c. Incipit viginti ſeptem capitum liber: *Non de qualibet charitate &c.* In Codice Mellicenſi autographo G. 21. & Lambacenſi in 4.

Joannes de Spira,

5.) *Expoſitio Capitis LXVIII. Regulæ S. Benedicti.* Inc. *Si fratri impoſſibilia injunguntur &c. Quia in itinere directionis quinque gravia &c.* In codice autographo Lambacenſi in 4. & Mellic. B. 32.

6.) *Tractatus de illicito eſu carnium Monachorum ſanorum & fortium*, editus anno 1432. Opus egregium & peramplum. Inc. *propter inſtantiam quorundam Abbatum Monaſteriorum Ord. S. Benedicti Pataviensis Diœceſis &c.*

Autographum in Cod. O. 21. adſervatur. Comparet prætereà in Codd. O. 45. P. 10. & L 10.

7.) *Tractatus de eſu carnium infirmorum cœnobitarum.* Hunc ex codice autographo in Monaſterio MARIÆ-Cellenſi adſervato, erutum, Bern. Pezius in ſuo Theſauro Anecdot. Noviſſ. Tom. II. Part. II. Col. 569. Ince publica donavit. Titulus accurati & ſubtilis opuſculi in laudato codice hujusmodi eſt: *Tractatus de licito eſu carnium cuidam Monacho Ordinis S. Benedicti, qui hydropiſim patitur*, & eſt ipſe Joannes de Spira. Vide plura in Bibliotheca Mellic. pag. 291.

8.) *Commentarium in Prologum Regulæ S. Benedicti.* Incip. Opus prolixum in Cod. autogr. B. 32. *Auſculta &c. Quidam dicunt, hunc Prologum editum fuiſſe à Simplicio diſcipulo S. Benedicti.*

9.) *Commentarium egregium in Caput I. ejusdem Regulæ de generibus Monachorum.* Inc. *Hæc Rubrica præponitur primo Capitulo Regulæ beatiſſimi Patris noſtri &c.* Ibid.

10.) *Commentarium amplum in Cap. II. ejusdem Regulæ de officiis Abbatis.* Inc. *In præcedenti Capitulo S. Benedictus diſtinxit quatuor genera Monachorum &c.* Ibid.

HIERONYMI DE WERDE, Monachi Lunælacenſis in ſuperiore Auſtria *Tractatus de univerſis Dubiis, quæ in Regula S. P. Benedicti poſſunt occurrere.* Incipit: *Rogatus à fratre mihi chariſſimo.* Aſſervatur in Rothenſi Bavariæ Monaſterio. Deceſſit auctor año 1475. cujus, teſte Bernardo Pezio Diſſert. Iſag. in Tom. I. Anecdot. n XXI. p. X. propè innumera in diverſis Bibliothecis opuſcula reperiuntur. Hieronymus de Werde.

ANDREAS BELGA, Trajectenſis, Monachus Spanheimenſis in finibus diœceſis Moguntinæ, qui inter homines eſſe deſiit an. 1483. ſcripſit *de abſtinentia carnium, & uſu Floccorum.* Trith. de S.E. cap. 801. & Ill. Ben. l. 2. c. 141. Andreas Belga.

ADAMI VILLICI, Abbatis ad S. Martinum Maj. Coloniæ Agrippinæ, inter Diſciplinæ Monaſticæ inſtauratores Sec. XV. meritò numerandi, *Quæſtiones circa Regulam S. B. præſertim de eſu carnium.* Opus Mſs. ſed non finitum in ejusdem Monaſterii Bibliotheca habetur. Adamus Villicus.

HENRICI CLAUSII, Abbatis Wiblingenſis in Suevia, pietate & eruditione inſignis, *In Caput Regulæ ſanctiſſimæ de Obſervatione Quadrageſimæ Sermones duo.* Vid. Annal. Wibling. & ſupra Part. II. Sect. V. pag. 218. Henricus Clauſius.

PETRUS PAULUS BENALLI, Italus, è caſtro S. Stephani, Florentiæ in Monaſterio S. Mariæ Profeſſus anno 1560. Clementis VIII. juſſu ac auctoritate ad reformanda utriusque Germaniæ Monaſteria profectus, ſcripſit ſub annum 1594. *Dialogum, in quo nonnullæ quæſtiones in Regula S. Benedicti reſolvuntur.* Armell. part. 2. pag. 128. Benalli,

ALARDUS GAZÆUS, Cœnobita Vedaſtinus in ſuis ad Caſſiani Opera annotationibus plurima Regulæ noſtræ loca ſparſim in clariori poſuit luce. Hæften. l. c. Gazæus,

Petrus à S. Audomaro, PETRI à S. AUDOMARO, aliàs *de Walloncapelle*, Belgæ in Monaſterio S. Winoci Profeſſi Expoſitio Capitis LIII. ſacræ Regulæ: *De Hoſpitibus ſuſcipiendis*, ſeu *Tractatus de Monachorum Hoſpitalitate*. Extat ad calcem *Inſtitutionum Monaſticarum*, qnas Author Coloniæ an. 1584. in 4. apud Maternum Cholinum evulgavit. Dignum Opuſculum, quod omnes Abbates attentè legant.

Romanus Hay, *Romani Hay*, Imperialis Monaſterii Ochſenhuſani in Suevia Presbyteri Theologi DISQUISITIO: *An Monachi Benedictini violent Regulam in eſu carnium*? Verſandæ hujus quæſtionis anſam dedit *Paulus Layman*, Jeſuita, qui in ſic vocata *Juſta Defenſione* docuit, Benedictinos in Germania propter eſum carnium non eſſe admittendos ad recuperanda Monaſteria poſt Transactionem Paſſavienſem ab Hæreticis occupata, imò etiam poſſe à ſuis, niſi ſeſe reformari patiantur, monaſteriis, quæ poſſident expelli. Hanc atrocis injuriæ plenam aſſertionem minimè Benedictinis ferendam exiſtimans *P. Hay*, eam ſolidè, ut cætera omnia *Laymañi* inofficiosè dicta refutavit in *Aſtro inextincto* pag. 103. & ſeq. Ad gravitatem injuriæ magis declarandam, exemplum afferre juvat, quod *Joſephus Mezger* in Hiſtoria Archiep. Saliſburgenſis lib. 5. cap. 14. pag 660. memoriæ his verbis prodidit.

De eſu carnium. Anno 1603. *Wolfgangus Theodericus*, Princeps & Archiepiſcopus Saliſburgenſis ſuum Conſiliarium *Joannem Curtium* ad MARTINUM, Monaſterii S. Petri in eadem Urbe Abbatem miſit, qui eidem proponeret, ut Religioſi deinceps ter in ſeptimana carnibus, more per univerſam Germaniam jam recepto veſcerentur. Neque enim aliam tam exigui numeri ad XIII. Religioſos redacti, & frequentium morborum cauſam eſſe poſſe, quàm abſtinentiam à carnibus juxtà S. Regulæ rigorem hactenùs obſervatam &c. Hoc petitum Abbas *Martinus*, ut erat S. Regulæ zelantiſſimus, tum inſtantiſſimis precibus, tum ſacræ Regulæ & antiquiſſimi moris obtentu amoliri conatus eſt, at irrito conatu: nam Princeps in ſententia perſtitit, & per eundem Conſiliarium repoſuit: omninò hanc eſſe ſuam mentem, cui parere oporteat. Itaque in feſto S. Bartholomæi, eodem anno 1603. prima vice carnes in triclinio fuêre appoſitæ. Lamentis hanc mutationem *Martinus* proſecutus (unde viri religioſi pietatem agnoſcas) *O tempora*, inquiebat, *olim Monachi ad ſtrictiora compulſi, modò ad laxiora reſolvuntur. Certè fratres hanc licentiam nec ſperare, nec petere unquam fuiſſent auſi. Sed de motivis Domini Archiepiſcopi hic diſputandum non eſt. Et quia ipſi tanquam Ordinario & Domino noſtro nobiſcum ita diſpenſare viſum eſt, obſequendum certè fuit. Nobis quoque ſalubrius & convenientius hæc permiſſio obtigit, quod non requiſitus, ſed proprio & deliberato motu eam nobis impertivit.* Quid ad hæc Laymannus? non Author Celſiſſ. Principi & Archiepiſcopo exiſtere auſus fuiſſet, ut propter eſum carnium Benedictinos è Monaſterio S. Petri expelleret?

Lancelotus de Hemina, CLAUDII LANCELLOTI, Benedictini Pariſienſis perdocti *Diſſertatio de Hemina vini Benedictina*. (r) Pariſiis 1667. Autor probat, heminam eſſe *ſemiſextarium*; Sextarium ſextam congii partem, Congium uncus conſtare omninò centum viginti; cujus rei periculum factum eſſe aſſerit ad antiquum congium, qui Romæ in ædibus Farneſianis adſervatur; ex quo intulit, *heminam* uncias plus quàm decem continere haud poſſe. Sed quidquid ſit de congio Farneſiano, qui tamen facta proportione ad veteres uncias Romanas non omninò inventus eſt ex æquo reſpondere; tota Diſſertationis diſputatio ſuper Romanam, non ſuper *Benedictinam heminam* cadit; quod interim demonſtrandum incumbebat.

Mabillon, Unde *Johannes Mabillonius* in præfatione prima ad Sec. IV. Benedictinum laudavit quidem Diſſertatoris eruditionem, nihilominùs mediam & tutiorem iniit viam, uncias decem & octo diurnæ Benedictinæ heminæ tribuens. Et certè non timendus eſt exceſſus aut abuſus, ſi decem vel duodecim vini uncias ad prandium, & ſex vel octo ad cœnam conceſſeris. Id nihilominùs timuit Gallicus Diſſertator: quapropter anno 1688. alteram libelli ſui *De hemina vini, & libra panis Benedictina* editionem publici juris fecit, in qua nonnullis quidem mutatis, primam ſententiam ſine novis probationibus propoſuit, nonnulla interim ſubjungens reſponſa ad prædictam *Mabillonii* præfationem, ſolo veritatis intuitu, uti ipſe teſtatur, non contentionis aut vincendi ſtudio; quamvis de victoria ſibi non ſemel blandiatur, adeò validè, ut ipſe ſibi perſuadet, reſpon-

(r) Vide ſuprà Stephani Pariſienſis hac de re ſententiam.

ſpondens objectis, ut in poſterum nullus ſit deinceps inſurgendi locus.

Hanc ſecundam ejus lucubrationem cùm legiſſet Præfationis auctor, & requiſitus, quid de ea ſentiret, pro innata ſibi modeſtia humiliter reſpondit, non deeſſe ſibi argumenta, atque auctoritates veterum Scriptorum, quibus tota Diſſertatoris diſputatio cum ſuis reſponſis ſubvertatur; *at nolle ſe heminæ ac potationis patronum exhibere.* At enim quod *Mabillonius* facere noluit, faciendum ſibi exiſtimavit *Edmundus Martene* in Comment. in S. Regulam S. P. B. ubi re penitiùs diſcuſſâ Diſſertatorem validè refutavit pag. 539 - - 546.

Martene de libra panis & hemina vini. *De libra panis & menſura potûs*, quas S. Benedictus ſuis ſtatuit, difficultas verſatur, inquit *Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. VI. cap. VI. art. V. pag.* 462. *col.* 1. inter Patres Benedictinos, & alios quoſdam viros eruditos. Nec ipſi Benedictini *D. Jacobus du Breul*, *D. Petrus du Mas*, *D. Hugo Menardus* inter ſe conſentiunt. Unde P. Mabillonii *Diſſertatio de libra panis & hemina vini* extat præfat. 1. in ſec. IV. O. S. B. to. 1. ubi ab ipſo alius libellus memoratur, qui hoc argumentum egregiè illuſtrat, de hemina vini & libra panis Benedictina anno MDCLXVII. Gallicè Pariſiis editus, cujus auctor, inquit vir eruditus, poſtquàm de Ordine S. Benedicti meruit ſtudio atque opera ſua, nunc in eodem Ordine ipſe meretur ſub ſevera ejusdem Regulæ diſciplina.

Franciſc. Lamy, FRANCISCI LAMY è Congr. S. Mauri *Paraphraſis* Gallicè ſcripta in hæc verba, quæ in religioſa profeſſione ſecundùm Regulam S. Benedicti adhibentur; *Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum &c.* 24. Pariſiis 1687.

Finckeneis, BASILII FINCKENEIS, Aſcetæ & Theologi ad S. Lambertum in Stiria *Inſtrumenta Virtutum*, ſeu *Bonorum Operum*, id eſt: Septuaginta ſelectiſſimarum Virtutum & bonorum Operum genera à S. P. Benedicto conſcripta & præſcripta in ſacræ Regulæ cap. IV. Partes IV. 8. Viennæ Auſtriæ 1691. typis Joan. Jac. Mann.

Mabillon de vocabulo, *Miſſe* &c. JOANNIS MABILLONII è Congreg. S. Mauri *Traité, ou l'on refute la nouvelle explication, que quelques Auteurs donnent aux mots de Meſſe, & de Communion dans la Regle de S. Benoît.* i. e. *Tractatus, in quo refutatur modus, quem quidam Autores ad explicanda Regulæ Benedictinæ vocabula*: MISSA & COMMUNIO *nuper adhibuerunt.* 12. Pariſiis an. 1689. Illuſtriſſimus quidam Abbas ſcripſerat Gallico idiomate Commentarios in Regulam S. Benedicti, in quibus contendebat, nullam in tota Regula mentionem fieri Sacrificii Euchariſtici, Communioníſque Sacramentalis, ac proinde voces *Miſſæ* & *Communio*, quibus utitur ſanctus Patriarcha Regulæ ſuæ capitibus XXXV. & XXXVIII. à vulgata acceptione detorquendas eſſe, ut priori ſignificetur divinorum Officiorum concluſio, ſeu finis; poſteriori, pauculum panis & vini, quod à lectore menſæ ſumitur ante lectionem, in ſignum eccleſiaſticæ comunionis cum fratribus ſuis, quibuscum edere non poteſt. Violenta quidem & toti contextui repugnans videbatur hæc explicatio: cùm tamen illuſtriſſimi Abbatis Commentarius typis editus non eſſet, ſed à multis exſcriptus duntaxat & lectus, facilè diſſimulari potuiſſet, niſi doctiſſimus Auctor Diſſertationis Gallicæ de hemina vini, quam ſuis indulget S. Benedictus, in ſecunda editione in Abbatis ſententiam, ſua retractata, non modò iviſſet, ſed & pro ea decertâſſet, quem non multò pôſt ſubſecutus eſt alter, qui Regulam è Latino in Gallicum ſermonem convertit. Veritus Mabillonius ne nova hæc opinio, à conſtanti totius Ordinis traditione diſcedens, & communi interpretum Regulæ ſententiæ repugnans, latiùs ſerperet, eam ſcriptis coërcendam eſſe ſibi putavit. Tractatum proinde patrio ſermone edidit anno MDCLXXXIX. in quo novam eorum auctorum explicationem confutat, nullâque ſolida ratione niti poſſe demonſtrat. Argumenta verò petit tum à priorum monachorum, ſancto Benedicto antiquiorum, praxi, tum à communi totius Ordinis diſciplina, tum ab interpretum ferè omnium ſententia: oſtendítque eum in monaſteriis morem ſemper obtinuiſſe, ut ſingulis Dominicis ac feſtis diebus monachi Evchariſtiæ Sacrificio intereſſent, ſacráque Comunione Chriſti Corporis reficerentur: eos verò fratres, qui coquinæ & refectorio deſerviebant, & lectorem menſæ, quibus indultum erat, ut pauculum panis & vini (quod *Mixtum* vocabatur) ante refectionem ſumere poſſent, *ne grave eis eſſet jejunium ſuſtinere*, *Mixti* ſumptionem iis diebus poſt *Miſſas & Communionem*, id eſt, poſt Miſſæ ſacrificium, & comunionem evchariſticam, quæ à jejunis percipienda erat, diſtuliſſe: tum verò lectorem *Mixtum* ſum-

pſiſſe *propter Communionem ſanctam*, ne ipſa lectione, & contentione vocis periculo ſacras particulas expuendi objiceretur. Hæc ferè Tractatûs ſumma. *Renat. Maſſuet in vit. Mabillonii.*

Aliæ Diſquiſitiones. EJUSDEM *Diſquiſitio*: *Num in Regula S. Benedicti manualis labor præcipiatur, tanquam eſſentialis, & citra quamcumque immunitatem obligatio?* extat Tract. de Stud. Monaſt. vol. 2. art. XXIII. §. IV.

EJUSDEM *Diſquiſitio*: *An ſtudium literarum ſubſtitui queat loco operis manualis?* Tract. de Stud. Mon. Vol. 1. cap. XIV.

Claudius de Vert. CLAUDII DE VERT, Monachi ex antiqua Obſervantia Cluniacenſi *Diſſertation ſur le mots de Meſſe & de Communion*, i. e. *Diſſertatio de verbis Miſſæ & Communionis.* Pariſiis 1694. in 12. *Claudium* nonnihil feriebat *Mabillonii* Tractatus; unde illum confutare aggreſſus eſt, ſed verbis (ſæpiùs parùm urbanis & inofficioſis) ac confidentia, quàm argumentis & rationibus graviori; in qua proinde refellenda à contentione ſemper abhorrens Mabillonius otio abuti noluit; quamvis juſtæ querelæ locus eſſe potuiſſet, quòd Auctoris Tractatûs nomen ideò ſibi ignotum eſſe diſſimulâſſet Diſſertationis Auctor, ut inciviliùs appetere poſſet. *Maſſuet* l. c.

Explicatio Capitis 48. Reg. Benedict. EJUSDEM *Explication du Chapitre 48. de la Regle de S. Benoît, pour ſervir d'eclairciſſement à la queſtion des Etudes Monaſtiques.* i. e. *Expoſitio Capitis 48. Regulæ S. B. pro elucidanda Quæſtione de Studiis Monaſticis*, Pariſiis. 1694. in 12. Autor hanc opellam vulgavit ſub nomine Fratris *Columbani*, pro tuenda D. Abbatis Trappenſis ſententia: fundamentum ſuum ponit in ſacra Regula, quæ ex ejus mente pro ſtudiis nullum tempus reliquum fecit. „ At enim „ falsò ſupponitur, inquit D. *Nicolius*, temporis anguſtias ſtudiis obſtitiſſe; nam ſi rectè calculum ineas, „ aliter definies. Ad binas lectionis „ horas, quæ æſtivo tempore dabantur, adjiciendæ ſunt, quæ ſequuntur. Una ampliùs hora tempore „ Quadrageſimæ. Secundò, Operis „ manualis, quod Dominicis & feſtis „ diebus ceſſabat, intervallum, quinque ſcilicet adauctæ horæ ſpatio „ plusquàm duorum menſium. Tertiò, tempus, quod inter Matutinum „ & Laudes fluebat, tunc cùm dividebantur, quod tota hyeme obtinebat. Quartò, tempus Nonam inter & Veſperas à Feſto ſanctæ Crucis uſque ad Paſcha. Quintò, hora „ meridiana, quam vel per ipſam Regulam ſtudio transfigere licebat. Ut „ dici poſſit ultra quatuor in diem horas ad ſtudendum fuiſſe. „ *Vid. Hiſtorio Diſſidii Literarii circa Studia Monaſtico.* Item *Mabill. Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art. 23. §. 4. p. 160.*

De volatilium eſu. EDMUNDI MARTENE è Congreg. S. Mauri *Diſquiſitio, num S. Benedictus in Regulæ ſuæ Capite XXXIX. volatilium eſum conceſſerit?* Autorum ſententiæ tres in claſſes dividi poſſunt. Prima eorum, qui cenſent ſolas quadrupedum carnes à S. Benedicto interdictas eſſe, volatilibus conceſſis. Secunda eorum, qui dicunt tam ſanis quàm infirmis vetitas eſſe volatilium carnes, ſolis quadrupedibus iſtis pro reparatione conceſſis. Tertia eorum, qui ſuſtinent, tam volatilia quàm quadrupedia ſanis prohibita, utraque verò infirmis permiſſa. Rem tamen P. Martene hîc pro certo non definit, ſat eſſe exiſtimans, trium ſententiarum momenta promere, ut quam ſibi arridere viderit, quisque liberè ſequi poſſit. Vid. ejus Comentar. in Reg. c. 39. p. 523. ſeq.

De labore manuali. EJUSDEM *Diſquiſitio*, *an Monachi à labore, quem S. Benedictus in Regula præſcribit, diſpenſari, & ſtudiis applicari poſſint?* extat in ejus mox laudato Commentario cap. 48. p. 627. Author etſi perſuaſum habeat, inſtituta à S. Benedicto in ſuis monaſteriis ſcientiarum Gymnaſia fuiſſe, nec poſſe ſtudia ex clauſtris Monachorum expelli, quin ſimul & à ſancti Patris mente, & ab ejus Regula diſcedatur, hanc tamen in ſuo Commentario quæſtionem ita verſat & agitat, ut litem abſolutè non dirimat, ſed quia utraque ſententia ſuas habet rationes, ſuos patronos & defenſores, quorum & religioni & virtuti non deferre minimè poſſit, utrisque etiam hîc argumenta depromere contentus eſt, liberum cedens æquis lectoribus, quam ex duabus voluerint amplecti ſententiam.

Otto Aicher. OTTONIS AICHER è S. Vito cis Rottam in Bavaria multis annis Ethicæ Profeſſoris in Univerſitate Salisburgenſi *Annotationes in Regulam S. P. N. Benedicti ex diverſis ejusdem Regulæ Commentotoribus deductæ.* Fol. MSs. Quod Opus haud minùs luce publica dignum exiſtimandum eſt, quàm quæ alia permulta Author doctiſſimus magna eruditionis & doctrinæ laude typis exſcribenda dedit.

ANO-

Anonymus San-Blaſianus,

ANONYMI è Congregatione, ſeu Aſceterio Principali S. Blaſii in Sylva Hercynia, *Diſquiſitio, an S. Benedictus in Regulæ ſuæ cap. 39. ita carnis eſum prohibuerit, ut ne volatilia quidem excepta fuerint?* extat in præfat. *ad veterem Diſciplinam Monaſticam* §. *II. de volatilibus pag. XIII.* Porrò vetitum non fuiſſe, tribus argumentorum generibus effici poſſe exiſtimavit Diſquiſitor. Primum ſuppetit Regula ipſa: alterum praxis & uſus Ordinis: tertium Scriptorum authoritas. Poſteà quidquid objici poteſt, diluere conatus fuit. Si *D. Euſebio Amort*, Canonico Regulari, fidem habemus, hujus Diſquiſitionis auctor eſt *Vincentius Thuillierius* è Congr. S. Mauri. Ita enim in Polycrate Gerſenſi pag. 42. ſcribit: *Idem Thuillierius, quod neſciunt plurimi, author Diſſertationum, quæ libro de antiqua Diſciplina Monaſtica præfixæ ſunt.* Quisquis hujus Diſquiſitionis ſit author, eam *Bernardus Pezius* Diſſert. Iſag. in Tom. 2. Theſ. Anecd. Noviſſ. Obſervat. præv. ad Part. 2. n. IX. p. XXXIV. inter *laxas recentiorum interpretationes* numerare videtur. PEZII exclamationem, quâ nec Joannis in eremo locuſtas & mel ſylveſtre comedentis vehementior eſſe poteſt, adſcribere nolim.

§. VI.

Qui lucubrationes ad S. Regulæ comendationem praxin & uſum ediderunt.

Simplicius,

S. SIMPLICIUS, tertius poſt S. P. Benedictum Caſinenſis Abbas, cùm eſſet Poëticâ arte eruditus, Regulæ Benedictinæ laudes atque promulgationem carminibus celebravit, quæ ab idoneis referuntur auctoribus. *Vid. Gattola Hiſt. Caſ. Sec. I. P. IV. pag. 12. col. 2.*

Paulus Diaconus,

PAULI DIACONI *Epiſtola de Regula S. Benedicti ad Carolum M.* ſcripta nomine Theodemari Abbatis Caſinenſis extat apud Angelum à Nuce, in notis ad Leonis Oſtienſis lib. 1. cap. 12.

Smaragdus,

SMARAGDUS, Abbas S. Michaëlis in agro Virdunenſi S. Regulam verſibus ornavit, ſuóque eos præmiſit Commentario.

Guilielmus,

GUILIELMUS, Affligemenſis Prior in Brabantia circa annum 1260. ſcripſit *Librum de Obſervantia Regulæ S. Benedicti.* MS.tum

Arſenius,

ARSENII, Belgæ, Leodienſis, è Congr. Caſinenſi ſemel atque iterùm ejusdem, tum adhuc dictæ S. Juſtinæ de Padua, Præſidis, anno 1457. demortui *Epiſtola ad D. Jo. de Turrecremata S. R. E. Cardinalem anno* 1442. *pro Commentatione Regulæ S. Benedicti*, quæ excuſa eſt, & præfixa Commentariis in noſtram Regulam ejúsdem Cardinalis Turriscrematæ, & iterùm Mediolani anno 1664. per Julium Cæſarem Malateſtam in Chronico Abbatiæ Florentinæ à Placido Puccinello compoſito pag. 124. & ſeqq. Quamvis ibi alii cuidam Arſenio Florentino pro Leodienſi epiſtola hæc perperàm tribuatur, & Cardinalis *Dominicus Capranica*, pro *Joanne de Turrecremata*, Regulæ noſtræ Commentator dicatur. Armell. Bibl. Caſ. part. 1. p. 58.

Carolus Fernandus,

Carolus Fernandus, Belga, Brugenſis, ab ineunte ætate cœcus, tantum in ſtudiis progreſſum fecit, ut Oratoris, Philoſophi, ac Theologi ea tempeſtate inſignis laude celebratus ex publico ſalario ſacras literas Lutetiæ ſit interpretatus. Pòſt nuntio rebus terrenis miſſo, Monaſticen Benedictinam in Vincentino Cœnobio apud Cenomanos amplexus, ac profeſſus, ſcripſit ad Sagienſes Monachos *de Obſervatione Regulæ Benedictinæ Epiſtolam Parænéticam*, id eſt, admonitoriam, quæ Pariſiis apud Badium Aſcenſium typis excuſa fuit, anno 1512. non verò, ut Hæſtenus ſcribit, an. 1516.

Varnerius,

JULIANUS VARNERIUS, de antiqua Regulæ Benedictinæ praxi librum Gallicè compoſuit, teſte Edmundo Martene in Coment. in ſac. Reg. c. 55. pag. 700.

Benard,

LAURENTII BENARD Liber, cui titulus: *De l'eſprit de la Regle de St. Benoît, en quoi il conſiſte, & des moyens pour l'aquerir*: id eſt: *De ſpiritu Regulæ S. Benedicti, in quo ille conſiſtat, & de mediis illum acquirendi. Pariſiis anno* 1616. Auctor proprium illius ac peculiarem eſſe ſpiritum dicit Obedientiam. Libro autem ſuo ſubjecit Apologiam ſacræ Regulæ.

EJUSDEM *La Police reguliere tirée de la Regle de St. Benoît.* id eſt: *Politica Religioſa deprompta ex Regula S. Benedicti.* An. 1619. Pariſiis apud Petrum

Giffart. Liber complectitur 24. Paræneſes, in quibus agitur de uniuscujusque vocatione, ſtudiis, opere manuali, hoſpitalitate Monachorum, atque iis omnibus, quæ ad regimen attinent monaſticum. le Cerſ. Bibl. Hiſt. Crit. pag. 18.

Philippus François, PHILIPPUS FRANCOIS è Reformata Congregatione SS. Vitoni & Hidulphi, Novitiorum ejusdem Congregationis Director, ac deinde Prior, & Abbas Monaſterii S. Agerici Virdunenſis, varia ad Ordinis utilitatem compoſuit, atque inprimis *Meditationes* in totam Regulam, quas *Laurentius Viſetius*, Benedictinus Malmundarienſis Latio donavit; *Carolus* verò *Stengelius* è Bibliotheca Weingartenſi año 1623. typis vulgavit. Prodierunt etiam hæ Meditationes in Germanicum idioma translatæ à *Fortunato ex Comitibus de Wolckenſtein,* Conventuali Eremitano, in Helvetia typis ejusdem Monaſterii, & noviſſimè an. 1730. Pediponti in 8. ex officina Joannis Franciſci Hanck. Scripſit etiam *Directorium ſpirituale* ex Regula S. Benedicti ad Novitios inſtituendos, Coloniæ excuſum anno 1653. in 12. & alia.

Angelus Perfectus, ANGELI PERFECTI, Neapolitani, in Cœnobio patriæ urbis ad S. Severinum anno 1622. Profeſſi *Direttorio Monaſtico per la riſoluzione de' dubbj di coſcienza nell' obſervanza della Regola Benedettina*, id eſt, *Directorium Monaſticum pro reſolutione dubiorum conſcientiæ circa obſervationem Regulæ Benedictinæ.* Opus Mſs. quod ſe vidiſſe anno 1718. in ejusdem Monaſterii Bibliotheca ſig. num. 328. teſtatur Armellinus Bibl. Caſ. part. 1. p. 43.

Benedictus à S. Joanne, BENEDICTUS *à S. Joanne* è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi librum edidit de Benedictionibus & Gratiis à Deo conceſſis Ordini S. Benedicti, & de *Excellentia Regulæ* ejusdem Sancti. Pariſiis anno 1629. Hæſten. l. c. pag. 163. col. 2.

Alphonſus de Leon, ALPHONSUS de LEON, Hiſpalenſis Abbas, in patriæ urbis Monaſterio, dum in Monte Serrato Monachum ageret, in lucem dedit *Advertencias ſelectas de la Vida Eſpiritual en la Regla de ſan Benito Maeſtro univerſal de ſantitad y diſcretion.* id eſt: *Animadverſiones ſelectæ Vitæ ſpiritualis in Regula S. Benedicti, Magiſtri univerſalis Sanctitatis & diſcretionis, Barcinone*, 1637. *in* 4. Nic. Ant. Bibl. Nov. Hiſp. pag. 25.

Hæftenus, BENEDICTI HÆFTENI *Monaſticarum Diſquiſitionum Liber ſecundus*, SCHOLA DOMINICI SERVITII, ſive de *Ipſa S. P. N. Regula.* Auctor librum in octo Tractatus diſpeſcuit. *Primo Tractatu* agitur de Regula, ut ab ipſo S. Benedicto eſt ſcripta: de qua inquiritur: *Primò*, Quam Regulam ſecutus ſit S. Benedictus, antequam ſuam conſcriberet? *Secundò*, cur eam ſcripſerit? *Tertiò*, Quo tempore & loco? *Quartò*, Quoties ſcripta, & quibus locis aſſervata? *Quintò*, An in capita diſtinxerit, titulóſque præfixerit? *Sextò*, quæ eorundem Capitum connexio: *Septimò*? Quis Regulæ ſtylus? *Octavò*, Cur ſuæ S. Baſilii Regulam præponat S. Benedictus? *Nonò*, Quænam illa Baſilii Regula? *Decimò*, Quæ ultima Regulæ S. Benedicti verba?

Tractatu ſecundo agitur de Regulæ S. Benedicti nominibus: explicatur igitur *Primò*, cur Regula S. Benedicti Lex appelletur? *Secundò*, Quanta inter Moyſen, Legislatorem, & S. Benedictum ſimilitudo? *Tertiò*, Quæ inter Moſaicam & Benedictinam Legem, ipſúmque Evangelium comparatio? *Quartò*, cur Regula S. Benedicti dicatur jugum? *Quintò*, Cur minima inchoationis Regula? *Sextò*, cur appellata ſancta, & SS. Patrum? *Septimò*, quæ alia ejus nomina.

Tractatu tertio agitur de Regulæ præſtantia, de qua diſquiritur, *Primò*, An ſit à Spiritu ſancto? *Secundò*, Quàm ſuavis S. Benedicti Regula? *Tertiò*, Quàm diſcreta? *Quartò*, Ut omni hominum generi Regula S. Benedicti ſit accomodata. *Quintò*, Quàm plena S. Benedicti Regula? *Sextò*, An S. Benedicti Regula ſit ſpiritualis & interna? *Septimò*, An Regula S. Benedicti ſit perfecta? *Octavò*, Qualis inter S. Benedicti & aliorum Sanctorum Regulas collatio?

Tractatu quarto agitur de utilitate Regulæ S. Benedicti. Diſquirit igitur Author *Primò*, Quàm ea utilis? *Secundò*, an perducat ad regnum cœlorum? quo cùm nihil utilius eſſe poſſit, meritò acquieſcit.

Tractatu quinto agitur de Regulæ approbatione & auctoritate. *Primò* igitur quæritur, quàm variè Regula S. Benedicti approbata? *Secundò*, Quanta ejusdem auctoritas? *Tertiò*, Quibus verſibus celebrata? *Quartò*, Qui Commentariis, vel quovis modo eum illuſtraverint?

Tractatu ſexto agitur de Regulæ S. Benedicti receptione. *Primò* igitur diſquiritur, Num S. Benedictus Regulam ſuam promulgârit, & ſecundùm eam vixerit? *Secundò*, An eam, quæ

ante

ante S. Benedictum erant Monaſteria, paſſim receperint? *Tertiò*, An toti mundo ſcripta, toto orbe ſit promulgata? *Quartò*, quinam Ordines ſub ea militent? *Quintò*, quantum Regula & Ordo S. Benedicti aliis Ordinibus profuerit.

Tractatu ſeptimo agitur de fine ac ſcopo Regulæ S. Benedicti: conſideratur igitur *Primò*, Quis Regulæ S. Benedicti finis? *Secundò*, quis ſcopus, ſive proximus finis? *Tertiò*, An Regulæ huic conſona Anachoretica vita? *Quartò*, An & illa, quæ proximorum vacat ſaluti? *Quintò*, An vitæ activæ exercitia comprehendat? *Sextò*, Quis Regulæ, Ordinísque noſtri ſpiritus?

Tractatu octavo agitur de ejusdem obligatione & obſervantia: inquiritur igitur *Primò*, quæ Regulæ S. Benedicti obligatio? *Secundò*, Quanta eam ſervandi neceſſitas? *Tertiò*, Quanta dignitas & utilitas? *Quartò*, Quibus mediis Superiores Regulæ obſervantiam tueri poſſint? *Quintò*, Quanto amore & honore proſequenda Regula? *Sextò*, Quanto ſtudio legenda & meditanda? *Septimò*, An memoriæ mandanda? *Octavò*, Ut opere adimplenda? *Nonò*, Quàm exactè, & quo zelo ſervanda? *Decimò*, Ut Monachorum opera ad Regulæ amuſſim exigenda?

Tractatus hos Mantiſſæ loco excipit *Catechiſmus Monaſticus*, ſive Doctrinæ S. Benedicti Synopſis Analytica duabus conſtans Partibus, quarum prima Monachi Rudimenta traduntur, altera ejusdem Officia explicantur. Recuſus fuit typis Bambergenſibus in 12. Anno 1713. operâ & ſtudiô R. P. *Stanislai Sczygielsky*, Benedictini Tinecenſis in Polonia.

Vigellius, PLACIDUS VIGELLIUS, Abbas Augiæ Majoris Brigantinæ, ſcripſit *Expoſitionem Vocabulorum peregrinorum* in Regula S. Benedicti, Opus MS.

Albertus S. Pauli, *Albertus*, Abbas S. Pauli in Carinthia. Clagenfurti in lucem editus, quamprimum annum ætatis vigeſimum attigit, ut ſibi aliisque cumulatiùs prodeſſet, ſuam caſtitatem, arbitrii, rerúmque terrenarum abdicationem Deo ſolennibus votis dedicavit, anno MDCLX. à quo tempore etiam ceu ſpeculum conſummatæ probitatis inter ſuos eluxit. In literis & ſcriptionibus aſſiduus, poſt officia Subprioris, Parochi ad S. Martinum & Præfecti in Dominio Lembacenſi, ubi ſimul Theologiam ſpeculativam diſcipulis tradidit, Abbas eligitur anno MDCLXXVII. Scripſit inter alia plura *Concordantias Regulæ S. P. Benedicti*, in 8. typis vulgatas, an in manuſcripto adhuc delitescentes? Author Hiſtoriæ Univerſitatis Salisburg. p. 245. memoriæ non prodit.

Ricciolus, NICOLAI RICCIOLI, Siculi, Catanenſis, S. Nicolai de Arenis ibidem Aſcetæ, Inſtitutoris & Abbatis Perpetui Cœnobii Caſtro-Caſinenſis noviter in Lithuania erecti à Clemente X. Pont. Max. renuntiati,

Summa Monaſticæ diſciplinæ ex Regula S. P. Benedicti; Quæ mſ. æquè ac impreſſa plurium Monachorum manibus teritur; ejúsque aliquot exemplaria in Catanenſi Monaſterio aſſervantur, teſte Bartholomæo de Alexandro à Paternione in Chronico mſ. Monaſterii Catanenſis, ubi de eo agit. Vid. Armell. l. c. part. 2. pag. 114.

Morellus, ROBERTI MORELL è Congr. S. Mauri *Meditations ſur la Regle de St. Benoît pour tous les jours de l'année*, id eſt: *Meditationes ſupra Regulam S. Benedicti pro totius anni diebus. Pariſiis anno* 1717. *in* 8.

RUPERTI PRESINGER, Prioris venerabilis vitæ ad S. Petrum Salisburgi, *Octo Conſiderationes ſuper Regulam S. Benedicti.* Tegernſee an. 1720. in 12.

Erhard, THOMÆ AQ. ERHARD, Monachi Weſſofontani è Congr. Bavarica *Concordantiæ Novæ* in ſacram Regulam Sanctiſſimi ac Glorioſiſſimi Patris gratia & nomine Benedicti, in Rei Monaſticæ commodum publico datæ Auguſtæ Vindelicorum in 8. typis Antonii Maximiliani Heiſs, Sumptibus Joannis Strötter, Bibliopolæ an. 1723.

Metra de ſingulis Capitibus S. Regulæ manuſcripta aſſervantur in Bibliotheca Lunælacenſi. Vid. Catal. Claſſ. V. pag. 383.

SECTIO

SECTIO II.

Alia Opuſcula S. P. Benedicto adſcripta.

PRæter Regulam à S. Benedicto ſcriptam, nullum aliud ei aut Gregorius Magnus, aut Honorius Auguſtodunenſis, aut Sigebertus Gemblacenſis adſcripſerunt. Addit Trithemius lib. 2. de Vir. Ill. O. S. B. *Fertur etiam breves quaſdam ſcripſiſſe epiſtolas, de quibus nihil certi poſſum adſtruere.* Ut autem prioris magiſter eſt poſterior dies: ita recentiorum ſtudio ac diligentia, nonnulla jam pridem ex antiquitatis tenebris eruta editáque ſunt Opuſcula, quæ ſanctiſſimum Patriarcham videbantur agnoſcere parentem. Sunt autem recenſente *Benedicto Hæfteno* (s) hæc quinque:

I. *Epiſtola ad S. Remigium Rhemorum Antiſtitem.*

II. *Sermo in morte S. Placidi.*

III. *Sermo habitus in diſceſſu S. Mauri, & ſociorum.*

IV. *Epiſtola ad S. Maurum miſſa.*

V. *Ordo qualiter Fratribus in Monaſterio, religiosè converſari oporteat.*

Quæ Opuſcula excuſa etiam habentur tomo VI. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Colonienſis an. 1618. Iterúmque in Auctario, ſive Supplemento Tom. I. pag. 706. & in Lugdunenſi editione an. 1672. Tom. IX. pag. 655. in Pariſienſis editionis ſupplemento Tom. I. apud Ægidium Morellum an. 1639 Verùm cùm non pauci ſint viri eruditi, qui hæc Opuſcula pro legitimo S. Benedicti fœtu non agnoſcant, nos breviter de iis hîc ita acturi ſumus, ut judicium Lectori relinquamus.

Epiſtola ad S. Remigium.

Epiſtola ad S. Remigium Rhemorum Antiſtitem. Hanc Epiſtolam Benedictus Hæftenus Commentario ſuo in vitam S. Benedicti cap. XVI. pag. 121. inſeruit, atque à Baronio in dubium revocatam cum *Petro Thyræo*, *Antonio Yepeſio*, *Balduino Moreou*, atque aliis defendit. Ut illi verò majorem adſtrueret fidem, alteram epiſtolam Monachorum Rhemenſium poſt quingentos annos à S. Benedicti obitu ad Caſinenſes perſcriptam attexuit. Sed hac etiam lecta fides prioris apud Mabillonium ita vacillavit, ut eam ceu ſpuriam planè rejecerit. Ejus (t) verba referre liceat. „Refert in vita S. Remigii Rhemorum Epiſcopi vetus Auctor, *Fortunatus* Hincmaro credi„tus, puellam quandam Toloſanam „à dœmone vexatam, Romam ad B. „Petri ſepulchrum deductam fuiſſe, *ubi quidam Dei ſervus cum auxilio ſacri corporis plurima patrabat ſigna virtutum*, negâſſe tamen dœmonem, ſe ab alio quàm à Remigio expelli poſſe. *Tunc*, inquit Auctor, *parentes ejus & ipſius Benedicti ſervi Dei*, & *Alarici Gothorum Regis offatibus ſuffragati, cum ægrota ſobole ad S. Remigium Antiſtitem pervenerunt.* Legerat hæc verba Hincmarus, cùm in vita ejusdem S. Antiſtitis à ſe interpolata de S. Benedicto iſtud factum explicavit, non S. Remigii Teſtamento malè intellecto, ut putavit Baronius, ſed hocce teſtimonio deceptus. Nam *Benedicti* vocabulum adjectivè hîc, ut ſæpè aliàs * uſurpatum in nomen viri proprium Hincmarus commutavit. Quod etſi ita eſſe concedamus, hunc tamen locum negamus S. P. Benedicto aptari poſſe. Nam ille Dei ſervus, de quo vetus ille ſcriptor, *in Romana urbe degebat ad B. Petri ſepulchrum*, & quidem tempore Alarici Junioris apud Toloſam Gothorum Regis anno Chriſti DVII. extincti: quo tempore Benedictus adoleſcens in ſpecu Sublacenſi adhuc latebat, nec inde in urbem receſſiſſe legitur. Prætereà non probat Baronius, Remigium Epiſcopum in vulgata illa Epiſtola Benedicto Abbati *Fratrem* appellari. Vereor, ne ſatis validum non ſit iſtud argumentum, cùm Friardus Recluſus apud Gregorium Turonicum Epiſcopum (de vit. PP. c. 10.) Fratris nomine Felicem Namnetenſem Epiſcopum compellaverit. Quæ diximus, ſpuriam Epiſtolam omninò demonſtrant. Valeat proinde Epiſtola illa à Monachis S. Remigii Remenſis ad Caſſinates præfixo Benedicti nomine transmiſſa: cujus falſitas vel ex eo deprehenditur, quòd Monachi Remigium ajunt, ſe Caſſinatibus dirigere S. Benedicti ad B. Remigium Epiſtolam eatènus ipſis ignotam, ſenſu quidem genuinam, ſed verbis aliis à ſe *caraxatam.* * Nam ſi illius Epiſtolæ

* Initio ejusdem vitæ *matri ſuæ* BENEDICTÆ *Cilniæ.*

* i. e. *ſcriptam*

(s) in Apend. ad Diſquiſ. Monaſt. p. 1062.
(t) Præfat. in Sec. I. O. S. B. §. 2. n. 43.

... læ verum exemplar habebant, cur mutabant verba auctore ſuo conſecrata? ſi non habebant, quis eis ſenſum revelavit, non verba? aut quomodo tandem nulla apud Caſſinates iſtius epiſtolæ memoria? nimis verborum in his terimus minutiis: at non facilè opiniones præjudicatæ ex animis evelluntur.

Sermo in morte S. Placidi. *Sermo in morte S. Placidi.* GORDIANUS, vel quisquis eſt vitæ S. Placidi ſcriptor; eam memoriæ prodit: Hæſtenus verò vitæ S. Benedicti Commentario à ſe illuſtratæ ad calcem cap. XIII. p. 113. inſeruit.

Sermo habitus in diſceſſu S. Mauri & Sociorum. Fauſtus oculatus teſtis in vita S. Mauri. Hæſtenus in addit. ad Comment. in vitam S. Benedicti p. 173. & 174.

Epiſtola ad S. Maurum miſſa. Fauſtus l. c.

Ordo monaſticus. *Ordo qualiter Fratribus in Monaſterio religiosè converſari oporteat.* Auctores, qui hoc Opuſculum S. P. Benedicto adſcribunt, ſunt Arnoldus Wion, Anſelmus Rolle, Balduinus Moreau, Chryſoſtomus Henriquez, Antonius Yepez, Aſcanius Tamburinus, Andreas Salazar, Editores Bibliothecæ Patrum, & alii; ſatis tamen Benedictus Hæſtenus, non eſſe genuinum S. Benedicti Opuſculum oſtendit, primùm quia priſci ſcriptores ejus non meminerunt, tum quia S. Benedictus Anianenſis illud in *Concordia Regularum* citâſſet, & ex eo Regulæ textum non ita clarè expreſſum elucidâſſet; deinde quia in ipſo hoc ſcripto quædam occurrunt verba, quæ ſuſpicionem ingerunt, cur S. Benedicto non videatur tribuendum, quæ quidem Hæſtenus ſuis locis in Notis expreſſit: præterea, ut aliæ rationes prætermittantur, Authores quidam non adeò conſtanter S. Benedicti eſſe volunt, quin ſuam de oppoſito formidinem ſatis prodant. Sic enim Domnus Anſelmus Rolle ſcribit: *Credendum hujusmodi ordinationes valdè eſſe antiquas, & ſi non ſint ſancti Benedicti, fuiſſe ſaltem antiquiſſimi noſtræ Galliæ cœnobii pias & ſanctas Conſtitutiones.* Hæſtenus igitur non improbabili conjectura, ut opinatur, *Benedicto* juniori, Anianæ Abbati, ab antiquis *Benedictus ſecundus*, appellato, & certè poſt ſanctum Legislatorem nulli ſecundo adſcribit. Quem etiam ejus authorem agnoſcit *Mabillonius*, aut potiùs *Euticium* Abbatem, qui ex beatorum Patrum Regulis & Inſtitutionibus diverſas conſuetudines ſumpſit, unóque volumine colligavit, referente Joanne Monacho. Sed quicunque illius Author ſit, nobis demonſtrandum fuit, non eſſe illius parentem S. Benedictum.

Ludovici Meſnil opinio rejicitur. Unde R.P. *Ludovicus du Meſnil* S.J. audiendus hîc minimè eſt. Is enim *Doctrinæ & Diſciplinæ Eccleſiæ lib. 27. tom. 3. p. 208.* de Regula S. Benedicti in hæc verba non ita pridem ſcripſit: „ Illius exemplaria, quæ nunc habemus, inter ſe non conveniunt. Illius vetus manuſcriptum Caſſinenſe, „ quod ab ipſo originali dicitur extractum, habetur in Bibliotheca maxima Patrum, & inſcribitur: *Incipit ordo, qualiter fratres in monaſterio religiosè ac ſtudiosè converſari* * *debeant*, non convenit cum exemplari, „ quod edidit Lucas Holſtenius. Hæc regula poſterior videtur eruditior, „ & quædam continet, quæ illorum temporum ſimplicitati parùm conveniunt, præſertim ut Abbas coquinam, & hoſpitium ab aliis diſtincta habeat, & menſa ejus cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper, „ quoties autem minùs ſunt hoſpites, „ quos vult de fratribus vocare, ſit in ipſius poteſtate, quæ ſunt recentioris inſtitutionis. In antiquo verò „ ordine legitur: Qui miniſtrat à noviſſimo incipiat, & usque ad Dominum Abbatem miniſtrando perveniat. . . . *Data benedictione in communi exſpectent, ut Abbas priùs accipiat.* „ Hæc ille. Quæ Benedictini verò, qui nullam, niſi unicam Regulam, LXXIII. Capitibus comprehenſam, à S. Gregorio M. Pont. Max. viſam, lectam, approbatam, à Patribus in Conciliis, ut *Sanctam* laudatam agnoſcunt, minimè ſibi ferenda exiſtimant. Obtruduntur nobis audaciùs, quàm par eſt, & auſu planè temerario à Patre Meſnilio duæ Regulæ, una prior & ſimplicior, altera poſterior & eruditior. Priorem vocat *antiquum Ordinem*; cujus tamen auctorem non eſſe S. Benedictum, ex Hæſteno commonſtratum fuit. Hæc S. Gregorio M. nec viſa, nec lecta, nec approbata fuit, multò minùs Monachis, ut eam ſervarent, propoſita. Poſterior eſt, quam quidem *eruditiorem* vocat, ſed quædam tamen continere dicit, quæ ſimplici S. Benedicti ævo parùm conveniant. Quænam illa? nempe quòd cap. 53. dicatur, quòd *Coquina Abbatis & hoſpitium per ſe ſit, ut incertis horis ſupervenientes hoſpites, qui nunquam deſunt monaſterio, non inquie-*

* ac Domino militare oporteat.

tent Fratres. & cap. 56. *Menſa Abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper, quotiens tamen minùs ſunt hoſpites, quos vult de fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate.* Sed optandum fuiſſet, ut vir doctus Commentarios in Regulam Benedictinam, & ſpeciatim in cap. 53. & 56. cùm veteres tum noviores *Hildemari*, *Smaragdi*, *Edmundi Martene*, *Auguſtini Calmet* legiſſet, quàm criticum iisdem unguem impreſſiſſet; neque enim, ut ipſe in Regula Benedictina magìs hoſpes & peregrinus, quàm verſatus, exiſtimat, hæc duo Capita recentioris ſunt inſtitutionis. Qui *Concordiam Regularum*, à S. Benedicto, Anianenſi Abbate, concinnatam, legit, facilè intelligit, prædicta duo Capita Benedictinæ Regulæ de *Coquina* & *Menſa Abbatis* veterum Patrum inſtitutis ac Regulis concordare. Equidem ſunt Abbates, qui ex binis hiſce Capitibus argumentantur, menſam Abbatis extra refectorium debere eſſe, ſed hos *Hildemarus*, antiquiſſimus & fundatiſſimus S. Regulæ Explanator *Abbates* vocat *carnales*, *quorum olla cum fervet, cacabus congregationis alget.* Verùm hæc hujusmodi huc non pertinent.

Quidquid igitur ſit cùm de hoc, tùm de aliis Opuſculis, quæ à S. Benedicto lucubrata eſſe non ſatis conſtat, illuſtrem nihilominùs locum inter Scriptores Eccleſiaſticos adhuc obtinet, cùm Regulam ſcripſerit, quæ non ſolùm in Conciliis *Regula ſancta* (u) dicta eſt, ab eodémque, quo ſacri canones ſpiritu condita, & in omnibus Monachorum promulgata cœnobiis, verùm etiam ab ipſis ſeculi Principibus ſingulari ſtudio perſecta, profitentibus, *ſe ex tam prudentibus ſancti Patris præſcriptionibus ad populos ſuæ fidei concreditos valde accomodata media percipere.* Quid igitur de numero librorum ac operum multis diſceptamus? NUMERUM SACRA REGULA PENSAT.

(u) Edm. Martene initio Præfat. Comment. in Sec. Reg. & Mabill. Annal. Bened. l. 3. n. 36. Guido Grandus in Notis ad vitam S. Bononii Abbatis cap. 1.

CAPUT II.

SS. PATRUM ORDINIS S. BENEDICTI CORONA, EORÚMQUE VITÆ AC SCRIPTA.

I. S. GREGORIUS I. Pont. Max.

Obiit A. 604. iv. Idus Martias.

Gregorii natales & educatio.

GREGORIUS cognomento *Magnus* Romæ in lucem circa annum à partu virgineo quingenteſimum quadrageſimum editus eſt, *Gordiano* & *Sylvia* parentibus, non minùs ſplendore generis, quàm morum integritate ac ſanctitate illuſtribus. A teneris omnibus Legis Evangelicæ præceptis innutritus, in omnium virtutum palæſtra, quantum ferebat ætas, imò ſupra ætatem exercitatus & edoctus fuit. Quibus Magiſtris ac Doctoribus uſus fuerit ſanctus puer, ut ad tantum ſcientiæ ac ſapientiæ culmen perveniret, penitus nos fugit. *Literis grammaticis*, inquit Gregorius Turon. lib. 10. hiſt. c. 1. *dialecticis, ac rhetoricis ita erat inſtitutus, ut nulli in Urbe ipſa putaretur eſſe ſecundus.* Linguam tamen Græcam minimè calluiſſe, rarò inter doctos humilitatis exemplo, profitetur Ep. 32. lib. VII. Juris eum fuiſſe peritiſſimum & conſultiſſimum, plurimæ probant ejus epiſtolæ, maximè libri decimi tertii 45. Eadem cum Gregorio Turon. tradit *Paulus Diaconus*, addítque Romæ hoc tempore potiſſimùm floruiſſe literarum ſtudia; nimirùm annitente præſertim magno *Caſſiodoro*, qui in Italia jacentes literas excitaverat, & celeberrimam in ſuo monaſterio Academiam inſtituerat, ut toto ferè libro tertio ejus vitæ à *Garetio* conditæ deſcribitur. Notanda præ cæteris ſunt hæc *Pauli Diaconi* verba: *Inerat ei* (Gregorio) *in parva adhuc ætate maturum jam ſtudium, adhærere ſcilicet dictis majorum; & ſi quid dignum potuiſſet auditu percipere, non ſegniter oblivioni tradere, ſed tenaci potiùs memoriæ commendare. Hauriebátque jam tunc ſitibundo doctrinæ fluenta pectore, quæ poſt congruenti tempore, mellito gutture eructaret.*

Paulo concinit *Johannes Diaconus*, addítque Gregorium fuiſſe *arte Philoſophum.* Quam verò Philoſophorum ſectam ſit amplexus, non aperit. Ethi- Ethicen maximè coluit.

cen

cen ab eo maximè cultam fuiſſe nullus ignorare poteſt, niſi in Operum ejus lectione fuerit peregrinus. Aſtrologiam divinantem, aliáſque curioſas & periculoſas artes nunquam ſectatus eſt. Contra Mathematicos futura prædicere præſumentes inſurgit hom. 10. in Evangelia num.4. & 5. Quod antem ait *Johannes Sarisberienſis* lib. II. de Nugis Curialium c.26. & lib.VIII. c.19. *eum non ſolùm Matheſin ab aula recedere juſſiſſe*, ſed etiam Bibliothecæ Palatinæ, in cujus archivis recondebantur omnium diſciplinarum libri, zelo intempeſtivo ignem admoviſſe, ut major eſſet ſacræ Scripturæ auctoritas, & in ea legenda flagrantius ſtudium; id planè inter nugas & aniles fabulas rejiciendum cenſemus.

Ad dignitates in Urbe evehitur. His virtutibus ornatus, his excultus ſtudiis *Gregorius* mox ad præcipuas Urbis, Senatûs, Reipublicæ dignitates viam ſibi aperuit. *Prætor Urbanus*, ut jus in Urbe ſuprema cum poteſtate diceret, creatus fuit difficillimis temporibus inter aſſiduos armorum ſtrepitus, & inſignes bellorum calamitates; verùm quô tempore magiſtratum hunc auſpicatus ſit, aut depoſuerit, non in promptu eſt ſtatuere.

Vitam Monaſticam amplectitur. Pridem conceptum vitæ monaſticæ deſiderium implere diu diſtulit, utilem ſe ſuis concivibus exiſtimans, meliúſque putans ſeculari habitu contegi, ſub quo ſpecietenus tantùm ſeculo militare ſibi perſuadebat, quàm exteriorem cultum mutare. Poſteà tamen pius Prætor cùm intimos animi ſenſus explorare, ſcrutarique ſæpè conſueviſſet; animadvertit tandem cœleſti lumine illuſtratus, inolitâ ſe vitæ ſecularis conſuetudine devinctum mundique blanditiis irretitum, in ipſis relinquendis moras nectere; neque corpore tantùm, ut falsò putaverat, ſed ipſo mentis affectu in ſeculo retineri. Cuncta itaque ſollicitè fugiens portum monaſterii petiit, & relictis, quæ mundi ſunt, ex hujus vitæ naufragio nudus evaſit, ut ipſe ſcribit ad Leandrum in epiſtola *Libris Moralium* præmiſsâ, ſtatim ab exordio.

Monachus factus eam tenuit vitæ rationem, ut ejus exemplo plurimi in monaſterio profecerint, & ad ſummam ſanctitatem pervenerint. Nec literarum tamen, maximè ſacrarum ſtudia omiſit. *Gregorius*, inquit Johannes Diaconus in vita lib. 6. n. LXXI. *jam dudum in monaſterio poſitus, ubi eum Angelus Domini ſub habitu naufragi ſcribentem repererat, nimirùm quadam*

Ethices maximè coluit.

dictaverat, ut ad expoſitionem tantæ profunditatis, quam in libro Job penetrare potuit, eo parator, quo ex dictandi conſuetudine doctior, perveniret.

Cùm Conſtantinopolim à *Pelagio II.* miſſus fuiſſet, *Eutychii* novam hæreſin compreſſit. Quidquid temporis à negotiis vacabat, illud ſacræ Scripturæ, piiſque ſtudiis impendebatur. Tunc *Leander* Epiſcopus Hiſpalenſis legatione & ipſe fungens apud Imperatorem auctor fuit *Gregorio* exponendi libri Job. Inter præſtantiſſimos illos viros magnam neceſſitudinem adſtrinxerant vitæ monaſticæ communis utriusque profeſſio, par ferè morum ſanctitas, eadem ſtudia. Amiciſſimi viri, nec non fratrum ſuorum precibus cedere coactus GREGORIUS, *ad reſeranda tantæ profunditatis myſteria*, quæ in libro Job latent, ſeſe accinxit, *certus*, inquit, *quia impoſſibile eſſe non poterat, quod de fraternis cordibus charitas imperabat.* *Conſtantinopolim mittitur.*

Romam reverſus *Gregorius*, in monaſterii ſui portum, urbis aulæque tumultum exoſus, iterùm ſe recepit; ubi Abbatis officium rogantibus, imò cogentibus fratribus ſuſcepit. Sancto viro in monaſterii receſſu otium & latebras quærenti, diu tamen iis prorsùs frui non licuit, aut ab omnibus Eccleſiaſticis negotiis feriari. Cùm autem aliquando liberiori otio frueretur, ſuam in Job expoſitionem ad limam revocavit, *multa augens, pauca ſubtrahens*, ut ipſe ait in prævia ad illos libros epiſtolâ. Sed amicam illam quietem turbavit peſtis graviſſima, quæ Romam Italiámque devaſtavit, & *Pelagium* ſummum Pontificem interemit, cujus loco *Gregorius* electus eſt. Quæ verò ſummo in Pontificatu præclarè ac immortali laude digna geſſerit, quibúsque nomen *Magni* promeritus fuit, aliis memoranda relinquo; mihi, quæ ad rem literariam ſpectant, paucis attingere ſufficiat. *Romæ Abbas, primùm, deinde Pontifex eligitur.*

Enimverò magna ſollicitudinis ejus pars fuit in promovendis literarum & optimarum artium ſtudiis, quæ Romæ præſertim, & maximè in Papæ palatio refloreſcere viſa ſunt, cùm neminem in famulitium reciperet, aut in ſodalitium, niſi quem ſingularis vitæ ſanctimonia, vel alicujus artis ex liberalibus non mediocris peritia commendaret. *Tunc*, Gregorio Pontificatum gerente, inquit Johañes Diaconus lib. 2. n. XIII. *Tunc rerum ſapientia Romæ ſibi templum viſibiliter quodammodò fabricabat, & ſeptemplicibus artibus veluti colum-* *Ejus de literis cura.*

nis nobiliſſimorum totidem lapidum Apoſtolicæ Sedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famulantium à minimo uſque ad maximum, barbarum quodlibet in ſermone vel habitu præferebat: ſed togata, Quiritum more, ſeu trabeata Latinitas ſuum Latium in ipſo Latiali palatio ſingulariter obtinebat. Refloruerant ibi diverſarum artium ſtudia; & qui, vel ſanctimonia, vel prudentia fortè carebat, ſuo ipſius judicio ſubſiſtendi coram Pontifice fiduciam non habebat.

Varia ipſius elogia.

Quantæ verò doctrinæ ac eruditionis ipſe *Gregorius* fuerit, ex graviſſimorum Autorum teſtimoniis diſcimus. Hadriano Papæ I. (x) vocatur *egregius Doctor, ſagaciſſimus Verbi Dei indagator.* S. Iſidoro (y) Hiſpalenſi Epiſcopo laudatur *ſcientiæ lumine præditus, ut non modò illi præſentium temporum quiſquam Doctorum, ſed nec in præteritis quidem illi par fuerit unquam.* S. Ildephonſo Toletano Archipræſuli (z) ſi non refragamur, *vicit ſanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, ſapientiâ Auguſtinum.* Honorio Auguſtodunenſi (a *Organum ſancti Spiritis* vocatur. Johañi Trithemio (b) audit: *Vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis utique doctiſſimus, Theologorum Princeps, ſplendor Philoſophorum, & Rhetorum lumen, vita & converſatione integer, atque ſanctiſſimus, cui divinas Scripturas explananti Spiritus S. aliquoties viſibili ſpecie apparuit, eíque arcana myſteriorum earundem inviſibili magiſterio reſeravit.*

Quantus otii & deſidiæ olor fuerit.

Quos libros & multos & præſtantiſſimos conſcripſit, indicio ſunt, quàm otii & deſidiæ fugitans fuerit. *Quod eo magis mirum eſt,* meritò inquit Paulus Diaconus in vit. n. xv. *tot eum ac tanta condere volumina potuiſſe, qui omni ferè juventutis ſuæ tempore, ut verbis ipſius loquar, crebris viſcerum cruciabatur doloribus, horis, momentíſque omnibus fracta ſtomachi virtute laceſſebat, lentis quidem, ſed tamen continuis febribus anhelabat: frequens etiam eum greſſuum dolor vehementer affligebat. Verùm inter hæc dum ſollicitus penſaret, quia, Scripturâ teſte,* OMNIS FILIUS, QUI RECIPITUR, FLAGELLATUR: *quò malis præſentibus duriùs premebatur, eò de æterna certiùs præſumptione reſpirabat. Fatigabat eum prætereà de ordinandis Urbis vigiliis, ne ab hoſtibus caperetur, ſollicitudo continua. Urebant quoque inceſſanter ejus animum filiorum hinc inde diſcrimina nuntiata. Sed tamen ille inter tot & talia deprehenſus incommoda nunquam otio indulgebat, quin aut filiorum utilitatibus inſerviret, aut aliquid dignum Eccleſiæ ſcriberet, aut per contemplationis gratiam cœli ſecretis intereſſet.*

His aſſiduis laboribus non minùs, quàm continuis morbis abſumtus Gregorius tandem anno Chriſti 604. IV. Idus Martias ad optatam quietem tranſivit. Obitus A. 604.

S. Gregorii Opera & ſeorſim & ſimul juncta toties in Italia, Gallia, Germania &c. fuerunt typis excuſa, ut omnes editiones enumerare imenſi laboris eſſet, ac ſupervacanei. Unde S. Doctoris Opera recenſere juvat eo ordine, quô in Monachorum è Congregatione S. Mauri noviſſima editione, quatuor tomis comprehenſa, Pariſiis anno 1705. leguntur. Scripta.

Tomo I.

Continentur Exegetica in Scripturam ſacram.

1. EXPOSITIO IN JOBUM, ſive MORALIUM LIBRI XXXV. *ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum.* Primum locum eruditiſſimi Editores huic Expoſitioni dederunt propter antiquitatem tum Operis (eſt enim omnium, quæ ſanctus Doctor elucubravit, primum) tum auctoris ſacri hoc in Commentario explicati; cùm liber Job aut Moyſen, ut plerique ſentiunt, aut Moyſe antiquiorem parentem habeat. Ex hac editione Editores expungere noluerunt hiſtoriam inventorum à Taione Cæſarauguſtano Epiſcopo Moralium, quamvis non omni ex parte certam habeant.

2. HOMILIÆ XXII. IN EZECHIELEM *ad Marinianum Ravennæ Epiſcopum* diſtributæ in libros duos, ita ut prior XII. poſterior X. complectatur. Cll. Editores numerandi modum diverſum ab eo tenuerunt, qui in aliis editionibus conſpicitur. In excuſis enim eodem modo computantur, ac ſi ad unum eundémque librum pertinerent omnes: ita, ut quæ prior eſt ſecundi libri, dicatur in vulgatis decima tertia. Secùs autem in manuſcriptis codicibus, qui poſt duodecimam prioris libri, eam, quæ præfationem libri poſterioris proximè ſequitur, primam

(x) ad Epiſcopos Hiſpan. Tom. VII. Concil. p. 1017.
(y) Lib. de Script. Eccleſ.
(z) Lib. de Vir. ill. cap. 1.
(a) de Script. Eccleſ.
(b) In Catal. Script. Eccleſ.

mam appellant, & ſic deinceps usque ad decimam. Quibus morem gerendum duxerunt. Alterum verò locum hiſce Homiliis, ut ſanctarum Scripturarum ordinem ſervarent, dederunt.

3.) HOMILIÆ XL. IN EVANGELIA *ad Secundinum Tauromenitanum Epiſcopum.* Illas autem homiliis in Ezechielem eâ ratione ſubjecerunt, quâ in ſacrarum Scripturarum ſerie, libris veteris Teſtamenti, Evangelia & quæquæ ad novum pertinent, poſtponuntur. Alioquin habitas illas fuiſſe, ſaltem aliquas, antequàm S. Doctor Ezechielem Prophetam populo exponere inciperet, legenti primam ſtatim patebit. In calce additur ſermo à S. Gregorio habitus ad plebem *de mortalitate.*

TOMO II.

Continentur Apologetica, pro detrectato curæ Paſtoralis onere; Hiſtorica, nimirùm *Dialogi, Dogmatica,* & *Canonica,* Regiſtrum ſcilicet Epiſtolarum, quibus univerſum penè *Jus Canonicum* continetur.

4.) LIBER DE CURA PASTORALI *ad Joañem Epiſcopum Raveñatem,* in partes quatuor diſtributus. In plerisque à ſancto Pontifice elaboratis, diſtinctio Capitulorum, eorúmque argumenta minimè ad eum ſpectant. At verò ipſum agnoſcunt auctorem, tum integri libri Paſtoralis diſtributio quatuor in partes, tum partium in varia capitula, præfixíque ſingulis capitulis tituli.

5.) DIALOGUS IN QUATUOR LIBROS DISTRIBUTUS Gregorium inter & diſcipulum ejus Petrum *de Vita & Miraculis Patrum Italicorum, & de æternitate animarum.* Multùm ab Editoribus laboratum fuit, ut Græcæ interpretationis emendatiorem editionem procurarent.

6.) *Epiſtolarum ex Regiſtro Gregorii Libri XIV.* Opus haud dubiè præſtans, ac facilè præcipuum. Quibus accedit appendix ad S. Gregorii Epiſtolas. Demonſtratur deinde argumentis S. Gregorii M. Ordo reſtitutus. Subjicitur Epiſtolarum S. Gregorii Geographica diviſio bipartita. Sequitur Epiſtolarum S. Gregorii ordo antea vulgatus ad novum reductus. Poſt hunc Epiſtolarum S. Gregorii ordo reſtitutus cum anteà vulgato comparatus. Tomum claudit Index Titulorum ex Regiſtro Epiſtolarum S. Gregorii Magni excerptus operâ & ſtudiô Antonii Caraffæ Cardinalis S. Sedis Apoſt. Bibliothecarii.

TOMO III.

Continentur libri, qui ad rem ſacram pertinent.

7.) *Liber Sacramentorum,* per quæ intelliguntur vel omnia novæ Legis Sacramenta; quo ſenſu Theologi de *Sacramentis* tractatum edunt: vel tria potiſſimùm Sacramenta, quæ ſimul accipiebantur olim, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia; de quibus ſcripti libri ſex, *De Sacramentis,* inter Ambroſii Opera Tom. 2. novæ edit. vel ſolum Euchariſtiæ Sacramentum, quod plurali numero, in ſingulis ferè Miſſis deſignatur, tum propter duplicem panis & vini materiam, tum propter corpus & ſanguinem Chriſti, quæ continet. Poſt *Librum Sacramentorum* Cll. Editores adjecerunt *Notas & Obſervationes doctiſſimas,* quibus Hugo Menardus è Congr. S. Mauri illum illuſtravit.

8.) *Benedictionale,* ſeu ſolemnium ab Epiſcopis dicendarum Benedictionum ordo & ſeries, ex editione Lambecii Tom. 2. pag. 300. ſeq. & Hugonis Menardi: *& Benedictionum Epiſcopalium Supplementum* ex Codice pervetuſto S. Theoderici prope Remos.

9.) *Antiphonarius* jam à Pamelino editus Tomo II. Λειτουργικῶν, & Vaticanæ poſteà Operum ſancti Gregorii inſertus, atque in Guſſanvillæana recuſus, denuò recenſitus ad codices mſſ. duos Theodericenſes. *Oudinus* poſt tempora Gregorii compoſitum fuiſſe contendit. Tom. I. p. 1536. ſeq.

10.) *Liber Reſponſalis* ſive *Antiphonarius.* Ex Reſponſoriis *Reſponſalis* à quibusdam dicitur: Ab Amalario Fortunato *Antiphonarius,* propter Antiphonas; ut ex ejusdem libro *de Ordine Antiphonarii* manifeſtum eſt. Porrò etſi libri hujus multi paſſim meminerint: nemo tamen veterum Reſponſ. Antiph. &c. complexionem adhuc publici juris fecit. Eam autem Cll. Editores in lucem emittendam duxerunt, & quidem ex Codice Compendienſi vetuſtiſſimo, ut eſſet omnium Λειτουργικῶν veluti complementum.

11.) *Variæ Expoſitiones in Librum I. Regum, Lib. VI.* Cenſent verò Cll. Editores, hoc Opus ex Homiliis à ſancto

Gregorio habitis in Lib. I. Regum à *Claudio* ejus diſcipulo poſteà monaſterii Claſſenſis Abbate, collectis coaluiſſe, & cum nonnullis mendis memoriæ lapſui præſertim adſcribendis prodiiſſe. Vide ipſum Gregorium Lib. XII. indict. V. Ep. 24. ad Johannem Subdiaconum, ubi non abſimilem in Proverbia, Cantica Canticorum, Prophetas, libros quoque Regum & Heptateuchum operam à Claudio illo collocatam teſtatur.

12.) *Expoſitio ſuper Cantica Canticorum.* Egregiam quidem hanc expoſitionem Gregorio noſtro abjudicare conatus eſt, qui ipſius Operibus evulgandis ante Monachos Congr. S. Mauri ultimus inſudavit Petrus Guſſanvillæus; quem errantem, inquit *Dionyſius Sanmarthanus*, olim ſecuti ſumus in vita ſancti Gregorii Gallicè ſcripta: cùm nondum incidiſſemus in tot libros manu exaratos, tum expoſitionis hujus, in quibus hucusque magna ex parte latitàrat, tum genuinæ collectionis Paterianæ, ex qua invictum eruitur argumentum, ad hoc opus Gregorio adſcribendum. Confer tamen Caſim. Oudinum Tom. I. p. 1543. qui T. 2. p. 779. edidit ſub nomine Roberti Abbatis S. Vigoris Bajocenſis ex Ordine S. Benedicti.

13.) *Expoſitio in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.* Quam Petrus Guſſanvillæus Gregorii VII. Papæ fœtum eſſe exiſtimat, Cll. Editores opus hoc dignum eſſe arbitrantur, quòd ſanctiſſimo Patri vindicetur.

14.) *Concordia quorundam teſtimoniorum ſacræ Scripturæ* ſub nomine Gregorii à Johanne Gillotio primùm Pariſiis anno 1571. vulgata.

Tomo IV.

Et quidem in prima ejus parte continetur triplex Vita, ſeu Hiſtoria S. Gregorii Magni.

Primam compendioſè deſcripſit Paulus Diaconus Caſinenſis Monachus.

Alteram fuſiori ſtylo complexus eſt Johannes Diaconus monaſterii quoque Caſinenſis alumnus.

Tertiam ex ſanctiſſimi Doctoris Scriptis potiſſimùm conciñavit Dionyſius Samarthanus è Congr. S. Mauri, ipſámque priùs Gallicè publicavit an. 1698. Cùm verò lucubrationem hanc, felicis recordationis Innocentio XII. acceptiſſimam fuiſſe Authori ſignificâſſet Emin. Cardinalis Spada literis datis 8. April. 1698. atque ad majora audenda, impertitâ tanti Pontificis benedictione animos ipſi addidiſſet, ſtatim ad novam omnium ſancti Gregorii Operum editionem ſe accinxit. Hanc autem Vitam in Latinum verſam in libros IV. diſtribuit. *Liber I.* S. Gregorii hiſtoriam ab ortu ad ſummum Pontificatum complectitur. *Liber II.* quatuor priores Pontificatûs S. Gregorii annos continet. *Liber III.* complectitur hiſtoriam Pontificatûs S. Gregorii ab annis 594. & 595. ad annos 598. & 599. *Liber IV.* & ultimus, quidquid ſupereſt hiſtoriæ vitæque S. Gregorii exhibet.

Parte ſecundâ Tomi Quarti exhibetur

1.) *S. Paterii Gregorii Magni diſcipuli Expoſitio Veteris & Novi Teſtamenti* non mutila, qualis hucusque prodiit, ſed majori ſui parte aucta. Quæ eo pluris facienda eſt, quòd S. *Gregorio* auctore ac hortatore incepta & abſoluta, ipſum etiam habuerit approbatorem, ut ex ejus Procemio intelligimus.

2.) *Alulfi* ſancti Martini Tornacenſis Monachi, ſua ætate (anno MXCII.) celeberrimi *Expoſitio Novi Teſtamenti* ex S. Gregorii verbis & ſententiis concinnata, aliàs, ſed perperàm ſub nomine Paterii vulgata. Ut à mendis quàm plurimis purgata prodiret editio, operam dederunt Cll. Editores; quia ex hujus ſcriptoris Excerptionibus magis ac magis illuſtrari poteſt noſter Gregorius, genuina Opera dignoſcuntur, confirmantúrque optimæ lectiones, aut plurimæ variantes haud ſpernendæ ſuppeditantur.

Apud Honorium Auguſtodunenſem III. 32. & Johannem Trithemium cap. 215. inter Gregoriana Opera recenſetur brevis quatuor Evangeliorum explanatio, quæ ab his verbis incipit: *Mathæus ſicut in ordine.* Sed Benedictini etſi non diffiteantur, ſe Explanationis duos mſs. Codices, unum in Bibliotheca Regia, alterum in Bigotina Bibliotheca apud Rotomagum eodem titulo initióque in Codicibus annorum circiter 900. inveniſſe: eam tamen, cùm ſtylus corruptiſſimus Gregorianum non redoleat, indignum judicârunt, quæ ſancti Pontificis Operibus annumeretur.

Summa ipſius modeſtia.

In tanta verò doctrinæ ac librorum præſtantia *Gregorium* non altum ſapuiſſe quis non demiretur? Erat aliquid, Gregorii Commentaria in Job non tantùm per hominum manus voli-

tare

tare, ſed etiam in Eccleſia, ipſo vivente publicè legi; quòd præſtantiſſimæ moralis doctrinæ ſparſis ubique Notis animos paſcerent, & inſtruerent: & tamen, quâ erat ipſe incredibili modeſtia, tantum abeſt, ut id ratum habuerit, ut etiam deinceps fieri prohibuerit, poſteróſque reddiderit incertos, utrùm ejus doctrinam, vel animi demiſſionem pluris facere debeant. Verè *Doctor humilitatis* appellandus, ut Auguſtinus *gratiæ*. Quanta deinde illa humilitas, quòd in epiſtola ad Innocentium Africæ Præfectum tantum Auguſtini ſcriptis pretium præ ſuis ſtatuendum eſſe dicat, quantum ſiligo furfuri præſtat? *Si delicioſo*, inquit, *cupitis pabulo ſaginari, beati Auguſtini, Patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quæratis.* Quo Gregorii pronuntiato *Ven. Beda*, *Rabanus Maurus*, *Paſchaſius Radbertus*, *Lanfrancus*, *Anſelmus*, *Rupertus*, cæteríque Benedictinæ Familiæ Doctores ac Theologi didicerunt, quantoperè Auguſtini doctrinam facere eos oporteat. Quæ iterùm, quantáque illa animi demiſſio, quâ ſe linguæ Græcæ imperitum profiteri minimè erubuit? Poſſem plures recenſere Scriptores, qui ſi linguæ Græcæ intelligentes haud videri volebant, ejus certè imperitiam in ſuis diſſimulârunt libris; à qua verò diſſimulatione *Gregorius* longè abfuit, ut qui nec Græcè ſe nôſſe, nec aliquod opus aliquando à ſe Græcè fuiſſe conſcriptum ultrò confeſſus fuit in epiſtola ad Euſebium Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Nos nec Græcè novimus, nec aliquod opus aliquando Græcè conſcripſimus.* Quâ inſigni humilitate, ut ego exiſtimo, à Deo meritus eſt, ut ejus quædam Latina Opera ab ipſis Græcis in Græcam linguam fuerint translata.

De S. Gregorio M. & veteres & recentiores plurimi agunt. Præ cæteris legendus eſt *S. Iſidorus*, Hiſpalenſis Præſul, qui Divi Gregorii ſynchronus fuit, ejúſque Opera magnoperè laudavit. Deinde *Dionyſius Sammarthanus* è Congr. S. Mauri, qui novam ejus Operum editionem adornavit.

Obiit A. 669. 23. Januarii.

II.
S. ILDEPHONSUS
Archiep. Toletanus.

Ejus natales & parentes.

PAtria *Ildephonſo* Toletum fuit; Natales & Parentes nobiliſſimi. Parenti nomen *Stephani*, Matri erat *Luciæ*. Hæc ſoror *Eugenii* Toletani Archipræſulis fuiſſe perhibetur. Tam nobilem natu excellens ingenium, animi candor eximius, cæterarúmque virtutum ornamenta, præprimis illibatæ caſtimoniæ decus Superis juxtà & hominibus charum reddiderunt. Illud patri *Stephano* grave atque acerbum videbatur, quòd filius de vita monaſtica cogitationes ſecum animo verſaret. Crevit indignatio, cùm *Ildephonſus*, inſcio patre, in ſuburbanum Agalienſe Monaſterium, diſciplinæ regularis obſervantiâ præ cæteris inclytum, ſe ſubduxit. Unde furore plenus iſtuc advolat, ſúſque déque omnia evertit, latebras & angulos omnes perſcrutatur, ſed irrito labore; cœlo, ut credere fas eſt, oculis glaucoma objiciente, ne in filii latibulum intueretur. Erat id aſceterium haud procul ab urbe remotum, ſancti *Juliani* nomine inſignitum. Patre dumum reverſo, Benedictinam veſtem pius induit adoleſcens; matre intereà patris animum mitigante, quòd prolem hanc poſt complures ſterilis thori annos à benigno Numine conceſſam eidem ſe voviſſe, diſertis verbis aſſeveraret.

Agalienſe cœnobium ingreditur.

Vitæ monaſticæ rudimentis inſtitutum *Eugenius* avunculus, Toletanus Antiſtes, primus an ſecundus? eum ad ſe accerſivit, primíſque literis à ſe informatum, ad S. *Iſidorum* Hiſpalenſem Epiſcopum amplioris doctrinæ ac eruditionis gratia amandavit. Ex quo perſpicuum fit, jam à primis Familiæ Benedictinæ annis morem obtinuiſſe, ut monachi aliquando ad capeſſendas bonarum artium diſciplinas ad inſigniores magiſtros amandarentur. Hîc in virum omnibus doctrinæ & ſanctitatis numeris abſolutum evaſit. Toletum reverſus non ita diu pòſt in Abbatem ſui Monaſterii (aliis aliter placet) electus fuit: quâ in præfectura ſic monachis perfectionis religioſæ documenta ſuggeſſit, ut ea exemplo ſuo faciliora redderet.

Eugenii Toletani curâ literis imbuitur.

EUGENIO *juniore*, Toletano Epiſcopo, rebus humanis exempto in ejus locum ſubrogatus eſt *Ildephonſus*. Eo in Pontificatu, (c) velut *facula ardens*, ut *Cixilo* Epiſcopus, author vitæ, loquitur, *omnem Hiſpaniam* caſtimoniæ ſcilicet, prudentiæ, Chriſtianæque univerſæ doctrinæ, heroicarúmque omnium virtutum radiis *perluſtravit*, ut dignus habitus ſit, ſtupendis duobus ſibi à Deo collatis beneficiis ſignatam & con-

Toletanæ Eccleſiæ præficitur.

(c) ex Nic. Ant. in Bibl. Veteri Hiſpana Lib. V. cap. 6. pag. 256. ſeqq.

conſecratam ſui memoriam poſteris transmittere. Sacrum enim celebranti coram *Receswintho* munus *Leocadia* Virgo & Martyr apparuit, locúmque ſepulturæ hactenùs fruſtrà quæſitum oſtendens, gratias viro ſanctiſſimo pro defenſa Deiparæ Matris virginitate, quod paullò antè libris editis præſtiterat, ejus nomine habuit. Cujus Martyris ſanctiſſimæ civis ſuæ, veli ſegmentum cultello raptim à Rege miniſtrato ab Ildephonſo præciſum ſervari apud Ovetum in arca ſancta reliquiarum, conſtans fama eſt. Nec diu pòſt in eccleſiam die feſto Exſpectationis partûs B. Mariæ Virginis ad peragendum matutinum Officium veniens, eandem Filii Dei Matrem in Epiſcopali cathedra ſedentem oculis mortalibus conſpicere, ſibíque benignè alloquentem audire, ac de theſauro cœleſti acceptam veſtem, quâ ipſe in hoc ſolenni feſto ſolus uteretur, ſibi porrigentem, adorare promeruit: quod cum alus per eum à Spiritu ſancto peractis miraculis retuliſſe ſibi Urbanum & Evantium *Cixila* teſtatur; quorum prior ab Iſidoro Pacenſi (d) dictus Toletanæ Eccleſiæ *veteranus melodicus*, hoc eſt, cantor; Evantius autem ejusdem Eccleſiæ archidiaconus, *doctrinâ & ſapientiâ ſanctitatéque, & in omni ſecundùm ſcripturas ſpe, fide, & charitate, ad confortandam Eccleſiam Dei Hiſpanam*, jam ſub captivitate gementem, uterque clarus. Hos auctores *Cixila* habuit, quorum teſtimonio fidem rei adſtrueret: quantumvis de ea ſiluerint *Julianus* & *Iſidorus* Pacenſis.

Hermañi Monachi de eo teſtimoniũ.

Egregiè autem confirmat famam rei ubique vigentem duodecimi ſeculi ſcriptor (e) *Hermannus* monachus, quem hiſtoricum Voſſius ignoravit, *De miraculis ſanctæ Mariæ Laudunenſis*, in epiſtola ad Bartholomæum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum. *Cùm dudum*, inquit, *in Hiſpaniam ad videndum glorioſum Regem Ildephonſum* (Alphonſus hic Arragoniæ Rex atque idem Caſtellæ per Urracam uxorem) *Feliciæ materteræ veſtræ filium, profectus, feliciſſimum ab eo promiſſum ſuſcepiſſemus, quòd ſi ſecundò ad eum videndum reverteremini, daret vobis corpus B. Vincentii Levitæ & Martyris, nec non & caſulam pretioſiſſimam, quam B. Dei genitrix S. Ildephonſo Toletanæ civitatis Archiepiſcopo dederat ob remunerationem trium libellorum, quos de virginitate ſua compoſuerat &c.*

vivere deſiit A. 669.

Ad Superos abiit an. DCLXIX. die Januarii XXIII. ad quem diem refertur ejus memoria in Romano Martyrologio; quam & reperiri apud vetuſtiſſimum Adonis Martyrologii exemplar Joannes Mabillonius prodit in Notis ad Vitam, quæ extat Sec. II. Act. Ord. S. Benedicti.

Ejus ingenii monumenta.

Scripſit, inquit *Julianus*, Epiſcopus & ipſe Toletanus in brevi ejus elogio, *quàm plurimos libros luculentiore ſermone potiſſimos, quos idem in tot partibus cenſuit dividendos*, id eſt:

Librum proſopopeiæ imbecillitatis propriæ, qui deperditus fuit.

De Virginitate Deiparæ.

De Virginitate S. Mariæ contra tres infideles libellum, qui primùm editus fuit à Mich. Alphonſo Caranza, Carmelita, Valentiæ 1556. 8. tum à Baſilio Melanio Congr. Caſin. monacho Baſil. 1557. 8. Hieronymo Welæo Lovanii 1569. 8. Franciſco Fevardentio Minorita Pariſiis. 1576. 8. atque inde per Bigneum in Bibliotheca Patrum Tomo IX. cum Juliani Pomerii præfatione: & Duaci 1625. 4. Præfationem aliam Gomeſani Abbatis Ildenſis edidit Edmundus Martene Tomo I. Anecdot. pag. 78.

contra tres infideles.

Quæ propria iſtorum trium infidelium nomina fuerint, non ſatis conſtat: *Rodericus* Helvidium & Pelagium, *Mariana* Helladium & Pelagium, *Pſeudo-Julianus* Theudium & Pelagium vocat: ſed cùm *S. Ildephonſus* propriis eos appellare nominibus fuerit dedignatus, in ea multis inquirere haud lubet. Illud exploratæ res eſt veritatis, quòd cùm vetus Helvidianæ & Jovinianæ hæreſeos virus per Hiſpanias diffundere conati fuerint, eos nomine veterum hæreticorum, Helvidii nempe & Joviniani, perpetuam Intemeratæ Dei Matris virginitatem allatrantium compellandos exiſtimârit. Sic etiam Judæum, qui integritatem in puerpera, non tantùm in partu, ut Jovinianus, vel poſt partum, ut Helvidius, ſed omni tempore ſacrilegus reſpuebat, ſectæ ſuæ tantùm nomine appellavit.

Opuſculum de proprietate perſonarum Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Intercidit. Eiſengreinius *de ſancta Trinitate* vocat.

Adnotationum libri.

Opuſculum adnotationum in ſacris, & Opuſculum adnotationum in Sacramentis.

(d) in Chron. ad æram DCCLVII.
(e) apud Sanmarthanos fratres in Gallia Chriſtiana in Epiſcopis Laudun. fol. 620. pag. 2. Eandem *Hermanni* Epiſtolam vulgavit Acherius ad calcem Operum Guiberti Novigentini pag. 526.

mentis. Trithemius cap. 55. pro diverſis habet Opuſculis. Nec malè, ut videtur: nam ita & Vincentius Bellovacenſis Spec. hiſtor. lib. 7. cap. 120. & Mſ. Caſinenſis Codex, quem vidit Cajetanus, & ſic edidit Mabillonius.

Libri duo adnotationum de cognitione Baptiſmi, & de itinere deſerti, quo pergitur poſt baptiſmum. Hæc duo opuſcula, quorum poſtremum Viri eruditi in deperditis numerabant, Stephanus Baluzius in Tomo VI. Miſcellaneorum ex Mſ.tis Codicibus collecto juris publici fecit typis Ludovici Guerin & Sociorum Pariſiis anno 1713. in 8.

Opuſculum annotationum actionis diurnæ. Fortè, exiſtimat Nic. Ant. diurni temporis exercitia ſpiritualiter impenſi. Francofordienſis habet *actionis divinæ*: quomodo edidit Henſchenius. Mabillonius hunc librum omiſit. *Quod totum* (ait Julianus) *partis primæ voluit volumini annectendum.* *Deinde* (ait) *partis ſecundæ*

Epiſtolæ. *Liber epiſtolarum eſt, in quo diverſis ſcribens enigmaticis formulis egit, perſonáſque interdum induxit: in quo etiam à quibusdam luculentiora ſcriptorum reſponſa promeruit.* Hæc clariſſima futura ſanctiſſimi Doctoris monumenta, è quibus hiſtoria ejus temporis apprimè illuſtraretur, ætatis invidia delevit. Attamen extant ex his

Epistolæ duæ ad *Quiricium* ſive *Cyricium* Barcinonenſem Epiſcopum, in Lucæ Acherii Spicilegio Tom. I. p. 310. 312. (editionis novæ Tom. 3. pag. 315.) præmiſſa Epiſtola Quiricii, quâ ei gratias habet pro libro de Virginitate Mariæ ad ſe transmiſſo; *ex quo hebeteſcat Jovinianus, diſſipetur Helvidius, ſimúlque & incredulus ac mente perfidus decidat Judæus.*

Miſſæ, *Partem ſanè tertiam Miſſarum eſſe voluit hymnorum atque ſermonum.* unde in albo iſto Operum collocamus

Miſſas aliquot. Solenne erat tunc temporis, inquit Nicolaus Antonius, Miſſas confici pro aliquo feſto die Chriſti Domini, Mariæ Deiparæ, aut Sanctorum. Meminit quidem duarum Cixila, *ubi ſtatim in officio* (Abbatis) *clarens duas Miſſas in laudem ipſorum dominorum* (SS. Coſmæ & Damiani Martyrum, quibus Monaſterium dedicatum) *quas in feſtivitate ipſorum pſallerent, miro modulationis modo perfecit, quas Miſſas infra adnotatas habemus,* ait. Item alterius paulò pôſt Miſſæ meminit de ſancta Leocadia. *Ipſe verò manibus,* inquit, *ſtatim complexans & aſtringens, talia fertur depromere vota, vociferans cum omni populo & clamans:* *Deo gratias.* Vivit Domina mea per vitam Ildephonsi. Et id ipſum repetens Clerus vehementer pſallebat alleluja &c. Unde videmus non verba eſſe Leocadiæ Martyris ea, quæ (f) vulgò ei tribuuntur: *Vivit Domina mea per vitam Ildephonſi*; ſed populi acclamantis eidem Martyri è tumulo veluti reſurgenti. De aliis Miſſis, quas Ildephonſum compoſuiſſe Cixila & Joan. Bapt. Perezius ſcribunt, vide Nicolaum Antonium loc. cit.

Hymnos. Meminit Cixila *Cantici*, Hymni, quod Ildephonſus fecerat in Leocadiæ Virginis laudem; fortè ejus quod immiſſum fuit in Breviarium Gothicum, vulgò dictum Iſidorianum.

Sermones. Præſeferunt aliquot Il- Sermones, dephonſi nomen, qui ejus non ſunt, ut mox dicemus. Julianus jam loquitur: *Ulterioris denique partis liber eſt quartus verſibus proſâque concretus, in quo epitaphia, & quædam ſunt epigrammata æquè adnotata. Scripſit autem & alia multa, quæ variis rerum ac moleſtiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua ſemiplena reliquit*

Epitaphia & Epigrammata quædam. Epigrammata, Ex his, quænam pro germanis & legitimis, quæ verò pro ſpuriis ſint habenda, docebit te Nic. Antonius l. c. p. 291. ſeq. ubi jure invehitur in Hieronymum Romanum de Higuera Jeſuitam, magnum fabularum architectum, quòd plura Ildephonſo ſuppoſuerit.

Præter hæc attributa *Ildephonſo* à Juliano encomiaſte duo alia exſtant opuſcula, quorum is non fuit recordatus, fortè quòd non juſta opera, ſed veluti additiones eſſent, ut reverà ſunt, ſcilicet

Libellus *de Viris Illuſtribus* XIII. Libellus de Viris Illuſtribus. (vel XIV. ſi caput de *Gregorio M.* addatur, quod in nonnullis codicibus deſideratur) aliàs *de Scriptoribus Eccleſiaſticis,* ſive additio ad ejusdem argumenti librum S. Iſidori. Cujus in præfatione ipſe ſe prodit auctor, ſucceſſorem ſe alterius Eugenii in Sede glorioſa Toletanæ urbis referens. Sequitur tamen animadverſione iſthæc ampliatio digniſſima: *Quam,* inquit, *non ex hominum numero glorioſam dico, cùm hanc etiam glorioſorum illuſtret præſentia principum; ſed ex hoc quòd coram timentibus Dominum iniquis atque juſtis habetur locus terribilis, omniſque* vene-

(f) ab Auctoribus Hiſpanis Morali lib. 22. cap. 39. Mariana lib. 6. cap. 10. & aliis paſſim.

veneratione ſublimis. Id propter exhibitam ſibi ea in Eccleſia, ſive Leocadiæ Martyris, ſive Deiparæ Mariæ præſentiam, dubio procul, innuens tantùm, ait. Unde colliges libellum hunc poſt alteram ex duabus his apparitionibus, hoc eſt, ſub vitæ finem exaratum ab eo fuiſſe. Qui quidem editus eſt, atque edi ſemper ſolet, cum laudato S. Iſidori libello. Prodiit inter Opera Iſidori à Jacobo du Breul Monacho S. Germani Pariſienſis edita Colon. 1617. fol. pag. 518. & in Andreæ Schotti Hiſpania illuſtrata An. 1603. inque Garſiæ à Loiſa Conciliis Hiſpaniæ, Madrit. 1603. & in Agvirrii T. 3. pag. 77. & in Auberti Miræi Biblioth. Eccleſiaſtica Antw. 1639. atque Hamburgi. 1718. fol. curâ & operâ Jo. Alberti Fabricii. De Mſ.tis Codd. quos Baronius, Ciacconius, Cajetanus, & Reſendius vel habuerunt vel perluſtrârunt, vide Nic. Ant. l. c.

Auctariū Chronici S. Iſidori. *Supplementum* item, ſeu *continuatio Chronici S. Iſidori Hiſpalenſis*, quod cum Lucæ Tudenſis Chronico edidit Franciſcus Schottus, Andreæ frater, hujus operæ ſuccenturiatus in publicandis *Hiſpaniæ*, ut vocant, *illuſtratæ* Auctoribus. Pro genuino Ildephonſi fœtu habent præter Rodericum Toletanum & Lucam Tudenſem, Joannes Gerundenſis in prologo *Anacephaloſeos Hiſpaniæ*, & Joannes Ægidius Zamorenſis in fragmentis ſuis Mſs. Alii hoc totum, quod ſub Ildephonſi nomine ſeſe venditat, Lucæ Tudenſi attribuunt, quorum è numero eſt Laurentius de Padilla in vita S. Iſidori. Utut ſit, illud negari non poteſt, quòd quæ apud *Lucam Tudenſem* ex Ildephonſo leguntur, valdè interpolata & recentioribus aſſumentis non modò alterata, ſed figmentis etiam de Mahometis pſeudoprophetæ in Hiſpanias adventu, & prædicatione, ejuſdémque per S. Iſidorum expulſione ſint depravata, ut benè advertit Nic. Ant. p. 294.

Opera dubia & ſuppoſititia. Quæ in *Franciſci Fevardentii* editione Pariſiis anno 1576. lucem ſub nomine *Ildephonſi* aſpexerunt, ab ipſius calamo profecta non fuerunt: Cujuſmodi eſt 1. *Liber contra eos, qui diſputant de perpetua virginitate S. Mariæ & de ejus parturitione,* Quem Ildephonſi non eſſe, primus, ut Nic. Antonius credit, *Joannes Baptiſta Poza* (g) advertit, ingenio vir atque eruditione ſingulari, aliàs ſtudiis infeliciſſimus; atque hunc ſequutus eſt (h) *Theophilus Raynaudus* uterque Jeſuita, rationibus agentes; tandémque rationibus & ſcriptis libris, qui *Paſchaſio Radberto* diſertè adjudicant, *Lucas Dacherius* (i) & *Joannes Mabillonius* (k) Benedictini, quantumvis *Baronius, Bellarminus* & alii Fevardentii editionem admiſerint.

Alia Fevardentianæ editionis opuſcula. Ejusdem Fevardentianæ editionis ſunt, ſed æquè Ildephonſi noſtri non ſunt *Sermones XIII.* ſcilicet I. *De parturitione ac purificatione S. Mariæ.* II. *Contra eos, qui mendosè affirmant Mariam Virginem contra legem Dominum peperiſſe.* III. IV. V. VI. *De Aſſumptione B. Virginis.* VII. *De eadem Aſſumptione ſuper illa verba Lucæ cap.* 10. INTRAVIT JESUS IN QUODDAM CASTELLUM. VIII. & IX. *De eadem Aſſumptione.* X. *De Nativitate.* XI. & XII. De eadem. XIII. *De Purificatione,* ſuper illa verba Lucæ cap. 11. POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURIFICATIONIS MARIÆ. Audi Joannem Baptiſtam Pozam, cujus verba ex Nic. Antonio damus, quia *Elucidarium Deiparæ*, unde hæc ſunt, in cenſuram incurrit ſacroſanctæ fidei Patrum, neque in manibus omnium eſt. Reddit ille cauſas, quare Ildephonſo abjudicet hos ſermones. *In ſermone I. de Aſſumptione* (ait) *minùs cautè de adoratione corporis eſt loquutus. Ibidem voces ſunt peregrinæ, & inconcinna phraſis, à legitimo ſpiritu Ildephonſi aliena. Sermone II. ait, de carnis incorruptione jam me ſupra ſatis in priore tomo dixiſſe credo &c. Ecce ubi non ſermo ad plebem, ſed fragmentum alicujus ſcripti. Sermo III. ex centonibus compilatus ab Ambroſio & Auguſtino deſumptis. Sermone IV. inſinuat B. Virginem necdum corporis reſurrectionem obtinuiſſe. Et tandem Sermone IV. hunc errorem expreſsè profitetur. Sermone V. ait: Non audent miniſtri tartarei hodie attingere ſuos captivos, quos recolunt redemptos illius ſanguine, qui pro mundi ſalute eſt dignatus naſci de Virgine. Sermo VI. eum habet errorem, quem diximus ſupra in ſermone quarto, & ex fragmentis Auguſtini eſt. Sermo I. & II. de Nativitate Virginis nihil ferè habent, quod ad ortum Mariæ pertineat. Plura capit ex Auguſtini ſermone ſecundo* DE ASSUMPTIONE, *cujus nomen diſſi-*

(g) in Elucid. Virg. Deip. Mar. lib. 4. tr. 4. cap. 6.
(h) De bonis & malis libris part. 1. Erotem. 10. n. 228.
(i) in præfat. tom. 1. Spicileg.
(k) in Act. SS. O. S. B. præf. part. 2. Sec. III. p. 13. & Sec. II. pag. 519. Obſerv. de quibuſdam Ildephonſi ſcriptis.

diſſimulat. Sermone de Purificatione peculiaria quædam ſcribit de peccato originis, & tamen erroneam illam doctrinam ſectatur, quæ negat Chriſti corpus in momento perfectum & abſolutum. Quadraginta (inquit) *dierum numero corpus Dominicum in utero Virginis formatum credimus; cujus oppoſitum ſcripſerat in Synonymis. Quæ omnia perſuadent non eſſe Opuſcula Ildephonſi.* Hæc ille, cui *Nic. Antonius* ſuffragatur.

Eidem falsò attributa S.Eugenii vita &c.

Jam ex aliis, quæ falsò attribuuntur eidem noſtro Pontifici Toletano, *vita* eſt *S.Eugenii*, ejus deceſſoris, quam ſolus ei tribuit ſuppoſititius Julianus. Deinde *Corona B.Mariæ Virginis*, quam inter Mariana alia depromptam è codice Mſ. Toletanæ Eccleſiæ vulgavit ante aliquot annos Petrus Alva & Aſtorga Franciſcanus in *Bibliotheca Virginali* Ildephonſi nomine, ejus non eſt ex mente ſæpiùs laudati Nic. Antonii, qui quidem jure ac merito miratur, quod quæ inedita Opuſcula S.Ildephonſi tot ipſius amatores & illuſtratores, Toletum frequenter accurrentes, aut ibi commorantes, Toletanæque Bibliothecæ cuſtodes hactenùs latuerint, Petrus Alva non modò primus in eadem Bibliotheca detexerit, ſed ea etiam typis ſe daturum fidem obſtrinxerit: quam ſubinde an liberaverit, memoriæ non prodit.

Julianus S. Ildephonſi Biographus.

Vitam *S.Ildephonſi* ſcripſit *Julianus* Epiſcopus Toletanus ab An. 680. ad 690. quæ Ildephonſi libello de S. E. ſubjicitur in Miræi Bibliotheca Eccleſiaſtica atqoe in Conciliis Hiſpanicis Garſiæ Loaiſæ, & Agvirrii Tom.3. pag. 80. extat etiam in limine Tomi ſexti Miſcellaneorum Stephani Baluzii, & cum Cixilæ Toletani etiam Epiſcopi ab aono 752. ad 775. additamentis in Actis Sanctorum Tom. 2. Januarii 23. p.537. Quæ alii recentiores Scriptores de rebus ſanctè ac laudabiliter ab eo geſtis afferunt, omnia è duobus hiſce priſcis Biographis, ceu fontibus, derivata fuerunt.

Obiit A. 709. VIII. Kal. Junii.

III.
S. ALDHELMUS
Epiſcopus Schirburnenſis.

D*Ignus* Cambdeno (l) videtur ALDHELMUS, *cujus memoria in æternitatem vigeat, non solùm ſanctitatis, ſed etiam doctrinæ nomine, ut ea ferebant tempora.* Eum verò ex illuſtri Saxonum genere procreatum ferunt, patre *Chentuno* aliàs *Kentenio*, qui Inæ nunquam ſatis laudato occidentalium Saxonum Regi ſanguine conjunctus fuiſſe perhibetur. Primis adoleſcentiæ annis (m) *Maidulpho* Scotto monacho & eremita præceptore uſus eſt: qui id temporis, urgente neceſſitate, duro telo, *Bladuni* ſcholam publicam aperuit, ut ſic ſaltem inopiam utcunque depelleret. Impetraverat priùs tamen à caſtellanis, qui *Bladunum* inhabitabant, humilem domum, ſed quæ tam parvis initiis ſatis ampla fuit. Creſcente verò diſcipulorum numero, cœpit de domo ampliori cogitare.

Aldhelmi patria, & educatio.

Intereà *Aldhelmus* Dorovernum Cantiorum petiit, ut jactis Latinæ linguæ fundamentis adjiceret artes, nempe Dialecticam, & Rhetoricam, tum etiam Græcæ linguæ cognitionem: in quibus diligentiſſimè & à *Theodoro* Cantiorum Archiepiſcopo, & ab *Adriano* Auguſtiniani cœnobii Abbate inſtructus eſt. Nec literas Hebraicas prætermiſit, ita ut notitiam trium linguarum ſacrarum haberet. *Prophetarum exempla, Davidis Pſalmos, Salomonis tria volumina, Hebraicis literis benè novit, & legem Moſaicam,* inquit Monachus (n) anonymus Malmesburienſis, qui ejus vitæ hiſtoriam inter alios in literas retulit. Dúmque hæc Doroverniæ *Aldhelmus* ageret, mirum in modum *Maidulphi* ſchola aucta fuit; usque adeò, ut favente *Ina* Rege, & *Agilberto* Ventano Epiſcopo, collegium monachorum multorum intra caſtelli ſepta inſtituerit, officinis tumultuario opere ad tempuſculum extructis. Hujus ſucceſſus lætiſſimus nuntius ad *Aldhelmum* pervenit, qui paulò pòſt relictâ Cantiâ, Bladunum reverſus eſt. Ubi ſtatim monachus factus, plurima virtutis exempla oſtendit. Nunquam (o) pedem è monaſterio, niſi neceſſitas exigeret, extulit, legendo, orandóque omne tempus abſumere ſolitus, ut, ſicut ipſe in quadam epiſtola ſcribit, legendo Dei loquentis vocem audiret, orando Deum ipſum alloqueretur. Victus ei tenuis & pauciſſimus, ut ſpiritui carnem ſervire cogeret. Ejus rei cauſa vicino cuidam fonti, qui nomen ejus poſteà ferebat, ſe ad humetos

Literis Græcis & Hebraicis inſtructus.

Bladuni Monachum induit.

(l) in deſcriptione Wiltoniæ.
(m) Leland. de Script. Britan. cap. LXXI. pag. mihi 97.
(n) extat in Actis SS. die 25. Maji cap. 1. p. 84. col. 2.
(o) Harpsfeldius ex Guill. Malmesbur.

ros noctu immergere ſolitus erat, dum totius pſalterii, quaſi penſum nocturnum, precationes abſolviſſet.

Abbas præficitur.

His virtutibus ornatus cùm eſſet *Aldhelmus*, non alius magìs idoneus ab obitu *Maidulphi* regendo novo monaſterio viſus eſt *Leutherio*, Ventano Epiſcopo, qui à vicinis rogatus Abbatibus, *Aldhelmum* ibidem Abbatem primum inſtituit, atque cœnobii habenas pro jure tunc Epiſcoporum moderandas eidem contradidit. Sub quo quantum creverit monaſterium, non facile eſt credere. Erat enim in maximo pretio cùm propter generis nobilitatem, tum maximè propter literas: quarum gratiâ ad illum confluxêre multi, non modò ex Hibernia & Scotia, verùm etiam ex ipſa Gallia. *Artivillus* cujusdam Reguli Scotiæ filius literarum ſtudioſiſſimus ſua Scripta *Aldhelmo* examinanda miſit, ut Guillelmus Malmesburienſis his verbis narrat: *Hic quicquid literariæ artis elaborabat, quod non adeò exile erat*, ALDHELMI *committebat arbitrio, ut perfecti ingenii lima ſcabredo eradicaretur Scotica.* Hactenùs Malmesburienſis.

Primus inter Anglos poëſin excolit.

Primus inter Anglos ſanè fuit, qui Latina carmina condiderit. Qua de re ipſe idoneus teſtis eſt, dum ſcribit:

Primus ego in patriam mecum, modò vita ſuperſit,
Aonio rediens deducam vertice Muſas.

In quibus etiam patriâ linguâ ſcitè & eleganter tam componendis, quàm aut pronuntiandis aut canendis eminuit. quorum aliquot Elfredi Regis tempore, ut ipſe Rex teſtatur, vulgò canebantur. Qui quid ea de re retulerit, memoriâ ſanè cum primis dignum eſt; fuiſſe videlicet illius ſeculi populum adhuc rudem, agreſtem, & rebus ſacris, perſunctoriè deditum: neque diuturnam aliquam in templis moram tuliſſe; ſed ſacris Miſſarum myſteriis celebratis, domum mox confeſtim convolâſſe. Hoc vir prudens Aldhelmus cùm perſpiceret, abeuntibus in ponte, quo tranſeundum erat in rura, ſe objicit, canendíque peritia eorum aures demulcet. Ob quam cùm eſſet populo gratus, & plauſibilis, viderétque, quæ canerentur, magna cum voluptate in aures animóſque influere, magis ſeria, & ex ſacris Scripturis petita ſenſim aſpergit, eóque pedetentim eos traducit, ut cum majore animarum ſuarum fructu ſacros dies tranſigerent.

Romam accerſitur.

Hæc & ſimilia effecerunt, ut vel *Sergius* ipſe Pontifex Romanus illum accerſeret, & venientem ad ſe ſummo cum honore & humanitate acciperet, ac abeuntem munificentia quadam dimitteret. Certè *à Sergio Papa* pro libertate Monaſteriorum ſuorum, *Fromenſis* ſeu *Formenſis*, & *Bradefordienſis*, quæ nova condidit, privilegium impetravit, ab Ina Rege dein confirmatum, teſtante *Willelmo* in lib. I. de Regibus Angl, cap. 2.

fit Epiſcopus.

Poſteaquàm verò *Heddius* ſeu *Hedda*, occidentalium Saxonum Epiſcopus anno 705. humana abſolviſſet, epiſcopatus in duas parœcias ſeu diœceſes, nempe in Wintonienſem, & Shireburnenſem divisus eſt; quarum prior *Danieli*, altera *Aldhelmo* noſtro data eſt: qui ambo & in rebus eccleſiaſticis, & in ſcientia Scripturarum non mediocriter inſtructi erant.

Librum de Virginitate ſcribendum ſuſcipit.

Aldhelmus (p) initio ſui epiſcopatûs, cùm ad *pontificale*, ut ipſe vocat, *conciliabulum* unà cum ſodalibus ſuis proficiſceretur, ad Berkingenſe agri Londonienſis virginum cœnobium divertit, cui tunc *Hildelita* venerabilis Abbatiſſa præerat; ejúsque rogatu *Librum de Virginitate* ſcribendum ſuſcepit, quem exemplo Sedulii & proſa oratione & metro compoſuit. Eximium hoc vocat Beda, quamquàm ſalebroſo & inculto ſtylo compoſitum. Metricus liber ſcriptus ad Maximam Abbatiſſam: proſa inſcripta *reverendiſſimis Chriſti Virginibus, Hildilithæ, regularis diſciplinæ & monaſticæ converſationis magiſtræ; ſimúlque Juſtinæ ac Cuthburgæ, nec non Osburgi, contribulibus ſuis; atque neceſſitudinum nexibus conglutinatæ ſibi Alſgidæ, ac Scholaſticæ, Hidburgæ, & Berngidæ, Eulaliæ ac Teclæ, rumore ſanctitatis concorditer Eccleſiam ornantibus.* In proſæ capite quarto maximè perſtringit ſuperbas virgines, quæ tumido elationis ſupercilio inflatæ de ſola carnis integritate gloriantur, ſeséque periculoſo naufragio graſſante diræ tempeſtatis turbine, velut inter ſcyllam & barathrum voraginis committunt, unde capite octavo neceſſarium eſſe ait, ut veram & non frivolam delicatæ virginitatis gloriam *humilitatis cautelâ* tutentur. Quæ ſanè cautela longè contraria eſt pernicioſæ illi ſecuritati ac confidentiæ, quam Willelmus Malmesburienſis ex falſis haud dubiè narratiunculis, Aldhelmo viro ſanctiſſimo, & in rebus ſpiritualibus, teſte Beda, inſtructiſſimo, perperàm imputat. Sanè quàm ſtudioſè virginitatem coluerit vir ſanctus, ex duo-

(p) Mabill. Annal. Tom. 2. pag. 12.

duobus libris de ea ſcriptis ſatis ſupérque intelligitur: quàm cautè mox allata teſtimonia probant.

Quantus in literis fuerit.

Quantus jam *Aldbelmus* in literis fuerit, Venerab. Beda 18. cap. quinti libri Hiſtoriæ ſuæ teſtis his verbis optimus eſt: *Aldbelmus cùm eſſet adbuc Presbyter & Abbas Monaſterii, quod Maidulſi-urbem nominant, ſcripſit jubente Synodo ſuæ gentis librum egregium adversùs errorem Brittonum, quo vel Paſcha non ſuo tempore celebrant, vel alia perplura eccleſiaſticæ caſtitati & paci contraria gerunt, multóſque eorum, qui occidentalibus Saxonibus ſubditi erant, Britones ad catbolicam dominici Paſchæ celebrationem bujus lectione perduxit. Scripſit & de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere & verſibus bexametris & proſa compoſuit.* Scripſit & alia nonnulla, nempe librum metricum de octo vitiis, ænigmata & epiſtolas quasdam, *utpote vir undecunque doctiſſimus; nam & ſermone nitidus, & ſcripturarum (ut dixi) tam liberalium quàm eccleſiaſticarum erat eruditione mirandus. Quo defuncto, Pontificatum pro eo ſuſcepit Fortbere, qui uſque bodie ſupereſt vir & ipſe in Scripturis ſanctis multùm eruditus.* Hactenùs Venerabilis Beda, cui adjungendus Willelmus in jam citato lib. 1. de Regibus Anglorum cap. 2. *Erat vir ille*, ſcilicet Aldhelmus, *cùm religione ſimplex, tum eruditione multiplex, & qui famam virtute præiret, liberalium artium epotator: ut eſſet mirabilis in ſingulis, & in omnibus ſingularis.*

Ejus obitus An. 709. VIII. kal. Jun.

Deceſſit vir in omni genere virtutis ac doctrinæ excellens anno Chriſti 709. VIII. Kalendas Junii, poſtquàm annis non ampliùs quatuor Epiſcopatui maxima cum laude præfuit. *Hunc Adelbelmum*, inquit Cambdenus, *jam defunctum, in Tutelarem ſanctum ſibi aſcivit Atbelſtanus ille Magnus, qui eo nomine oppidum boc maximis immunitatibus donavit, monaſterium ampliſſimis donariis dotavit, in eo ſepulturam elegit, ejúſque monumentum etiamnum oſtendunt incolæ.*

Scripta

Nunc reſtat, ut nomina librorum, quos illum edidiſſe refert *Guilielmus Malmesburienſis* in libello longè elegantiſſimo, quem de ejus vita accuratiſſimè ſcripſit, cum *Joanne Lelando* indicemus.

de erroribus Britanorum.

De Erroribus Britannorum, ſive *de Circulo Paſcbali.* Et erat hoc primum opuſculum, in quo acuti ingenii periculum fecit: quódque jam ſuo ævo deperditum querebatur Willelmus Malmesbur. Unde Cl. Fabricius Bibl. med. & mſ. Latinit. lib. 1. illud intercidiſſe ſcribit, ac lectorem remittit ad Pagium ad An. Chriſti 692. num. 24. ſeq. & ad An. 699. num. 2. At enim ſupereſt hodienum, cùm nihil ſit diverſum ab epiſtola 44. inter Boniſacianas ſic inſcripta: *Domino Glorioſiſſimo occidentalis regni ſceptra gubernanti: Geruntio Regi ſimúlque cunctis Dei Sacerdotibus per Domnoniam converſantibus, Altbelmus ſine meritorum prærogativa Abbatis officio functus, optabilem in Domino ſalutem. Nuper cùm eſſem in Concilio Epiſcoporum ex tota Britannia, innumerabilis Dei Sacerdotum caterva confluxit, ad boc præſertim congregata, ut pro Eccleſiarum ſollicitudine, & animarum ſalute ab omnibus decreta Canonum & Patrum ſtatuta tractarentur, & in commune Chriſto patrocinium præſtante conſcriberentur. His igitur ritè peractis, omne Sacerdotale Concilium meam parvitatem pari præcepto & ſimili ſententiâ compulerunt, ut ad veræ pietatis præſentiam epiſtolarum apices dirigerem.* Qui Geruntius Mabillonio unus fuiſſe videtur ex illis decem Regibus, quos occidentalibus Saxonibus poſt Kenwalchium imperâſſe docet Beda in lib. 4. c. 12. nam Domnonia Weſtſaxonum Regno attribuebatur. Mabill. in Elog. p. 227.

De Virginitate,

De Virginitate proſa & carmine libri duo, cui tertius de *Pugna vitiorum* adjunctus eſt, quos & Hildelithæ Virgini dedicavit. Librum *de Laude Virginitatis* edidit Jac. Faber Daventriæ 1512. 4. Eosdem libros Caniſius ex monaſterii S. Galli Bibliotheca vulgavit; qui in nova ejus Lectionum antiquarum editione Tomo I. pag. 708. ſeqq. recuſi fuerunt. Occurrunt etiam in Bibliotheca PP. Colon. Tom. VIII. ubi etiam *Liber de Virginitate* (ante carmen de hoc argumento) proſa ab Aldhelmo ſcriptus extat, quem tamen emendatiorem Henricus Warthonus ex MSs. Lambethano & Sarisburienſi, Londini 1693. in 4. exhibuit. Barthio ob præfationem libro præfixam Aldhelmus maximi ingenii ſcriptor audit.

de Septenarii dignitate, &c.

Scripſit prætereà ad *Alfridum* Regem Tranſabrinum librum hæc continentem: *de ſeptenarii numeri dignitate* ex veteris & novi Teſtamenti floribus, diſciplina Philoſophorum collectum: *de admonitione charitatis, de Inſenſibilium rerum natura.*

De veteris & novi inſtrumenti Floribus.

De Charitate.

De mirabilium, aliàs ſenſibilium rerum Naturâ.

De Arithmetica

De Aſtrologia

De metrorum Generibus & Schematibus

Ænigmata, *Ænigmaton libellum,* quem poſt editionem Baſil. 1557. cum notis edidit Martinus Antonius Delrio Moguntiæ 1601. in 12. illique *Monoſticha* adjunxit. In his verò Ænigmatibus Aldhelmi à Delrio vulgatis præponitur Prologus metricus, in quo obſervavit auctor acroſtichon duplex ſic verſu redditum:

Aldhelmus cecinit millenis verſibus odas.

Poſt prologum ſequitur in veterrimo codice Bibliothecæ S. Germani Pariſiis Longobardicis literis exarato aliud Acroſtichon in editis omiſſum, quo exprimitur nomen *JESUS.* Sunt, qui *ænigmata* & *monoſticha* Aldhelmo abjudicare, & ad Alcuinum vel Columbanum referre volunt, prout Fabricius in Bibliotheca veteri Latina teſtatur. At enim pro genuino Aldhelmi fœtu habuit *S. Eulogius* Martyr Cordubenſis, eáque tanti fecit, ut ex Pampilonia cum aliis melioris literaturæ libris ſecum retulerit, ut in ipſius vita tradit Alvarus apud Mabill. in Elogio, pag. 227.

Cantiones Saxonicæ, Epiſtolæ, & alia. *Cantiones Saxonicæ,* in quibus vel ad miraculum, teſte Ealfrido, claruit. Edidit etiam

Librum epiſtolarum, è quibus

Epiſtola ad Eahfridum habetur in Uſſerii Epiſtolis Hibernicis pag. 37. adde pag. 129.

De vita monachorum verſus elegiaci, quorum initium

Quid deceat Monachum, vel qualis debeat eſſe
Qui vult ut dicam, porrigat ipſe manum.

Hos verſus D. *Jameſius* S. Aldhelmo adſcribit, eos verò inter Mſs. Codd. in Bibliotheca Cotton. ſub effigie *Caligulæ* Lit. A. Cod. XI. n. 3. aſſervari à *Thoma Smitho* in Catalogo pag. 34. edocemur.

Salmaſii de eo judicium. *Egregius auceps antiquarum vocum* dicitur à *Salmaſio* ad Spartian. pag. 647. ubi Apographum ejus ex vetuſtiſſimo Codice à *Jureto* ſibi communicatum laudat. Quæ laus verò mihi ejus non abſimilis videtur, quâ *Lenæus Grammaticus,* ætate Cæſaris Auguſti, Salluſtium ornavit, eum vocans *priſcorum Catonis verborum eruditiſſimum furem.* Vocabula verò *Aldhelmi* deſita, obſoleta, & inuſitata excerpit & illuſtrat *Cerda* in adverſariis ſacris cap. 165. pag. 430. ſeq. Plura ejus loca præter Meurſium mantiſſa ad lib. de luxu Romanorum cap. 1. emendat Jo. Frid. Gronovius in Monobiblo Obſervationum Eccleſiaſticarum cap. 2. 8. 15. 20. & Barthius in Adverſ. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. p. 142.

Quanti ejus Scripta fecerit S. Bonifacius. Quanti Scripta S. Aldhelmi fecerit *S. Bonifacius* adhuc Diaconus, indicat Epiſtola 4. his verbis: *Obſecro, ut mihi Aldhelmi Epiſcopi aliqua opuſcula, ſeu proſarum ſeu metrorum aut rythmicorum dirigere digneris ad conſolationem peregrinationis meæ & ob memoriam ipſius beati Epiſcopi.* Factus eſt dein S. Bonifacius Sacerdos anno circiter DCC. XII. Epiſcopus Romæ an. DCCXXIII. Martyr anno DCCLV.

Ipſius vitæ Scriptores. Vitam S. Aldhelmi in literas retulêre præter Bedam *S. Egwinus* Wicciorum Epiſcopus ejus æqualis, *S. Oſmundus,* Sariſberienſis Epiſcopus ſeculo XI. *Eadmerus* Cantuarienſis & Willelmus Malmesburienſis Monachi ſeculo inſequenti. Ejus meminerunt Scriptores Rerum Anglicarum plerique, & poſt antiquos Harpsfeldius ſeculo 7. cap. 19. & ſec. 18. cap. 11. Eduardus Maihew in Trophæis Anglic. ad diem XXV. Maji & Alfordus in Annalibus Eccleſiæ Anglicanæ ab anno 666. quo ſtatuit Abbatem creatum, & ad annum 709. quô è vita migravit. Henricus Warthon in Angliæ ſacræ Parte II. ubi librum de vita Aldhelmi à Willelmo Malmesburienſi ſcriptum, & in quatuor partes diſtinctum edidit, cujus compendium, ſeu Elogium Aldhelmi à ſe contextum Mabillonius in prima parte ſeculi tertii Benedictini vulgaverat, conqueſtus, ſe nullam ejus vitam potuiſſe aſſequi. At nactus poſteà hanc à Malmesburienſi ſcriptam, edidit in Appendice primæ partis ſeculi quarti, & quidem (ut præfatur) ex MS. Codice Bibliothecæ Cottonianæ, eodem veriſimiliter, unde Henſchenius & Papebrochius acceptam in Actis Sanctorum die 25. Maji in lucem emiſerunt.

IV. BEDA VENERABILIS PRESBYTER.

Obiit A. 735. VII. kal. Junii.

PRæcipuus hic Eccleſiæ Anglicanæ Doctor in auras vitales elatus eſt anno à partu Virgineo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio. Natale ſolum fuit ignobilis vicus *Girvum* dictus haud procul à *Tinæ* fluminis oſtio, in agro Dunel-

Bedæ natales & educatio.

Dunelmenſi. Iſtic lucis uſuram accepit à parentibus Anglo-Saxonibus, ſed ignotis, eo tempore, quo Egfridus Northumbris imperabat. Cùm ſeptimum ageret ætatis annum, curâ propinquorum datus eſt educandus *Benedicto Biſcopo.* Erat is monaſterii S. Petri ad *Weremutham* & monaſterii S. Pauli ad *Girvicum* reverendiſſimus Abbas, ut qui utrumque conſtruxerat. Quamvis unum potiùs monaſterium tum propter locorum viciniam, tum maximè ob unum idémque regimen, mutuúmque monachorum conſenſum & commercium cenſeri poterat. Regula S. Benedicti in utroque illo cœnobio à primordiis viguit. Fuit verò Beda non in Girwenſi, ſed in Wiremuthenſi monaſterio traditus. Biſcopo: tametſi poſteà apud Girvicum cum *Ceolfrido*, Biſcopi ſucceſſore manſit, ibidémque diem ſupremum explevit.

In Wiremuthenſi cœnobio monachū induit.

Ejus ſtudium & meditatio Scripturarum.

Quid rei egerit Beda in monaſteriis hiſce, nobis aperit in Epitome ſua his verbis: *Cunctum ex eo tempus vitæ in ejusdem Monaſterii* (Girwicenſis) *habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi: atque inter obſervantias diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui.* „ Verè hoc Bedam de ſe „ ſcripſiſſe, inquit Jacobus (q) Gretſerus è S. J. doctus Theologus, te„ ſtantur tot ejus in ſacras literas ex„ planationum volumina, & alia plu„ rima opuſcula partim de argumentis „ ſacris, partim de ingenuis & libera„ libus artibus compoſita; quæ pro„ fectò non niſi ab illo, qui ſemper „ aut diſcere, aut docere, aut ſcribe„ re dulce habuit, proficiſci potue„ runt. „ Summa ergò hæc vitæ ipſius fuit, meditatio & ſtudium Scripturarum, cui tantum impendebat temporis diſcendo, docendo, & ſcribendo, quantum ſibi poſt diſciplinæ regularis, & officiorum divinorum penſum ſupererat. Quo magìs mirandum eſt, hominem tantum tot rebus impeditum, nec poſthabuiſſe ſtatûs ſui officia, à quibus facilè eximi potuiſſet: nec tamen minus à ſummis viris aut didiciſſe, aut ſcripſiſſe: *Beda Monachus erat*, inquit Gaufridus Bouſſardus, *per dies & noctes cum Fratribus ſuis jugi pſallentio invigilans; ac veluti nihil oraret, ſtudiis literarum ſemper incumbens. Ejus vitam ſi conſideres, nihil ipſum literis indulſiſſe, ſi ſtudia, nihil orationi impendiſſe judicabis.* Ita ille in epiſtola ad Petrum Securibilem de editione Comentarii in Apoſtolum à Beda ex Auguſtini Operibus deflorati. Utinam etiam pia hæc mentis agitatio ad multos derivetur Bedæ exemplo! cui poſt monaſtica exercitia id ſolum cordi fuit, meditari Scripturas, diſcere, docere, & ſcribere. Quamquàm utriusque iſtius cœnobii Monachi non ſolis animi actionibus exercebantur: ſiquidem Biſcopus Abbas, teſte Beda in ipſius vita, *Fratrum ſimillimus aliorum, ventilare cum eis & tritulare, oves vitulásque mulgere, in piſtrino, in horto, in coquina, in cunctis Monaſterii operibus jocundus & obediens ga[illegible]debat exerceri.* Et Beda ipſe tametſi fortaſſe exterioribus officiis minùs occupatus, tamen amanuenſis & exſcriptoris laborem non deſugiebat, ut paulò pòſt videbimus.

Nullum fuit artis aut diſciplinæ genus, in quo vir diſcendi avidus non fuerit diligentiſſimè verſatus: in cujus rei ſubſidium præter Latinam, etiam Græcam linguam comparaverat. Quod quidem mirum eſt in homine privato, & in extremis ferè Britanniæ receſſibus intra Monaſterii parietes conſiſtente. Omnem verò ſtudiorum ſuorum rationem in Scripturæ ſacræ interpretationem conſerebat. Huc vigilias ſuas, huc lucubrationes dirigebat, quò poſſet vel in ſuo, vel in diſcipulorum animis tam ſanctum & laudabile ſtudium promovere.

Græcæ linguæ peritia.

Plures habuit præceptores Beda; in his *Tumberthum* Monachum, Ceaddæ Licciſeldenſis Epiſcopi diſcipulum, quem unum fuiſſe *de iis, qui ſe in Scripturis erudiebant*, fatetur Beda in Hiſt. lib. 4. cap. 3. Sunt, qui eum *Joannis de Beverlaco*, Epiſcopi Haguſtadenſis diſcipulum ajunt, rectiùs *Joannis Archicantoris Romani* dixeris, quem ſui futurum magiſtrum monaſterii Biſcopus Româ in Angliam adduxerat. Nec dubium, quin aliquos audierit ex doctiſſimis diſcipulis Theodori & Cantuarienſis Epiſcopi & Hadriani Abbatis.

Præceptores.

Anno ætatis decimo nono Diaconatûs, anno triceſimo Presbyteratûs gradum ſuſcepit. Sacerdotiô initiatus, non antè, libris ſcribendis operam dedit. Qua in re Accam Haguſtaldenſem Epiſcopum præcipuè hortatorem, & incitatorem habuit, cujus exſtat

Fit Presbyter, & [illegible]os [illegible]re incipit,

(q) in Dedicatione Commentarioli de ſanctis Palæſtinæ locis ad Steph. Abbatem Schirenſem; qui extat Opp. Tom. 4. pag. 240.

Primus in 7 Epiſt. Cathol. commentatur.

exſtat epiſtola Bedæ inſcripta ante ipſius Bedæ commentaria in Evangelium Lucæ. Primus fuit, qui nobis integram in ſeptem Epiſtolas Catholicas reliquit expoſitionem. Etſi verò Beda tantis rebus dignus, & tam arduis occupatus ſtudiis eſſet, tantâ tamen fuit modeſtiâ, ut Scriptoris amanuenſis operam non ſubterfugiens, *ipſe ſibi dictator, ſimul notarius, & librarius exſiſteret.* Nec nova ſolummodò excudebat Opera; vetera quoque in lucem extrahebat, vel in compendium redacta novo indumento, ut lectoribus gratiora acciderent, amiciebat. Teſtem fero, inquit laudatus *Gretſerus,* hunc Commentariolum de Palæſtinæ locis ſanctis, quem ab Adamaño Scoto, ſeu Hiberno religioſiſſimo, atque celeberrimo Abbate, ex ore Arculphi, Epiſcopi Gallicani compoſitum ipſe Breviatoris munere functus, epitomavit. In omnibus verò lucubrationibus ſuis Beda doctrinæ SS. Patrum addictiſſimus fuit, ita ut non tam nova opera cudiſſe, quàm ex ipſorum monumentis collectanea excerpſiſſe fateatur. Locum ſemper, ex quo profecit, ad marginem annotavit. Quo iniquior in virum modeſtiſſimum Deſiderius Eraſmus, qui in adnotationibus ad Marci cap. 14. ſugillat Bedam, ob diſſimulatum, ut putat, Hieronymi nomen, dum locum ex Hieronymi commentariis in Matthæum Beda tranſcribit in Marcum, quaſi novi commenti gloriolam ex veterum ſcriptis ſuffurari voluerit. At longè alia mens Bedæ fuit, lectorem in expoſitione in Evangelium Marci obſecranti, *ut ſi hæc opuſcula tranſcriptione digna duxerit, adnotationem nominum eorum, quæ in margine appoſita ſunt, diligens ſcriptura conſervet.*

Tantam exiſtimationem ingenii ſui monumentis Beda obtinuit etiam apud exteros, ut ipſum Sergius Pontifex Romanus Romam arceſſiviſſe dicatur: cujus rei epiſtolam à Sergio ſcriptam profert Willelmus Malmesburienſis in libro I. de Regib. Angl. cap. 3. Bedam tamen non vertiſſe patrium ſolum, communior opinio eſt, ſatiſque intelligitur ex ipſius Epitome, *ubi cunctum ab infantia tempus vitæ ſuæ in ſui monaſterii* habitatione à ſe peractum adfirmat.

Numerus Diſcipulorum:

Habuit verò ſuo in monaſterio tot ferè diſcipulos, quot Monachos, id eſt, ſexcentos; tot enim in Wiremuthenſi & Girwenſi Congregatione Cœnobitæ degebant: immo etiam alios ex diverſis monaſteriis confluentes, ut ipſius eruditione proficerent. Iſtic auditores habuit *Euſebium* ſeu *Huetbertum* (nam binominis erat, ut patet ex præfatione ad librum IV. in Samuelem) poſteà Abbatem Wiremuthenſem, cui *librum de ratione temporum, & Explanationem in Apocalypſin*; *Cuthbertum* Huetberti ſucceſſorem, cui *librum de arte metrica* nuncupavit; *Conſtantinum,* ad quem exſtat libellus de numerorum diviſione, *Nothelmum* primò Presbyterum Londinenſem, deinde Epiſcopum Cantuarienſem, quo petente edidit *librum Quæſtionum* 30. in libros Regum, & alios, quorum nomina nobis ignota. Nec tamen intra Monaſterii ſui cancellos ita ſeſe continuit, ut foras prodiêrit nunquam. Superiore ſeculo tenebris eruta eſt ipſius epiſtola ad Egbertum Eboracenſem Archiepiſcopum adversùs corruptos ſui ſeculi mores, in qua hæc præfatur: *Memini te heſterno dixiſſe anno, cùm tecum aliquot diebus legendi gratia in Monaſterio tuo demorarer, quòd hoc etiam anno velles, cùm in eundem devenient locum, me quoque ob commune legendi ſtudium ad tuum accipere colloquium.* Id intelligendum videtur de Monaſterio Eboracenſis Eccleſiæ, in quo Egbertus adhuc Monachus, Ceolwlfi Northanimbrorum Regis conſanguineus, Bedam præceptorem habuiſſe fertur in vita Alcwini Abbatis.

quibus varios libros inſcribit.

Vita in eo ſanctitas & modeſtia.

De vitæ illius ſanctitate (non enim hîc rem tantùm literariam ſpectamus) legendus eſt *Willelmus Malmesburienſis lib. 1. de Regibus Angl. cap. 3.* Modeſtiam viri ſatis indicat *liber Retractationum ab ipſo editus in Acta Apoſtolorum, exemplo eximii Doctoris ac Pontificis Auguſtini. Quod quidem præſtitit, maximè vel addendi, quæ minùs dicta, vel emendandi gratiâ, quæ ſecùs quàm placuit dicta videbantur.* Ex hoc modeſtiæ affectu Beda non propriam in exponendis Scripturis ſententiam, ſed ſcita ſanctorum Patrum exprimere ſtuduit. Id jam ſuperiùs dictum.

Nec tamen homo veritatis amantiſſimus ſic in auctoritate majorum totus erat, ut quidquid illi dixiſſent, nullô delectu ſibi adfirmandum eſſe putaret. Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum ſecutus erat Beda, dum in Commentario in Acta Apoſt. cap. 1. ſcripſit, Simonem Zelotem eundem eſſe, *qui poſt Jacobum fratrem Domini Hieroſolymorum rexit Eccleſiam, ac ſub Trajano crucis martyrio coronatum fuiſſe, cùm centum & viginti eſſet annorum.*

rum. Quod tamen in Retractationibus ſuis in dubium revocat: tametſi non adhuc conſtanter negare audeat. Poſſunt & alia adduci teſtimonia, quibus probemus, Bedam non ita credulum ac præcipitis fuiſſe judicii in ſcribenda Hiſtoria ſua: cùm etiam in ſcriptis Patrum delectum ac cenſuram adhibuerit. Lege ipſius Præfationem Hiſtoriæ ad Ceolwlfum Regem, in qua quibus auctoribus res à ſe relatas didicerit, declarat.

Vix autem Beda diſcere, docere, & ſcribere priùs deſiit, quàm vitam agere; nam ut Wilhelmus Malmesburienſis ſcribit, ſupremo decumbens morbo *totis diebus, præter debitum pſalmodiæ penſum aſſiduùs ad diſcipulos lectionibus, ruminandiſque & abſolvendis quæſtionum difficultatibus, gravedinem valetudinis decipere ſuſpenſa interim cogitatione nitebatur, & ſubinde monebat diſcipulos: Diſcite filioli, dum vobiſcum ſum; neſcio enim quamdiu ſubſiſtam.*

Ejus obitus Anno 735. 7. kal. Jun. Finem vivendi fecit anno Chriſti 735. die feſto Aſcenſionis dominicæ 7. kal. Junii. Quam ſanctus verò ille fuerit, docet ejus diſcipulus Cutbbertus in epiſtola ad Cuthwinum de Bedæ morbo & obitu. Morti proximus dedit Fratribus ſuis Presbyteris xeniola (S. P. Benedictus enim in Regulæ ſuæ cap. 54. eulogias non prohibuit, modò ne darentur, acciperentúrve citra conſcientiam Abbatis) ut memoriam ſui haberent inſacris Officiis, ad eum modum, quô Antonius Athanaſio *melotem unam*, Serapioni *alteram*, Fratribus *cilicinum veſtimentum* teſtamento reliquit. *Sepultus eſt in Gyrwe*, inquit Turgotus Prior Dunelmenſis, *in cujus videlicet Bedæ honorem porticus ad aquilonarem plagam eccleſiæ S. Pauli in Girwe conſecrata, venerandam Fidelibus nominis ejus ibidem præſtat memoriam. Oſtenditur etiam locus hodie, ubi de lapide manſiunculam habens ab omni inquietudine liber ſedere, meditari, legere, dictare conſueverat, & ſcribere.* Epitaphium ex Thuaneo Codice exſcriptum ſic ſonat:

Epitaphium.

Cryſtallus patriæ, gregis aſtrum, lumen avorum,
Laus juris, bajulus legis, honórque jacet.
Beda datus ſacris, gravitate ſenex, puer annis,
Devota mentis æthera thure replet.
Diſcit, ſerutatur divina, docet, meditatur:
Hujus cura Deo reddere vota fuit.
Juſtitia ſedes, virtutum regia, caſus
Illecebra, gladius lubrica carnis arans.
Enſe pio verbi confratrum caſtra tuetur,
Ne Chriſti miles hoſte ruente ruat.
Nam invaſit eo præſente penuria mentes:
Eſurie latis paſcua læta fuit.
Hujus in eccleſia nardus reſpirat odorem,
Et circumfuſos mulcet odore bono.
Hic dum ſubtrahitur cæco carbunculus orbi,
Orbis damna ferens munere lucis eget.
Vellere depoſito ſuperum comitatur ovile,
Cui merces operis vita beata Deus.

Statim post mortem Sanctus habetur. Statim ab ipſo obitu Venerabilis Beda *Sanctus* habitus eſt & appellatus. Certè Elfredus Presbyter Dunelmenſis, referente Turgoto in lib. 3. Hiſt. Dunelm. cap. 7. *ad Monaſterium, quod eſt in Gyrvum, ubi Bedam Doctorem converſatum, defunctum, & ſepultum noverat, ſingulis annis adveniente anniverſaria dormitionis ejus die venire, ibique precibus & vigiliis ſolebat inſiſtere.* Vivebat verò Presbyter ille Eadmundo Epiſcopo Dunelmenſi, qui anno 1020. electus eſt. Is eſt Elfredus, qui ſancti Bedæ Reliquias clanculum ſuffuratus Dunelmum tranſtulit. Hugo autem Dunelmenſis Epiſcopus anno 1154. electus, *feretrum nimis pretioſum, auro puriſſimo, & argento mundiſſimo optimè fabricatum, lapidibúsque pretioſis opere mirifico adornatum conſtruxit, in quo viri venerabilis Bedæ Presbyteri & Girwenſis Monachi oſſa cum multorum aliorum Sanctorum Reliquiis collocavit,* ſicut in appendice ad Turgotum legitur.

Cur *Venerabilis Presbyter* dicatur. Multis Elogiis celebratur Beda, tum ſubparibus, tum ſequioribus. Quo verò tempore, quáve de cauſa Beda ſit dictus *Venerabilis Presbyter*, inter eruditos etiamnum diſceptatur. Si Trithemio credimus, *Venerabilis* dictus eſt, dum adhuc in vivis erat, ideò ſcilicet, quòd cum ipſius homiliæ eo vivente in Eccleſiaſticis Officiis lectitarentur, *Venerabilem* nuncupabant, quem adhuc in carne degentem nondum poterant *Sanctum* appellare. Quo factum ſit, ut nomen *Venerabilis* paſſim uſu receptum apud omnes, hactenùs auctoritatem retinuerit. Verùm hæc opinio, tametſi apud pleroſque invaluerit, ſuas patitur difficultates. Cur verò, inquis, *Presbyter*, non *Monachus* vocatur, ſi Monachus fuit? Nimirùm tanta erat quondam (ut par eſt) exiſtimatio ſacerdotalis dignitatis, ut qui hoc gradu inſigniti erant, miſſis aliis nominibus Presbyteri vocitarentur. Hinc Hieronymus & ipſe (ut ſæpè fatetur) Monachus, vulgò Presbyter audit. Imò etiam Abbates Presbyteri (nam Presbyteri quondam non erant omnes) ob gradus dignitatem *Presbyteri*, tarò Abbates dicebantur. Hæc cauſa eſt, cur SS. Cariléſus, Richarius, Gallus, Walaricus, etſi Abba-

tiali dignitate præditi, tamen *Presbyteri* in antiquis Martyrologiis cognominari ſolent.

SCRIPTA V. BEDÆ.

Alia ſunt certa, alia dubia, alia ſubdititia, alia relicta, alia deperdita.

Opera certa. I. *Certa* ſunt, quæ continentur in catalogo Operum, quem ipſe ſanctus Doctor ad calcem Hiſtoriæ contexuit. Sunt verò ſequentia:

„ In principium Geneſis uſque ad „ nativitatem Iſaac, & ejectionem „ Iſmaëlis libros tres.

„ De tabernaculo & vaſis ejus ac „ veſtibus Sacerdotum libros tres.

„ In primam partem Samuelis, id „ eſt, uſque ad mortem Saulis, libros „ quatuor.

„ De ædificatione Templi allegoricæ „ expoſitionis, ſicut & cætera, li„ bros duos.

„ Item in Regum, librum triginta „ quæſtionum.

„ In Proverbia Salomonis libros tres.

„ In Eſdram & Neemiam libros tres.

„ In Cantica Canticorum libros ſex.

„ In Canticum Abacuc librū unum.

„ In librum B. Patris Tobiæ explana„ tionis allegoricæ de Chriſto & Eccle„ ſia librum unum.

„ Item Capitula lectionum in Penta„ teuchum Moyſi, Joſue, Judicum.

„ In libros Regum & Verba dierum.

„ In librum B. Patris Job.

„ In Parabolas, Eccleſiaſten, & „ Cantica Canticorum.

„ In Eſaiam Prophetam, Eſdram „ quoque & Neemiam.

„ In Evangelium Marci libros qua„ tuor.

„ In Evangelium Lucæ ſex.

„ Homeliarū Evangelii libros duos.

„ In Apoſtolum quæcunque in Opu„ ſculis S. Auguſtini expoſita inveni, „ cuncta per Ordinem tranſcribere cu„ ravi.

„ In Actus Apoſtolorum libros duos.

„ In Epiſtolas ſeptem Canonicas li„ bros ſingulos.

„ In Apocalypſim S. Johannis li„ bros tres.

„ Item Capitula lectionum in totum „ Novum Teſtamentum excepto Evan„ gelio.

„ Item librum Epiſtolarum ad di„ verſos, quarum de ſex ætatibus ſe„ culi una eſt.

„ De manſionibus filiorum Iſraël „ una.

„ Una de eo, quod ait Eſaias: *Et* „ *claudentur ibi in carcerem, & poſt* „ *multos dies viſitabuntur.*

„ De ratione biſſexti una.

„ De æquinoctio juxta Anatolium „ una.

„ Item de Hiſtoriis Sanctorum. Li„ brum vitæ & paſſionis S. Felicis Con„ feſſoris de metrico Paulini opere in „ proſam tranſtuli.

„ Librum vitæ & paſſionis S. Ana„ ſtaſii malè de Græco translatum, & „ pejùs à quodam imperito emenda„ tum, prout potui, ad ſenſum correxi.

„ Vitam S. Patris Monachi ſimul & „ Antiſtitis Cuthberti & priùs heroico „ metro & poſtmodùm plano ſermone „ deſcripſi.

„ Hiſtoriam Abbatum Monaſterii „ hujus, in quo ſupernæ pietati deſer„ vire gaudeo, Benedicti, Ceolfridi, & „ Hutberti in libellis duobus.

„ Hiſtoriam Eccleſiaſticam noſtræ „ inſulæ ac gentis in libris quinque.

„ Martyrologium de natalibus ſan„ ctorum Martyrum diebus, in quo „ omnes, quos invenire potui, non ſo„ lùm quâ die, verùm etiam quo gene„ re certaminis, vel ſub quo judice „ mundum vicerint, diligenter adno„ tare ſtudui.

„ Librum hymnorum de diverſo me„ tro ſive rhytmo.

„ Librum Epigrammatum heroico „ metro ſive elegiaco.

„ De natura rerum, & de tempori„ bus libros ſingulos.

„ Item de temporibus librum unum „ majorem.

„ Librum de ortographia alphabeti „ ordine diſtinctum.

„ Item librum de metrica arte, & „ huic additum alium de ſchematibus, „ ſive tropis libellum; hoc eſt de figu„ ris modíſque locutionum, quibus „ Scriptura ſancta contexta eſt.

Præter Opera Bedæ in ſuo Indice recenſita, pauca ſunt, quæ ipſi tribuere tutò poſſimus, inquit Mabillonius, excepta *epiſtola ad Egbertum* Eboracenſem Pontificem; ſcripta *poſt annos triginta à morte Aldfridi Regis Northanimbrorum*, hoc eſt anno Chriſti 735. qui Bedæ ſupremus fuit. *Commentaria in Evangelium Joannis*, ſi quidem Bedam habent auctorem, poſt annum 731. ab eo ſunt edita, quæ velutiquoddam Auguſtinianæ Expoſitionis compendium eſſe videntur, inſertis hinc inde ſententiis aliorum Patrum, ut capite IV. agens de Regulo, verba Grego-

rii

rii Magni adducit. Certè Jonas Epiſcopus Aurelianenſis Ludovici Pii æqualis in lib. 1. de Inſtitut. laicali cap. 13. citat plures verſus ex Beda in *Homilia Evangelii vigeſima*, qui in prædictis Commentariis leguntur capite ſecundo. Unde ſuſpicatur Mabillonius legendum eſſe apud Jonam, *in Homilia Evangelii ſecunda.* Et quidem Alcwinus in præfatione Commentarii ſui in Joannis Evangelinm ex homeliis beati Bedæ Presbyteri multa ſe adſumſiſſe fatetur. S. Thomas tamen in Catena ſua allegat quandoque ex Beda, quæ in editis non habentur, & conveniunt cum *Erici* commentariis. Cæterùm Johannes Martianay (r) vocat V. Bedam *quaſi publicum patrem, cui omnes ferè Scripturæ ſacræ expoſitiones adoptârunt imperiti exſcriptores.*

Opera dubia. 2. In *dubiorum* claſſem rejicienda ſunt *Expoſitiones in Mathæi Evangelium.* Cl. Fabricius in Bibl. med. & inf. Lat. lib. 11. p. 509. refert, Joannem Aventinum Melanchtoni teſtatum fuiſſe, ſe in Mſ.to Paſſavienſi legiſſe enarrationem verborum Cœnæ Dominicæ, quæ in editis deſideratur. *Commentarius in Pſalmos*, ſeu *de Pſalmorum libro Exegeſis*, ubi etiam mentio Pſalmi centeſimi quinquageſimi primi, atque enumerantur diapſalmata LXXIX. Fatetur tamen Mabillonius, ſe in Bedæ Homiliario Thuaneo vetuſtiſſimo legiſſe manu recentiori ante annos 400. adſcriptum: *Ego non peto librum Expoſitionis Bedæ ſuper Evangelia, ſed peto librum Expoſitionis Bedæ ſuper Pſalmos Pſalterii. Vitæ Sanctorum*, exceptis *Actis SS. Felicis, Cuthberti, & Anaſtaſii*, quæ Beda agnoſcit ut ſua; *De Officiis libellus* ex Patrum dictis excerptus. Vix digna Bedâ collectanea, judice Queſnello pag. 551. ad Leonem Magnum: & junioris Scriptoris eſſe oportet, in quo Anaſtaſius citatur in vita Melchiadis Papæ. *Commentarius in Boetii librum de Trinitate.* Bedæ non eſſe vix dubitant viri eruditi, ſive auctor ſit Eadmundus Albanus, ſive quis alius, ut Fabricius in Bibl. Latina III. 15. 8. annotavit. *Meditationes Paſſionis Chriſti per ſeptem diei horas. Libri de elementis Philoſophiæ. Liber de remediis peccatorum*, quem jam inter ſuppoſititia relegavit Spelmannus Tomo I. Concil. Angl. tametſi in Collectione canonum Regino-Pœnitentialem librum *Theodori* ſeu *Bedæ* citat in lib. 1. cap. 297. Ivo etiam & Gratianus ex *Pœnitentiali Bedæ* referunt capitulum de *Sacerdote Euchariſtiam vomente.* Exſtat cum Pœnitentiali Romano, ſive Canonibus pœnitentialibus editum ab Antonio Auguſtino Venet. 1584. pag. 102. & in Henrici Spelmanni Conciliis Angliæ pag. 281. qui teſtatur in MS. referri ad Agbertum ipſum, ſive *Egbertum* Archiepiſcopum, tanquam Auctorem. Ex *Homiliis Bedæ* vult Mabillonius homilias in *Dominicos dies poſt Trinitatem*, item in feſtos *S. Stephani Protomartyris, S. Scholaſticæ, S. Mariæ Magdalenæ, Transfigurationis Domini, Adſumtionis B. Mariæ, S. Bartholomæi, Nativitatis B. Virginis, S. Michaëlis, S. Lucæ, Præſentationis B. Mariæ*, & alias de *Communi Martyrum* &c. aut ſubdititias eſſe, aut certè ex ſinceris Bedæ commentariis in Marcum & Lucam expreſſas. Certè *Homilia de S. Scholaſtica* S. Bertario Abbati Caſinenſi tribuitur in Caſinenſi cod. mſ. & *ſermo in feſto omnium Sanctorum* legi ſolitus adſcribitur HRabano Mauro in apographis nonnullis, neſcio an benè. Illud movet, quod Feſtum omnium Sanctorum inſtitutum eſt à Gregorio Papa III. ut probant veterrima Uſuardi exemplaria, & Hugo Menardus in librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 184. at ſermo iſte Bedæ ſtylum ſapit.

Opera ſuppoſititia. 3. Inter Opera *ſuppoſititia* Bedæ collocandum eſſe Petavius putavit libellum *De loquela per geſtum digitorum, & de temporum ratione.* Aliud tamen viſum Joanni Aventino, ut Cl. Fabricius in Bibl. Lat. IV. 6. 12. notavit. Meliùs probat Oudinus Tom. I. pag. 1683. quòd *Computus vulgaris*, ſive *Ephemeris* Auctoris Bedæ junioris ſit. *Martyrologium* verſibus hexametris, quod incipit: *Primum nunc Jani vocitatum nomine menſem*, Wandelberti Prumienſis, non Bedæ eſt. *De emboliſmorum ratione computus* cum tetraſtichis ſingulis ad ſingulos menſes. Etiam hunc computum Bedæ abjudicandum & *Radulpho de Lingham* Anglo adſcribendum eſſe, Oudinus diſputat. *Muſica Theorica & Practica* (ita lege pro *Quarta*) ſen *menſurata*, junioris eſſe Scriptoris contendit Oudinus, quem vide Tomo I. pag. 1685. *Proverbiorum & ſententiarum liber* ordine alphabetico. Hunc & *ſententias* ſive *axiomata philoſophica*, & ſententias in Ciceronis libris III. de Officiis Bedâ indignos & longè recentioris eſſe Scriptoris

(r) Tom. II. Oper. S. Hieron. pag. 50.

ptoris idem Oudinns diſputat. *De ſubſtantiis libellus* non à Beda, ſed à Benedictino aliquo duodecimi vel undecimi ſæculi compoſitus fuit, judice eodem Oudino. Διδαξέων. ſive *Elementorum Philoſophiæ* libri IV. non Bedæ, ſed *Guilelmi de Conchis*, de quo vid. Fabric. in Bibl. med. & inf. Lat. *Epiſtola de divinatione mortis*, apage hanc, inquit Mabillonius, quæ deliramenta quantum à mente pii hominis abſint, probat Epiſtola ad *Herenfridum Presbyterum* libello de Tonitruis à ſe Latinè verſo præfixa. *Arca Noæ* Eccleſiæ typus & de *linguis gentium*; item *Sibyllinorum verborum interpretatio* næniæ Bedâ indignæ ab Oudino vocantur. Vitæ SS. *Vedaſti*, *Columbani*, *Patritii*, *Euſtaſii*, *Bertholfi*, *Arnolfi*, *Burgundoforæ* ſunt ſuppoſitæ Venerabili Bedæ. Vid. Poſſevinus, Bellarminus, Miræus, & quos pro ſe allegant. *Martyrologium* neutiquam ſincerum Bedæ, ſed multis modis interpolatum. Vide Bollandum Præfat. ad Tom. I. Act. Sanct. Jan. pag. 40. ſeq. *Interpretatio nominum Hebraicorum* ordine alphabetico. Hanc Oudinus teſtatur in codicibus optimæ notæ tribui Remigio Autiſſiodorenſi. *Excerptiones Patrum*, *collectanea*, *flores ex diverſis*, *quæſtiones & parabolæ*, & alia, quæ in Bedæ Opp. Tomo III. ſequuntur, parùm digna ipſius ingenio judicantur à viris eruditis. *De XII. luminaribus Eccleſiæ*. Hoc eſt, quod fertur etiam ſub Hieronymi nomine de XII. *Doctoribus ad Deſiderium*, atque in Bibliotheca Eccleſiaſtica ſubjectum eſt à Cl. Fabricio Catalogo Hieronymiano, licèt nec Hieronymum, nec Bedam habeat auctorem. *In Jobum* libri III. ſunt Philippi Presbyteri, cujus fidem facit ipſe Beda libro de ratione unciarum. *Homiliæ ac Sermones* non pauci ſuppoſititii, de quibus ſpeciatim videnda, quæ monet Mabillonius, & ex eo Oudinus Tomo I. pag. 1699. ſeq. *Sermo in Pſalm. LIII. 3. Deus de cælo proſpexit*, ejuſdem eſt auctoris cum libro de ſubſtantiis.

Opera in editis deſiderata.

4. In editis Bedæ Operibus deſiderantur (ni fallor cum Mabillonio) genuina ejus Opera quædam, nempe *Explanatio in Canticum Habacuc*, quod tamen typis vulgavit Henricus Warthon Lond. 1693. & Edmundus Martene Tom. V. Theſ. Anecdot. Item deſideratur Carmen *de divino judicio ad Accam Epiſcopum*, editum à Simeone Dunelmenſi Monacho in libro de geſtis Regum Angl. qui Bedæ etiam in mſ. cod. Thuaneo adſcribitur. *Epiſtola Apologetica* pro libro de ſex ætatibus ad *Plegwinam* Monachum adversùs alterius monachi *Davidis* objectiones, quæ unà cum Hiſtoria *Abbatum Monaſteriorum Wiremuthenſis & Girwenſis*, & epiſtola ad Egbertum Eboracenſem Antiſtitem de Chriſtiani Præſulis officio primùm à Waræo, tum à Warthono vulgata eſt. *Epiſtolam ad Albinum* exhibet Mabillonius Analect. Tom. I. pag. 9. Expoſitionis in Geneſeos capita priora XXII. ex quibus tantùm in caput primum, & initium ſecundi, lucem Tomo IV. viderat, luci publicæ donavit Warthonus. *Sincerum Bedæ Martyrologium* Henſchenius in Tomo II. Actorum Sanctorum Martii juris publici fecit: in quo tamen an *Feſtum omnium Sanctorum* locum habere debeat, dubius hæret Mabillonius; cùm Beda quatuor tantùm annis vixerit poſt creationem Gregorii Papæ tertii, qui hujus ſolemnitatis auctor habetur. *Metricum Bedæ Martyrologium* in Spicilegii Acheriani Tomo X. vet. edit. novæ autem Tomo II. prodiit. Deſideratur genuinus Bedæ in *Epiſtolas Pauli Commentarius*, qui nondum lucem vidit, ſed MS. extabat apud Mabillonium, ut ipſe teſtatur Tomo I. Analectorum pag. 51. & novæ editionis fol. 788. *Fragmentum de temporibus* extat apud Munſterum lib. 2. Coſmographiæ, quod in editis non comparet. *Hymni* aliquot occurrunt in collectione Caſſandriana.

5. Inter Opera deperdita à Guilielmo Cave in Hiſt. Liter. de Scriptoribus Eccleſiaſticis recenſentur 1.) *Commentarius in Eſaiam Prophetam.* 2.) *Epiſtolarum liber.* 3.) *Tractatus de manſionibus filiorum Iſraël.* 4.) In illud Eſaiæ, *Et claudentur ibi in carcere; & poſt dies multos viſitabuntur.* 5.) *Epigrammatum liber.* 6.) *Liber de vita & paſſione Anaſtaſii*, quem malè è Græco translatum, & pejus à quodam imperito emendatum Beda ad ſenſum correxit.

Opera deperdita.

Opera V. Bedæ priùs in unum corpus quàm congeſta typis exſcriberentur, variis hinc inde ac parùm nitidis editionibus excuſa fuerunt, quas enumerare nullius pretii operam exiſtimo. Collecta verò tribus in folio tomis primus edidit Pariſiis anno 1544. Franciſcus Jametius, quæ cùm brevi tempore non ſine rei ſuæ familiaris commodo diſtraxiſſet, novam editionem multis partibus auctiorem, octo tomis comprehenſam adornavit anno 1554.

Opera omnia in unum corpus collecta.

Toti-

Totidem tomi ſunt, quibus Baſileæ apud Joannem Hervagium anno 1563. Coloniæ apud Antonium Hieratum anno 1612. & iterùm hîc loci apud Wilhelmum Frieſſem 1688. prodiit. In ultima hac editione, quæ Opera contineantur, diligentiùs recenſuit Caſimirus Oudinus, ita, ut illam ſecundùm tomos, & ordinem in iis contentum ſigillatim expenderet. Nec ſibi actum agere viſus eſt Cl. Jo. Alb. Fabricius, ſi & ipſe tanti Viri Scripta diſtinctè referret, quæ exſtant in octo tomis poſtremæ editionis Colonienſis, deinde illa, quæ in hiſce tomis deſiderantur. Ex mente autem Oudini Opera Venerabilis Bedæ in editionibus proximè futuris commodiùs ita diſtribuerentur.

Tomus I. ſeu volumen primum.
Eorum, quæ ſpectant liberales artes & philoſophiam.

Tomus II. Commentariorum in libros Veteris Teſtamenti.

Tomus III. Commentariorum in libros Novi Teſtamenti & Sermonum,
Qui omnes tomis quinto & ſexto editionum Bedæ continentur, nempe

Tomus IV. Hiſtoricorum vel Operum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantium.

Tomus V. Suppoſitorum, quorum incerti Authores ſunt. Quænam projicienda ſint foras, ſeu extra Bedæ Opera, apud Oudinum hæc omnia explicatiùs invenies. V. C. *Joannes Georgius Eccard* in Commentario de Rebus Franciæ Orientalis quædam in lucem protulit, quæ pro nova editione Operum V. Bedæ ſervire poſſunt. Sic

Venerab. Bedæ *Liber de ratione temporum cum Bibliothecæ Cathedralis Wirceburgenſis Codice collatus*, pag. 825.

Additamentum ad Bedæ Martyrologium, ex Codice Wirceburg. Sec. IX. exarato pag. 829.

Necrologium inſertum Bedæ Martyrologio ex Codice Wirceburg. Sec. IX. pag. 830.

Gloſſæ Theotiſcæ in Bedæ artem metricam, ex Codice Goldaſtino Bibliothecæ Bremenſis Sec. X. pag. 1002.

Notitiam aliorum mſs. Codicum, ad quorum fidem nova editio exigi & poteſt, & debet, Catalogi Bibliothecarum Angliæ, Galliæ, & Germaniæ ſuppeditabunt. Proximè in Collectione *Goriana* Veterum Monumentorum Florentiæ prodibit Opuſculum de VI. ætatibus Mundi V. Bedæ, deſcriptum è Codice Vallicelliano X. ſeculi, quod plurimum diſcrepat ab editionibus.

Supereſt, ut novæ editioni adornandæ Benedictini ſe accingant. Ut verò in Germania noſtra ab iis hoc fiat, optandum magìs, quàm ſperandum. Siqui enim ſunt, qui pauci fortè ſunt, qui id laboris ſubire velint, neceſſariis ad hanc ſpartam ritè obeundam præſidiis plerumque deſtituuntur, nec in magna opum affluentia iis adminiculis, abſque quibus nihil rectè, ac cum dignitate fieri poteſt, à Superioribus adjuvantur. Alii hoc ſtudiorum genus, tametſi in Ordine Benedictino antiquiſſimum, Monachis utiliſſimum, & à Summis Pontificibus magnoperè commendatum, haud adeò magni faciunt, ſi non omninò infra doctrinæ ſuæ dignitatem exiſtimant. Certè Familiæ noſtræ Theologum aliquando dicere audivi; Perpauca eſſe Opera, quæ fuerint à V. Beda elucubrata, eáque omnia uno tomo contineri. Ita bonus ille Theologus, magnus aliàs in ſpeculativis, ut vocant, rixator, in SS. Patrum Operibus evolvendis erat verſatus, ut ne elenchum quidem Operum Bedæ, Ordinis Benedictini illuſtriſſimi Sideris, perſpectum ac cognitum haberet. *De adornanda nova editione conſilium.*

Denique elogia, quibus V. Beda à viris doctis ornatur, *Thomas-Pope Blount* in Cenſura celebriorum Authorum accumulat, è quibus illud, quod eſt *Thomæ Fulleri*, Theologi Angli, hîc retuliſſe ſatis ſit. *Beda*, inquit, *ſeculi ſui omnigena eruditione ornatiſſimus fuit.* Incipiat ab ejus *Axiomatibus* „ *Sophiſta*, ad ejus Metaphyſica progrediatur *Baccalaureus*, ad ejus *Mathematica* Magiſter Artium. Ejus „ verò *Controverſiis*, & in *Scripturas* „ *Commentariis* concludat Theologus. „ Et cùm ſinguli in quavis harum *Artium ac Scientiarum* quovis Scripto- „ re Chriſtiano illius ſeculi præſtantiorem deprehendent. Univerſa ferme *Biblia* explanavit, in Anglicum „ idioma *Pſalmos & Novum Teſtamentum* transtulit. Vitam egit, quæ „ Commentarius fuit in hæc Apoſtoli „ verba: *In medio nationis pravæ ac perverſæ ſplendentes ut luminaria in mundo.* *V. Bedæ Elogia.*

Legi etiam merentur, quæ in laudem V. Bedæ commemorant *Jacobus Waræus*, & *Henricus Warthon*, Acatholici Angli, quorum prior ejuſdem epiſtolas duas & Vitas Abbatum Wiremuthenſium & Girwienſium vulgavit Dublini typis Johan. Crook an. 1664. in 8. poſterior ejuſdem Opera quædam theologica nunc primum edita, nec

non hiſtorica anteà ſemel edita, publicavit Londini per S. Roycroſt in 4. an. 1693. Breve quidem èſt, ſed elegans & eruditum *Venerabilis Bedæ elogium*, quod ſtylo lapidario exptesſit *Felix Egger* in idea Ordinis Hierarchico-Benedictini Part. III. pag. 608. hoc exordio: *Dum Bedam dico, ſcientiæ non unius Muſæum, ſed omnium Univerſitatem, Muſarúmque Præſidem dico &c.*

V.

S. BONIFACIUS
Archiep. Moguntinus.

Martyrio coronatꝰ A. 754. vel 755.

NAtale ſolum Bonifacii fuit Anglia, & quidem in Saxonia Occidentali urbs *Cridiantum*, *Crediton* ſeu *Kirton*, quæ in hodierno Devoniæ comitatu ſita, quondam ſedes Epiſcopalis, ab Oxonia ſex circiter milliaribus removetur. Quos parentes habuerit, cùm antiqua literarum monumenta memoriæ eos non prodiderint, in illorum nomina, ſtatum, ac conditionem vanis conjecturis inquirere nec volupe eſt, nec conveniens. Illud in comperto eſt, quòd perquàm illuſtri, non tamen regiâ, ut quidam volunt, ortus fuerit proſapiâ. Vix ſeptimum ætatis annum compleverat, cùm Monachis cœnobii Adeſtancaſtrenſis traditus eſt; ut literis juxtà ac piis moribus inſtitueretur. Quinquennio vel ſexennio pòſt admodùm adoleſcens religioni Benedictinæ ſe dicavit, multùm obnitente patre, quoad immiſsâ divinitùs ægrotatione, pervicacia ejus fuit expugnata. Diſcendi erat cupidiſſim s. Cùm verò in Monaſterio Adeſtancaſtrenſi, quod primò ingreſſus fuerat, litetarum ac doctrinæ minùs adverteret, quàm in optatis habebat, fieri ſibi ab Abbate Wolfardo poteſtatem petiit, ad Monaſterium *Nutſcellenſe*, aliis *Nuitcellenſe*, ubi eruditionis copia & occaſio majot, commigrandi. Annuente illo, ad Wigbertum, ejus Aſceterii Abbatem, qui id temporis & ſanctimonia vitæ, & doctrinæ opinione præſtabat, ſeſe contulit.

Ejus patria

& illuſtriſſ. proſapia.

Ordinem Benedictinum amplectitur.

Inſignis ejus progreſſus in literis.

Tanto igitur diſcendi atdote cùm ſanctus flagraret adoleſcens, támque idoneum in melioribus diſciplinis procedendi locum & magiſtrum conſecutus fuiſſet, in grammaticis, poëticis, theologicis tantos fecit progreſſus, quantos Anglia tum admirata eſt, & nos hodie, cum Nicolao Serrario loquor, in effectis, & pauculis, quæ ſuperſunt, literariis ejus monumentis, de quibus poſteà, ſuſpicimus. Hinc Gregorius II. Pont. Max.: *Experimur*, inquit, (s) *te ab infantia ſacras Literas didiciſſe, indolem & augmentum talenti cœlitùs crediti proſpectu divini timoris, extendere, videlicet gratiam cognitionis cœleſtis oraculi, in laborem ſalutiferæ prædicationis expendere.* Etſi verò in doctrinarum ſtudia toto pectore incumberet, nunquam propterea tamen ab opere manuali, quod à ſacra Regula præſcribitur, ſe exemit, quod magnæ laudi vertendum.

Monachos & Moniales SS. Literis,

Ex diſcipulo factus Magiſter non Monachos tantùm, ſed Moniales etiam, quæ tantæ ſapientiæ virum Magiſtrum expetiêrant, divinis literis inſtituit. Sacerdotio non ante triceſimum ætatis annum exactum initiatus Friſones Chriſtianis ſacris imbuendos, Pontificum deinde Gregorii II. Zachariæ &c. juſſu univerſæ Germaniæ populos excolendos ſuſcepit. Jam verò Bonifacii labores, ſudores, agones, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad Martyrium usque actorum curſum quis pro dignitate explicet? id certè nec propoſiti, nec inſtituti noſtri eſt. Quæ verò ad rem literariam pertinent, non æquè ſilentio nobis prætermittenda ſunt. Poſt ſtabilitam fidem Chriſtianam curas ad conſtituendas ſcientiarum Academias convertit; neque enim, quâ erat mentis perſpicaciâ, neſciebat, quantum rei Chriſtianæ intereſſet, ut feroces Germaniæ populi Muſas in amore ac pretio habere inciperent. Ab his quamprimùm literas imbibiſſent, dubio procul ſuturum, ut etiam mitiora ſaperent. Quapropter monachos juxtà ac Moniales quibus non minimum eſſet doctrinæ, ex Anglia in Germaniam evocavit. *Scientiâ variâ imbutos venire fecit*, inquit Othlonus in vita lib. 1. n. 25. His in mandatis dedit, ut apertis ludis literariis in Germanorum pectora Chriſtianæ pietatis amorem cum literis inſtillarent. Quod ab ipſis in Fritislarenſi, Fuldenſi, Biſchoffsheimenſi aliíſque compluribus monaſteriis haud ſegniter factum. Ad hæc Utiloni, potentiſſimo Bavariæ Duci auctor fuit, ut paſſim per ditionem id tempotis prævaſtam monaſteria excitaret, in quibus ii formarentur, qui Verbi divini præcones conſtitui poſſent. Ut ne verò id genus literarii exercitii ab obitu ſuo negligeretur, ad Fulradum, præcipuæ tunc in regno Francorum authoritatis, literas dedit, quibus enixè illum togavit, ut conſti-

Germanos Chriſtianis ſacris imbuit,

& Academias ibidem conſtituit.

(s) lib. 1. vitæ cap. XII.

tutos

tutos à ſe literarum Doctores Regi commendaret, quò eis neceſſarii vitæ ſumptus præberentut. Hoccine non erat, totis anniti nervis, ut ab illiterata Germania ignorantiæ ſqnallor depelleretur? Certè Boniſacius fuit, qui popularibus noſtris tunc temporis plerisque analphabetis primum ſubjecit corticem, quò è profundo inſcitiæ pelago emergerent atque enatarent.

literarũ ſemper amantiſſimus.

Quæ honeſtiſſima majoris doctrinæ flamma Boniſacii pectus à teneris annis ſuccenderat, ea ſubinde nec per occupationes maximas, labores plurimos, ipſum etiam ſenectæ frigus refrixit, ſed tota cum ejus vita vixit & arſit ſemper. Fuit omnino S. Boniſacius à puero ϗ φιλομαθὴς καὶ φιλόβιβλος, id eſt, diſcendi, libtósque verſandi & ſcribendi cupidiſſimus; adeò ut in Germania jam verſans, opúsque opetoſiſſimum & occupatiſſimum prædicationis Apoſtolicæ obiens, quidquid ab Evangelicis laboribus, peregrinationibus, & precibus vacui nanciſci, aut ſuffurari poſſet temporis, id verò totum ad divinorum libtorum lectionem & meditationem conferret. Hinc ex Anglia ſibi ab amicis libros iſtiusmodi, ſanctorúmque Patrum, & eruditorum Catholicotum lucubrationes mitti enixè ac frequenter obſecrabat, ut *Prophetarum libros* epiſt. XI. S. Petri Epiſtolas, & quidem ob ſuam erga illum obſervantiam teligionémque ſummam *literis auratis* conſcriptas, epiſt. XXXI.; *Quæſtiones* D. Auguſtini, Anglorum Apoſtoli, & ad eas D. Gregorii teſponſa epiſt. XXXV. ejusdem *S. Gregorii epiſtolas* epiſt. V. *Commentaria in D. Pauli Epiſtolas* ep. XXVIII. *Ven. Bedæ Commentarios* epiſt. XLIV. omnigenos *SS. Patrum Tractatus* ibidem, *SS. Martyrum Acta* epiſt. XXXV. Operæ pretium foret, hìc totam pænè ipſius ad Dudonem epiſtolam ptoferre, niſi Boniſacianam doctrinæ, librariæque gazæ cupiditatem demonſtrarent evidenter, quæ de ipſius martyrio à S. Wilibaldo c. X. & Othlono L. II. c. XXVI. conſcripta ſunt. Videmus enim in extrema etiam ſenectute, in evangelicis itineribus, Apoſtolicis occupationibus, eum absque libris nunquam fuiſſe, ita ut opum arcas putarent ſacrilegi ejns homicidæ, quæ libtorum erant, tantò utique illâ, in qua Homerum Darius & Alexander habuerunt, pretioſiores, quantò vate illo cœco ſacri noſtri VIDENTES, Evangeliſtæ, Apoſtoli, horúmque interpretes, & hyphegetæ majotes ac diviniores. Videmus etiam, quanto miraculo bonam librorum, quos barbari illi, à libris, & iis, quæ ſanctiſſima libri præciperent, alieniſſimi diſtraxerant, dilacerârant, in paludes abjecerant, & imerſerant, partem conſervavit Deus, & qnidem ita, ut ſuperſint adhuc aliqui, prout notat *Hagiologus*, & ſe, ſtrictim licèt ac per tranſennam, Fuldæ aliquando aſpexiſſe teſtatur Serrarius.

Martyrio coronatur An. 754. vel 755.

Vixit ſanctiſſimus Germaniæ Apoſtolus LXXXV. vel LXXXVI. annos, martyrio coronatus anno, ut Henſchenius & Mabillonius volunt, DCCLIV. ut Pagius verò, An. DCCLV.

Cavillatio Sagittarii retunditur.

Etſi verò gloriâ geſti in Germania Apoſtolatûs eſſet ornatiſſimus, non defuerunt tamen ſectarii, qui inſigni impudentiâ eum calumniis ac convitiis defœdare ſuſtinerent. Caſpar Sagittarius in Antiquitatibus Gentiliſmi & Chriſtianiſmi libro II. qnamvis non eat inficias, quòd S. Bonifacius puram Evangelii doctrinam prædicârit primitùs, poſtmodùm tamen decretis Papalibns plusquàm Verbo divino inhæſiſſe ſcribit, multásque adeò traditiones, ad quas jutamento adſtrictus fuerat, in Germanam Eccleſiam invexiſſe; effeciſſe etiam, ut ſacerdotes ſibi non obſequentes anathemate Papali ferirentur; prohibuiſſe etiam eſum carnium, orâſſe pro mortuis, & ſacrificium miſſaticum in Thuringiam introduxiſſe; Sanctos & invocâſſe ipſum, & horum invocationem non minùs, quàm cultum teliquiarum promoviſſe, Monaſteria pro Monachis & Monialibus hinc inde per Germaniam extruxiſſe &c. atqne adeò Bonifacium non ſanctum, ſed magnum fuiſſe peccatorem, multósque adeò Chriſtianos ſactos non tam convertiſſe, quàm pervertiſſe. Ita Sagittarius(t), quîcum plures alii hæretici ſtrenuè ululant, ac in ſanctiſſimum Germaniæ Apoſtolum, ceu ſignum, cui ab hæteſi contradicitur, innumeras convitiorum ſagittas conjiciunt. Quos degeneres filios, cuculósque ingratiſſimos fortiter repulit Nicolaus Serrarius. Ego cum Eminent. Card. Baronio (u) *recentiores provoco Saxones, atque Germanos hæreticos, ut reſpiciant* A QUIBUS SANCTUM ACCEPERINT EVANGELIUM, *& qui qualésve, aut cujus fuerint fidei, qui* PRIMAM *eis veritatem Catholicam propinârunt, à quo fluente Apoſtolica doctrina manârit, & videant,*

à qui-

(t) vide Acta Erud. Lipſ. ſan. 1685. m. Aug. p. 364.
(u) Annal. Tom. 9. an. Chr. 723. n. 16.

à quibus defecerint, & quibus adhæſerint. Vivit quidem, vivit in cœlis tantus Germanorum Apoſtolus, qui in noviſſimo die ab ipſis ſingulis ſigillum ſuæ prædicationis, & collatæ fidei depoſitum ſit apud magnum Judicem exacturus. Erit namque & ipſe vir Apoſtolicus ſedens cum Apoſtolis judicaturus, non duodecim tribus Iſraël, ſed Saxones & alios Germaniæ Populos, à quibus Catholica & Apoſtolica Eccleſia acceptum Evangelium, ipſúmque ſignis ac virtutibus divinitùs conſignatum tradidit, quo Uno è dæmonum cultu, ad Deum verum, & è tenebris in lucem magnam ſunt feliciter vindicati: Stabitis ſimul ante tribunal Chriſti, reddituri ingrati de acceptis per S. Bonifacium beneficiis rationem. Hæc Baronius Annal. Tom. 9. ad an. Chr. 723. n. 16. qui rursùs id anno Chriſti 755. n. 30. hæc habet de eodem. *Decebat Apoſtolicum virum Apoſtolicos uſque ad obitum ſubire labores, atque demùm Apoſtolatum ſuum relinquere, Apoſtolorum more, proprio ſanguine conſignatum, ut nihil minus haberet Germania ab aliis erectis ab Apoſtolicis viris Eccleſiis, ſed perenni memoria, ſummâ gloriâ tanto Apoſtolo gloriaretur & Martyre,* A QUO RECEPERIT EVANGELIUM *teſtatum ſanguine, morte ſignatum, miraculorum ſigillo munitum, atque etiam (ne quid deeſſet) ſcriptis multiplicibus roboratum &c.* Hæc pluráque alia Baronius.

Heymannus revincitur.

Mihi prima hujus Operis parte paucis reſpondere viſum fuit *Chriſtophoro Heymanno*, qui doctrinæ laudem ei detraxit. Nec dicta revoco, ſed addo: An exiſtimas Vir erudite, futurum unquam fuiſſe, ut Bonifacius idolomaniam everteret, errorum portenta diſſiparet, hæreſeon monſtra configeret, niſi inſigni præditus fuiſſet doctrinâ? Feroces atque indociles eruditione nationes, variis vitiis ac criminibus, quæ falſorum Numinum exemplo conſecrata fuerunt, oppreſſas gentes ad amorem virtutum, & Chriſtianæ pietatis cultum traducere, populos inhumanos difficillimis fidei myſteriis imbuere, novis moribus ac vivendi ratione inſtituere, ut quæ amaverunt, odio, quæ oderunt, amore proſequantur, quis unquam felicibus auſpiciis aggreſſus eſt, aut feliciter perfecit, niſi, qui doctrina & ſcientia vel infuſa aut acquiſita excelluit? niſi forſan exiſtimas in elucidandis fabuloſis poëtarum commentis, exponendis Rhetorum præceptis, enodandis philoſophorum argutiis, cæteríſque profanis literis florem requiri ſcientiæ, in recludendis verò cœleſtis ſapientiæ theſauris fœcem ſufficere doctrinæ. An exiſtimas Vir erudite, futurum unquam fuiſſe, ut Bonifacius à Sumo Pontifice, Chriſti in terris Vicario, fidei Chriſtianæ magiſter, cuſtos & amplificator conſtitueretur, niſi excellenti quadam doctrina ornatus fuiſſet? Hujus enim rei accuratum ſemper examen in vetere viguit Eccleſia, ut ad docendos populos nullus mitteretur, qui ſacræ doctrinæ opibus non abundaret. An exiſtimas Vir erudite, illos in Doctorum numero neutiquam habendos, de quibus ſcriptum legimus: *Qui ad juſtitiam erudierint multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* An non cumulatè verò id præſtitit Bonifacius? An non populos ab idolorum cultu abductos myſteriis Chriſtianæ religionis & ſacris omnibus initiavit? An non populos vitiis ac ſuperſtitionibus contaminatos in viam reduxit? An non cum hæreticis pertinaciſſimis congreſſus, eos diſputando errorum convicit, atque è terris Germaniæ ejecit? Et tu Bonifacium, qui hæc omnia præſtitit, doctum fuiſſe inficiari audes?

Ipſius vitæ Scriptores.

Qui res à S. Bonifacio geſtas uberiùs pleniúſque literis perſecuti ſunt, quinque è veteribus fuerunt. Primus Wilibaldus, de quo lis eſt inter neotericos Criticos, an idem cum S. Wilibaldo Eiſtettenſi Epiſcopo, inter Divos relato fuerit. *Vid. Pagium Critic. Baron. ad an. DCCLV. n. XIX. p.* 300. Alter eſt S. Ludgerus Monaſterienſis Epiſcopus. Tertius *Ruthardus* Hirſaugienſis Monachus. Quartus *Rathodus* Eccleſiæ Trajectenſis Epiſcopus. Quintus *Othlonus* Wilibaldi exegetes, auctor illius vitæ, quæ extat apud Surium Tomo III. Quibus addi poſſunt, an merentur? Johannes Leznerus, Cyriacus Spangenberg, & Caſpar Sagittarius, Novatores; Et poſtremus quidem *in dem gründlichen und ausführlichen Bericht von dem Heyden - und Chriſtenthum der alten Thüringer, Jen.* 1685. *in* 4.

SCRIPTA

Scripſit S. Bonifacius, ut Arnoldus Wion lib. V. ligni vitæ teſtis eſt, *plurima opuſcula, doctrinâ Catholicâ referta*, inter quæ feruntur:

Contra hæreticos Liber I. qui aſſervatur MS. in Fuldenſi Monaſterio.

Pro rebus Eccleſiæ Liber I.

De fidei unitate Liber I. cujus honorificam facit Zacharias Pontifex lib. II.

vitæ,

vitæ, cap. x. mentionem, eúmque laudat, dum addit: *& doctrinam*, in illo ſcilicet libro contentam, *Apoſtolicam ſcriptam valdè nobis acceptabilem eſſe cognoſcas.* Hunc tamen librum nullum alium eſſe, quàm ſynodalia quædam Statuta, de quibus mox acturi ſumus, veriſimile judicat Mabillonius Prolegom. ad Wilibaldi vitam Bonifac. §. XII. pag. 4.

Statuta XXXVI. quæ ex vetuſta Canonum collectione MS. Corbejenſis Monaſterii vulgavit Lucas Acherius in Spicilegio Tom. IX. pag. 63. & editionis novæ Tom. I. pag. 507. -- 509.

De ſuis in Germania laboribus.

Epiſtola ad *Ethebaldum*, ſeu *Erchebaldum* Angliæ Regem, occurrit apud Wernerum Rollevinck lib. I. de moribus & ſitu Weſtphalorum cap. 7.

De ſua fide, doctrina, & religione Liber I. niſi idem eſt cum eo, quem primo loco recenſuimus.

Epiſtolæ ad Zachariam Papam anno 745. de cauſa Adelberti Galli & Clementis Scoti, in Uſſerii Epiſtolis Hibernicis pag. 44. cùm Zachariæ Epiſtolis ad Bonifacium.

Epiſtolæ cùm ab eo tum ad eum ſcriptæ CLI. editæ cum notis à Nicolao Serrario, Moguntiæ 1605. 4. recuſæ ibidem 1629. 4. & in Bibliothecis Patrum Pariſienſibus & Colonienſis Supplemento Tomo II. pag. 48. & Tomo VIII. & Lugdunenſ. Tom. XIII. ſed ita, inquit, Cl. Gœbelius in ſcholiis ad Supplement. Conringii Diſſert. de Antiq. Academ. pag. 509. *ut novum editorem videantur exſpectare, qui non modò cum codicibus Romanis, aut Viennenſibus Mſ.tis conferat, ſed & ſecundùm ordinem temporum diſtribuat epiſtolas, eáſque notis uberioribus illuſtret.* Plura & accuratiùs de epiſtolis Bonifacianis lib. III. cap. VI. ſect. II. dicturi ſumus.

Vita S. Livini Epiſcopi & Martyris, quam S. Bonifacio incertâ fide quidam tribuunt, & cum ejus Epiſtolis Serrarius dono acceptam à Miræo, edidit. Exſtat in Mabillonii Sec. 2. Actorum Sanctorum Benedictin. pag. 448.. qui eam ſeniori Bonifacio, Epiſcopo an Abbati, incertum, circa annum 680. tribuit. Nec à Mabillonio abit Pagius Critic. Baron. ad an. DCCLV. n. XVIII. pag. 299.

Vita S. Libunii, quam Bonifacio itidem adſcribit Wion, & ex eo Serrarius, *Hucbaldi* eſt, ut idem obſervat Mabill. §. XII. Prolegom. ad vitam Wilibaldi Bonifacian. p. 4.

Sermones XV. quos Edmundus Martene & Urſinus Durand Tomo IX. Vet. Script. Collectionis ex Mſ.to illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii Domini Dagueſſau ante annos 800. exarato deſcriptos cum publico communicârunt. Ex his, non *ſex* tantùm, ut Oudinus memorat, Tomo primo pag. 1789. ſed *decem* primos Mabillonius ex Mſ. duobus Reginæ Sueciæ n. 1302. & 1335. eruit, quibuscum, inquiunt eruditiſſimi editores, illos contulimus, decimum quintum à noſtro Bernardo Pezio habuimus.

Sermo de Abrenuntiatione in Baptiſmate, quem Apoſtolicæ doctrinæ plenum è ſitu & ſqualore eruit, & cum Orbe Catholico comunicavit Cl. Bernardus Pezius in Theſ. Noviſſ. Anecdot. Tom. IV. part. 2.

Jam verò poſt recenſionem librorum, quos S. Bonifacius elucubravit, quidni cum doctiſſimo Serrario dicam: *Optare iſta S. Bonifacii Opera extare omnia, ſtudioſi fortaſſis atque pii eſt: conſequi verò publicíque uſus facere, felicis.* Næ pretium operæ facturus eſt, quisquis ea ſaltem, quæ hodie ſuperſunt ac extant, in unum corpus congeſta prælo ſubjiciat.

Præter vitæ Scriptores de *S. Bonifacio* conferenda ſunt in primis Acta Sanctorum 5. Jun. Tom. I. Acta Sanctorum Ord. S. B. Sec. III. part. 2. Nicolai Serrarii Notationes LX. in Othlonianam S. Bonifacii vitam Libro III. Rerum Moguntiacarum, quibus accedunt aliæ notæ Georgii Chriſtiani Johannis. Cardinal. Baron. in Annal. Eccleſ. Tom. IX. Antonius Pagi Crit. in Annal. Baronii; Marcus Velſerus lib. V. Rer. Boicarum, & alii plures.

VI.

S. AMBROSIUS AUTPERTUS Abbas in Monaſterio S. Vincentii ad Vulturnum in Italia.

Claruit ad A. 778.

Ejus patria & primæ juventutis anni.

FUit D. *Ambroſius Autpertus* natione Francus illuſtri loco natus. Se à puero pietati & bonis literis dicavit. Cùm verò impeditioris eſſet linguæ, Virginem Matrem aſſiduis precibus fatigavit, ut promptam linguæ facultatem ſibi à Deo impetraret. Voti compos factus linguâ rectè eſt uſus, mille laudibus in Patronam ſuam collatis. Ex ephebis egreſſus, cùm omnibus nobilis juventæ ornamentis eſſet cultiſſimus, facilè in familiam Pipini Regis Francorum eſt cooptatus. Nec diu in

regia fuit, cùm à Pipino Carolum filium primis literis informare eſt juſſus. In Italiam ſubinde profectus, fortè fortunâ ad monaſterium S. Vincentii ad fontem Vulturni in Samnio ſeu agro Beneventano ſitum delatus fuit. Hic piâ Monachorum converſatione captus rebus humanis valedixit, ac cucullum

cucullum induit.

induit. Ejus exemplo (x) *plurimi ex aula regia militiæ cingulum deponentes, in ſancto propoſito Religionis ei adhæſerunt, & omnia, quæ habere videbantur, ac ſi non viſa, pro Dei amore penitùs dimiſerunt.* Nullius tamen virtus omnium oculos æquè ad ſe convertit, atque Ambroſii Autperti. In monaſterio, ceu virtutum palæſtra tam ſtrenuas edidit pugnas, ut ab antiquo chronographo, qui iſtius monaſterii hiſtoriam ſeculo XI. in literas retulit, *Sanctiſſimus* appelletur.

orationi & SS. Literarum ſtudio aſſiduè vacat.

Nihil tempore pretioſius ducebat, quod ita partiebatur, ut jam oratio, jam lectio totum ferè illud ſibi vindicarent. Non alii tamen, atque ſacrarum Literarum vacabat ſtudio, in quo ut optatos progreſſus faceret, ſanctos Patres, præcipuè Auguſtinum & Gregorium Magnum, ceu præſtantiſſimos divinæ paginæ interpretes aſſiduò evolvebat.

Commentaria in S. Scripturam ſcribere aggreditur:

Poſthæc commentaria in ſacram Scripturam ſcribere aggreſſus eſt. In iis verò adornandis, quantâ ſedulitate Patrum legerit veſtigia, pluribus in locis perſpicuum ab eo fit, maximè in fine libri X. his verbis: *Quantum itaque ad fidei attinet rectitudinem, ita in ſingulis ſententiis cauta ſervatur expoſitio, ut ſi fortè me voluerit in his reprehendere, reprehendat etiam (ut de multis paucos commemorem) Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, atque noſtrum Gregorium.*

cujus rationem reddit.

Quæ autem ratio ipſum ad ſcribendum impulerit, ipſe nos docet in ipſo limine libri I. *Quòdſi à me quæritur, cur poſtquàm omnes Eccleſiaſtici Scriptores ſiluerunt, hoc agere præſumo, cum humilitatis ſatisfactione citò reſpondeo: quia ad hoc ipſum divinâ gratiâ impulſum me eſſe cognoſco. Si autem de vita tractatoris indigna conqueritur, potiùs ego quàm alii in hac parte me reprehendo. Sed non eſt Deo indignum, per hominem, etſi peccatorem, tamen utcunque Chriſtianum, ſua verba depromere, qui dudum per ſacrilegos, & impios prophetavit.*

editis in Apocalypſio libris maledicorum invidiam in ſe concitat:

Etſi ea virtute & ſcientiâ præditus eſſet Autpertus, maledicentiæ tamen dentes evitare haud potuit. Cùm enim libros ſuos in Apocalypſin publicam in lucem emiſiſſet, continuò invidorum ſermonibus vellicari cœpit, qui ejus commentationes optimo animo ſuſceptas in deteriorem partem interpretabantur: quorum tela ut ille frangeret, Stephani Pontificis Maximi auctoritate ceu clypeo ſe ipſe munire conatus eſt. Extat ea de re ejus epiſtola ad Stephanum, in qua defendit TOTIUS ECCLESIÆ LIBERTATEM, ut ſcilicet unusquisque, prout deſuper accepit, ſine alterius controverſia volumina condat: eúmque adfirmat *damnandum* cenſeri, *quisquis hanc libertatem ſpiritus abolere conatur.*

quibus leniſſimè reſpondet.

Non minor tamen fuit illius adverſùs eosdem ſuos invidos Momos & Ariſtarchos manſuetudo cum ſumma animi demiſſione conjuncta, quam his verbis expreſſit: *Sed quid ego beatiſſime Pater, quid ad iſta niſi gaudere debeo? Qui ſi omnium tractatorum ultimus, tamen ex eo, quod bonum prædicationis ſcriptis profero, obtrectatores habere mereor. Quibus profectò leniùs ego reſpondeo, quàm alios reſpondiſſe invenio = quoniam illos canes & canino dente rodentes vocabant, & cætera ſiqua ſunt injuriæ condigna: quia & ſicut me illorum meritis imparem cerno, ſic ab iſtorum objurgatione linguam refræno. Dixerunt illi, quod tales decuit audire; dicam ego, quod humilitati meæ ſentio convenire. Valuit fortè contra tales illorum aſpera redargutio, valeat apud tales mea lenis deprecatio. Obſecro itaque vos, quicunque eſtis, qui in mea reprehenſione vigilatis, per manſuetudinem Chriſti, quâ eſtis præventi, obſecro vos per ſanguinem Crucifixi, quo eſtis redempti, ut à detractione linguæ parcatis, dum in rectitudine verbi non invenitis, quòd poſſitis offendi. Quòdſi vobis de vita & moribus indignis diſpliceo, pariter vobiſcum ſentio: nullus enim potiùs in hac parte me reprehendit, quàm ego. Sed ſicut ſæpè pro defenſione ſacri verbi ingerere ſoleo, non eſt Deo indignum, per me etſi peccatorem, tamen utcunque Chriſtianum, ſua verba ſcriptis formare, quem dudum per ſacrilegos & impios novimus prophetâſſe, Balaam ſcilicet, Saulem, & Caipham.*

Primus omnium à Rom. Pontifice librorum

Illud verò cumprimis memoratu dignum, Autpertum inter omnes Scriptores extitiſſe primum, qui à Romano Pontifice ſuorum librorum approbationem expetiêrit. Diſcimus id ex

ejus

(x) ex vita.

approbationem petit. ejus epiſtola ad Stephanum Papam, in qua: *Nuper*, inquit, *in Apocalypſin Joannis decem edidi libros: & quamquam ſufficeret mihi, quia ſanctarum Scripturarum teſtimoniis veræ fidei congruentibus roborati erant, quia præcedentium tractatorum ſenſu vigebant; humilitati tamen meæ proſpiciens peto, ut veſtro etiam decreto profuturi firmi maneant: quod videlicet nullum præter me alium tractatorem fuiſſe reperio. Sed non ideò libertas ſuccubuit, quia humilitas ſemetipſam liberè proſtravit.*

Præter graves in ſcribendis & deſcribendis libris labores Ad extremum adeò vigiliarum in ſtudiis tolerans erat, ut, cùm nullum Amanuenſem haberet, ejus in deſcribendis libris labores, tametſi graves, prompto animo ſubiret: Sic enim Deum in oratione alloquitur. *Et quia in hoc tam laborioſo opere Notariorum ſolertia deeſſe mihi videtur; obſecro, Domine, ut nec manus verborum characteres formans, aut viſus exterior verba literis formata conſpiciens, impedimentum præſtent cordi intus ſecreta rimanti: ſicque cordis intentio vigilet intrinſecùs, quatenùs officium manûs nequaquam torpeat extrinſecùs.* Mirum eſt ſanè, tanto viro (quod etiam Venerabili Bedæ & Paulo Diacono accidiſſe legimus) defuiſſe ſodalem vel unum, qui excipiendis ejus ſententiis ac dictis calamum ac manum porrigeret.

Prædicationis quoque munus aſſumit. Non ſolùm autem expoſitioni ſacrarum Scripturarum, ſed earum etiam prædicationi ſe dedit: cujus ſtudium ipſe commemorat initio libri IX. *Joanni, imò etiam Eccleſiæ in Johanne dicitur: Accipe librum & devora illum. Quibus utique verbis memetipſum loquendo percutio, qui accepto intelligendi ingeniolo plerumque cogente nullâ neceſſitate per inania diffluo; plerumque etiam ſub obtentu prædicationis divinæ ſecularibus viris plusquàm deceret, familiaritate conjungor. Cui contraria opponitur ſententia, quâ dicitur: Sapientiam ſcribe in tempore otii, & qui minoratur actu, ipſe percipiet eam. Sed in uno horum, quæ dixi, occurrit nobis magna conſolatio, quia quo propter multorum utilitatem caritate exigente ad ima deſcendimus, eo valenter ad ſumma intelligenda conſurgimus. . . . Inter hæc autem neceſſe eſt, ut cum familiari meditatione ad officium egredimur prædicationis, atque ab officio prædicationis ad familiarem rurſum Scripturarum meditationem revertimur; ſollicitâ inquiſitione nosmetipſos diſcutiamus, & quæ vel quanta ſint, in quibus aut proficimus, aut detrimentum paſſi ſumus, ſagaci intentione perpendamus: quatenùs hinc inde & formidine & ſpe animum pulſantibus, nec elatio per præceps impingat, nec rurſum deſperatio in profundi voraginem mergat.* Hæc Autpertus. Utinam verò ii, qui ſacræ prædicationis munus exercent, eandem rationem teneant, *ut à familiari Scripturarum meditatione ad officium egrediantur prædicationis, atque ab officio prædicationis ad familiarem rurſum Scripturarum meditationem revertantur.* Quæ eſt ſanè præſtantiſſima prædicandi methodus, quam utinam obſervent ii Sodales noſtri, qui ſacrum ſuggeſtum conſcendunt.

Hic pater ſanctus, inquit Biographus, cùm in eodem venerabili Monaſterio, pretioſi Martyris Chriſti Vincentii per plures annos Domino deſerviret, jámque cunctis in exemplum foret rectè vivendi, defuncto ejusdem ſanctæ Congregationis venerabili Abbate Johanne, licèt invitus & renitens ſacri regiminis locum poſt ſanctum Paldonem ſeptimus ipſe ſuſcepit. Expleto autem in ſancto regimine uno tantùm anno, menſibus duobus & diebus xxv. juſti operis palmam percipiens feliciter ad Chriſtum migravit anno 778. Abbas eligitur. Obiit A. 778.

Vitam exhibet Chronographus Monaſterii S. Vincentii ad fluvium Vulturnum in Benevento, qui vivebat ſeculo XI. Extat in Actis Sanctorum 19. Julii Tom. IV. p. 646. ſeq. & apud Mabillonium ſeculo III. Sanctor. Benedictin. Parte III. pag. 256.

SCRIPTA.

Qui Chronographus vitam S. Ambroſii Autperti in literas retulit, ejus etiam Opera ſectione ſeu numero 7. fideliter his verbis recenſuit: *Denique, ut comperimus, plurimos ſanctarum Scripturarum libros expoſuit. Nam Leviticum Moyſi, Cantica Salomonis, Pſalterii flores mellifluâ ſuavitate, quæ in his divina maneant arcana ſacramentorum, quæve uniuscujusque fidelis diſciplina morum, ſive Chriſti obſervatio mandatorum, ſuorum ediſſerens patefecit documento verborum. Librúmque de conflictu vitiorum, ſed & homilias aliquas Evangeliorum pulchra ſuorum edidit declaratione ſermonum. Vitam etiam beatorum Patrum Paldonis, Tatonis, & Taſonis cum hiſtoria ſui monaſterii plena relatione deſcribens, cunctis in exemplum Monachis ita proponit, ut* di-

divinæ munere Trinitatis, tam præcipuè caritatis, quàm amore pro Chriſto paupertatis, tres illos Fratres ſpeculum oſtendat eſſe normámque vivendi. Teſtatur hoc etiam venerandus Paulus Diaconus in hiſtoria, quam de Longobardorum adventu tunc temporis in Italiam deſcripſit, ubi eundem virum eruditiſſimum Autpertum, & ejusdem Monaſterii Abbatem fuiſſe commendat.

Ex his verò *Autperti* Operibus alia typis dudum excuſa fuerunt, alia adhuc excudenda veniunt.

1.) *Expoſitio in Apocalypſin*, quæ edita fuit Coloniæ an. 1536. & in Bibliotheca Patrum Tomo IX. & Lugdunenſi Tomo XIII. pag. 403. Complectitur X. libros, quos Stephano III. Romano Pontifici dicavit, & propter facilitatem ipſos intelligendi SPECULUM PARVULORUM inſcripſit.

2.) *Liber de Geſtis SS. Paldonis, Tatonis, & Taſonis* fratrum & Monaſterii S. Vincentii ad Vulturnum in Samnio Abbatum laudatur à Paulo Warnefridi in lib. VI. de Geſtis Longobardorum cap. 40. ubi Autpertum *eruditiſſimum* virum appellat. Extat autem apud Ughellum Tomo VI. pag. 458. (editionis novæ pag. 369.) Mabillonium Sec. 3. Benedictin. pag. 423. & in Actis Sanctorum XI. Januarii.

3.) *Commentaria in Pſalmos atque in Cantica Canticorum*, quæ Labbeus Coloniæ anno 1536. & alibi edita ſcribit, nemini adhuc viſa fuerunt. Certè ab Oudino atque ab aliis diligentiùs inquiſita nunquam reperta ſunt, nec horum ullum apparuit veſtigium, quòd impreſſa illic ſint: unde lapſum memoriâ Labbeum exiſtimare fas eſt. Etſi verò Commentarius *in Cantica* prælo nondum fuerit ſubjectus, non tamen excidiſſe credendus eſt; cùm Mſ.tus habeatur in Bibliotheca Floriacenſi litera A. 7. cujus procemium incipit: *Librum de Proverbiis Salomonis ſcripſit* &c. Hinc textus: *Oſculetur me oſculo oris ſui* &c. uſque *aromata*. Comentarius incipit: *Conſtitue ergò Virginem deſponſatam* &c. ibidem literâ A. 16. Oudinus de S. E. Tom. I. col. 1809.

4.) *Liber de conflictu vitiorum & virtutum*, qui inter Opera ſpuria Sanctorum Auguſtini & Ambroſii legitur; Ambroſio autem Mediolanenſi Archiepiſcopo in pluribus MSs. exemplaribus tribuitur, errore forſitan nominis: nam *Autpertum* etiam *Ambroſium* vocatum eſſe conſtat, quod nomen præfert ejus *Expoſitio in Apocalypſin*. Certè cùm in Opuſculo præfato mentio Regulæ Divi Benedicti fiat, opus ſpectare non poſſe ad Ambroſium *Mediolanenſem* conſtat, optimè & meritò ad *Ambroſium Autpertum*, Abbatem S. Vincentii ad Vulturnum poſiti. Oudinus loc. cit. Liber Mſ.tus extat in Bibliotheca San-Emeramenſi.

5.) *Libellus*, ſeu *Sermo* de *Cupiditate*, quem habes MS. in Bibliotheca Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ Cod. 288. cujus initium *Sanctorum Eccleſiam*. Oudin. l. c. Item in Bibliotheca San-Emmeramenſi.

6.) *Homiliæ*. Numerum non definit Biographus, ſed tantùm dicit, quòd *Homilias aliquas* ſcripſerit. Mabillonius tamen ternas ei attribuit; I. *de Transfiguratione*, alteram *de Purificatione*, tertiam *de Aſſumptione*. Sed cùm de authore vix certi quidpiam poſſit ſtatui, haud longiori diſcuſſioni inſudabimus; maximè cùm alio loco ad examen revocandæ ſint. Oudinus, aliíque Bibliocritici exiſtimant eas cum Autperti Abbatis Caſinenſis homiliis eſſe confuſas, quas Jo. Bapt. Marus in annot. ad cap. XIII. Petri Diac. de Vir. Illuſt. examinat.

7.) *Comentarius in Leviticum, Flores Pſalterii, Liber Epiſtolarum* vel interciderunt, vel neſcio quibus in Bibliothecis reconditi latent.

Agunt de *S. Ambroſio Autperto* Sigebertus, Trithemius, Sixtus Senenſis, Geſnerus, Simlerus, Poſſevinus, Maraccius, Bellarminus, Miræus &c. qui eum anno Domini DCCCXC. claruiſſe affirmant. Quòd autem à vero calculo toto ſeculo aberrent, ex ipſo Autperto diſcimus, qui ad calcem libri X. Comentariorum in Apocalypſin ſuam ætatem ſatis clarè indicavit, dum ſe ſub Paulo I. Pontifice, qui Romanæ Sedi præfuit ab anno DCCLII. ad DCCLXVII. ſcripſiſſe teſtatur.

VII.
B. ALCUINUS.

Obiit 804.

AD genium ætatis ſuæ Literatorum, quibus Romana nomina in deliciis erant, ut ſe *Alcuinus* conformaret, præ Saxonico vocabulo ALCWIN molliori ac Latino ALBINUS dici voluit: cui prænomen FLACCUS addidit; unde non rarò epiſtolis ſuis inſcribit nomen ſuum *Flaccus Albinus*, paſſim *Alcuinus*, nuſquam *Albinus Flaccus*. (y) Quocirca operæ pretium eſt advertere, quod ſcitè obſervavit Jacobus Sirmondus (z) in notis

De illius nomine & prænomine.

(y) Mabill. Annal. Ben. Tom. 2. lib. 23. n. 27. p. 186.
(z) Opp. Tom. I.

notis ad Apollinarem Sidonium, apud poſterioris ætatis homines morem obtinuiſſe, ut, cùm viri antiquæ nobilitatis multa ferè nomina uſurparent, proprium tamen cuique nomen fuerit, quod cæteris omnibus poſtpoſuerunt, contrà quàm veteres Romani facere ſolebant, quibus ſtante Republica proprium id nomen fuit, quod primum, id eſt, prænomen. Id obſervandum in Paſchaſio Radberto, Servato Lupo, utì & in *Flacco Albino*, quorum id proprium nomen, quod ultimum in locum conjicitur, adſcititium, quod primo loco collocatur.

Alcuini patria, genus.

Ortus eſt Alcuinus circa annum DCCXXXII. in provincia Eboracenſi ex non humili gentis Anglorum proſapia, tametſi parentum ejus nomina incerta relinquantur. Fratrem habuiſſe fertur *Aquilam* Juvavienſis, ſeu Salzburgenſis Eccleſiæ Antiſtitem, qui altero nomine *Arno* dicebatur. Hoc tamen Cointius & Pagius (a) negant.

educatio in Eboracenſi monaſterio,

A prima pueritia educatus fuit Eboraci in monaſterio primariæ eccleſiæ adjuncto. Præceptores ille habuit, non Venerabilem Bedam, ut fallit *Alcuini* vitæ ſcriptor, cùm Beda ante natum Alcuinum ex hac migrâſſe vita videatur; ſed Egbertum, Edberti Regis fratrem, atque Ælbertum, unum poſt alterum Epiſcopos Eboracenſes. His

Studia,

præceptoribus uſus linguam non tantùm Latinam, ſed etiam Græcam didicit, nec Hebraicæ penitùs expers fuit. Quos ſub eorum diſciplina cùm in literarum tum virtutum ſtudio progreſſus fecit, tanti erant, ut brevi tempore condiſcipulos longo intervallo poſt ſe relinqueret. Utì nullus faciliùs docebatur, ita majori nullus erat animi demiſſione. Magiſtrorum è nutu, quos

Virtutes.

divinæ interpretes voluntatis venerabatur, ut totus dependeret, ſuam penitùs abnegavit. In coërcendis animi affectibus tum præcipuè nervos omnes contendit, cùm eos juventæ æſtu concitatos mordere frænos velle advertit. Quem in finem aſſiduas orationes, jejunia, vigilias, & quidquid demùm ad ſenſuum mortificationem comparatum eſt, non ſegniter adhibuit. Neque verò hæc pœnitentiæ opera, quæ animam tantùm virtutum ornamentis inſignire videbantur, nihil ad literarum intelligentiam contulerunt; quò fortiùs enim inordinatæ illæ affectiones, quæ animum corpori ſubjicere ſolent, eliminantur, eo promptiùs ſcientiarum diſciplinæ mentem ſubeunt. Atque hac ratione in virum non modò pientiſſimum, ſed ætatis etiam ſuæ doctiſſimum evaſit.

Egberto Archiep. charus Eboracenſi Bibliothecæ,

Eximia erat de ejus doctrina Archiepiſcopi Egberti æſtimatio. Etſi enim tenero nunquam non amore fuiſſet illum complexus, tamen cùm à morte propiùs abeſſet, eum Eboracenſi Bibliothecæ præfecit, quò *ſapientiæ theſauros*, id eſt, ſcholaſticæ eruditionis libellos, ab eodem Archipræſule magnis ſumptibus & curis comparatos, cuſtodiret. Ab obitu Egberti eodem loco fuit apud Ælbertum, ejus in Archiepiſcopatu ſucceſſorem, à quo cùm aliquantùm temporis ſcientiis adhuc imbutus, ſuorúmque ſodalium æmulationem cùm modeſtia tum benefactis ſuperare doctus fuiſſet, docendi præfecturæ in Eboracenſi Athenæo admotus fuit. Et verò in docendis literis Alcuinus longè cæteris antecelluit.

dein Scholæ præficitur ab Ælberto ſucceſſore.

Poſteaquàm verò Ælbertus anno 780. è medio exceſſit, Romam ab Eanbaldo ſucceſſore, ad obtinendum pallium miſſus fuit. In reditu per Lombardiam Parmæ Carolo Magno obviàm factus eſt. Hic viri eximia cùm virtute tum doctrinâ captus nihil non egit, ut in Franciam ad ſe pelliceret. Promiſit Alcuinus, ſe, expleta legatione, venturum. Nec promiſſis non ſtetit. Simul verò ac in Franciam acceſſit, ſcholis palatinis præfectus fuit, in quibus Carolum ipſum, regias virgines, ac purpuratos, eorúmque filios diſcipulos habuit. Ut verò Carolus in deliciis habebat Alcuinum, ita hoc unum ſtuduit, ut eum apud ſe retineret. Quare duo illi commiſit monaſteria regenda, quibus tamen non ita ſe retineri eſt paſſus, ut ad Eboracenſe Monaſterium in Angliam non rediret. Factum id fuit ſub annum nonageſimum ſupra ſeptingenteſimum.

à Carolo Magno in Franciam invitatus,

Palatinæ ſcholæ Magiſter conſtituitur.

in Angliam redux

Nondum duos in patria exegerat annos, cùm à Carolo in Franciam revocatus fuit ad profligandam impiam Neſtorii hæreſin, quæ à Felice, Urgelitano epiſcopo in Hiſpaniis reſuſcitari cœperat. Venit Alcuinus, interfuit Concilio Francofurtenſi, ac hydram debel-

iterum vocatur in Franciſ.

(a) Pag. in Crit. Hiſt. Chronol. ad an. *796.* n. 19. pag. 468. Credidit quidem Mabillonius *Alcuinum* fuiſſe Fratrem Germanum *Arnonis* Salisburgenſis Archiepiſcopi, eo quòd *Alcuinus* eundem in ſuis Epiſtolis ſæpiùs *Fratrem*, nonnunquam etiam *Germanum ſuum* appellet. At enim hæc amicitiæ tantùm non conſanguinitatis ligna fuiſſe poſt *Cointium* & Pagium optimè advertit & probat Cl. P. Marcus Hanſizius Tom. II. Germ. ſacræ pag. 102.

bellavit. Unde Carolo dignus eſt viſus, quem toti Concilio commendaret.

Sub hæc Alcuinus non ſemel à Carolo facultatem petiit ſecedendi in Fuldenſe S. Bonifacii, popularis ſui, monaſterium, ubi monaſticam vitam ad accuratas ſancti Benedicti degeret leges, quarum laxior apud Turonenſes diſciplina erat. Verùm Carolus eum à ſe tam longè abeſſe non eſt paſſus. Commodùm anno 796. Turonis vitâ functus erat Hitherius ſeu Itherius Abbas Martinianus, & Palatii Archicancellarius. Carolus, ut Alcuino, qui ad vitam in monaſterio tranſigendam identidem aſpirabat, rem gratam faceret, non modò aſſenſit, ut ſe Turonos ad S. Martinum recipere poſſet, ſed eum etiam Abbatem conſtituit. Nec tamen illic vitam otioſam duxit, imò toti Eccleſiæ ac reipublicæ maximè proficuam, tum ſcribendis libris & epiſtolis, tum diſcipulis erudiendis, quos illic frequentes habuit. Sic enim ille in epiſtola prima ad Carolum loquitur: *Ego Flaccus veſter ſecundùm exhortationem & bonam voluntatem veſtram, aliis per tecta S. Martini ſanctarum mella ſcripturarum miniſtrare ſatago; alios vetere antiquarum diſciplinarum mero inebriare ſtudeo; alios grammaticæ ſubtilitatis pomis enutrire incipiam; quoſdam ſtellarum ordine, ceu picto cujuslibet magnæ domûs culmine inluminare geſtio, plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ad decorem imperialis regni veſtri erudiam.* Fructus verò ex hac inſtitutione promanans à Monacho S. Galli in vita Caroli M lib. 1. c. 2. in hæc verba deprædicatur: *Cujus* (Alcuini) *in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli, ſive Franci antiquis Romanis vel Athenienſibus æquarentur.* Fuit verò hæc tertia & poſtrema ſchola quam bono publico aperuit. Falluntur enim, qui Alcuinum Romæ in Italia, Fuldæ in Germania, apud Sueſſionas in Francia docuiſſe affirmant.

Turonenſem Abbatiam adeptus tertiò ſcholas aperuit.

Dum verò Cæſaroduni Turonum ſcholas teneret, identidem cum aliquot diſcipulis Pariſios in aulam regiam ventitabat à Rege invitatus. Hac occaſione Carolo author fuiſſe dicitur, ut ibidem publica ſtudia inſtitueret. Certè Carolum hortatus eſt, ut *Athenæ novæ perficerentur in Francia*, ſuíſque & dictis & ſcriptis Francorum animos ad ſtudia excitavit. Quam ob rem fuerunt, (b) qui originem atque prima Pariſienſis ſubinde celebratiſſimæ Academiæ incunabula ad Carolum & Alcuinum referrent. Cùm verò hæc aulæ frequentia & frequentatio viro pio gravis & moleſta eſſet, ſæpè Carolum rogavit, ut his turbis omnino nuntium ſibi remittere liceret, quod tandem vel ſerò obtinuit. Tum verò in ſeipſum quaſi hominem è naufragio ereptum, atque in portù quietis ac ſecuritatis conſtitutum intuebatur. Quâ quidem requiete non ad vitam commodè ducendam, ſed in exercitiis merè ſpiritualibus tranſigendam utebatur. Potiſſima ejus occupatio erat contemplatio ac oratio conjunctæ cum laboribus pœnitentiæ. Singulis diebus uſque ad veſperum jejunabat, exceptis Dominicis ac feſtis diebus. Labor corporalis, quem ſibi in hoc præſtituit ſeceſſu, præcipuus erat, tranſcribere propria manu libros ſacros: veluti etiam juſſu Caroli Magni Biblia Latina nunquam ſat laudatis vigiliis correxit, atque ab erroribus, qui fors irrepſerant, priſtinæ integritati vindicavit.

In aula Pariſienſi frequens Regem hortatur, ut *Athenæ novæ perficerentur in Francia.*

ſolutus tandem aulæ negotiis

reliquum vitæ Deo & ſibi vixit.

Obiit demum (c) relictis pluribus profundiſſimæ doctrinæ monumentis, plenus dierum XIV. Cal. Junii an. 804. Turonibus. De cujus morte author Anonymus, Operibus Albini à Duſcheſnio præfixus: *Eadem nocte*, mortis Albini, *ſuper Eccleſiam* S. *Martini inæſtimabilis viſa eſt ſplendoris claritas, in tantum, ut putaretur à longè poſitis tota igne cremari.* Ita non doctrinæ modò & dignitatis, gratiæque Auguſtæ, ſed ſanctimoniæ quoque radiis luxit Alcuinus.

piè obiit an. 804. XIV. cal. Jun.

Alia Alcuini præclarè geſta (nam nos, quæ ad rem literariam attinent, ſolùm referenda ſuſcepimus) Andream Duſcheſnium adeat in vitâ Alcuini, quam ejusdem Operum editioni præmiſit. Agunt præterea de eo Honorius Auguſtodunenſis cap. 2. lib. IV. de Luminaribus Eccleſiæ. Sigebertus c. 48 de Vir. Ill. Guilielmus Malmesbur. l. 1. Hiſtor. Henr. Caniſius hinc inde in Tomis Antiq. Lect. Theophilus Raynaudus Opp. Tom. 18. ubi eum vocat verè doctum, veréque pium Monachum. Dupinius, Caveus, Oudinus, Fabricius ſuis in Bibliothecis.

Ejus vitæ Scriptores.

Hen-

(b) Bulæus in Hiſtoria Univerſ. Pariſ. Confer tamen, quæ ex Steph. Paſquiero, Petro Bonfonſio, Lambecio, Loiſetio & Jolio Pagius ſcribit ad an. 802. n. XI. & XII. Tom. 3. pag. 434.

(c) Joſephus Pichler S. J. in Hiſtor. Aug. Quinque Carol. in vit. Carol. M. cap. 2. n. 41. pag. 8.

Henſchenius in Actis Sanctorum 19. Maij Tom. 4. p. 333. Cointius Annal. Franc. Tom. 6. 7. & 8. ſed præcipuè Mabillonius in Annal. Ben. & Actis SS. O. S. B. Sec. IV. Part. II. ubi ejus Elogium texit, in cujus §. III. inveſtigat, cujus profeſſionis fuerit vir pius, monaſticæ, an canonicalis? Ipſum quidem Monachis noſtris accenſent Trithemius, Paulus Langius, Wionius, aliique noſtrorum: ſed his non contentus videndum porrò exiſtimavit, an veterum teſtimoniis ſtabiliri poſſit eorum ſententia; cui recentiores nonnulli adverſantur. Re bene diſcuſsâ, ejusmodi ipſi viſa fuerunt argumenta, quæ Alcuini monaſticam profeſſionem adſtruunt, ut omnem objectorum dubitationem tollere videantur. Etſi verò non neſciam, Hyacinthum Graveſonum, alióſque non nullos, poſt utriusque partis argumenta à Mabillonio diſcuſſa de Benedictino Alcuini Monachatu hærere nonnihil ancipites, mihi tamen ſufficit, eum à Magno Mabillonio in Benedictinorum numero fuiſſe habitum. Is enim fuit Mabillonius, qui non accurati tantùm Criterii, quo Familiæ Benedictinæ Sancti proprii ab extraneis & ſubdititiis diſcernuntur, peritia præſtaret, ſed Hiſtorici ſinceri & veritatis ſtudioſi partes ita ſemper expleret ſtuderet, ut teſte *Gerbeſio*, Doctore Sorbonico, & Profeſſore Regio toti mundo juſtitiam abſque ullo partium ſtudio aut perſonarum acceptione adminiſtrârit. Quas duas res, accurati Criterii peritiam, & veritatis ſtudium qui habet, ejus judicio ac ſententia tutò ſtari poteſt.

utrum fuerit Monachus an Canonicus.

SCRIPTA.

Quæ Opera nobis Alcuinus reliquit, & multa ſunt & docta; nil niſi pietatem, cujus apprimè ſtudioſus fuit, pleraque ſpirant; è quibus etiam ardens ille zelus, quo pro conſervanda ſanâ & orthodoxa doctrina flagravit, non obſcurè elucet. Ea vero operâ & ſtudio *Andreæ Quercetani* in unum congeſta volumen, Pariſiis apud Cramoiſinum anno 1617. publicam lucem viderunt. Sunt autem tres in partes diſtributa.

PARS I.

Continens ea, quæ ſuper diverſos ſacræ Scripturæ libros piè ac doctè commentatus eſt.

1.) *Interrogationes & Reſponſiones in Librum Geneſeos.*

2.) *Dicta ſuper illud Geneſeos: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

3.) *Enchiridion, ſeu Expoſitio pia ac brevis in ſeptem Pſalmos pœnitentiales.*

4.) *Expoſitio in Pſalmum CXVIII.*

5.) *Expoſitio in Pſalmos Graduales.*

6.) *De Pſalmorum uſu liber, cum variis precandi formulis, ad res quotidianas accommodatis.*

7.) *Officia per Ferias, ſeu Pſalmi ſecundùm dies Hebdomadæ ſingulos, quibus in Eccleſia cantantur, diſpoſiti. Cum Orationibus, Hymnis, Confeſſionibus, & Letaniis.*

8.) *Epiſtola de illo Cantici Canticorum loco:* SEXAGINTA SUNT *Reginæ, & octoginta Concubinæ.*

9.) *Commentaria ſuper Eccleſiaſten.*

10.) *Commentoriorum in S. Joannis Evangelium Libri VII.*

PARS II

Continet Libros

11.) *De fide ſanctæ & Individuæ Trinitatis.*

12.) *De ſancta Trinitate Quæſtiones XXVIII.*

13.) *Quid ſit inter æternum, & ſempiternum, & immortale, & perpetuum; & ſæculum, & ævum, & tempus, Epiſtola.*

14.) *De animæ rotione ad Eulaliam Virginem, libellus.*

15.) *Contra Felicem Urgelitanum Epiſcopum, Epiſtala.*

16.) *Ad Elipantum, Toletanum Epiſcopum, Epiſtola.*

17.) *Elipanti ad Albinum Epiſtola.*

18.) *Contra Epiſtolam Elipanti Libri II.*

19.) *De Incarnatione Chriſti, & de duabus in eo naturis, ac de veritate unius perſonæ, adverſùs eundem Elipantum Libri II.*

20.) *Elipanti ad Felicem nuper converſum Epiſtola.*

21.) *Confeſſio fidei Felicis Orgelitanæ Sedis Epiſcopi.*

22. *Albini Epiſtola de eadem re.*

23.) *De Divinis Officiis liber.* Opus ſuppoſititium, tum quia farrago eſt ex diverſis ipſius Alcuini, aliorúmque Autorum ipſo poſteriorum ſcriptis collecta, tum ex aliis rationibus, quas vide apud Mabill. in Elogio §. XVI. pag. 185.

24.) *De ratione Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ Epiſtola ad Karolum Magnum.*

25.) *De eadem re Karoli M. ad Albinum Epiſtola.*

26.) De

26.) *De Baptiſmi Ceremoniis Epiſtolæ II.* Altera earum non eſt Alcuini, ſed Amalarii Archiepiſcopi Trevirenſis, ut primus obſervavit Jacobus Sirmondus in notis ad Theodulfum. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 1. p. 212.

27.) *De Confeſſione peccatorum Epiſtola.*

28.) *Sacramentorum Liber*, ſive de Miſſis per hebdomadem celebrandis, aliſque temporibus.

29.) *De ſilentio, in quo miſſum eſt Incarnatum Verbum, Homilia.*

30.) *In Nativitate beatæ Mariæ Virginis Homilia.*

31.) *In Feſto omnium Sanctorum Homilia.* Hæ tres homiliæ ſunt ſuppoſititiæ ex Pauli Diaconi Homiliario depromptæ. Tertia inter Auguſtinianas de Sanctis locum ſortita eſt.

32.) *Vita Antichriſti ad Karolum Magnum.*

33.) *De Virtutibus & vitiis liber.*

34.) *De ſeptem Artibus liber incompletus:* cujus duo tantùm extant Capitula, videlicet de Grammatica & Rhetorica cum tranſitione ad Dialecticam.

35.) *Grammatica.*

36.) *De Rhetorica Dialogus.*

37.) *Dialectica.*

38.) *Diſputatio Pippini Regalis & nobiliſſimi juvenis cum Albino Scholaſtico.*

PARTIS III. OPERA.

39.) *Scriptum de vita S. Martini Turonenſis Epiſcopi.*

40.) *De tranſitû S. Martini Sermo.*

41.) *Vita S. Vedaſti Epiſcopi Atrebatenſis.*

42.) *Vita S. Richarii Presbyteri.*

43.) *De vitâ S. Willibrordi Trajectenſis Epiſcopi.*

44.) *Libri II. proſâ unus, alter carmine, & cum Homilia in Natali ejusdem Willibrordi, & Elegia de S. Wiligiſo.*

45.) *Epiſtolæ CXV. è quibus LXVII. antehac editæ jam longè auctiores ac emendatiores.*

46.) *Aliarum Epiſtolarum fragmenta ex Willelmo Malmesbur.*

47.) *Poëmata ſeu Verſus de pluribus Sanctis.*

48.) *De Carolo Magno & Leonis Papæ ad eum adventû, Carmen.*

49.) *Alii Verſus ex variis locis collecti.* Advertit Mabillonius loc. cit. in carminibus Alcuini quædam notha & ſpuria eſſe, ut carmen, ſeu epigramã 3. de *Bugga*, quod ſcriptum eſt regnante *Ina* Weſtſaxonum Rege, qui uno ferè ſeculo, Alcuinum præceſſit. 48. de Ethildrita, quod eſt Bedæ Venerabilis. 177. quod Angilberti Abbatis Centulenſis.

Quæ autem in hac editione *Cheſniana* deſiderantur, ac ſub nomine Alcuini lucem viderunt, ea ex Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca (d) cujus diligentia nobis nihil reliquum fecit, recenſere juvat.

1. *Poëma* verſibus hexametris 1658. *de urbis Eborâci primordiis, déque primis ejus Eccleſiæ Pontificibus ac Sanctis*, editum ex duobus Remenſibus MSS. à Thoma Galeo Tom. I. Hiſtoricorum Angliæ, Oxon. 1691. fol. & partem ſub titulo *Anonymi Augli*, qui Ælberti Archiepiſcopi Eboracenſis diſcipulus fuerit, Joannes Mabillonius (qui integrum ad Galeum miſerat) Sec. III. Benedictin. Parte II. pag. 5:8 Non Alcuini, ſed *Fridegodi* eſſe contendit Oudinus Tom. I. Cõmentar. pag. 1923. & Tom. III. pag. 457. ſeq.

2. *Epiſtolarum* Alcuini collectionem MS. Colbertinam memorat Baluzius, & ex eâ Epiſtolam *ad Candidum & Nathanaëlem* publicavit Tom. I. Capitular. Regum Francorum pag. 1442. ſeq. Epiſtola ad *Karolum* ab eodem Baluzio Tom. II. Miſc. pag. 365. *Capitulare admonitionis* ad eundem pag. 375. Epiſtola *ad Abbates & Monachos Gothiæ* de Filio Dei non adoptivo pag. 377. Epiſtolæ VII. ad *Aquilam*, ſive *Arnonem* Antiſtitem Saltzburgenſem in Anecdotis Bernardi Pez Tom. II. pag. 4. ſeqq. Ad eundem Arnonem præfatio in expoſitionem VII. Pſalmorum Pœnitentialium, Pſalmi CXVIII. & Pſalmorum XV. Gradualium (in Operibus Alcuini pag. 59. ſeqq. obviam) in Dacherii Spicilegio Tom. IX. pag. 111. & editionis novæ Tom. III. pag. 323. Aliæ Epiſtolæ III. ad *Gallicellulam*, & de decem verbis Legis, & ad *Fridugiſum* de tribus generibus viſionum ab eodem Dacherio Tom. VI. Spicilegii p. 391. & Tom. III. editionis novæ pag. 321. nec non aliæ XXVI. à Mabillonio Tom. IV. Analect. pag. 272. atque editionis novæ pag. 399. ſeq. Epiſtola parænetica *ad Eanbaldum II. Archiepiſcopum Eboracenſem* ſcripta A. 796. edita ab illuſtri Fontanino in Appendice ad vindicias antiquorum Diplomatum pag. 256 & à Jacobo Baſnagio Tom. II. editionis novæ lectionum Caniſianarum pag. 450.

(d) med. & inf. Latinit. Lib. I. pag. 134.

3. *Ser-*

3. *Sermo in Hypapante* dictus coram Carolo Magno: apud Baluz. Tom. I. Miſcellan. pag. 382.

4. *Confeſſio Fidei* edita à Petro Franciſco Chiffletio, Div. 1656. 4. judice quidem Carolo Cointio, ſeculi noni fœtus, ſed Alcuini nequaquam, Tom. VII. p. 28. atque integra diſſertat. poſthuma Alcuino negata à Joañe Dallæo. Rothomag. 1673. 4.to tamen Alcuino vindicatur à Mabillonio Tom. I. Analect. pag. 178. (editionis novæ pag. 490.) & ab auctore *de la perpetuité de la Foy* Tom. IV. Table Hiſtorique & Critique pag. 33. Alia eſt Alcuini Confeſſio, ſive *doctrina de Deo*, quæ inter Opera ejus legitur pag. 762, atque lucem debuit Matthiæ Flaccio, qui eam vulgaverat ad calcem libri, cui titulus: Unanimis conſenſus primitivæ Eccleſiæ de non ſcrutando Divinæ generationis Filii Dei modo. Baſileæ 1560. 8vo. *Libri tres de Fide SS. Trinitatis*, itidem inter Opera obvii p. 702. leguntur etiam in homiliario Pauli Diaconi ad Feſtum SS. Trinitatis. Eosdem ſeparatim cum Commentario edidit vir pius & doctus Lucas Loſſius Francofurti 1554. 8.vo

5. Opuſculum *de Comparatione Novi & Veteris Teſtamenti à denario numero usque ad unum*, in Bern. Pezii Anecdotis Tom. II. pag. 1.

Juſſu Regis Caroli *Divinam correxiſſe Hiſtoriam* ſcribit Sigebertus ad Annum Chriſti 790. eôque referendum, quod Theganus cap. 7. de geſtis Ludovici Pii, Carolum Regem *corrigendis ſacris libris vacaſſe* retulit: nec non VI. Epigrammata de correctione Bibliorum ab Alcuino facta, quæ exſtant in ejus operibus pag. 685. Vide Baronium ad Annum 778. num. 23. Richardum Simonem lib. II. Hiſtoriæ Criticæ Novi Teſtamenti cap. 9. Joannem Jacobum Wetſteniom Prolegomenis ad novum Teſtamentum pag. 88. ſeq. & quæ infra, ubi de *Correctoriis Bibliorum*. Poëmata duo, hexametrum alterum, alterum elegiacum, Bibliis ab Alcuino præmiſſum edidit Lambecius Tomo II. pag. 403. ſeq. qui etiam de *Vita S. Vedaſti* Alcuiniana videndus pag. 409. ſeq.

In Fuldenſi Bibliotheca ſub nomine Alcuini aſſervantur MS.tæ *Expoſitiones in Prophetas XII. in Epiſtolas Pauli ad Epheſios, in Proverbia Salomonis*; ſed quia nec Duſcheſnius, nec alii Bibliographi earum mentionem faciunt, non fides ſtatim habenda, neque tamen etiam abroganda eſt; ſed illis, qui eas Expoſitiones in promptu habent, cujus ſint, cum cura & critico examine diſpiciendum relinquimus.

Antonius Verderius in Bibliotheca Gallica pag. 21. narrat, ſe ſub Alcuini nomine vidiſſe mſ. librum verſuûm leoninorum moralium *un livre de vers morals en latin non meſurés par pieds mais rymez*.

Nec omittendum, quod Barthius VI. 20. Adverſar. *Calliopium*, qui Terentii Comœdias recenſuiſſe in Codicibus MSs. notatur, non alium putat eſſe, quàm hunc Alcuinum, qui in Codice MSs. vitæ Wilibrordi vocatur *Dominus Albinus Magiſter optimus Calliopicus*, hoc eſt, totus formatus à Calliope, Muſisque. At enim quis credat, Alcuinum Comœdias Terentii, *meretriciæ artis magiſtri*, dignas habuiſſe, ut eas illuſtraret ac recenſeret, qui à profanis Poëtis ita averſus erat, ut ne Virgilii quidem, Virginei, ut vocant, Poëtæ, legendi copiam ſuis fecerit; cujus rei memorabile exemplum jam aliàs retulimus.

In optatis aliquando Henricus Caniſius (e) habuit, ut non nemo exiſteret, qui Alcuini omnia monumenta in lucem erueret, vel ſaltem illa, quæ jam ſunt eruta, unum colligere in volumen, collectâque ſimul vulgare vellet; ne temporis ſucceſſu denuo diſpergantur, ita ut vix ampliùs reperiri, & in unum conduci queant. Votis damnavit Caniſium Andreas Duſcheſnius, Alcuini Operibus junctim uno volumine in folio editis; ſed ejus tamen editio non ita numeris omnibus abſoluta eſt, ut non melior deſideretur. Annis abhinc aliquot cùm rumor ſparſus fuiſſet, novam apud Gallos editionem parari, V. C. Juſtus Fontaninus ut ſymbolam ſuam in eam conferret, Alcuini Epiſtolam ad Eanbaldum vulgavit, cui Eminent. Card. Dominicus Paſſioneus, id temporis adhuc Abbas, notas criticas adjecit.

VIII.
B. RABANUS MAURUS Archiep. Moguntinus.

Obiit. 856.

Si quis in perfectum quoddam, & numeris omnibus abſolutum virtutis juxta ac doctrinæ exemplum intueri velit, in B. RABANUM MAURUM intueatur. Erat is ex illuſtri proſapiâ urbe Moguntia oriundus, natione, ut tum

Ejus natales.

(e) Præfat. ad Alcuini Grammat. & Dialect. Tom. 2. nov. edit. pag. 485.

tum loquebantur, Francus Orientalis. Parentes ſuêre *Walrammus* & *Waldrada* (f) Moguntiæ cives, ſed genere claro conſpicui. Fratrem habuit *Tutinum*, quem ipſe in Epitaphio *virum inſignem, & alta clarorum parentum ſtirpe natum* prædicat, eundémque inter *regales viros* cum magno honore vixiſſe, & mediis in armis gratia Domini ſui viriliter cecidiſſe teſtatur. Vitam adiit circa annum ferè DCCLXXXVI. Nomen Rabani è ſacro fonte tulit. In quo nomine Serrarius illuſtre omen agnoſcit, cùm Doctor Magiſtérque tantus fuerit. Hebræis enim à multiplici doctrina RAB Doctorem dici conſtat; unde *Rabbinis* ſuæ dignitatis nomenclatura. MAURI nomen *Rabano* ab Alcuino Magiſtro datum. *Magnentii*, aut *Magnentianæ* familiæ, quam profert Trithemius, nulli coævi, quos viderit Bollandus, meminerunt. (g) Fuiſſe tamen *Magnentius* nomen gentilitium, ex veteri codice fides adſtruitur, quem V. C. Fridericus Schannat profert in Fuldenſi Hiſtoria.

Fuldæ Monaſticen à puero amplexus

Quô ætatis anno, incertum, à puero certè quidem Fuldæ Monachus, vitæ Chriſtianæ & monaſticæ leges didicit. Adoleſcens jam, & præter literas humaniores Philoſophiam edoctus, à Ratgario Abbate ſub initium ſeculi noni ad Alcuinum in Gallias miſſus fuit, ut ab eo in ſacris literis, quæ fuerunt illius temporis Theologia, pleniùs inſtitueretur. Hîc verò ubinam celeberrimum hunc magiſtrum audivit? non apud Sueſſiones, aut Pariſios, ut aliqui volunt, ſed in Turonenſi Divi Martini Monaſterio. Nec tamen multo tempore operam Alcuino dediſſe, ex epiſtola intelligi datur, quam Alcuinus adhuc ſuperſtes, qui anno 804. menſe Majo deceſſit, *benedicto ſancti Benedicti puero Mauro* in Germaniam ex Gallia reverſo ſcripſit, quæ in editis vitioſè ad Benedictum data dicitur, teſte Mabillonio. Studiorum ſocios in Turonenſi Academia habuit *Hattonem*, ejus poſtea in Abbatiali dignitate ſucceſſorem, *Haimonem*, dein Epiſcopum Halberſtatenſem, & *Samuelem*, Epiſcopum ſubinde Wormatienſem.

ſtudiorum cauſâ in Gallias mittitur.

redux in patriam Scholis præficitur.

Domum Turonis reverſus paulò pòſt anno DCCCIV. ætatis ſuæ decimo octavo, aut undevigeſimo Scholis Fuldenſibus à Ratgario Abbate præfectus fuit. Sub finem anni DCCCXIV. ætatis vigeſimo octavo ſacerdotio primùm initiatus fuit ab Haiſtulpho Archiepiſcopo Moguntino, cùm jam anno DCCCI. Diaconus factus fuiſſet. Quo tempore Ratgarius Abbas parùm æquus in literas ac literatos eſſe cœpit. Non aliis enim monachis tantùm libros abſtulit, ſed Rabano etiam ipſi ſcholarum Præfecto, parvam librorum ſupellectilem ademit. Quid iſte hîc faceret? Ut durum & ferocem Præſulis ſui animum deliniret, carmen veluti ſupplicem libellum ipſi obtulit. Sed ſurdo fabulam cecinit. Quare loco cedere coactus Fuldâ diſceſſit. Sed quonam gentium aut terrarum? Mabillonio (h) aliquando viſum fuit, Rabanum per eam tempeſtatem peregrè abiiſſe in loca Palæſtinæ ſancta, quod ex ejus Commentario in Joſue id temporis nondum edito colligendum putabat. Verùm hunc locum ex Origene deſumtum poſtea deprehendit. Unde mirari ſubit, quòd, poſtquàm Mabillonius ab hac diſceſſit ſententia, in eam noviter conceſſerit doctiſſimus Abbas Calmetus in Hiſtoria ſua Univerſali, ut de Jo. Alberto Fabricio, Viro non diſſimiliter (i) eruditiſſimo nihil dicam. Niſi ratio temporum repugnaret, dicerem ego, Rabanum in monaſterium Corbeiæ Novæ in Saxonia ſe contuliſſe, eò enim loci ſacras illum literas expoſuiſſe ex verſibus Saxonicis Parte I. præliminari à nobis in medium allatis certiores reddimur. Verùm, ut dicebam, temporum ratio reclamat; Fuldâ enim Rabanus diſceſſit, Ratgario ad clavum ſedente, quem anno 817. ponere compulſus fuit. Corbeia verò nova anno primùm ejus ſeculi vigeſimo ſecundo condita eſt. Non ergo hoc temporis Corbeiæ docere potuit, ſed alio forſan, quod hîc diſquirendum non ſuſcipio. Quocunque verò abierit, ex itinere Fuldam redux, Ratgario exauthorato anno 817. ſcholæ iterum præfectus ſub Egile Abbate, ſtudiorum uſum ſtrenuè revocavit.

loco dein cedere coactus

ſub Egile Abbate iterum reſtituitur.

Fuldenſ. Academiæ celebritas eo docente.

Rabano iterum literas profitente magna fuit celebritas Fuldenſis Academiæ, quæ omnium diſciplinarum libris tum abundavit, & præclaros orbi Chriſtiano Doctores peperit. Non ſolus tamen in iſtis ſcholis docebat Rabanus, tametſi præcipuus magiſter erat. Adjutorem, ſodalémque habuit

Sa-

(f) Jo. Georg. Eckhart Comment. de Reb. Franc. Orient. Tom. I. p. 730.
(g) Comment. præv. in vit. B. Rabani.
(h) Annal. Tom. 2. pag. 416.
(i) Bibl. med. & inf. Lat. Vol. 6. p. 69.

Samuelem poſtea Wormatienſem Epiſcopum, quem etiam ſub Alcuino præceptore condiſcipulum habuerat. Dum humaniores verò diſciplinas in ſchola Monaſterii doceret, admirabile illud opus de ſanctâ Cruce compoſuit.

fit Abbas. Poſt Egilem anno 822. è vivis ſublatum, Rabanus eodem anno, menſe Auguſto vel Septembri in Abbatem electus fuit. Præclaras res à tanto Abbate geſtas explicare omnes, uti difficile, ita noſtri inſtituti non eſt. Dixiſſe ſufficiat, quòd ab eo ſarta tecta viguerit monaſtica diſciplina, & literarum ſtudia mirificè exculta fuerint. Unde præter modum aucta Cœnobii exiſtimatio & ſama, uti & Principum, Regum, & Imperatorum, quibus gratiſſimus & acceptiſſimus ſemper fuit, conciliata benevolentia. Fuerunt eo tempore, Meginfrido apud Trithemium teſtante, in Cœnobio Fuldenſi Monachi centum quinquaginta, quos ille non minùs virtutibus, quàm literarum ſtudiis informabat. Sic enim curabat de doctrinâ, ut morum probitati priores deſerret. Si quos videbat monachos, in quibus virtus ac pietas cum eruditionis ſtudio haud paria facerent, hos è ſchola ſua exeſſe jubebat, nec antea in eam iterum admittebat, quàm literas æquare cum vitæ integritate ſtuderent. Munus docendi liberales artes *Candido* Monacho, aliíſque impoſuit, reſervato ſibi officio interpretandi Scripturas ſacras. Diſcipulos habuit plures in literis egregios, neque ſui diſſimiles in moribus; quorum alii variarum diœceſeon Antiſtites, alii diverſorum cœnobiorum Abbates, alii ſcholis publicis præfecti, alii doctrinâ vitæque ſanctimonia juxtà conſpicui floruerunt, è quibus Walafridum Strabonem, Servatum Lupum, & Ottfridum Weiſſenburgenſem hîc nominâſſe ſufficiat.

Abbatiali dignitate ſponte ſe abdicat. Poſtquàm monaſterium viginti años præclarè rexiſſet, Abbatiali dignitate an. 842. ultrò ceſſit, quò ſacrarum literarum ſtudiis liberiùs vacare poſſet.

Poſt dimiſſam præfecturam in cellam, quæ in monte S. Petri ſita eſt, duodecim ferè ſtadus à Fuldenſi monaſterio, ſeceſſit, ubi toto fere quinquennio degens, totum ſe contulit ad ſtudia ſacra, & varii argumenti elucubranda opera, de quibus poſtea dicetur.

Archiepiſcopus Mogunt. eligitur. *Otgario* Archiepiſcopo Moguntino è vivis ſublato, Rabanus in ejus locum anno 847. ſuffectus fuit. Quo in munere zelum pro fide, & pro morum integritate quantum oſtenderit, argumento ſunt cùm decreta ab ipſo ſancita variis in ſynodis, tum homiliæ plures adversùs morum relaxationes ſcriptæ. Tres verò ſynodos celebravit, primam anno 847. ut bona & jura eccleſiaſtica à laicorum violentia vindicaret. Alteram anno 848. in cauſa Goteſcalci Monachi Cœnobii Orbacenſis de prædeſtinatione Dei praviter ſentientis. Tertiam anno 853. in quâ quid Gozberto Oſnabrugenſi Epiſcopo in Heriſordenſis Parthenonis eccleſias competere debeat, definitum eſt. Etſi verò ingenti non apud Eccleſiaſticos tantùm, ſed ſeculares etiam homines, atquè adeò Reges & Imperatores valeret auctoritate, majori tamen erat humilitate, atque animi demiſſione. Nihil eo etiam erga pauperes atque inopia oppreſſos homines liberalius, quorum trecentos de diverſis locis venientes quotidie alimento ſuſtentabat, exceptis his, qui in præſentia illius veſcebantur aſſiduè.

Poſt annos novem in Archiepiſcopatu præclarè exactos, anno 856. diè 4. Februarii, ætatis ferè 70. annorum, Ludovico Lotharii filio imperante, regnantibus verò Ludovico in Germania, & Carolo Calvo in Gallia, Ludovici Pii filiis, Deo naturæque conceſſit. Sepultus ad S. Albanum Moguntiæ, epitaphium de ſe ipſe compoſuit. Reliquiæ in Saxoniam translatæ anno 1515. A Trithemio lib. III. de Vir. Illuſt. O. S. B. annumeratur *Sanctis & Canonizatis*, quem etiam viventem nonnulli *ſanctum* imò *ſanctiſſimum* appellârunt. A Bollandianis verò & Mabillonio ſolo *Beati* titulo honoratur. *Beatum* appellare malui, inquit Mabillonius, quàm *Sanctum*, donec ſanctior Eccleſiæ accedat auctoritas, ſiquidem nullo feſtivo cultû in Moguntiacenſi Eccleſiâ honoratur, teſte Browero in notis ad poëmat. moritur an. 856. 4. Febr. ætatis ſuæ 70. An Sanctus vel Beatus appellandus?

Quæ elogia illuſtres Scriptores de B. Rabano Mauro dederunt, præmiſſa ſunt primo ejus Operum Tomo. Solius Cæſaris Baronii attexere me non pœniteat. *Emicuit planè Rabanus ut fulgentiſſimum ſidus, cujus quæ extant ſcripta, tanquam lucis radii excellentiam demonſtrant auctoris: de quo Trithemius tradit, ipſum præter Opuſcula tam carmine, quàm ſolutâ oratione conſcripta; Scripturam ſanctam à principio uſque ad finem omnem feliciter explanâſſe; virum planè omni literarum genere egre-* Baronii de eo elogium.

giè excultum, triúmque linguarum, Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ peritum. Baron. ad an. 856.

ipſius vitæ Scriptores.

Vitam ſummi viri dederunt *Rudolphus* diſcipulus ejus, Scholaſticus Fuldenſis, ac Ludovici Germaniæ Regis Confeſſarius: extat in Actis SS. cum Comment. prævio Henſchen. & Bolland. 4. Febr. & cum notis Mabillonii Tom. IV. Act. SS. O. S.B. ſine notis apud Browerum lib. 3. Antiquitatum Fuldenſium. Alia *Trithemii*, Alberto Brandeburgenſi, Archiepiſcopo Moguntino & Magdeburgenſi nuncupata apud Bolland. 4. Febr. Alia *Bailleti*, Vies des SS. 4. Febr. pag. 72. Alia Friderici Schannat Hiſtor. Fuldenſi part. 11. p. 100. Elogium Hiſtoricum contexuit Mabillonius l. c. Addi poſſunt Nicolaus Serrarius & Chriſtophorus Browerus è Soc. Jeſu: ille libro IV. Moguntiacarum rerum de Rabano diſtinctas quinque ſupra viginti reſolvit quæſtiones; iſte in Antiquitatum Fuldenſium lib. 2. cap. 13. lib. 3. c. 13. 14. & lib. 4. in quinto Abbate Fuldenſi varia de eodem proponit. Voſſius de Hiſt. Lat. Cav. in Hiſt. Liter. Arnoldus Wion in Ligno vitæ. Poſſevinus in Apparatu, Sixtus Senenſis in Bibl. San. Labbeus de Script. Eccl. Tom. II. Cellotius in Append. ad hiſtoriam Gotheſcalci. Baluzius Miſcell. Tom. I. p. 505. = *Rhabanus Moguntiacenſis obit DCCCLV. ei Karolus ſucceſſit* = ex Chronico Wirzeburgenſi, ex vetuſtiſſ. S. Gallenſi codice, quod incipit: = *Kilianus S. martyrizatus an. DCLXXVII.* & pertingit uſque ad A. CIƆCI. Denique Franciſci Buddei Diſſertatio 4. Jen. 1724. cujus tamen perlegendæ deſiderio fruſtrà flagravi. Ex veteribus Sigebertus cap. 89. de Viris Illuſtribus Honorius Auguſtodun. libelli 4. de Luminaribus Eccleſiæ cap. 4. Hermannus, Marianus, & Lambertus Schafnaburgenſis in Chronicis, Hincmarus contra Gotheſcalcum, Lupus Ferrarienſis ep. 40. quâ eum Reverendiſſimum Patrem, eximiúmque præceptorem vocat, S. Odilo in Sermone de S. Cruce, Annales Fuldenſes à Pithœo primùm editi &c.

SCRIPTA.

Omnia *B. Rabani Mauri* Opera, quotquot, magnâ adhibitâ diligentiâ & induſtriâ, reperiri potuerunt, in unum corpus congeſta, ſexque in folio Tomis comprehenſa Coloniæ typis Antonii Hierati, excuſa anno 1626. in publicam lucem prodierunt ex ſchedis Jacobi Pamelii, ſtudio atque accuratione Gregorii Colvonerii Duacenſis Academiæ Cancellarii. Continentur verò

Poſt vitam Rabani à Rodulpho Presbytero, & Monacho Fuldenſi, ejusdem diſcipulo, atque à Joanne Trithemio Abbate Spanheimenſi editam

Excerptio de Arte Grammatica Priſciani. pag. 28 - 50. Quo tempore Rabanus literas humaniores docebat, in gratiam ſtudioſæ juventutis hoc opuſculum concinnavit.

De Univerſo Libri XXII. ſive *Etymologiarum opus ad Ludovicum Germaniæ Regem, de proprietate verborum, & rerum myſticarum ſignificatione.* Equidem Rabanus hoſce libros in Hemmonis, ſeu Haymonis Epiſcopi Halberſtatenſis ſui quondam condiſcipuli gratiam condiderat, ſed cùm Rex Ludovicus ſecum eosdem ab Authore communicari petiiſſet, hic opus à ſe lucubratum cum epiſtola ei nunc præfixâ ad ipſum transmiſit. Circa annum 844. quo tempore à regimine Abbatiali vacabat, Operi huic inſudavit, quod ex impreſſo antiquo hîc excuſum fuit pag. 51 - 272.

De laudibus ſanctæ Crucis libri duo partim proſa partim carmine conſcripti, pag. 273 - ſ45. Ut Rabanus arduum hoc opus adornandum ſuſciperet, autor ei fuit Alcuinus præceptor; quod tamen primùm ab ejus obitu inchoavit año ætatis ſuæ XXX. Æræ Chriſtianæ ferè DCCCXVI. cùm ab itinere, neſcio quo, veriùs exilio rediiſſet. Plures verò ſunt, quibus opus hoc laborioſum & idem ingenioſum inſcripſit: primùm S. Martino Epiſcopo Turonenſi, in cujus monaſterio ſub Alcuino magiſtro ſacris literis operam navavit; tum Ludovico Auguſto; deinde Gregorio IV. tametſi non ei, ſed Sergio ejus ſucceſſori anno 844. per Aſcrichum & Ruodpertum Fuldenſes Monachos obtulerit; poſteà Heberardo Comiti Italiæ, qui prædictos libros per eosdem monachos Româ revertentes efflagitaverat; ac demùm Monachis Cœnobii Dionyſiani in agro Pariſienſi nuncupavit. Primus typis exſcribendum curavit Jacobus Wimphelingius Alſata, Seleſtadienſis an. 1503. Phorcheimii in Suevia apud Thomam Anſelmum, quod deinde Auguſtæ Vindelicorum anno 1605. recuſum fuit. V. C. Joannes Vogtius in *Catalogo Hiſtorico-Critico Librorum rariorum* Hamburgi an. 1738. vulgato librum vocat rariſſimum, tum propter ſummam infrequentiam, tum etiam propter innumeras

meras

meras figuras Crucium diverſas formas exhibentes. Neſcire etiam ſe non diſſimulat, an legatur in Collectione Pameliana. Mabillonio tamen judice hoc Opus plus habet ingenii, laboris, atque artificioſæ diligentiæ, quàm utilitatis. Nolim tamen cenſuram illius præferre judicio S. Odilonis, Abbatis Cluniacenſis in ſermone de laude S. Crucis, ubi ſic ait: *Rhabanus ſeculari ſcientia affatim eruditus, fide Catholicus, ſpirituali ſcientiâ ad plenum edoctus, tale de laude S. Crucis texuit opus, & texendo perfecit, quo pretioſius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, laborioſius ad ſcribendum non poteſt inveniri.*

Tomo II. continentur

Commentariorum in Geneſim libri IV. quos circa annum DCCCXXX. ad Freculphum Lexovienſem in Gallia Epiſcopum tranſmiſit, cujus præmittitur epiſtola, quâ à Rabano explanationem in Octateuchum efflagitavit & obtinuit. pag. 1.-83.

In Exodum libri totidem ad eundem Freculphum pag. 84-170.

Expoſitionum in Leviticum libri ſeptem, ad eundem: quibus accedit Epitome eorundem Commentariorum in Leviticum, auctore Walafrido Strabo, ejus diſcipulo pag. 171-313.

In Librum Numerorum Libri IV. ad eundem Freculphum Epiſcopum pag. 314-404.

In Deuteronomium Libri IV. ad eundem pag. 405-463. Hos Commentarios *in Exod. Levit. Numer. & Deuter.* non Rabani eſſe, ſed Walafridi Strabi contendit Caveus, & Parte II. Hiſtor. liter. eccleſ. p. m. 181. ait: „ Liquet id è Cod. mſſ. in Bibliotheca „ Collegii novi apud Oxon. ubi præ„ fat. in Exodum hæc habentur verba: *In Geneſin commentarios edidit „ ipſe per ſe: quæ ſequuntur expoſitiones in IV. libros Moſis, proficiſcuntur „ à Strabo ejus diſcipulo, qui magiſtri „ ſui dicta fideliter annotavit.* At enim, ut nihil dicam, annotationem hanc neoterici cujusdam eſſe Critici, Rabano diſertis verbis Rudolphus, vitæ ſcriptor, teſtisque omni exceptione longè major, in ſyllabo Operum attribuit. Adde, quod Mſ.ti Codices *Commentariorum in librum Numerorum & Deuteronomii* in Bibliotheca majoris ædis Moguntinæ nomen Rabani præferant.

Tomo III. continentur

In Librum Judicum libri duo exarati ſub annum 834. Humberto Epiſcopo Wirzburgenſi rogante, cujus præmittitur epiſtola pag. 1. - 35.

In librum Ruth liber unus, quem rogatu ejusdem Humberti explanavit pag. 36 - 44.

In quatuor libros Regum libri IV. ad Hilduinum Abbatem; quam expoſitionem Ludovico Auguſto Fuldæ obtulit. pag. 45 - 144.

In duos libros Paralipomenon libri IV. quos Ludovico Germaniæ Regi tranſmiſit: perperàm igitur hos Commentarios ad Ludovicum Auguſtum fuiſſe ſcriptos editio prodit Colonienſis pag. 145 - 242.

In librum Judith liber unus cum præfatione metrica, ſubjicitur Jacobi Pamelii in eundem librum Commentarius. pag. 243 - 265.

In librum Eſther ad Reginam nobiliſſimam Emmam, ut Labbeus arbitratur, Ludovici Regis Germaniæ uxorem. pag. 279 - 292. Verùm utramque ſcriptionem Rabanus circa annum DCCCXXXVI. Judithæ Auguſtæ, poſtquàm *hoſtes ſuos non parva ex parte vicerat*, dicavit.

In Cantica, quæ ad Matutinas laudes per ſeptimanam dicuntur, ad Ludovicum Germaniæ Regem pag. 293 - 322.

In Proverbia Sapientiæ libri tres ad Othgarium Archi-epiſcopum Moguntinum. pag. 362 - 393.

In Eccleſiaſticum libri decem, quos eidem Archipræſuli ante annum 840. nuncupavit.

Tomo IV. continentur

In Jeremiam Prophetam comprehenſis ejus Lamentationibus ſive Threnis libri triginta, quos poſt annum 840. Ludovico Auguſto è vivis ſublato, ejus filio Lothario Imperatori obtulit. Commentarium autem hunc in Threnos, quem falsò aliqui S. Hieronymo tribuunt, à Rabano ſcribi curavit Harmotus Decanus Sangallenſis referente Ratperto cap. 9.

In Ezechielem Prophetam libri XX. quos ſub annum 841. Lothario Auguſto inſcripſit, cujus præmittitur epiſtola ad Rabanum pag. 196 - 379.

In Machabæorum libros duos explanatio poſt annum 836. cum duobus pro-

logis, primo ad Ludovicum Germaniæ Regem, altero ad Geroldum ſacri Palatii Archidiaconum p. 380 - 429.

Tomo V. continentur

Commentariorum in Mathæi Evangelium libri octo, quos Abbas factus anno 822. Haiſtulſo Archiepiſcopo nuncupavit, qui obiit anno 826. pag. 1 - 168.

In quatuordecim S. Pauli Epiſtolas libri triginta ad Samuelem Epiſcopum Wormatienſem, ſuum quondam ſub Alcuino præceptore condiſcipulum, & in ſchula Fuldenſi coadjutorem: quos commentarios anno 842. Lupo, pòſt Abbati Ferrarienſi transmiſit, qui nuper ex Academia Fuldenſi in Gallias redierat, cujúsque rogatu *hoc in epiſtolas Pauli collectarium* ex variis SS. Patrum floſculis confecerat. Editæ habentur ejusdem Rabani ad utramque epiſtolæ, quas Jacobi Pamelii Commentariolus in epiſtolam ad Philemonem præcedit pag. 169 - 579.

Homiliæ ſuper Epiſtolas & Evangelia à Natali Domini uſque ad Vigilias Paſchæ numero LXI. ad Haiſtulſum Archiepiſcopum. Quibus plures aliæ homiliæ de Sanctis & variis virtutibus accedunt. pag. 580 -- 626.

Homiliæ ſuper Epiſtolas & Evangelia à Vigilia Paſchæ uſque ad XV. Dominicam poſt Pentecoſten tam de tempore, quàm de Sanctis, numero XCI. ad Lotharium Imperatorem pag. 626-743.

Homilia de Evangelio Liber Generationis Jeſu Chriſti Filii David. pag. 743 - 745.

De ſeptem ſignis Nativitatis Domini pag. 745.

Allegoriæ in univerſam ſacram Scripturam è veteri MS. deſcriptæ. pag. 749 - 823.

Tomo VI. continentur

De Clericorum inſtitutione & ceremoniis Eccleſiæ libri tres ad Heiſtulphum Archiepiſcopum Moguntinum, præmiſſo ejusdem Rabani epigrammate ad Fratres Fuldenſes, conſcripti Æræ Chriſtianæ anno 819. ut conſtat ex carmine dictis libris præfixo, quod inter Rabani poëmatia vulgatum fuit pag. 1. - 50.

De ſacris Ordinibus, Sacramentis divinis, & Veſtimentis Sacerdotalibus liber unus ad Thiotmarum. In multis convenire cum libro primo de inſtitutione Clericorum rectè monuit editor pag. 50 - 59.

De diſciplina Eccleſiaſtica ad Reginaldum libri tres: quorum primus eſt de ſacris Ordinibus. Secundus de Catechiſmo & Sacramentis. Tertius de agone Chriſtiano agens de virtutibus & vitiis. In duobus prioribus capita quædam in margine notantur, quæ cum libris de inſtitutione Clericali conveniunt. p. 60 - 85.

Libri tres ad Bonoſum Abbatem. Primus de videndo Deo. Secundus de puritate cordis. Tertius de modo pœnitentiæ. p. 88 - 109.

De Quæſtionibus Canonum Pœnitentialium ad Heribaldum libri tres. Opus ſpurium; neque enim Rabani Mauri eſt, ſed Halitgarii Cameracenſis, ut rectè advertit V. C. Stephanus Baluzius in præfatione ad Rabani epiſtolam Heribaldo ſcriptam, qui Halitgarius libros quinque pœnitentiales compoſuit rogatu Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis editos ab Henrico Caniſio in tomo 5. Lectioum antiquarum. Nam liber primus de quæſtionibus canonum apud Rabanum, eſt quintus liber Halitgarii, ſecundus eſt tertius; tertius eſt quartus. Vid. Mabill. in Elog. §. X.

De vitiis & virtutibus, de peccatorum ſatisfactione, & remediis, ſive pœnitentiis libri tres. pag. 125 - 154. Opus ſpurium, quod ejusdem Halitgarii eſt, ut l. c. Baluzius advertit; primus enim liber de vitiis apud Rabanum eſt primus Halitgarii, ſecundus Halirgario etiam ſecundus; tertius Rabanicus cujus ſit incertum.

Pœnitentium liber unus Otgario Archiepiſcopo inſcriptus ſub annum 842. in cujus capite XV. meminit pugnæ Fontaneticæ, quæ inter filios Ludovici Auguſti commiſſa eſt anno 841. pag. 155 - 165.

Quota generatione licitum ſit matrimonium, epiſtola ad Humbertum Epiſcopum p. 165 - 166.

De Conſanguineorum nuptiis, & de Magorum præſtigiis, falsíſque divinationibus ad Bonoſum liber unus pag. 166. - 172.

De anima & virtutibus ad Lotharium Regem opuſculum. p. 173 - 177.

De ortu, vita & moribus Antichriſti Tractatus pag. 177 - 179.

Rhabani Mauri Martyrologium ex Tomo VI. Antiq. lect. V. C. Henrici Caniſii Noviomagenſis. p. 179 - 201.

Poëmata de Diverſis per Chriſtophorum Browerum Soc. Jeſu Theologum Moguntiæ edita cum ejusdem ſcholiis pag. 202 - 245.

Com-

Comentaria in Regulam S. Benedicti non ſunt Rabani, ſed Smaragdi Abbatis monaſterii S. Michaëlis ad Moſam in diœceſi Virdunenſi, ut conſtat tum ex Sigeberto in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 118. tum ex Aimoino ſerm. de S. Benedicto, ubi, Smaragdus, inquit, expoſitionem in ipſius Regulam commentatus hos præmiſit verſiculos:

Quisquis ad æternum mavult concedere regnum &c.

Quod eſt initium carminis præfixi hnic expoſitioni Rabano ſuppoſitæ. Alios permultos codices membraneos, in quibus hæc Comentaria ſuo Authori, Smaragdo tribuuntur, ſe vidiſſe teſtatur Mabillonius l. c.

Gloſſæ Latino-Barbaricæ de partibus humani corporis ex Tomo II. Rerum Alamannicarum Melchioris Goldaſti Francofurti ad Mœnum editæ anno 1606. pag. 331 - 332.

De inventione linguarum ab Hebræa uſque ad Theodiſcam, & notis antiquis ex eodem Goldaſti Tomo pag. 333 - 334.

Atque hæ ſunt Rabani Opera, quæ ſex Tomis comprehenſa Coloniæ prælo ſubjecta fuerunt: alia complura, quæ tametſi magna adhibita diligentia conquiſita fuerint, adipiſci tamen non potuit Colvenerius, ut ipſe conqueritur: ſubinde tamen non pauca in lucem à viris doctis protracta, partímque manu, partim verò typis exſcripta fuerunt. Sunt verò, quæ ego ſciam, ferè ſequentia.

1.) *Expoſitio de Paſchate & Agno Paſchali.* Extat MS. in Collegio S Benedicti Cantabrigiæ vol. 172. uti fidem facit Caveus Hiſt. Lit. pag. 457.

2.) *Libri III. in librum Joſue.* ex Mſc. Ciſterc. eruit Jacobus Launois, Ciſtercienſis Monachus, miſitque olim Lucæ Acherio, qui eosdem etiam libros accepit à R. P. Franciſco Chiffletio S. J. Presbytero, typis verò comiſit Edmundus Martene ampliſſ. Collect. Tom. IX. pag. 667.

3.) *Commentariorum in Prophetam Danielem libri IV.* Habentur manuſcripti in membranaceo codice Bibliothecæ Augiæ Divitis: deſiderantur verò in libro II. priora novem capita, & initium capitis decimi.

4.) *Expoſitionis in Joannem liber I.* quem ex eadem Augienſi Bibliotheca cum Commentariis in Danielem pro prælo deſcripſi, atque Notis & Obſervationibus illuſtravi.

5.) *Commentarius in Acta Apoſtolorum.* Extat MS. in Bibliotheca Collegii Balioleníis Oxon. cod. 151. Cav. l. c.

6.) *Gloſſarium Latino-Theodiſcum in tota Biblia veteris & novi Teſtamenti,* ut volunt Lambecius & Neſſelius, verius in multas voces Biblicas, & aliorum quoque Auctorum. Hoc quidquid ſit Gloſſarii, à Petro Lambecio ex arce Ambaſſiana in Vindobonenſem Bibliothecam illatum V. C. Joannes Georgius ab Eckhart typis vulgavit Comment. de Rebus Franc. Tom. II. pag. 950. At enim Gloſſarium hocce nec Rabano adſcribendum, nec ſcitè rectéque, *Gloſſarii Latino-Theodiſci* in tota Biblia V. & N. T. titulo à Lambecio & Neſſelio inſignitum eſſe, Jo. Diecmannus, Eccleſiarum Bremenſium ac Verdenſium Superintendens, in præfatione ad *Specimen* illius typis editum allatis rationibus oſtendit, ſuámque tandem ſententiam his exprompſit verbis: „Ego „ verò, ut quid mihi de hoc Gloſſario „ videatur, liberè dicam, in junio- „ rum monachorum, aliorúmque diſ- „ cipulorum Fuldenſium uſum Raba- „ num voces Latinas hujus vel illius „ libri Biblici tum Latinè expoſuiſſe, „ eámque expoſitionem ab illis ex præ- „ legentis ore calamo eſſe exceptam, „ haud temerè negaverim; quomodo „ etiam Walafridus Strabus ab eodem „ Rabano magiſtro ſuo, *Gloſſas Lati-* „ *no-barbaricas, de partibus humani* „ *corporis* à Goldaſto ex manuſcr. re- „ rum Alamañicarum II. 64. 65. pri- „ mùm emiſſas, deinde Rabani Ope- „ ribus VI. 331 - 332. à Colvenerio in- „ ſertas, ſe accepiſſe refert. Sed utì „ Rabanum ipſum, *Gloſſarium* ali- „ quod *Biblicum* ſcripſiſſe, nemo ve- „ terum teſtatus eſt; ita tantùm ab- „ eſt, ut hoc MS. ea, qua hodie pro- „ ſtat forma Rabano auctori dare que- „ am, ut id illo mihi planè indignum, „ & mera rhapſodia eſſe videatur, ex „ Rabani Latino-Theodiſcis, ejusdem „ item, & aliorum gloſſis, interrupto „ alphabeti, cujus cæteroquin ſervari „ cœpti indicia clariſſima ſunt, ordine, „ tumultuariè & admodùm oſcitanter „ conſarcinata. „ Ita Diecmannus apud Georg. Chriſt. Joannis in addendis & emendandis ad Tom. I. Rer. Mogunt. pag. 1009. Hanc verò Diecmanni cenſuram etſi legiſſet *Jo. Georg. Eckhartus*, eâ tamen ſe abſterreri non eſt paſſus, quò minùs Gloſſarium in ve-

tus

tus & novum Teſtamentum ſub nomine Rabani Mauri ex Codice Bibliothecæ Cæſareæ vetuſtiſſimo in lucem emitteret ad calcem Tomi II. de Rebus Franciæ Orientalis pag. 950 - 976.

7. *Liber de variis quæſtionibus adverſùs Judæos ſeu cæteros infideles, vel pleroſque hæreticos Judaizantes ex utroque Teſtamento collectis.* Ex mſ. codice Monaſterii S. Sergii Andegavenſis ediderunt Edmundus Martene & Urſinus Durand Theſ. Nov. Anecd. Tom. V. pag. 402. Hoc tamen Opus Baluzius ex Trithemio & Mſs. Codice Bibliothecæ Colbertinæ Amuloni Epiſcopo Lugdunenſi tribuit, quem ſequitur Muratorius Antiquit. Med. Ævi Diſput. XVI. col. 895. contra Chiffletium S. J. id ſub *Rabani* nomine Divione anno 1654. vulgantem. Schötgenius tamen in Continuatione Bibl. med. Lat. Vol. 6. pag. 76. hunc *Rabani* librum à Martene & Durand vulgatum eſſe alium ab eo, quem Petrus Franciſcus Chiffletius edidit, teſtatur. Quæ res alio loco ſub examen à nobis vocanda eſt.

8.) *Opuſculum de Paſſione Domini*, quod ſub Rabani nomine Bernardus Pezius in lucem emiſit Theſ. Noviſſ. Anecdot. Tom. IV. Legenda tamen eſt ejus prævia Obſervatio, in qua non diffitetur, extra dubium non penitùs eſſe poſitum, B. Rabanũ hujus Opuſculi eſſe authorem: illud certum, quòd erga Paſſionem Dominicam fuerit devotiſſimus.

9.) *De vita S. Mariæ Magdalenæ & Marthæ liber.* Habetur Mſ.tus Oxonii in Bibliotheca Collegii Magdalenſis cod. 2230. n. 89. qui liber forſan non diverſus eſt ab eo, qui inſcribitur *Vita amicorum Chriſti*, & aſſervatur in Bibliotheca Henrici Langley Equitis C. 6991. n. 38.

10.) *Opuſculum contra eos, qui repugnant inſtitutis B. P. Benedicti*, ſeu *Liber ad Lud. Imp. de Oblatione puerorum ſecundùm Regulam S. Benedicti.* Edidit Mabillonius Añal. Bened. Tom. II. append. n. 51. Fallitur igitur vir eruditus, Chriſtianus Schötgenius, qui Bibl. med. & inf. Lat. Vol. VI. pag. 79. ineditum ſcribit.

11.) *Liber de Computo*, quem Stephanus Baluzius publici juris fecit Miſcellaneorum Tom. I. pag. 10. Codex MS. auctior, & iconibus neceſſariis illuſtratus eſt Lugdun. Batav. apud Federicum Pacium, edendus, ut Jo. Albertus Fabricius notavit, à Gabriel du Mont, Roterodami. Vid. Schotgenius in Continuat. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 17. pag. 77.

12.) *Epiſtola Nuncupatoria in Joſue*, ſicut & *Præfatio in Judith & Eſther* deſiderantur in editione Pamelii, ſed defectum ſupplevit Mabillonius ſeorſim illas imprimendas curans in Act. SS. Ord. S. B. Sec. IV. Part. II. pag. 41.

13.) *Epiſtola ad Egilum, ſeu Egilonem*, ea eſt, quæ extat in Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti Sec. IV. Part. II. à Guillelmo Caveo autem in deperditis habetur, cujus verba hîc adſcribere me non pigeat „Inter Opera ejus „(*Rabani*) quæ hodie non ſuperſunt, „gravi Eccleſiæ diſpendio periit Epi„ſtola *ad Egilonem Abbatem Fuldenſem*, „*quâ veram & orthodoxam de Eucha*„*riſtia doctrinam aſſeruit, & novam* „*Paſchaſii ſententiam refutavit: meminit* „*hujus epiſtolæ auctor coævus, qui in* „*gratiam Paſchaſii ſcripſit, & in Biblio*„*theca Thuana, San-Germana, & Victo*„*riana MS. deliteſcit*, teſte Albertino „de Sacrament. Euchar. lib. 3. pag. „924. Diſertè meminit & ipſe Raba„nus in *Pœnitentiali* à Stevartio pri„mùm edito cap. 33. Sed vel temporis „injuria, vel hominum iniquitate du„dum evanuit. „ Ita Caveus, cujus confidentiam ſatis mirari non poſſum. Ex epiſtola Rabani ad Egilonem, quam tamen ſe nec legiſſe, atque adeò nec vidiſſe quidem (quia deperditam) confitetur, adſtruere contendit, Rabanum à ſua, quæ *Tranſubſtantiationem & realem præſentiam* negat, ſtetiſſe ſententia. In teſtem vocat Albertinum, hoc eſt, teſtem, nec legentem, nec videntem, ut qui Rabani epiſtolam ad Egilonem pariter nec legit, nec vidit, cùm illa pridem interciderit ex Cavei opinione & confeſſione. At enim adeſt hodie Rabani in D. Joannis Evangelium Commentarius, in quo *Tranſubſtantiationem, & realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam* conceptis verbis affirmat. Quis ergo Rabanum in Epiſtola ad Egilonem Paſchaſii doctrinam refutâſſe credat? Quò ſe Caveus, quò Suerus (k), cæteríque Calvini aſſeclæ vertent, cùm in Rabani Comentario hæc verba lecturi ſunt? *Sed cùm Chriſtus hunc panem carnem ſuam eſſe aſſeruit, carnaliter ſapientes ſcandalizati ſunt; ſola autem turba fidelium credit myſterium, quod de Altari participatur, verè*

corpus

(k) *Joannes le Suer*. Auctor *Eccleſiæ & Reipublicæ* Amſtelodami an. 1730. Tomis VIII. impreſſæ Tomo VII. pag. 86. demonſtrare multis conatur, *Rabanum Maurum* in doctrina de Sacramento Cœnæ longè diſceſſiſſe ab hodierno dogmate Eccleſiæ Romanæ.

corpus & ſanguinem illius eſſe. An quiſquam deinceps ita fronte erit perfricta, ut Rabanum *realem* negâſſe *præſentiam* dicere audeat? Quid enim hoc eſt aliud, quàm Rabanum ſtatuere extra TURBAM FIDELIUM, *quæ ſola credit myſterium, quod de altari participatur, verè corpus, & ſanguinem illius eſſe?* Rabani verò Epiſtolam ad Egilonem de Euchariſtia apud Mabillonium Sec. IV. Bened. part. 2. pag. 591. legi Schöttgenius, tametſi ex numero heterodoxorum, non diffitetur l.c.p.77.

14.) Epiſtolæ tres de Prædeſtinatione adversùs Gotheſcalcum, primùm in lucem editæ, curâ & ſtudio Jacobi Sirmondi an. 1647. Prima eſt ad *Hincmarum* Remenſem Epiſcopum, altera ad *Heberardum* Comitem, tertia ad *Notingum* Veronenſem: ex quibus epiſtolæ ad *Notingum* & ad *Eberhardum* recuſæ ſunt in Tomo tertio Italiæ Sacræ operâ Ferdinandi Ughelli, qui Sirmondi editionem non viderat.

15.) *Epiſtola ad Heribaldum* Autiſiodorenſem Epiſcopum, quæ à Petro Stevartio ex codice Weingartenſi prodiit in lucem, poſtea à Stephano Baluzio recuſa poſt collectionem Canonum Reginonis.

16.) *Epiſtola de Chorepiſcopis ad Drogonem Metenſem Epiſcopum*, curâ Stephani Baluzii edita in tertia editione librorum Petri de Marcâ *De concordiâ Imperii, unâ cum libro de reverentiâ filiorum erga Patres, & ſubditorum erga Reges ad Ludovicum Imperatorem*, qui liber ex ſententiis divinorum librorum excerptus à Rudolpho *Collectarium* vocatur; cui præmittitur *Epiſtola conſolatoria ad eundem Ludovicum Pium poſt calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum ſuorum.* Fabric. l.c.p.79. ineditam, ſed erroneè, ſcribit.

17.) *Epiſtola Synodalis jam in Conciliis edita.* Alia, quâ Ludovico Regi Canones Concilii Moguntini añô 847. obtulit.

18.) *Epiſtolæ duæ ad Regimbaldum Chorepiſcopum Moguntinum de quibusdam quæſtiunculis pœnitentiæ*; quarum unam edidit Stephanus Baluzius in appendice Actorum veterum ad Capitularia Regum Francorum, ordine VIII. alteram habemus in Tomo 8. Conciliorum editionis Regiæ p. 1845. & Tom. V. Harduini p. 1411.

19.) *Exhortationem ad plebem Chriſtianam*, quam linguâ Latino-Francicâ, ſeu veteri Theotiſca conſcriptam è pervetuſto Bibliothecæ Caſſelanæ codice primus publicavit *Joañes Henricus Hottingerus*, in Specimine verò Lectionnm Antiquarum Francicarũ repetiit *Didericus von Staden*, Rabani eſſe conjicit, qui eandem monumentis ſuis Catecheticis Theotiſcis poſtea inſeruit Eckhardus in Præfat. XII. pag. 47. Ita leges apud Georg. Chriſt. Joannis Rer. Mogunt. Tom. I. 395. col. 1.

20.) *Carmen ad Heiſtulphum Archiepiſcopum in fine librorum de inſtitutione Clericorum*, edidit Baluzius Miſcell. Tom. IV. pag. 553.

21.) *Epitaphium Lotharii Auguſti*, quod Browerus refert in Annalium Trevirenſium lib. VIII.

22.) *Prophetiam de Regibus Francorum*, quæ à nonnullis S. Auguſtino adſcribitur, etiam Rabano alii tribuunt; in quibus eſt Jacobus Alexander Tenneurius in Veritatis vindicatæ cap. ultimo. Si huic prophetiæ credimus, *quamdiu Reges Francorum duraverint, qui Romanum Imperium tenere debent, Romana dignitas ex toto non peribit.* Id quo titulo adſcribatur Rabano, ſibi nondum compertum eſſe fatetur Mabillonius. Multò minùs id genus oraculi tribuendum S. Auguſtino, in cujus tamen Operum appendicem refertur Tomo IX.

Crucem etiam mihi mox laudatus Mabillonius fixit, dum inter Opera Rabani à *Pamelio* collecta tria tantùm numerat ſuppoſititia, nempe libros *de Quæſtionibus Canonum Pœnitentialium*, item *libros de vitiis & Virtutibus*, & *Comentarium in Regulam S. Benedicti*, nihilo tamen ſecius in eâdem *Pamelii* collectione Commentarios in libros Judith & Eſther deeſſe ineditos dicit, editos verò ſuppoſititiis non annumerat. Id verò eſt, quod haud ſatis aſſequor. Vel enim *Commentaria in Judith & Eſther* Collectionis Pamelianæ ſunt genuinus vel ſuppoſititius Rabani fœtus? Si genuinus: ergo non ſunt inediti, quos manû *Petri Chiffletii* deſcriptos penes ſe eſſe Mabillonius dicit. Si ſuppoſititius: ergo in collectione Pamelianâ non tria prædicta tantùm Opera ſunt ſpuria, ſed quatuor. Beneficium illi debebo, qui mihi ſphyngem hanc ſolvet. Fecit id pro inſigni ſua humanitate, artiſque Criticæ peritia V.C. *Jacobus Martin* è Congr. S.Mauri, à noviſſima (ut de aliis Operibus præclarè ſcriptis, atque ſuperioribus annis in lucem emiſſis nihil dicam) Operum Theodoreti editione percelebris, qui per literas eapropter à me conſultus, in hæc verba reſcripſit.

„ Quam tibi crucem fixit, ab hac ipſe te Mabillonius noſter facilè liberabit. Verba quidem Elogii Rabani num. 44. *Deſunt in collectione Pamelii Commentarii in libros Judith & Eſther inediti, qui penes nos ſunt deſcripti manu Petri Franciſci Chiffletii*; Verba iſta, inquam, nulla ratione poſſunt intelligi, ſi ſola & ſeorſim conſiderentur. Neque enim Rabani in libros Judith & Eſther commentarii deſunt in collectione Pamelii, neque penes Mabillonium fuerunt Chiffletii manu deſcripti. At ſi quæ paulò infrà num. 49. p. 41. de commentariis in Joſue à Chiffletio acceptis, & p. 42. de commentariis in librum Judith & Eſther ſubjicit idem Mabillonius, tantisper attendas, continuò deprehendes, in allato contextû, vel incuriâ typographi, vel ipſius Mabillonii ad plurima intenti quâdam velut oſcitatione, errorem irrepſiſſe, delendáſq; voces *in libros Judith & Eſther*, earúmque loco iſtas ſufficiendas *in librum Jeſu Nave*.

„ Enimverò quinam commentarii à Chiffletio accepti, in editis (dum hæc ſcriberet Mabillonius) non extabant? ſoli in librum Joſue commentarii. Id teſtatur Mabillonius ibidem num. 49. p. 41. *Eodem ferè tempore*, inquit, *Rabanus librum Joſue expoſuit. .... præmiſsâ ſequenti epiſtolâ, cujus fragmentum retulit Henſchenius, acceptum à Petro Franciſco Chiffletio Societatis Jeſu Presbytero, à quo eam accepit noſter Acherius, cum ipſo commentario, in tres libros diſtincto, qui in editis non extat.* De Commentariis verò Rabani in libros Judith & Eſther, quid ait? nihil aliud prorſus, niſi Chiffletii beneficio acceptam eorum præfationem, necdum typis vulgatam. *Circiter annum* 836. inquit, *Judithæ Auguſtæ .... dicavit Rabanus ſcriptionem ſuam in libros Judith & Eſther, cujus præfatio necdum typis vulgata, quam beneficio ... Chiffletii accepimus, hîc reddenda eſt.*

„Ex his, ni fallor, conficitur 1.mò Mabillonium accepiſſe à Chiffletio ineditam præfationem commentariorum editorum in libros Judith & Eſther. 2.dò ineditos Rabani commentarios in Joſue, cum ſuâ præfatione ſimiliter ineditâ, ab eodem Chiffletio ad Acherium primò, deinde ad Mabillonium deveniſſe. Cùm autem non de præfatione, ſed de comentariis ineditis,& „à Chiffletio acceptis, loco ſuprà laudato, loquatur Mabillonius, reddendus eſt procul dubio ſuæ integritati prædictus Mabillonii contextus, & de commentariis Joſue intelligendus. Itaque legendum cenſeo: *Deſunt in collectione Pamelii commentarii in librum Jeſu Nave, inediti, qui penes nos ſunt deſcripti manu Petri Franciſci Chiffletii*. quæ omnia veriſſima ſunt, nullíque difficultati obnoxia.

„ Ita verò ſcriptum fuiſſe in autographo, aut ſaltem ſcribi debuiſſe, vel ea fides ſit, quòd ibi Mabillonius de commentariis in librum Jeſu Nave ſermonem habere debuerit, de commentariis autem in libros Judith & Eſther ſilere. Quæ duo ex ipſo quæſtionis ſtatu ſic evinco.

„Agebatur de enumerandis Rabani ſcriptis à Rudolpho laudatis, & in editis, tempore Mabillonii, deficientibus; *Ut facilè diſtinguamus*, inquit Mabillonius num. 44. *quæ Rabani opera nondum typis vulgata ſint, operæ pretium eſt diſpicere, quid ex Scriptis ejus à Rudolpho commemoratis deſit in editis.* Agebatur præterea de Commentariis antea ineditis, manû Chiffletii deſcriptis, penes Mabillonium aſſervatis. *Deſunt*, inquit ibidem num. 44. *Commentarii inediti, qui penes nos ſunt deſcripti manû Petri Franciſci Chiffletii.*

„ Hæc autem omnia in Commentarios in librum Joſue ritè cadunt. Laudantur enim à Rudolpho pag. 19. vitæ Rabani num. 51. *in Jeſu Nave Libri III.* Deſunt in collectione Pamelii, ut cuilibet eam evolventi patet. Erant prorſus inediti, dum ſcribebat Mabillonius. Fuerunt à Chiffletio ad Acherium primò, deinde ad Mabillonium transmiſſi; ſervabantur in ejusdem Mabillonii ſcriniis, indéque non ita pridem à Domno Edmundo Martenio noſtro eruti, in nono volumine Theſauri Anecdotorum, publicâ luce donati ſunt.

„ At contrà haud quidquam iſtiusmodi dici poteſt de Rabani commentariis in libros Judith & Eſther. Neque enim deſunt in collectione Pamelii, quod rei caput eſt; nec proinde, cùm hæc ſcriberet Mabillonius, inter inedita Rabani Opera numerari potuerunt. Adde, quòd ubicunque de illis commentariis mentionem facit, nunquam eos Chiffletii manu deſcriptos penes ſe aſſervari aſſerat, ſed ſolam eorum præfationem Chiffletii beneficio acceptam commemoret. ibid. n. 49. pag. 42. Denique Commentarium Raba-

„ni in Judith & Eſther ne minimum quidem veſtigium in ſuperſtitibus Mabillonii ſcriptis deprehenditur.

„Eradamus igitur ex allato contextû *libros Judith & Eſther*, qui ad rem, quæ ibi pertractatur, nullatenus pertinent, eorúmque loco *librum Jeſu Nave* reponamus, qui ſine gravi culpâ eo loci non potuit omitti. Quemadmodum enim ab errore nequit abſolvi, qui deeſſe in collectione Pamelii commentarios in librum Judith & Eſther, qui tamen non deſunt, pronuntiat; ſic etiam graviter errat, qui, dum pollicetur ſeſe diligenter ea omnia Rabani opera, quæ à Rudolpho enumerantur, & in Pamelii collectione deſiderantur, aſſignaturum, commentarios in Joſue omittit, à Rudolpho expreſsè nominatos, & à Pamelio prorſus ineditos: præſertim verò ſi, quod de Mabillonio conſtat, commentarios illos noverit, ſi apud ſe deſcriptos habeat, ſi de iis ſequentibus paginis, & alibi paſſim mentionem faciat.

„Cæterùm, niſi mutetur prædictus Mabillonii contextus, multiplicis erroris uno eôdemque in loco reus dicendus erit; cùm enim eo in contextu legatur, in Pamelii collectione commentarios in libros Judith & Eſther deeſſe ineditos, vel editos in Judith & Eſther commentarios tanquam ſuppoſititios, vel tanquam genuinos Rabani fœtus habuit Mabillonius? Si ſuppoſititios exiſtimavit, cur inter edita Rabani opera tria tantùm numerat ſuppoſititia, nempe *libros de quæſtionibus canonum Pœnitentialium, libros de vitiis & virtutibus, & commentarium in Regulam S. Benedicti*? Si genuinos credidit, duplicem igitur in Judith, duplicem in Eſther commentarium Rabano tribuendum cenſuit; ſcilicet editum unum à Pamelio, ineditum alterum & à Chiffletio deſcriptum. Id verò eſt, quod mihi nullâ ratione perſuadeam. Et primò quidem Rudolphus author vitæ Rabani conceptis verbis narrat, Rabanum ſcripſiſſe *Expoſitionum in hiſtoriam Judith librum unum, & in hiſtoriam Eſther librum unum.* Rudolpho Trithemius, Bellarminus, Labbeus, & alii, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis diſſeruêre, conſentiunt. Denique unum tantùm in libros Judith & Eſther commentarium laudat Mabillonius, ſive in Annalibus Ordinis noſtri, Tom. 2. p. 564. n. 21. ſive in Elogio Rabani, ubi nominatim ſingula Rabani Opera recenſet.

Itaque ſi Mabillonium amas, ut amas „plurimùm, ne dubites tanti viri contex„tum, duarum aut trium vocum mutatione, nativæ integrirati reſtituere. Id, ut demonſtravi, Mabillonius ipſe, ſui, compluribus in locis, interpres efflagitat.„ Hæc vir Literatiſſimus Jacobus Martin.

Conſilium de adornanda nova opp. Rabani editione.

Cùm igitur in Pamelianâ collectione perquàm multa & præclara Rabani Opera deſiderentur, alia verò eidem falsò ſint adſcripta, nonnulla etiam fors haud ſatis emendatè fuerint edita, Reverend.[mus] Abbas *Calmetus* novam, auctiorem, magíſque correctam ſuadet editionem. Quæ eò magis ſuſcipienda eſt, quò Rabani Opera in Bibliothecis minùs ſunt frequentia, ſed libros inter rariores numerantur. Quia verò ægrè fieri poteſt, ut accurata prodeat editio, niſi excuſa Rabani Opera cum manuſcriptis codicibus conferantur, operæ pretium facturus mihi videor, ſi ubinam locorum, & in quibus Bibliothecis id genus veteres membranæ deliteſcant, paucis hîc ſignificem.

Manuſcripti codices operum Rabani.

In Bibliotheca Bodleiana. 1159. 122. Expoſitionum in Mathæi Evangelium libri octo. 1214. 49. Commentarius in Mathæum à cap. 23. ad finem. 1418. 87. De ſermonum proprietate, & myſtica rerum ſignificatione. 1568. 42. Expoſitio in Libros Machabæorum. 1953. 8. De vita B. Mariæ Magdalenæ. 2646. 74. Expoſitio in libros Regum. Deſiderantur quatuor Capitula ultima. 2706. 3. Expoſitio ſuper Mathæum libris octo. Ejusdem Epiſt. ad Haiſtulphum Archiep. ibid. 3010. 2. Expoſitio in libros Machabæorum. 5228. 117. Gloſſæ Latino - Barbaricæ, de partibus humani corporis. 8226. Expoſitio in quinque libros Moſis ad R.[mum] Patrem Freculſum Epiſcopum.

Oxonii in variorum Collegiorum Bibliothecis. In Collegio Balioleuſi 232. Rabani Mauri ſuper librum Paralipom. ſuper librum Eſther, ſuper librum Judith. 299. 25. ſuper Mathæum. 425. 19. ſuper Geneſim. *In Bibliotheca Collegii Mertonenſis.* 486. 18. Poſtillæ ſuper Mathæum. 643. Homiliæ 4. *In Bibliotheca Collegii Novi.* 993. 29. ſuper Pentateuchum Moſis. In hoc libro leguntur verba iſta in Præfatione Commentarii in Exodum, *in Geneſin Commentarios edidit ipſe per ſe: quæ ſequuntur Expoſitiones in quatuor libros Moſis, proficiſcuntur à Strabo ejus diſcipulo, qui Magiſtri ſui dicta fideliter annotavit & abbreviavit.* 1123. 159. De naturis rerum & ſignificationibus lib. 22. *In Bibliotheca Collegii omnium Animarum.* 1432. 31. *in libros Machabæorum.*

1434. 33. de laude S. Crucis, cui præfigitur interceſſio Albini pro Mauro. *In Bibl. Collegii S. Jo. Bapt.* 1816. 78. Etymologica. 1914. 82. de natura rerum. *In Bibl. Colleg. S. Trinitatis* 1959. 22. ad Ludovic. Regem libri 22. *In Bibl. Collegii S. Mariæ Magdal.* 2202. 61. Homiliæ excerptæ è diverſis tractatibus, puta Origenis, S. Leonis, B. Maximi, Gregorii, Auguſtini, Fulgentii & Bedæ per Rabanum Monachum, in Feſtos & Dominicales Dies. 2230. 89. De vita B. Mariæ Magdalenæ & Marthæ. *In Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Dunelm.* 359. Homiliæ 531. 466. in Evangelia. fol. *In Bibl. Eccleſiæ Cathed. Wigorn.* 696, 21. De Univerſo lib. 22. ad Ludovicum Regem, libri duo poſtremi deſiderantur. 828. 153. Nomina librorum, quos compoſuit Rabanus. *In Bibl. Eccleſiæ Sarisbur.* 1071. 145. Rabanus in libros Regum & Chronicorum. Fortè ejusdem in Mathæum & Joannem. *In Bibl. Collegii Etonenſis* 1507. 109. Rabanus in partem Vet. Teſtamenti, videlicet: In libros Numer. Deut. Joſ. Judic. Reg. Ruth, Tobiæ, Judith, Eſther, & Machabæorum. ſol. *In Biblioth. Eccleſiæ Cathed. S. Petri apud Oxoniam* 2079. 25. De computo de variis rebus Aſtronomicis, charactere Saxonico. *In Bibl. Iſaaci Voſſii* 2332. de naturâ rerum. *In Bibl. Henrici Langley Equitis* 6991. 38. Rabani vita amicorum Chriſti. *In Bibliotheca Jacobæa* 7937. 215. in Mathæum. 7938. 216. In libros Machabæorum. 8180. 458. Fragmentum libri octavi. 8524. 802. Etymologiæ 8687. 964. operum fragmentum. *In Bibliotheca Johannis Mori Epiſc. Norvic.* 9231. 45. Rabani Expoſitio in Geneſin libros Macbabæorum, & Actus Apoſtolorum. Codex membranaceus fol. ſcriptus per Joannem Lambert Fratrem Carmelitam. *In Bibl. Symonds D'ewes Baroneti* 10041. De inſtitutione Clericorum.

In Bibliothecis Benedictinis per Regnum Galliæ quænam Rabani Opera manu exarata cuſtodiantur, conſuli poteſt V. C. Bernardi Montfauconii Bibliotheca Bibliothecarum Manuſcriptorum Nova Pariſiis in fol. 2. vol. an. 1739. typis excuſa. Solùm hîc adverto, quòd in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi duo exemplaria *Libri de Officiis Eccleſiaſticis* aſſerventur; quorum unum ad annos ferè ſexcentos, alterum ad octingentos accedit. Vid. Mabill. Diſſert. de Azymo ac Fermentato cap. IX. p. 160. (extat Opp. poſthum.) Alius manuſcriptus codex habetur Romæ in Bibliotheca Vaticana, quem Cardinalis Bona, Rabani locum lib. 1. cap. 31. pro Azymo interpolatum fuiſſe ſuſpicatus, conſuluit, atque multùm ab editis diverſum eſſe deprehendit.

In Bibliotheca majoris Ædis Moguntiæ habentur Commentarii in libros Judith & Eſther, in libros Regum, Judicum, & Ruth; in Machabæorum & Sapientiæ libros; in lib. Numerorum & Deuteronomium; in Jeremiam item & in Epiſtolam Pauli ad Romanos &c. In Bibliotheca verò Monaſterii ad S. Jacobum Moguntiæ codex manuſcriptus aſſervatur, in quo *Sermo de feſto omnium Sanctorum* V. Bedæ tribui ſolitus, Rabano adſcribitur, neſcio an bene. Vide, quæ ſuprà diximus de Operibus dubiis Ven. Bedæ.

In Bibliotheca Augiæ Divitis videre licet Rabani Commentaria in Geneſin, Regum libros, in Judith & Eſther, in Danielem, in Joannem; item de ſermonum proprietate & myſtica rerum ſignificatione. Adeſt etiam Commentarius in Job ſub Rabani nomine, cujus tamen non eſt, ſed Philippi Presbyteri, ac diſcipuli S. Hieronymi.

In Bibliotheca S. Martini Maj. Coloniæ habetur Rabanus in Geneſim & Exodum; item de divino officio. Adeſt etiam ſub Rabani nomine *Sermo in feſto omnium Sanctorum.* Scriptus eſt Codex per F. H. tempore Prioratus anno Domini 1475. Maurus de anima & virtutibus ad Lotharium Regem. In Bibliotheca Monaſterii Metenſis *Opus de laudibus S. Crucis.* In Bibliotheca San-Emmeramenſi pleraque.

Et quia Nuvæ editiones non ſolùm ad fidem MS.torum Codd. caſtigantur, ſed veteres etiam editiones typis impreſſæ conſuluntur, eas è quàm plurimis ſolùm afferre placet, quas Regia Bibliotheca Pariſienſis aſſervat. 1.) Comentarii in Eccleſiaſtic. ex editione Petri Peſſilieri. Pariſiis, Simon Colinæus. 1544. in ſol. 2.) Commentarii in Hieremiam Prophetam. Baſileæ, Henr. Petrus 1534. in ſol. 3.) Opus de Laudibus S. Crucis. Auguſtæ Vindelicorum è typographeo Præturiano 1605. in fol. Item Phorcheim, Thomas Anſelmus 1503. in fol. 4.) Libri III. de Inſtitutione Clericorum & ceremoniis Eccleſiæ. Liber I. pœnitentium; epiſtula, quota generatione licitum ſit matrimonium; liber I. de nuptiis conſanguineorum & de præſtigiis magorum;

liber

Liber I. de anima, & quædam de ſeptem ſignis Nativitatis Domini, & de Antichriſto. *Coloniæ Joan. Prael.* 1532. *in* 8. 5.) Liber de Sacramento Evchariſtiæ editus è Bibliotheca Cuthberti Tunſtalli. Coloniæ, Joan. Quentel 1551. in 8. *Opus Rabano Mauro ſuppoſitum.* 6.) Opuſculum de fide Catholica, ex recenſione, & cum animadverſionibus Petri Franciſci Chiffletii. Divione, Philibertus Chavance. 1656. in 4.to 7.) Opus de virtutibus, vitiis, ac ceremoniis antiquæ Eccleſiæ ex editione Wolfgangi Lazii. Antverpiæ, Joannes Bellerus 1560. in 8. 8.) De divinis Catholicæ Eccleſiæ officiis ac miniſteriis, curâ Melchioris Hittorpii. Coloniæ, Gervinus Calenius &c. 1568. in fol. 9.) Poëmata ſacra edidit Chriſtophorus Browerus. Moguntiæ, Bern. Gualtherus 1617. in 4.to Complura horum Opera mihi etiam in Bibliotheca Auguſta Vindobonenſi viſa fuerunt. Vide etiam Catalogum San-Emmeramenſis Bibliothecæ Tom. I. pag. 34. & alibi.

IX.

Obiit A. 860. vi. kal. Majas.

S. PASCHASIUS RADBERTUS Abbas Corbeiæ Veteris.

Ejus educatio.

MAgnam *Paſchaſius Radbertus* reliquit ſui nominis famam, non virtute magis, quàm doctrina & eruditione partam. Qui ejus parentes fuerint, neſcitur; perquàm honeſto loco natos fuiſſe, nemo dubitat, cùm ſacrarum Virginum Regii Parthenonis Sueſſionenſis cura & ſtudio à teneris educatus fuerit; quo tempore Theodrada regiæ ſtirpis Antiſtita, Caroli Magni conſanguinea, earum monaſterio præfecta erat. Cujus beneficii memoriam in Paſchaſio nulla unquam delevit oblivio. Certè illud non verbis tantùm, ſed ſcriptis etiam ſuis celebravit; nempe in explanatione Pſalmi quadrageſimi quarti, & in Opuſculo de Virginitate Matris Dei: quam utramque lucubrationem, ceu grati animi mnemoſynon, prædictis Veſtalibus inſcripſit, quibus certè magno eſt honori, quòd ſe earum diſciplinæ alumnum his locis profiteatur, maximè in epiſtolis Dedicatoriis.

Primò Clericum,

Eo loci cùm verſaretur Radbertus, prima, ut vocant, tonſura Clericali militiæ adſcriptus eſt. Poſteà autem neſcio quo ſpiritu, haud bono ſanè, afflatus, ex eo cœnobio ad ſeculares homines diſceſſit, quibuſcum, ut verba ipſius uſurpemus, *mundanis actibus* navavit operam, in clericalis ac laicalis vitæ ſtatu? atque non minimum temporis hoc vivendi genere contrivit. Denique, ut fit, ſecularis vitæ tædio affectus in veteris Corbeiæ monaſterium commigravit. Hìc ſanctioris diſciplinæ magiſtrum & ducem habuit S. Adalardum Abbatem, Theodradæ ejuſdem fratrem, & Walæ Comitis, qui & ipſe pòſt monachus & Abbas Adalardo ſucceſſit. Monaſticam igitur vitam profeſſus cùm ingenio atque indole eſſet præſtanti, ad literas ſe referre juſſus eſt, in quibus non minùs, atque in omni virtutum genere pleno gradu progreſſus eſt. Cujus cùm omni probitate, ſummáque virtute, tum ſtudiis doctrináque delectatus S. Adalardus, eum Corbeienſi ſcholæ præeſſe juſſit. „Corbeiam, inquit Sirmondus, Radberti ætate cùm plurima illuſtrarint, haud ſcio tamen, an Radberto ipſo quidquam fuerit illuſtrius, viro ſcientia & integritate, atque omnibus religioſiſſimæ ſanctiſſimæque vitæ inſignibus præſtantiſſimo: cujus & ſapientia cæteri doctiores, & exemplo ſanctiores, & ſtudio ac vigilantia, cùm omnibus præeſſet, excitatiores fuerunt.„

dein monachum profeſſus

Corbeienſi ſcholæ præficitur.

Studiis maximè deditus

Literis humanioribus Radbertus non leviter tinctus erat, ut fidem ejus ſcripta faciunt, in quibus nec profanos auctores aliquando tacitos relinquit: nec dubium eſt, quin in eadem elegantiori literatura addiſcenda ſuis ſodalibus magno fuerit adjumento. Nec majorem tamen in his diſciplinis poſuit operam, quàm quæ cùm ad ſui, tum aliorum inſtitutionem neceſſaria erat: præcipuam ſuam delectationem & ſalutem à ſtudio ſacræ Scripturæ, ſanctorúmque Patrum lectione & meditatione petiit. Unde factum, ut nondum Abbas diebus ſolennibus publicas habere diſſertationes, ſacrúmque Evangelium in fratrum conſeſſu exponere juſſus fuerit.

nullum tamen monaſticæ vitæ officium prætermiſit.

Etſi verò ſtudiorum amore mirificè incenſus, atque libris elucubrandis aſſiduò occupatus eſſet, nullum tamen, quod in præcipua ejus laude ponendum, monaſticæ vitæ officium prætermiſit: ſed *furtivis horis*, ut ipſe nos docet in Prologo in Mathæum, *quia ſub hac diſciplina aliter non vacat, ſcribendi diligentiam perſolvebat.* Ab otio & deſidia ſummoperè abhorruit, ratus, monachis conceſſam eſſe facultatem, ut in otium ſe referrent, & ſolitudinis oppottunitate gauderent; *non ut ignaviter torpeamus, ſed ut meditemur*

in mandatis Dei, in laudibus & contemplatione divina, in Scripturis ſacris, in Lege, & Prophetis, in Evangelio & doctrina Apoſtolorum, in traditionibus ſanctorum Patrum, ſi quo modo, quæ novimus, Chriſto exhibeamus. In hunc ferè ſcopum omnia ejus ſtudia & lucubrationes collineârunt, nempe ut ſacri ſui otii fructus illi conſtaret, eúmque quàm ampliſſimè referret.

Ejus diſcipuli.

Ejus diſcipuli in Academia Corbeienſi, & multi & inſignes fuerunt, quos inter eminuêre *Adalhardus* junior, ſenioris diſcipulus, ac coadjutor in regimine, *S. Anſcharius*, Septentrionis Apoſtolus, *Hildemarus* & *Odo*, Epiſcopi Bellovacenſes; *Warinus* Corbeiæ novæ in Saxonia Abbas, aliíque complures

Variis legationibus fungitur.

Inter hæc variæ legationes, queis fungi juſſus eſt, ejus curas ac ſollicitudines exacuerunt. Anno DCCCXXVI. cùm Adalhardo Abbate Corbeiæ veteris è vivis exempto Monachi ſuffragiis ſuis Walam Abbatem renuntiâſſent, Radbertus ad aulam Ludovici Auguſti miſſus eſt, ut electionem ab Imperatore confirmandam curaret. Quod negotium ex animi ſententia ei ſucceſſit. Quâ occaſione cùm ex eo Magnatum quidam ſciſcitaretur, cur monachi in tantæ ſeveritatis virum vota contuliſſent, inter cætera Paſchaſius reſpondit: *eum præferri oportere, non qui poſt tergum eat, ſed potiùs eum, qui præcedat.* Tanta verò prudentia, induſtria, ac fide ab omnibus habebatur, ut non ſolùm domeſticis, ſed etiam publicis negotiis, juſſu Ludovici Auguſti, intereſſe debuerit.

Abbas eligitur.

Iſaaco, Corbeiæ veteris Abbate è vita ſublato Abbatiale pedum capeſſere coactus eſt. In hac autem præfectura quàm feliciter gubernârit, quàm æquabilem ſe in omnibus præbuerit, quàm charus viciſſim omnibus fuerit, non facile eſt explicare, inquit Sirmondus in vita. Nam cùm in eo plurimæ & maximæ virtutes elucerent,

plurimis virtutibus,

tum præcipua quædam morum lenitas & manſuetudo cum ſingulari prudentia & pietate conjunctæ, amabilem illum ſummis æquè ac infimis reddebant, ut non abs re bonis omnibus amplectendus Abbas ab æquali quodam ſuò dictus videatur. Oris adhuc dignitas inerat, & venuſtas, vividi oculi, roſeus in vultu color, qui virgineum pudorem & modeſtiam deceret, canities etiam in cæſarie venerabilis. Nec domi ſolùm aut apud ſuos erat in pretio; ſed foris apud omnium ordinum homines par gratia & exiſtimatio, tum maximè apud Reges & Principes; à quibus propter inſignem doctrinam & ſanctitatem expetebatur, ſtudióque non vulgari & honore colebatur. Sed inter tot Radberti laudes & ornamenta nihil illuſtrius fuit ſummâ ejus animi modeſtia & humilitate, quâ de ſe ipſe, cùm maximi ab omnibus fieret, modicè omnino ſentiebat. Itaque monachorum ſe omnium peripſema, Levitarúmque ultimum appellare ſolebat: & Diaconi gradu contentus ad presbyterii honorem nunquam adſpiravit: Quam ſui deſpicientiam ut poſt mortem quoque ſingulari exemplo teſtaretur, convocatis ſub vitæ finem diſcipulis edixiſſe fertur, ne quis de ipſius vita quicquam literis conſignaret. Monaſterium Corbeienſe multis rebus auxit, & ornavit; decretúmque à Synodo Pariſienſi ampliſſimum impetravit, quo illius jura omnia & privilegia jam olim, & tum proximè à diverſis Principibus conceſſa Epiſcopi comprobârunt, aſſenſúque ſuo confirmârunt. Synodis quoque aliis, quæ per ea tempora crebriùs agebantur, interſuit, eíque nominatim, in qua Gotheſcalci apud Cariſiacum cauſa iterum diſcuſſa atque damnata eſt.

maximè humilitate illuſtris

Abbatiali dignitate ſe abdicat.

Poſt hæc omni ferebatur cogitatione, ut Abbatiali dignitate ſe abdicaret: ad quod faciendum impulſus eſt tum propriâ modeſtiâ, tum non levium, quas in ſuo regimine paſſus eſt, turbarum conſideratione, maximè verò ingenti, quo tenebatur, deſiderio ad ſtudia intermiſſa revertendi. Huic conſilio monachi aliquamdiu obluctati fuerunt: ſed tandem, faventibus Superis non excidit optatis ſuis. Curis negotioſi regiminis ſolutus nihil prius habuit, quàm ut dudum exoptata ſacrarum Literarum ſtudia repeteret; quibus ingraveſcentis ætatis moleſtias mitigavit, ac leniſſimè tulit.

Ejus ingenii monumenta, præprimis de Ss. Altaris Sacramento.

Ingenii & doctrinæ monimenta libris ſcriptis plurima reliquit, in quibus notiſſimus eſt liber, quem edidit de ſanctiſſimo Altaris Sacramento, ſeu *Corporis & Sanguinis Domini* anno octingenteſimo trigeſimo primo, ut perdoctè evincit Mabillonius ſeculo IV. Benedictino Parte II. in Præfatione Capite I. Hunc librum eo fine à ſe editum teſtatur Paſchaſius in epiſtola, quam ſcripſit ad Carolum Calvum Francorum Regem, ut exponeret de Evchariſtiæ Sacramento Catholicam doctrinam in gratiam Saxonum Puerorum recens ad Chriſtianam Fidem converſo-

Digitized by Google

verſorum. Qua de cauſa tria potiſſimùm hoc in Opere docet Paſchaſius, quæ ſtatim ab initio libri exponit, nimirùm verum corpus & ſanguinem Chriſti exiſtere in Evchariſtia: Panis & vini ſubſtantiam non ſupereſſe factâ conſecratione: ipſúmque Chriſti corpus in Evchariſtia exiſtens non aliud eſſe, quàm quod de MARIA Virgine natum eſt. Tantâ perſpicuitate primus inter veteres ejusmodi argumentum pertractat Paſchaſius, ut eum veluti Apoſtolicæ Traditionis eximium hac in cauſa interpretem agnoſcat Catholica Eccleſia. At Hæretici noſtri temporis, qui præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in auguſtiſſimo Evchariſtiæ Sacramento inficiantur, Paſchaſium Radbertum ceu novatorem laceſſunt, aſſerúntque illum ab antiqua Eccleſiæ fide deſciviſſe, ut novam realis præſentiæ & Tranſubſtantiationis doctrinam inveheret in Eccleſiam. Verùm hoc putidum hæreticorum commentum ab omni veri ſpecie prorſùs abhorret. Paſchaſius ſiquidem præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Evchariſtia, nec non Tranſubſtantiationis dogma in libro à ſe edito ita aſſerit, *ut*, ſi quis non credat, *impio deteriorem* eſſe pronuntiet capite duodecimo, & in Epiſtola, quam ſcripſit ad Frudegardum, appellet *Sanctorum Fidem*, ſecùs verò ſentientes *contra ipſum Dominum & contra omnem Eccleſiam agere dicat.* Quin & ipſemet in Commentario in Mathæum teſtatur: neminem eſſe, qui in aperto hoc ita eſſe contradicat, quod totus orbis credit, & confitetur. Porrò quis, niſi emotæ mentis homo ſuum inducat in animum, eò impudentiæ prorupiſſe Paſchaſium, ut fingeret, non unum terræ angulum, non ſingulares Eccleſiæ populos, ſed totum Orbem Chiſtianum, nemine in aperto contradicente, ſentire & confiteri, quod ipſe ſentiebat, ſcribebátque? Quis, inquam, credat, Paſchaſium, ſi reverà novator fuiſſet, ut obſtrepunt hæretici, potuiſſe obtinere ab Epiſcopis Gallicanis in Synodo Pariſienſi congregatis privilegium pro ſuo Monaſterio Corbeienſi cum eximio elogio ejusdem cœnobii Monachorum, qui omni procul dubio Paſchaſii Abbatis ac Magiſtri ſui doctrina erant imbuti? Denique Paſchaſium novatorem non fuiſſe ex eo maximè liquet, quòd ei nullus noni ſeculi Scriptor erroris dicam ſcripſerit, ſed potiùs omnes Epiſcopi, Abbates, & Monachi ſanctitate & doctrina conſpicui illum ceu avitæ fidei, vitæque integerrimæ virum complexi, & maxima amicitia proſecuti ſint, qui profectò, ut erant antiquæ fidei retinendæ tenaces, novatorem non tuliſſent, ſed, ut par erat, eum admonuiſſent, arguiſſent, coërcuiſſent, confutâſſent. Quæ verò opponit *Claudius* Carentonenſis Pſeudo - Miniſter leviſſima argumenta, ut ſuſpectam reddat Paſchaſii fidem, probétque eum cum ſui temporis Eccleſia non concordare, nullo negotio exſufflat doctiſſimus Mabillonius Parte II. ſeculi IV. Benedictini in Præfatione.

ab hæreticis ceu novator laceſſitur:

horum putidum commentum refutatur.

• Iisdem ferè argumentis poſt Mabillonium, licèt non iisdem penitus verbis pro Paſchaſio decertat R. P. Ludovicus du Meſnil Doctrinæ & Diſciplinæ Eccleſiæ Tomo III. Libro XXXVII. N. XVIII. pag. 690. „ Paſchaſius, inquit, Catholicam de Evchariſtia doctrinam ſe exponere profitetur. Et in commentario ſuper Matthæum neminem eſſe teſtatur, qui in aperto hoc ita eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur. Cùm autem illud opus publicatum eſt, eo vivente, imò uſque ad Berengarium, nemo contradixit vel reclamavit, non Romanus Pontifex, non Epiſcopi, quorum plerique eruditione præſtabant, non viri docti vel pii, uti ſemper contigit, quando quis contra communem ſententiam inducit novam opinionem, ubi primùm innoteſcit. Excipe Joannem Scotum, cujus opus damnaverunt Epiſcopi, & confutârunt viri periti. Imò multi laudaverunt Paſchaſium. Omnibus ſui temporis Gallicanis Epiſcopis venerabilem fuiſſe conſtat, præſertim ex privilegio, quod ſynodi Pariſienſis Patres viginti ipſius rogatu Corbeienſi monaſterio contulerunt, cum eximio elogio ejus monachorum. Ac proinde doctrinam, quæ omnium conſenſu ſine ulla oppoſitione recepta eſt, Paſchaſius meritò dixit Catholicam & totius Eccleſiæ, præſertim, cùm eadem de Evchariſtia crediſſe Orientalem Eccleſiam Acta ſeptimæ ſynodi ſuperiùs laudata demonſtrent. Cùm autem ante Paſchaſium nulla hæreſis extiterit adversùs Evchariſtiam, ſolíque hæretici phantaſiaſtæ, qui Chriſto phantaſticum corpus tribuebant, conſequenter verum ejus corpus in Evchariſtia negaverint, quorum impium dogma jam dudum extinctum inſectati ſunt Patres omnes etiam antiquiſſimi, ut in primo Tomo hujus „ Operis demonſtravimus. Inde conſtat,

Paſchaſii dogma Catholicum ulterius comprobatur.

„ſtat, doctrinam de Evchariſtia, quam tradit Paſchaſius, & tunc omnes agnovêre ut Catholicam, eandem in Eccleſia ſemper fuiſſe traditam, ac proinde in doctrina illius myſterii, nulla hactenùs facta fuerit mutatio, & conſequenter eadem perſeveraverat, & nunc perſeverat in Romana Eccleſia, quæ eadem ac modò expoſita ſe credere in ſynodo Tridentina profitetur. Proteſtantes igitur, qui contraria tenent, ipſimet innovârunt, vel potiùs Berengarii & diſcipulorum ejus novitates „toties anathematizatas recoxerunt.„

Præter hunc nunquam ſatis laudatum Librum *De ſanctiſſimo Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, alia Opera edidit Radbertus, quæ V. C. Jacobus Sirmondus in unum volumen in fol. congeſta publicavit Pariſiis anno 1618. unà cum ejus vita, in qua ait, Paſchaſium ſanctitate illuſtrem ex hac vita ad Deum migrâſſe anno DCCCLI. Mabillonius tamen Parte II. Seculi IV. Benedictini in Elogio Paſchaſii Radberti, probat, ſuperſtitem fuiſſe anno DCCCLX.

Dies obitûs Senex ergò, cœlóque jam maturus felici exitu vitam clauſit die S. Richarii, quem præcipuo ſemper amore coluerat, memoriæ ſacro, VI. kalendas Majas, anno à Chriſto nato non ſatis comperto. Sepultus eſt à ſuis, non ut ipſe ex magna animi demiſſione volebat, loco obſcuro cum Monaſterii famulis, ſed in eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ medio loco ante introitum presbyterii. Poſteà pluribus annorum curriculis jam emenſis ſub Fulcone Abbate, qui octavus decimus ab eo Corbeiæ præfuit, plurima ad ejus ſepulchrum miracula facta ſunt. Quocirca auctoritate Sedis Apoſtolicæ à Widone Ambianorum Præſule quarto Idus Julii ſacrum ejus corpus de terra levatum ad majorem eccleſiam S. Petri honorificè translatum eſt, ut cum aliis Sanctis Adalardo & Præcordio populo venerandum exponeretur. Extat de S. Radberti laudibus carmen Engelmondi Epiſcopi Sueſſionenſis, quod poſt vitæ ſynopſin, quam illuſtrat, non incommodè ſua in editione ſubjungendam putavit Sirmondus. Nunc ex ejuſdem editione D. Paſchaſii Scripta recenſebimus.

miracula ad ejus ſepulchrum, & translatio corporis.

Scripta. *Commentaria in Matthæi Evangelium Libri XII.* quorum quatuor priores adhuc monachus elucubrârat, reliquos jam Abbas adjecit; ac primos quidem illos Guntlando S. Richarii apud Centulam monacho, poſteriores univerſis ejuſdem cœnobii aſcetis inſcripſit. In amplis hiſce & doctis Commentariis cum Ammonii canonibus ſequi ſe profitetur SS. Hieronymum, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, Chryſoſtomum & Bedam, queſtúſque præ Græcorum facundia Latinam paupertatem egere documentis, negat ſe *Fortunatiani* & *Victorini* in Mathæum opuſcula reperire potuiſſe. Confer Fabricium Bibl. med. Lat. Tom. V. p. 587. & quos citat.

Expoſitionis in Pſalmum XLIV. ERUCTAVIT COR MEUM &c. *Libri III.* quos ad Sanctimoniales B. Mariæ Sueſſiones ſcripſit, per eam cauſam, ut gratiam illis rependeret primævæ, quam ab illis hauſerat, educationis ſuæ. Mineral auro contra pretioſius.

In Threnos ſive Lamentationes Hieremiæ Prophetæ Libri quinque, quas à nemine Latinorum explanatas ait ſe legiſſe. Poſtremum hoc Radberti opus fuiſſe credit Sirmondus, à ſene ſeni Odilmaño, ut ex epiſtola conſtat, oblatum. *Paſchaſius Rodbertus, Monachorum omnium peripſemo, ſeni* ODILMANNO *plurimam & ſempiternam ſalutem.* Prodierant Baſil. 1502. 8. Coloniæ 1532. ſed auctiores edidêre Sirmondus, & in Bibl. Patrum Colonienſi Andreas Schottus.

De Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti Liber ſcriptus à Radberto adhuc monacho circa An. 831. ad *Placidum ſuum* (Warinum Abbatem Corbeienſem) quem *votorum filium* appellat. Hic Paſchaſii (m) liber varias ſubinde procellas ſuſtinuit, varióſque adverſarios, alios aliis non parùm diſſimiles ac diverſos. Quidam enim ſeculo IX. Paſchaſii ævo exſtitêre, Catholici omnes, aut ferè omnes; alii ſeculo XI. auctore atque incentore Berengario, hæretici: quibus noviſſimi poſt longa tempora ſucceſſerunt noſtri temporis itidem heterodoxi, Lutherani & Calviniſtæ. Sed iſtius libri fortuna haud planè eadem fuit apud hos atque illos. Ex Lutheranis quippe *Hiobus Gaſtius* Hagenoënſis Paſchaſii librum, de quo hîc agimus, vulgavit anno MDXXVIII. eúmque penitus pervertere demùm auſus eſt, pudendo planè ac deteſtando facinore. Cùm enim Paſchaſium non minùs tranſubſtantiationis & ſacrificii, quàm realis præſentiæ patronum ubique animadverteret; eò proceſſit hominis impudentiſſimi temeritas,

(m) vid. Mabill. Præfat. II. in Sec. IV. Benedictin. item Annal. Bened. Tom. III. & IV.

ritas, ut non ſolùm integra hujuſce libri capita expunxerit; verùm etiam alia ſubinde verba, aliáſque ſententias ſubornârit, intruſerítque, quò Paſchaſium errori ſuo patrocinari perſuaderet. Hujus autem falſarii perfidiam ac depravationes Nicolaus Mameranus Lucemburgenſis detexit primus, ac Paſchaſii librum ſanum ac integrum Coloniæ excudi curavit anno MDL. nt Mabillonius teſtatur. Fabricius verò etſi Paſchaſii librum à Mamerano vulgatum fuiſſe non eat inficias, eum tamen non ſub Paſchaſii, ſed Rabani Mauri nomine (cui in manuſcriptis codicibus quibusdam tribuatur) ad calcem Bertrami Coloniæ 1551. edente Nic. Mamerano prodiiſſe ſcribit. Sed Paſchaſio, vero auctori reſtitutus edente Jo. Ulimerio Lovanii 1561. 8. prodiit unà cum ALGERO, aliíſque de eodem argumento. Inde in Bibliothecis Patrum omnibus, ubi non omittendum, quòd in indicibus ad Pariſienſem A. 1589. Bignæus ex Codice Frontonis Ducæi exhibuit *duo fragmenta* à Gaſtio non tam præterita, quàm ſtudio expuncta. Poſt Sirmondianas denique editiones in recentioribus Bibliothecis Patrum repetitas Edmundus Martene hunc librum ſecundis auctoris Radberti jam Abbatis curis expolitum exhibuit Tomo IX. monumentorum veterum pag. 373. ... 470. præmiſſis verſibus & Epiſtola ad Carolum Calvum Regem, verſibúſque aliis, qui incipiunt: *Regis adire ſacræ*, & qnorum acroſtichis: *Radbertus Levita.* Pariſ. 1733. fol.

De Corpore & Sanguine Domini Epiſtola ad Frudegardum, cui ſubditum eſt *Expoſitum in illud: Cœnantibus autem &c.* ex Commentariis in Mathæi cap. XXVI. Hanc epiſtolam unà cum libro de Corpore & Sanguine Chriſti Joannes à Fuchte Lutheranus Helmſtadii 1616. vulgavit.

Vita S. Adelardi, Abbatis Corbeienſis, obvia etiam apud Surium, 2. Januar. & in Actis Sanctor. Tom. 1. Jan. pag. 96. & in Mabillonii Sec. IV. Bened. part. 1.

Paſſio SS. Martyrum Rufini & Valerii, ſub Imperatore Diocletiano, quorum agonem cùm apud eorum baſilicas corruptum & depravatum offendiſſet, Clericorum ejus loci rogatu comptiore ſtylo edidit ac perpolivit. Sed longiores amplificationes Sociis Bollandianis non arriſerunt, unde prætermiſſa Paſchaſii hiſtoria, brevioribus Actis locum fecerunt Tom. 2. Junii d. 14. pag. 796. ſeq.

Poſt Sirmondianam editionem Operum Paſchaſii lucem viderunt:

1.) *Epitaphium Arſenii*, alterins temporum ſuorum Jeremiæ, ſive *Vita S. Walæ*, Abbatis poſt fratrem Adelhardum Corbeienſis, vulgata à Mabillonio Sec. IV. Benedictin Parte I. pag. 453. Hæc hiſtoria duobus conſtat libris, quorum prior privatam Walæ vitam; poſterior lugubrem exauthorationis Ludovici Auguſti ſcenam repræſentat: adeò, ut arcana hæc omnium ejus rei calamitatum hiſtoria, & velut ἀνέκδοτος dici poſſit. Totam autem iſtius facti cauſam rejicit Paſchaſius in Bernardi Septimaniæ Ducis ac Imperatoris Cubicularii obſcenos mores, feritatem, & nimiam cum Juditha Auguſta conſuetudinem. Qua in re Paſchaſio, auctori non minùs gravi, quàm pio, rerum geſtarum plerumque teſti oculato, nemo jure fidem abrogare poteſt. Is enim nulli parti favebat præter æquum; utì fidem facit Mabillonius, qui modeſtia ſcribendi, ac veritatis amore nemini cedit. Primùm quia Walâ per hos motus apud Lemanum lacum exſulante, ut in ejus epitaphio legitur lib. 2. cap. 10. Paſchaſius legatione functus eſt pro Ludovico Auguſto: cui proinde ſuſpecta non erat ipſius fides. Deinde neque in Bernardum (quantumvis acrioribus eum verbis paſſim inſectetur) pravè affectus erat Paſchaſius: ſiquidem Wala, cui is adhærebat, Bernardi ſororem in matrimonium duxerat. Certè Nithardus, regiæ Familiæ Scriptor, Ludovici Pii ſororius, Carolo ejus filio addictiſſimus, non minùs acerbè invehitur in Bernardum in libro primo, ubi Bernardus *Republica abuſus quam ſolidare debuit, penitus evertiſſe* perhibetur; & ſub initium lib. 2. idem Caroli Calvi mandatum inſuper habere ſolitus, in ejus offenſam incurriſſe propter *ſeductiones, quas patri fecerat, & hactenùs illi faciebat. Hinc grandia moliens, ſummíſque inbians, majeſtatis reus, Francorum judicio, Caroli in Aquitania capitalem ſententiam ſubiit anno DCCCXLIV.* ut tradunt Annales Bertiniani, in quibus etiam *tyranni* nomine afficitur. Prætereà neque à partibus Lotharii ſtabat Paſchaſius. Huic rei illud argumento eſt, quòd, cùm à proceribus nonnullis Lothario monarchia deferretur, obſtitit cum Wala Paſchaſius. Adhæc Carolo Calvo Judithæ Augu-

Auguſtæ filio, acceptiſſimus fuit: à quo ejus electio in Abbatem Corbeienſem probata eſt: cui etiam librum de Sacramento Altaris à ſe olim compoſitum, obtulit in Natali Domini cum inſigni epiſtola, obſervantiæ in Carolum plena. „ Hæc Mabillonius. Contrà verò R. P. *Joſephus Pichler* S. J. in Hiſtoria Imperatorum Romano - Germanicorum Seculo I. Tract. II. cap. 4. n. 24. *Paſchaſium Radbertum* neque à modeſtia ſcribendi, neque ab æquitate in Juditham commendat, ut quem, *inquit*, plurimarum fallaciarum convincit *Natalis Alexander* Hiſt. Eccl. Sec. IX. Tom. VI. N. 12. toto, obſervátque, authorem calumniis in Juditham à malevolorum grege jactis nimium facilè credidiſſe, pejùs eas ſcriptis prodidiſſe, id quod in gratiam *Walæ* Abbatis, quem libro ſuo laudandum, defendendúmque ſuſcipit, agebat; qui & ipſe, Lotharii olim præceptor, & partium ejus ſtudioſus, quidquid in partis adverſæ odium ab Aulicis & Epiſcopis Lotharianis jactabatur, nimiùm pronis auribus acceperat. Acriora adhuc ſunt verba, quibus Paſchaſium D.Muratorius in Hiſtor. Ital. ad an. 930. perſtringit, eum contemptim bonum vocans Monachum. Vitio illi vertit, quòd Bernardum vocaverit *Amiſſarium* (vel quod veriſimilius eſt) *qui cuncta reliquit honeſta.* Difficile bono accidiſſet m nacho, hujus criminationis afferre probationes, neque virum ejus ordinis ac ſtatûs, cujus ipſe fuit, in id genus prorumpere verba decet. At pace D. Muratorii dixero, Paſchaſius non fuit tantùm aliquis, ſed aliquid, non bonus tantùm monachus, ſed magnæ authoritatis in Cæſarea Aula Abbas, quâ tantùm valuit, ut dignus haberetur, qui pro Ludovico Auguſto legatione fungeretur. En de S. Paſchaſio Radberto duo judicia Critica toto cœlo diverſa! Cui verò non difficile accidat, in animum inducere, ut credat D. Paſchaſium præter plurimas & maximas virtutes præcipua quadam animi demiſſione, morum lenitate, & manſuetudine cum ſingulari prudentia & pietate conjuncta præditum Abbatem, ad calumniam uſque aliorum partes Walæ tuendas ſuſcepiſſe; neque enim humilium ac ſanctorum eſt, alios, præſertim in materia gravi, denigrare, ut alios dealbent?

2.) *De Partu Virginis Libri II.* ad Matronam & Virgines Sueſſionenſes, Bertramo oppoſiti, quos *Ildephonſo* Toletano adſcriptos à Fevardentio, Dacherius ex fide duorum Codicum Corbeienſium Paſchaſio vindicavit, ſubjunctóque Bertrami libro edidit Tom. 12. Spicilegii pag. 1. (edit. novæ Tom. 1. pag. 44. - 52. Fragmentum vulgaverat Dacherius pag. 561. ſeq. ad Guiberti Novigent. Opera.

3.) *De Fide, Spe, & Charitate* ad Warinum novæ Corbeiæ Abbatem & Archimandritam libri III. Primus in lucem hoc Opuſculum emiſit V.C. *Bernardus Pezius*, acceptum à Cl. Viro *Georgio Eckhart*, qui illud ex codice Corbeienſi non ſatis fideliter deſcriptum ipſi tradidit edendum, tot mendis conſpurcatum, ut non ſolùm verba integra, ſed integras paſſim lineas omittat, aut ſaltem immutet: id quod *Bernardo Pezio*, viro diligenti, minimè cenſetur eſſe tribuendum, ſed *Eckhardo*, aut illi, qui ejus nomine Tractatum præcipiti nimis calamo deſcripſit: quod indignè ferentes noſtri Corbeienſes exemplum aliud accuratè deſcriptum & diligentiùs collatum *RR. PP. Edmundo Martene & Urſino Durand* contulerunt, quò eorum in ampliſſima veterum monumentorum Collectione locum habere poſſet, quem etiam Tomo IX. pag. 471 - 578. obtinuit.

In Rayrhadenſi prope Brunam Moravorum O.S.B. Monaſterio extat vetus codex membranaceus continens *Vitas Patrum Græcorum* juſſu *Martini*, fortè *Warini*, Presbyteri & Abbatis à *Paſchaſio*, ut creditur, *Radberto* in latinum ſermonem tranſlatas. Num verò hic partus noſtro ſit adſcribendus, aliis dijudicandum relinquimus.

S. Paſchaſii Radberti elogium vide apud Mabillonium Sec. IV. Bened. Part.II. ubi de ejus meritis, virtutibus, & ſcriptis diſſerit. Hugo Menardus in Menolog. die 26. April. Radbertum Paſchaſium facit natione Romanum, dignitate Levitam, ſeptimum in ordine Diaconorum, qui, cùm S.Adalardus Abbas Corbeienſis Romæ eſſet, ejus ſanctitatem admiratus ei deinceps adhæſerit, & in Galliam redeuntem ſecutus ſe ejus magiſterio regularibus diſciplinis tradiderit erudiendum: at veriora ſunt, quæ ex Sirmondo & Mabillonio de Paſchaſii natalibus & educatione attulimus. De ejusdem circa S. Evchariſtiam doctrina legi poteſt Nat. Alex. Diſſertatione V. in Hiſtoriam Sec.IX. ubi quæcunque hæreticorum in Paſchaſium argumenta diluit, & invictis rationum monumentis fidem illius

Paſchaſii Radberti Elogium.

illius Catholicam adſtruit. Quod pariter facit Ludovicus du Meſnil in præclaro Opere de Doctr. & Diſcipl. Eccl. Tom. III. Lib. xxxvii.

X.
B. SERVATUS LUPUS Abbas Ferrarienſis.

Obiit 860.

Lupi patria, familia, & literarum ſtudia.

NAtus eſt, quantum conjecturâ aſſequi datur, in provincia Lugdunenſi quarta, ex clarâ haud dubie familia, ſub imperio Ludovici Pii. A puero[a] deditus fuit ſtudiis literarum. *Amor literarum*, inquit in epiſt. 1. ad Einhardum, *ab ipſo ferè initio pueritiæ mihi eſt innatus, nec earum, ut nunc à plerisque vocantur, ſuperſtitioſa otia faſtidio ſunt. Et niſi interceſſiſſet inopia præceptorum, & longo ſitu collapſa priorum ſtudia penè interiiſſent; largiente Domino, meæ aviditati ſatisfacere potuiſſem.*

Ferrariis Monachum induitus

Circa ea tempora Ferrariarum Abbatia in magna celebritate erat ſub ſancto Abbate Aldrico, Senonenſi poſtea Archipræſule, qui eam priſtino regularis obſervantiæ vigori reſtituit. Hîc Lupus monachus factus doctorem grammaticæ ſortitus eſt, præceptáque ab eo artis accepit. Cùm Diaconus eſſet, ab eodem ſancto ſuo Abbate ſtudiorum cauſa in Germaniam miſſus eſt ad Rhabanum Abbatem Fuldenſem, celeberrimum per eas tempeſtates ſacratum Scripturarum interpretem. Illic, facilitate morum, ſibi conciliavit amicitiam plurimorum, magnámque hinc famam eruditionis ac pietatis reportavit in Galliam.

Fuldam ſtudiorum cauſa mittitur.

Ante verò quàm ad ſuos rediret, Fuldâ Seligenſtadium excurrit ad Einhardum ſeu Egenhardum, eum nimirum, qui Caroli Magni Imperatoris quondam Cancellarius, tum verò ejus monaſterii Abbas erat, vir, quantum ferebant illa tempora, eruditione ac doctrinâ celebratiſſimus. Diſcimus id ex Lupi epiſt. iv. ad eundem Einhardum, in qua eum de ſuo adventu his verbis præmonitum voluit: *Medio Majo, vita comite, hinc recedere decrevi. Quo tempore, Deo volente, ſicut vobis, ſi recordamini, dixi, ad vos venturus ſum, & aliquot apud vos dies facturus; ut & libros veſtros vobis reſtituam, & quibus indiguero diſcam, fruárq; aliquamdiu veſtro ſuaviſſimo alloquio, atque informer mihi gratiſſimo veſtræ gravitatis & honeſtatis exemplo.*

Magiſtri munus obit in ſuo Cœnobio.

Cùm verò Ferrarias (n) rediiſſet Lupus, quas Fuldæ didicerat ſcientias, in ſuo Cœnobio tradidit, diſcipulúmque habuit Herricum, qui deinde in Cœnobio S. Germani Autiſſiodorenſis, ubi in Monachorum cœtum adlectus fuerat, Magiſtri munus obiit.

In aulam cæſaream adlegitur.

Anno DCCCXXX. vii. kal. Octobris, haud multò poſt reditum ex Germaniâ ſuum, Ludovico Pio Imperatori præſentatus à Juditha Auguſta, & turbæ aulicorum immixtus, in ſpem dignitatis proximam adductus eſt. Quâ ſpe uti non evolutus eſt, ita per annos plures eam alere debuit; nam anno DCCCXXXVII. ad Reginbertum Monachum & amicum in hæc verba ſcripſit. (o) *Superiore anno, annitentibus amicis, in præſentiam Imperatoris deductus ſum; & ab eo atque Regina benignè omnino exceptus; & nunc, hoc eſt x. kal. Octobris, Indictione primâ, ad Palatium, Regina, quæ plurimùm valet, evocante promoveor, multíque exiſtimant fore, ut citò mihi gradus dignitatis aliquis conferatur. Quod ſi divina exuberante gratia evenerit, non dubites illicò te accerſendum, ut unà permiſſu Imperatoris degentes, communium ſtudiorum exercitatione jucundiſſimâ perfruamur. Sin autem ſpes noſtras eventus eluſerit; reſcribe, an velis me per amicos ut ab Imperatore locus tibi quidem reddatur in monaſterio tuo, apud me autem ſtudendi gratia, quatenus uterque noſtrûm voluerit, conferatur. Cùm hæc ita ſe habeant, hortor, ne divinæ ſcripturæ nulla tibi fuerit cura, cujus & uſus frequens eſt, & cognitio ſalutaris.* Hæc Lupi verba in medium afferre, eo conſilio viſum eſt, ut perſpicuum fiat, à Lupo ſacrarum literarum ſtudia, quod ipſi Abbas Trappenſis noſtrâ ætate vitio vertit, minimè in poſtremis curis habita fuiſſe. An ipſe enim ea negligeret, ad quæ excolenda alios adhortatus fuit?

Fit Presbyter & Abbas.

Sub hæc ordinatus eſt Presbyter. Tandem quia Odo Abbas Ferrarienſis, atrocium facinorum manifeſtus, Karoli Calvi Francorum Regis animum in ſe concitaverat, ejus auctoritate amotus eſt à regimine illius monaſterii, quod commiſſum eſt Lupo. Is ergo cum Præcepto Karoli illuc accedens, à monachis electus eſt x. kal. Decemb. anni DCCCXLII. Pridie dein kalendas,

(n) Vid. Mabill. Tract. de Stud. Mon. vol. 2. art. 12. p. mihi 60.
(o) Epiſt. vi. pag. 23.

das, Karolus ei donum Abbatiæ confirmavit. Nondum tamen Odo paruerat juſſis Principis. Itaque Lupus, cui pellendi Odonis delegata cura fuerat à Karolo, illum hinc abſcedere fortiter compulit. Præbuit iſtud materiam novis ſermonibus; ac ſi Lupus Odoni comparâſſet inſidias, per fraudémque potiùs ac vim, quàm canonicè factus eſſet Abbas Ferrarienſis. Sed ipſe eam calumniam expurgavit in epiſtola ſcripta ad Jonam Epiſcopum Aurelianenſem.

Ejus de literis, Abbas creatus magnam curam geſſit de libris quà ſacris quà profanis undequaque corrogandis, ut monachis, qui erudiendis juvenibus occupati erant, uſum præſtare poſſent. Eapropter non ad diverſos tantùm Abbates, Epiſcopos, aliósque viros eruditione ac doctrina conſpicuos, ſed ipſum etiam ſummum Pontificem literas exaravit. Sic

inprimis verò de virtutibus cura. verò de literis curabat Lupus, ut pietati primas deferret. Quâ de re nullum dubitandi locum nobis relinquit ejus (p) epiſtola ad *Ebrardum* monachum, Propinquum ſuum ſcripta, in qua doctrinarum ſtudium, niſi cum illo virtutum conjungatur, ſtultitiam ac dementiam vocat. *Reviviſcentem*, inquit, *in his noſtris regionibus ſapientiam quosdam ſtudioſiſſimè colere pergratum habeo; ſed hinc haud quaquam mediocriter moveor, quòd quidam noſtrûm partem illius appetentes, inſolenter partem repudiant. Omnium autem conſenſû nihil in eo eſt, quod jure excipi poſſit, aut debeat. Quare apparet nos ipſos eſſe contrarios, dum inſipienter ſapientiam conſequi cogitamus. Etenim plerique ex ea cultum ſermonis quærimus; & paucos admodùm reperias, qui ex ea morum probitatem, quod longè conducibilius eſt, proponant addiſcere. Sic linguæ vitia reformidamus, & purgare contendimus; vitæ verò delicta parvi pendimus & augemus. Sed cùm omnis ſapientia à Domino Deo ſit, ut litteræ divinæ demonſtrant; ordine congruo eam oppetamus, & procul dubio conſequemur. Id autem nobis ex divina au-*

Eccl. 1. *ctoritate depromitur*: FILI, *inquit*, CONCUPISTI SAPIENTIAM, SERVA MANDATA, ET DOMINUS PRÆBET EAM TIBI. *Ubi etiam quid ſit ſapientia, ſummè*

Job. 18. *ac pulcherrimè definitur*: TIMOR DOMINI, *inquit*, EST SAPIENTIA, ET RECEDERE A MALO, INTELLIGENTIA. *Cæterùm de his qui perperàm vivunt, & integrè loqui concupiſcunt, ſic inſtrui-*

mur. OMNIS LABOR HOMINIS IN ORE EJUS, ET ANIMA ILLIUS NON REPLEBITUR. *Quia dignum profectò eſt, ut qui primas partes eruditioni tribuit, non ſanctitati, à refectione ſapientiæ exitiali jejunio excludatur. Quocirca ſi vigilanter poliendo incumbimus eloquio, multò maximè conſequendæ honeſtati atque juſtitiæ operam impendamus.* Hæc Lupus, quibus ſapientiùs nihil dici aut ſcribi potuit. Non igitur obſtabant ſtudia literarum, quo minùs Ferrariarum ſodalitas ab omnibus ſumma veneratione coleretur ſub Abbatis Lupi regimine, teſte (q) Hildegario Epiſcopo Meldenſi, ſcriptore contemporaneo in S. Pharonis vitâ: *Paſtor modo pro religione ſanctitatis in monaſterio famoſiſſimo Ferrarienſi, ubi cœtus monachorum in Chriſto cum illo toto orbe eſt venerandus.* Eccl. 6.

Per ea tempora Karoli Calvi Galliarum Regis res admodùm afflictæ erant; quas ut erigeret, martios ſpiritus induit. Cùm verò magis bellatoribus indigeret ob bella domeſtica, quàm viris literatis, Lupi ſtudia ob eam cauſam non magni facere viſus eſt, adeóque eum ad bellum proficiſci juſſit. Nam monaſterium Ferrarienſe unum ex iis monaſteriis erat, quæ non ſolùm preces, ſed munera etiam militiámque Regi debebant. At Lupus animo erat ab armis alieniſſimo, ut plerumque ſolent ii, qui literarum ſtudio dediti ſunt; & haud dubiè dulcia pacis otia præferebat immanibus & turbulentis bellorum tumultibus; quod his bonarum artium ſtudia compertum ſit infeliciter jugulari, illis verò mirum in modum alantur ac floreant. Ea de cauſa literas dedit ad Pardulum Laudunenſem Epiſcopum, quibus eum enixè rogavit, ut id apud Regem efficiat, ne ipſe cogatur ad bellum proficiſci. Neque enim Regem indigere tantùm bellatoribus. Se ſuam operam Principi navaturum in iis, quæ ſuæ Profeſſionis fuerint. En Lupi verba: (r) *Ego, ut noſtis, hoſtem ferire ac vitare non didici, nec verò cætera pedeſtris ac equeſtris militiæ officia exequi. Nec Rex noſter ſolis bellatoribus indiget. Admonitu veſtro, &, ſi opus fuerit, Hincmari, ſi expeditio ingruerit, obſecro, doceatur; ut quoniam ſtudia mea non magni facit, vel dignetur conſiderare propoſitum, & alia mihi injungere, quæ ab illo penitus non abhorreant.*

Castra ſequi jubetur à Rege.

Præ-

(p) Epiſt. xxxv. pag. 72.
(q) apud Mabill. de Stud. Mon. vol. 2. art. 12. p. 60.
(r) Epiſt. 78. pag. 119.

Difficillimis temporibus præeſt.

Præfuit Lupus Monaſterio Ferrarienſi difficillimis temporibus, quibus in Gallia omnia ſurſum deorſum ferebantur: *Itaque tædio neceſſitatum afflictus*, inquit in (ſ) epiſtola ad Hincmarum Epiſcopum, *vacationem officii, ad quod à fratribus electus ſum, ſubinde cogito. Verùm ab ea, & ſecularium pernicioſa voracitate, & impatientiæ crimine, ſi in tanta perturbatione eoſdem fratres relinquam, deducor.* Certè monachos ſuos ea charitate complexus eſt, ut, quò eorum neceſſitatibus ſubveniret, Eccleſiæ ſuæ diſtraxerit ornamenta.

Unde *Servatus* cognominetur?

Hildegardus Meldenſis Epiſcopus, Lupi contemporaneus in vitâ S. Phatonis (t) author eſt, Lupum aliquando gravi & periculoſo admodùm morbo decubuiſſe, à quo tamen ejusdem Divi precibus ac interceſſione convaluerit, ſéque id ex ipſo Lupo audiviſſe; atque hinc eſt fortaſſe, quòd ſibi *Servati* cognomen impoſuerit, in grati animi monumentum.

In bello capitur.

Anno DCCCXLIV. in expeditione, qua Pippinus junior Rex Aquitaniæ aggteſſus Carolum Calvum, ejus exercitum fudit, multóſque viros illuſtres partim peremit, partim cepit, etiam Lupus in hoſtium poteſtatem venit, à quibus tebus omnibus ſpoliatus fuit, prout ipſe in epiſtola ad Ludovicum Abbatem his verbis conqueritut: *In expeditione Aquitanica olim, ut noſtis, omnia perdidi.*

Legatione pro Carolo R. fungitur.

Anno DCCCXLV. functus eſt legatione pro Karolo in Burgundia, in qua decem ſe amiſiſſe equos ſcribit eadem Epiſtola ad Ludovicum S. Dionyſii Abbatem, Regis Cancellarium.

Synodo Epiſcopali,

Anno eodem exeunte habita fuit Synodus Epiſcoporum apud Vernum palatium regium, cui interfuit Lupus noſter. Tantáque tum erat ejus fama, ut licèt hîc adeſſet Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis, Lupus tamen ab universâ Synodo rogatus ſit ſcribere canones in eâ decretos.

itémque conventui apud Marſnam ſecus Trajectum,

Anno DCCCXLVII. interfuit conventui apud Marſnam ſecùs Trajectum: quò Lotharius Imperator, Ludovicus Rex Germaniæ, & Karolus Calvus Rex Francorum, convenerant pacis causâ. Per eas tempeſtates, anno nimirum DCCCXLIX. ut Baluzius arbitratur, à Karolo miſſus eſt ad Leonem IV. Papam; & anno DCCCLIII.

nec non Concilio Sueſſionenſi intereſti.

interfuit Concilio Sueſſionenſi, in cujus actione II. legit volumen geſtotum depoſitionis Ebbonis Remorum Archiepiſcopi.

Ingenium illi elegans & feſtivum.

Fuit Lupus ingenio eleganti, feſtivo, nec à ſalibus alieno, etiam aliquando cum periculo offenſionis. Ita in epiſtola (u) ad Marcwardum Prumienſem Romanam Curiam, ceu munerum avidam, his ſalſis dictis perſtrinxit „Romam proficiſcor. Et quon a ı „conficiendis rebus, Apoſtolici notitia indigebo; ea verò ſine munerum „interceſſione mihi commodè non poteſt: velut ad paternum, immo ad „maternum gremium ad vos confugio, ſupplicans ut ſicut nunquam mihi „in ulla neceſſitate defuiſtis, ita in „hac adeſſe dignemini; mihique, ſi „ullo modo poteſtis, per præſentes „nuncios duo ſaga veneti coloris, & „totidem lintea, quæ Germanicè glizza vocantur, dirigatis, quæ illi comperi eſſe cariſſima atque gratiſſima. „Horum ſi fuerit vobis integritas ardua, nequicquam videbitut nobis „ipſa medietas contemnenda. Namque ita ſeculari eruditione docti ſumus, ut ſperantes minora, majo a „poſcamus. Ac ingenio noſtro latiorem defuiſſe materiam ſuſpicemini, „ſi equo tollutario, vel quolibet alio „fortiſſimo, noſtrum iter ſublevaveritis, plurimùm nobis collatum eſſe „ducemus. Sanè nihil me obtinuiſſe „moleſtè non feram, ſi communicatis his literis cum communi filio Eigile, riſum uterque veſtrûm tenuerit.„ Manifeſta heic erat offenſio, ſi Marcwardus hanc epiſtolam miſiſſet Romam. Sed nimirum exiſtimabat, Lupus multa joca eſſe in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur; multa ſeria, neque tamen ullo modo divulganda; ut in ſecunda Antonianarum ſcribit Tullius. Id quod Marcwardum quoque, virum prudentem, & amicum ſuum, non latere putabat. Itaque liberè ſe ad eum ſcribere poſſe credidit.

Vivere de it An. 861.

Pervenit autem usque ad tempora Nicolai I. Papæ; obiítque poſt annum DCCCLXI. Familiares habuit præſtantiſſimos quosque ſui ſeculi viros, Hincmarum Remenſem, Rhabanum Moguntinum, Wenilonem Senonenſem, Heriboldum Autiſſiodorenſem, Pardulum Laudunenſem, Prudentium Tricaſſinum, Jonam Aurelianenſem, Odonem Bellovacenſem, Æneam Pàriſienſem, Einhardum Abbatem Seligenſtadienſem, Hilduinum, Ludovicum

L 3

(ſ) Epiſt. 42. pag. 82.
(t) apud Mabill. l. c. p. 70.
(u) Epiſt. 68. pag. 112.

cum, & Hugonem S. Dionyſii, Ratbertũ Corbeienſem, Ratramnum monachum Corbeienſem, Gotheſcalcum monachum Orbacenſem, & alios plurimos. Atque hæc omnia & multò plura, colligi abundè poſſe ex ipſius Lupi epiſtolis, aliiſque illius ævi monumentis, monet V. C. Stephanus Baluzius, cui quæ de Lupo hactenus diximus, pleraque in acceptis referri debent. Is ipſe fuit, qui Lupi ſcripta in unum volumen congeſſit, atque eruditis notis illuſtravit Pariſ. 1664. in 8. typis F. Muguet. quæ editio recuſa in Bibl. Patrum Lugd. 1672. Tom. XV. ſtatim in veſtibulo. Sed Lupi ſcripta denuo recuſa fuerunt Lipſiæ (licèt titulus Antverpienſe prælum mentiatur) 1710. 8. ex ſecunda laudati Baluzii recenſione. Vide Acta Erudit. 1715. pag. 205. Sunt verò Lupi ſcripta editionis Baluzianæ hæc potiſſimum:

Lupi Scripta editionis Balusianæ.

1.) *Epiſtolæ CXXX. pag. 1.* poſt Papyrii Maſſoni editionem Pariſ. 1588. innumeris mendis fœdiſſimè conſpurcatam & Andreæ Ducheſnii Tom. 2. Scriptor. de rebus Francor. pag. 726. meliorem quidem, ſed nondum ab omnibus erroribus expurgatam.

2.) *Canones XII. Concilii II. in Verno palatio habiti, A.* 844. quos ſtylo ſuo comprehenſos ad Hincmarum Archiepiſc. Remenſem ſe direxiſſe ſcribit Lupus Epiſt. 42. (pag. 195.)

3.) *Liber de tribus quæſtionibus*: de libero arbitrio, de prædeſtinatione, & de ſanguine Chriſti effuſo pro omnibus, ut omnes vult ſalvos Deus, licèt propriâ culpâ non omnes ſalutem æternam conſequantur. pag. 207.

4.) *Collectaneum* teſtimoniorum Cœleſtini Papæ, S. Auguſtini & aliorum Patrum *de tribus quæſtionibus.* pag. 246.

5.) *Vita S. Maximini Epiſcopi Trevirenſis* An. 839. ſcripta ad Waldonem Abbatem in Germania, cujus mentio extat in Annalibus Fuldenſibus ad annum DCCCLXI. Probabile enim Baluzio videtur, eum Lupo notum fuiſſe, quo tempore is ſtudiorum causâ degebat in Germania. pag. 275.

6.) *Vita S. Wigberti Abbatis Frizlarienſis* ad Bunum ſive Brunum Abbatem Herfeldenſem anno 846. demortuum, ut ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis. pag. 292.

7.) *Homiliæ duæ in ſolemnitate S. Wigberti* pag. 323. &

8.) *Hymni duo in ſolemnitate S. Wigberti.* pag. 322. ſub Lupi nomine à Joanne Buſæo S. J. Moguntiæ, 1604. vulgati.

Lupi Opera Baluzius digna exiſtimavit, quæ illuſtriſſimo Abbati Karolo Mauritio Le Tellier, poſtea Archiepiſcopo Remenſi nuncuparet. Dedicationem verò his verbis auſpicatus eſt: *Inter omnes Scriptores, qui verè aureo Karoli Magni liberorúmque ejus ævo vixêre, neminem ego prætulerim Lupo Abbati Ferrarienſi; ſive rerum divinarum humanarúmque cognitionem ſpectare libet, vel etiam ſcribendi modum.* Quæ verba multùm utique abludunt ab immeritâ & indigna illa cenſura, qua Armandus Buthilierius Abbas Trappenſis Lupum in ſuo de Officiis Monaſticis Tractatu perſtrinxit. Sed Joannes Mabillonius vol. 2. Tract. de Stud. Mon. Lupum ab inofficioſis illis dictis egregiè vindicavit. Thomas Jameſius in Catalogo Librorũ Theologic. meminit ſequentium Sermonum, qui MS.ti habentur in Bibliothecis Angliæ.

Baluzii de Lupo elogium.

1.) *Sermo ad Anglos ſuper incurſu Dacorum.*

2.) *Sermo in feſtivitate S. Judoci.*

3.) *Diverſi Sermones.*

XI.
S. ADO
Archiepiſcopus Viennenſis.

† 875.

FUit ſanctus ADO natione Gallus, ex illuſtri ſtirpe progenitus anno circà octingenteſimo. A rudibus annis Ferrarias, inclytum Benedictinæ Familiæ aſceterium, à parentibus miſſus eſt, virtutibus ac liberalibus diſciplinis inſtituendus. Iſthic eam pietati ac literis navavit operam, ut nulli ſecundus haberetur. De ejus ſingulari eruditione ac doctrina certos nos eſſe jubet B. Lupus ejus præceptor, ac deinde Abbas Ferrarienſis, cùm eum ſcribit eſſe *idoneum ad docendum, quæ plurimùm indiget Eccleſia.*

Adonis patria.

Ferrariis virtutibus & literis imbutus

Tunc temporis Prumienſi in Germania celeberrimo monaſterio præerat Marcwardus, ex Ferrarienſi cœnobio adſumptus Abbas. Hic Adonem, vitam monaſticam à teneris profeſſum, ad ſe tranſmitti à Lupo Ferrarienſi Abbate petiit. Nec pro magna neceſſitudine, quæ ipſi cum eodem Præſule interceſſerat, repulſam paſſus eſt. Venit igitur Ado ex Gallia in Germaniam. Sed cùm Prumiæ aliquamdiu commoratus virtute ac doctrinâ emineret, invidiæ morſibus patuit. Nunquam enim *eminentia*, ut Velleius Paterculus

mittitur in Prumienſe Monaſteriũ.

ex quo ut invidiæ

& inſidiis ſe ſubtraheret, diſcedens

lus ait, *invidiâ carent.* Acceſſerunt quorundam inſidiæ, quibus ut tempori ſe ſubduceret, vaſa collegit, atque è monaſterio diſceſſit.

Romam & Ravennam

Nec tamen Ferrarias reverſus eſt, ſed iter in Italiam inſtituit, ut Principis Apoſtolorum limina deveneraretur. Romæ exacto ferè quinquennio Ravennam delatus eſt, ubi neſcio quem apud monachum libellum conſpexit, quo ſanctorum Martyrum nomina & geſta continebantur. Hunc ſibi in concinnando Martyrologio uſui poſſe eſſe exiſtimans, deſcribendum petiit, & ad dies aliquot obtinuit.

deinde Lugdunum petiit.

Perfunctus hoc labore Ravennâ Lugdunum contendit. Hîc à Remigio, magnarum virtutum Archipræſule, piè ſuſceptus, & benignè habitus fuit. At ubi in familiari congreſſu Adonis virtus & doctrina magìs ab eo detecta eſt, quantum potuit, adlaboravit, ut eum ſecum retineret. Quare Ferrarias ad Lupum Abbatem literas dedit, quibus ab eo petiit, ut Adoni poteſtatem faceret, Lugdunenſi in Eccleſia tamdiu ſubſiſtendi, quamdiu ei utilis futurus exiſtimaretur. Abbate Lupo non abnuente, Ado quoque non invitus Lugduni remanſit, quò ſciendi deſiderium, quo maximo flagrabat, explere poſſet. Semper enim & ab antiquiſſimis temporibus Lugdunenſis civitas ob literarum ſtudia celebris habita fuit. Quis enim illud Juvenalis ignorat?

Palleat ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Lugduni, quàm ſub id temporis ſtudia viguerint?

Tunc autem temporis doctrinarum diſciplinas, ſi aliàs unquam, Lugduni excultas fuiſſe, teſtatum faciunt viri eximiæ doctrinæ & eruditionis, Leidradus, Agobardus, Amulo, Remigius, iſtius Eccleſiæ Archipræſules, quibus Florus Diaconus annumerari meretur.

Factus Archi-Epiſcopus Viennenſis

Sub hæc Agilmàrius Viennenſis Antiſtes ad Superos exceſſit. Clerus verò ac Populus Viennenſis Adonem unanimi conſenſu in Archiepiſcopum delegerunt. Huic tamen electioni cùm alii nonnulli, tum præcipuè Gerardus Dux Provinciæ, ac illarum partium Comes ſe oppoſuit; eam ſcilicet per cauſam, quòd Adonem non ſalutato Abbate clàm ex Ferrariis olim diſceſſiſſe, atque adeò fugam corripuiſſe exiſtimaret. Unde literis ad Lupum Abbatem datis, ab eo de rei veritate certior fieri petiit. Hic verò Gerardo in hæc verba reſcripſit: „ *Quod diligenter ſcrutamini, noveritis monachum & diſcipulum meum Adonem nunquam à noſtro monaſterio aufugiſſe, ſed ad petitionem beatæ memoriæ Marcwardi Abbatis ex Prumia ad Proneam, à nobis eum honeſtè directum, & cum illo aliquamdiu converſatum, quorundam invidioſorum vitâſſe inſidias, & inde diſcendi ſtudio & quietis amore in urbe Lugdunenſium conſtitiſſe. Reverendiſſimis autem viris Remigio memoratæ urbis Metropolitano & Hebbone Gratianopolitano inſtanter poſtulantibus, & converſationem memorati fratris laudantibus, quamquàm olim meam verbis habuiſſet licentiam, etiam regulares literas accepiſſe; quæ prolatæ, quid de eo ſentiam, fideli relatione fatebuntur. Literas etiam eum eccleſiaſticas habere à venerabili Epiſcopo noſtro Guenilone certiſſimè ſcio, nec impedire aliquid, ſi Deus eum vocat, quo juſtè ejus infirmari poſſit electio. Benè apud nos converſatus eſt. Quæ plurimùm indiget Eccleſia, idoneus eſt ad docendum. Regularibus & pontificalibus fultus eſt epiſtolis. Progenitorum nobilitate ornatur. In ſancto propoſito, judicio prædictorum Antiſtitum, inter quos degit, devotè perdurat. Quid reſtat, niſi ut quod ſanctis Præſulibus Deus inſpiraverit fiat? Quid autem mirum, ſi aliquando aſperiùs aliquid ſuper eo locutus ſum. Illud culpa fuit inimicorum ejus impudenter falſa vulgantium: iſtud quod nunc literis allego, meum eſt judicium, conſtanter priùs viſa & poſteà comperta narrantis.* Quibus literis Lupus non fugæ modò & infamiæ labem ab Adone deterſit, ſed extremis etiam verbis pro ſuo ingenuo candore faſſus eſt, ſe ejus æmulis nimis credulas præbuiſſe aures.

à Nicolao I. pallium & literas accipit.

Electio verò Adonis contigit anno ſexageſimo ſupra octingenteſimum. Fuit verò Nicolao I. Pontifici probata, qui epiſtolam cum pallio ei Româ tranſmiſit. In nova dignitate non novos ac inſolentes mores induit, ſed inſignem modeſtiam atque animi demiſſionem ſemper præſetulit. Non minoris fuit religionis in eccleſiis exornandis, hoſpitalitatis & charitatis in pauperes, aſſiduitatis in officiis divinis. Sollicitudo ejus paſtoralis potiſſimùm eluxit in gravi negotio Teutbergæ pellicis Lotharii Regis, qua de re cùm ad Nicolaum Papam ſcripſiſſet, hic in reſcripto *ſanctiſſimum confratrem Adonem Archiepiſcopum* laudavit, quòd *pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ ferventiùs invigilet, & contra delinquentium prævaricatorum & ſanctarum Legum violatorum mores & actus per zelum rectitudinis erectus* ſit.

Poſt-

Moritur an. 875.

Poſtquàm in Archiepiſcopatu ſexdecim annos exegit, ad Dominum migravit anno ſeptuageſimo quinto ſupra octingenteſimum, annos natus plus minúsve ſeptuaginta ſex. Martyrologio Romano inter Sanctos adſcriptus habetur.

SCRIPTA.

1.) *Martyrologium.* Hoc ante Epiſcopatum aggreſſus eſt Ravennæ; perperàm verò Adoni Trevirenſi Pontifici à noñullis tribuitur: de quo plura Mabillonius in recenſione Scriptorum *Adonis*, qui inter alia monet, in eo reſtituendam eſſe commemorationem S. Mauri Abbatis, ſanctæ Scholaſticæ, & aliorum ferè omnium Sanctorum, quos Jacobus Moſander Carthuſianus, & Heribertus Roſweidus, primi ejus editores, errore decepti eliminaverunt.

2.) *Libellus de feſtivitatibus Apoſtolorum ſucceſſorúmque eorum*, extat ex editione Roſweidi in Tomo XVI. Biblioth. Patrum edit. Lugdun. pag. 823.

3.) Ado etiam retrò actorum *temporum ſummam ab exordio mundi uſque ad Imperatoris Lotharii ac Ludovici & Caroli filiorum regni principatum, quanta potuit brevitate notavit*, ut ipſe præfatur in Chronico ſuo, cujus extrema pars ab anno 874. ad 880. ab alio authore adjecta fuiſſe oportet. Prodiit verò Adonis Chronicon in Patrum Bibliothecis Pariſ. Colon. & Lugdun. & aliorum Operibus, prout alio loco commodiùs dicturi ſumus.

4.) Idem etiam Acta S. Deſiderii Viennenſis Epiſcopi expolivit in gratiam Viennenſium ſuorum, utì fidem facit *Præfatiuncula Adonis Viennenſis Antiſtitis anno incarnationis Domini DCCCLXX. Indictione III., cum paſſione S. Deſiderii Epiſcopi eidem Eccleſiæ directa*, cujus hæc verba: *Ado peccator & humilis Epiſcopus Viennenſis Eccleſiæ dilectiſſimis fratribus & filiis ejusdem Eccleſiæ: Beatiſſimi Deſiderii Patris veſtri vitam & martyrium, ſicut antiquis ſcriptis commendatur; vobis idcircò revolvere & ſtylo coñittere aggreſſus ſum, ut ejus incitamentis & ſtudiis ad amorem vitæ æternæ vos ampliùs inflammarem.* Hæc vita, quam Henricus Caniſius primus vulgavit, extat in ejus antiquarum Lectionum Tomo VI. vet. edit. pag. 441. & Tomo II. editionis novæ Parte III. pag. 1. & apud Surium atque in Actis Sanctorum xi. Febr.

5.) Ad hæc idem ſanctus Pontifex libellum de vita S. Theuderii Abbatis Vieñenſis literis mandavit, ejúsque cœnobii Monachis nuncupavit hoc prologo: *Ado Viennenſis Epiſcopus Fratribus in Cœnobio ſancti Theuderii conſiſtentibus in Domino Jeſu Chriſto æternam ſalutem. Patris veſtri vitam, id eſt, beati Theuderii, idcircò veſtræ ſanctitati ſcriptis meis commendare diſpoſui, ut vos ſuis exemplis ad amorem vitæ æternæ ampliùs invitarem &c.* Vita hæc edita eſt in Actis Benedictinis Seculi I. appendice pag. 678.

XII.

B. PETRUS DAMIANI S. R. E. Cardinalis.

† An. 1072.

Naſcitur Raveñæ An. 1007.

ANnus agebatur poſt natum Servatorem ſeptimus ſupra milleſimum, cùm Petrus honeſtis, ſed tenuis fortunæ parentibus Ravennæ ortus in lucem prodiit. A primis incunabulis multas tulit ærumnas. A matre, dicam an novercâ? ob multiplicem prolem rejectus, ſame ſitíque infans periiſſet, niſi ab eadem, perſuadente aliâ fœminâ, ad ubera receptus fuiſſet. Vix ablactatus erat, cùm utroque parente orbatur. Ab eorum obitu frater natu maximus duxit uxorem. Hi conjuges cùm pueri educandi provinciam ſuſcepiſſent, adeò nullius curæ aut ſollicitudinis affectus ipſi impenderunt, ut paulò ætate provectiorem porcis paſcendis præfecerint. In quo vili ſervitio cùm die quadam nuñum reperiſſet argenteum, rationes ſecum inire cœpit, in quos uſus potiſſimùm expenderet. Equidem puero nuces, poma, bellaria arridebant, ſed cùm demortui parentis memoria animum ſubiret, ſacerdoti dedit, ut pro anima illius ſacrum faceret.

In infancia à matre

dein fratrum uno durè habitus

Sub hæc Damianus (hoc nomen erat alteri ejus fratri) Ravennam rediit, à qua plures annos abfuerat. Is Petri ærumnas miſeratus, non in fratris modò, ſed amantiſſimi filii loco habuit. Ex ſubulco literarum ſtudioſum fecit, quas cùm Petrus celeriter didiciſſet, ſumptus ſuppeditavit, quò Faventiæ primùm, mox Parmæ viris doctis operam dare poſſet. Quod Petrus literis ſuis teſtatum facit, in quarum una *Ivonem* magiſtrum ſuum appellat. In illis igitur doctrinarum ſcholis atque officinis inſtitutus, tantam ſibi brevi tempore liberalium artium omnium cognitionem atque intelligentiam

alterum tandem in ſe benignum experitur.

com-

comparavit, ut eas ſubinde, applaudente totâ Italiâ, atque incredibili auditorum frequentiâ docuerit. Sacrarum Literarum, & utriusque Juris Doctor, Parmæ Legis peritiam docuit, inquit Conſtantinus Cajetanus in Præfat. ad Reg. Petri de Honeſtis Tom. IV. pag. 3. Ab eo tempore Petrus & divitiis & honoribus affluere; ſed injuriarum, quibus à mundo agitatus fuerat, non immemor, ab ejus blanditiis abhorrens, inter rerum omnium affluentiam cœpit duriter atque inclementer ſe habere, corpori, ceu indomito equo, frœnum imponere, juveniles ejus æſtus gelidis undis extinguere, nuda latera ſub veſte ſplendida ſetoſis ciliciis conſtringere, denique excuſſis mundi vinculis inter Benedictinos Fontis Avellani eremitas latebras quærere, ibíque è diſcipulo ſanctioris vitæ Magiſter prodigiis coruſcare. Sed his omiſſis ad literarum ſtudia veniamus.

Divinarũ Scripturarum ſcientiâ claret.

De his vitæ auctor ita loquitur: *Qui* (Petrus) *nimirùm dum cellulæ ſtationem rigidâ cenſurâ ſervaret, & poſt aſſuetum pſalmodiæ, precum, atque orationum perſolutum ſedulâ meditatione lectioni vacaret, tantâ divinarum Scripturarum ſcientiâ claruit, quantâ ſecularium anteà non claruerat.* Docuit ibidem Fratres ſuæ eremi, dein monachos Pompoſianos à S. Guidone Abbate evocatus. Mortuus hic Abbas eſt anno CIϽXLVI. ſed annos eum octo ſupra quadraginta cœnobio Pompoſiano præfuiſſe tradit Rubeus lib. 5. Hiſtoriæ Ravennatis. Annis duobus apud Pompoſianos quà docendo quà concionando exactis ad eremum Fontis Avellani reverti juſſus eſt: atque aliquâ illic quiete fruitus ad celebre S. Vincentii monaſterium ablegatus eſt, ut in eo pariter Scholaſtici atque Concionatoris munere fungeretur. In hoc cœnobio B. Petrum Damiani ſcripſiſſe vitam S. Romualdi circiter annum tertium decimum, poſtquàm hic è vivis exceſſerat, aſſerit idem Rubeus. Mortuus verò eſt S. Romualdus An. CIϽXXVII. Hinc decimus tertius ab obitu illius annus convenit in añum Chriſti CIϽXL. qui erat vitæ Petri trigeſimus tertius.

Factus primùm Abbas Eremi Fontis Avellani

Creatus dein eremi Fontis Avellani Prior, ſeu Abbas eam provinciam magnâ cum laude adminiſtravit, monaſterii ædificiis ſenium detraxit, Monachos ad pietatis & bonarum literarum ſtudia exemplo incitavit, ſcriptis informavit, quódque immortali laudi ei tribuitur, primus omnium horarium Officium B. V. Mariæ inſtituit. Varias dedit epiſtolas ad Clementem II. Leonem IX. Victorem II. apud quos magnum gratiæ locum obtinuit. Sub Stephano autem IX. veriùs X. B. Petrus *obedientiæ præcepto* coactus, ut vitæ acta habent, Oſtienſis Eccleſiæ Epiſcopus, & S. R. E. Cardinalis ordinatus eſt. Qua in dignitate conſtitutus fortiter ſchiſmati Benedicti Antipapæ reſtitit, ac Nicolai II. partes defendit. Qui deinde ab eodem Pontifice ad Mediolanenſes miſſus, habitâ doctâ concione, Eccleſiam illam à duplici labe Simoniacæ & Nicolaitarum hæreſum liberavit, qua de re legendum ejus Opuſculum 30. Sub Alexandro II. qui anteà Lucenſis Epiſcopus, Anſelmus vocatus, B. Petri comes erat in Legatione Mediolanenſi, periculoſum ſchiſma, à Cadaloo Pſeudo-pontifice, Parmenſi epiſcopo conflatum compreſſit, variis de hoc argumento ſcriptis ventilatis. Cùm ſolutos Romani Cleri mores indignè ferret, Romæ, ut ipſius verbis utar, cum iis vitam agere, à quibus adeò moribus diſſidebat, multùm abhorruit. Ægrè tandem ab Alexandro epiſcopatu cedere permiſſus, in eremum Fontis Avellani rediit. Non diu autem ſacro frui otio datum eſt. Ab Alexandro variis eſt adhibitus legationibus; quarum forſan prior fuit ad Cluniacenſe monaſterium, cujus Abbas id temporis erat S. Hugo, quo petente vitam S. Odilonis conſcripſit; utì ipſe his verbis nos certos reddit: *Hugo Cluniacenſis monaſterii Rector & ſpiritalis militiæ dux ac præcipuus informator, hoc mihi laboris injunxit, ut vitam B. Odilonis deceſſoris videlicet ſui, proprio ſtylo ſuccinctè perſtringerem, & ex his, quæ in anterioribus paginis latiùs reperiebantur eſſe diffuſa, utiliora quæque, magíſque neceſſaria, brevi compendio deflorarem.* Alteram legationem obivit ad Galliæ Archiepiſcopos, in qua cum aliis Epiſcopis ſententiam tulit in Reginaldum Monaſterii S. Medardi invaſorem, quam Alexander II. ſubinde confirmavit, atque executioni mandari juſſit. Poſt hæc in Germaniam Legatus prudentiâ ſuâ Henricum Auguſtum in publico Romani Imperii procerum conventu impedivit, ne Berthæ, quam conjugio ſibi copulârat, libellum repudii daret. In Italiam reverſus Florentiam miſſus eſt, ubi cauſam Epiſcopi de Simonia accuſati diſcuſſit. Occaſione hujus Epiſcopi Florentini celebratum eſt Romæ Concilium

dein Epiſcopus Oſtienſis & S. R. E. Cardinalis triplici hoc munere egregiè fungitur.

Varias legationes obit.

lium centum & ampliùs Epiſcoporum adversùs Simoniacos: ubi & canone quarto ſtatutum eſt, ut Clerici ſimul manducarent, & dormirent, bonáque in communi poſſiderent; quod Baronius an. 1063. num. 37. aſſerit *factum ſuggeſtione Petri Damiani, ſcriptis ſuis Alexandrum Pontificem ad hæc ſancienda rogantis:* ſcilicet opuſculo 24. contra Clericos proprietarios. Circa annum CIↃLXX. Henricus Archiepiſcopus Ravennas in excommunicatione mortem oppetiêrat: quo ſublato Petrus Ravennam, patriam nrbem miſſus eſt, nt cives Eccleſiæ Romanæ conciliaret, & anathematis vinculo ſolveret. Re ex animi ſententia confecta Faventiam abiit, ubi febri correptus anno MLXXII. ad Dominum migravit.

Faventiæ è vivis abit 1072.

Operoſum foret, ea omnia teſtimonia, quibus res Petri præclarè geſtæ laudantur, in medium afferre. Qui ea legendi deſiderio tenetur, Cajetanum adeat, qui pleraque Operum Tomi I. initio congeſſit, alia verò tomi 3. initio dedit. Locô omnium nobis eſſe poſſunt Alexandri II. Romani Pontificis verba, quibus in epiſtola ad Gervaſium Remenſem aliósque Galliæ Archipræſules Petri, Legati ſui, laudes ita extulit, ut nemo magis. *Quoniam igitur*, inquit, *pluribus eccleſiarum negotiis occupati ad vos ipſi venire non poſſumus, talem vobis virum deſtinare curavimus, quo nimirùm poſt nos major in Romana Eccleſia non habetur, Petrum videlicet Damianum, Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirùm & noſter eſt oculus, & Apoſtolicæ Sedis immobile firmamentum.* Quo encomio quod inſigne magis atque honorificentius proferri potuit?

Alexandri II. de eo teſtimonium.

Unde B. Petro cognomen *Damiani* acceſſerit, variant auctores. Ciaconius, Bellarminus, cum aliis nonnullis *Damiani* filium appellant. Fortunius, aliíque à nomine fratris Damiani, cujus operâ ſtudiis liberalibus imbutus eſt, illud ſibi vocabulum adſumſiſſe malunt, & forſan hac de cauſa Petrus Damiani, non Damianus ab aliquibus ſcribitur. At Petrus Damianus, niſi paſſim aberrent codices quàm exactiſſimè excuſi, appellatur à Leone Marſicano & auctore antiquo miraculorum S. Hugonis ſuprà relatis. In vita Stephani X. Papæ, in epiſtolis Alexandri II. Pontificis: ſecuti dein Helinandus, Antonius, Lipomannus, Bergomenſis, Ricordatus, Rolewinkus, anonymus Benedictinus Congregationis S. Juſtinæ, & anonymus Fontis Avellani in teſtimoniis à Cajetano ante Opera B. Petri excuſis.

Variæ ſententiæ, cur *Damianus* cognominetur.

SCRIPTA.

Clemens VIII. Sumus Pontifex negotium dedit Conſtantino Cajetano, Monacho S. Nicolai de Arenis, & Abbati S. Barontis Congregationis Caſinenſis, ut Opera B. Petri Damiani in unum corpus congeſta typis mandaret. Cujus juſſibus ille obtemperans, multis ſudoribus & curis collecta diverſis annis & per partes tribus tomis edidit Romæ 1606. 1608. & 1615. fol. quæ Lugduni ſubinde 1623. fol. recuſa fuerunt. Atque hanc editionem Labbeus Tom. 2. pag. 201. ſeq. ſervato Cajetani ordine recenſuit. Tomum quartum adjecit idem Cajetanus, atque Urbano VIII. Pontifici Maximo anno 1640. nuncupavit. Hinc iteratæ editiones Pariſiis anno 1642. & 1664. apud Ludovicum Billaine in Palatio, ad ſecundam columnam in aula magna, ſub ſigno Palmæ & magni Cæſaris. in quibus omnes quatuor tomi non admodùm vaſtæ molis exhibentur.

Ejus Opera juſſu Clem. VIII. collecta & vulgata.

Tomo I.

Continentur *Epiſtolarum Libri VIII.* E quibus tres ad rem literariam pertinent, quarum argumenta breviter hìc perſequi liceat. *Epiſtola VI. Libri I.* ad Hildebrandum & Stephanum S. R. E. Cardinales ſcripta eſt, quâ librum ſibi, quem multis laboribus, vigiliíſque proximè confecerat, ab Alexandro II. Romano Pontifice ſubreptum fraude vehementer quæritur; & ut ſibi reſtitui operam dent, Hildebrandum & Stephanum efflagitat. *Epiſtola XI. Libri IV.* ad Theodoſium Senogallienſem, & Rodulphum Eugubinum Epiſcopos data: quâ hos Antiſtites librorum ſuorum judices & quaſi cenſores conſtituit: præcipítque, ut iis diligenter perlectis, quidquid viſum fuerit, aut ante, aut poſt ſuam mortem quacunque ratione corrigant, & emendent. *Epiſtola III. Lib. VI.* ad Hugonem Cluniacenſem Abbatem ſcripta, eidem Damianum, ſuum ex ſorore nepotem, quem in Galliam ad liberales attes perdiſcendas miſerat, commendat. Præter has epiſtolas alia memoratu valdè digna habetur, éſtque XII. Libri I. hujus enim epiſtolæ partem eſſe tractatum *de correctione Epiſcopi & Papæ*, qui apud Goldaſtum de Monarchia

Impe-

Imperii, Tom. 2. pag. 43. atque alibi legitur, diſputat *Cl. Jo. Albert. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Lib. IV. pag.* 22. contra Guilelmum Caveum, qui *Librum de Correctione Papæ & Epiſcopi* in editione Cajetani locum non habere ſcripſit. An verò Goldaſtus hanc epiſtolæ XII. partem ritè inſcripſerit: *B. Petri Damiani, Cardinalis Romani & Epiſcopi Oſtienſis Tractatus de Correctione Epiſcopi & Papæ,* ſuo loco & tempore diſcutiemus. Cæterùm Epiſtolæ B. Petri Damiani Viris piis ac doctis dignæ viſæ fuerunt, ut ſeparatim ex Cajetani recenſione ad Romanam editionem Pariſiis excuderentur A. 1609. 4.

TOMO II.

Continentur *Sermones LXXV.* juxta menſium ordinem diſtributi, atque in his Sanctorum quorundam Vitæ eodem ordine diſpoſitæ, de quibus Poſſevinus, Voſſius, & Labbeus conſuli poſſunt. His accedunt aliorum Sanctorum hiſtoriæ 1. Vita *S. Odilonis* Abbatis Cluniacenſis & Confeſſoris Ordinis S. Benedicti. 2. Vita *S. Mauri* Epiſcopi Cæſenatis & Confeſſ. Ord. S. B. 3. Vita *S. Romualdi* Abbatis & Confeſſoris, Congregationis Camaldulenſis, Ord. S. B. Inſtitutoris. 4. Vita *S. Rodulphi* Epiſcopi Eugubini juncta vitæ *S. Dominici Loricati.* 5. Paſſio SS. Virginum & Martyrum Floræ & Lucillæ. Quod ad Sermones attinet, ex illis nonnulli Petro Damiano præter rem tribui notavit Theophilus Raynaudus in *Erotematis* de bonis & malis libris pag. 151. ſeq. Alii auctorem habent S. Bernardum, alii Nicolaum Claræwallenſem. Et Nicolao huic, tum etiam Petro alteri, Oſtienſi Epiſcopo, qui Leoni IX. à Secretis fuit, vel etiam Petro Comeſtori alios deberi animadvertit Oudinus, qui Cajetanum notat, quòd Petri Damiani amplificandi plus æquo ſtudioſus eidem ſermones attribuerit, qui nunquam ab eo fuerint elucubrati.

TOMO III.

Continentur *Opuſcula LX.* non unius, ſed diverſi argumenti, quorum 1. *de Fide Catholica* ad ſanctæ ſpei dilectum filium Ambroſium. 2. *Antilogus contra Judæos* ad Honeſtum virum clariſſimum. 3. *Dialogus* inter Judæum requirentem & Judæum reſpondentem. 4. *Diſceptatio ſynodalis* inter Regis Advocatum, & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem. 5. Actus Mediolani, de Privilegio Romanæ Eccleſiæ, ad Hildebrandum S. R. E. Cardinalem Archidiaconum. Eſt brevis narratio legationis, quam juſſu Sedis Apoſtolicæ obivit. 6. Liber, qui appellatur *Gratiſſimus.* Ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatem; in quo tractatu prolixè oſtenditur, non eſſe eos, qui à Simoniacis Epiſcopis conſecrati ſunt, iterùm conſecrandos. 7. Liber *Gomorrhianus* ad Leonem IX. Rom. Pont. in quo nefandum & deteſtabile crimen, in quo Deo dicati ſui temporis prolabebantur, deplorat: eóſque utpote indignos à ſacris Ordinibus removendos eſſe contendit. 8. *De parentelæ gradibus.* Ad Joannem Epiſcopum Cæſenatenſem, & DD. Archidiaconum Ravennatem; addita ejuſdem argumenti diſſertatiuncula alibi ab Auctore habita. 9. *De Eleemoſyna,* quam præ cæteris virtutibus commendat, ad Mainardum Epiſcopum Urbinatem. 10. *De Horis Canonicis,* ad T.... virum clariſſimum; cui præterea Officium B. Virginis magnoperè commendat. 11. Liber, qui appellatur, *Dominus vobiſcum.* Ad Leonem Eremitam miræ ſanctitatis, quem ſuper quadam dubitatione quid ſentiendum ſit conſulit; an ſcilicet, ut nonnullis videbatur, cùm quis in cella ſolus Officium recitaret, illas voculas *Dominus vobiſcum,* & *Jube Domne benedicere,* tanquam unius perſonæ non convenientes omittere deberet? ipſe contra ſentire ſe ait multis rationibus, ad ejus tamen ſententiam confugit. 12. *Apologeticum de contemptu ſeculi.* Ad Albizonem Eremitam & Petrum Monachum. In hoc libello in Monachos exleges graviſſimè invehitur. 13. *De perfectione Monachorum.* Ad O.... Abbatem Pompoſianum, ejúſque Conventum. In hoc libello, ut ita dicam, præceptoris officio fungitur. Nam cùm Monachorum ſui temporis corruptos mores, & inſtituta deploráſſet, eoſdem ſaluberrimis præceptis ad perfectionem inſtituit. 14. *De Ordine Eremitarum,* & facultatibus Eremi Avellani. 15. *De ſuæ Congregationis Inſtitutis.* Ad Stephanum Monachum. 16. *Rhetoricæ declamationis invectio* in Epiſcopum Monachos ad ſeculum revocantem. Ad Giſlerium Epiſcopum Auximanum. 17. *De cælibatu Sacerdotum;* ad Nicolaum II. Romanum Pontificem. 18. *Contra intemperantes Clericos,* contextum ex tribus aliis beati Damiani de eo argumento diſſertationibus. 19. *De Abdicatione Epiſcopatûs.* Ad Nicolaum II. Rom. Pont. quem

r. *Ziegelbauer Hiſt. P. III.*

allatis cauſis orat, ſupplicitérque obſecrat, ut ſibi Epiſcopatûs onus deponere permittat. 20. *Apologeticus* ob dimiſſum Epiſcopatum. 21. *De fuga dignitatum Eccleſiaſticarum.* 22. *Contra Clericos aulicos*, ut ad dignitates provehantur. 23. De brevitate vitæ Pontificum Romanorum, & divina providentia. 24. Contra Clericos Regulares *proprietarios*. 25. *De dignitate Sacerdotii.* 26. Contra *inſcitiam & incuriam* Clericorum. 27. *De communi vita Canonicorum.* Ad Clericos Fanenſis Eccleſiæ. 28. *Apologeticus Monachorum contra Canonicos.* 29. *De vili veſtitu Eccleſiaſticorum*, Mainardo Abbati, qui pretioſioribus veſtibus indui conſueverat, oſtendit, quàm ſit Eccleſiaſticis viris & præſertim Monachis indecorum, veſtimentorum ſpecioſitatem appetere. 30. *De Sacramentis per improbos adminiſtratis.* 31. *Contra philargyriam & munerum cupiditatem.* 32. *De quadrageſima, & quadraginta duabus Hebræorum manſionibus.* 33. *De bono ſuffragiorum*, & variis miraculis, præſertim B Virginis. 34. *De variis miraculoſis narrationibus*, addita ſimili diſputatione de variis apparitionibus & miraculis. 35. *De picturis Principum Apoſtolorum.* 36. *De divina Omnipotentia* in reparatione corruptæ, & factis infectis reddendis. 37. *De variis ſacris quæſtionibus*, juncta alia ejusdem argumenti tractationem priorem conſequente. 38. *Contra errorem Græcorum*, de proceſſione Spiritûs ſancti. 39. *Contra ſedentes* tempore divini officii. 40. *De frænanda ira* & ſimultatibus extirpandis. 41. *De tempore* celebrandi nuptias. 42. *De fide* Deo obſtricta non fallenda; addita alia ejusdem argumenti diſſertatione. 43. De laude flagellorum, & (ut loquuntur) diſciplinæ. 44. *De decem Ægypti plagis*, atque decalogo. 45. *De ſancta ſimplicitate* ſcientiæ inflanti anteponenda. 46. *De ferenda æquanimiter correptione.* 47. *De caſtitate*, & mediis eam tuendi. 48. *De ſpiritualibus deliciis.* 49. *De perfecta Monachi informatione.* 50. *Inſtitutio Monialis.* Ad Blancam ex Comitiſſa Sanctimonialem. 51. *De vita Eremitica*, & probatis Eremitis. 52. *De bono religioſi ſtatûs*, & variarum animantium Tropologia. 53. *De patientia in inſectatione improborum.* 54. *De jejunio Sabbati.* 55. *De celebrandis vigiliis.* 56. *De fluxa mundi gloria*, & ſeculi deſpectione. 57. *De Principis officio in coercitione improborum*, addita alia ejusdem argumenti diſſertatione. In hoc opuſculo Gothifredi Ducis lenitatem in puniendis criminibus reprehendit, oſtenditque quantum nimiâ benignitate Principum in populos damni redundet. Augeri profectò, non reprimi improborum audaciam, résque humanas fusque deque miſceri, niſi peccata paribus pœnis coërceantur. 58. *De vera felicitate ac ſapientia.* 59. *De noviſſimis & Antichriſto.* 60. *Expoſitio myſtica Hiſtoriarum Libri Geneſeos*, recens addita.

Acta quædam *Legationis* Petri Damiani ab Alexandro II. miſſi in Galliam, & ſynodi eo in regno celebratæ anno 1063.

Hymnus de Gloria Paradiſi ex dictis beati Auguſtini, cujus initium: *Ad perennis vitæ fontem mens ſitivit arida. Clauſtra carnis præſtò frangi clauſa quærit anima.*

Tomo IV.

Continentur *piæ quædam orationes*, ſive preces, Hymni, Lectiones, Miſſæ, Reſponſoria, & Carmina CCXXV. in quibus etiam *Epitaphium*, quod ipſe ſibi Damianus poſuit, num. CCXIII. *Quod nunc es, fuimus; es, quod ſumus, ipſe futurus; His ſit nulla fides, quæ peritura vides.*

Collectanea in vetus Teſtamentum ex Opuſculis & Epiſtolis Damiani, ab Anonymo illius Diſcipulo excerpta ad Damianum ex Rodelinda ſorore S Doctoris Nepotem, & S. R. E. Cardinalem à Gregorio VII. in Avunculi memoriam creatum, cui *Opuſculum de Caſtitate & mediis eam tuendi* inſcripſit.

Regula inſtitutionis Canonicæ, cui præmittitur Epiſtola ad Paſchalem II. in qua ei ſequens Opus deſtinatur emendandum, & alia Paſchalis ad calcem ſubjecta, in qua hanc Inſtitutionis Canonicæ Regulam ſuſcipit, & confirmat. Eſt verò Regulæ hujus conditor alius Petrus à noſtro, junior, dictus *Petrus de Honeſtis*, cognomento *peccator*, Clericus Ravennas, Prior Cœnobii Portuenſis; qui ſuam hanc Regulam edidit pro Clericis & Canonicis illis, qui regulariter apud Matrices Eccleſias penes ipſos Epiſcopos, vel in Collegiatis aliis ad normam potiſſimùm Concilii Aquisgranenſis degebant: non verò pro S. Auguſtini Profeſſoribus; prout Cajetanus in præfatione pluribus argumentis ſolidè docet. Petrus Damianus A. 1072. fatis conceſſit, Petrus de Honeſtis A. 1119. Paſchalis Papa fuit ab anno 1099. ad 1118.

Atque

Atque hæc ſunt Opera Petri Damiani, quæ à Conſtantino Cajetano collecta quatuor tomis vulgata fuerunt. Subinde Cl. Lucas Acherius *Sermones quinque in Orationem Dominicam* ſub nomine Petri Damiani in lucem emiſit Tomo VII. Spicilegii, quos tamen non diu pòſt Petro Chryſologo deberi agnovit, cui etiam in nova Spicilegii editione Tomo I. p. 215. attribuuntur, & jam pridem in omnibus Chryſologi Sermonum editionibus lucem aſpexerant.

Variæ de Petro Dam. honorifica teſtimonia. Honorifica de Petro Damiano teſtimonia Leonis IX. Alexandri II. Victoris III. Summorum Pontificum, Leonis Marſicani S.R.E. Cardinalis, Lamberti Schafnaburgenſis, Bertholdi Conſtantienſis, Sigeberti Gemblacenſis, Honorii Auguſtodunenſis, Hellinandi Galli, Franciſci Petrarchæ, Johannis Trithemii, Aloyſii Lipomani, Onuphrii Panvinii, Caroli Sigonii, & plurium aliorum Conſtantinus Cajetanus, ut ſuprà dictum, accumulat. Solius Pauli V. teſtimonium paucis referendum exiſtimo, qui in Brevi ad Conſtantinum Cajetanum dato *Petrum Damianum extitiſſe Doctorem eximium, ac Reipublicæ Chriſtianæ & Apoſtolicæ Sedis nobilem partem* conteſtatur.

Ejus vitæ Scriptores. Vitam & Acta B. *Petri Damiani* ſtylo ſuo exornârunt *S. Joannes Laudunenſis*, Prior Eremi Fontis Avellani ac poſteà Epiſcopus Eugubinus; Joannes Antonius Flaminius Forocornelienſis, Auguſtinus Fortunatus Monachus Camaldulenſis, Hieronymus Rubeus in hiſtoria Ravennate, quam Cajetanus, ſed alio ordine diſpoſitam, cum præcedentibus auctoribus vulgavit in editione Romana, quæ tamen in editione Lugdunenſi omiſſa fuit; quemadmodum alii etiam vitæ Scriptores, quod nihil novi ab eo, quod Joañes Laudunenſis ſcripſit, memoriæ prodiderint. Eandem Vitam Italicè libro de Sanctis ac Beatis Camaldulenſibus edidit *Silvanus Razzius* Abbas Camaldulenſis: quam potiſſimùm præfatur ſe ex Rubeo tranſtuliſſe.

XIII.

† Circa A. 1089.

ALBERICUS CASINENSIS MONACHUS S.R.E. Cardinalis.

ALBERICUS, quem nonnulli Trevirenſem patriâ faciunt, Monachus Caſinenſis, S.R.E. Cardinalis à *Stephano IX.* renuntiatus, vir ævo ſuo doctrinâ & eruditione maximè celebris enituit. *Berengarium* Sacramentariorum anteſignanum ipſe acriter impugnavit, *Berengarium impugnat.* eúmque ad reſipiſcentiam & palinodiam adduxit: *Berengarius enim*, ut ſcribit Petrus Diaconus, *inter multa, quæ adſtruere nitebatur, dicebat Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini figuram eſſe. Cúmque nullus ei reſiſtere valeret*, Alberlcus *evocatur ad Synodum* Romæ ſub Nicolao II. A. 1059. celebratam) *quò dum perveniſſet, poſt varia conflictationum genera, cùm pars parti non cederet, idem* Albericus *acceptâ hebdomadæ unius licentiâ, librum adversùs eundem Diaconum de corpore Domini edidit, ſanctorum Patrum teſtimoniis roboratum, in quo omnes aſſertiones ejus deſtruxit, æternæque oblivioni tradidit.* Tanti igitur Sacramenti *I rimarius Defenſor*, inquit Eggſius, *dictus eſt Albericus, cujus rationibus Berengarius potiſſimùm ſuperatus & victus, errorem ſuum confeſſus eſt.* Calamum etiam ſtrinxit Alberieus pro *Gregorio VII.* contra HENRICUM IV. Imperatorem *de Romani Pontificis Electione.*

Alberici Virtutes & Scripta. Multis verò Virtutum radiis cum fulgeret illuſtris, præcipuo in Deiparam Virginem ſtudio eminuit, cujus ineffabiles laudes publicis monumentis poſteritati conſignavit, ſcribendo *de Virginitate ipſius* egregium volumen, & *de Aſſumptione ejusdem* Hymnos tres. Scripſit etiam *Dialogum de Muſica. Tractatum de diverſis dictaminibus & ſalutationibus. De Dialectica. Paſſiones Ss. Modeſti & Cæſarii. Vitas S. Dominici Abbatis, & S. Scholaſticæ Virg. Homilias item aliquot de S. Scholaſtica. Hymnos de Paſchate, de Aſcenſione, de S. Cruce, de die judicii, de pœnis inferni, de gaudio Paradyſi, de Monachis. Carmina de S. Paulo, de S. Apollinare, de S. Nicolao, de S. Scholaſtica. Epiſtolas plures*, & alia, teſte Petro Diacono, quæ ad noſtram notitiam non pervenerunt. *Ubinam extent MSs.* Ejus autem Lucubrationes ferè omnes habentur MSs. in Bibliotheca Cœnobii S. Crucis FF. Minorum Conventualium S. Franciſci Civitatis Florentinæ. Vita quoque S. Scholaſticæ aſſervatur in Monte Caſino. Extant pariter nonnullæ *Petri Damiani* ad eum Epiſtolæ Tom. I. libr. 2. epiſt. 20. & 21. in quibus quæſtiones quasdam ſibi ab *Alberico* propoſitas eleganter diſcutit. Meminit ejusdem *Petrus* Diaconus libr. MS. de Vita Juſtorum Caſinenſium cap. 48. in *Guaiferio* his verbis: *Surgens in medium* Albericus Diaconus *per Jeſu Chriſti Domini noſtri*

nomen obteſtari eundem Guaiferium *cœpit, ut poſt ſuum è mundo receſſum, qualiter ſuſceptus, quóve in loco deputatus eſſet, eidem apparens revelare curaret. Quo dicto prædictus frater ex hoc mundo receſſit. Poſt nonnullos dies* Guaiferius *defunctus* Alberico *per viſionem apparens dixit ad eum: In veritate ſcias me ad vitam tranſiiſſe æternam.* Hæc Petrus. Tranſcurſis à memorata viſione aliquot annis *Albericus* meritis plenus mortali vitâ deceſſit Romæ circa annum 1089. ſepultus in eccleſia SS. quatuor Coronatorum, quorum titulum, teſte *Joanne Baptiſta Mario* in notis ad Petrum Diaconum, geſſiſſe Cardinalis perhibetur.

Guaiferius defunctus Alberico apparet.

Albericus alter junior circa An. 1123.

Alius igitur ab hoc noſtro fuit *Albericus*, pariter Monachus Caſinenſis; natione Campanus, natus circa An. 1101. qui teſte Petro Diacono in Auctario Leonis Oſtienſis Libro IV. cap. 66. Caſinum petiit añum ætatis agens decimum ſub *Gerardo* Abbate, qui præfuit ab anno 1101. usque ad annum 1123. *Stephanus* verò Papa X. à quo *Albericus* ſenior in Cardinalium cœtum cooptatus fuit, obiit anno 1058. Unde poſterior diverſus apertè dignoſcitur, contra *Bolandum* in prolegomenis vitæ *S. Dominici* Abbatis Sorani, qui ex duobus unum eundémque facit. Doctrinâ quoque inſignem fuiſſe hunc *Albericum* perhibet *Eggſius* in purpura docta, lbr. 1. p. 35. ubi ſcripſiſſe oſtendit *Librum de Viſione ſua &c.* Confer. Wion *in Ligno vitæ*; Oldoinus *in add. ad Ciaconium &c.*

XIV.

† 1089.

B. LANFRANCUS Archiep. Cantuarienſis.

Illuſtri ortus proſapia

LAnfrancus Ticinum, vulgò Papiam, celeberrimam Inſubrium Urbem in Gallia Ciſalpina ortu ſuo mirum in modum condecoravit. Parentes fuêre Humbaldus & Roza, ambo illuſtri loco prognati, civitatis Ticinenſis indigenæ & primores. Etenim pater vir erat ex Senatorio ordine, juris apprimè ac legum peritus. Sub hujus oculis cùm Latinis & Græcis literis primùm eſſet inſtitutus, juri civili operam navavit: cujus brevì tantam ſibi paraverat peritiam, ut à doctiſſimis undique viris conſuleretur. *Adoleſcentulus Orator* (x) *veteranos adverſantes in actionibus cauſarum frequenter præcipitavit torrente facundiæ, appoſitè dicendo.* Et cùm parens immaturam obiiſſet mortem, in ejus locum ſuccenturiandus erat. Quam tamen provinciam quò minùs acceptaverit, in cauſa erat inſanus diſcendi ardor, quo tanto flagrabat, ut natale verterit ſolum. Nec ſolus Italiâ egreſſus eſt, ſed plures ſecum magni nominis habuit ſcholares. Franciam aliquamdiu peragrans Abrincam venit, urbem Epiſcopalem Normanniæ inferioris, versùs Britanniam Armoricam. Hîc demoratus plnribus annis docuit.

Studia excolit.

De vita monaſtica cogitat;

Cùm verò ſecum aliquando attentiùs conſideraret, quàm fluxa & caduca ſint omnia terrena; ab eo momento haud ampliùs ipſum inter & mundum convenit. Quare ejus illecebris quamprimùm nuntium remittendi, atque monaſticæ vitæ ineundæ conſilium, Deo inſpirante, ſuſcepit. Nec mora: Abrincenſi urbe egreditur, ac Rotomagum petit. Quò tamen non pervenit; iter enim per ſylvas faciens, in latrones incidit, è quorum manibus ac vinculis poſt vota & preces liberatus Beccum adire conſtituit.

eámque Becci amplectitur.

Tunc fortè (ait Beccenſ. codex) Abbas extruendo fornaci occupatus ipſemet operabatur manibus. Et accedens ad eum dixit: Deus te ſalvet: & Abbas (erat B. *Herluinus* nobiliſſimo genere ortus) Deus te benedicat, inquit. Es Lombardus? at ille, Sum: Quid vis? Monachus fieri volo. Tunc Abbas præcepit cuidam Monacho nomine Rogerio, ut illi oſtenderet librum Regulæ: quâ perlecta reſpondit, omnia ſe Deo juvante ſervaturum. At ille in faciem procidens, oſculatus eſt pedes ejus. Lanfrancus humilitatem animi, ſermoniſque dignitatem in Abbate plurimùm veneratus & amans monachus ibi efficitur. Erat is annus quadrageſimus ſecundus ſupra milleſimum. Poſtquàm verò cucullum induit, reliquum boni otii evolvendæ & addiſcendæ ſacræ paginæ dedit; nec minor omnigenarum virtutum ac obſervantiæ regularis diſciplinæ ipſi fuit. Quâ cùm cæteros longè antecelleret, magni à B. Herluino Abbate fieri cœpit.

Ibidem publicè docet.

Poſt triennium ludum literarium licèt gravatè aperuit. Tum verò ejus nomen per ora Doctorum celerrimè volitare cœpit. Guillelmus Malmeſburienſis lib. 1. de Geſtis Pontificum Anglorum ſic in hanc rem ſcribit: [exivit

(x) Vide veteres Tabulas Archiepiſcoporum Cantuar. apud Gerberon. in edit. Opp. S. Anſelmi.

ivit fama ejus (Lanfranci) remotiſſimas Latinitatis plagas, erátque Beccum magnum, & famoſum literaturæ gymnaſium] Et iterùm lib. 3. de geſtis Reg. Anglorum eum vocat [virum antiquis ſcientia & religione comparandum: De quo ſeriò dici poteſt; *Tertius è cœlo cecidit Cato*: adeò cœleſtis ſapor pectus ejus & palatum infecerat, adeò Latinitas omnis in liberalium artium ſcientiam per doctrinam ejus ſe incitabat] Omitto alia æquævorum Scriptorum teſtimonia.

Licèt à ſuperbia,

Quàm verò ſcientia non pugnet cum humilitate, nemo illuſtri magis exemplo teſtatum fecit, atque B. Lanfrancus. Etſi enim multò eſſet doctiſſimus, eâ tamen erat animi demiſſione, ut lectionem non priùs in eccleſia legere voluerit, quàm Cantor eam audiiſſet. (y) „Quadam die dum ad menſam legeret, dixit quiddam inter legendum, ſicut dicere debuit, quod „non placuit præſidenti, & aliter dicere juſſit: veluti ſi ille dixiſſet *docēre*, „mediâ productâ, ut eſt; & iſte eadem „media correpta emendâſſet *dŏcere*, quod non eſt: non enim Prior ille li„teratus erat. At vir ſapiens, ſciens „magìs obedientiam Chriſto deberi „quàm Donato, dimiſit, quod benè „pronuntiaverat, & dixit, quod non „rectè dicere jubebatur. Nam producere brevem, vel longam corripere „ſyllabam non capitale nuverat cri„men: verùm jubenti ex parte Dei non „parere, culpam non levem eſſe ſcie„bat."

Quàm præclarum etiam illud ac ſingulare omnino humilitatis ſpecimen? „Quidam ſecularis dedit Bec„cenſi Eccleſiæ terram, ad quam miſ„ſus eſt Lanfrancus, ut eam ſervaret, & „inſtauraret. Una dierum dum de „monaſterio ad locum illum regrede„retur, detulit catum in panno involu„tum, poſt ſe ad ſellam ligatum. Dum „iter faceret, quidam adjunxit ſe illi: „cúmque ſimul pergerent, ſocius via„tor audivit vocem cati, & cœpit mi„rari & circumſpicere, ubi eſſet catus, „cujus audiebat vocem. Tandem ad„vertit Magiſtrum Lanfrancum, illum „poſt ſe ligatum ferre, & ait illi: Do„mine quid portas? reſpondit, mures „& rati valdè nobis ſunt infeſti, & id„citcò nunc affero catum, ad compri„mendum furorem illorum. Ecce ad „quantam humilitatem tantus vir pro „Deo ſeſe ſubmittere curavit: & quia „multùm ſe humiliavit, Deus illum „exaltare in præſenti non diſtulit.

ſuperbiſque plurimùm abhorreret,

Quemadmodum verò Lanfrancus à nulla re magìs abhorrebat, quàm ab animi elatiune atque ſuperbia, ita faſtum, moréſque thraſonicos in aliis ægrè patiebatur. Herfaſtus Guilelmi Normanniæ Comitis, ac ſubinde Angliæ Regis Capellanus cùm literis leviter eſſet tinctus, literatiſſimus tamen videri volebat. Is aliquando magna ſociorum & equorum pompa ad Beccenſem Academiam pervenit. Hîc ipſe ſuæ doctrinæ tibicen erat, quam ſibi eximiam vendicabat, præcipuè in arte Dialectica. Lanfrancus verò ex prima collocutione intelligens, quàm propè nihil ſciret, abecedarium ipſi proponendum curavit. Mirum, quantam bilem hic contemptus homini in nares conciverit.

Invidiæ tamen tela evitare nequiit.

Etſi verò Lanfrancus tum eruditus tum probus eſſet, invidiam tamen, aſſiduam virtutis comitem, effugere non potuit. Etant in monaſterio haud literati quidam fratres, qui ejus gluriæ minimè favebant. Cujus rei ille non ignarus de agenda eremitica vira cogitare cœpit. Fugam igitur animo meditatus, illam certò iniviſſet, niſi monachus defunctus B. Herluinum Abbatem de ea monuiſſet. Re cœlitùs detecta in monaſterio perſiſtere conſtituit; quod cùm Abbati Herluino ſupra quàm dici poteſt, gratiſſimum eſſet, eum inſtituit Priorem. Non ita diu pòſt Conſiliarius Guilelmi Ducis Normanniæ factus fuit. Sed cùm æmuli, maximè Herſaſtus Regius Capellanus Ducis animum ab eo abalienâſſent ſolum vertere juſſus fuit. Nondum è Normañia pedem extulerat, cùm cognitâ ejus innocentiâ in priſtinam gratiam à Duce receptus fuit.

Abbatis in Cadomenſi monaſterio

Sub annum 1063. Guilhelmus (z) Nothus Cadomi monaſterium condidit in memoriam D. Stephani Protomartyris, cui Lanfrancum renitentem, ſed tandem ſua Procerúmque Normannorum importunitate expugnatum præpoſuit. Vix effluxerat triennium, hoc eſt, annus 1067. læthifer D. Maurilio Rotomagenſium Præſuli, in cujus locum ſuffici Lanfrancum poſtulabant Normanni, ſed eos conſtanter poſtulantes conſtanti fatigavit refutatione. Recuſato Archiepiſcopatu Rotomagenſi tribus poſt annis ad Cantuarienſem evocatus fuit. Annus enim 1070. honorem onúſque aliàs ab eo rejectum

dein Epiſcopi Cantuar.

injecit

(y) Milo Criſpin. in vit.
(z) Gerberon in vit. Synopſi.

munus in eum confertur.

injecit humeris, licèt pto more firmiter detrectantis. Ea verò de cauſa Guilhelmus Anglorum Rex in Normanniam miſerat Legatos, ſed & Hermenfrodus Sedunenſium Pontifex redux ex Anglia (in quam navigaverat cum duobus S. R. E. Cardinalibus miſſis ab Alexandro Papa, ut Guilhelmum Nothum Anglici regni diademate redimerent, idem petierat) Lanfranco denuntiavit in Concilio Epiſcoporum & Abbatum Normanniæ petitionem Regis, ſimúlque voluntatem ſuam, & reliquorum Sedis Apoſtolicæ Legatorum. Is verò petiit inducias. Perſpectum namque & indubitatum tenebat, ſimul ire non poſſe negotium Archiepiſcopi & otium Monachi. Precatur Regina cum filio: jubet Abbas Herluinus licèt invitus, cui tanquam Chriſto obedire ſolitus erat. Hortantur etiam ad hoc ſtudiosè collecti Majores. Nam hanc urgentem undique violentiam dictaverat mandatum Regis, ſcientis æſtimationem dilectiſſimi Patris, cùm ad altiora invitaretur. Non abnuit ille præcipiti ſententia (ſic omne factum & dictum diſcretionis norma regebat) obedientiam, offendere cavet ſimul & tantos, qui rogant, favent, hortantur. Mœſtus ergò trans mare excuſatum ſe vadit, ſperans jucunditatem in reverſione. Cæterùm divinæ diſpoſitioni quo conſilio reſiſti poterit? Rex cum gaudio atque cum digna reverentia recepit Chriſtianæ religionis coadjutorem: devicit reluctantem pulchrè pugnans humilitate & majeſtate.

Lanfrancus igitur primus Abbas monaſterii S. Stephani Cadomenſis à Guilelmo Duce Normañorum creatus eſt; tandémque Archiepiſcopus Cantuarienſis: cujus in Angliam transmigratio paucos ante dies per viſum Herluino Abbati oſtenſa eſt.

Somnium B. Herluini,

(a) Videbatur ipſi, quòd arborem malum in horto haberet ramorum ſpecie, & fructuum ubertate, decore & ſapore præcellentem. Hanc Rex Angliæ Guilelmus expoſcebat; at contrà Abbas renitebatur. Quòd unicam in horto haberet: ſed regia prævalens auctoritate eam Guilelmus aſportavit. Verùm radices penitùs avelli non potuerunt: ex quibus pullulantes virgulæ confeſtim in magnas arbores excreverunt. Gaudebat Rex coram Abbate de arboris transplantatæ ubertate: at ille ſe ex ea lectiſſimas habere propagines reſpondebat. Rex verò eum invitabat, ut arboris transplantatæ incrementum viſeret; ſed parantem proficiſci neſcio quæ alia impediebant. Viſionis veritatem rerum eventus comprobavit.

cujus veritatem eventus comprobat.

Cupiens ergò Lanfrancum videre venit Boloniam in Angliam trajecturus. Volens ire ad portum, qui ſex leucas ab eadem urbe diſtat, à Comitiſſa Euſtachii Comitis conjuge prohibebatur; eoquòd nullæ eſſent in portu naves ob tempeſtatem quadraginta dierum. Nihilominùs ad portum ſe contulit: dicens ſe orationibus fratrum, qui in monaſterio remanſerant, quamprimùm naves reperturum; quod ita accidit. Nam ut venit ad portum, ſexdecim naves appulſas invenit. Ingreſſurus navim, cùm nautæ, ut ferè uſu evenire ſolet, tumultuarentur, ſeorſim cum monachis litaniam dicebat; tum quidam homo grandævus decoro vultu coram aſtitit, incertum, unde venerat. Frater, qui litaniam dicebat, eum conſpexit, & ab univerſis putabat videri, exiſtimans eſſe pauperem, ſtipem finita oratione petiturum. Intrantibus eis vidit eum jam in loco eminenti navis conſediſſe. Jam navi in altum evecta territi ſunt nautæ monſtra quædam in ſalo videntes: ille verò ſubridens eorum metum compeſcebat. Tum primùm nautæ eum viderunt; & ſciſcitantibus illis, quis eſſet, & à quo introductus, an naulum dediſſet: nihil reſpondebat: ſed monachus ille, qui jamdudum eum viderat, dixit ſibi comitem adjunctum fuiſſe cùm litaniam incepit. Jam omnes mirari & intueri. Viderat Abbas quendam valdè ipſi ſimilem, & quæſivit nominatim, an is eſſet: Ille hilari vultu reſpondit: *non ſum*: & hoc unicum in tota navigatione protulit verbum. Tandem ſecundo vento ad Doffrenſem portum navi appulſa undique novus ille comes quæſitus nusquam apparuit. Lanſrancus Abbatem ſuum lætus accepit: ſeſe illi in omnibus ſubmiſit: ſecundus ab eo ſedebat ubique: niſi miſſas celebraret, ſuámque domum ejus arbitrio regi volebat. Cùm igitur Abbas aliquot dies in Anglia commoratus eſſet, ab Archiepiſcopo dimiſſus felici navigatione trajecit in Normanniam. Et hoc pacto aliqua ex parte ſomnii veritas comperta eſt. Altera verò hoc modo. Propagines ex radicibus avulſis enatæ deſignant præſtantiſſimos monachos, qui Abbatiam Beccenſem, & Eccleſiam Catholicam illuſtrârunt: ut fuerunt ſanctus Anſelmus

(a) Hugo Menard. in vit. B. Herluini, quam Menol. Bened. inſeruit ad d. 20. Aug.

mus clericus Auguſtenſis, monachus & Prior Beccenſis, & defuncto Herluino Abbas, tandémque Archiepiſcopus Cantuarienſis poſt Lanfrancum. Guillelmus Cormelienſis Abbas; Henricus Cantuarienſis Eccleſiæ Decanus, & poſtea Abbas monaſterii de Bello: Hernotus Eccleſiæ Roffenſis Epiſcopus, & ejus ſucceſſor Gondulphus, vir morum ſanctitate admodùm reverendus.

Plura ejus facinora enarrantur.

Plura de Lanfranco memoratu digna ſuppeterent, ſed pro ſynopſi vitæ unum adhuc atque alterùm retuliſſe ſufficiat.
„ Lectioni erat aſſiduus & ante Epiſco-
„ patum, & in Epiſcopatu, quantum
„ poterat. Et quia Scripturæ Scriptorū
„ vitio erant nimiùm corruptæ, om-
„ nes tam Veteris quàm Novi Teſta-
„ menti libros, nec non etiam Scripta
„ ſanctorum Patrum ſecundùm ortho-
„ doxam fidem ſtuduit corrigere: &
„ etiam multa de his, quibus utimur,
„ nocte ac die in ſervitio Eccleſiæ ad un-
„ guem emendavit: & hoc non tantùm
„ per ſe, ſed etiam per diſcipulos ſuos
„ fecit. Quantum poterat, pauper-
„ tatem retinebat in vilitate habitûs,
„ parſimoniam tenens inter multimo-
„ das delicias: multa quoque & magna
„ offerebantur ſibi dona, quæ ille hi-
„ lariter rogantibus ſe, vel indigenti-
„ bus tribuebat. Nec pudebat Archi-
„ epiſcopum altè ſuccinctum paupe-
„ ribus cibos apponere, & tenuioris
„ fortunæ ſcholares ad diſputationum
„ pugnam committere. Poſt verba
„ utrique læti abibant, dum & victor
„ ſcientiæ prœmium & victus accipe-
„ ret verecundiæ ſolatium.

Nec illud relatu indignum: Qui-
„ dam cœnobii Cantuarienſis Frater
„ ſingulis annis triginta ſolidos dena-
„ riorum ad opus matris ſuæ ab ipſo
„ Patre ſolebat accipere. Huic qua-
„ dam vice ſolidi quinque de illis (nam
„ diviſè per temporum vices confere-
„ bantur) ex præcepto ejus dati ſunt;
„ quos ipſe in panno ligatos, matri lo-
„ quens in manum, ſicut putabat,
„ clanculò dedit. At ipſa aliàs mente
„ tenta, quid filius faceret, non ad-
„ vertit; & ita nummis decidentibus,
„ diviſi ab invicem ſunt mater & filius.
„ Poſt hæc mandavit mulier filio ſuo,
„ ſcire volens, quid de nummis actum
„ fuerit, quos ſibi ſe daturum ſpopon-
„ derat. Admiratus ille, fecit eam
„ venire ad ſe. Et audiens rei even-
„ tum triſtis effectus eſt, non tantùm
„ pro damno, quod matri contigerat,
„ ſed ne hoc Archiepiſcopus ſciens,
„ ob incuriàm ſuam irritatus eum ali-
„ quatenus gratiâ ſuâ privaret. In-
„ ter hæc pius Pater pro more clau-
„ ſtrum introiens ſedit, ac Fratrem à
„ materno colloquio redeuntem mœ-
„ ſtum intuens, remotis aliis, cauſam
„ mœſtitiæ ejus ſecretè perquirit, au-
„ dit, & benigniſſimo vultu, ſicut
„ jugiter erat circa afflictos, ita re-
„ ſpondit: Et inde, fili mi cariſſime,
„ contriſtaris? Denarios illos Deus
„ alii prædeſtinavit, & contulit, qui
„ eis plus matre tua fortaſſis indiguit.
„ Tace, & ne cuiquam inde loqua-
„ ris diligenter attende. Ac ne
„ quod actum eſt, animum tuum vel
„ modicum gravet, ſolidos ſeptem
„ pro illis quinque ad utilitatem ma-
„ tris tuæ tibi hodie dari præcipiam.
„ Sed, ut dixi, inde id nemo ſciat.
„ Ipſum quippe uſum in dando habe-
„ bat, ut danda hilariter daret, &
„ nulli vel datum, vel dantis perſo-
„ nam cuivis revelare concederet. „

Cætera Lanfranci in Pontificatu præclarè geſta, quoniàm Guillelmus Malmesburienſis, Mathæus Parkerus in antiquitatibus Eccleſiaſticis Britann. & poſt eos Cardinalis Baronius in Annalibus minutatim computârunt, minimè replicanda ſuſcipio. Ut ea tamen in pauca conferamus; natus is erat Ticini, ſeu Papiæ ſeculo undecimo, incertum quo anno: Monachus in cœnobio Beccenſi anno 41. factus eſt; Abbas Cadomenſis S. Stephani nominatus an. 1063. & Archiepiſcopus Cantuarienſis an. 1070. mortuus eſt an. 1089. Elogium Lanfranci, in quo multa habentur de munificentia, alíſque geſtis ipſius, aſſervatur inter MSs. Codd. Bibl. Cotton. ſub effigie *Tiberius* Lit. C. Cod. VI. n. 8.

Breve ipſius vitæ compendium.

SCRIPTA.

Ejus Opera omnia, quæ reperiri potuerunt, neque interciderunt, Lucas Acherius è Congregatione S. Mauri Tomo uno in folio Lutetiæ Pariſiorum an. 1648. evulgavit, hócque ordine diſpoſuit. Inprimis Vitam B. Lanfranci à Milone Criſpino Cœnobii Beccenſis Cantore ſcriptam ejus præfixit Operibus, eámque eruditis Notis, quæ Lanfranci ſanctitatem, doctrinam, & prudentiam commendant, magíſque ſpectabilem reddunt, illuſtravit.

Opera omnia editionis Dacherianæ Tomo uno in fol.

Subinde primum locum occupat *Commentarius in Epiſtolas D. Pauli* cum gloſſa interlineari, qui tamen Lanfranci non eſt; nam genuinus illius

Commentarius penes RR. Patres Congregationis S. Mauri extitit, ab Acherio primùm poſt editionem repertus; an verò etiamnum apud illos extet, vel neſcio quo caſu deperditus ſit, animi dubium me faciunt illa Gerberonii verba: *Utinam Superiorum noſtrorum diligentia conſuluiſſet ejuſdem Lanfranci Commentariis in Epiſt. D. Pauli recenſitis à Petro Chriſtiavillmo Beccenſi Monacho, in Indiculo Bibliothecæ Beccenſis anno* 1483. *ut legi in Biblioth. Becc. Hinc enim multò plura prompſiſſemus teſtimonia, quibus Roſcelinum jure poſtularemus ſtellionatûs.*

Sequitur poſtea *Liber de Corpore & Sanguine Domini* contra Berengarii librum Humberto Cardinali oppoſitum. Hic Lanfranci liber (b) typis jam vulgatus fuerat à Franciſco Carreo, ſive Quadrato, Beccenſi Cœnobita, recuſus cum Philaſtrio Baſil. 1528. 1541. 8. & cum Paſchaſii Ratberti libro per Guil. Ratum Rothomag. 1540. 8. & in Orthodoxographis Baſil. 1555. atque in Bibliothecis Patrum Colon. & Pariſienſibus Univerſis. Editio Jo. Ulimerii emendarior cum Algero, Guitmundo ac Paſchaſio Ratberto vidit lucem Lovanii 1561. 8. Quas autem *Epiſtolas invectivas* in Berengarium ante hunc librum ſcripſiſſe Lanfrancus à Sigeberto cap. 155. traditur, intercideront. De actis autem cum Berengario adeundus Miſo in Lanfranci vita cap. 2. pag. 836. editionis Henſchenianæ Tom. VI. Maji d. 28.

Ad Collationum Joañis Caſſiani quatuor loca annotatiunculæ pag. 777.

Ordinarium & Decreta pro Ordine S. Benedicti in Anglia pag. 778. ex editione Clementis Reyneri in Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia. Duaci 1626. in fol. Jure tamen merito Dacherius ſuſpicatur, his Decretis non nulla à quodam conſarcinatore fuiſſe adjecta; tum quia gravitatem & ſtyli Lanfranci majeſtatem non referunt ubique; tum quia etiam ipſemet Lanfrancus citatur Sectione 2. cap. 2. illorum Decretorum, ubi hæc leguntur: *Cantent Matutinas* (decretas Lanfranci) *Laudes.*

Liber Epiſtolarum LX. pag. 807. Etſi verò ſat multæ ſint epiſtolæ, non ambigit tamen Lucas Dacherius, complures alias à Lanfranco fuiſſe ſcriptas, quæ haud dubiè magno rei literariæ diſpendio perierunt, dum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto ruit ditiſſima Monaſterii Beccenſis Bibliotheca, in quâ bene multi Codices MSs. cura & ſtudio tam B. Lanfranci quàm S. Anſelmi lucubrati & caſtigati ſtudioſè aſſervabantur. Deinde in his *Epiſtolis* ſunt etiam quædam aliorum ad Lanfrancum, ut Paparum, una Alexandri II. & Gregorii VII. præterea Hildebrandi adhuc Archidiaconi, Thomæ Eboracenſis Archiep. Anſelmi, qui Lanfrancum Dominum, Patrem, & amicum appellat; Cleri Populique Dublinenſis. Et verò Dublinenſium ad Lanfrancum & Epiſtolas tres Lanfranci ediderat Uſſerius in Epiſtolis Hibernicis: ad Gothricum Regem Dubliniæ, ad Terdeluacum Hiberniæ Regem, & ad Domnaldum Hiberniæ Epiſcopum.

Pericope Orationis in Concilio Londinenſi A. 1072. dictæ *pro primatu Eccleſiæ Cantuarienſis* contra Thomam Eboracenſem pag. 827.

Liber de celandâ Confeſſione pag. 828. cujus obſcuriora loca perdoctis Notis Dacherius illuſtrat.

Hactenus editio Operum Lanfranci Dacheriana, in quâ tamen deſideratur Sermo à Lanfranco compoſitus, quem antehac ineditum idem Lucas Dacherius evulgavit Tom. IV. Spicileg. pag. 227. (edit. novæ Tom. I. pag. 441.) Incip. *Octo ſunt, quæ ſi diligenter.* Idem Sermo in Bibliotheca Patrum Lugd. Tom. 18. pag. 833. legi poteſt. Alia Lanfranci Opp. in editione Dacher. deſiderata.

Præter *Lanfranci* genuinum Comentarium *in Epiſt. D. Pauli*, de quo ſuprà, deſiderantur ejuſdem *Hiſtoria Eccleſiaſtica* & *Vita Guillelmi Conquæſtoris Regis.* Henſchen. in Comment. præv. ad vitam B. Lanfranci Tom. 6. Maij. d. 28. pag. 832. Et quod ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam attinet, ad eam procul dubio reſpexit Eadmerus, cùm lib. I. Hiſtoriæ novorum in laudem Lanfranci excurrens, ait, eum *de rebus Eccleſiaſticis, quæ ſuo tempore geſta ſunt, veraciſſimo & compendioſo calamo ſcripſiſſe.* *Vitæ* verò *laudum ac triumphorum Guillelmi Conquæſtoris* meminit Sigebertus cap. 155. Utrumque opus intercidit.

Appendicis locô Lanfranci Operibus à Dacherio ſubjuncta hæc ſunt: *Chronicon* Abbatiæ Beccenſis: Vita B. *Herluini*, Fundatoris ac primi Abbatis Cœnobii Beccenſis authore *Gilberto Criſpino.* *Vitæ* quatuor priorum Abbatum ejuſdem Monaſterii, Guilelmi, Boſonis, Theobaldi & Letardi, authore *Milone Criſpino.* De nobili proſapia

ſapia

(b) Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. xi. pag. 708.

ſapia Criſpinorum. *Vita ſancti Auguſtini* Cantuarienſis Archiepiſcopi & Anglorum Apoſtoli. *Tractatus duo de Eucharistiæ Sacramento , Hugonis* videlicet *Lingonenſis Epiſcopi*, & *Durandi* Abbatis Troarnenſis in Neuſtria : uterque liber ſcriptus fuit contra Berengarium.

Cæterùm Opera Lanfranci à Luca Dacherio edita recuſa fuerunt in Bibl. Patrum Tom. XVIII. pag. 621.

XV.

S. ANSELMUS Archiepiſcopus Cantuarienſis.

† 1109.

CHriſtianæ pietatis ac monaſticæ religionis obſervantiam qui cum literarum ſtudiis magis conjunxerit, vix alius occurrit, atque Divus Anſelmus Cantuarienſis Archipræſul. Cujus rei tot támque præclara dedit documenta, ut lectû tametſi ſint longè digniſſima, brevitas tamen Sciagraphiæ noſtræ ea omnia minimè capiat. Quare vitæ ejus ſynopſis chronologica à doctiſſimo Gerberonio noſtro ſcitiſſimè, ut cætera omnia, contexta, ſubinde verò ab Eminent. Card. de Agvirre diductiùs nonnihil in lucem emiſſa inpræſentiarum Benevolo Lectori ſufficiat.

Anſelmi natales & optima educatio.

Anno Chriſti MXXXIII. Benedicto VIII. Eccleſiam gubernante, natus eſt Anſelmus Auguſtæ, in confinibus Burgundiæ & Longobardiæ, ad radices Alpium ex Gondulpho patre, & Ermengarda matre, nobilibus & copioſis civibus : ex quibus prior poſt militarem vitam, tandem ſeculo renuntiavit, & in monachatu diem clauſit extremum : poſterior irreprehenſibilem vitam egit, & ſtuduit educationi Anſelmi pueri ad præſcriptum totius honeſtatis.

Monachū Becci indutus,

Anno MLX. Nicolao II. Pontifice Anſelmus jam orbatus parentibus, venit ad Monaſterium Beccenſe, & ab Herluino ejusdem fundatore, ac primo Abbate, habitum S. Benedicti ſuſcepit. Erat Prior ejusdem monaſterii Lanfrancus, qui & magiſter ipſius in ſacris literis fuit, ſicuti & complurium aliorum.

& Cadomenſis Prior effectus,

Anno MLXIII. ſub Pontifice Alexandro II. Lanfranco in Abbatem Cadomenſem aſſumpto, Anſelmus Prior deligitur, & id muneris gerit piè ac feliciter quindecim annis, eâ virtutum ac doctrinæ opinione apud domeſticos & extraneos, ut in omnium ore & admiratione eſſet. Cùm verò (inquit Eadmerus lib. I. vitæ ipſius) pro omiſſâ ſtatûs ſui tranquillitate vehementiſſimè fleret, ab onere Prælationis, quod ſibi fatebatur importabile, ut relevari mereretur, magnoperè Archiepiſcopum Rhotomagenſem (Maurilium) cœpit rogare. Ipſe verò Maurilius præcepit, ut Prælationem, quam habebat, retineret. Scripſit eo tempore quatuor Dialogos, nimirum De Veritate, De libero arbitrio, De Caſu Diaboli, & De Grammatico: Præterea Monologion & Proslogion, inſupérque hujus laciniam, quæ eſt *Reſponſio contra Inſipientem*. Præterea edidit Meditationes piiſſimas, & illam nominatim, quæ incipit : *Terret me vita mea* : éſtque ſecunda in ordine apud Gerberonem pag. 207. & celeberrima ubique extitit.

demum Herluino in Abbatiæ Becc. dignitate ſuccedit;

Anno MLXXVIII. ſub S. Gregorio Papa VII. ſanctiſſimè Eccleſiam gubernante, Herluino Abbate humanis exempto die XXVI. Auguſti, paulò pòſt Anſelmus obnitens, & reluctans, Abbas Beccenſis eligitur. Quindecim annis præfuit Monaſterio, pariter & profuit, ea humilitate, charitate, aſflictatione corporis, rerum cœleſtium contemplatione, & omnium virtutum ſulgoribus in eximio gradu, ut potiùs cœleſtem, quàm mortalem vitam in terris agere videretur.

A Gisleberto Epiſcopo conſecratus.

Anno MLXXIX. Giſlebertus Ebroicènſis Epiſcopus Anſelmum jam electum in Abbatem benedixit, ut tunc moris erat, in Eccleſia Beccenſi, in feſtivitate Cathedræ S. Petri. Ita habet Chronicon Beccenſe à Bollandianis laudatum: in quo & numerantur anni regiminis ejus quindecim, poſtquam in Abbatem electus fuit. Poſt acceptam verò benedictionem prædictam ab Epiſcopo, Anſelmus in Angliam proficiſcitur, & Cantuariæ in Monaſterio Sermonem habet, qui inter ejus Opuſcula Parænetica inſcribitur: *De charitate fraterna.*

Anno MLXXXVIII. tempore Urbani II. Papæ, Guillelmus I. Angliæ Rex jam moriturus, Anſelmum ad ſe vocat. Ille adit, ſed Regem jam vitâ functum invenit.

Anno MXC. Anſelmus edit Homiliam *Intravit Jeſus &c.* inſtantibus Guillelmo Abbate Fiſcanenſi, & Arnulpho, Troarnenſi, quæ eſt numero IX. & habetur apud Gerberonem pag. 178.

Anno MXCII. Anſelmus inchoat librum *De Fide Trinitatis & Incarnatione*

ne Verbi, contra hæreſin Roſcelini. Proficiſcitur in Angliam vocatus ab Hugone Comite Ciceſtrenſi, & pride Nativitatis Deiparæ Cantuariam ingreditur.

evocatus venit Cantuariam,

Anno MXCIII. mortuo Lanfranco magiſtro ſuo Archiepiſcopo Cantuarienſi Anſelmus magna totius Angliæ gratulatione in ejus locum ſufficitur: ſed invitus & reluctans. Verba Eadmeri lib. 2. col. 1. ſunt: „Acclamatur ab univerſis, & edictum Regis „(nimirum Willelmi Rufi, qui eum „elegerat) laudat Clerus, & populus „omnis, nec reſonat ibi ulla contradi„ctio cujuslibet hominis. Audit hæc „ille, ET FERE USQUE AD EXANIMATIONEM SUI CONTRADICIT RELUCTATUR, ET OBSISTIT. Prævalet tamen Eccleſiæ Dei conventus. RARITUR ERGO, ET VIOLENTER IN VICINAM ECCLESIAM CUM HYMNIS ET LAUDIBUS PORTATUR MAGIS, QUAM DUCITUR. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo XCIII. pridie Nonas Martii I. Dominicâ Quadrageſimæ. Unde & ipſe S. Doctor in Epiſtola ad Falconem Epiſcopum inquit: *Sciant omnes, ſicut mea conſcientia dicit coram Deo, quia non me rapit, aut alligat ad Archiepiſcopatum Anglorum, cupiditas alicujus rei: ſed timor Dei me cogit pati, ut, quomvis dolens, & timens, ab Eccleſiâ Dei trahar.* Eodem anno Wintoniæ ſigno Crucis incendium divinitùs extinguit. VII. kalendas Octobris ingreditur Cantuariam, & Sedem Archiepiſcopalem conſcendit. Ibidem conſecratur pridie Nonas Decembris.

mortuíque Lanfranci Archiep. dignitatem accipere cogitur.

Anno MXCIV. Willelmus Angliæ Rex exigit pecuniam. Recuſat ille, & Curiam deſerit. Eccleſiam dedicat in villa, cui nomen *Berga*. Convenit cum aliis Epiſcopis, & Principibus, ad Haſtinges, ut Regem in Normanniam transfretaturum benedicat. Die Cinerum intra Miſſarum ſolemnia invehitur adverſùs nutrientes comam concione publica, & adeò vehementi, ùt plurimi tonſis crinibus pœnitentiam agerent. Clericos verò eam ob cauſam cinerum ſuſceptione & ſua benedictione privavit.

Eodem Anno perficit librum, jam antea inchoatum, *de Fide Trinitatis & Incarnatione Verbi*: illúmque Urbano II. Pontifici inſcribit, cui gratiſſimus fuit. Aggreditur ſcriptionem librorum *Cur Deus homo.*

Anno MXCV. Die II. Junii Gualterus Albanenſis Epiſcopus & Legatus Sedis Apoſtolicæ, nomine Urbani II. Anſelmo Pallium defert.

Pallium Gualterus ei affert.

Anno MXCVI. Diebus Octavis Paſchæ & Pentecoſtes Anſelmus plures Epiſcopos conſecrat.

Anno MXCVII. Cùm Anſelmus pro immunitate Eccleſiaſtica diu multúmque laboràſſet, ac paſſus fuiſſet à Rege Angliæ Willelmo, tertiò petita, & tertiò negatâ licentiâ eundi Romam, Idibus Octobris ab eo diſcedit, & die ſequenti Cantuariâ egreſſus, venit ad portum Doſris, unde poſt XV. dies ſolvit ex Anglia in Lugdunum, ibidémque ab Archiepiſcopo Hugone amanter & honorificè excipitur. Lugduno diſcedit feria ante tertiam Dominicam Palmarum, & Romam perveniens, poſt decem dies divertit in villam *Schlaviam* in Provincia Capuæ, ejúſque obſidioni adeſt cum Urbano II.

Pro tuanda immunitate Eccleſiaſtica

Romam ſe confert.

Eodem anno perficit libros *Cur Deus homo*. Intereſt Concilio Barenſi, & publicâ diſputatione Græcos Spiritus ſancti proceſſionem ex Filio negantes convincit, ut ſuprà num. 22. latiùs dictum eſt. Cùm verò Patres ejusdem Concilii anathemate publico inurere vellent Willelmum Regem perſecutorem Anſelmi, hic flexis genibus pro eo rogat, ne extra Eccleſiam fiat.

In Concilio Barenſi cum Græcis publicè diſputat.

Anno MXCIX. Anſelmus intereſt Concilio Romano, in quo excommunicati ſunt dantes vel accipientes inveſtituras, &c. contra quàm in Anglia fiebat. Româ diſcedit Lugdunum, ibidémque moratus cum Hugone Archiepiſcopo ereptum vivis Urbanum II. à quo ſummos honores acceperat, audit. Ibidem ſcribit librnm *de Conceptu Virginali & Originali Peccato*, ac præterea Meditationem de *humanâ Redemptione*, quæ eſt ordine XI. in editione Gerberonis pag. 221.

Anno MC. Paſchalis II. Papæ I. in Monaſterio Cluniacenſis moratur, & ſermonem habet de *Beatitudine Cæleſtis patriæ*. Ibidem accipit horribilem mortem Willelmi II. Regis Angliæ, quæ contigit menſe Auguſto ejusdem anni, illámque amariſſimè deflet. Revocatur in Angliam ab Henrico II. illius ſucceſſore kalendis Octobribus ad Portum Doſris pervenit. Summa Regni gratulatione exceptus, *Hominium*, ut tunc dicebatur, Regi ſacere detrectat. Lite commotâ dantur induciæ usque ad proximum Paſcha.

Revocatus in Angliam

homagiũ Henrico II. præſtare recuſat.

Anno MCI. Roberto Henrici II. Regis fratre ex Palæſtina, à Chriſtianis

recu-

recuperata, paulò antè regreſſo, Anglia commota ſuit, & in duas partes diviſa. Anſelmus pro Henrico II. ſtat. Eo anno, aut iṁediatè ſequenti, ſcribit Librum *de Proceſſione Spiritûs ſancti* contra Græcos, itidémque librum *de Azymo & fermentato* ad Walerannum Epiſcopum Newemburgenſem.

Anno MCII. Anſelmus cogit Synodum Londoniæ: Epiſcopos, qui à Rege Henrico II. inveſtituram acceperant, conſecrare non vult. Scribit librum *de Sacramentorum diverſitate* ad Walerannum.

Anno MCIII. poſt Feſtum Paſchæ, annuente Henrico II. ex Anglia egreditur v. kal. Maij. Venit in Monaſterium ſuum Beccenſe, & ibidem feſtum Pentecoſtes celebrat. Poſt Aſſumptionem B. Virginis Romam pergit ad Paſchalem II. Papam pro rebus Angliæ componendis. Româ egreditur circa finem Novembris, & propè Natale Domini pervenit Lugdunum.

iterùm Romam proficiſcitur.

Anno MCIV. Anſelmus Lugduni manet cum amiciſſimo Hugone Archiepiſcopo uſque ad menſem Martium ſequentis anni MCV. quo ipſo Concilium Romanum anathema dicit in Comitem de Mellento. Anſelmus ad Cellam Charitatis Congregationis Cluniacenſis ſecedit: indéque proficiſcitur Bleſium ad Comitiſſam Henrici II. ſororem, & cum ea ad Caſtrum, cui nomen Aquila, accedit, ubi cum ipſo Henrico colloquium habet. Deinde partim Rhemis, partim Becci moratur.

Rebus cum Henrico II. Becci compoſitis in Angliá abit.

Anno MCVI. Anſelmus præſente Henrico II. Angliæ Rege die Aſſumptionis Miſſarum ſolemnia Becci celebrat: rebúſque poſteà cum illo compoſitis, ultimò in Angliam revertitur.

Anno MCVII. Anſelmus æger decumbit in Regis Curia à Paſcha uſque ad Pentecoſten. Conventus Anglicanus fit kalendis Auguſti. Libertate Eccleſiæ teddità, & ſtatutâ pace, Anſelmus tertio Idus ejuſdem menſis plures Epiſcopos conſecrat.

Anno MCVIII. Anſelmus initio Qnadrageſimæ Londoniam venit ad colloquium Regis, qui in Pentecoſte cum eo agit de Clericorum incontinentia. Poſt feſtum SS. Petri & Pauli Cantuarium redit, ubi conſecrat Epiſcopum Roffenſem, ſicuti & Pahage Londonienſem.

Anno MCIX. ſcribit Libtum *de Concordia præſcientiæ* &c. cogitátque & mente tevolvit Opuſculum *de Origine animæ*. Sed antequam id præſtet, ingraveſcente ægritudine, quâ jam diu affiictabatur, anno ætatis ſuæ LXXVI. Archiepiſcopatûs XVI. Cantuariæ, poſt plura miracula, poſt innoxiam vitæ periodum, poſt inſignia in Deum merita, poſt innumeros labores pro Eccleſia Dei patienter & fortitet tolèratos, inter ſuas & fratrum preces placida ac pretioſa morte obdormivit in Domino, illuceſcente Aurora quartæ Feriæ præcedentis Cœnam Domini, quæ erat XI. kalendas Maij, aliàs die XXI. Aprilis. Nimirùm, ut obſervant Henſchenius & Papebrochius (duo alia Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lumina poſt Bollandum) dicto anno MCIX. cyclo Lunæ VIII. Solis XXVI. Litera Dominicali C. Paſcha contigit die XXV. Aprilis, & obitus Anſelmi die XXI. Ex iis LXXVI. annis in ſeculo vixit XXVII. Monachus tres, Prior Beccenſis XV. Abbas XV. Archiepiſcopus XVI.

Cantuariæ è vivis ſublatus ætatis an. 76.

Accidit inſigne miraculum ante ipſius ſepulturam; nam cùm vix eſſet gutta balſami in Eccleſia Majori ad conficiendum Chriſma, nec putaretur ſatis ad ungendum vel faciem Anſelmi defuncti, ſubitò adauctum eſt divina virtute coram omnibus, ut vas ſupereffluerет, & totum ſacri Pontificis corpus abundantiſſimè ungeretur. „Stupentibus cunctis (ait Eadmerus in fine libri ſecundi) liquor deſiliens copiâ ſui manum meam complevit, „& ſupereffluxit. Hoc ipſum ſecundò, „ac tertiò, & ſæpiùs factum eſt. Et „quid dicam? Tantam abundantiam „balſami vas fermè vacuum miniſtravit, ut inracto vaſe Eccleſiæ non ſolùm caput & manus, ſed brachia, „pectus, pedes quoque & totum corpus ejus, non una ſed ſæpiùs repetita vice omni ex parte inungeretur. „Addit deinde, ſarcophagum paratum S. Doctori, inventum fuiſſe minùs profundum, quàm oporteret, ad „corpus ipſius recipiendum: ſed ſubito & patenti miraculo profundius „factum, coram omnibus qui aderant. Quare ſtatim à morte Anſelmus ubique terrarum ſanctus haberi cœpit, & à Magiſtro Sententiarum, qui triginta poſt annis circiter ſcripſit, aliiſque Theologis ejuſdem ſeculi, inter celebres Eccleſiæ Doctores numerari.

Miraculum ante ejus ſepulturá.

Qui verò vitam admirandam ejus, & heroicas virtutes, varióſque eventus, voluerit pleniùs nôſſe, legat duos Eadmeri libros de eodem argumento, qui jam in antiquis editionibus habebantur, & denuò majori curâ, ac collatione veterum exemplarium editi

Ejus vitam deſcribunt Eadmerus,

fuerunt, tum à Godefrido Henſchenio, & Daniele Papebrochio in Actis Sanctorum ad diem XXI. Aprilis, tum demùm à Gabriele Gerberon è Congregatione S. Mauri in ſua editione Pariſienſi: in qua etiam ad finem habetur *Hiſtoria Novorum* ab eodem Eadmero ſcripta: in qua plura de Anſelmo narrantur.

Raynerius, *Andreas Raynerius* (c) Parmenſis in S. Joannis Evangeliſtæ inſigni in patria cœnobio Profeſſus anno 1650. Abbas ſubinde creatus varia rexit in Congregatione Caſinenſi monaſteria, ac ſcripſit Italico idiomate *Hiſtoriam Panegyricam S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Doctoris Eccleſiæ* tomis IV. varia eruditione præſertim Eccleſiaſticâ, ac ſacra abundè refertis. Tomus I^mus^ impreſſus Mutinæ anno 1693. apud hæredes Caſſiani; Tomus ſecundus Parmæ apud Paulum Montium anno 1700. Tomus tertius ibidem apud eundem anno 1705. denique Tomus quartus ibidem apud eundem anno 1706. omnes in quarto.

Felibien. Eâdem ferè ætate Domnus Michaël Felibien è Congregatione S. Mauri, vir doctiſſimus, ſancti Archipræſulis vitam cum reflexione ſuper ejus Opera compoſuit, typis tamen nondum vulgatam. Ante ipſum ex eadem celeberrima Congregatione Domnus Gabriel Gerberon S. Anſelmi Opera in quatuor partes diſtributa prælo ſubjecit. Prima pars continet Opera didactica ſeu dogmatica, hoc eſt, Tractatus, qui Theologiæ vel etiam Philoſophiæ placita exponunt. Altera pars habet parænetica, homilias videlicet, & exhortationes. Tertia includit Aſcetica, id eſt Meditationes, & Orationes. Quarta Epiſtolas continet. Editio Eminentiſſimo Cardinali *de Agvirre* ſummoperè laudata. *Natalis Alexander* omnium uberrimam & accuratiſſimam vocat, ſéque ex Gerberoniana cenſura Operum S. Anſelmi multùm profeciſſe teſtatur. Duæ verò Gerberonianæ extant editiones, prima lucem vidit Pariſiis 1675. fol. altera cum novo ſupplemento ibid. 1721. fol. repetita fuit, ex qua Cl. *Fabricius* Opera Anſelmi ita recenſuit.

Opera Anſelmi recenſentur. 1. *Monologium*, ſive Soliloquium, & p. 29. *Proslogium* h. e. allocutio ad Deum, quibus per ideam ipſam ſummi Entis, ut deinde facere Nicolaus Cuſanus in dialogo de *poſſeſt*, & poſt eum Carteſius inſtituit, homo ad Conditorem ſuum agnoſcendum adducitur. Citat hoc Monologium ſuum Anſelmus dialogo de Veritate cap. 10.

2. *Liber apologeticus* contra Gaunilonem, cujus brevis reſponſio ad Monologium, Inſipientis nomine præmittitur. pag. 35. Profundas meditationes hoc in ſcripto Anſelmi reperiri notavit illuſtris Leibnitius in Leibnitianis pag. 412. Vide etiam Dominicum de Colonia in hiſtoria literaria Lugdunenſi, quam Gallicè nuper edidit Tomo II. pag. 214. ſeqq.

3. Liber *de Fide SS. Trinitatis, & de Incarnatione Verbi* pag. 41. contra blaſphemias *Ruzelini*, qui Abailardi Magiſter fuit, ſive *Roſcelini*, velut tritheitæ, ad Urbanum II. qui Papa fuit ab A. C. 1088. ad 1099.

4. *Contra Græcos* Liber *de Proceſſione Spiritûs S.* pag. 49. Meminit hujus Opuſculi Hildebertus II. 9. & 13 Epiſt. & Anſelmus ipſe in libello de tribus Waleranni quæſtionibus.

5. *De Caſu diaboli*, dialogus pag. 62. cujus etiam meminit in dialogo de Veritate. In hoc dialogo de origine mali Anſelmus diſputat.

6. *Cur Deus homo*, dialogus cum *Boſone*, libris duobus pag. 74. adversùs Infideles, ſimplicitatem Chriſtianam tanquam fatuam deridentes: ſcripti anno 1098. Vide Pagium ad an. 1097. n. 6.

7. *De conceptu virginali, & Originali peccato* liber pag. 97. ad eundem Boſonem.

8. Dialogus *de Veritate* pag. 109.

9. *De Voluntate* pag. 116. & *de Voluntate Dei* pag. 151.

10. *De libero arbitrio.* pag. 117. cujus ſcripti etiam in dialogo de Veritate fit mentio.

11. *De concordia Præſcientiæ & Prædeſtinationis*, nec non *Gratiæ Dei cum libero arbitrio.* pag. 123.

12. *De tribus* WALERANNI Newemburgenſis Epiſcopi *quæſtionibus*, ac præſertim *de azymo ac fermentato* contra Græcos pag. 135. ſubjuncta Waleranni ad Anſelmum Epiſtola pag. 131. & Anſelmi reſponſione ad illius querelas pag. 139. *Græcè* vertit hoc Anſelmi ſcriptum ſicut librum de Proceſſione Spiritûs S. quoque *Demetrius Cydonius.*

13. *De presbyteris concubinariis*, ſeu *offendiculum Sacerdotum* brevis parænesis pag. 140. Confer Anſelmi Lib. I. Epiſt. 56.

14. *De*

(c) Armell. Bibl. Caſin. par. 1. pag. 18.

14. *De nuptiis conſanguineorum.* pag. 141.

15. *Dialogus de Grammatico.* pag. 143. Etiam hujus mentionem facit Anſelmus dialogo de Veritate.

16. *Homiliæ XVI.* pag. 155. quarum ultima in Hebr. II. 10. iterùm recurrit inter excerpta pag. 546.

17. *Exhortatio* ad contemptum temporalium, & deſiderium æternorum. pag. 190.

18. *Admonitio morientis.* pag. 194.

19. Carmen elegiacum *de contemptu Mundi.* pag. 195. quod incipit: *Quid deceat Monachum* &c. cum aliis duobus brevioribus carminibus de rerum vanitate pag. 200. & de ſolo Deo amando pag. 201.

20. *Meditationum XXI.* liber pag. 202. quarum decima quarta etiam inſcribitur *Enchiridion*, ſive *Manuale*, vel etiam *Liber de ſalute animæ.* Separatim prodiere Lugd. 1609. formâ minore.

21. *Orationes*, ſive *Precationes* LXXIV. in quibus etiam quædam diriguntur ad B. Virginem Mariam, ad S. Crucem, ad Sanctos &c. Recuſæ itidem ſeparatim Romæ curante Agvirrio, & Veronæ 1726. 12. Hoc Orationarium non Anſelmi eſſe, ſed Cœleſtini cujosdam Monachi, qui poſt SS. Dominicum & Franciſcum ſcripſit, probat Raynaudus in heteroclitis ſpiritalibus p. 247.

22. *Hymni & Pſalterium de S. Virgine.* pag. 303.

23. *Epiſtolarum Libri IV.* primus earum 77. quas Monachus, ſecundus 53. quas Abbas Beccenſis, tertius 188. quas Archiepiſcopus Cantuarienſis ſcripſit, quartus 108. anteà ineditas complectitur. His Epiſtola pag. 704. & aliæ Epiſtolæ tres addi poſſunt ex Edmundo Martene Tom. III. Anecdotorum pag. 273. ſeqq: nam quam ad Paſchalem Warthonus Tomo II. Angliæ ſacræ pag. 178. vulgavit, jam in Seldeni hiſtoria decimarum XII. 2. pag. 376. & apud Gerberonem legitur IV. 4. Epiſtolas octo offert Dacherius Tomo nono Spicilegii, qui anno 1669. lucem vidit (Tom. III. editionis novæ p. 433.) Alias Epiſtolas novem Baluzius Tomo quarto Miſcellaneorum pag. 471. ſeq. Pariſiis 1683. 8. & in Tomo quinto pag. 306. 342. quibus omnibus aliæ etiam adduntur in Supplemento novo editionis Anſelmi A. 1721. cum *Sermone de Paſſione Domini* è MS. Regio, & *Tractatu aſcetico*, quem ediderat Dacherius Tomo III. pag. 24. (editionis novæ Tom. I. pag. 443. & Anonymi Carmine elegiaco in Anſelmi laudem, ex Baluzii Tom. IV. Miſc. pag. 557. ſeq.

24. Tractatus *de Pace & Concordia* pag. 705 - 707.

In Appendicem rejecta primò Dubia Scripta:

Elucidarium, ſive Dialogus ſummam Chriſtianæ Theologiæ complexus, libris III. pag. 457. quod opus Guiberto Novigentino Abbati Codices quidam vindicant, Trithemius refert ad Honorium Auguſt. alii ad Guilelmum Coventrienſem Carmelitam. Scripta dubia.

Planctus B. Mariæ ad Anſelmum pag. 488. ſive Dialogus B. Mariæ Virginis & Anſelmi de paſſione Domini.

De menſuratione Crucis ad Luc. IX. 23. pag. 494. Scriptoris S. Bernardô junioris, qui in eo citatur.

De Conceptione B. Mariæ Virginis pag. 499. & de VI. Idus Decembris feſto in ejus memoriam celebrando pag. 505. ſeq. pag. 507.

Paſſio Sanctorum Guineri, Fingaris, Pialæ, & ſociorum An. Chriſti 450. Martyrum in Britañia p. 508. Confer Acta Sanctorum 23. Martii.

Aliena:

Gisleberti, ſive *Gilberti* Weſtmonaſterienſis ab anno 1084. Abbatis *Diſputatio Judæi cum Chriſtiano* cum præmiſſa Epiſtola, qua auctor hoc ſcriptum cenſuræ Anſelmi ſubjicit p. 512. Gisleberto vindicatur hoc ſcriptum etiam à Trithemio cap. 353. licèt ſub *Guilelmi de Campellis* nomine edita eſt in Bibliotheca Patrum Lugdunenſ. Tom. XX. p. 1884. & ſine nomine auctoris, prodierat Colon. 1537. fol. Altercatio Chriſtiani cum Judæo de Fide Chriſtiana interlocutoribus Gamiele & Paulo. Aliena.

Ruperti Tuitienſis Abbatis annulus, ſeu dialogus Chriſtiani & Judæi de fidei Sacramentis pag. 524.

Dicta quædam ex dictis S. Anſelmi collecta p. 545. & miracula p. 548.

Præter caſtigationes & emendationes à præclaro editore, ſubjiciuntur:

Joannis Picardi, Auguſtiniani, Canonici S. Victoris Pariſ. Notæ eruditæ ad tres libros priores Epiſtolarum ex editione Operum Anſelmi, Coloniæ 1612. folio, quam perinde ut Lugdunenſem Theophili Raynaudi Lugd. 1630. fol. recenſet Labbeus Tom. I. de S. E. pag. 80. ſeqq. Extat & editio Colonienſis 1573. de qua Poſſevinus & Norimbergenſis 1491. fol. de qua Theo-

philus

philus Sincerus *Nachricht von alten und neuen Büchern*, Fr. 1731. 8. pag. 21. ſeq.

In *Eadmeri* operibus, quæ in editionibus Par. 1675. 1721. fol. Anſelmo ſubjiciuntur, extant præter Anſelmi vitam liber quoque *de Beatitudine cæleſtis Patriæ* (d) Anſelmo à quibusdam tributus, & liber de *S. Anſelmi ſimilitudinibus*, in cujus cap. 47. ſeqq. tractatio illa de beatitudine iisdem verbis recurrit.

Carmen Anſelmi *in laudem Lanfranci* Cantuar. deceſſuris ſui exſtat ad calcem vitæ Lanfranci editæ à Dacherio, & in Bibl. Patrum Lugd. Tom. XVIII. pag. 620. & Tom. XII. Opp. Raynaudi pag. 86. & in Actis Ord. Bened. Sec. VI. 2. p. 659.

Explanationes in S. Matthæum, Anſelmo tributas, *Petri Babionis* Angli, qui circa an. 1360. vixit, eſſe notat Raynaudus, qui præfationem ex MS. Lugdunenſi exhibet Tom. XII. pag. 90. ſeq. Oudino videntur referendæ ad *Guilelmum* Pariſienſem, quod & Raynaudus pridem fuerat ſuſpicatus. *In Cantica Canticorum*, & *in Apocalypſin* ſunt Anſelmi Laudunenſis: *In Pauli Epiſtolas* Hervæum, Monachum Dolenſem Benedictinum habere auctorem noſcuntur.

Poſt hanc recenſionem ſupereſt, ne Anſelmus noſter cum aliis, qui eo- Varii Anſelmi.
dem vocati fuerunt nomine, confundatur. Sunt enim plures Anſelmi. Hîc verò illorum tantùm brevis facienda eſt mentio, qui ferè coævi & ſynchroni Anſelmi noſtri ſeculo itidem XI. & XII. vixêre. Conringius in Comment. de Scriptoribus XVI. poſt Ch. Nat. ſeculorum Cap. I. Sect. XI pag. 112. præter noſtrum duos commemorat Anſelmos, qui ab eo Seculi XI. *tria lumina* vocantur. Alter eorum Lauduni Decanus vel Archidiaconus erat, ubi non minùs quàm Pariſiis per quadraginta aliquot annos ſacram Theologiam ſummo cum applauſu docuit, atque anno 1117. finem vivendi fecit. Alter Mantuâ oriundus Epiſcopus erat Lucenſis, de quo plura Cavæus & Oudinus ad 1070. Extra hos duos in Belgio Anſelmum Gemblacenſem, in Germania verò Anſelmum Epiſcopum Havelbergenſem doctrina & eruditio celebres reddiderunt. Hic poſterior *Librum de Ordine Clericorum* à Cl. Bernardo Pezio ex MSs. Hamerslebenſi, ab Eckardo communicato, in Theſauri ſui Anecdotorum Tomo IV. Part. II. col. 75. 110. editum ſcripſiſſe fertur. Ille prior verò Sigeberti Gemblacenſis Chronicon ab anno 1112. usque ad an. 1136. continuavit.

(d) *De felicitate Sanctorum* ſub Anſelmi nomine Antverpiæ 1602. 12. per Henricum Somalium, & ſub Eadmeri Pariſiis 1638. 8. edente Joanne Baptiſta Machalto Soc. Jeſ. Eadmeri Præfationem dederat Raynaudus Tom. XII. Opp. pag. 85.

APPENDIX
DE
GOTHESCALCO
ORBACENSI MONACHO
Seculi IX. Cilone.

SI *Gotheſcalcum* præcedentes inter Scriptores retuliſſem, multorum judicio non gemmam eorum diademati inſerturus, ſed maculam in coronam gloriæ eorundem daturus fuiſſem. A multis enim *Gotheſcalcus* pro hæretico habetur, qui prædeſtinatianam hæreſim inſtauravit. Ita, ut veteres omittam poſt *Sirmondum, Petavium,* alióſque, non ita pridem R. P. *Ludovicus du Meſnil* S. J. GOTHESCALCUM Hæreticorum ſylloge in ſuo Opere de Doctrina & Diſciplina Eccleſiæ accenſuit. Contrà verò HENRICUS NORISIUS S. R. E. Cardinalis *Gotheſcalcum* ab omni hæreſeos labe abſolvit, rectéque de prædeſtinatione ſenſiſſe aſſeruit. Quid? quòd *Vincentius Contenſonus*, graviſſimus juxtà ac doctiſſimus Theologus non innoxium modò labíſque hæreticæ purum pronuntiavit, ſed penè inter Martyres collocavit. Concludit enim Tomo V. de Gratia (e): *Ex quibus omnibus liquidò conſtat*, GOTHESCALCUM *non Prædeſtinatianæ hæreſeos inſtauratorem, & multò minùs fatorem, ſed Auguſtinianæ Catholicæque doctrinæ ſtrenuiſſimum defenſorem, pro juſtitia, pro veritate, & pro gratia perſecutionem paſſum, & patiendo immor-*

tuum

(e) in Append. ad Diſſert. 3. pag. 434. & 537.

tuum fuiſſe. „ Uſque adeò, *inquit Cardinalis Aguirre Theol. Anſelm. Tom.* 3. *Tract.* 6. *Diſp.* 115. *Sect.* 5. *pag.* 289. Uſque adeò *Contenſonus* præ reliquis „ omnibus defenſoribus *Gotheſcalci*, ipſum in cœlos evexit, & tantùm „ non appellavit SANCTUM, *glorioſiſſimque Chriſti Martyrem* ſub *Rabano* pri- „ mùm, deinde verò ſub *Hincmaro* paſſum. „ Quibus jam fidem adhibeam, Patroníſve an Adverſariis *Gotheſcalci*? Viſum eſt, utrorumque argumenta & narrationem in medium afferre, ut *Lector* illis, qui vero proximiora ſcripſiſſe videntur, adſtipuletur.

HISTORIÆ GOTHESCALCANÆ SYNOPSIS

Autore Eminent. S. R. E. Cardinale Henrico Noris.

CAPUT I.

Gotheſcalci controverſia cum Nottingo. Synodi in hac cauſa habitæ. Quid varii ſenſerint ac ſcripſerint.

MAllem calamum ſuſpendere, quàm plenum invidiâ opus aggredi. Libenter *Gotheſcalcum* ſilerem, ejúſque jam diu ſopitos cineres evolvere recuſarem; rem enim tot difficultatibus, ac variis auctorum diſſidiis confuſam video, ut vel ipſa Apollinis oracula fatigaret: ſed ne turpiter ex acie pedem referre velle videar, libeat ea, quæ latiſſimè & eruditiſſimè proſecutus eſt *Gilbertus Maugin*, in valentiorem veluti ſuccum redacta exhibere, & ſapientiſſimi Viri Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarii Synopſim contexere; ille enim nedum ceſpitantibus ac medias inter tenebras palpantibus prætulit facem, ſed ceteris hujus itineris unicum ſe præbuit monſtratorem & ducem.

Gotheſcalcus natione Germanus fuit Monachus Ord. S.Benedicti, inter cujus alumnos in cœnobio Orbacenſi adſcriptus monaſticæ religionis votum emiſit. Hic profanis poëſis præſertim diſciplinis & ſacris poſteà Literis ac SS. Patrum, Auguſtini verò præcipuè doctrinis imbutus, Romam ſanctorum Apoſtolorum limina veneraturus iter inſtituit. Peregrinatione ſuſcepta in Urbem venit, ibíque ſolemniis (erat enim ſacris initiatus) de more celebratis in Germaniam revertens in domo religioſiſſimi Comitis Eberhardi apud Inſubres hoſpitio exceptus inceptum iter abrupit. Piiſſimus enim Comes tum monachi religione, tum etiam ſingulari eruditione captus non citò dimiſit, ſed diu ſecum inſigni pietatis exemplo detinuit. Accidit interim anno 847. ut Gotheſcalcus cum Nothingo Brixienſium Epiſcopo de gemina Dei prædeſtinatione diſſereret, eámque ex Auguſtini doctrina acriter propugnaret. Hoc tot malorum ac tempeſtatum caput & origo extitit. Nothingum uti parùm in Auguſtiniana palæſtra exercitatum nimirùm percuſſit habita illa cum Gotheſcalco collatio; quare eodem ipſo anno Rabanum Archiepiſcopum Maguntinum ſollicitavit, ut aliquo brevi licèt opuſculo Gotheſcalcum confutaret. Rabanus amici votis ſatisfaciens, libellum edidit de prædeſtinatione, quem eidem Nothingo dicavit. Verùm parùm feliciter belli initia Maguntinus auſpicatus fuit, aſſumpſit enim (ut inquit Remigius) *non neceſſariam, nec ullatenus* Lib. de
ad rem, de qua quæritur, pertinentem tribus
diſputationem. Vides celebrem hunc epiſt. cap.
Monachi antagoniſtam Andabatarum 41.
more pugnantem, & vel in primo congreſſu vanis ictibus aëra diverberantem? Gotheſcalcus ubi Rabanum hoſtili voce ſibi minitantem audivit, ne pugnam facere timidè videretur, illicò ex Italia ſuperatis Alpibus in Germaniam propiùs pedem cum hoſte collaturus deſcendit; certaminis etiam arbitros deſignavit ſapientiſſimos illius ætatis viros, qnos datis literis conſuluit, rogavítque, ut quid de Auguſtini mente ipſis videretur, exponerent. Carmina ſunt Gotheſcalci, in quibus quid in naſcentium diſſenſionum exordio ab illo actum ſit, ſatis apertè monſtratur.

Ad hos atque alios per barbara regna locatos
Cernua his avidus direxi ſcripta duobus,
Orans magnoperè dignentur, ut ocyus inde
Reſpondere mihi, ceu ſcis, vehementer egenti;
Eſtq; Auguſtini his ſententia miſſa beati,

Quam liquido exponi auctori quadrando popoſci.
Nempe tribus horum ſtudus proprium indere ſenſum,
Marcaudo, Jona, atque Lupo rutilantibus ore
Poſcens obnixè, ſatagant ut vera referre.

Quantum verò Gotheſcalcus Auguſtino in hac controveſſia detulerit, teſtes ſunt ipſius infeſtiſſimi vexatoses Rabanus & Hincmarus. Ille in epiſtola ad Eberhasdum ait: *Dicitur enim ipſe Doctor veſter multa teſtimonia excerpſiſſe de opuſculis beatiſſimi & doctiſſimi Patris Auguſtini, quibus nititur ſuam ſententiam affirmare.* Hic verò teſtatur hoc ipſum his verbis: *Idem quippe Gotheſcalcus ſolet frequentiſſimè dicere, ut ſæpe commemoravimus, loquens de B. Auguſtino, Auguſtinus noſter.* Ne tamen ſegniùs operi incumbere Monachus videretus, apud Maguntiam in placito regio ſententiam ſuam expoſuit, & apologetico ſe defendit, in quo ne latum quidem unguem ab Auguſtino diſcedendum eſſe tradidit: *De quo, inquiens, libero arbitrio quid Eccleſiæ Chriſti tenendum ſit atque credendum, cùm à cæteris Catholicis Patribus evidenter ſit, Deo gratias, diſputatum, tum præcipuè contra Pelagianos, & Cæleſtianos à B. Auguſtino pleniùs & uberiùs diverſis in opuſculis, & maximè in Hypognoſticon eſſe cognoſcitur inculcatum. Unde te potius ejusdem Catholiciſſimi Doctoris fructuoſiſſimis aſſertionibus incomparabiliter inde quoque malueram niti, quàm erroneis opinionibus Maſſilienſis Gennadii, qui pleriſque præſumpſit in locis, tam fidei Catholicæ, quàm Beatorum etiam Patrum invictiſſimis auctoritatibus infelicis Caſſiani pernicioſum minus dogma ſequens reniti.* Sed nihil iniquius ac periculoſius, quàm illius quem offenderis, judicio ſiſti. Rabanus, quem Gotheſcalcus illo apologetico libro perſtrinxesat, in eo Maguntino conſeſſu psæſes omnia ad libitum tractans, Monachum erroris accuſat, psoſcsiptionem ſurripit, exilio multat, & Hincmaro verſuto cavillatori, falſario, impoſtori, uno verbo, Camaleonti (his enim titulis Nicolaus Pontifex illum inſignivit) cuſtodiendum tradidit. Erat Hincmarus Rhemenſium Aschiepiſcopus, Casolo Calvo adeò gsatus, ut Rex Hincmasi ſui potiùs, quàm Nicolai Pontificis partes psopugnandas ſuſceperit. Hic ineunte anno cùm quosdam Epiſcopos Regis mandato in Cariſiaco palatio congregandos acciperet, Gotheſcalcum *ad eorum præſentiam*, ut ipſe ait, *producere ſtuduit.* Erat Hincmarus in eo judicio, uti poſtea in Rothadi damnatione, ** Ipſe accuſator, ipſe teſtis, ipſe judex.* Miſesabilis Monachus Hincmariana fsaude ac potentia damnatur, * & *ut improbus virgis cæſus,* & licet tot flagellis dilaniatus penè animam traheret, defenſionem, quam ſcripto paraverat, in ignem psojicere compulſus eſt. Rem ſanctus Remigius lacrymis eſt proſecutus. *Illud prorſus omnes non ſolùm dolent, ſed etiam horrent, quia inaudito irreligioſitatis & crudelitatis exemplo, tamdiu ille miſerabilis flagris & cædibus trucidatus eſt, donec (ſicut narraverunt nobis, qui præſentes aderant) accenſo coram ſe igne libellum, in quo ſententias Scripturarum, ſive ſanctorum Patrum collegerat, quas in Concilio offerret, coactus eſt jam pene emoriens ſuis manibus in flammam projicere, atque incendio concremare.* Hincmarus conſeſſu illo ſoluto veritus, ne ſi Monachum Rothado, vel Abbati ordinariis judicibus cuſtodiæ crediſiſſet, vel apologiam iterum edeset, vel ad Romanum Pontificem appellaret, uſurpato ſibi jure, maxima verò Rothadi injuria apud ſuos carceses reum detineri juſſit, quod ut ab ſe rectè factum fuiſſe Nicolao Pontifici ſuadeset, Rothadum (quem ſummus Pontifex *virum apoſtolicum, alterum * Athanaſium, epiſcopum conſcientia purum, converſatione innocentem, columbam ſimplicitate, ac prudentia ſerpentis inſignem*) infamavit: ** *Quoniam,* inquiens, Rothadus, de cujus parochia erat, *illi neſciebat reſiſtere, & novitates amans timebatur à nobis, ne diſceret prava ſentire, qui noluit diſcere recta docere.* Libet hîc Hincmaso exprobsare, quod illi in ejusdem Rothadi cauſa Nicolaus Pont. objecit: *Falſitas in ipſo mox actionum invenitur principo.* Jacobus Sirmondus anno 849. in Cariſiaco Concilio damnatum aſſerit Gotheſcalcum, edita anathematis capitula, & ipſum Carolum Psincipem Synodicæ psoſcsiptioni ſuos calculos addidiſſe. Sed illius fidem ſuus Hincmarus, S. Prudentius, Lupus uterque, Ratsamnus, Johannes Scotus, qui in hac ipſa cauſſa ſtrennè ſeſe exercuerunt, prorſus elevant; nullam enim ipſi de Cariſiaco Concilio mentionem, nullum verbnm habent, quod tamen maximi ponderis in lite, in qua verſabantus, eſſe poterat, nullo etiam ipſis titulo ſubticendum. Quòd ſi Rex Casolus anathemati ſubſcripſit, cur poſtmodum Ratramno injunxit,

ut

Tom. I. Vindic. 9. ſœculi pag. 4.

Lib. de non Trina Deitate pag. 550.

In Epiſt. ad Eccleſ. Lugdun.

* Rothadus in libello proclamat.

* Hincm. de prædeſt. cap. a.

Epiſt. 43. ad Sueſſionenſ.

* Ep. 40. ad Carolum.

** Apud Flodoard. lib. 3. hiſt. Rhem. cap. 14.

ut de exorta quæſtione geminæ prædeſtinationis ex ſanctorum Patrum libris capitula ac aſſerta colligeret? Sanè nedum Rege, ſed vel imperitiſſimo judice indigna diligentia foret, cùm cauſſam dijudicaveris, conſultum petere. Annales etiam Bertiniani ab Hincmari amiciſſimo ſcripti, quattuor illa capitula referunt ad annum 853. his verbis: *Carolus inde ſcilicet à Concilio Sueſſionenſi ad Cariſiacum veniens cum quibusdam epiſcopis & abbatibus monaſticis quattuor capitula edidit, & propria ſubſcriptione roboravit. Quorum primum eſt, neminem prædeſtinatum ad pœnam eſſe.* Hincmarus ipſe eorum canonum architectus, fatetur editos poſt plurima multorum auctorum ea de re ſcripta. *Deinde,* inquit, *illa, quæ à pluribus & per aliorum manus de pluribus ex his cauſſis accepimus, propter quam neceſſitatem ex Catholicorum Patrum (ut diximus) ſenſibus & verbis capitula illa quattuor excerpere procuravimus.* Lege auctorem cap. 10. Hincmarus igitur anno 849. damnato Monacho, S. Prudentium Tricaſſinum Antiſtitem virum & pietate & doctrina celeberrimum totius rei per literas certiorem fecit *ſignificans ſe ab eo conſilium quærere velle de ſtatu & compreſſione Gotheſcalci, intimans quod de ipſo actum vel judicatum fuerat in Synodo, quo eum recluſum judicio, & quia multis modis eum converti tentaverit, & de moribus ac ſuperbia ipſius, & ſi in Cœna Domini, vel in Paſcha debeat eum admittere ad audiendum ſacrum officium, vel accipiendam communionem.* Hæc ſatis confirmant Gotheſcalcum nondum ut hæreticum eſſe damnatum, non in Maguntino placito, in quo, ut ajunt Annales Fuldenſes, *rationabiliter ut plurimis viſum eſt convictus, & ad proprium epiſcopum Hincmarum Rhemis transmiſſus eſt*; nec etiam in Cariſiaco conventu, neque enim dubitâſſet Hincmarus hominem à duplici Concilio damnatum hæreſeos, & fidelium communione reciſum, feriis illis Paſchatis admittendum prorſus non eſſe. Prudentius re diligenter inſpecta nedum Gotheſcalcum ſacris non prohibendum reſcripſit, ſed paullo pòſt deſtitutam Monachi cauſam ſcriptis primus omnium defendit, inſcripto libello ipſimet Hincmaro ac fidiſſimo Achati Pardulo, in cujus præfatione: *Hoc primum,* inquit, *veſtram ſinceritatem monens, & poſtulans, ut doctrinam beatiſſimi Patris Auguſtini absque ulla dubitatione undequaque doctiſſimi, ſanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordiſſimum, quippe nullus Doctorum abſtruſa earum ſcrupuloſiùs rimatus, diligentiùs exquiſierit, veriùs invenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodaverit, fideliùs tenuerit, robuſtiùs defenderit, effuſiùs diſſeminaverit, veſtri Pontificatûs tempore commento quolibet impugnari non permittatis.* Vides Auguſtini propugnatores ſub ipſo prælii initio adverſariorum ſuperbiam vellicantes? Sed Prudentio comitem ſe dedit Lupus Servatus, qui Maguntino placito interfuerat. *Hic cùm comperiſſet, primùm in Italia* (ut verbis utar ipſius) *deinde in Gallia, ſi non concuti fidem, turbari certè quorundam intentionem, quod de libero arbitrio, & de prædeſtinatione bonorum & malorum, ac de ſanguinis Domini taxatione vulgo quædam inaudita jactarentur,* aureum de tribus quæſtionibus libellum edidit, quo in omnibus Gotheſcalci ſententiã, ſicut Prudentius confirmat, & Auguſtinianam de prædeſtinatione auctoritatem elogio inſignivit. In Præfat. de trib. quæſt. Tom. 2. vindic. Nec minùs alter Lupus Abbas Ferrarienſis factis, quàm nomine Maguntino Lupo ſe ſimilem demonſtrare cupiens, ſcripto ad Regem libello, Gotheſcalcum acriter propugnans, totum ſe Auguſtinianum oſtendit; nam quæſtione tertia cum Auguſtinum à *Gelaſio PP. approbatum aſſeruiſſet,* addidit: Nos *igitur incorruptum ſanctarum ſcripturarum ſequentes intellectum, & Apoſtolicæ ſedis gravitatem ſuſcipientes quid aliter dicamus? niſi taceat Fauſtus, & ſimiliter ſentientes; loquatur cum ſuis conſortibus Hieronymus & Auguſtinus, ſcilicet illius proverbii recordantes: conticeſcant ranæ, dum Cœlum tonat.* Tum etiam Ratramnus, quod à Carolo Rege acceperat mandatum, ſententias ſanctorum Patrum in quæſtione de gemina prædeſtinatione colligendi, gemino libello eandem veritatem confirmans, plenè executus eſt; qui latiſſimè Auguſtinianas capite excerptis includit. *Sicut enim ex his, quæ breviter de B. Auguſtini libris collegimus, intelligi datur.* In fine libri 1. de præd. deſt. Et poſtea librum ſecundum ab Auguſtino auſpicatus, poſt plura ibidem ex S. Doctore deducta: *In his duobus,* inquit, *teſtimoniis manifeſtiſſimè monſtrat geminam venerabilis Auguſtinus prædeſtinationem.* Ubi primùm Hincmarus tot ſapientiſſimos viros veluti facta conſpiratione in ſe unum ſtylum acuiſſe cognoſcit, dolet, facti pœnitet, & infectum vellet. Sed jacta erat alea,

pedem revocare, vel palinodiam canere turpiſſimum ratus, cum ſuo Pardulo rem communicat. Huic tutius eſſe videtur, mercenario milite bellum gerere, quàm ſe ipſos aperto quaſi diſcrimini objicere. Præ cæteris è re eſſe judicabatur Johannes Scotus cognomento Erigena, vir ingenio petulanti æquè ac erudito, qui Caroli aulam ſecutus jam diu *in magno ob eo dignatione ſuſceptus, individuus comes fuerat menſæ & cubiculi.* Ne tamen unius humeris tantam molem imponerent, Amalarium etiam ſuppoſuerunt. His qua promiſſis, qua prœmiis, qua mille Hincmarianæ fraudis aſtutiis expugnatam ac pene perditam cauſam reſtituendam perſuadent, hortantur, & recuſantes impellunt. Tene S. Remigium Piladi ac Oreſti reſpondentem, an exprobrantem? *Quod autem*, inquit, *inter cæteros, qui de tanta quæſtione divinæ videlicet præſcientiæ & prædeſtinationis apud eos ſcripſiſſe memorantur, etiam Amalarius ponitur, & Scotus Johannes ab eis ad ſcribendum compulſus eſſe refertur.* Neque Pardulum puduit ingenuè id ipſum fateri, *Scotum illum*, inquiens, *qui eſt in palatio Regis, Johannem nomine ſcribere coegimus.* Scotus magna arrogantia palæſtram ingreſſus ab adulatione Hincmaro & Pardulo gratans præfatur: *Fari non poſſum, quantas qualéſque gratiarum actiones vobis rependere debeam, in eo quod veſtræ dilectionis copioſiſſimo ſublimitas me tanquam aliquid valentem in defendenda omnium noſtrum ſalute, quæ eſt profeſſio Catholica, non eſt dedignata cooperatorem eligere.* Ab adulatione præfationem incœptam adulatione concludit, & ut gratior haberetur, ad chelym recitat:

Ex Mathæo Weſtmon. ad an. 883.

Lib. de trib. epiſt. cap. 40.

Cæſare ſub Carolo Francorum gloria pollet
Litore ſeu pelagi piſcibus, atque ſalo.
Secta Diabolici damnatur dogmatis, atque
Paſtorum cura ſplendet amœna fides.

Quàm ridiculè verò, ne infeliciter dicam, opus aggreſſus ſit, inde ſatis conſtat, quod primum caput in Philoſophiæ diviſionibus aſſignandis conſumit. Tales hæreſis Pelagiana diſcipulos exigit optimè in philoſophicis tricis exercitatos. Ubi primùm liber ille erroribus & hæreſibus ſcatens in lucem prodiit, piis omnibus veræ & Catholicæ doctrinæ cultoribus horrori & execrationi fuit. Primus omnium ſanctus Prudentius Wenilone Senonenſi Archiepiſcopo jubente, Scotum pari titulo inſcripto ac in tot capita diviſo volumine confutavit. Sanè de Erigena tale judicium protulit: *Deprehendi, quantum divinitùs inſpiratus potui, Pelagii Cæleſtiíque, eorumque ſequacis, ac defenſoris acerrimi Juliani per omnia ſectatorem, Johannem videlicet Scotum tanta impudentia Orthodoxæ fidei Patribúſque Catholicis oblatrantem, acſi unus ſpiritus Julianum Johannémque docuerit, unus idémque ſpiritus in eis fuerit, nec diſpar ſpiritus per eorum linguas tot tantáſque blaſphemiorum nauſeos evomuerit.* Poſtea addit, poſt Auguſtinum nemini in Pelagianos nova ſcribenda eſſe, immo ne poſſe quidem: *Quibus*, ait, *cum à Patribus, præcipuéque beatiſſimo Auguſtino competentiſſimè abundantiſſiméque fuerit &c.* Per idem tempus delatis ejusdem Scoti ſententiis ad Lugdunenſem Eccleſiam, quæ *ſtudio charitatis, & debito loci, atque ordinis inſolentiæ illius Scoti reſpondere neceſſarium duxit, ne illius Lectores nimia verboſitate, & ventoſa loquacitate pernicioſiſſimè occupati non ſe divinis Scripturis, & auctoritatibus paternis humiliter ſubmittant, ſed ejus potius fantaſtico deliramento ſequantur.* Opus Magiſtro Floro doctiſſimo Diacono injunxit, qui adeò excellenter Scotum confutavit, ut vel ab ipſo hoſte Hincmaro laudes extorſerit, dum eum & * *virum doctum* aſſerit, & † Auguſtini ſenſum ſecutum affirmat. Porro Flori librum fuiſſe ab Eccleſia Lugdunenſi confirmatum, non ſolùm omnes editi ac manuſcripti codices præſeferunt, ſed ex præfatione libelli probatur, in qua hæc habentur: *Venerunt ad nos, id eſt, ad Eccleſiam Lugdunenſem cujusdam vaniloqui garruli hominis ſcripta &c.* & paullò pòſt: *Neceſſarium omnino ducimus, ut ſtudio charitatis*, &c. *debito noſtri loci atque ordinis ejus inſolentiæ auctore Deo reſponderemus*: quod ſimplici diacono non convenit. Interim Hincmarus & Pardulus, cùm Scotum à Prudentio confutatum acciperent, ab Eccleſia Lugdunenſi ſententiam quaſi dubii (quod tamen initio agendum erat) petere non erubuêre. Pardulus *valde inter ſe ipſos diſſentire, ac maximam fieri contentionem* faſſus eſt. Tanta erat etiam eo ſeculo Auguſtini auctoritas, ut Hincmarus & Socii, cùm veri Auguſtini patrocinio ſe deſtitutos eſſe animadverterent, ad fictam Auguſtini imaginem confugerent, ſaltim ſub magni nominis umbra tuti evaſuri: nam relictis germanis eximii Doctoris fœtibus ſpurium Hypognoſticon (ſic volumen illud Augu-

In Præfat. lib. de Prædeſt.

Libello adverſus Scotum initio.

Lib de prædeſt. * cap. 6. † cap. 12.

In Præfat.

In epiſt. 2. ad eccleſ. Lugdun.

guſtino falsò ſuppoſitum inſcriptum eſt) auſi ſunt petulanter obtrudere. Sic * Hincmarus, ſic ** Pardulus, ſic *** Rabanus, & alii: At † Prudentius, & †† uterque Lupus, & ‡ Florus eum librum in apocryphorum quisquilias rejiciendum clamabant. Audi Pardulum litem ad Lugdunenſem Eccleſiam deferentem: *Quæ autem inter noſtros ſit maxima contentio, vobis ſignifico. Quidam dicimus Auguſtinum edidiſſe libellum, quem Hypognoſticon præintitulavit. Et quidam noſtrorum dicunt non à præfato viro eumdem libellum eſſe editum.* Rabanus, ut caneret inter olores, duabus Hincmari & Parduli literis comites ſuas dedit, ut Gotheſcalcus trium Epiſcoporum ſententia damnatus appareret, & faciliùs Lugdunenſes in ſuas partes pellicerent. Hiſce tribus epiſtolis in Lugdunenſium conſeſſu perlectis, S. Remigius ejus Urbis Antiſtes omnibus diligenter ritéque diſcuſſis, in Hincmarianum Geryonem acriter invectus, jactis ſeptem firmiſſimis fidei Catholicæ firmamentis, objectas Gotheſcalco calumnias non *ex ſuo ſenſu*, ut ipſe ait, *ſed ex Scripturarum ſanctarum immobili veritate, & beatiſſimorum Eccleſiæ Patrum fundatiſſima auctoritate* rejecit.

* in 1. epiſt.
** in 2.
*** in 3.
† cap. 14.
†† ubique
‡

De tribus ep. in Præfat.

Nil magis inexſpectatum Hincmaro & ſociis accidere poterat, quàm Remigium, cujus nomen omnium animos tota Gallia pulſabat, ac univerſam Lugdunenſem Eccleſiam ſuis conatibus adverſari. Jam probè cognoſcere poterat, ſuos cauſſa cecidiſſe, niſi furor ac ſemel in Monachum concepta rabies illum penitus obcæcâſſet. Scio recentiorem Pariſienſem in ſua hiſtoria, veriùs Rythologia Gotheſcalcana negare S. Remigium tribus illis epiſtolis reſpondiſſe; ſed ut omittam Lugdunenſes Annales, audiat Jacobum Sirmondum, quem ipſemet extra ſidera & orbes extulit: *Quin & eadem*, inquit, *rurſus Lugdunenſis eccleſia ejúsque antiſtes Remigius in libro de tribus epiſtolis Hincmari contra Gotheſcalcum reſpondens &c.* Hincmarus *more camaleontis* (ut à Summo Pontifice poſteà audivit) cedere neſcius modò hoc, modò illud conſilium arripiens, varias in partes, dubius quid ſibi agendum eſſet, impellebatur, ad dolos tandem *verſutus* homo convertitur. Año 853. Rex Carolus Sueſſionenſi Synodo ſoluta in Palatium ſuum Cariſiacum rediens, Hincmarum ac quosdam alios aulicos Epiſcopos ſecum adduxit. Hincmarus tei gerendæ tempus opportunum intelligens Regem adit, precatur, ut Gotheſcalcum in Epiſcoporum, qui aderant, judicio condemnet. Annuit votis Carolus ſupplicantis; conveniunt juſſu Regis Epiſcopi, damnandum Gotheſcalcum clamat Hincmarus, urget proſcriptionem Carolus, in quorum ſententiam cauſſa minimè judicata cæteri vel metu, vel adulatione labuntur. Quattuor in Gotheſcalcum capitula eduntur ipſius Regis ſubſcriptione firmata. Porrò quàm celeriter, quàm raptim, quàm præcipitanter Cariſiacum illud conventiculum habitum ſit, appello ad Hincmarum ejusdem architectum ac Præſidem: *de cujus ſancti Viri ſc. Proſperi verbis, ut ſimpliciter, & veraciter omnibus legentibus fateamur inſtantia devotionis Domini & Chriſtianiſſimi Caroli Principis coacti, qui librum illius præ manibus non habuimus, quantum ad memoriam nobis venit, & brevitas temporis & ſimultanea compulſio permiſit, hoc capitulum humilitas noſtræ intelligentiæ delibavit.* Quid tam alienum à maturo, quod in Concilio haberi debet, examine? Illa ſola præcipitatio & ſubitanea compulſio (etiamſi nihil aliud obſtaret) ad capitula illa rejicienda & explodenda ſufficeret. Aptè Nicolaus Pontifex hæc Hincmari Concilia nuncupavit cum Pſalte *conventicula ſua de ſanguinibus.* Hoc eſt ſamoſum illud Concilium, in quo damnatus ſuit Gotheſcalcus, quod Sirmondus reſert in annum 848. in quo in Monachum quattuor capitula publicata fuiſſe affirmat. Sed falſo, nam Annales Bertiniani, qui ſtudio R. P. Heriberti Roſueidi ex pulvere inter Francorum hiſtorias inſerti ſunt, ad annum 853. Cariſiacum hoc conventiculum exprimunt his verbis: *Carolus inde ſc. à Sueſſionenſi Synodo ad Cariſiacum veniens cum quibusdam Epiſcopis & Abbatibus Monaſticis, quattuor capitula edidit, & propria ſubſcriptione roboravit.* Hæc porrò capitula non ſynodi alicujus, ſed ipſiusmet Hincmari verſutia compilata eſſe teſtes ſunt Hincmarus & Sirmondus: hic dum inquit: *Duplex fuit Hincmari adversùs Prædeſtinatianos lucubratio, una tres libros continens pro defenſione Cariſiacenſium ejus capitulorum contra Gotheſcalcum:* ille verò idipſum priùs aſſeruerat. *Sed cuicunque placet*, inquit, *benigno animo conferat capitulum ſanctæ Arauſicanæ ſynodi cum capitulo à nobis ad ſenſum excerpto, quia librum præ manibus tunc non habuimus, quando hoc capitulum de ſenſibus Orthodoxorum dictare coacti ſumus &c.* Ride iterùm per

Lib. hiſt. prædeſt. c. 12.

Lib. de prædeſt. cap. 34.

Ep. 46. ad Hincmar.

Tom. 3. Conc. Galliæ.

Tom. 3. pag. 150. & ſeq.

Ep. ad Lect. in oper. Hincm.

me licet ô Lector, dum Hincmarum congregantem cernis *conventicula ſua de ſanguinibus.* Nulli tunc libri, quidni etiam Biblia? præ manibus erant: quare ampliùs Hincmarianum fœtum abortivum ac præcipitanter editum ne mirere. Inter cæteros verò, qui huic regio placito ſubſcripſêre, S. Prudentium Tricaſinũm Epiſcopum Hincmarus numerat; hæc tamen tum quæ præceſſerunt, tum quæ im̃ediatè ſubſecuta ſunt, falſitatis convincunt. Novimus cum Syrmondo *Hincmaro ſuo falli & fallere proclive fuiſſe.* Siquidem Prudentius eodem anno cum Cariſiacas technas intellexiſſet, quattuor capitula ex adverſo edidit, ad quotum defenſionem Æneam, antequam ad Inſulas Pariſienſes eveheretur, adegit. Paullò pòſt & S. Remigius cum univerſa Eccleſia ſua Lugdunenſi Hincmariana capitula edito libello confutavit, in cujus initio ſic præfatur: *Hæc cùm legiſſemus, & adjuvante nobis fratrum noſtrorum Deo donante benè ſtudentium & rectè intelligentium collegio, pia & fideli attentione ſingula pertractâſſemus, graviter perculſi & confuſi animo vidimus in eis & Scripturæ ſanctæ certiſſimam veritatem & beatiſſimorum Patrum & præcipuè ſancti Auguſtini reverendam & in omni Eccleſia Catholica receptiſſimam auctoritatem novo conatu & auſu temerario impugnari, & quantum in ipſis fuit, improvidè atque inſolenter labefactari.* Ineunte verò anno 855. celebratur Concilium Valentinianum tertium ex trium provinciarum Lugdunenſis, Viennenſis, & Arelatenſis Epiſcopis congregatum; in quo Auguſtino, cæteríſque Patribus Ingenii faſces ſubmittendas primo his verbis decernitur: *Novitates vocum & præſumptivas garrulitates, unde potiùs inter fratres contentionum & ſcandalorum fomes excitari poteſt quàm ædificatio ulla timoris Dei ſuccreſcere, cum ſtudio omni devitamus. Indubitanter autem Doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis, ipsíſque ſacræ Scripturæ luciſſimis expoſitoribus, id eſt Cypriano, Hilario, Ambroſio, Auguſtino, cæteríſque in Catholica pietate quieſcentibus reverenter auditum, & obtemperanter intellectum ſubmittimus, & pro viribus, quæ ad ſalutem noſtram ſcripſerunt, amplectimur.* Canon verò tertius Auguſtini teſtimonio firmatur, & Arauſicanæ Synodi, quæ tota ex Auguſtino eſt, decreto finitur. Canone quarto Hincmariana capitula & Scotus Erigena his verbis exploduntur,

Differt. de Dionyſ. c. 4.

Lib. de ten. verit. Script.

Canone 1.

Porrò Capitula quattuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum nimiùs proſpectè ſuſcepta ſunt, propter inutilitatem vel etiam noxietatem & errorem contrarium veritati, ſed & alia XIX. ſyllogiſmis ineptiſſimè concluſa, & licèt jactentur nulla ſeculari literatura nitentia, in quibus commentum Diaboli potiùs, quàm argumentum aliquod fidei deprehenditur, à pio auditu fidelium penitus explodimus, & ut talia & ſimilia caveantur, per omnia auctoritate Spiritûs ſancti interdicimus. Novarum etiam rerum introductores, ne diſtrictiùs feriantur, caſtigandos eſſe cenſemus. De quattuor hiſce capitulis Sirmondus hæc habet: *Et quamquàm quatuor Hincmari capitulis, quibus quattuor Gothoſcalci capitula eliſerat, contraria quattuor Synodus Valentina oppoſuerit, atque hæc ipſa Synodi Valentinæ capitula in Synodo Lingonica poſt hæc confirmata, & in Tullenſi apud Saponarias oblata & relecta &c.* Quantæ verò auctoritatis fuerint Valentini Patres, ipſe Hincmarus teſtatur. *Miramur,* inquit, *de tantis ac talibus Viris Archiepiſcopis & Epiſcoporum primoribus.* Lotharius Imperator Valentinos canones ad fratrem ſuum Carolum Calvum deferendos curavit per Ebonem Gratianopolitanum Epiſcopum, à quo Carolus accepta Hincmaro ſuo tradidit diſcutienda; totum hoc teſtatur Hincmarus. *Hæc eadem namque capitula,* inquit, *ſicut facile reminiſci poteſtis, ante triennium nobis in villa Rothomagenſis epiſcopi, quæ Nielpha dicitur, quando in excubiis contra Nortmannorum infeſtationem degebamus, ſub titulo quaſi in Valentina Synodo conſcripta fuerint anno Incarnationis Dominicæ 855. ſub Lothario Imperatore dediſtis, ut ad illa, quæ nobis viderentur, Catholicè & Orthodoxorum magiſterio reſponderemus:* quod & in præſatione priori latiùs narraverat. Ubi igitur Hincmarus & ſua capitula à Valentina Synodo uti *inutilia, noxia, & erronea, ac veritati contraria* proſcripta eſſe intelligit, ſimúlque ſuum Scotum anathemate fulguritum, manum ipſe operi admovere, aciémque ductare decrevit. Omni igitur abjecto pudore bipedum inſolentiſſimus, &, ut ait Nicolaus Papa, *zeli & invidiæ Diaboli facibus accenſus,* fumum & tartareas fæces in ſanctiſſimos Valentini Concilii Patres evomuit, illos his verbis infamans: *Iſti moderni Prædeſtinatiani, qui quantum reſcire poſſumus, diverſi ordinis & habitus, diverſæque profeſſionis nec ad decimum numerum pervenerunt, in tribus tan-*

cap. 12. de hiſt. prædeſt.

In præf. 2. operis de prædeſt.

in 2. præf. ad Carol. Regem.

Epiſt. 39.

Lib. de prædeſt. cap. 34.

tùm

tùm provinciis contra tantorum doctrinam (ſicut legitur) mures egreſſi de cavernis ſuis, & velut puſtulæ humore noxio de loco in loco ſcatent in corpore, atque velut putres & corruptæ cicatrices eccleſiæ membra fœdare tentantes, ſe Catholicos eſſe dicunt, ſuíſque capitulis, vel potiùs pediculis, eccleſiarum præſules nimio errore & ſine diſcuſſione vel examinatione ordinatos, atque non appropinquantes Apoſtolicæ formæ denotare, ſeu infamare præſumunt. Hæc minùs humaniter Eccleſiam Lugdunenſem, ejúſq; S.mum Remigium Antiſtitem excipiens, ait: *Sed & in præfata ſynodo capitulis, quæ nobis dediſtis, in quaterniunculis unius conſacerdotis noſtri ſeptem ſubjunctas invenimus, non veritate, ſed nomine regulas, quia non fidei, ſicut ibidem ſcriptum reperimus, regulæ, ſed ad infidelitatem ſimplicibus protenſa ſunt retiacula &c.* Anno 859. celebratur Concilium Lingonenſe, à quo inter cætera Valentinæ Synodi canones repetita auctoritate firmantur, iterúmque poſt 15. dies in pleno Tullenſi Concilio 12. provinciarum præſente Carolo Principe relecti ſunt. Quidam Epiſcopi, teſte Hincmaro, ut huic gratarentur, audita eorum canonum propoſitione decreverant (ô modeſtiam Concilio dignam!) blando ſibilo charaxare. Verùm S. Remigius eam deciſionem ferendam curavit, qua Hincmari ac ſociorum dignitati ac Regis Caroli auctoritati meliori modo conſuleretur. Hic ſententiæ tenor eſt: *Relata ſunt denique in eadem ſynodo quædam capitula, ſuper quibus quorundam fratrum ſenſus diſſentire probantur. Unde convenit inter Epiſcopos, ut Deo favente pace & tranquillitate recuperata ſimul conveniant, & prolatis ſanctarum Scripturarum atque Catholicorum ſententiis, quæ ſaniora ſunt, concordi unanimitate ſequantur.* Sanctus Prudentius teſtatur, canones Valentinos à Nicolao Papa confirmatos fuiſſe his verbis: *Nicolaus Papa Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis, & de ſanguine Chriſti, ut pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat, & Catholicè decernit*: quod etiam auctor Annalium Bertinianorum iiſdem verbis teſtatur ad annum 859. cui vel eo major fides habenda eſt, quòd Hincmaro addictiſſimus ſit etiam in contemptum Romani Pontificis, ut ex Rothadi cauſſa deducitur. Nec difficile fuit Nicolao geminam præcipuè prædeſtinationem definire, eam enim olim Hadrianus I. Pont. in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ aſſeruerat, quam epiſtolam Gretſerus anno 1613. Ingolſtadii publici juris fecit.

Lib. &c. c. 31.

Canone 10. Concil. Tullenſ.

Apud Hincm. epiſt. 24.

habetur Tom. I. Vindic. Præd. pag. 1.

Anno ſequenti 860. celebratur Concilium Tullenſe II. ad quod omnes ferè, qui ex 14. Provinciis interfuerant, Epiſcopi convenêre, Hincmarus ne hiſcere quidem auſus, nullum de ſuis Cariſienſibus capitulis verbum habuit, dum tamen Valentini canones per univerſam Europam deferrentur. Quin hac eadem Synodo ſancti Auguſtini doctrina de gratia & libero arbitrio per 57. Epiſcoporum Synodicam fuit ſpecialiter comprobata. Hincmarus verò Valentinorum canonum confutationem ſcriptitabat: ſanè decebat tumultuarios ac furtivos canones ſuos Cariſiacos æquè tumultuario ac furtivo ſtudio defendi; habes Hincmari verba ad Carolum Regem: *Quaſque reſponſiones*, ait, *furatis horulis, & diverſis occupationum diſtentionibus, qui cogitationum ferias non habemus, ſicut de ſententiis ſanctorum Patrum excepimus, ne torpore vel inobedientia à veſtra denotaremur Chriſtiana devotione, committere ſchedulis tumultuario ſermone ſtuduimus.* Dum operi Hincmarus tam diligenter incumberet, Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus Orthodoxæ fidei contra hæreſis Pelagianæ reliquias aſſertor & vindex acerrimus Auguſtini partibus adversùs Scotum & Hincmarum ſtrenuè propugnatis, non minùs morum ſanctitate, quàm doctrina eximius moritur, & Divorum faſtis adſcribitur. De quo Ludovicus ab Angelis ſcribit: *S. Prudentius natione Hiſpanus, cujus feſtum peragitur apud Tricaſſinos VI. Idus Aprilis, errores Pelagii ſuſcitatos à quodam Joanne Scoto ſtrenuè confutat, & illis aſſerit in præfatione ſui libri à Patribus præcipuéque beatiſſimo Auguſtino competentiſſimè abundantiſſiméque reſponſum.* Inſcriptus etiam fuit noviſſimè in Auctario Martyrologii Romani ad Urbanum VIII. Ejus reliquiæ ligneæ capſulæ inſitæ in primaria Tricaſſienſium æde ſervantur, & quotannis ejus feſtum 9. Lectionibus de Comuni Confeſſorum celebratur. Cujus doctrinæ quidam Recentiores detrahere non erubeſcunt, ſed vel eo maximè Auguſtinianus eſſe probatur, quòd illis diſpliceat, qui ne Auctorem ſuum ſemel erràſſe fateantur, Auguſtinum, Prudentium, Fulgentium, cæteróſque Auguſtinianæ palæſtræ frequentatores *immoderatis calumniis impetere non quieſcunt.*

præf. poſter. oper. de prædeſt.

teſte Camuzato in SS. Tricaſſienſibus.

S. Proſp. con. collat. initio.

CAPUT

Caput II.

Hincmari crudelitas in Rothadum & miſerabilem Monachum.

Miſesabilis Monachi obliti ſorſan videbimur, dum longum de illo ſilentium ſecimus, unde eum jam vitâ ſunctum non immeritò quis ſuſpicari poſſet. Vivit tamen infelix, & undecimum in ergaſtnlo annum agit: parùm illi tot ſapientiſſimorum hominum patrocinium, minùs Valentina ac Lingonica Synodus, nihil Tullenſis Concilii decseta profuêſe, crudeliſſimus enim æquè ac doloſus Phasao, quo pluribus ad Monachi libesationem impellebatus, eo ſeveriori carcere miſerum cuſtodit. Ultimas in hoc capite Hincmasianæ fraudis lineas deſcsibimus, & licèt à materia de gsatia & Auguſtini doctrina psorsùs aliena videantur, quæ ſubſequuntur, ex iis tamen Rhemenſis Antiſtitis ac Pelagianæ verſutiæ viſcesa penetrabimus. Hincmarus, quo novorum ſemper cupidum animum expleret, vetuit, ne in ſua diœceſi ampliùs caneretus ille verſiculus omnibus retrò ſeculis ab Eccleſia in fine hymni de pluribus Martyribus recitatus: *Te Trina Deisas unáque poſcimus.* Huic innovationi ſeſe oppoſuêre Monachi Ord. S. Benedicti, quorum unus Ratramnus non exiguo edito volumine ex pluribus SS. Hilarii & Auguſtini teſtimoniis contexto, verſiculum mose ſolito canendum probavit. Hiſce tumultibus ad Gotheſcalcum delatis, illicò Monachus ſchedulam ſcripſit, qua Trinam Deitatem dici poſſe psobavit. Hincmarus gsaviter indignatus, unum Monachum nempe captivum ſuis conatibus seſiſtere, ingens volumen confecit, quo Gotheſcalci ſchedulam exploſit, quem tamen librum niſi mortuo hoſte vulgavit, ut ſecurioses mostuo Leoni leposes inſul-

Hincmar. de non Trina Deit. pag. 552.

tarent. *Hæc omnia*, inquit poſt librum de psædeſtinatione contra Gotheſcalcum & complices ejus, puta, utramque Synodum, Rhemigium, Prudentium, alióſque aſſerentes, *quia ſicut quoſdam ad vitam, ita quoſdam Deus prædeſtinavit ad mortem, de authenticis ſcripturis, & Catholicorum dictis collectum ſtatim in initio ſuæ de Trina Deitate blaſphemiæ collegi, & ſcripſi &c.* Mirase hunc peritiſſimum ac æquiſſimum judicem blaſphemiæ incuſantem illud carmen, quod tot ſeculosum vetuſtas in Eccleſia comprobaverat, & noſtris etiam temposibus inter ſacros hymnos seperitus: *Te Trina Deitas, unâque poſcimus.* Verùm Monachi obtempetare secuſabant, quase Hincmarus more ſolito ad minas converſus: *Denique*

Ibid. pag. 442.

ſi quod abſit, aliquis de fratribus hinc pro finalitate hymni, unde absque ulla neceſſitate exorta eſt iſta cervicoſa contentio, Trinam Deitatem defendendo, vel de prædeſtinatione Sanctorum, & relictione reproborum, vel quod Deus non vult omnes homines ſalvos fieri &c. vindictæ Canonicæ ſubjacebit. Et paullò pòſt, quam canonicam vindictam intelligat, his verbis expseſſit: *Si per contemptum*

pag. 443.

deinceps offenderint (quod dicimus ſatis inviti) quem non correxerint vetera, & cum gradus privatione, atque à corporis & ſanguinis Chriſti ſeparatione, ut Gotheſcalcus pertinaciſſimus damnatus eſt, condemnabitur exilii vel ergaſtuli relegatione. Sed leviosa iſta ſunt Rhemenſis Præſulis deliria, jam ad gsaviora propeso. Hucusque in miſerabilem Monachum debacchantem Hincmasum vidimus, modò ejusdem ſævitiam ac Pharaonicam crudelitatem in optimum emesitæ militiæ virum deteſtemus.

Rothadus veluti Gotheſcalci amicus ſuſpectus esat Hincmaso, ut initio præcedentis capitis obſervavimus: illum igitur à Sueſſionenſi ſede deponere Rhemenſis omnibus artibus ſatagebat, eóque vehementiùs ad tantum ſacinus perpetrandum impellebatur, quòd Rothadum ſuis opinionibus psavíſque doctrinis ſempes reſiſtentem cognoverat, quam psæcipuam depoſitionis ſuæ cauſſam ipſemet in libello ſupplici ad Romanum Pont. teſtatur: *Venerabilis,*

Libellus proclam. Rothadi

inquiens, *Metropolitanus Hincmarus ſanctæ Rhemenſis eccleſiæ Antiſtes quibusdam occaſionibus exortis, acri circa me infeſtatione certans, diu multis ac variis laboribus meam vexabat exiguitatem. Ego autem quantum poteram, illum tolerans in his ei nequaquam pro ſuo libitu acquieſcere volui, quæ ſacris perpendebam auctoribus eſſe contraria.* Jam diu occaſionem quæritabat, quâ Rothadi depoſitionem aliquo modo palliaret. Audi Romanum Pontificem ad Epiſcopos Galliæ hæc perſcribentem: *Notum ſit dilectioni veſtræ fratres mei &*

Ep. 39.

filii cariſſimi, quod quidam Gallorum Epiſcopi zeli & invidiæ Diaboli facibus accenſi, quia mors (ſicut ſcriptum eſt) per invidiam introivit in orbem terrarum, hinc fratri noſtro Rothado venerabili viro inſidiantes, & per octo circiter annos, quemadmodùm illum proprio privarent epiſcopatu, judicio meditati

ſunt

ſunt &c. Sed ne alium ab Hincmaro ibi à Pontifice deſignari putes, audi illum ipſum Regem Carolum alloquentem :
Epiſt. 40. *Sed horum, imò hujus contumaciæ nullus auctor, niſi Hincmarus Rhemorum Epiſcopus extat.* Mirum igitur nulli eſſe debet, Hincmarum & Cariſiacum conventiculum finxiſſe, tantam etiam bilem in ſanctos Prudentium & Remigium evomuiſſe, ac talem denique in miſerabilem Monachum crudelitatem exercuiſſe : ut omittam ab utraque Synodo rebellionem, & immodeſtiam in Tullenſi Concilio, qua auſus fuit cum ſuis *blanda ſibila charaxare*; in cuncta enim, quæ dixi, facinora præceps ruebat *zeli & invidiæ diaboli facibus accenſus*, quibus octo annis ante depoſitionem Rothadi miſerè agitabatur. Ad Rothadum redeo. Hic quemadmodum presbyterum in ſtupro deprehenſum gradu ſacerdotali dimoverat, & alium in ejecti locum ſuffecerat, ídque 33. Epiſcoporum judicio peractum
Rotbad9 in libello ſupplici ad Pont. fuerat. Hincmarus, cui uti Metropolitæ Sueſſionenſis Eccleſia ſubdita erat, ſtupratorem illum in ſua primùm diœceſi ſacra facere permiſerat, dein poſt triennium Rothado ut par erat reclamante parochiæ Sueſſionenſi reſtituendum curavit; eum verò, quem Rothadus in depoſiti locum ſubſtituerat, loco motum ad ſe trahi juſſit, & carcere more ſolitæ feritatis incluſit; huic violentiſſimæ, iniquiſſimæ, ac injuſtiſſimæ oppreſſioni reſiſtentem Rothadum minis ac cenſuris priùs aggreditur; tandem anno 862. in Piſtenti Synodo ut contumaciæ & obſtinationis reum denunciat, coram Patribus trahit, increpat, damnat. In quo ſanè Concilio quas partes Hincmarus egerit, Rotha-
Ibidem. dus ipſe teſtetur : *Meus Archiepiſcopus voluntatis ſuæ propoſitum, quantum poterat, implere curavit, factúſque eſt gravis meus accuſator, ipſe teſtis ipſéque judex. Et ſicut me abſentem prout valuit culpabat, ſic & temerè judicare nec timuit, nec retractavit.* Poſteà: *Tanquam Imperator triumphans, & tanquam Sum̃us Eccleſiæ Pontifex decernens ſubjugata ſuo potentatui, & oppreſſa fratrum humilitate jam mihi intrepidè, & ut reor impiè depoſitionis judicium emiſit, parvipendens, quòd ulli ulteriùs inde eſſet rationem redditurus, & quaſi hoc nulli deberet in ſe ipſo confidens.* Rursùs: *Tunc è veſtigio tanquam in latronem, more ſatellitum homines in me manus injecerunt, méque rapaciter ad carceralem duxêre cuſtodiam. Quantis poſteà ſim affectus injuriis, ac per diverſa loca diſtractus, quanto fuerim labore fatigatus, tædet me pudétque referre: adhuc namque coarctare ſatagebant interdum aliquat honores, id eſt, unam abbatiam repromittentes atque ſpondentes, tantum ut in meam damnationem ega ſubſcriberem* &c. Sic Rothadus violentiſſimam, quam ab Hincmaro tulit, oppreſſionem oſtendit, quam ubi primùm Nicolaus Pontifex per Rothadi Epiſt. 29.
literas intellexit, ſtatim ad Hincmarum epiſtolam dedit cenſuras minitantem, conqueſtus, quòd Rothadus *cùm debuerat honoribus pra ſua ſenectute multiplicibus ampliari, & pro tat laboribus ac obſequiis in Eccleſia Dei pariter & principibus mundi fideliter ac utiliter impenſis, majori dignitate frui, & jam tandem ſine cujusque impulſione quietus exiſtere, nunc econtra dehoneſtatus, & ad injuriam B. Petri Apoſtalorum Principis, cujus ſedem appellaverat, fame & ſiti, ac innumeris maceratus miſeriis, ac depoſitus pariter & abjectus exiſtis.* Reſtitutionem jubet, urgétque, quibus ſi obtemperare recuſet, poſt menſem ſacris ſe interdictum ſciat. Altera etiam epiſtola hortatur Carolum Regem, ut Rothadum honori priſtino reſtituendum curet. Hincmarus Apoſtolicas haſce literas acceptas ne quidem legere dignatus eſt. Tene verba Pontificis ſcelus Hincmaro exprobrantis. *Quam epi-* Epiſt. 41.
ſtolam contemplatus etiam ſalo tactu indignam judicans, Dioſcarum in hoc imitatus ſaltem hanc legere nullo modo conſenſiſti. Summus Pontifex vehementiùs indignatus, omnibus Epiſcopis, qui Rothadum judicaverant, præcipit, ut intra 30. dies illum liberent; ni faciant, à miſſarum ſolemniis excludit. Altera rursùs epiſtola Hincmarum hortatur ad obedientiam, quòd ſi pertinax maneat in propoſito, proſcriptionem veluti ſacrorum canonum contemptori intimat. Tertia etiam epiſtola Regem ipſum omnium mandatorum certiorem facit. Hincmarus crimini novum crimen annectens, Pontificis literas per quattuor menſes ad ſe ſecretas detinens, nemini paſſus eſt eas revelari. Audi Pontificem apud Regem Hincmarum fraudis accuſantem.
Denuò frater naſter Hincmarus in con- Epiſt. 40.
tumelia noſtra verſatus, non ſolùm non abedire nabis delegit, verùm etiam epiſtolam noſtram, quam ad eum & ad Epiſcopos, qui in depoſitione Rothadi ſibi conſenſerunt, miſeramus, apud ſe per quattuor menſes retinens, quæ de Rothado decrevimus, etiam inter hæc diverſis

aliis pro hac eadem cauſſa noſtris epiſtolis per nonuullos directis crebro contemptis agere recuſavit. Sed durior erat Rhemenſis Pharao, quàm qui duplici Romani Moyſis correptione emollitus, Rothadum ſuæ libertati donaret. Quinta etiam epiſtola contumax Hincmari pervicacia pulſanda fuit: *Miramur*, inquit Summus Puntifex ad Hincma- Epiſt. 37. rum, *& æquanimiter ferre non poſſumus, cur Apoſtolica noſtra monita jam toties pro confratre noſtro Rothado Epiſcopo vilipendens, ſpernere non recuſes, de quo non ſolùm ter, ſed & quater charitati tuæ, ut recuperaretur, direximus, & ad ultimum ſtatuimus, ut aut honori priſtino redderetur, aut kal. Maij iſtius XII. Indictionis Apoſtolatui noſtro cum Legatis ſuis præſentaretur, quod non tantùm fieri renuiſti, ſed etiam cùm ipſe venire vellet, itérque jam cœptum haberet, non eſt permiſſus, ſed potiùs coactus retrò reverſus eſt, in quo datur intelligi, ut tua fraternitas ad hujus caſum prompta exiſtere poſſit, quando ei Apoſtolica præceptio ad injuriam B. Petri Apoſtoli illis in partibus non obſervatur, & à te ſpernitur, ac violatur &c.* Hincmarus tot repetitis Summi Pontificis mandatis compulſus, Rothadum cum accuſatoribus Romam dimittit; qui per octo circiter menſes coram Nicolao examini ſubjectus eſt, in quo, utì poſteà idem Pontifex ad Regem Epiſt. 40. ad Regem Carolum. ſcripſit, *omnia falſitatis argumenta deſtructa ſunt, & fabricatores mendacii terga ſubitò converterunt; At verò Rothadus Epiſcopus conſcientia purus, converſatione innocens, columbarum ſimplicitate ac prudentia ſerpentis inſignis, cùm ad examen Rom. Eccleſiæ ventum eſſe perſpexit, ubi nullum ſuſpectum habet, nullum inimicum paſſus eſt.* Probè igitur Rothadi innocentia cognita Summus Pontifex die vigiliarum Nativitatis Domini in Baſilica S. Mariæ Majoris inter Miſſarum ſolemnia de cauſa Rothadi ſermonem fecit, in quo miris laudibus viro innocenti celebrato ipſum Hincmarum nomine deſignato reprehendit: *Nimium abſurdum eſt*, inquiens, *quod Hincmarus fingit* &c. Abſolutum poſteà Rothadum unà cum Arſenio de Latere Legato in Gallias *Epiſt. 40. miſit unà cum epiſtolis ad * Principem, ** 41. ** Hincmarum & † Sueſſionenſem po- †42. ‖43. pulum, & †† univerſos Epiſcopos Galliæ, in quibus acriter in Hincmarum invehitur. Sanè ad ipſum Hincmarum hæc habet: *Contra appellantem Sedem Apoſtolicam eundem* (*Rothadum*) *venerabilem virum tanta molimina tantáque præparare machinamenta minimè formidaſti, ut poſtquam data ſibi Romam veniendi licentia fuerat, priúſque ſibi & Regi valefaceret, poſteà hunc à noſtro examine ad tua* (*ut ita dicam*) *tribunalia deduxeris, quia Synodus dici non poteſt, ubi noſter nullus præbetur aſſenſus, & ingredi Prætorium nolentem depoſitioni tyrannico more ſubjiceres, occaſionem ſumens de quadam epiſtola, tanquam Rothadus, poſtquàm ad noſtrum appellaverat judicium, rurſùs ad veſtrum mutata voce provocâſſet, quod omnino falſum eſt.* In epiſtola verò ad plebem Sueſſionicam quaſi ſuprema hujus reſtitutionis coronide Nicolaus Pontifex proteſtatus eſt, hoc opus eſſe dexteræ Excelſi, inde Rothadum quaſi alterum Athanaſium ab Hincmaro, ut illum ab Ario calumniam paſſum commendans: *Habetis*, inquit, *præterea in hoc beatæ recordationis Athanaſii prudentiſſimi ſacerdotis exemplum, cujùs tolerantia cui non conſolationi ſit? cui non ſpem faciat ejus inexſpectata reverſio? Ejicitur Ario perſequente, ſed revocandus Domino proſequente. Paſſus eſt carcerem, paſſus eſt anguſtias &c.* Sancti autem Papæ Cœleſtini verba ſunt hæc, quæ nos Rothado poſſimus non inconvenienter aptare, præter quod ille Reverendi Athanaſii & blaſphemi Arii mentionem fecit, inpræſentiarum verò Hincmarus perſequens, & Rothadus innocens in cauſa ſunt. Hæc de Rothadi innocentia dicta ſufficiant; alio enim Hincmari nequitia vel nolentem trahit; ſiquidem, ut Cariſiaci conventiculi fraudes & Hincmariana crudelitas manifeſtior evadat, Vulſadi & ſociorum tragœdia hìc inſerenda eſt, quæ unà cum iis, quæ de Rothado narravimus, non exiguam dicendis de Gotheſcalco afferet lucem.

Anno 853. Hincmarus celebraverat ſynodum apud urbem Sueſſionum in monaſterio ſancti Medardi, in qua præcipuè Vulſadi ac ſociorum depoſitio confirmata fuerat, cujus depoſitionis approbationem iteratam ſuis fraudulentiſſimis artibus ſurripuerat. Vulfadus illatam ſibi injuriam diu diſſimulavit, donec ſupplici libello Romam miſſo Romanum Pontificem appellavit. Nicolaus Arſenio in Gallias de latere Legato unà cum Rothado proficiſcenti recognoſcendæ Vulſadi cauſæ curam commiſit. Hic cum Hincmarum ad dicendam cauſſam ad ſe vocâſſet, illius tamen literas accepit, in quibus quantum ad Vulfadum alióſque depoſitos clericos pertinebat, reſpondit: *Ego*

eos non judicavi, neque dejeci, neque cum judicibus eorum ſubſcripſi. Hac Rhemenſis Antiſtitis reſponſione Romam ab Arſenio miſſa anno 866. ipſe Sum̃us Pontifex, qui ex Rothadi vexatione Hincmari fraudes benè noverat, Vulfadi cauſſæ dijudicandæ totus in-
ad annũ 866. cumbit, *& cuncta* (verba ſunt Baronii) *quæ per Hincmarum adversùs clericos illos geſta eſſent in utroque Sueſſionenſi Concilio, confutans eum, & convincens multipliciter, iniqua falsáque fuiſſe diſſolvit, & Vulfadum, & reliquos Remenſes Clericos deſtitutos ſuis ordinibus & honoribus reſtituit.* Quæ ſententia ut faciliùs executioni mandaretur, literas in publico Sueſſionenſi Concilio hac decauſſa cogendo coram Principe legendas direxit: in quibus perſpectis Hincmari in hac Vulfadi controverſia fraudibus, dolis, ac mendaciis, eundem ſuperbiæ, doloſitatis, ac crudelitatis publicè criminatus in-
Hincmari ep. 26. ad Nicol. PP. crepavit. Audi ipſum̃et fraudum Architectum injuſtè à Romano Pontifice illatas ſibi injurias coram ipſomet judice conquerentem: *Modo cum tumore, quem quantum potui ab ineunte ætate vitavi, doloſitate atque crudelitate apud ſanctam & prudentiſſimam ſimplicitatem veſtram videor denotari.* Verùm leviter Hincmari animum illæ literæ perſtrinxerunt; nam audaciſſimè in Concilio Sueſſionenſi quantum potuit Vulfado refragatus eſt. Quare ne ſchiſma erumperet, cùm præcipuè ipſe Carolus reſtitutionem urgeret, res integra per Egilonem Romano Pontifici decernenda defertur. Hincmarus Egilonem præ cæteris ad eam legationem ſubeundam elegerat; quare longa epiſtola ad illum ſcripta, quid cum Romano Pontifice agendum, quid ſubticendum docuit. Monuit Egilonem, ut presbyteros à Synodo juſtè damnatos fuiſſe probet, multa ea ſuggerens, quibus Pontificis animum à Vulfadi
Ibidem. reſtitutione avocari poſſet: *Sed ſi locum videritis*, aulicè inquit, *Domno Apoſtolico aperire debetis, quoniam multi jam dicunt, ſi illa firma non fuerunt, quæ tunc inde confirmata ſunt, nec iſta quæ modò fiunt, firma erunt; & nihil eſt jam firmum, quod Epiſcopi & Apoſtolica Sedes decernunt; neque de noſtris judiciis, nec etiam de excommunicatione curant; nec presbyteri à nobis degradati pro noſtro judicio ſuum miniſterium dimittent, quia nihil eſt firmum, quod agimus, ſed ſicut vult Rex, & ſicut nos aut odium movet, aut gratia, aut cupiditas, aut timiditas, ita & noſtra & Apoſtolicæ Sedis vadunt judicia.* Tandem Egiloni excuſationem ſui coram Pontifice habendam urget his verbis: *Peto etiam, ut ad hoc, quod Domnus Apoſtolicus mihi ſcripſit de duritia Pharaonis, ſicut in epiſtola mihi miſſa legetis, ei ex ordine condicatis, quàm benignè eosdem fratres & anteà & pòſt tractavi, ſicut etiam ipſis in Synodo comprobavi, ne talem me exiſtimet, ſicut me æmuli mei illi depingunt &c.* Porrò quid ad Epiſt. 46. Nicol. PP.
Egilonis relationem actum fuerit, ſatis ex literis Nicolai Pontificis intelligitur. Sanè in epiſtola, quam ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis dedit, tot increpationibus Hincmarum perſtringit, ut ipſemet hypocrita ad Pontificem reſcripſerit: *Tales ac tantas increpatio-* Hincmari ep. 26. ad PP.
nes dignitati meæ à dignitate veſtra inlatas inveni, ſicut peccata mea merentur. Primò quidem falſitatis notatur circa acta Concilii Sueſſionenſis anni 853. *in quibus*, inquit S. Pontifex, *quanta reprehenſionum inveniatur congeries, ſi voluerimus exhibere per ſingula, faciliùs chartæ quàm verba deficient; ibi namque falſitas in ipſo mox actionum invenitur principio.* Secundum tyrannicum agendi modum Hincmari in Synodis accuſat: *Ibi Metropolitanus Antiſtes modò ſua jura deponit, modò reſumit, modò ſubeſt Synodo, modò præeſt, modò quaſi accuſatus, modò accuſator, modò judex accedit, & pro libito vicibus alternantibus cuncta diſponens, more cujusdam animantis non ſemper unius ejusdémque coloris apparet.* Tertiò narrat, quomodo Hincmarus ſubdolè confirmationem Sueſſionenſis conſeſſus ab Apoſtolica Sede ſubripuerit, his verbis: *Hincmarus arma præparat, & eidem ſummo Præſuli, tanquam ſuarum inexperto verſutiarum latenter ſubripit &c.* Quartò increpat Hincmarum veluti Apoſtolicarum literarum corruptorem: *Frater verò Hincmarus*, inquit, *quædam addens, plura ſubtrahens, vel commutans*, aliter proſecutus eſt. Quod verò per Arſenium Legatum Summus Pontifex primùm, dein per Egilonem Nicolao Hincmarus ſignificandum curaverat, ſe nec in Vulfadum ſententiam tuliſſe, immò illam ne ſubſignâſſe, riſu digniſſimum reputans addit: *Illud tamen videre libuit, quod idem Antiſtes crebro memoratos clericos ab officio ſe minimè ſuſpendiſſe, vel judicâſſe, aut à gradibus ejeciſſe fatetur. Non modò enim illorum depoſitioni ſubſcripſit, ſed totius*, inquit Pontifex, *depoſitionis ſeriem ſcripſit.* Libeat hîc rationem tam falſi ju-

dicii ex ipſo Nicolao in eadem epiſtola annectere: *Sed quid mirum*, ait, *ſi textus & finis ejusdem Concilii accepti non ſunt, quando in nomine Domini juxtà morem inchoatum non eſt? Nam cum Apoſtolo omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu facienda præcipiente ritus eccleſiaſticus in colligendis Conciliis id obſervet, & in hoc duntaxat abdito permittente divino judicio fuerit prætermiſſum conſtat procul dubio non eos in nomine Domini congregatos extitiſſe, ac per hoc eum minimè in medio ſui habuiſſe, qui tale concilium, imò conventicula ſua de ſanguinibus contra Pſalmiſtam congregavêre.* Hæc ibi Nicolaus Pontifex. Hincmarus igitur tot criminum reus falſarius, mendax, verſutus cavillator, impoſtor, varius, inconſtans, Camaleon, ac penè divini Numinis, cujus patrocinium implorare recuſaverat, contemptor, poſt ſapientiſſimos Sueſſionenſis Synodi Patres, immò ipſos Romanos Pontifices deceptos aliquam apud poſteros fidem merebitur? Eodem anno 853. Sueſſionica conventicula de ſanguinibus, & Cariſiaca inde placita celebravit. Si in priori Concilio nullam cœleſtis Spiritus opem imploravit, quam in poſteriori tot peccatis obnoxius deprecatus eſt? Porrò ſubdolas artes, quibus in conventibus Hincmarus utebatur, ſiquis intimiùs penetrare voluerit, audiat fidiſſimum illius Achatem in epiſtola, qua Hincmaro pro recuperata ſalute gratulatur: *Si contigiſſet*, inquit, *mihi cæteriſque fidelibus veſtris, modo quod Deus avertat, plus aliquid contrarietatis in hac veſtra infirmitate, optabam me, aut cito vos ſecuturum, aut nullatenus in aliquam Synodum progreſſurum.* His lectis nullus exiſtet, credo, adeò bardus ingenio, qui omnem Hincmari fidem in furtivis ſuis conventiculis abrogandam cenſeat, ſiquidem magnæ prudentiæ eſt, nunquam illi fidere, qui te vel ſemel deceperit.

Caput III.

Gotheſcalcus ab Hincmaro vexatur, tandem moritur.

Expedita utraque Rothadi & Vulfadi cauſa, modò ad Gotheſcalcum deſcendimus, à cujus moleſtiori vexatione Hincmarus licèt tot rebus diſtentus nunquam abſtinuit. Dum Rothadi cauſſa altiùs Romano Pontifici corde inhærebat anno 863. miſſi fuerunt à Nicolao Legati, qui Metis conſilium in cauſſa Teutbergæ Reginæ injuſtam à marito repulſam paſſæ tenerent, quibus injunxit, ut per Galliam tranſeuntes de Rothadi depoſitione, & Gotheſcalci etiam damnatione perquirerent. Legati ad judicium Hincmarum literis compellârunt jubentes, ut ſecum etiam Gotheſcalcum adduceret. Hincmarus ſolita pertinacia parere contempſit, hoc impio prætextu, quòd Gotheſcalci cauſſa eorum Legatorum minimè intereſſet; quam vecordis animi pertinaciam ipſimet Romano Pontifici patere non erubuit. *De quo*, inquiens, *Gotheſcalco nihilominùs ut rederem rationem, quidam Epiſcopi, quorum nihil de illo intererat, &c. literis vocaverunt.* Hincmarus veritus ne apud Pontificem in Rothadi & Gotheſcalci cauſſa contumaciæ accuſaretur, Luidoni pro Rege apud Pontificem Legato enixè cauſſam commendavit. Cum hoc Luidone inter cætera de injuſta ac crudeli Monachi vexatione ſermonem habuit, quod fatetur Hincmarus his verbis ad Romanum Pontificem: *Cæterùm Luido mihi dixit, quod cum eo rationem de damnatione & recluſione Gotheſcalci habuiſſetis*; in qua quidem epiſtola emendicatis excuſationibus ac fictis accuſationibus ſuam crudelitatem juſti prætextûs velo palliare ſtudet. Tandem Rothadum Romam dimittere coactus per vicarios ſuos illum paulò pòſt ſubſecutos Romano Pontifici literas deferendas emiſit, in quibus, ut cætera omittam, Gotheſcalci errores latè exaggerat, ejúſque hæreſes has eſſe, quæ ſequuntur, ſignificat. Verba autem Hincmari de Gotheſcalco:

Epiſt. 17. apud Flodoardum lib. 3. cap. 14.

Epiſt. 17.

Dicit primò, quoniam ſicut Deus quosdam prædeſtinavit ad vitam æternam, ita quosdam prædeſtinavit ad mortem æternam. Porrò Gotheſcalcum per τὸ *mortem æternam* non intellexiſſe malum culpæ, ſed malum pœnæ accepiſſe, ex verbis ejus apud Hincmarum ipſum colligitur, ibi: *Præſcivit inquam illos peſſimum habituros ortum, pejorem obitum, prædeſtinavit autem eos ad luendum perenne tormentum, & ſempiternum interitum.* Quæ ſanè doctrina tota tota ex S. Auguſtino deſumpta eſt, teſte D. Fulgentio dicente: *Nihil aliud accipiendum exiſtimo in illo S. Auguſtini ſermone, quo ad interitum quosdam prædeſtinatos firmat, niſi ad interitum ſupplicii, non delicti, nec ad malum, quod injuſtè admittunt, ſed ad cruciatum, quem juſtiſſimè patientur* &c.

Cap. de Prædeſt.

Lib. p. ad Monim. c. 5.

Quam

Quam ſententiam pluribus aliis ex S. Fulgentio authoritatibus probaverat Hadrianus I. Pontifex in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ; quæ etiam veritas definita fuerat in utraque Synodo Valentina & Lingonenſi, & in majori Tullenſi Concilio relecta; Synodorum

Canone 3.

verba ſunt: *Pœnam ſanè malum meritum eorum ſequentem, uti Deum, qui omnia proſpicit, præſciviſſe & prædeſtinâſſe, quia juſtus eſt.*

Epiſt. eadem.

Sequitur altera hæreſis Gotheſcalci his verbis expreſſa: *Dicit, quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines ſalvos fieri, ſed tantùm eos, qui ſalvantur; omnes autem ſalvari, quoſcunque ipſe ſalvari voluerit; ac per hoc quicunque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius, ut ſalventur; quoniam ſi non omnes ſalvantur, quos vult Deus ſalvos fieri, non omnia quæcunque voluit, fecit, & ſi vult, quod non poteſt, non omnipotens, ſed infirmus eſt. Eſt autem omnipotens, qui fecit quodcunque voluit, dicente ſcriptura: Omnia quæcunque voluit, fecit Dominus in cœlo & in terra &c.* Et hæc pariter Gotheſcalci aſſertio ejúsque probatio deſumpta eſt ex Enchiridio S. Auguſtini cap. 96. & 97. ut Adverſarii ipſi fatentur. Sequitur Hincmarus: *Dicit, quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt: quod non pro totius mundi redemptione & non pro omnium hominum ſalute & redemptione Dominus & Salvator Noſter Jeſus Chriſtus ſit crucifixus & mortuus, ſed tantùm pro his, qui ſalvantur.* Sanè hæc propoſitio eſt hæretica, meritóque ab Iñocentio X. proſcripta; ſequeretur enim, omnes Chriſtianos reprobos in baptiſmate, & antequam in peccata dilaberentur, vel nullam habuiſſe gratiam, quod eſt idem ac dicere, ſacramenta nulla ſuſcepiſſe, quod blaſphemum, vel gratiam illam non fuiſſe ex meritis Chriſti, quæ æqualis immò major blaſphemia eſt. Verùm Hincmarum inimica manu eam propoſitionem Gotheſcalco impoſuiſſe, ex libello ipſius miſerabilis Monachi apertè colligitur, in quo fidei ſuæ profeſſionem emittendo ait:

Apud Hincm. de prædeſt. cap. 29.

Quod Deus noſter omnipotens omnium creaturarum conditor & factor electorum tantummodo cunctorum gratuitus eſſe reparator dignatus eſt & refector, nullius autem reproborum perpetualiter eſſe voluit Salvator, nullius Redemptor, & nullius coronator: alludens ad illa verba Auguſtini, qnibus fideles reprobos ait non perpetualiter, ſed temporaliter gratiam ſuſcepiſſe: *Et rursùs*, inquit, *ſunt quidam, qui filii Dei propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Dei, de quibus poſteà ſubdit, quod temporales ſunt.* Lib. de cor. & grat. c. 9.

Sed dubia ſint omnia, appello in teſtem Hincmarum, qui de S. Prudentio loquens ait: dicítque in ſuprà memorata epiſtola cap. 3. *Ut credat, & confiteatur ſcilicet ordinandus cum omnibus Catholicis, ſanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fuſum, non autem pro illis, qui nunquam in eum crediderunt, nec hodiéque credunt, nunquam nec credituri ſunt, dicente ipſo Domino: Venit enim filius hominis non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Sed & Gotheſcalcus in hanc venit ſententiam.* cap. 13. in fin. Lib. de prædeſt. cap. 33.

Nihil evidentius requiri poteſt pro Gotheſcalci defenſione. Porrò non pro omnibus hominibus mortuum eſſe Chriſtum Dominum, ex Scriptura & SS. Patribus non obſcurè (f) deducitur. Tene verba B. Lupi Abbatis Ferrarienſis in epiſtola ad Carolum Regem: *Poſtremo quos redemerit, inquit Dominus, ſanguine ſuo, evangelica lectione colligitur apud Mathæum: Bibite, inquit Dominus, ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* cap. 26. v. 27. *Apud Marcum: Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* cap. 14. v. 24. *Apud Lucam verò: Hic eſt calix novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur.* cap. 22. v. 20. *Duo ergò Evangeliſtæ ponunt pro multis, unus pro vobis, quia & diſcipuli multis annumerantur. Nullus pro omnibus.* Hæc ille. S. Auguſtinus ait: *Sicut omnis, qui Chriſti ſanguine redemptus eſt, homo eſt; non tamen omnis, qui homo eſt, etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt.* Idipſum S. Hieronymus aſſeruit his verbis ſuper illud Mathæi: *Et dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* cap. 20. v. 28. *Quando ait: formam ſervi accepit, ut pro mundo ſanguinem funderet, & non dixit, dare animam ſuam redemptionem pro omnibus, ſed pro multis, id eſt, pro his, qui credere voluerint.* Vides Gotheſcalcum ac S. Prudentium ex D. Hieronymo illam ſententiam mutuatos fuiſſe? Eundem Hieronymi ſenſum Beda ſecutus eſt in explanatione capitis 10. D. Mar-

P 3 ci,

(f) Scripturæ & Patrum doctrinam Synodus Tridentina proponit ſeſſ. 6. cap. 3. his verbis: *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: ſed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.*

verſ. 45. ci, dum ait: *Non dixit dare animam ſuam pro omnibus, ſed pro multis, & pro his qui credere voluerint.* Idem etiam Hieronymus ediſſerens illud
Pſal. 43. v. 13. Pſalmi: *Vendidiſti populum tuum ſine pretio: usque nunc*, inquit, *de ſe locuti ſunt Martyres, nunc de Judæorum populo dicunt, quibus dictum eſt, in peccatis veſtris venditi eſtis, & ideò ſine pretio, quia non eſt effuſus Agni ſanguis pro eis.* Porrò tres relatos errores, quorum Hincmarus apud Pontificem Gotheſcalcum accuſat, olim impoſiti etiam fuerant S. Auguſtino. Primus ſc. de prædeſtinatione ad interitum, ut vidimus apud Fulgentium: & cap. 1. & 3. & 11. Gallorum & 3. & 5. & 8. & ſeq. Vincentianarum objectionum apud S. Proſperum. Secundus error habetur in cap. 2. Vincentii, & cap. 8. objectionum Gallorum. Tertius verò cap. 9. Gallorum, & capite 1. Vincentii. Verùm S. Proſper adeò apertè Gotheſcalci & S. Prudentii ſententiam aſſerit, ut nullus penè ſuperſit dubitationi locus.
in reſp. ad p. Vincent. *Quod ergò*, inquit, *ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam & unam omnium cauſſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicamur redempti, & tamen non omnes à captivitate ſunt eruti. Redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa Diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. Cujus mors non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent.* Et alibi poſtquam pro fidelibus Chriſti Domini ſanguinem effuſum aſſeruiſſet, ait:
in reſp. ad 9. Gallorum. *Cùm itaque rectiſſimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Hæc Auguſtini diſcipulus, non Gotheſcalcus aliquis, vel Prudentius. Quare redemptio illa Chriſtianorum reproborum incompleta eſt, & ſi aliam efficaciſſimam conſideres, parvi facienda. Hinc S. Prudentius, S. Remigius, uterque Lupus, magiſter Florus, Eccleſia Lugdunenſis, utraque Synodus Valentina & Lingonica (nec Tullenſis abhorruit) ſanguinem Chriſti pro ſolis fidelibus effuſum fuiſſe docuerunt; quod & à Summo Pontifice Nicolao approbatum teſtantur S. Prudentius, hujúsque adverſarius ac calumniator Bertinianus Chroniſta. Immò eadem fuit ſententia Scriptorum illius ſeculi præſertim B. Paſchaſii, & Haymonis, qui Gotheſcalcanæ cauſſæ non ſe immiſcuerunt. Paſchaſius in 26. Matt. exponens verba illa: *Qui effuſus eſt pro multis in remiſſionem peccatorum; pro multis quidem*, inquit, *ſed non pro omnibus, quia non omnes credunt Evangelio*: Haymo verò Alberſtatenſis in illa verba: * *Qui vult omnes &c. ſubaudis, qui ſalvantur.* Et paullò pòſt ad illa: ** *Qui dedit redemptionem pro omnibus: ſubaudis*, inquit, *electis, hoc eſt vel ad gloriam vel ſolùm ad fidem.* Hinc S. Thomas apertè pronunciavit, Chriſtum in cruce non oráſſe pro omnibus hominibus, aliàs exauditus fuiſſet pro reverentia ſua, immò nec pro iis, qui credituri erant, ſed tantùm pro electis, quos illi Pater crediderat, ne perderet ex eis quemquam. Quartam Gotheſcalci hæreſim ſcribit Hincmarus: *Exponens ſententiam Apoſtoli Petri, eum qui eruit eos Dominum negantes: Baptiſmi*, inquit, *Sacramento eos eruit, non tamen pro eis crucem ſubiit, neque mortem pertulit, neque ſanguinem fudit.* Verùm non adeò ſtupidus erat Monachus, ut negare auſus fuerit, merita ac gratiam, quæ baptiſmum veluti cauſſam conſequitur, eſſe ex meritis paſſionis Chriſti; ſed lege Auctorem cap. 22. Hincmari fraudes reprehendentem. Ultimam hæreſim fingit. *Quod Prædeſtinatiani veteres non dixerunt, iſte ut audaciùs, ita pernicioſiùs dicit: Deitatem S. Trinitati trinam eſſe*: Et poſteà addit: *Sunt & alia, quæ ipſe & alii plures in iſtis partibus dicunt, quæ nobis ſanæ fidei adverſari videntur.* Majoris ac gravioris criminis arguit illam propoſitionem, in qua nullum eſt crimen; ſed univerſalis Eccleſiæ calculis etiamnum approbata, uti ſuprà notavimus. Si igitur Gotheſcalcus, in quo maximè peccâſſe aſſeritur, innocens reperitur, ſceleri obnoxium putabimus, in quo, vel adverſario judice, minori reprehenſione dignus eſt? Habes paucis Gotheſcalcanæ hæreſis ſummam inimica manu ad ſupremum orbis tribunal adductam. Recenſitis ſuppoſititiis illis erroribus, concludit Hincmarus, quod ſi ſua Sanctitas Gotheſcalcum Romam mittendum juſſerit, *veſtris juſſionibus*, inquit, *nullo modo reſultabo.* Papæ obedientem

(Marginal notes: 1. Timot. 2. 4. — * ; v. 6. — **)

tem virum! Hiſce literis ad Romanum Pontificem per Hincmari Vicarios delatis, parum, immò nihil è voto accu-
Epiſt. 41. ſatoris ſucceſſit. Sed idem Pontifex ſingulari epiſtola Hincmarum tyrannidis, falſitatis, contumaciæ, & prævaricationis in cauſſa Rothadi convincit, eique, ni propoſito ac cœpto deſiſtat, depoſitionem & carcerem talionis nomine minitatur, in qua ſanè epiſtola nec verbum quidem de Gotheſcalco reſcribit, ſed Arſenio Legato, qui Rothadum ad Gallias in ſuam ſedem reducturus erat, Gotheſcalcanæ cauſſæ ac damnationis munus injungit. Arſenius cùm primùm in Galliam pervenit, ut in mandatis habebat, ſuperbiſſimum illum Hincmarum non ampliùs ut Judicem, ſed ut reum ſibi ſiſti præcepit, qui ſcriptis tamen facti rationem reddidit. Audi Hincmarum indignationis Pontificiæ cauſſas quæritantem; ſcripſerat enim Nicolaus Regi Carolo, Sum̃um Pontificem Hincmarianæ nequitiæ patrocinium ſuſcipere: *Dominus* (verba ſunt Hincmari hoc ipſum referentis) *Apoſtolicus Domino Regi Carolo de me ſcripſit, quia ſemper me tegere non debet à talibus, nec valet &c. Nam ego neſcio, in quibus Domnus Apoſtolicus tam ſæpè ſe texiſſe me dicat. Si de Gotheſcalco dicit, de quo, ſed & de præfatis ordinatis, ab Arſenio ſcripto interrogatus, ſcriptis rationem reddidi, eundem Gotheſcalcum à duabus Synodis damnatum jubentibus Epiſcopis, poſtquam judicatus fuit, cuſtodiendum accepi, ne aliis ſua perverſa dogmata nocerent &c.* Gotheſcalcus cùm omnem, quam in Arſenio ſpem collocaverat, evanuiſſe cerneret, certéque ſciret, Pharaonis crudelitatem nulla re emolliri, nedum frangi poſſe, monitus ex cauſſa Rothadi ſui Epiſcopi, ad Rnmanum Pontificem appellationem ſibi decernendam duxit. Igitur poſt octodecim annos inter carceris anguſtias miſerè exactos furtim per Guntbertum Monachum ad Sedem Apoſtolicam reclamationem perferendam curavit. Ubi primùm Monachum illum magnis itineribus Romam properaturum, Hincmarus aufugiſſe cognovit, ſtatim ad Egilonem Senonenſem Archiepiſcopum Romam à Sueſſionenſi Synodo pro Vulfadi ac ſociorum controverſia dirimenda delegatum literas miſit, in quibus de Guntberti fuga ait; *Sicut mihi dictum eſt, quaſi ipſius Gotheſcalci reclamationem vult perferre ad Domnum Apoſtolicum, videns qualiter illa adverſum me, quæ de iſtis partibus ad illum veniunt, ſuum curſum accipiunt.* Poſteà quæ circa Gotheſcalcum cum Arſenio egerit, exponit: addit deinde ſe paratiſſimum eſſe ad dimittendum Gotheſcalcum, ut *ſuam doctrinam*, inquit, *ſive Synodus, ſive quilibet Epiſcopus audiat, & ſi bona eſt, ſequatur, ſi prava eſt, ab eis, qui eum audierint, refellatur, & illi, quibus hæc com̃endaverit, facient de illo, quod ſacris regulis viderint convenire, ſicut illi de eo fecerunt, qui ſe ſacras regulas intellexiſſe putârunt, nihil mea intereſt.* Poſteà quinque, ut ipſe putat, errores Monachi enumerat. Monet etiam Monacho illi plures patrocinari, inter quos Prudentius Tricaſſinus Antiſtes: *Qui etiam*, inquit, *Domnus Prudentius in Annalibus geſtorum noſtrorum Regum, quæ compoſuit, ad confirmandam ſuam ſententiam geſtis anni Dominicæ Incarnationis* 859. *indidit dicens: Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis, & de ſanguine Chriſti, ut pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat & Catholicè decernit: Quod per alium non audivimus, nec alibi legimus. Unde quoniam ipſa geſta, quibus hæc conſcripta ſunt, jam in plurimorum manus devenerunt, neceſſe eſt, ut taliter de hoc Domno Apoſtolico ſuggeratis, ne ſcandalum inde in Eccleſia veniat, quaſi ipſe, quod abſit, talia ſicut Gotheſcalcus ſentiat.* Deinde cùm probè jam ſciret, Hincmarianas technas Nicolao abundè innotuiſſe, *precor*, ait, *ut de mea parte nihil ei dicatur, quia commotum dicitur habere animum ſuum erga me multis ad eum contra me ſcribentibus, & mihi derogantibus, ne ſcandalum in me inde retorqueat, unde culpam non habeo.* Rursùs more ſolito Gotheſcalcum, ſicut & anteà Rothadum ut *maniaticum* traducit. Suggerit tamen, omnia neceſſaria victui Monacho ſuppeditari, non minùs ac aliis fratribus religioſis. Concludit tandem, nullo modo remittendum eſſe ex ergaſtulo ad Synodum, nam (Vide rationem, ſed quid aliud diceret?) *ſciatis*, inquit, *quia maxima nauſea in iſta eccleſia commovebitur, ſi ad Synodum venire juſſus fuerit, aut de ipſa cuſtodia abſolutus extiterit. Quæ non pro me dico* (bono enim erat ſtomacho) *quia nulla inde mihi eſt cura, niſi pro aliis.* Verùm Guntberto vel fortuito aliquo caſu oppreſſo, vel veriùs (quod de homine credere fas eſt) Hincmari inſidiis intercepto ſupplicatio illa Gotheſalci ad Pontificem prorsùs evanuit. Cùm Egi-

lo

lo Romam perveniſſet, univerſa Sueſſionenſis Concilii acta à Nicolao Pontifice magna diligentia diſcuſſa ſunt, & cognita Hincmari in illis conficiendis nequitia, prorsùs exauctorata atque abrogata fuerunt. Cúmque Egilo ſignificâſſet ea, quæ S. Prudentius in Annalibus inſeruerat; neque enim ea ſilere poterat, eo maximè quod ab Hincmaro & amiciſſimo, & in regni regimine potentiſſimo ea ſibi lege injunctum erat: *Neceſſe eſt, ut taliter de hoc Domno Apoſtolico ſuggeratis* &c. Nihilominùs nullum aliud reſponſum retulit à Pontifice, quàm increpationem fallaciæ, falſimonii, fraudis, crudelitatis, & ſuperbiæ, ut capite ſuperiori in Rothadi abſolutione narravimus. Neque enim ſi, verbotenus licet, retuliſſet Egilo, falſum eſſe, quod in Annalibus Prudentius ſcripſerat, quod perabſurdum eſt; hoc in poſterioribus ſcriptis ſiluiſſet Hincmarus, ſed ſexcenties triumphans Prudentio ac ſectaroribus objeciſſet. Interim cùm Nicolaus Pontifex ſub finem anni 867. diem ſuum obiiſſet, miſerabilis monachus diuturni tot annorum carceris miſeriis conflictatus, ultima crudelitatis exempla paſſus fuit. Hincmarus, qui à dolis tragœdiam inchoaverat, dolis etiam concludere ſatagens, ridicula, cùm jam hæreſes non poſſet, impoſuit. Inter cætera cachinnis digniſſima illa ſunt, dixiſſe Gotheſcalcum, quia *primùm Filius in eum intraverit, poſteà Pater, deinde Spiritus ſanctus, qui in illum intrans ei circa os barbam aduſſit, & quia nollet veſtimenta de veſtiario fratrum communicantium mihi accipere, niſi pretio compararet, qui pretium non habebat, ſed vellet ire, ſicut Adam ibat, antequam peccaret, &c.* Quæ omnia inſaniam objicientis potiùs, quàm ejus, cui objiciuntur, evincunt. Tot igitur calumniis, tot anguſtiis, tot denique pœnis per viginti ferè annos exagitatus mortalium infeliciſſimus Gotheſcalcus in morbum incidit. Deinde, inquit Tortor, cùm jam finis ejus appropinquaret, fratribus, qui aderant, ut à pravo ſuo ſenſu & perverſa ſententia ſe revocaret, & communionem ſacram perciperet, ſuadentibus reſpondit, à ſuo ſe ſenſu revocare & ſententia, & communionem non poſſe recipere, turpiſſimum ſanè exiſtimabat, cùm jam metam penè aſſecutus eſſet, alio curſum divertere. Noluit igitur ſententiam vel inter ipſa tormenta defenſam turpiter retractare, præſertim cùm certò ſciret,

Hincmar de non trina Deitate in fine.

tot ſapientiſſimos viros albos calculos addidiſſe, duplicem Synodum, & ipſum Romanum Pontificem ſubſcripſiſſe. Miſit tamen Hincmarus ſchedulam, in qua profeſſio quædam fidei continebatur; inter cætera credendum Gotheſcalco proponebat, *de gratia & libero arbitrio ſicut S. Auguſtinus docet in his libris ſuis, & de correptione & gratia, de prædeſtinatione Sanctorum, de dono, vel bono perſeverantiæ, & in libro de ſpiritu & litera, & in libro Hypognoſticon, & in epiſtola ad Sixtum Eccleſiæ Romanæ presbyterum, & ſicut hinc ſanctus Proſper ex libris beati Auguſtini ad objectiones Gallorum, Vincentianorum & Genuenſium reſcripſit, & cæteri Catholici Doctores dicunt, quia Sedes Apoſtolica, & ſancta Catholica Eccleſia & nos ſic credimus & tenemus.* Admirari licet divinæ pietatis providentiam, quæ, cùm nullus morienti Monacho conſolator aſſiſteret, & graviſſimè ab Hincmaro hoſte aggrederetur, optimùm illi conſortatorem invenit, ipſum, quis crederet? Hincmarum, qui illa ſchedula Gotheſcalcum in Auguſtiniana doctrina firmavit, & ad deteſtandas ſuasmet opiniones, uti olim S. Proſper Vincentianorum ac Gallorum deliria rejecerat, ſtrenuè ſollicitavit. Quare animadvertens hoſtem ſuum vel invitum Auguſtinianæ doctrinæ jam tandem ſubſcripſiſſe, nil ampliùs habens in votis *abiit*, ut verbis ipſius æmuli ac tortoris concludam, *in locum ſuum*, hoc eſt, ex Ægypto excuſſo Pharaonis jugo ad promiſſæ telluris delicias ac gaudia, ut fas eſt credere, transfretavit. Illud tamen Hincmari facinus diris omnibus devovendum execrari hîc libeat; moribundo enim ſacram ſynaxim crudeliſſimè ac injuſtiſſimè denegavit; in neutro enim placito ſeu Maguntino, vel Cariſiaco (à quibus damnatum fuiſſe Gotheſcalcum Hincmarus ad Romanum Pontificem perſcribebat) miſerabilis ille Monachus excommunicationis vinculo illigatus fuerat, cùm ipſemet Hincmarus poſt utriuſq; Synodi celebrationem S. Prudentium conſuluerit, ut primo capite obſervavimus, eſſetne Gotheſcalcus ſacris ſolemniis Paſchatis admittendus? Hunc exitum habuit Gotheſcalcus, qui licèt à ſapientiſſimis ac ſanctiſſimis illius ætatis viris ſtrenuè propugnatus, Hincmaro tamen perſequente inter catenas pro veritate tuenda animam exhalavit eo glorioſior, quod veluti alter Daniel in lacu leonum Auguſtinianam de divina gratia ac præ-

Ibidem.

de-

deſtinatione doctrinam ad mortem uſque defendens ipſius infeſtiſſimos adverſarios ad easdem Auguſtinianas ſententias propria manu ſubſignandas coegerit. Quàm fortiter verò debacchantis Hincmarianæ nequitiæ perſecutiones exceperit; quóve animo tot ſibi illatas injurias & longi carceris moleſtias tulerit, ex his, quas inter vincula preces ad ſuperos effundebat, facilè dignoſci poteſt. *Hac ergò gratis animatus fide,* (dicebat) *ſolidatus etiam ſpe, & inflammatus pariter charitate te ipſum* (*Deus optime*) *ſuppliciter obſecro, ut vera humilitate mihi data ſolido vitæ gaudio ſemper facias gaudere me. Denique tibi tuóque numini debitam per ſecula gloriam, & propter juſtitiam quidem, quia meritò ſuperbos humilias, incurvas, & inclinas, propter gratiam autem, quia gratis humiles exaltas, elevas, atque ſublimas. Per quam ſcilicet utramque ſupplico tibi, cunctipotens & clemens Trinitas pariter & Unitas, ut omnibus inimicis meis (quicunque ſint invidia nominis tui, ſive neſciènter, ſive etiam ſcienter nocuerunt, immò neceſſe voluerunt mihi, nocuerunt potiùs absque dubio ſibi) univerſa debita ſua indulgeas funditùs & ignoſcas, & omnia flagitia ſimul ac facinora remittas penitus ac parcas. Amen.* Nec tamen in Rothado, Vulfado, ſociiſque, ac denique in miſerabili Monacho Gotheſcalco Hincmarianæ crudelitatis ſitim extinctam putes. Barbariem inanditam in ipſum etiam Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum nepotem ſuum, ſcelus exhorreſcente ſeculo, exercuit. Nedum enim illum gradibus ac dignitate privavit, ſed ferreis catenis gravatum, ac perpetuo carceri mancipatum ad oculorum uſque excœcationem afflixit; quam ferini animi ſævitiam Gotheſcalcanæ vexationi affinem pluribus his delineare, minimè neceſſum puto; à miſerabilis enim Monachi cauſſa, quam diſcutiendam ſuſcepimus, prorsùs aliena videtur.

In confeſſ. prolix. tom. 1. Vindic. Prædeſt. & grat. Manguini.

Calamum igitur ſiſto, æquum enim eſt, ut tragœdia cum Gotheſcalci funere finem ſortiatur ſuum, qui licèt eccleſiaſtico tumulo ac ſacris inferiis privatus ab Hincmaro, qui in mortuum uſque deſæviit, noſtro tamen ſeculo opera eruditiſſimi ac nobiliſſimi Viri D. Gilberti Manguini in publicam lucem poſt plurium ſeculorum caliginem tandem aſſertus apparuit. Hujus viri ſynopſin contexui, in qua præcipuè curæ mihi fuit, ut non ipſum Manguinum, ſed eosdem et Gotheſcalcanæ tragœdiæ, non ſpectatores dicam, ſed actores ipſos recitantes Lectorum oculis iterùm exhiberem. Ex quibus Dei Opt. Max. providentia in hac ipſa cauſſa, ut & in reliquis omnibus, palàm fiet, qui veritatem impiorum quidem verſutiis vexari, opprimi verò nunquam permittit; ſupremum ſiquidem illi locum conceſſit, ut ſemper mendacium victrici planta calcaret, & ſi qui illam opprimere aliquando tentarent, erumpentium more flammarum majori impetu ad ſuperiora conſcenderet. Benè Hieronymus: *Semper veritas ſuperna eſt, deorſúmque mendacium.* Hucusque per novem ſecula Gotheſcalcus hæreticus audivit, à ſcholis exploſus, malè ab hiſtoricis tractatus, inter damnata capita recenſitus. Iis modò ſuam gloriam acceptam debet, qui ut Auguſtini famam faciliùs elevarent, ſopitos Gotheſcalci cineres inconſultiùs ventilantes, plurimorum animos è ſomno excitârunt, qui non modò delatos per tot ſecula Auguſtiniano nomini honores ratos fixósque decrevêre, ſed etiam Gotheſcalcum cauſſa meliùs diſcuſſa liberantes, verſipelles illius calumniatores ac iniquiſſimum Hincmarum judicii falſitate probata talionis pœna multârunt. *Hæreticorum quippe inquietudine*, inquit Auguſt. *ut Scripturas vigilantius perſcrutemur, unde, ne ovili Chriſti noceant, eis poſſit occurri, tanquam de ſomno ignaviæ noſtra excitatur induſtria: ita per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adjutorium: Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

In cap. 25. Oleæ.

Epiſt. 105. ad Sixtum.

Rom. 8. v. 28.

HISTORIÆ GOTHESCALCANÆ SYNOPSIS

Autore R. P. Ludovico Du Meſnil Soc. Jeſu.

Gotheſcalci errores.

PRædeſtinatianam (g) hæreſim circa idem tempus (An. 847.) inſtauravit Gotheſcalcus natione Saxo, monaſterii Orbacenſis, parœciæ Sueſſionicæ monachus ſub Bavone Orbacenſi Abbate. Multam dedit operam legendis SS. Patrum libris, maximè Auguſtini, cujus ſententias, teſte Hincmaro, memoria proferre ſolitus erat.

Annal. Bertin.

A Rigboldo Remenſis Eccleſiæ chorepiſcopo presbyter ordinatus inſcio Epiſcopo ſuo, Romam ſe contulit, ac diu multúmque divagatus cœpit ſpargere prædeſtinatianorum errores. In domum Comitis Eberardi in Italia receptus, dum in ea commoraretur, collationem habuit cum Nottingo electo Veronenſi Epiſcopo de gemina prædeſtinatione, ſive electorum ad vitam, ſive reproborum ad mortem.

Hincmarus l. de prædeſt. Dei c. 2.

Nottingus aliquanto pòſt profectus in Veteraviam ſalutaturus Ludovicum Imperatorem, quem pater ejus Lotharius nuper ſibi collegam renuntiaverat, in pago Logana de ea hæreſi cum Rabano ſermonem habuit, atque inter eos convenit, ut Rabanus è divinis, & de orthodoxorum Patrum ſententiis aliquod opuſculum conficeret ad convincendum errorem eorum, qui de Deo bono & juſto tam nequiter ſentiunt, ut dicant ejus prædeſtinationem facere, quòd nec homo ad vitam prædeſtinatus poſſit in mortem incidere, nec ad mortem prædeſtinatus ullo modo ſe poſſit ad vitam recuperare: ſed prædeſtinatio faciat ipſum invitum peccare, atque ut dicebat Gotheſcalcus, unumquemque prædeſtinationis neceſſitate aut coronari aut puniri.

Raban. opuſc. de prædeſt. apud Sirmond. l. 2.

Rabani liber adverſus Gotheſcalcum.

Rabanus fidem ſuam liberavit, & librum de prædeſtinatione per modum epiſtolæ ſcripſit ad Nottingum. In prima parte probat multis ſcripturæ teſtimoniis, quòd, licèt Deus peccatum præſciat, ad illud tamen non prædeſtinet, nec ſit cauſa perditionis: Siquidem in ſcriptura peccatores adhortatur, ut male agere deſiſtant, minis à peccando deterret, propoſitis præmiis invitat ad mandatorum obſervationem. Imò Deus ipſe teſtatur: „Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël? Tunc autem ſibi contradiceret, ſi quos ſic à malo revocat, atque deterret, ad peccandum prædeſtinaret.

Ezech. 33.

Ibid.

In ſecunda parte D. Proſperi authoritate probat, Deum velle ſincerè ſalutem omnium hominum, ac proinde aliquos ad mortem æternam non prædeſtinat. Atque cum eodem Proſpero concludit: „Igitur prædeſtinatio Dei, dum nos in præſentis vitæ periculis verſamur, incerta eſt, apud illum tamen, qui fecit, quæ futura ſunt, incommutabilis permanet. Neque, quem illuminavit, obcœcat, neque, quod ædificavit, deſtruit, neque, quod plantavit, evellit. Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei, & firmum fundamentum perſtat, habens ſignaculum hoc: „Cognovit Dominus, qui ſunt ejus. „Nullo igitur modo prædeſtinatio Dei facit, ut aliqui ex filiis Dei filii ſint diaboli, aut ex templo Spiritûs S. templa ſint dœmonum.... Sed potiùs prædeſtinatio facit, ut ex filiis Diaboli fiant filii Dei.... Hi autem, de quibus dicitur, „ex nobis tranſierunt, ſed non fuerunt ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum: „voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati; eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, & in ſanctitate ac veritate manſuri. Ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini eſt cauſa labendi.... Si ergo in ſanctitate vivitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis permanetur, maniſeſtum munus eſt Dei, ſine quo nullus boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia & peccata tranſitur, nihil ſibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum non deſerit, antequàm deſerat, & facit plerumque, ne deſerat, aut etiam, ſi diſceſſit, ut redeat.„

Proſp. ad object. Vinc.

Job 12.

Rom. 12.

2. Tim. 2.

1. Joan. 2.

Object. Vinc. 14.

Ibid.

Tertiò probat adverſus Pelagianos & fidei initium, & fidem ipſam, & juſtificationem eſſe dona Dei gratuita.

Cur

(g) Tom. III. Lib. 37. n. 49. pag. 714.

Cur autem quosdam ſic vocet Deus, ut perſeverent in juſtitia, vel lapſi reſipiſcant, alios non ſic vocet: inſcrutabilia Dei judicia. Demum ſic opus ſuum concludit: „ Ecce habes, frater dilectiſſime, quod petiſti, ſenſum orthodoxorum atq; Catholicorum Patrum breviter in uno libro conſtructum, de præſcientia & de prædeſtinatione, de gratia & libero arbitrio: reſtat, ut credas ac confitearis,.. Deum præſciiſſe bonos & malos futuros, bonos autem tantùm, ut vitam æternam accipiant, prædeſtinâſſe, malos verò in æternum perituros tantùm præſciiſſe, non prædeſtinâſſe. Gratia autem Dei, quotquot ſalvi fierent, ſalutem adipiſci. Libero autem arbitrio, quod per primi hominis lapſum corruptum fuerat, cùm divina bonitas illud ſecundùm ſuum placitum regere voluerit, mercedem mereri poſſe perpetuam. Cùm autem homo illo abutitur per ſuperbiam, non gloria ejus, ſed pœna dignum eſſe perpetua. Occolta autem atque ſecreta Dei, quæ ſoli patent cognitioni divinæ, neminem ſcrutari debere, ne plus volens ſapere, quàm oportet ſapere, pro veritate falſitatem, & pro recta fide maximum errorem ſequendo in interitum decidat ſempiternum. „

Heberardo Comiti ſcripſit Rabanus: „ Quia divulgatum in iſtis partibus conſtat, quendam ſciolum, nomine Gotheſcalcum apud vos manere, qui dogmatizat, quòd prædeſtinatio Dei omnem hominem ita conſtringat, ut etiam, ſi quis velit ſalvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, fruſtra & incaſſum laboret, ſi non eſt prædeſtinatus ad vitam: quaſi Deus prædeſtinatione ſua cogat hominem interire, qui author eſt ſalutis noſtræ, non perditionis. Et jam hinc multos in deſperationem ſuimet hæc ſecta perduxit, ita ut dicant: Quid mihi neceſſe eſt pro ſalute mea & vita æterna laborare? quia, ſi bonum fecero, & prædeſtinatus ad vitam non ſum, nihil mihi prodeſt; ſi autem malum egero, nihil mihi obeſt, quia prædeſtinatio Dei me facit ad vitam æternam pervenire. Hæc traditio multis in iſtis partibus ſcandalnm eſt, & prædicatio Evangelii homines inobedientes facit, quia jam deſperantes de ſemetipſis eos reddidit: dicitur enim ipſe doctor veſter multa teſtimonia excerpſiſſe de opuſculis B. & doctiſſimi Patris Auguſtini, quibus nititur ſententiam ſuam affirmare. „ Hanc autem ipſe ſcripturæ, SS. Hieronymi & Proſperi authoritatibus confutat, atque ita concludit: „ Hæc, amice chariſſime, ideo tibi ſcripſi, ut cognoſceres, quale ſcandalum de illis partibus opinio veniens in hoc populo generavit, & ſi quis manens apud te docet, quæ rectæ fidei ſunt contraria, prohibeas eum, ut ceſſet ab hac ſecta, dicáſque ei: Vide frater, ne hac licentia tua in prædicando offendieulum fiat infirmis, & tuo dogmate perdas eum, pro quo Chriſtus mortuus eſt, quia ſanguis ejus requiretur de manu tua. „ Hæc anno octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo contigêre.

Gotheſcalcus Italia turpiter ejectus, Dalmatiam, Pannoniam, Noricúmque percurrens, doctrinam ſuam de duplici prædeſtinatione dictis & ſcriptis diſſeminavit. Moguntiam tandem acceſſit. Id obi comperit Rabanus, ſtatim ſynodum indicit circa kalendas Octobris anni octingenteſimi quadrageſimi octavi. Præſens erat Ludovicus Germaniæ Rex, & cum eo Hetto Trevirenſis, Hildebaldus Colonienſis, & alii multi Epiſcopi & Abbates, inter quos complures erant vita & doctrina celeberrimi. Gotheſcalcus ſequentem fidei ſuæ confeſſionem Rabano obtulit: „ Ego Gotheſcalcus credo & confiteor . . . & affirmo, quòd gemina eſt prædeſtinatio, ſive electorum ad requiem, ſive reproborum ad mortem: quia ſicut Deus incommutabilis ante mundi conſtitutionem omnes electos ſuos incommutabiliter per gratuitam gratiam ſuam prædeſtinavit ad vitam æternam: ſimiliter omnino omnes reprobos, qui in die judicii damnabuntur, propter ipſorum mala merita, idem ipſe incommutabilis Deus per juſtum judicium ſuum incommutabiliter prædeſtinavit ad mortem merito ſempiternam. „ Deinde Rabanum reprehendit: „ Legi, inquit, librum tuum, ſcilicet ad Nottingum, in quo poſitum reperi, quòd impii quoque ſive reprobi non ſint divinitus ad damnationem prædeſtinati: Præſcivit, inquam, illos peſſimum habituros ortum, pejorem interitum. Prædeſtinavit autem eos ad luendum perenne tormentum & ſempiternum interitum. „ Errores ſuos, quos hîc diſſimulat, expreſſiùs ſic expoſuerat in libro, quem ſcripſerat adversùs Rabanum: „ Omnes, quos vult Deos ſalvos fieri, ſine dubitatione ſalvantur: nec poſſunt ſalvari, niſi quos Deus vult ſalvos fieri.

Annal. Bertin.

Synodus Moguntina.

Chron. Hirſaug.

Hincm. l. de prædeſt. c. 5.

Gotheſcalci fidei profeſſio.

Ibid. c. 24.

Non eſt quisquam, quem Deus ſalvari velit, & non ſalvetur. Quia Deus noſter omnia, quæcunque voluit, fecit. Ipſi omnes itaque ſalvi fiunt, quos omnes vult ſalvos fieri.„ Demum in eodem libello negavit, Chriſtum pro ſalute reproborum eſſe mortuum.„ Illos omnes, inquit, impios & peccatores, quos proprio fuſo ſanguine Filius Dei redimere venit, hos omnipotentis Dei bonitas ad vitam prædeſtinatos irretractabiliter ſalvari tantummodò velit: & rurſum, illos omnes impios & peccatores, pro quibus idem Filius Dei nec corpus aſſumpſit, nec orationem, ne dico, ſanguinem fudit, neque pro eis ullo modo crucifixus fuit, quippe quos peſſimos futuros eſſe præſcivit, quosque juſtiſſimè in æterna præcipitandos tormenta præfinivit, ipſos omnino perpetim ſalvari penitus nolit.„ Gotheſcalcus hîc apertè tradit errores, quos poſtea in Janſenii libro recoctos damnavere ſummi Pontifices.

Synodica ad Hincmarum. apud Sirmond. Tom. 2. & Concil. Tom. 3. edit. Hard.

Quid autem in Moguntina ſynodo geſtum ſit adversùs Gotheſcalcum, ſic in ejus concilii ſynodica ad Hincmarum Remenſem exponit Rabanus. „Notum ſit dilectioni veſtræ, quòd quidam gyrovagus monachus, nomine Gotheſcalc, qui ſe aſſerit ſacerdotem in veſtra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas ſuperſtitiones & novam doctrinam de prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens, quòd prædeſtinatio Dei, ſicut in bono, ſit ita & in malo: & tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere, quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in ſynodo apud Moguntiam habita ab eo audientes & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piiſſimo rege noſtro Ludovico, decrevimus, eum cum pernicioſa ſua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in veſtra parochia, unde primùm inordinatè receſſit, & non ſinatis ampliùs eum errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum, quia jam multos ſeductos, ut audivi, habet.„ Gotheſcalcum igitur cum ejus doctrina damnatum ad proprium Epiſcopum remittit Rabanus, ut ab eo incluſus deinceps nemini noceat.

Aliqui Rabanum accuſant calumniæ, quippe qui Gotheſcalco imputet, quòd prædeſtinatio Dei ſicut in bono, ſit & in malo, quaſi Deus reprobos ab initio feciſſet incorrigibiles eſſe. Quæ, inquiunt, in ejus fidei libello non leguntur. Sed qui ita Gotheſcalcum excuſant, plures & ſanctos Epiſcopos accuſant calumniæ, quippe hos errores ex ore ejus ſe audiviſſe teſtantur, involutósque in ſua fidei confeſſione, diſtinctiùs in libro ſuo expoſuerat; ut conſtat ex eis, quæ ſuprà retulimus. Eundem librum cum ſua ſynodica tranſmiſiſſe, minimè dubium videtur, ſiquidem eum manu ſua flammis abolere poſtea compulſus eſt Gotheſcalcus. Illius ſynodi Moguntinenſis, & damnationis meminerunt annaliſta Bertinianus, Fuldenſis, Hildesheimenſis, Hirſaugienſis.

Cariſiaca ſynodus. Concil. Tom. 5. edit. Hard. & Tom. 8. L'Ab.

Gotheſcalcus eodem anno perductus ad Hincmarum, in Cariſiaco palatio iterum auditur à duodecim Epiſcopis, præſidibus Wenilone Senonenſium & Hincmaro Remorum Archiepiſcopis ... Aderant duo chorepiſcopi, & tres Abbates Benedictini, quos inter Bavo Orbacenſis Gotheſcalci ſuperior, aliíque ſacerdotes & diaconi. Gotheſcalcus auditus nihil dignum ratione vel dixit, vel interrogatus reſpondit. Inventus eſt autem hæreticus & incorrigibilis. Itaque ſequentem in eum protulere ſententiam: „Frater „Gotheſcalce, ſacroſanctum ſacerdo„talis myſterii officium, quod irregu„lariter uſurpaſti, & in cunctis mori„bus ac pravis actibus atque perverſis „doctrinis eo hactenus abuti non per„timuiſti, judicio Spiritus ſancti, cujus „gratiæ munus eſt ſacerdotale offici„um, per virtutem ſanguinis Domini „noſtri Jeſu Chriſti noveris tibi eſſe „ſublatum, & ne ulteriùs eo fungi præ„ſumas, penitus interdictum. Inſu„per quia & eccleſiaſtica & civilia ne„gotia contra propoſitum & nomen „monachi conturbare, contemnens „jura eccleſiaſtica, præſumpſiſti, du„riſſimis verberibus te caſtigari, & ſe„cundùm eccleſiaſticas regulas erga„ſtulo retrudi, authoritate epiſcopali „decernimus: & ut de cætero doctri„nale tibi officium uſurpare non præ„ſumas, perpetuum ſilentium ori tuo „virtute æterni Verbi imponimus.„ Executio ſtatim ſubſecuta eſt, atque in eorum præſentia Gotheſcalcus pro ſua irrevocabili contumacia, ſecundùm Agathenſes canones & regulam S. Benedicti, ut improbus, virgis cæſus eſt, dum librum ſuarum aſſertionum igni

tra-

traderet: & poſtea ergaſtulo retruſus eſt, in Altivillarii monaſterio, ne aliis noceret.

Hincmarus damnatum ac recluſum Gotheſcalcum fruſtra conatus eſt ad ſaniorem mentem revocare, data ad eum epiſtola, quâ SS. Patrum, & præcipuè Auguſtini ac Proſperi teſtimoniis oſtendebat, Deum & bona præſcire, & mala; ſed mala tantùm præſcire; bona verò & præſcire & prædeſtinare. Unde præſcientia eſſe poteſt ſine prædeſtinatione; prædeſtinatio autem eſſe non poteſt ſine præſcientia: & quia bonos præſcivit & prædeſtinavit ad regnum, malos autem præſcivit tantùm, non prædeſtinavit, nec ut perirent, ſna præſcientia compulit. Gotheſcalcus huic confeſſioni ſubſcribere recuſavit. Interim ad Rabanum & Prudentium Trecenſem epiſcopum, qui ſynodo Cariſiacæ non adfuerat, Hincmarus ſcripſit, intimans, quid de Gotheſcalco judicatum fuerat: & quia multis modis eum converti tentaverit, & de moribus ac ſuperbia ipſius: & ſi in cœna Domini, vel in Paſcha debeat eum admittere ad andiendum ſacrum officium, vel accipiendam comunionem. Prudentii reſponſio non extat: ſed priusquàm Rabani reſponſionem acciperet, Gotheſcalco ſcribendæ confeſſionis fidei licentiam dedit, ſperans, fore, ut errorem tandem ejuraret: quam licentiam reprehendit Rabanus, ut dicemus inferiùs.

Ille duplicem fidei confeſſionem edidit, longiorem unam per modum orationis ad Deum: in ea, poſtquàm in judices ſuos debacchatus eſt, ſpondet ſe in confirmationem ſuæ doctrinæ paratum per quatuor dolia aqua, oleo, pice, ferventibus repleta, & poſtea per ingentem ignem coram omnibus
Apud Uſſer. tranſire ſoſpitem. In altera breviore & dogmatica ſuum errorem ſic callidè diſſimulat: Credo & confiteor Deum omnipotentem & incommutabilem præſciiſſe, & prædeſtinâſſe Angelos ſanctos & homines electos ad vitam gratis æternam: & ipſum diabolum caput omnium dœmoniorum cum omnibus angelis ſuis apoſtatis, & cum ipſis quoque hominibus reprobis, membris videlicet ſuis, propter præſcita certiſſimè Ipſorum propria futura mala merita, prædeſtinaſſe pariter, per juſtiſſimum judicium ſuum, in mortem meritò ſempiternam. Hic errorem de prædeſtinatione ad peccatum fraudulenter tacet. Ita enim ſenſiſſe conſtat ex ſupra laudatis ad Eberardum Comitem & Hincmarum Rabani literis, in eóque errore etiam poſt editas fidei profeſſiones perſeveravit, teſte Amolone Lugdunenſi Archiepiſcopo, cui ſcripta ſua miſerat Gotheſcalcus, & qui, quod Moguntiæ & Cariſiaci in ejus cauſa geſtum erat, ex actis certo noverat, & tamen disertè teſtatur in ſuis ad Gotheſcalcum literis ipſum immaniter ſentire de divina prædeſtinatione in damnatione reproborum. Sed de his inferiùs.

Hincmarus metuens, ne multos præſertim ex ordine monaſtico fraudulentis illis confeſſionibus in partes ſuas traheret Gotheſcalcus, opuſculum contra ejus errores ad recluſos & ſimplices Remenſis diœceſeos ſcripſit, qnod non extat. Ratramnus Corbejenſis mônachus in epiſtola ad amicum, illud cenſura liberiore perſtrinxit, aítque, quòd S. Fnlgentii ſententiam non rectè expoſuiſſet, & quòd libellum de induratione Pharaonis S. Hieronymo perperàm tribuiſſet, ejúſque fuiſſet authoritate deceptus. Hincmarus librum ſuum cum gemina confeſſione Gotheſcalci, & Ratramni ſcriptum miſit ad Rabanum Moguntiæ Archiepiſcopum.

Hincmaro anno 866. nuntiatum eſt Ibid. opuſc 24 & 25.
de cella Altumvillari Guntbertum monachum aufugiſſe cum libris & veſtimentis, & caballis, & aliis, quæ furatus fuerat. Quia pro ſuis negligentiis regulariter correptus fuit: & quia ſæpe Gotheſcalco furtim ſe conjunxerat, & dicebatur illius perverſa doctrina depravatus, & Gotheſcalci reclamationem velle perferre ad Domnum Apoſtolicum. Hincmarus hinc duas alias inſtructiones ad Egilonem miſit, in quibus errores Gotheſcalci exponit, & quæ in ejus cauſa ſynodaliter geſta ſunt, ut hæc Papæ notificet. Ibidem ut Gotheſcalci fautorē carpit Prudentium. His ſubjicit: „Si aliquis vos interrogaverit de Gotheſcalci cuſtodia, talem eſſe veraciter illi reſpondere poteſtis, quidquid fratres in cibo & potu habent, hoc ei quotidie ſine ulla negligentia miniſtratur. Veſtimenta illi ad ſufficientiam offeruntur: ligna illi ad focum faciendum ſufficienter dantur. In manſione ſua caminum habet, & neceſſaria: lavacra illi non denegantur. Sed poſtquam in eandem manſionem intravit, non ſolùm corpus lavare noluit, verùm nec manus, nec faciem. „ Monet etiam, ut Papæ ſuggerat, utrum verum ſit, quòd eorum doctrinam appro-

probaverit, qui Chriſtum pro ſolis credentibus ſanguinem fudiſſe dicebant, quemadmodum in ſuis Annalibus ſcripſerat Prudentius.

Hinc. opuſc. 18. Tom. 2. Guntbertus monachus quid poſt fugam egerit, prorſus incompertum eſt, illius enim nulla deinceps extat memoria. Non multò pòſt Hincmaro nuntiatum eſt, Gotheſcalcum eſſe morti proximum. Itaque ſcripſit monachis Altovillarenſis monaſterii: „Si ad ſatisfactionis plenitudinem omnia, quæ ab eo malè ſunt ſenſa, vel viva voce, vel ſigno competenti damnaverit, reconciliatio, & communio illi non denegetur. Et ſi in hac confeſſione, & communione obierit, ſicut cæteris fratribus, ita & illi communem ſepulturam, ac ſepeliendi officium, & orationem poſt obitum exhibete.„ Sed contumax Sacramentis non receptis obiit circa annum octingenteſimum ſexageſimum octavum.

Gotheſcalci mors.

Hinc. l. de non trin. Deit. c. 17. & ſeq. Hæc de eo refert Hincmarus: „Scripſit ad Deum loquens & dicens ei, quod ipſe illi præceperit, ut pro me non oraret, & quia primum Filius in eum intraverit, poſtea Pater, deinde Spiritus ſanctus, qui in illum intrans ei circa os barbam aduſſit, & quia nollet veſtimenta de veſtimentario fratrum mihi communicantium accipere, niſi pretio compararet, qui pretium non habebat, ſed ſic vellet ire, ſicut Adam ibat, antequam peccaret, mox autem, ut frigus cœpit eum conſtringere, cum veſtimentis etiam pelliceam & focum ſtuduit quærere... Ante aliquot annos ſuæ revelationis, & ipſe Remorum epiſcopus fieri, & poſt ſeptennium veneno interfici, & ſic gloriæ martyrum adæquari deberet. Et cùm prophetiam impleri non vidit, juvenculo ſectatori ſuo ſequentem miſit orationem: Domine Deus noſter, & Magiſter Jeſu Chriſte, pro ſolis electis crucifixe, qui vides, quod qui oderunt te, extulerunt caput, quia non eſt poſt triennium dimidio anno terminato mortuus, ceu putabatur fur & latro.... Pronus te exoro... quando vis, evellatur ex hac vita, mœchus, & cœcus, & pertinax hæreticus. Hæc ſi ſuppoſuiſſet Hincmarus, Gotheſcalci fautores illum haud dubiè mendacii coarguiſſent, quorum proinde ſilentium hæc eſſe vera confirmat.

Authoris reflexio. Jam verò, *Benevole Lector!* poſtquàm *Gotheſcalcum* & accuſari & defendi audiviſti, tuo in arbitratû à me relinquitur, an ejuſdem vel Patronis vel damnatoribus accedere velis. Mihi *Joannis Mabillonii* de *Gotheſcalco* arridet judicium: *Certè* GOTHESCALCUS, inquit, *paulò jactantior & audacior fuiſſe videtur, atque inutilium quæſtionum ſectator, uti patet ex* LUPI *Abbatis Epiſt.* 30. *ubi ejus nimiam impetiginem reprehendit.* Ac denique poſtquàm eruditè & ſobriè Gotheſcalcanam hiſtoriam texuiſſet, totam rei narrationem his verbis concludit: *Hæc ſatis dicta de Gotheſcalco, qui ſi animum tantiſper continuiſſet, meliùs famæ, meliùs ſaluti ſuæ conſuluiſſet.* Exemplum habetis; CAVETE POSTERI.

CAPUT III.

VITÆ VIRORUM DOCTRINA ILLUSTRIUM ORD. S. B. MEDII ÆVI, INDE A SÆC. XII.

I. ODO

Abbas S. Martini Tornacenſis, atque Epiſcopus Cameracenſis.

†1113. III. kal. Julii. ERat ODO Clericus Aurelianenſis Civitatis, patre Gerardo, matre Cæcilia natus. Anno reparatæ ſalutis MLXXXVII. Aurelianis Tornacum à Canonicis ejus civitatis evocatus, ſcholis publicis præfuit: qui adeò præclarè functus illo eſt munere, ut in tota provincia illi non eſſet ſecundus. Ita totus in libris erat, quaſi nullam ſe crederet habere requiem, niſi eum, quem in exercitio ſcripturarum arripuiſſet laborem. Erat quippe fundatus Grammaticâ, ornatus Rhetoricâ, armatus Dialecticâ: & his ſtudiis indeſinenter eum occupatum multa turba diſcipulorum ſequebatur, qui ad famam tanti viri undique congregati ejus diſciplina ſitiebant informari, magiſterio

Tornaci publicè docet.

rio erudiri. Tanta denique in ſcholis ejus quies, tanta pax inter diſcipulos, & vitæ compoſitio per ejus diſciplinam habebatur, ut non tam magiſter literarum, quàm Epiſcopus animarum meritò haberi poſſe videretur.

Fortè fortuna (h) à quodam Clerico S. Auguſtini librum de libero arbitrio cùm coëmiſſet, in ſcrinii angulum projecit, utpote qui *adhuc mundanæ ſapientiæ deditus magis delectabatur lectione Platonis, quàm Auguſtini.* Cùm verò poſt duos fermè menſes Boëtium de conſolatione Philoſophiæ diſcipulis prælegens, ad quartum librum, in quo de libero arbitrio diſſerit, perveniſſet, recordatus emti libri, *vocato miniſtro ſuo juſſit eum ſibi deferri.* Lectis duabus tribúsve paginis, convocatis ſcholaribus ſuis, *Verè*, inquit, *hactenùs ignoravi Auguſtinum, tantæ támque delectabilis fuiſſe facundiæ.* Perlegendo tertium librum, mutatus in virum alium, cœpit odiſſe, quæ dilexerat, & diligere, quæ priùs oderat. JESU bone! quanta hominis mutatio? Fit in pauperes Chriſti rerum diſtractio, cibi & potûs abſtinentia, carnis maceratio, & omne ſtudium, quod in ſæcularibus diſciplinis inſumſerat, in veram convertens Philoſophiam de diſcipulis ſocios fecit, exemplo ſui & doctrina multos convertit, & poſtmodùm relicto foris clerico monachus effectus, monaſterium quod dicitur ad S. Martinum Tornaci conſtruxit. Ab omnibus, qui per eum vel cum eo mundum reliquerant, in Abbatem eligitur, conſecratur. Tunc verò quaſi lumen in regione illa viſum eſt oriri. Populus enim ad ejus prædicationem convertebatur. Inter conjugia utriusque partis fiebant ſancta divortia, patres à filiis, & filii à parentibus gladio verbi Dei dividebantur, omnes ſicut in tempore Apoſtolorum in commune afferebant pretia eorum, quæ poſſederant, juvenes ac virgines, ſenes cum junioribus certatim hujus ſeculi ſarcinam projiciebant, & quaſi jam de hoc mundo non eſſent, nudi ac leves ad cœlum volare geſtiebant. Civitas eorum quaſi carcer eis eſſe videbatur, monaſterium paradiſus. Ipſe autem omnibus omnia factus, infirmis infirmus, ſanis robuſtus apparebat, & quaſi omnium pater eſſet, ſic omnium ex animo curam gerebat. Quid multa? tantam lucernam Chriſtus ſub modio latere non patitur, ſed per Dei gratiam, ut omnibus, qui in domo ejus

Lectione S. Auguſtini penitùs immutatus,

fit Monachus,

Abbas,

ſunt, luceret, ad Epiſcopatum Cameracenſis Eccleſiæ aſſumitur: qui à Pontifice Paſchali II. confirmatus, munus conſecrationis accepit anno Dominicæ Incarnationis MCV. à Manaſſe Archiepiſcopo Remenſi, & ſeptem comprovincialibus Epiſcopis VI. Nonas Julii Dominicâ die: ſed contra nitente Henrico IV. Imperatore (quòd nollet ab eo inveſtituram accipere, ne in cenſuras canonum incideret) Gualterus ab Henrico conſtitutus, urbe Cameracenſi occupata, ei introitum & redditus Epiſcopii denegabat.

denique Epiſcopus Cameracenſis.

Ab Henrico IV. Imp. inveſtituram accipere renuens

Interim Reverendus Odo vicinas Eccleſias viſitabat, & munus Epiſcopale exequebatur, ſedem ac domicilium habens in cœnobio Aquiſcinctino apud Aymericum Abbatem; & Amando Priori admodùm familiaris. Donec tandem Henricus junior, Imperatori Patri ſuccedens, ad literas Paſchalis Papæ Odonem reſtituit Sedi Cameracenſi; civibus per literas præcipiens, ut ejecto Gualtero germanum Epiſcopum ſuum admitterent Odonem; qui deinceps ab anno ſalutis humanæ milleſimo centeſimo ſexto in Sede Cameracenſi reſidens, ipſis civibus & toti diœceſi ſuæ tam vitæ ſanctioris exemplo, quàm doctrina & concionibus vehementer profuit; frequenter oves ſibi commiſſas viſitans, aliíſque neceſſitatibus ſubveniens atque ſuſtentans.

in cœnobio Aquiſcinctino exulare cogitur.

Tandem *Odo* cùm ſuis laboribus non parceret, totam diœceſim latiſſimam circumiens, ſenio confectus incidit in morbum; quo vehementer preſſus atque afflictus lecticâ ſe deduci præcepit ad monaſterium Aquiſcinctinum, in quo & ante Epiſcopatum, & exul, & quamdiu provinciam Epiſcopalem adminiſtravit, familiariſſimè ſemper vixerat, cum reverendo Aymerico, ejúſque ſucceſſore Alviſo Abbatibus Aquiſcinctinis, ac Priore ejusdem loci Domno Amando de Caſtello.

Tandem laboribus & ſenio confectus

Porrò Reverendus Abbas Martinianus ſucceſſor ipſius Odonis, & Domnus Segardus audientes apud Aquiſcinctinos in extremis agere Odonem, cum alio religioſo venit Aquiſcinctum rogans & petens ipſius Beati corpus ad proprium monaſterium S. Martini, quod reſtaurârat, deferri: ut ubi primus omnium monachalem vitam fuerat amplexatus, Abbatialémque dignitatem primus omnium geſſerat, at-

(h) vid. præfat. Opp. S. Aug. nov. edit. è Congreg. S. Mauri.

atque tot virtutibus in vita clarus erat, poſt mortem illic quoque quieſceret. Ad hæc reſpondit Abbas Alviſus, Aquiſcinctenſes non paſſuros eum virum ſanctum aliò ablegari, quem Dominus Deus ad ſe tranſmiſerat; ſed in ſua eccleſia propriam ſepulturam habiturum.

alacer & ſecurus

Odo intereà, omnibus, quæ Chriſtiano morienti conveniunt, ritè expletis, tam alacer, tam ſecurus noviſſimam horam exſpectare videbatur, quaſi non ipſe, qui infirmabatur, ſed alius pro eo eſſet moriturus. Unde quidam frater in ſtuporem adductus, remotis omnibus arbitris, ſolus ad ſolum acceſſit, & utrùm timeret, appoſita ori ejus auricula diligenter inveſtigavit: tunc ille, ut verbis ejus loquar, cùm diceret, ad quid timerem? & ille opponeret ei periculum mortis, & quia *judicia Domini abyſſus multa*, & quia *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, & cætera hujuſmodi, ille paululùm reticens, & quaſi aliquid in ſe priùs deliberans reſpondit: *Non timeo*. Admiratus autem frater conticuit, & magnam eum habere fiduciam perſenſit.

migravit ad Dominum Anno 1113. 3. Cal. Julii.

Obiit plenus virtutum an. MCXIII. tertio kalendas Julii, magnóque cum honore conditus eſt in medio baſilicæ Aquiſcinctenſis apud Crucifixi imaginem, coram altari S. Andreæ ſub inſigni candido & perlucido marmore cavato, effigiem dicti Odonis, baculum paſtoralem cum infula & veſtimentis Paſtoralibus referente. Verùm altari nunc deſtructo jacet in veſtiario ejuſdem eccleſiæ coram tabula inſigni, referente miraculum S. Andreæ naufragos in mari liberantis.

Ipſius vitæ ſcriptores.

Vitam & obitum *B. Odonis* expoſuit Amandus de Caſtello ex Priore Aquiſcinctenſi Abbas Marchianenſis in Epiſtola prolixa, quæ manuſcripta in Bibliotheca S. Martini Tornacenſis teſte Sandero pag. 108. poſtmodùm typis excuſa fuit. Extat in Actis Sanctorum die 10. Junii Tomo III. ubi alia etiam Vita exhibetur, quam Franciſcus la Barr, Prior itidem Aquiſcinctinus compoſuit. Utriuſque Scripta nos hìc deflloravimus.

SCRIPTA

Permulta ſunt Opera, quæ Odo elucubravit. Ejus verò hæc Manuſcripta Tornaci in Bibliotheca S. Martini exſtant teſte Sandero pag. 107.

Super Canones Evangeliorum (Jacobo le Long pag. 883. Bibliothecæ Biblicæ: *de Concordia Evangeliſtarum libri duo.*)

De originali peccato Libri III.

De canone Altaris ad Vulbodonum dilectum filium.

Diſputatio contra Judæum, nomine Leonem, *de adventu Chriſti*, Filii Dei, dialogus dicatus Acardo Phidemenſi Monacho. Tractatus, *Quid ſit blaſphemia in Spiritum ſanctum?* quem ut interrogationi Amandi de Caſtello, Prioris Aquiſcinctini ſatisfaceret, compoſuit.

Homilia in Lucæ XVI. de villico iniquitatis.

Expoſitio Canonis in honorem S. Trinitatis.

In Bibliotheca Mellicenſi habetur M. Odonis Ep. Cameracenſis *Summa Pœnitentiæ*. In Eccleſia Jacobæa Cathedrali Tom. 2. Catalogi Manuſcriptorum Angliæ pag. 244. habetur Odo Cameracenſis *de Canone Miſſæ* & *ſuper Canonem Evangelii*. Idem in *Pſalmor*. Ex his *expoſitio Canonis Miſſæ* diviſa in quatuor diſtinctiones ad Odonem, ſive Vulbodunum, quem *dilectum filium ſuum ſub venerabili Abbate Haſligmenſi Fulgentio Dominicis caſtris militantem* appellat, edita à Franciſco Titelmaño, Antverp. 1523. Lugd. 1556. inde in Bibliothecis Patrum, Pariſ. 1575. tom. 4. & 1589. 1624. 1644. Tom. VI. & Colon. Tom. XII. & Lugdun. Tom. XXI. pag. 221. ubi deinde ſequuntur ejuſdem Odonis Opuſcula ſacra, quæ primus Andreas Schottus in Tomo decimo quinto Bibliothecæ Patrum Colonienſis anno 1622. vulgaverat: *De peccato originali* Lib. III. pag. 22. *Dialogus cum Leone Judæo de adventu Chriſti, Filii Dei*, pag. 241. *De blaſphemia in Spiritum S.* pag. 245. *In Canones Evangeliorum* pag. 247. *Homilia de villico iniquitatis.* Luc. XVI. pag. 249.-251.

Inc. *Pœnitentiam agite &c.* Cod. membr. in 12. E. 49. Vid. Hiſt. Bibl. Mellic. pag. 32.

Collationum librum & *Parabolas*, quæ manuſcripta memorat Miræus, nec non *Libellos tres de Dialectica*, quos refert Herimannus Abbas, nemo adhuc in lucem protulit; uti nec Odonis Aurelianenſis Carmina, quæ manuſcripta evolvit Cangius. Vide Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Lib. XIII. pag. 451. qui tamen & Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Sec. XI. & XII Tom. VI. cap. 6. pag. 514. præter rem affirmant, Odonem in exilio mortuum eſſe. Equidem verum eſſe, quòd cùm virgam & annulum, quæ conſecratus ab Eccleſia acceperat, iteratò ab Henrico IV. Imperatore nollet accipere, Sede ſua

fuerit

Google

fuerit pulſus, in eandem tamen ab Henrico V. reſtitutus Eccleſiam Cameracenſem ab anno milleſimo centeſimo ſexto uſque ad annum decimum tertium in optata pace gubernavit, Aquiscinctum verò, ubi animam Deo redderet, ejúsque corpus terræ mandaretur, ipſe ſibi elegit.

II.

† 1125.

S. BRUNO Epiſc. Signienſis, S.R.E. Cardinalis.

Ejus natales.

S. BRuno Abbas Caſſinenſis, Epiſcopus, Divúsque tutelaris Signiorum, Ligur, ex familia Soleria nobiliſſima, Caſtelli Solèrii Dynaſta, Andream, Syllámque in Parentes habuit. In cœnobio S. Perpetui Ordinis S. Benedicti primùm, deinde Bononiæ, omnibus ferè ſcientiis excultus, Aſtenſes inter Canonicos omnium plauſu cooptatus eſt, Romámque profectus ſub Pontificatu Gregorii VII. in publico Romano Concilio Berengarium impiè de Sacramento Altaris ſentieutem diſputando repreſſit, profligavítque, ita ut à Summo Pontifice honoris, ac celebris victoriæ ergò S. R. E. Cardinalis, & Signinius crearetur Epiſcopus, quam quidem Eccleſiam ad multos annos ſapientiſſimè ſanctiſſiméque adminiſtravit, donec tranquillioris, vitæque contemplatricis deſiderio tractus, abdicato onere Epiſcopali, Monachum Caſſinenſem anno ſalutis 1104. profeſſus iterùm eſt. A Paſchale II. miſſus in Gallias Legatus in ea Provincia Synodum celebravit; reverſus ad Clauſtra anno 1107. poſt deceſſum Othonis Abbatis, Monachorum omnium ſuffragiis Abbas eligitur. Annis tribus menſibus decem præfuit huic cœnobio, quibus elapſis, ejusdem Paſchalis Pontificis juſſu rediit ad regimen antiquæ Eccleſiæ Signinæ, quam eadem prudentia rexit usque ad annum 1125. quo 15. kal. Aug. præſentem cum cœleſti commutavit vitam. Cùm autem claruiſſet tum in vita, tum in morte multis miraculis, Lucius III. eum Beatorum Collegio adjunxit, ut conſtat ex ſubjecta inſcriptione, quæ ad perennem memoriam in Cathedrali Signiæ extat.

Berengario in Concilio Rom. diſputatione repreſſo, Cardinalis & Epiſcop. Signinius; dein abdicato onere Epiſc.

Abbas Caſſinenſis eligitur.

Juſſu Pontificis ad Sig. Eccleſ. regimen revertitur.

Beatorũ Collegio adjungitur.

MEMORIÆ ETERNÆ BEATI
BRVNONIS
QUEM LVCIVS III. PONT. MAX.
CARD. ET EPISCOP. CONVENTV
SIGNIÆ IN ECCLESIA B. MARIÆ
P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.
VBI DEFVNCTI CORPVS
IVSSIT ADSCRIBI
ANNO AB EIVS ABSCESSV LVIII.
S. P. Q. S.

Scripta.

Tantus hic vir ſanctitate & doctrina clarus ſcripſit:

In Cantica Canticorũ librum unum.
In Geneſim librum unum.
In Exodum Lib. I.
In Judith Lib. I.
In Pſalmos Lib. I.
In Iſaiam Lib. I.
In Apocalypſim Lib. I.
In Sententiarum librum ptimum Lib. I.

Sermones Dominicales, & Homilias de Sanctis, nec non de Annunciatione B. Mariæ ſemper Virginis.

Hujus Sancti Opera duobus Tomis diſtincta in lucem emiſſa fuerunt ſtudio, & labore cum ſcholiis D. Mauri Marcheſii Caſſinenſis Decani. Venetiis 1651.

Primus Tomus continet

Expoſitionem, ſeu Commentarium in Lib. Geneſis.
In Exodum.
In Leviticum.
In Numeros.
In Deuteronomium.
In Job.
In Pſalterium.
In Cantica Canticorum.
In Apocalypſim.

Secundus verò Tomus continet Homilias, ſeu Sermones 145. in Evangelia totius anni.

Tractatum in Canticum Zachariæ.
Tractatum dè Incarnatione Domini.
Argumentum de ſacrificio azymo.
Opuſculum de Sacramentis Eccleſiæ, myſteriis, & Eccleſiaſticis ritibus.
Vitam S. Leonis Papæ IX.
Reſponſionem ad Quæſtionem, cur corruptus ſtatus Eccleſiæ.
Vitam S. Petri Epiſcopi Anagnini, & Privilegium Canonizationis ejusdem.
Epiſtolam ad Paſchalem Summum Pontificem.
Epiſtolam ad Epiſcopum Portuenſem.
Sententiarum libros ſex, prænotatos de laudibus Eccleſiæ.

In his tamen duobus Tomis non habentur omnia Opera noſtri Brunonis, indicata à Petro Diacono Caſſinenſi in Opuſculo de Viris illuſtribus, licèt in his recenſeantut alia, quæ Petrus non annumerat; ut autem omnibus nota ſint, quæ Petrus profert, placet hic illa reſcribere, & ſunt:

Expoſitio ſuper Pſalterium, Eſaiam, Geneſim, Cantica Canticorum, ſuper Exodum, Numeros, & Deuteronomium.

Sermones de laudibus Eccleſiæ in Dedicatione Templi; de Paradiſo, de Arca Noë, de Tabernaculo fœderis, de Templo Salomonis, de Muliere, per quam Eccleſia ſignificatur, de Civitate Hieruſalem, de Baſilicis, quæ ab Epiſcopis dedicantur, de Evangeliis, de ornamentis Eccleſiæ, de Fide, de Spe, de Charitate, de quatuor virtutibus, de Humilitate, de Miſericordia, de Pace, de Patientia, de Caſtitate, de Obedientia, de Abſtinentia, Ubi Eccleſia ornatur, de novo Mundo, de Cœlis novis, de Avibus novis, de Montibus novis, de feſtivitatibus feſtivitatum, id eſt de ſancta Trinitate, de Nativitate Domini, de Circumciſione, de Epiphania, de Palmis, de Cœna Domini, de Paſcha, de Aſcenſione Domini, de Pentecoſte, de Nativitate S. Mariæ, de Annunciatione, de Purificatione, de Aſſumptione: De Virginibus 3. de Martyribus 7. de Pontificibus 4. de S. Angelo, de S. Scholaſtica, de Translatione S. Stephani è civitate Conſtantinopolitana ad arcem Romanam.

Homiliæ in feſtivitatibus Confeſſorum, in feſto S. Benedicti 5. de SS. Apoſtolis 3. de pluribus Martyribus, de uno Martyre, de Dedicatione Eccleſiæ; in Adventu Domini, pro Dominicis 2. 3. & 4. Adventûs, de Annunciatione B. M. 2. in Vigilia Nativitatis Domini; in Nativitate 3. In die S. Stephani, in die S. Jo. Evangeliſtæ, in feſtivitate Innocentum. Pro Dominica prima poſt Natalem Domini; in Octava Domini, in Epiphania. In Purificatione B. Mariæ, in Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima; In Cinere & cilicio pro feria 6. & Sabbato in capite Quadrageſimæ uſque in Cœnam Domini 40. In Cœna Domini, in Sabbato ſancto, in feſtivitate Paſchali, in feriis 2. 3. 4. 5. & Sabbato, in Octavis Paſchalibus; in Dominicis 1. 2. 3. & 4. poſt Octavas Paſchæ; In Proceſſione majori, in feſtivitate Apoſtolorum Philippi & Jacobi, in Inventione S. Crucis, de S. Angelo, in Aſcenſione Domini, in Dominica prima poſt Aſcenſionem Domini, in Pentecoſte, in Dominicis 1. 2. 3. & 4. poſt Octavam Pentecoſtes; in feſto S. Joannis Baptiſtæ, in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in die eorundem. In Dominica I. poſt natalem Apoſtolorum, in feſto S. Laurentii, & Matthæi, in Aſſumptione B. Mariæ, in Vigilia, & feſto S. Andreæ, in Decollatione S. Jo. Baptiſtæ, in Nativitate B. Mariæ, & in laudem ejusdem Verſus.

Præter hæc in Bibliothecis Ducis Sabaudiæ Taurini aſſervantur Commentaria in 4. Evangelia, teſte Andrea Roſſoto in Syllabo Scriptorum Pedemontii; & in Rheglenſi ex Poſſevino in Apparatu ſacro de laudibus Eccleſiæ Opus.

Meminêre S. Brunonis Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi, Ferdinandus Ughellius Tomo I. Italiæ ſacræ, Raphaël Sopranus in ſuo Catalogo Scriptorum Ligurum, Marcus Antonius Scipio in Elogiis Abbatum Monaſterii Caſſinenſis, Hippolytus Maraccius in Bibliotheca Mariana, Petrus Diaconus in Caſſinenſi Chronico, Philippus Malabaya in Diſquiſitione de Ortu, Canonicatu, & receſſu à Caſſinenſibus S. Brunonis, Maurus Marcheſius Panormitanus, Congregationis Caſſinenſis Monachus, in Diſſertatione hiſtorica de S. Brunone Aſtenſi, Philippus Labbè de Scriptoribus Eccleſiæ, & denique Auguſtinus Oldoinus, cujus hæc eſt ſymbola, in Athenæo Liguſtico, ſeu Syllabo Scriptorum Ligurum Tom. I. pag. 119. Adde Fabricium Bibl. med. & inf. Lat. Vol. I. lib. 2. pag. 785. *Scriptores, qui S. Brunonis meminere.*

III.

HERVEUS

Burgidolenſis Aſceta.

Claruit 1130.

SI quis alius, certè *Herveus*, in exemplum proponi meretur, à quo Cœnobitæ addiſcant, quâ ratione literarum ſtudia, præcipuè illarum, quæ viros decent Religioſos, cum pietatis ac virtutis ſtudio ſint conjungenda. Claruit Vir hic verè Venerabilis, patriâ Cenomanenſis, in diœceſi Bituricenſi anno circiter 1130. de cujus laudibus ac meritis extat Epiſtola Encyclica Abbatiæ Burgidolenſis, edita Tomo II. Spicilegii Dacheriani veteris editionis, novæ autem Tomo III. pag. 461. quam integram ceu lectu digniſſimam huc tranſcribere me non pigeat. *De Hervei patria, laudibus ac meritis.*

Epiſtola

Epiſtola Encyclica

Monachorum Burgidolenſis Abbatiæ vitam libróſque Hervei continens.

„ Cùm Propheta dicit, *Dominus vir-*
„ *tutem operum ſuorum annuntia-*
„*bit populo ſuo*; ſi ipſe non pro ſua, ſed
„pro auditorum ſalute proprias enar-
„rat laudes, quomodo nos, quorum
„tota ſalus in laudibus ejus eſt, tacere
„audebimus magnalia ipſius, quæ no-
„ſtris temporibus oſtendere nobis di-
„gnatus eſt? Noverit itaque quisquis
„hæc auditurus eſt vel lecturus, nos
„nequaquam vanis vel falſis laudibus
„velle mortuos extollere: ſed ad lau-
„dem & gloriam Chriſti, ſalutémque
„audientium, pro amore veritatis, de
„veritatis ipſius amatore veraci ſtylo
„pauca deſcribere.

„ Fuit igitur vir tam vitâ quàm do-
„ctrinâ venerabilis Herveus nomine,
„Dolenſis Cœnobii Monachus, degens
„ibi circiter quinquaginra annis in
„prædicanda morum probitate, patriæ
„autem Cenomanenſis indigena. Mul-
„ta apud nos ſuæ fidei & ſapientiæ,
„nec non & innocentiæ monimenta
relinquens. Jam namque juvenis &
„à puero, ſcholarum dogmatibus mul-
„tipliciter imbutus, cùm prædictum
„monaſterium ingreſſus fuiſſet, totum
„ſe ſtudio ſanctarum Scripturarum de-
„dit, atque Catholicos tractatores,
„Auguſtinum videlicet, Hieronymum,
„Ambroſium, Gregorium, ac reliquos
„frequenter cœpit, jugitérque diebus
„ac noctibus eorum lectioni incumbe-
„re, meditationi inſervire non deſti-
„tit, nec quolibet impedimento ab in-
„quiſitione veritatis avelli potuit. Cúm-
„que ſingularis ingenii atque inæſtima-
„bilis memoriæ eſſet, cœpit in vaſcu-
„lo cordis ſui multa profutura recon-
„dere, & columbæ more meliora gra-
„na eligere, memoriter retinere, ſcri-
„ptóque commendare.

Scripta. „ Fecit ergò primum *Expoſitionem*
„*mirabilem ſuper librum beati Dionyſii de*
„*Hierarchiis Angelorum*, deinde *expo-*
„*ſuit tum librum Iſaiæ Prophetæ & La-*
„*mentationes Jeremiæ, extremámq; par-*
„*tem Ezechielis*, ibi incipiens, ubi S. Gre-
„gorius Papa dimiſerat, & ad finem uſ-
„que perducens. Simul etiam *Deutero-*
„*nomium Moyſi & Eccleſiaſtem Salomo-*
„*nis, nec non quoque librum Judicum, &*
„*libellum Ruth, librúmque Tobiæ*, omnia
„quæ in illis minùs intelligentibus ſo-
„lam literam ſonare videntur, incon-
„vincibili ratione oſtendens Chriſti &
„Eccleſiæ conteſtari & prædicare My-
„ſteria. Prætereà & *Apoſtoli Pauli Epi-*
„*ſtolas cum tanta ſapientiæ affluentiâ*
„*expoſuit*, ut qui eas legerunt, aſſe-
„rant nunquam ſe illis comparabi-
„les cognoviſſe, & vix aut nunquam
„tantâ expoſitas diligentiâ poſſe ali-
„cubi reperire. Ad ultimum cùm
„fama doctrinæ ejus circumquaque
„ſpargeretur, & jam nullus ei, ſicut at-
„teſtantur, qui eum veraciter cognove-
„runt, Canonicarum Scripturarum ſci-
„entiâ primus haberetur: *Librum duo-*
„*decim Prophetarum & librum Geneſis*
„*ex integro*, tam mirabili ſenſu expoſuit,
„ut expoſitionem ſuper illos necdum
„potuerimus invenire, quæ ſuæ æqui-
„parari poſſit. Inter hæc quippe fecit
„plurimas *Expoſitiones de Lectionibus*
„*ſanctorum Evangeliorum, Canticorum*
„*etiam*, quæ in Eccleſia leguntur: *Li-*
„*bellum quoq; de connexione quarundam*
„*Lectionum*, oſtendens aliter in qui-
„busdam Eccleſiis legi, quàm in ſacra
„Hiſtoria continentur: de quibus unũ
„quod ſubditur, exemplum ſufficiat.
„Legitur in Quadrageſima Lectio quæ-
„dam de Libro Eſther, & ita in quibus-
„dam Lectionariis incipit Lectio Libri
„Eſther: *Oravit Eſther ad Dominum di-*
„*cens, Domine Deus Rex omnipotens in*
„*ditione tua cuncta ſunt poſita.* Quam
„orationem ipſe illic ex authore ſacræ
„Hiſtoriæ probat, non feciſſe Eſther,
„ſed feciſſe Mardochæum, & ideò non
„eſſe legendum, *Oravit Eſther*, ſed le-
„gendum eſſe, *Oravit Mardochæus*: &
„multa ſimilia ibidem aſſerit. Librum
„etiam non minimum fecit *De mira-*
„*culis ſanctæ Mariæ Dei Genitricis*, quæ
„eadem inviolata Virgo temporibus
„ejus geſſit in Dolenſi templo: quæ
„ipſe mox poſtquam geſta erant, ſicut
„audiebat ab ipſis, in quibus fiebant,
„& à Monacho cuſtode monaſterii, ſi-
„ne aliqua dilatione ſcribebat.

„ Demùm quamvis propinquum fi-
„nis ſui terminum paulatim vigore de-
„ficiente ſenſiſſet, tamen ſine conſue-
„to ſcribendi opere eſſe non poterat.
„Et rogatus à nonnullis, ut qui om-
„nes Scripturas ſupra cunctos memo-
„riter retinebat, *De Cœna ſancti Cypria-*
„*ni Cæcilii Carthaginenſis Epiſcopi*, ferè
„de omnibus libris Canonicis aggrega-
„ta, quæ quid intimaret eatenus apud
„nos incognitum erat, edoceret, &
„ipſe quid de ea ſentiret: adquievit
„rogantibus, dicens, dum ſcriberet,
„ſe fortaſſis cum iſta præſentem vitam
„finire. Et quia prior liber Expoſitio-
„num ſuarum, de dictis ſanctorum Pa-
„trum, Dionyſii videlicet Areopagitæ

„extiterat, de eorundem ſanctorum
„Patrum dictis, iſte poſterior eſſet.
„Sícque contigit. Námque cùm ean-
„dem Cœnam usque ad illum locum
„expoſuiſſet, quo dicitur, *Confunde-*
„*batur Elizabeth*, *ſtupebat Maria*,
„*ridebat de facto Sara*, quo loco vide-
„licet apud nos terminabatur; arbi-
„trabatur autem de eâ non nimiam ab-
„eſſe partem, tam ipſe quàm Domi-
„nus Abbas Girbertus, qui hoc ei tan-
„quam Monacho ſuo & filio manda-
„verat, eámque qoæ deerat partem,
„ab Abbate ſancti Savini, qui ſe eam
„habere dicebat, & mittendam eis
„promiſerat, exſpectabant: multa ſi-
„quidem in ea vel dempturus fortaſſe
„vel additurus, illam ſicut erat in abo-
„litione reliquit.

„Et cùm tempus Quadrageſimæ
„in maximâ mentis & majore corpo-
„ris, quàm nuper fuerat virtute, in
„multâ abſtinentia, multíſque quoti-
„dianis virgarum verberibus, devotis
„atque aſſiduis orationibus, & in
„quotidiana ſacroſancti corporis &
„ſanguinis Domini reverenda celebra-
„tione, cum alacritate & gaudio Spi-
„ritûs ſaocti conſumâſſet: & in die ſan-
„cto Cœnæ Domini nos dulciſſimo
„verbi Dei pane in Capitulo refeciſſet:
„in die ſancto Paſchæ Miſſæ hebdo-
„madarius fuit, & ſermonem in Ca-
„pitulo fecit. Secundâ feriâ Miſſam
„in conventû cantavit, & poſtmodùm
„debilitate correptus quartâ feriâ in-
„unctus eſt. Sed tunc communicare
„non potuit, quod ipſe poſtea ali-
„quantulùm convaleſcens, divina
„providentia aſſeruit: dicens non Do-
„minum ad ſe, ſed ſe ad Dominum
„venire debere. Et ſic ſequenti, quam
„præcedenti die non audierat, ipſi-
„úsque diei Miſſam audivit: & con-
„feſſus priùs, ſacroſancta Myſteria
„corporis & ſanguinis Domini, in tu-
„telam exituræ in proximo animæ, de-
„votiſſimè accepit. Sicque per totam
„hebdomadam, cùm Miſſam quoti-
„die audiſſet, quam nullo modo omit-
„tere volebat: & dominum Abbatem,
„qui tunc fortè deerat, antequàm re-
„cederet, multùm videre vellet: poſt-
„quàm venit, ab eo viſitatus & abſo-
„lutus, inter manus ipſius, cui ſe ac-
„cuſabat, cœpit acri quidem ſed bre-
„viſſimo dolore fatigari, usque ad mor-
„tem: Dominica in Octavis Paſchæ
„tranſiens ex hac vita, & ſcandens,
„ut credimus, ad ſyderea regna.

„Ne verò longiùs protrahatur Epi-
„ſtola, de omni tempore vitæ ejus brevi-
„ter dixerim⁹: in diebus noſtris majoris
„abſtinentiæ, pudicitiæ mundioris, ſa-
„nioris conſilii, humilitatis altioris, taci-
„turnitatis magis aſſiduæ, locutionis
„plus circumſpectæ prorſúsq; à vanita-
„te alienæ, purioris vel ampliùs Catho-
„licæ doctrinæ, ínque universa mo-
„rum honeſtate, præclariorem nullum
„nos cognoviſſe. Hæc ſcribimus vo-
„bis, quoniam frater erat, ut de tan-
„to fratre gaudeatis, & quod ei pro-
„miſeratis, devotè perſolvatis in re-
„gno Dei, ad quod eum evolâſſe con-
„fidimus, ei conſociari precantes. Va-
„lete.„

Doctiſſimus *Gabriel Geberonius* è Congreg. S. Mauri in Proloquio ad Opera S. Anſelmi ſpem fecit, omnes *Hervei* in ſacram Scripturam commentarios, qui in MSs. codicibus habentur, typis, ſi tempora darent, edendi; quâ ſpe tamen literatus orbis ob iniqua poſtmodùm Gerberonii fata evolutus eſt. Eruditorum vota ex parte implevit V. C. Bernardus Pezius, dum Hervei Commentariorum in Iſaiam Prophetam libros VIII. juris publici fecit Theſauri Anecdotorum Noviſſimi Tomo III. Parte I. ubi etiam allata à nobis epiſtola encyclica legenda eſt, quam Oudinus quoque exhibet Tomo II. de S. E. ubi alii authores, qui Hervei meminerunt, allegantur, videlicet Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica de Scriptor. Eccleſiaſt. Tom. I. pag. 432. Guillelmus Cavus in Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum, Sec. XII. ad an. 1130. pag. 659. Carol. Dufren. du Cange in Indice Scriptorum præmiſſo Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis vet. edit. pag. ſeu col. 113. Authores qui de Herveo agunt.

IV.
GOFFRIDUS Abbas Vindocinenſis, & S. R. E. Cardinalis.

† Circa A. 1131.

GOffrido patria fuit in Andegavis: genus clarum in primis ac nobile: quod indicat ejus Epiſtola II. & aliæ, in quibus Ramaldum Credonis dominum, & Mauricium ejus filium conſanguineos ſuos vocat. Educatus à Guarnerio Archidiacono Andegavenſi, magiſtróque uſus Guillelmo, ad quem libro IV. ſcribit; prima ætate inter monachos Vindocinenſis Monaſterii, quod Goffridus Martellus Comes paucis ante annis in Carnutum finibus fundârat, nomen dedit. Nec multò poſt, novitius adhuc & juvenis ac Diaconus tantùm, Bernone mortuo, Patriâ Andegav. genere nobilis, Monachis Vindocinenſibus acceſſetur,

quin-

Novitius adhuc Abbas eligitur.

quintus ejuſdem Cœnobii Abbas renuntiatus eſt. Tum ab Ivone Carnutenſi Epiſcopo inauguratus, Romámque ad Urbanum II. Guibertinæ factionis metû latitantem profectus, immortali Pontificem beneficio devinxit, pecunia, unde Lateranum, & turrim Creſcentiam redimeret, affatim collata. Quo nomine primus omnium pedem Urbano in ſede Pontificia cum Laterano reſtituta oſculatus eſt. à quô & presbyter ſacratus, Eccleſiam etiam B. Priſcæ, unde vi à Guitbertinis dejecti fuerant Vindocinenſes, cum adnexa Cardinalis dignitate poſtliminiò recepit.

Cardinalis creatur.

Reverſus in Gallias Salmurum ad Ligerim eodem ipſo anno, qui fuit Chriſti MXCIV. ab Hugone Legato ad Fulconis Rechini Comitis expiationem accitus eſt; tum ſequenti mox anno ad celeberrimum apud Arvernos Concilium ab Urbano vocatus interfuit; adſuturus etiam Lateranenſi Paſchalis II. & Romano item Calliſti II. à quibus pariter evocabatur; niſi alterum iter brevitas temporis, alterum hyemis aſperitas excluſiſſet.

tribus ſummis PP. charus,

Urbano ſanè, quoad vixit, unici filii inſtar carus fuit: quem etiam Vindocini, ac poſtea Paſchalem undenûm dierum ſpacio hoſpitem habuit. Calliſto autem veteri neceſſitudine conjunctus, &, quod utriusque mutuæ Epiſtolæ oſtendunt, intimus fuit. Quo præterea in numeto apud Ludovicum VI. Regem Goffridi nomen fuerit, hoc declarat, quod à Rege delectus eſt inter arbitros controverſiæ, quæ de Majotatû, & Seneſcalcia Franciæ ab Andegavorum Comite movebatur. Monaſterium ſumma cura, & vigilantia rexit: ita ut nullum illo tota Galiia, quod non uno loco prædicat, ea ætate otdinatius haberetur: & quamquàm non nullis aſperior videbatur; ipſe tamen ſe ad indulgentiam naturâ proniorem fuiſſe ſcribit. Proventus verò atque opes externas ſic amplificavit, ut monaſterium duplo quàm acceperat, locupletius copioſiúsque reliquerit. Sed multæ illi, ut mos eſt, dum antiqua illius jura & poſſeſſiones tuetur, cum vicinis Epiſcopis, Abbatibus, & Ptincipibus viris ſubeundæ moleſtiæ, & contentiones fuerunt. Ingenio fuit acri & vivido; quod in ſacris præcipuè literis, Canonibúsque exercitatum omnia paſſim opera cum ſingulari ejus pietate teſtantur: libertatem vel unica ad Paſchalem de inveſtituris ab eo conceſſis Epiſtola: fidem ac ſtudium erga Sedem Apoſtolicam, cujus ſpeciatim filii ſunt Abbates Vindocinenſes, tum impenſæ, quas pro ea maximas fecit, tum ſuſceptorum itinerum labores, in quibus Alpes pro Eccleſiæ Romanæ utilitate duodecies tranſcendit, ter etiam ab ejus adverſariis captus eſt.

pro utilitate Eccleſiæ Rom. duodecies Alpes ſuperat.

De obitû nihil compertum ad extrema Honorii II. tempora perveniſſe, Honorii ipſius ad Goffridum literæ anno MCXXX. ſcriptæ fidem faciunt.

Sirmondus Goffridi biographus.

Vitæ ſeriem à nobis hîc datam contexuit *Jacobus Sirmondus* S. J. qui etiam ejus Scripta primus in lucem eruit, ac notis Epiſtolas illuſtravit an. MDCX. Pariſiis 8. Extant etiam inter Opera Sirmondiana Pariſ. & Venet. nec non in Bibliothecæ Patrum Supplemento Pariſ. Tom. II. pag. 487. & in Lugdunenſi Tom. XXI. ſtatim ſub initium: diſtinguuntur verò in *Epiſtolas*, *Opuſcula*, & *Sermones*.

Epiſtolarum Libri V.

Quotum I. ad Pontifices, & Sedis Apoſtolicæ Legatos. II. ad Epiſcopos Carnotenſes. III. ad Epiſcopos Andegavenſes, Cenomanenſes, & Santonenſes. IV. ad Abbates, Priotes, Monachos diverſorum Cœnobiorum: inter quas ordine 47. eſt decantata illa in antiquiſſimis etiam obvia Codicibus de Roberto de Arbruſcello. V. ad Seculares tum Clericos, tum Laicos. Epiſtolam ad Cluniacenſes de ineunda ſuffragiorum ſocietate vulgavit Mabillonius Tom. III. Analect. pag. 481. (edit. nov. pag. 159.) quæ repetita etiam ab editoribus Operum Sirmondi.

Opuſcula XVIII.

I. De corpore ac ſanguine Domini.
II. De ordinatione Epiſcoporum & de inveſtitura laicorum ad Petrum Leonis Cardinalem.
III. De Simonia & inveſtiturâ laicorum, quare utraque dicatur hæreſis, ad Calliſtum Papam.
IV. De poſſeſſionum Eccleſiaſticarum inveſtitura, quod Regibus concedatur.
V. Qualiter diſpenſationes in Eccleſia fieri debeant, ad Calliſtum Papam.
VI. Quæ tria Eccleſia ſpecialiter habere debeat, ad Calliſtum eundem.
VII. De Arca fœderis, ad Hamelinum & Andream.
VIII. Quid baptiſmus, quid confirmatio, quid infirmorum unctio, quid corporis & ſanguinis Chriſti perceptio in anima chriſtiana operentur.

IX. Quid ſit Sacramenti iteratio.
X. De promiſſionibus, quas pro conſecratione ſub nomine profeſſionis Abbates faciunt Epiſcopis. ibidem.
XI. De illis, qui in Capitulo inordinatè clamant, & de his, qui ibi inordinatè reſpondent.
XII. Quæ tria Paſtoribus ineſſe debeant.
XIII. Invectio Dei contra peccatorem, & peccatoris confeſſio precantis miſericordiam.
XIV. Alia invectio contra peccatorem, & pœnitentis peccatoris conſolatio.
XV. Lamentatio cujusdam peccatoris accuſantis ſe, & judicantis.
XVI. Oratio ad Jeſum.
XVII. Oratio ad Matrem Domini.
XVIII. Hymnus de S. Maria Magdalena.

Sermones XI.

I. II. III. IV. In Nativitate Domini.
V. De Reſurrectione Domini.
VI. De Aſcenſione Domini.
VII. De Purificatione S. Mariæ.
VIII. In omni feſtivitate B. Mariæ.
IX. In feſtivitate S. Mariæ Magdalenæ.
X. De Latrone ſalvato in cruce.
XI. In feſtivitate B. Benedicti.

Scriptores de Goffrido quinam agant.

De Goffrido agunt Card. Baronius in Annalibus Eccl. Nat. Alex in Hiſtor. Eccleſ. Mabill. Annal. Benedict. Tom. VI. Doctor Eggſius in Purpurâ doctâ, ac præter plures alios noviſſime R. P. Lud. du Meſnil Doct. & Diſcipl. Eccl. Tom. 4. lib. 49. ad an. 1134. hæc habet: „ Goffridus Abbas „ Vindoc. & Cardinalis B. Priſcæ ſe„ptimo kalendas Aprilis ad cœleſtia „ regna tranſiit. Vir fuit in ſacris li„teris, & Canonibus exercitatus, ut „ oſtendunt ejus opuſcula: tribus ſum„mis Pontificibus gratus fuit, & in„timus, ut epiſtolæ mutuò datæ fi„dem faciunt. „

† 1134. 18. Decemb.

V. VENERABILIS HILDEBERTUS.

Patriâ Vindocinenſis.

Hildebertus piis, etſi mediocris fortunæ parentibus in Caſtro Lavotzinenſi, ſeu Laverdini ad Montem aureum in agro Vindocino natus eſt anno 1057. A puero diſciplinis boniſque artibus inſtitutus, magiſtróque uſus fuit Berengario, tunc eruditionis laude præ cæteris inſigni. Nec incautus, ut puerilis ætas ſolet, Magiſtri errorem hauſit; nihil quippe ex peſtiferâ ejus circa ſacram Euchariſtiam doctrina mutuatus, intemeratam ſanámque (i) in ſcriptis ſuis de tanto myſterio præfert ſententiam. Sed in doctorem tamen ſuum non ingratus, ubi de ſincera ejus, etſi ſerâ, pœnitentia certior factus eſt, Epicœdium illi cecinit, virúmque laudibus exornavit ultrà fortè quàm ſatis erat. Primos adoleſcentiæ annos ſic emenſus ad ſacrarum literarum ſtudia ſe contulit. Tunc verò ad ſacrum Cluniacenſe Cœnobium, quod S. Hugone Abbate diſciplinarum omnium laude florebat, acceſſit, monaſticúmq; (k) ſtatum amplexus fuit. Inde eum Hoellus Epiſcopus Cenomanenſis, eruditionis ejus famâ permotus, Cenomanenſibus ſcholis præfecit, & anno 1092. cùm ætatis annum ageret 35. in Archidiaconum adlegit, quod munus per annos 5. adminiſtravit, nec tamen (uti contra Cardinalem Baronium Hildeberto paulò iniquiorem famam ejus Antonius Beaugendre egregiè tuetur) poſt acceptum honorem illum vitam ſolutiorem exercuit.

Magiſtro utitur Berengario, cujus errorem non hauſit.

Cluniacenſe Cœnobium ingreditur.

His gradibus Vir ille præclarus ad Epiſcopatûs honorem viam ſibi paravit. Defuncto quippe Hoello Epiſcopo in ejus locum A. 1097. quadragenarius ſucceſſit, non ſine magnâ quidem partium diſſenſione in Præſulem ordinatus, prout & poſt illud tempus plurimas factiones ſibi adverſantes ſuperare neceſſe habuit. Multa inprimis à Guillelmo Rufo Angliæ Rege perpeſſus fuit. Is enim, quòd Cenomanenſem Conútatum ſuæ ditionis eſſe contenderet, indignè tulit Hildebertum, ſolo Heliæ Comitis Cenomanenſis nutû, ſéque inconſulto collatum munus accepiſſe. Exorto propterea Regem inter & Comitem funeſto bello, non Cenomanenſis modò Eccleſiæ ditiones à Rege devaſtatæ, ſed ipſe etiam Hildebertus proditionis primùm accuſatus, tum manibus pedibúſque conſtrictus tetrum in carcerem proditoriè injectus fuit. Ne tantis quidem ærumnis fractus Hildebertus maluit annum integrum in miſeria & deterrimo ſitu jacere, quàm oblatam ſibi conditionem, ut per attactum igniti ferri innocentiam probaret, accipere, quia id ſacris Canonibus vetitum erat. Eam quippe conſuetudinem

In Epiſcopum Cenomanenſem aſſumptus.

multa pati cogitur.

(i) Hoc patet ex ejus eruditiſſimo Tractatu de ſacra Eucharistia, ex ejus explanatione Miſſæ, è Poëmate de Sacrificio Miſſæ, & de Sacra Eucharistia, ex ejus Sermonibus, & aliis paſſim.
(k) Ant. Beaugendre in vitâ, & multò ſolidiùs id evincit *in advertendis quibusdam* ad calcem Opp. Hildeberti.

nem, prioribus ſeculis uſitatam, jure abrogavit Eccleſia; qnòd videretur eos, qui tale probationis genus uſurparent, & Deum tentare, & periclitari, ne innocentes opprimerent.

Poſtquàm verò Guillelmns Rufus, Rex Angliæ, in venatû miſerè peremptus fuit, ex carcere qnidem Hildebertus eductus fuit, non mitiorem tamen Henricum ejus ſucceſſorem expertus fuit. Is enim defuncti fratris veſtigiis inſiſtens, dirui turres Eccleſiæ Cennomanenſis Regiæ arci imminentes jnbebat. Sed cùm juſſis non obtemperaret Epiſcopus, bonis iterum omnibus ſpoliatus, ad tantam rerum omnium penuriam redactus eſt, nt cùm ad Pictavienſe Concilium inopiæ causâ ſe conſerre non poſſet, ejusmodi excuſationem Apoſtolicæ Sedis Legatis adferre compulſus ſit. Nec amborum modò Regum exagitatus odiis, ſed etiam Conſulum, ut ille vocat, Cenomanenſium contumeliis impetitus eſt; qui ut Henrici gratiam captarent, toto triennio Præſulem laceſſere non deſiſtebant. Quare tot oppreſſus malis Romam iter capeſſit, tum ut apud communem parentem ſolatii quidpiam inveniret; tum ut ejus nutû Epiſcopatum abdicaret, & Cluniacum ſe denuò reciperet, ut cum pace reliquum vitæ tempus in Monaſticis exercitiis tranſigeret; quamquàm non Romæ, ſed Saviniaci Papam Paſchalem II. invenerit. Hic autem viri indole, doctrinâ, induſtriâ, animarum curá permotus non ſolùm à propoſito Pontificatum deponendi eum deterruit, ſed & expreſſo ſcriptis mandato ad Eccleſiam, curáſque paſtorales remiſit.

Cenomanum igitur vel invitus rediit, civitatémque magnâ tandem tranquillitate fruentem reperit. Helias enim armis & auxilio Fulconis Richini Andium Comitis, qui filiam ejus Heremburgam ſibi deſponderat, devicto Anglorum Rege Henrico I. Urbem in ſuam iterum ditionem redegerat. Conſtituta ſic ſatis pace mox denuo confligandum ipſi fuit cum Henrico quodam priſcorum hæreticorum deliramenta non pauca revocante. Quo vix ſuperato & expulſo novas expertus eſt moleſtias. Technis etenim Rotroci Comitis Mauritanenſis, ejúsque matris, & dapiſeri Humberti, circumventus duro præter omnem opinionem carceri cum Hugone Cenomanenſi Decano ſe mancipatum vidit. Tantus porrò luctus Clerum, & populum Cenomanenſem, ob captivitatem ſui Præſulis invaſit, ut nihil non tentaverint pro captivorum obtinenda relaxatione. Hinc privatorum gemitus; hinc celebrata publicè jejunia; hinc indictæ ſolemnes ſupplicationes: hinc tandem Clerici parati etiam Cruces ipſas & vaſa ſacra pro redemptione captivi Paſtoris impignorare, vendere, frangere. Quod ut Hildebertus reſcivit, plus Eccleſiæ honori & libertati, quàm ſuæ conſulens, toto niſu ne fieret prohibuit. Pace tandem multis poſt annis inter Ludovicum Craſſum Francorum Regem, & Henricum Anglorum Regem inita; ac inter eos etiam compoſita, qui utrique parti adhæſerant, captivi utrinque dimiſſi. Sícque Comes Rotrocus è carcere Cenomanenſi & Hildebertus Epiſcopus cum Hugone Decano ſuo è Mauritanenſi carcere poſt exantlata dira tormenta reſtituti ſunt.

Cleri populique ſtudia in ſuum Præſulé.

Vinculis verò ſolutus Hildebertus diſſipatam pravíſque moribus imbutam plebem ad ſaniorem mentem revocare ſummoperè anniſus fuit. Quia verò ad inſtitutionem populi multùm conferre ſolet Clericorum exemplum, Canonicos Eccleſiæ Cenomanenſis, qui belli turbarúmque tempore à vera pietatis norma longè deflexerant, quà exemplo, quà monitis ſuis, ad meliorem frugem reducere ſatagebat. Hæc ipſi præcipua ſollicitudo. Hanc quaſi ſummam rerum inprimis curabat; ſed tamen, quæ ad exteriorem Eccleſiæ apparatum, ad ædificiorum reſtaurationem, & augmentum ſpectabant, non negligenda duxit: imoverò tam ſtrenuam iis operam poſuit, ut mirum ſit, virum non ſemel omnibus fortunis ſpoliatum, & ad extremam inopiam redactum, ea præſtare potuiſſe, quæ in Geſtis Cenomanenſibus recenſentur. Si quis verò ſit conjecturæ locus, tantas opes & pecunias, quantas conſtruendis ædificiis, ornandíſque Eccleſiis inſumpſiſſe narratur, nonniſi ex liberalitate Regum, Præſulum, & Magnatum, quos in variis vitæ caſibus adiit, quibúſque acceptiſſimus fuiſſe traditur, hinc & inde coacervâſſe traditur.

Ejus de emendandis populi, inprimis verò Cleri vitiis

itemq; de ornandis eccleſiis cura.

Nec ornandæ tantùm & ditandæ Eccleſiæ ſuæ, cæteríſque & Urbis & Diœceſis Cenomanicæ inſudavit Hildebertus: erga Monachos in ſuburbio Cenómanenſi; quos ſpecialiter *fratres ſuos & filios* vocare ſolebat, propenſo fuit animo; varia illis munera aut procuravit à Regibus & Optimatibus, aut

Monachis Cenomanenſibus favet.

ipſe

ipſe contulit, & plures conceſſit eccleſias; devotiſſimóque erga S. Domnolum Cenomanenſem Epiſcopum, & illius Monaſterii, rogatu & conſilio ſancti Germani Pariſienſis Epiſcopi, Fundatorem, pietatis ſenſu permotus, ſacrum ejus tumulum reverenter primus aperuit an. circiter 1124. præſente Fulcone juniore, Andegavenſi Comite, magnâque totius regionis & Optimatum ejus frequentia, qui omnes miraculorum in hac ſolemnitate, ad invocationem ſancti Domnoli à Deo patratorum, fuerunt oculati teſtes.

Archiepiſcopus Turonenſis eligitur. Porrò anno ſequenti 1125. Gilleberto Turonenſi Archiepiſcopo è vivis ſublato, in ejus locum Hildebertus, ferè licèt ſeptuagenarius, & renitens, ſuffectus eſt. Cùm enim, ut Cenomanenſis Epiſcopus, & ob id ſuæ ſedis privilegio Suffraganeorum Epiſcoporum primus, vacantem Eccleſiam Metropolitanam adminiſtraturus, Turones adveniſſet, unanimi Cleri populique conſenſu in Archiepiſcopum electus eſt. Et quidem in nova hac dignitate conſtitutus ſicut dum eſſet Cenomanenſis Epiſcopus, nihil minuerat de cibi & potûs parſimonia, de ſtrati duritie, de cilicii aſperitate, de vigiliis & orationibus, quibus dum Monachus viveret, corpus domare didicerat; ſic nec in Archiepiſcopatu, quamvis ſenio jam penè confectus, de ſolitis ſibi pœnitentiæ exercitiis remiſit. Sic ſemper ſibi parcus, & naturæ neceſſitatibus pauciſſima indulgens, erga pauperes rerum ſuarum profuſus, in Eccleſias munificus, omnibus humanus & gratus; ſed erga populos ſuæ curæ commiſſos Paſtor ſemper extitit vigilantiſſimus.

Concilium provinciale celebrat. Hinc ad Cleri populíque mores aut reformandos, aut in melius informandos animum intendit. Nannetenſe etiam Concilium Provinciale coëgit, quò præter Provinciæ Epiſcopos accıti ſunt diverſis è locis inſigniores illarum partium Abbates, præcipuíque doctrinâ & pietate viri, ut deformatam penè illius Provinciæ Eccleſiam reſtauraret, lapſam diſciplinam reſtitueret, Eccleſiaſticóſque mores à pietare devios ad meliorem frugem auctoritate Eccleſiaſtica reduceret. Inprimis verò curavit inceſtas nuptias tollere, fœda ſacerdotum conjugia ſolvere, maximéque turpem illam inveteratámque conſuetudinem amovere, quâ ſacrilegarum hujuſmodi nuptiarum proles ad Canonicas Præbendas, & ad Sacerdotia ipſa quaſi hæreditario jure accedebat. Hos autem abuſus ſolenni Patrum Decreto indictâ anathematis pœna proſcripſit.

Curat, ut populis benè ſit. Nec Eccleſiaſticas modò res componere curavit, ſed populorum etiam oneri levando operam navavit. Ipſe quippe Conanum tunc Britaniæ Comitem eò deduxit, ut in ipſo Concilio, & in manibus Patrum duo uſu recepta jura plebique graviſſima, ultrò abdicaret. Cùm primùm enim alteruter ex conjugatis, ſive maritus, ſive uxor obierat, defuncti mobilia omnia, in grave prolis detrimentum, Comitis fiſco cedebant. Nec levior injuria miſerè naufragantibus inferebatur, dum quidquid illis, ſive ex mercibus, ſive ex navalis ſupellectilis reliquiis ſupererat, totum id ſibi Comitis fiſcus vindicabat. Comitis autem animum pro innata facundia ita demulſit Archiepiſcopus, ut vel ipſe iniquis hujuſmodi vectigalibus renuntians, enixè poſtularet, ut anathematis pœna in refragantes indiceretur. Hæc autem præclara geſta mirum, quàm brevi temporis ſpatio Præſul noſter abſolverit, omnia perfecta completáque fuerunt.

Magna ævo illo authoritate valet. Quanti autem nominis, & authoritatis ævo illo in Eccleſia fuerit Hildebertus, vel id maximè teſtatur, quòd in illo celebri diſſidio, quod inter Anacletum Pſeudo-Papam & Innocentium II. legitimum Pontificem interceſſit de ſummo Pontificatu, D. Bernardus, unanimi Cardinalium conſenſu, ſummus quaſi tantæ quæſtionis electus arbiter, tantoperè Hildeberti ſuffragium ambiêrit. Et quidem initio Hildebertus Petro Leonis, ſive Anacleto, utpote pluribus ſuffragiis electo, faverat; quippe qui unam ſupra viginti voces ſortitus fuerat, Innocentius autem ſeptem tantùm ſupra decem. Quo comperto, Anacleto, priori pluralitate vocum electo, Hildebertus bonâ fide adhæſerat. Id animadvertens S. Bernardus, ſimul & quanti foret momenti, ſi Hildebertus, cujus pietatis & doctrinæ fama per univerſam ferè Eccleſiam pervolârat, quíque totius Britanniæ Metropolitanus erat, cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis ab Innocentio deficeret, epiſtolam ad ipſum miſit omnino patheticam, quâ ipſum ab Anacleto diverteret, & ad Innocentium, ut legitimum Pontificem revocaret, ut & reipſa revocavit. A pluribus quippe annis inter ſe D. Bernardus & Hildebertus ſanctæ neceſſitudinis fœdus inierant, ut liquet ex epiſtola

18.

18. Lib. 3. Hildeberti ad S.Bernardum, quâ *intra ſacrarium*, ut loquitur; *ejus amicitiæ* enixè petierat admitti, & ex Epiſtola 19. ejoſdem Libri D.Bernardi ad Hildebertum, totâ mellifluâ, & ejus laudibus fulgenti: Unde in præfata Epiſtola, quam ei de illins percelebris diſſidii negotio ſcribit, ei ſe tanquam familiari & noto, quod æquum & Eccleſiæ cenſebat utile, ſuggerere dicit, *ne tantam*, inquit, *Eccleſiæ columnam concuti contingeret*. Quibus monitis libenter acquieſcens Hildebertus totam Armoricam, & conſiliis, & exemplo ad partes legitimi Pontificis Innocentii traxit, & ei cum univerſa ipſa deinceps conſtanter adhæſit.

S.Anſelmo author eſt, ut ſcribat Tract. de S.Spiritu.

Magnâ etiam authoritate valuit apud S. Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem. Cùm enim accepiſſet, quàm glorioſè ſanctus hic Archipræſul de Græcis proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio impugnantibus triumphâſſet, illum obnixè rogavit, ut rationum momenta, quibus in publica diſputatione coram Summo Pontifice illorum errores in Concilio Barenſi confutârat, ſcripto tradere dignaretur: quod ad ejus preces egregiè præſtitit S. Anſelmus. Sic Hildeberti curis & rogatui univerſa Eccleſia debet eximium illum S. Anſelmi Tractatum de Spiritu ſancto. Id verò liqoet ex eorum reciprocis Epiſtolis 9. ſcilicet, 11. & 13. Lib. 2. & è Guillelmo Gemeticenſi Hiſt. Norman. Lib. 6. cap. 9.

Obiit XV. Cal. Jan. 1134.

Denique Venerabilis Antiſtes tot curarum ſpinis inoffenſo calle ſuperatis, toties repetitâ facultatum omnium jactura, tot exiliis, & propriæ etiam perſonæ identidem vexationibus toleratis, tot calumniarum injuriis, ſola patientia, & in Deum confidentia diluntis, tot denique laboribus pro Eccleſia Dei & Ordinis ſui dignitate tuenda ſuſceptis obdormivit in Domino XV. kal. Januarii, ſive decimo octavo menſis Decembris anno 1134. poſtquàm Eccleſiam Cenomanenſem per octo & viginti annos, ut ipſe teſtatur epiſt. 31. lib. 3. & Turonenſem per annos ſex, & totidem menſes in ſumma reum varietate ſanctè, ſapientérque rexiſſet.

Multa ſcripſit (1) tam proſa quàm verſu, quorum editionem promiſerat *Stephanus Baluzius* præſatione ad Lupum Ferrarienſem, atqoe in Epiſtola an. 1680. data ad Fridericum Benedictum Carpzovinm teſtatus eſt, ſe elegantis Scriptoris Opera contuliſſe cum multis antiquis exemplaribus, & pleraque ſe habere tunc necdum edita, & Notas in eum comparâſſe hiſtoricas.

Beaugendre ejus Opera edit. Pariſ. 1705.

Interim D. *Antonius Beaugendre* Presbyter & Monachus è Congr. S. Mauri rem feliciter executus, atque Operum Hildeberti præclaram editionem adornavit, in qua & à *Jacobo Homey* in Supplemento Patrum publicata adhibuiſſe ſe, & à D. Baluzio conceſſa quædam, & ex *D. Philippi Loyante* ſchedis, qui & ipſe Hildeberti Epiſtolas illuſtrandas in ſe ſuſceperat, accepta nonnulla in uſum vertiſſe, ſe profitetur. Prodiit Beaugendrii Hildebertus, cui & vita ejus, & notæ, & *MARBODI* Redonenſis opuſcula addita ſunt, Pariſ. 1708. Quæ ſingula in illis contineantur, retulit Fabricius in Bibliotheca Latina IV. 2. Separatim vel ſparſim edita, à Caveo, & diligentiùs ab Oudino recenſentur, ubi etiam de pluribus codicibus MSS. Tom. 2. pag. 995. ſeq. Nos in Sodalium noſtrorum gratiam, qui editione *P. Beaugendre* carent, opuſcula, eorúmque argumenta otdine referemus.

Epiſtolæ centum & viginti, quas inter additæ ſunt veteribus triginta novem recentes. Prudenter verò Editor in tres libros diſtinxit. In primo igitur collocavit, quæ pietatem Chriſtianam & vitam Aſceticam, ſive, ut Hildebertus ipſe loquitur, Contemplativam ſpectant: in Libro II. quæ ad dogmata Catholica, ſeu Diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent: in Libro III. quæ meram in amicos familiaritatem, & honeſtam urbanitatem exprimunt. Acceſſit appendix Epiſtolarum, quæ nunquam editæ, recenter poſt præcedentes jam excuſas detectæ fuerunt: Eduardus enim Brown nonnullas ex Epiſtolis Hildeberti edidit Londini fol. 1690. in appendice ad Orthuini Gratii faſciculum rérum expetendarum, fugiendarúmque.

Sermones, ſeu Conciones centum & quadraginta, ſive quas in frequentibus Synodis, & Epiſcopus & Archiepiſcopus, ad ſuæ Diœceſeos ſecundos Paſtores mirâ doctrinâ & pietate refertas habebat. Sic & ovibus docilitatem, & Paſtoribus diligentiam inſpirabat efficacibus illis & verbis, & rationum momentis, quæ in ejus concionibus paſſim advertimus. Magnoperè Cl. Editoris conſilium laudandum eſt, quòd quid utilitatis, vel etiam piæ oblectationis ex

(1) Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. in Hildeberto, quam verò Baluzii epiſtolam ad Carpzovium citat, legeſis in Schelhornii amœnit. lit. Tom. VIII. pag. 627.

ex Hildeberti noſtri ſermonibus Lector percipere poſſit, breviter indicaverit; & ea, quæ ſive ad Eccleſiæ dogmata, ſive ad antiqnos Eccleſiæ ritus & diſciplinam, ſive tandem, quæ ad dirigendos in quocunque ſtatu Fidelium mores attinent, in ſynopſin quaſi redacta ei ob oculos poſuerit. Nonnullos ex his Sermonibus exhibet Combefiſins in Bibliotheca Concionatoria.

Exceptiones, ſeu, nt alii, *Excerptiones Decretorum*, quas in unum volumen, ut ait, ordinare diſpoſuerat, & quarum jam partem expleverat, ut ex ejus Epiſtola 27. lib. 2. intelligimus; quas quidem per curas Epiſcopales non illi licuit abſolvere, ſed quas, iis quantocyus poſſet excuſſis, ibidem ſe ſpondet ad umbilicum deducturum. Notat verò Cl. Beaugendre hoc Opus, ſeu Operis initium, in nullo ex plurimis, quos viderit mſs.[is] Hildeberti reperiri; nec tamen dubitandum eſſe, quin ejus Author ipſe ſit, cùm id in hac (27.) epiſtolâ diſſertè affirmet.

Vita S. Radegundis Reginæ. Hanc S. Radegundis vitam ad R. P. Mabillonium à R. P. D. Claudio Stephanotio, rerum antiquarum ſtudioſiſſimo, olim transmiſſam ipſe Mabillonjus, cùm ſe quandoq; offerret occaſio, juris publici facturum propoſuerat. Verùm gravioribus intentus ſtudiis, ſolùm interim in illam V. Hildeberti Prologum, Tom. I. Analectorum ſuorum inſeruit, & opuſculum ipſum Antonio Beaugendre Hildeberti lucubrationes quaquaverſùm inveſtiganti evulgandum amicè dimiſit. Hanc autem ſanctæ Reginæ Vitam præfatus Stephanotius è duobus optimæ notæ mſs. Codicibus Regulis Eccleſiæ Collegiatæ ſanctæ Radegundis Pictavienſis eruerat, in quorum antiquiore, paginâ primâ, depictus cernitur Epiſcopus, ſacris veſtibus indutus, qui flexis genibus Librum offert ſanctæ Radegundi coronatæ, nigrâ veſte & ſanctimoniali indutæ, & ſedenti, quæ & ipſius capiti infulato coronam imponit, ſupra quam ſcriptum eſt antiquo charactere vocabulum hoc: HILDEBERTUS EP. Circa caput autem beatæ Reginæ, ſic ſcriptum eſt: S. RADEGUNDIS REGINA. Aſſiſtunt autem ei duæ Sanctimoniales nigris veſtibus ſimiliter indutæ, cum his vocibus: S. AGNES. S. DISCIOLA. Subtus autem, in Iconis margine, leguntur hi duo verſus:

Crimina Paſtoris tanti mercede laboris
Chriſtus condonat, & eum Regina coronat.

Quænam autem fuerint Sanctimoniales, ſanctæ Radegundi aſſiſtentes, diſcimus è Gregorio Turonenſi: Et quidem de S. Diſciola, Hiſtoriæ Francorum Lib. 6. num. 9. ubi pretioſa ejus mors enarratur; de S. autem Agnete Lib. 9. n. 42. ubi in ſuo diplomate ibi relato S. Radegundis, eam à S. Germano Pariſ. Epiſcopo, in Abbatiſſam benedictã fuiſſe aſſerit. Utramque verò ut Sanctam coli in Eccleſia Pictavienſi III. Idus Majas, notat Ruinartius in ſuis ad Gregorium Turonenſem Notis, & ut Sanctas invocari in Litaniis Pictonicis, quæ ab Henrico Ludovico Caſtaneo, Epiſcopo Pictavienſi vulgatæ ſunt. Hanc autem Iconem, ut eximium antiquitatis monumentum, graphicè ad Originale deſcriptam, & à Beaugendre, quàm exactè fieri potuit, inſculpi juſſam, ad vitæ initium Editor cenſuit Lectori exhibendam.

Vita S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis è Surio 29. Aprilis & ex Bibliotheca Cluniacenſi, ad mſ. Cluniacenſe recognita, extat etiam in Actis Sanctorum Tom. 3. April. 29. pag. 634.-648. cum Notis Henſchenii.

Tractatus de Querimonia & Conflictu Carnis & Spiritûs, ſeu Animæ, editus an. 1684. in Supplemento R. P. Jacobi Homey Auguſtiniarii; ubi primum illi locum aſſignavit inter fragmenta Opuſculorum Hildeberti. Hunc autem Tractatum inter Opuſcula dubia Hugonis Duſoliet recenſuit Dupinius in Indice Authorum Eccleſiaſticorum ſeculi XII. ſuæ Hiſtoriæ part. 2. pag. 951. Quod ſanè non feciſſet, ſi copiam habuiſſet Manuſcripti Corbeienſis, quo Beaugendre uſus eſt, ſatis ampli in fol. ſexcentorum ad minus annorum, ubi continentur Opera iſtius Hugonis, inter quæ nullum omnino reperitur, quod, nec vel titulo ad Conflictum hunc carnis & ſpiritus accedat. Porrò tantùm abeſt, ut fuerit Monachus Corbeienſis, ut nec unquam Monachum fuiſſe, nec Benedictinum, ipſa ejus Opuſcula clament, ſed ubique Canonicum Regularem S. Auguſtini, cujus capite de Temperantia ſibi & ſuis *regulam tenendam* aſſerit.

Moralis Philoſophia, ſeu *Tractatus de Honeſto & Utili* ex mſ. Colbertino n. 2662. & Victorino 759. nondum editus. In hoc autem Tractatu præ cæteris Auctoribus Senecæ potiſſimùm ſententiis è libro de Clementia deſumptis utitur Hildebertus. Illum verò concinnâſſe è plurium prophanorum libris cum Editore credimus, dum adhuc

juve-

juvenis humanioribus literis daret operam, & illorum libros præ manibus haberet, quod è ſrequentioribus Poëtarum citationibus evinci poteſt. Non dubium igitur, quin ex frequenti lectione Senecæ, Ciceronis, Salluſtii, & aliorum priſcæ ætatis eloquentiæ principum, quos Hildebertus adhuc juvenis aſſiduè verſaverat, & quorum in hoc Tractatu præcipuas ſententias, ut ex celebrioribus Poëtis collegerat, illum ſibi ſormaverit conciſum & elegantem ſtylum, multa paucis diſſerentem, & bonos ſales ubique ſpargentem; quem in ejus Operibus, ſed præſertim in Epiſtolis, mirati ſunt hucusque omnes eruditi.

Tractatus Theologicus ex mſ.to Lyrano 600. circiter annorum, nondum editus. Ex quo Theologiæ Scholaſticæ illius ævi auctores non modicum ſubſidium, ſive illorum doctrinæ ſubſtantia ſpectetur, ſive etiam ordo attendatur, deſumere potuiſſe exiſtimat Beaugendre, ut jam aliàs dictum.

Brevis Tractatus de Sacramento Altaris ex mſ.to Colbertino num. 2662. nunquam editus.

Expoſitio Miſſæ è mſ.to Colbertino n. 6101. nondum editus. Ex hoc autem initium Expoſitionis Miſſæ à Melchiore Hittorpio Coloniæ editæ anno 1568. è vetuſtis Codicibus, quos non deſignat, deſumptum eſſe manifeſtum fit, ex verbis ſcilicet ejusdem ipſiſſimis, usque ad Introitum Miſſæ, à quo ſunt omnia omnino diverſa.

Metrica.

Libellus de quatuor virtutibus è mſ. Colbertino n. 6327. nondum editus. Nihil aliud eſt, quàm ſynopſis ſententiarum & præceptorum moralium ab ipſo in Tractatu de Morali Philoſophia collectarum ad ſuum ipſius comodum, aut etiam inſtitutionem juvenum, quibus ejus lucubrationes ad mores informandos tradebantur; quod quidem de ſe teſtatur Petrus Bleſenſis, Epiſt. 102. ad R. Archidiaconum Nannetenſem de Puerorum Inſtitutione his verbis: *Profuit mihi, quod Epiſtolas Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi ſtyli elegantia & ſuavi urbanitate præcipuas firmare, & cordetenus reddere adoleſcentulus compellebar.* Quid ni ergò & ejus carmina ad juvandam puerorum memoriam compoſita, & quæ, teſte Orderico Vitali Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 10. pag. 770. non ſolùm in Gallias ſpargebantur, ſed etiam Romam transferebantur, & *dioacicum ſcholis*, ut ait, & *Didaſcalis Quiritum* admiranda vide-

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

bantur, & etiam illis fortaſſe memoriter diſcenda imponebantur.

Verſus de Myſterio Miſſæ è Bibliothecis Patrum. Quando hoc carmen concinnârit Hildebertus, incompertum habetur. Probabilius eſt illud compoſuiſſe, vel cùm adhuc ſub ſancto Hugone Cluniaci moraretur, vel cùm Scholarcha Cenomanenſis effectus eſt, tum cùm illud multùm intererat, ut ab erroribus Berengarii, cujus in humanioribus auditor fuerat, imunem omnino ſe præſtaret, & ſcripto etiam publico probaret; quod & duobus præcedentibus Tractatib9, & præſenti poëmate effecit.

Paſſio S. Agnetis V. & M. ex mſ.to S. Mariani Autiſſiodorenſis. Invenitur typis editum Francofurti anno 1624. Wechelianis apud Danielem & Davidem Aubrios, & Clementem Schleichium. Idque etiam nomine Hildeberti vulgatum eſt à Barthio lib. 31. Adverſariorum Commentariorum, & ab A. Rivino Lipſiæ 1637. cum decem homiliis Hildeberti: ſed prolixius eo, quod extat in mſ.to S. Mariani Autiſſiodorenſis, cui ex undecim capitibus, in quæ in Barthiano dividitur, deſunt ferè duo ultima capita, quæ huic San-Mariano Editor ſubjunxit. Chriſtianus Daumius ad Paulinum Petrocorium ſcribens hanc S. Agnetis Paſſionem non Hildeberti, ſed Alexandri Eſſeni eſſe contendit, nixus authoritate Balæi & Mſ. Jo. Schöferi.

Vita B. Mariæ Ægyptiacæ edita apud Bollandum Tom. I. April. 2. pag. 83. -- 90.

Carmina Miſcellanea.

E quibus jam typis vulgata fuerunt. 1. *Epitaphium Berengarii* in Bibliotheca PP. Lugdun. Apud Albericum in Chronico ad an. 1115. p. 226. *Hildebertus celebratur Berengarii Turonenſis diſcipulus, verſificator & dictator egregius, ut apparet ex non paucis, quæ fecit. Epitaphium quoque ejusdem Berengarii ſcripſit magnificè in verſibus quinquaginta duobus, ſed in eis laudum modum exceſſit, qui etiam Canonem metricè expoſuit.* 2. Sugerii Abbatis S. Dionyſii epitaphium in editione Mabilloniana Operum S. Bernardi. 3. De Partu B. Virginis: *Sol, cryſtallus* &c. in Supplemento Homeyii. 4. De Roma: *Par tibi Roma nihil.* 5. Item de Roma: *Dum ſimulacra mihi.* 6. Oratio proſodica & devotiſſima ad tres Perſonas SS.mæ Trinitatis, in Supplem. Homey. 7. In Natali Domini Proſa in Bibl. Patrum. 8. Liber de Exilio ſuo: *Nuper eram locuples.* in Supplem. Ho-

 meyii.

meyii. Varias lectiones Codicis Lipſienſis in boc Carmine offert Leyſerus in Hiſtoria Poëtarum medii ævi pag. 389. ubi & de aliis ejus carminibus plura, quæ III. 15. Epiſt. Hildebertus *ingenioli ſui filias* appellat. 9. De Matrimonio: *Affines conſanguineos* apud Wolſgangum Lazium. 10. Plura brevia & ſacra Epigrammata. Pro coronide afferam carmen de Hermaphrodito.

Dum mea me mater gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret, fertur, conſuluiſſe Deos.
Phœbus ait: Puer eſt: Mars fœmina, Junóque neutrum:
Jam qui ſum natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti lethum, Dea ſic ait: Occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aqua: ſors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas, aſcendo, labitur enſis,
Quem tuleram caſu, labor & ipſe ſuper.
Pes hæſit ramis, caput incidit amne, tulíque
Vir, mulier, neutrum, flumina, tela, crucem.

Præter hæc Opera in editione Beaugendriana deſiderantur adhuc Hildeberti quædam alia, nimirum *Hiſtoria miraculorum Exonienſis Eccleſiæ*, cujus ipſe mentionem facit lib. 3. epiſt. 3. ad Clarembaldum: *Statuta Synodalia pro diœceſi Cenomanenſi*, de quibus conſule Beaugendrii præf. p. xiv. Liber *de virginitate ſervanda*, quem ante annos triginta compoſuiſſe ſe ſcribit II. 45. Epiſt. ad eúmque reſpicit ſermone 3. pag. 677. vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. pag. 759. ſeqq.

Beaugendre Hildeberti biographus. Vitam Hildeberti ex ejus ſcriptis & veterum monumentis concinnè adornavit Cl. Editor, *Antonius Beaugendre*, ſuæque editioni præmiſit, quam nos compendiario ſtylo delibavimus.

VI.
DROGO
S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis.

† 1136. xiv. kal. Januar.

Ejus patria, & vita clauſtralis. DRogo ex territorio Remenſi ortus, Religionis habitum ſuſcepit à pueritia in Aſceterio S. Nicaſii Remenſis ſub Joranno Abbate, cujus poſt ſtrictioris vitæ tirocinium, & eximiæ virtutis ac prudentiæ ſpecimen ab eo editum, Prioris clauſtralis dignitatem aſſecutus eſt. In hoc munere obeundo ſodalibus adeò ſe charum exhibuit, & exteris amabilem, ut Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus, qui ejus converſatione pridem uſus fuerat, ſtatuerit eum Abbatem Monachis Benedictinis præficere, quos apud S. Johannis Laudunenſis cœnobium, Monialibus regia auctoritate ob ſpurcitiam ejectis, nobis ſubrogaverat anno 1128. **Abbas præficitur Cœ- S. Joan. Laudun.** Frizonius qui mutationis hujus gloriam Drogoni ſpecialiter attribuit, patriam ejus ac profeſſionem omnino reticet: at Hermannus lib. 3. de Miraculis S. Mariæ Laudunenſis gradus à Monacbatu ad dignitates clariùs aperit & proſequitur, cujus fragmentum Domnus Guillelmus Marlotus Hiſtoriæ Remenſis Tom. II. lib. 2. cap. 28. reddidit, ob id maximè, ne quis Drogonem cœnobii S. Nicaſii alumnum fuiſſe neget, eo quòd Robertus de Monte, Trithemius & recentiores quidam non meminerint.

Auctor Hiſtoriæ Cardinalitiæ, qui illud etiam tacuit, refert profeſſionem ab Abbatibus requiri ſolitam coram Bartholomæo Laudunenſi edidiſſe, juxta Concilii Aurelianenſis primi decreta. Cæterùm quàm ſe providum, ſagacem & ſtrenuum novellæ ſuæ familiæ diſpenſatorem & villicum exhibuerit, vel ex hoc intelligi poteſt, quòd Innocentius II. cognita ejus eruditione, & in rebus agendis ſolertia, quibus inprimis uſus eſt in Concilio Piſano, ad Cardinalatum & Epiſcopatum Oſtienſem Piſis evexerit in ſecunda promotione, menſe Decembri anno 1136. quamvis adhuc eodem anno chartis quibusdam ſubſcripſiſſe reperiatur titulo Abbatis S. Johannis Laudunenſis. **Cardinalis & Ep. Oſtienſis creatur.**

Ejus Scripta. Drogonis pietas & inſignis doctrina elucet in Tractatu *de Paſſione Salvatoris*, quem collectores Tomo II. Bibliothecæ Patrum inſeruerunt, & in *Soliloquiis*, quorum meminit Bibliotheca Belgica, aliiſque nonnullis ingenii monumentis, in quibus elocutionis nitor & nervoſitas deprehenditur ferè æqualis ſtylo S. Bernardi. Auctor appendicis additæ ad Sigebertum anno 1138. quo & obiit, *Virum religioſum & ſapientia clarum*, eum nominat, Nangius *Religione & facundia venerabilem*, & Necrologium S. Johannis Laudunenſis xiv. Calendas Januarii his verbis: *D. piæ memoriæ Drogo Oſtienſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Cardinalis, primus Abbas noſtræ Congregationis, & Mathildis ejus ſoror, in quorum obitu habemus quindecim ſolidos annuatim.* Vid. Marlotum l. c. cap. 33. pag. 287.

VII.
EADMERUS
Epiſcopus S. Andreæ in Scotia.

† 1137.

SAtis laudâſſe *Eadmerum* videri poſſem, ſi illud modò dicerem, quod The-

Theſeus Pirithoo, hoc ipſum S. Anſelmo Cantuar. Archiepiſcopo fuiſſe. Sed à ſingulari etiam doctrina atque eruditione majorem in modum comendandus mihi eſt, cùm vix ulli Scriptorum ſeculi XII. fuerit ſecundus. Adjiciam igitur alia pluſcula ex Guillelmo Malmesburienſi, Joanne Lelando, Henrico Warthono, atque ipſo Eadmero, ſeu ex *Hiſtoria Nova,* cujus ipſe author celeberrimus habetur.

Naſcitur in Anglia.

Natus in Anglia, atque Cantuariæ educatus primam ætatem Muſis conſecravit. Mundi poſteà pertæſus Monachus factus eſt Cantuarienſis Ord. S. Benedicti in S. Salvatoris Cœnobio Congregationis Cluniacenſis. Primùm (m) orbi innotuit per S. Anſelmum, qui ex Abbate Beccenſi anno MXCIII. à Guilielmo Rufo Archiepiſcopus Cantiorum, perſuadente Hugone Comite Caſtrenſi factus eſt. Hic Cantium civitatem nobilem veniens, & monachorum cùm ingenia tum virtutes judicio quodam perpendens, ſolum ex tanto numero Eadmerum delegit ſibi comitem; futurum putans, ut ſuis rebus ornamento & uſui eſſet. Quæ opinio adeò Pontificem non fefellit, ut *Eadmerus*, orta graviſſimâ contentione inter patronum ſuum & Guilielmum Rufum ne latum quidem unguem ab illo receſſerit, quantumcunque adversâ fortunâ preſſo. Neque hoc officii in Anglia tantùm erga Epiſcopum exhibuit: exulem ſecutus eſt Romam usque; ubi quanta in æſtimatione apud Urbanum II. Pontificem Maximum fuerit, colligere poſſumus ex Guillielmo Malmesburienſi, qui Libro I. de Geſtis Pontificum Angliæ agens de S. Anſelmo iſta ſcribit: *Obedientiæ pertinax cuſtos, cùm Archiepiſcopus liberæ poteſtatis eſſet, rogavit Papam Urbanum, ut ſibi aliquem proponeret, cujus juſſis vitam diſponeret. Is Eadmerum exhibuit: cujus Anſelmus juſſa tanti faciebat, ut cùm eum cubili locâſſet, non ſolùm ſine præcepto ejus non ſurgeret, ſed nec latus inverteret.*

Monachus Cantuarienſis factus

S. Anſelmo comes jungitur.

quocum Concilio Barenſi intereſt.

Interſuit cum eodem S. Archiepiſcopo anno MXCVII. Barenſi Concilio, prout ipſe his verbis teſtatum facit: „Inter hæc ego Patri Anſelmo per „omnia præſens aderam, paratus vi„delicet ad ſervitium ejus. Et quia „mihi ab infantia hic mos erat, ſemper „nova, quæ fortè, ſed maximè in Ec„cleſiaſticis, occurrebant, diligenti „intentione conſiderare ac memoriæ „commendare; diſpoſitum Concilium, „loca & ordines perſonarum, modos „& examinationes cauſarum, curioſa „fortaſſe magis quàm ſagaci mente & „oculo hinc inde, utpote qui priùs talia „non videram, modeſto intuitu con„ſideravi.„ Redux cum patrono in Angliam, ab eo, Regis ira & odio nihil territus, nusquam receſſit. Quid, quòd nec officia, quæ vivo præſtitit, mortuo denegavit. Anſelmi enim funus impendiò curavit, corpúsque balſamo divinitùs aucto, ut ipſe iterùm auctor eſt, inunxit.

Multa literis conſignat:

Anſelmo terræ mandato, privatam vitam Eadmerus ducens, totus in calamum incubuit, multáque lectu digniſſima literis conſignavit. Subinde Romam, ſi Lelando credimus, denuò profectus eſt. Radulſus enim Archiepiſcopus Cantuarienſis Romam petens, Anſelmi judicium non malè ſecutus, Eadmerum comitem aptiſſimum accepit; non modò propter rerum Romanarum experientiam, verùm etiam linguæ cognitionem.

Epiſcopatus ei defertur,

Commodùm in Angliam reverſus fuerat, cùm Alexander Rex Scotiæ, miſsâ honorificâ legatione, eum à Radulpho Cantuarienſi Archiepiſcopo in Epiſcopum Eccleſiæ S. Andreæ expetiit. Quàm ægrè Radulphus votis regiis annuerit, liquet ex literis ipſius ad Regem datis, in quibus inter cætera his uſus eſt verbis: *Quaſi oculum, aut dexteram à corpore noſtro avellere quæritis.* Veniens igitur Eadmerus anno 1120. in Scotiam mox tertio die adventûs ſui Pontificatum S. Andreæ Chenrimutenſis quidem ſuſcepit, conſecrationis tamen munus nunquam obtinuit. Ipſe enim (n) nimiâ Eccleſiæ Cantuarienſis, cujus erat monachus, veneratione ductus, Eccleſiam Sant-Andreanam Cantuarienſi ſubjicere, & à Radulpho Archiepiſcopo conſecrationem ſuſcipere voluit. Contra Turſtinus Archiepiſcopus Eboracenſis Eccleſiam Scotiæ ad jus ſuum ſpectare contendit. Alexander Rex neutri Anglorum Archiepiſcopo Eccleſiam Regni ſui ſubdi voluit, & Eadmero ut Romam profectus conſecrationem à Papa obtineret ſuaſit. Ejus rei authorem etiam habuit Nicolaum Priorem monaſterii & Eccleſiæ Wigornienſis, qui Regi morem gerendum & Eccleſiæ Scoticæ libertatem aſſerendam monuit. Conſilii verò hujus impatiens in Angliam redire conſtituit. Cùm

quo ſe abdicat.

S 3 autem

(m) Leland. de Script. Brit. cap. 147.
(n) Warthon Angl. ſac. Tom. 2. p. 236. in Not. ad Nicol. epiſt.

autem urgeretur, ut annulum, quem à manû Regis ſuſceperat, & baculum, quem deſuper altare tulerat, priùs reſtitueret; aliàs omnem è regno exitum ipſi præcluſum iri, intrepidè reſpondit: Annulum quidem quem de manu illius ſuſcepi, libens reddam, eâ re, quòd nihil poteſtatis, quæ eô ſignificatur, in illo accepi, Laico ſcilicet dante, cui tale quid nihil attinet. Baculum autem, quem ſuper altare præſentibus duobus Epiſcopis ſumpſi, ponam, ubi aſſumpſi, & eum diſpoſitioni Jeſu Chriſti commendabo. Dictum, factum. Scotiâ igitur relictâ Cantuariam anno 1121. veniens, ab Archiepiſcopo & Fratribus ſuis lætè ſuſceptus eſt. Diligebatur enim ab omnibus, & qui de abſentia illius fuerant mœſtificati, in præſentia illius facti fuerunt vehementer exhilarati. Cantuariæ verò continuè agebat, ſicut olim, priusquàm in Pontificem electus eſſet, facere ſolebat. Conventum Monachorum non facilè deſerens, ſed more aliorum ſeſe in omnibus habens. Annus autem volvebatur milleſimus centeſimus viceſimus ſecundus; poſtquam ampliùs quindecim annis vitam pientiſſimè actam protraxit.
A. 1137. vita fungitur. Plenus igitur dierum anno 1137. inter vivos agere deſiit.

SCRIPTA.

EX Eadmeri Scriptis hæc ſunt à *Gabr. Gerberonio* edita ad calcem Operum S. Anſelmi Cantuar. Archiepiſcopi, & poſt Henricum Warthonum Præſat. ad Tom. II. Angliæ Sacræ à Cl. *Fabricio* Bibl. med. & inf. Latinit. lib. V. pag. 210. recenſita.

1. *Vita S. Anſelmi* Cantuarienſis Epiſcopi ab anno 1093. ad 1109. libris II. obvia etiam in editionibus Anſelmi prioribus Coloniæ 1612. Pariſiis 1630. & apud Surium 21. Aprilis, & in Actis Sanctorum Tomo 2. Aprilis p. 866. cum Notis Henſchenii. Capita tria deſiderata in editis, LXVI. LXVII. LXVIII. ſupplevit H. Warthonus Tom. 2. Angliæ Sacræ pag. 181.-183. Fortaſſe etiam Eadmero debetur *Carmen de S. Anſelmi miraculis*, editum primùm ab Edmundo Martene Tom. 6. monumentorum pag. 983.-987. quod incipit: *Cùm Patris Anſelmi miracula plura ferantur*.

2. *Hiſtoria Novorum* ab Anno 1066. ſive à Rege Angliæ Eduardo, qui Edgaro Patri ſucceſſit, uſque ad annum 1122. libri VI. expreſſi ex editione *Joannis Seldeni* Londini 1623. fol. cujus etiam Notæ eruditæ ſubjunctæ ſunt: obviæ cum Spicilegio Tom. 2. Opp. p. 1588. ſq. Ex libro primo novorum petita *Vita Lanfranci* Cantuarienſis, quæ exſtat in Actis Sanctorum Tom. 6. Maji 28. p. 848. & *Vita Anſelmi* Tom. 2. April. p. 893.

3. Liber *de excellentia Virginis Mariæ*. pag. 135. & *de quatuor virtutibus, quæ fuere in B. Maria; Juſtitia, Prudentia, Fortitudine & Temperantia, ejúſque ſublimitatibus*. pag. 143.

4. *De beatitudine Cæleſtis Patriæ*. pag. 146.

5. Liber *de S. Anſelmi ſimilitudinibus* pag. 153.

Præter hæc à Gerberonio recenſita exſtant:

6. *Vita S. Wilfridi*, Archiepiſcopi Eboracenſis, vulgata à Mabillonio in Actis Benedictinis Sec III. Parte I. p. 196. & ab Henſchenio cum Notis Tom. 3. Act. Sanctor. April. 24. p. 293.

7. *Vita B. Bregwini*, Archiepiſcopi Cantuarienſis & Confeſſoris, apud Warthonum Tomo 2. Angliæ ſacræ pag. 184.

8. *Vita S. Oſwaldi* Epiſcopi Wigornienſis & Archiepiſcopi Eboracenſis, id. pag. 191.

9. *Vita S. Dunſtani* (o) Archiepiſcopi Cantuarienſis, id. pag. 211. & *Epiſtola ad Glaſtonienſes*, corpus ejus habere ſe perhibentes, pag. 222.

10. *Liber de miraculis S. Dunſtani*. Compendium ejus apud Surium 19. Maji.

Nicolai, Prioris Wigornienſis, Epiſtola ad Eadmerum electum in Cathedram S. Andreæ, de primatû Sedis Eboracenſis in Scotia apud Warthomum Tom. 2. pag. 234.

11. Eadmeri *Epiſtola ad Monachos Wigornienſes* de electione Epiſcopi. idem pag. 238.

12. *Vita S. Odonis*, Archiepiſcopi Cantuarienſis, id. pag. 78. & apud Mabillonium Sec. V. Benedictin. pag. 283. *Osberno* perperam inſcripta.

Inedita Eadmeri hæc memorari video:

De libertate Eccleſiaſtica volumen grande, de diſcordia inter Guilelmum Ruſum Anglorum Regem, & Anſelmum Cantuarienſem. Vide Baleum II. p. 68. Meminit & Henricus Gandavenſis cap. 7. & Trithemius cap. 372. de S.E. & II. 114. illuſtr. Benedict. qui ambo

(o) Sub Osberni nomine, ſed minùs integra apud Surium 19. Maji. Vide Warthoni præfationem pag. xiii.

bo Emundum pro Eadmero appellant, ſicut Pitſeus quoque p. 199.

Inſtituta Chriſtianæ vitæ.

Hiſtoriarum Collectanea. Vide Pitſeum pag. 199.

De Geſtis ſui temporis, opus utrumque ab Hiſtoriâ Novorum in Anglia diverſum, præter quam Hiſtoriam hexabiblon nihil ſe ab Eadmero ſcriptum aut vidiſſe aut legiſſe teſtatur Lelandus cap. 147.

Carmen *de S. Dunſtano.* Aliud *de S. Eduardo Rege & Martyre*, cum Epiſtola alterius ad Eadmerum de matre S. Eduardi.

Liber *ex dictis B. Anſelmi de monte humilitatis, & duobus ejusdem cuſtodibus.*

Carmen *de rebus geſtis S. Anſelmi & S. Elphegi* Archiepiſcoporum, carmine heroico.

Querela ſuper morte S. Anſelmi, carmine elegiaco.

De ordinatione B. Gregorii.

De Conceptione B. Virginis. Vide Thomam Jameſium in ecloga Oxonio Cantabrig. & Henrici Warthoni Præfat. ad Tom. 2. Angliæ ſacræ pag. xv. Caveum ad annum 1221. Oudinum Tom. 2. pag. 1073.

Vita Petri primi Abbatis Cœnobii S. Auguſtini Cantuarienſis.

Sententia de memoria Sanctorum, quos veneraris.

De commovendo ſuper ſe manum S. Petri Apoſtoli.

De Reliquiis S. Audœni & aliorum Sanctorum in Eccleſiâ Cantuarienſi.

De Gabriele Archangelo.

Epiſtolæ plures in Bibliotheca Cottoniana.

Atque hæc Eadmeri Scripta in Angliæ bibliothecis deliteſcunt, ex quibus, inquit *Gerberonius*, eruere ea omni noſtro ſtudio, omni amicorum ope & quibuscunque impenſis non valuimus directis ad diverſos hac de re ſchedulis. His igitur in ſcriniis deliteſcentes Eadmeri Theſauros ut feliciùs inquirat, cui facilius erit eos depromere, non ſolùm non invidemus, ſed obnixiùs exhortamur.

VIII.

† Circa An. 1140.

PETRUS
Diaconus Caſinenſis.

Romæ illuſtri loco natus

ROmæ natus illuſtri loco ex patre Ægidio, Gregorii Romanorum Patritii & Conſulis filio, ex Comitibus Tuſculanis, cùm quintum ageret ætatis annum, Beato Benedicto in monte Caſino à parentibus oblatus fuit. Sub Girardo Abbate præceptorem habuit alium *Petrum*, etiam Diaconum, vulgò ſeniorem, quem ipſe cap. 39. libri de Scriptoribus Caſinenſibus Inſtitutorem ſuum, & declamatorem inſignem vocat: *Petrus Diaconus inſtitutor meus, declamator inſignis, è civitate Theanenſi, de qua oriundus erat, egrediens, Caſinum advenit, atque ab Oderiſio Abbate monachus factus eſt.* Tum laudat ejus Sermones de Septuageſima, de Dedicatione eccleſiæ, de Nativitate Domini, de Epiphania, alióſque quàmplurimos. Ab egregio hoc præceptore per octo ferè annos eruditus in virum ſacris humaníſque literis taliter eruditum evaſit, ut inter elegantiſſimos Scriptores ſuâ tempeſtate ſit habitus. *In phyſicis*, inquit Natalis Alexander, (p) *Mathematicis, Aſtronomia, Muſica, peritum fuiſſe, Veterum, qui iis in ſtudiis excelluerunt, breviati libri & illuſtrati, quidam etiam propriâ Minerva ſcripti teſtantur.* Unde Bibliothecæ & Archivo præfectus fuit. Ipſe Petrus tituli amore non intactus in Diplomate Innocentii IV. pro confirmatione Abbatis Glanofolienſis ſe *Archibibliothecarium* (q) Sacri Cœnobii Caſinenſis nominavit. Anno verò Incarnationis Dominicæ MCXXVIII. ætatis autem ejus XXI. cùm Oderiſius Girardi Abbatis ſucceſſor Abbatiam reliquiſſet, ad exilium, æmulorum ſuorum faciente invidia directus eſt.

quinquennis B. Benedicto in monte Caſſ. offertur.

Sacris humaníſque literis eruditus

In ipſo autem exilio bonas horas non ignavo otio combuſſit, ſed quàm plurima multa literis conſignavit; ſcilicet paſſionem beati Marci, & Sociorum ejus. Vitam egregii Confeſſoris Falconis. Vitam ſancti Placidi diſcipuli ſancti Benedicti. Vitam ſancti Apollinaris Abbatis. Vitam Sanctorum Guinizonis & Januarii. Rhythmum de noviſſimis diebus, in quo juxtà literam videtur ſequutus eſſe Apoſtol. Joañem, cùm idem Petrus ſciret, quod ibidem ſcriptum eſt, finitum pro infinito. Deſtructionem & reſtaurationem Atinæ Urbis in beati Marci adjunxit hiſtoriam. Scripſit etiam Sermones hos: De feſtivitate B. Marci Sermones octo. Sermonem in vigiliam ejus. De vigilia SS. Nicandri & Marciani. Sermonem de Cœna Domini. Duos in Paraſceve, in Sabbatho ſancto. Homiliam de ſancto

in exilio plurima ſcribit.

(p) Hiſt. Ecc. Sec. XI. & XII. cap. 6. art. 3. n. 3. p. 514.
(q) Gattola Hiſt. Caſ. Sec. VI. pag. 303.

ĉto Benediĉto. In Paſcha, in Aſcenſione, in Oĉtava S. Benediĉti, in Pentecoſte, in feſtivitate S. Joañis Baptiſtæ, de ſanĉto Petro & Paulo, de ſanĉto Laurentio: in vigilia ſanĉtæ Mariæ. Librum Illuſtrium Virorum Cœnobii Caſinenſis. Miracula Caſinenſium Monachorum, quæ ſcripta adhuc minimè erant. Hiſtoriam de everſione, ſeu reſtauratione Cœnobii beati Mauri ex juſſione Abbatis Senioretti emendavit, in qua & prologum ſcripſit. Fecit & prologum in libro privilegiorum ex rogatu Raynaldi Subdiaconi Caſinenſis. De S. Nicandro Sermonem. De tranſlatione S. Stephani Protomartyris à Civitate Conſtantinopolitana ad Urbem Romam. De ortu & vita Juſtorum Cœnobii Caſinenſis. In feſtivitate omnium Sanĉtorum. De Nativitate Domini Sermones duos. De S. Stephano. Chronica Cœnobii Caſin. à renovatione eccleſiæ B. Martini à Deſiderio faĉta, uſque ad hunc diem. Aſtronomiam ex veteribus libris collegit. Solinum de miraculis breviavit. De generibus lapidum pretioſorum librum exaravit. Expoſitionem Regulæ in quatuor libros diviſit. Scholia in veteri Teſtamento. Epiſtolas duas ad Lotharium Imperatorem. Ad Richizam Imperatricem. Librum notarum ex parvo ampliorem fecit. Vitruvium de Architeĉtura Mundi abbreviavit. Librum Heve Regis Arabum de lapidibus tranſtulit. Hymnum de S. Chriſtina. Vitam S. Conſtantii Epiſcopi. Epiſtolam ad Conradum Imperatorem. Viſionem Alberici Monachi Caſin. corruptam emendavit. Scripſit & vitam S. Severi Epiſcopi & Confeſſoris ex rogatu Raynaldi Subdiaconi Caſin. De ſanĉto Nicandro & Marciano Sermonem de tranſlatione, & Chronicam Conſulum, Diĉtatorum, & Imperatorum compoſuit. Tranſlationem beati Marci in Civitate Atina & ejus miracula exaravit. Cantus B. Marci compoſuit, & SS. Nicandri & Marciani &c.

Legum Longob. diſtributionem primus adornat.

Præterea Leges Langobardicas primus ſecundùm varia Juriſprudentiæ argumenta diſtribuit. Quam ipſi diviſionem ſive diſtributionem Legum non modò Melchior Goldaſtus tribuit, ſed veteres etiam Codices hanc ab eo ſuſceptam curam teſtari (r) dicuntur. Quò tempore verò hanc diviſionem adornârit, æquè inexploratum eſt, atque pro comperto haberi debet, quòd quæ modò enumeravimus Opera, non omnia ab ipſo tempore ſui exilii elucubrari potuerint. Id quod vel ex ſola epiſtola ad Conradum Imperatorem data evincitur, quam multis ante annis ad Monaſterium Caſinenſe jam reverſus poſt obitum Lotharii II. primùm exaravit.

Caſinum redux varias legationes ſuſcipit.

Caſino reſtitutus cùm pari doĉtrinâ ac prudentiâ præditus haberetur, variis legationibus perfunĉtus eſt, præcipuè ad Lotharium II. Imperatorem; in cujus aula cum verſaretur, inſignem diſputationem cum Græco Philoſopho, Rom. Eccleſiam convitiis laceſſente habuit, è qua viĉtor etiam deceſſit. Lotharius ejus eruditionem & prudentiam in rebus gerendis ſuſpiciens (ſæpiùs enim ad conventum Melphiæ vocatum audiêrat, monaſterii ſui jura ſtrenuè vindicantem) Logothetam, Exceptorem, Auditorem, Cartularium, ac Capellanum eodem in conventu inſtituerat. *Logotheta* (s) ad verbum ratiocinator & diſcuſſor computorum Fiſcalium, Neapoli appellatur *Maeſtro Razionale*. Porrò Magiſter nomen eſt non doĉtrinæ, ſed Præfeĉturæ, unde Magiſtratus, Magiſter Militum &c. De cæteris Officiis videndi Lexicographi.

A Lothario II. diverſis aulæ officiis,

Cùm Lotharius Imperator Petrum cum ſuo Abbate Wibaldo aliquando convivio adhibuiſſet, finito prandio ſeduĉtum monuit, ut è veſtigio eodem temporis pararet ſe ad iter, imperialia ſemper ſervitia peraĉturus. Quæ cùm audiſſet Wibaldus, qui cùm eſſet Abbas Corbeienſis & Stabulenſis, invitus eleĉtus erat etiam Caſinenſis Abbas, Lothario ſuppliciter expoſuit ſe quaſi exulem, peregrinum in loco remotiſſimo, atque omnium populariùm ope deſtitutum, Petri Diaconi, cui maximè fidebat, operâ carere nullo modo poſſe. Sineret potiùs ſe, abdicatâ Caſinenſi Abbatiâ, ad ſuos reverti Stabulenſes. Cui Imperator: *Quia*, inquit, (t) *dicis, te ſine illo non velle manere, hunc tuæ fidelitati ſummo ſtudio, ſummo mentis amore commendo, eo tenore, ut ſiqua meæ dileĉtionis, ſiqua amoris in tuo corde veſtigia ſunt, in iſto oſtendas, eúmque pro noſtro amòre loco cariſſimi & unici filii habe.* Et ſermonem ad alios Epiſcopos, & alios Optimates conferens: *Noſtri à Deo conſervandi imperii majeſtas hunc, quem videtis,*

ac publico encomio honoratur.

diſci-

(r) vid. Præfat. Muratorii in Tom. I. part. 2. Script. Rer. Italic. pag. 7.
(s) Angelus de Nuce in Notis ad Chron. Caſin. lib. 4. c. 117.
(t) vid. Edm. Martene Colleĉt. Ampliſſ. Tom. II. pag. 165.

Vix tandem à ſe dimiſſum Imperator

diſcipulum Henrici Ratisbonenſis Epiſcopi & Cancellarii effecit, Logothetæ, exceptoris, & auditoris officio remuneravit, ſeſſionem ad dexterum pedem indulſit. Is ſolus in gente Romana inventus eſt, qui contra Conſtantinopolitanos pro Imperio ſe & Pontifice Romano opponeret. Wibaldo itaque Petrum Diaconum reliquit Imperator, & facta utrique uti & ceteris fratribus Montis Caſini poteſtate abeundi, ipſe unà cum Innocentio Summo Pontifice contendens Romam, & paucis interjectis diebus, pacatâ Urbe relicta Tyburim deflexit. Ibi anxius præter ſolitum ſeu valetudine, quæ ſenio quotidie deperibat; ſeu ipſa Wibaldi abſentiâ nimis conflictaretur, Petrum Diaconum denuo inſtitit ſecum abducere in Germaniam, quaſi jam è memoria excidiſſent ea, quæ non ita pridem coram omnibus Caſinenſi Abbati pollicitus fuerat. Aulici nihilominus omnes,, adeò ſunt hujusmodi proclives ad aſſentationem, Imperatoris voluntati obſecuti, imò & plaudentes, auctores fuêre, ut Caſſino quantocyus acciretur, ſcriptæque ſunt eam in rem literæ ſequentes.

per literas ad aulæ negotia revocat,

Lotharius Dei gratiâ Romanorum Imperator Auguſtus, dilectiſſimo fideli ſuo Guibaldo Caſſinenſi Jerarchæ, & Romani Imperii Archicancellario, & Magiſtro Capellano ac principi pacis, gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Tuæ fidelitati per Imperialia ſcripta mandamus, ut noſtræ à Deo conſervandæ majeſtati Petrum Caſſinenſem diaconum, qui à noſtra imperiali ſerenitatè logotheta Italicus, exceptor, cartularius, & capellanus imperii conſtitutus eſt, transmittere ſtudeas, recepturus pro ſuæ fidelitatis ſervitio dignæ retributionis præmium. Indubitanter enim noveritis noſtram majeſtatem & collaterales imperii propter antiquitates & rerum geſtarum relationes ejus minimè frui abſentiâ velle. Mitte etiam per eum omnia præcepta anteceſſorum noſtrorum, quæ ei ad Aquas penſiles olim nos cuſtodienda dedimus. Data apud Suburbium Tyburtinum pridie Calendas Decembris.

jubétque, ut hiſtoriam texat Imperat. Occidentis.

Hîc obiter notandum, à Lothario Imperatote Petro Diacono demandatum fuiſſe, ut hiſtoriam Imperatorum Occidentis conſcriberet: docemur id ex epiſtola (u) Wibaldi ad Lotharium, in qua Petrum excuſat, quòd prædictæ hiſtoriæ nondum ſupremam impoſuerit manum: *Hiſtoriam verò occidentalium imperatorum, quam eidem Petro dictare præcepiſtis, noveritis adhuc non explêſſe. Variis enim tribulationibus & anguſtiis preſſus, plus ei flere quàm ſcribere libuit.*

Cæterùm cùm non ita diu pòſt, anno 1138. Imperator Lotharius, ab expeditione Italica redux, haud procul Tridento vivendi & regnandi finem feciſſet, remanſit in Italia Petrus. Literis tamen Richizam Imperatricem ex obitu Conjugis afflictam conſolatus eſt. Alias dedit ad Conradum III. quibus Cæſareum ei diadema gratulatus eſt. Aulæ negotiis exemptus, quò poſteritati prodeſſet, majori ardore in calamum incubuit. E vivis verò exceſſit non planè ſenex poſt annum 1140. innumeros pænè fœtus ſui ingenii ad Reipublicæ literariæ commodum relinquens, quorum ob temporis injuriam hominúmque negligentiam nonnulli collapſi ac diſperſi ſunt; eorum tamen indicem ipſemet Petrus lib. 4. Chron. Caſin. cap. 68. edit. Venet. vel cap. 66. edit. Mediolan. pertexuit: *Vah quàm multa tempus atrox falce metit.* E quibus typis (x) excuſi fuerunt

vitam finiit anno 1140.

1.) *Liber de Viris illuſtribus Caſinenſibus*, quem cum Placidi Diaconi Caſinenſis Supplemento atque eruditis Notis edidit Jo. Baptiſta Marus Romæ 1655. 8. tecuſus fuit Pariſiis 1666. 8. & in Bibl. Patrum edit. Lugd. 1677. T.XXI. p. 347. nec non in Bibliotheca Eccleſiaſtica, quam Jo. Alb. Fabricius edidit Hamburgi 1718. fol. & in Theſauri Scriptorum Italiæ Muratoriani T. VI. & Burmanniani T. IX.

2.) *Continuatio Chronici Caſinenſis* authore Leone Oſtienſi ab An. 1086. uſque A. 1140. Venetiis 1513. Pariſiis 1601. Neapoli 1616. Pariſ. 1668. Mediolani 1725.

3.) *Diſciplina Caſinenſis*, inter Scriptores Veteris diſciplinæ Monaſticæ Pariſ. 1726. 4.

4.) *Hiſtorica relatio de corpore S. Benedicti, Caſini*, in Actis Sanctorum Tomo III. Martii p. 288. - 298.

5.) Libellus ad Conradum III. Imperatorem *de notis* ſive ſiglis *Romanorum*, Venet. 1525. 4. curante Nicolao Erythræo, atque inter Grammaticos Latinos Putſchii pag. 1579. - 1638.

6.) *Vita SS. Guinizonis & Januarii*, in Actis Sanctorum Tom. VI. Maij pag. 450.

7.) *Vita S. Placidi*, diſcipuli S. Benedicti, quam veriùs interpolavit, quàm ſcripſit, cujúsque Prologum dedit Mabillo-

(u) eſt inter Wibaldi epiſtoles prima, quam vide apud Martene l. c. p. 155.
(x) vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Tom. V. pag. 746.

billonius Sec. I. Benedictin. unà cum Prologo libri *de locis ſanctis*, ad Guibaldum Caſinenſem & Stabulenſem Abbatem, & argumentis capitum libri *de ortu & vitâ Juſtorum Cœnobii Caſinenſis*. Hæc tria ex Mabillonio reddidit etiam Edmundus Martene Tomo VI. Veterum monumentorum pag. 785. 789. 791.

Nonnullæ lucubrationes, refero *Jo. Bapt. Mari* verba, quæ prælo hactenus non ſunt traditæ, in noſtro ſacrorum penario MSs. aſſervantur, quas commemorare hîc non diffugimus, & ſunt:

De ortû & vita Juſtorum Caſſinenſium, incipit: *Benedictus Signifer.*

Scbolia in diverſas ſententias: *Veni verbum Dei.*

Scholia in quæſtiones veteris Teſtamenti: *Mos eſt ſanctæ Scripturæ tempora mutare.*

Exhortatorium ad Monachos, in quo oſtendit, quid cuſtodire, quid cavere debeant, & de ſeptem vitiis & virtutibus. De Patriarchis: De Rege Ozia, & de Moyſe: *Omnibus qui ſecundùm S. Benedicti Regulam.*

Rythmus de noviſſimis diebus: *Anno Chriſti paſſionis finito milleſimo Satanas Averni princeps ſolvetur à vinculis.*

Altercatio pro cœnobio Caſſinenſi: *Igitur dum in conſpectû Imperatoris Lotharii.*

Catalogus Regum, Conſulum, Dictatorum, Tribunorum, Patriciorum, ac Imperatorum gentis Trojanæ: *Saturnus Uranius.*

Epiſtola ad Lotharium Imperatorem Abbatis Caſſinenſis nomine Guibaldi miſſa: *Poſt innumeras ſollicitudines.*

Epiſtola ſecunda ad eundem Imperatorem: *In variis, multiplicibus, ac diverſis tribulationibus conſtitutus.*

Epiſtola conſolatoria ad Richizam Romanam Imperatricem: *Multoties Imperatrix invicta.*

Epiſtola conſolatoria ad Richizam Imperatricem de obitu Lothari II. Imperatoris: *Licèt nervus inciſus doleat.*

Epiſtola conſolatoria ad Conradum Imperatorem tertium de electione ſuâ: *Benedictio & claritas & ſapientia.*

Sermo in Cœna Domini: *Scripturus venerabilem Domini paſſionem.*

Sermo in Paraſceve: *Hodie quadrifida fabrica Orbis innovatur.*

Sermo in Sabbatho ſancto: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti.*

Sermo in Reſurrectione Domini: *Reſultet hodie Cœlum.*

Sermo in Aſcenſione Domini: *Hodie terrenis cœleſtia ſociantur.*

Sermo in Feſto Pentecoſtes: *Redemptoris noſtri feſtivum diem.*

Sermo in Nativitate ſancti Joannis Baptiſtæ: *Hodie Evangelica tuba fulſit in Orbe.*

Sermo in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli: *Sanctiſſimus ac feliciſſimus dies.*

Sermo de S. Laurentio Martyre: *Divini muneris ſacratiſſimum hodie.*

Sermo in vigilia Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis: *Sacratiſſimæ, ac Intemeratæ Genitricis.*

Sermo in feſtivitate omnium Sanctorum: *Hodie æterni Imperatoris claritas.*

Sermo in Nativitate Domini: *Hodie mundo ſalus redditur.*

Alter Sermo in Nativitate Domini: *Hodie nobis pax vera refulſit.*

Sermo ſingularis in Octava S. Patris Benedicti, ubi de miraculorum abundantia: *Egregii atque pretioſiſſimi Confeſſoris Benedicti.*

Vita S. Placidi diſcipuli S. Benedicti, ſive Regeſtum ejus compilatum à noſtro Petro circa annum 1130. ubi prolixæ narrationes variorum de vita & martyrio S. Placidi, de oblationibus Tertulli, Juſtiniani Imperatoris, & Vitaliani Papæ habentur.

Vita S. Severi Epiſcopi Caſſinenſis ad Seniorettum Abbatem; *Quia veſtra injuſſus poteſtate.*

Vita S. Apollinaris Abbatis ad Raynaldum Caſſinenſis Cœnobii Diaconum: *Nimium admiranda.*

Vita ſanctorum Guinizonis & Januarii ad Richardum monachum: *Guinizonis ortum, vitam, obitúmque deſcripturus.*

Sermo in vigiliâ S. Marci Atinenſis Epiſcopi: *Vigilias pretioſiſſimi Martyris & Pontificis Marci.*

De Sanctis Atinatibus, ſcilicet Marco Epiſcopo, Nicandro & Marciano, corúmque miraculis: *Domitiano Imperatore Eccleſiam perſequente.*

Sermo in eorundem Martyrum feſtivitate: *Sanctam venerandámque fratres chariſſimi.*

De B. Marco Atinenſi Epiſcopo ſeorſim à Nicandro & Marciano Sermones. Primus incipit: *Unius idem eſt initium, celebritas, & gaudium*, alter verò: *Maximus Prophetarum.*

Hæc ſuprà memorata opuſcula, quæ MSs. ſervamus, communi orbis bono in

in lucem exitura ſperamus. Ita Marius, qui quod ad opuſculum *De ortu & vita Juſtorum Caſinenſium* attinet, ſpe ſua evolutus non eſt, cùm typis illud excuſum lucem publicam aſpexerit.

Exaravit inſuper noſter Petrus vitam S. Leonis Papæ ad Innocentium Papam ſecundum: librum etiam de locis ſanctis, ſive Itinerarium Terræ ſanctæ, continet ſeptem folia. Librum pariter, in quo deſcripti ſunt faſti conſulares & ſeries Imperatorum, Pontificum, atque Abbatum Caſinenſium. Præterea expoſitionem in Regulam S. Benedicti, opus ſatis magnum, cujus unicum fragmentū refertur à Viro Cl. Joanne Bona lib. de Harmonia Pſallentis Eccleſiæ cap. 12. §. 2. de Officio Parvo B. Virginis Mariæ pag. 244. Item Regeſtum pervetuſtum ſign. n. 86. characteribus Longobardicis in membranis ſcriptum ex mandato Senioretti Abbatis habens folia 259. in quo continentur multa diplomata Monaſterio Caſinenſi à Romanis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus conceſſa. Cuſtodiuntur ſupradicta Opuſcula MSs. in Caſinenſi Bibliotheca, ſcamno primo ad lævam ingredientibus. Vid. Eraſm. Gattola in Hiſt. Monaſt. Caſin.

Alia *Petri Diaconi* Scripta in unum volumen ſuperiore ſeculo congeſſit, ac prælo paravit *Flaminius Pate*, Siculus Meſſanenſis, in Monaſterio S. Placidi propè eandem Urbem Profeſſus. Sunt verò

1.) *Hiſtoria eorum, quæ à temporibus Vitaliani Papæ uſque ad Henrici & Alexii Imperatorum tempora evenerunt, quam juſſu R.mi Caſinenſis Archimandritæ Rainaldi Petrus Diaconus Caſinenſis ex Coſmographia Theophanis, & Chronographia Romanorum Pontificum excerpens, dictæ Hiſtoriæ adjunxit anno* 1131.

2.) *Series reſtaurationis Monaſterii Meſſanenſis S. Placidi poſt ejus martyrium, & Miſſionem Monachorum aliam in Siciliam à D. Benedicto factam.*

3. *Tredecim Sermones*, & fors etiam habiti in ſolemnitate S. Placidi.

4.) Homilia in Evangelium Feſti diei.

Timotheus à Meſſana Scripta ejus edit. Quæ Petri Diaconi Scripta ex Bibl. Monaſterii Caſin. vetuſtiſſimis MSs. characteribus Longobardicis exaratis, diligentia atque ſtudio D. Timothei à Meſſana, Monachi, & Monaſterii Meſſanenſis Alumni, qui ſumma fide, & non mediocri labore ex autographis excerpſit. Codex hic MS.^{tu} ſuprà recenſita continens extat in Bibl. S. Pauli de Urbe, in quo tamen Sermones non reperit Armellinus, anceps, an ab iſto ſubducti, vel in alio MS.to Codice ſepoſiti fuerint, quem non viderit. V. Bibl. Caſin. Part. I. p. 172.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

Qui de eo meminerint. De Scriptis, laudibus, & vita Petri Diaconi agunt Trithemius, Card. Baronius, Poſſevinus, Wion, Camillus Peregrinus, Angelus Nuceus, Jo. Bapt. Marus, Mandoſius, Caveus, Oudinus, Fabricius, & alii. A Mabillonio præfat. in Sec. I. Act. O. S. B. *Scriptor non malus quidem, ſed non ſatis diligens* vocatur. Eodem teſte, non parcus eſt in ſuorum laudibus, aliis verò ex cicadâ nonnunquam Apollinem facere videtur. Ang. Nuceus in Notis ad prologum lib. IV. Chronici Caſin. *Multa*, inquit, *ſcripſit, ſed ſine delectu, & ſine criſi; vivido quidem fuit ingenio, properantis interdum judicii.* Hæc dicta ſunt, meo quidem judicio, inquit Jo. Bapt. Solerius, Hagiographus Antverp. Tom. IV. Julii p. 485. quàm mitiſſimè; plura qui volet, Baronium adeat, apud quem Diaconus multoties vapulat.

IX.

SUGERIUS
Abbas S. Dionyſii, & Regens Franciæ.

† 1152. idibus Januar.

Obſcuris natalibus ortus, monachus, deinde Abbas S. Dionyſii factus, ad graviſſima negotia. SUgerium ſancti Dionyſii Abbatem, humili loco in Gallus natum virtus in Gallia & doctrina ad ſumma evexit. Vitam adiit anno 1081. Cùm annum ætatis ſuæ vix decimum egreſſus eſſet, monaſticæ vitæ in S. Dionyſii aſceterio ſe addixit, in cujus ſubinde Abbatem anno 1122. electus fuit. Non id conſilii hîc injici mihi patiar, quò ſingula ejus geſta, quibus non domi modò apud ſuos, ſed foris etiam apud exteros celeberrimum ſibi nomen comparavit, latiore calamo deſcribam. Ille conſilio juvit Magnates Germaniæ in electione novi Imperatoris, qui Lotharius erat hoc nomine ſecundus: ille à Rege Galliarum ablegatus fuit ad Romanum Pontificem Innocentium II. in Cluniacenſi Abbatia ſuſcipiendum; ille interfuit diverſis Conciliis, tantáque dexteritate, atque felicitate omnis generis negotia confecit, quanta demum à viro, qui Regni oraculum audiebat, vel expeti, vel exſpectari potuit. At enim non alias magis inclytus eſſe cœpit, atque cùm abſente Ludovico VII. qui cum cæte-

imò vicariam Franciæ gubernationem adhibetur.

ris ferè omnibus Europæ Principibus ad bellum ſacrum in Palæſtinam profectus erat, ejus nomine regni gubernacula moderaretur. Tum verò ad illum, velut ſummum rerum arbitrum, cauſæ ac querimoniæ ex toto regno deferri; tantum enim auctoritate ſua profecerat, ut regnum à ſeditione factioſorum liberaret, eorum avaritiam, qui manus in eccleſiaſtica bona injiciebant, ſine cæde ac ſtrage reprimeret, Magnates in officio erga Regem, ſubditos in obſequio erga proceres contineret. Ingens erat auri vis, quam ad Regem in Terra Sancta bellum contra Chriſtiani nominis hoſtes gerentem ſubmiſit, quin tamen regni provincias gravi pecuniarum exactione affligeret. Quid plura? Sugerii regimen ita inclytum atque memorabile haberi cœpit, ut primi ordinis viri certatim laudibus illud extulerint. Summi Principes atque Prælati non ſine honoris ſignificatione de eo verba faciebant. Erant, qui titulo Majeſtatis illum devenerarentur; alii Celſitudinis nomine utebantur. Ex Anglia non nemo Epiſcoporum deditâ operâ in Galliam trajecit, quò oculis uſurparet, quæ ſama de rebus illius præclarè geſtis vulgaverat. Rex ipſe ex Palæſtina redux *Patrem Patriæ* ſalutare non dubitavit. Pietas & virtus omnes illius actiones honeſtabant. Denique poſtquàm ſalutares leges ad diſciplinam ſuâ in Abbatia inſtaurandam ſancivit, æs ingens ad belli uſum in terrâ ſanctâ numeravit, ſepulchrum S. Martini religioſè viſitavit, atque ex Divi Bernardi conſilio communivit, decimo tertio Januarii anno milleſimo quinquageſimo primo, ætatis ſuæ ſeptuageſimo rebus humanis exemptus eſt.

vitâ cedit an. ætatis 70.

Hæc Philippus le Cerf in Bibliotheca ſua Hiſtorico-Critica, quæ ex P. Felibien Hiſtoria Regalis Monaſterii S. Dionyſii in Francia in compendium redegit. Juvat tamen diductiùs tanti Viri elogium ex Sammarthanis Fratribus in Gallia Chriſtiana Tomo IV. pag. 334. ſubjicere. Non enim fas eſt, tanti Præſulis laudes paucis attingere, præſertim cùm multi Sodalium noſtrorum in Germania ſint, qui nec Hiſtoriam Abbatiæ San-Dionyſianæ, nec Galliam Chriſtianam unquam viderint, tantum abeſt, ut unquam legerint.

Sammarthani de eo multa prædicant.

Sugerius regni Galliarum miniſterio ſub Ludovico VII. dicto Juniore celeberrimus, quem præter exquiſitam magna prudentia, & integritatis laude, rerum gerendarum ſagacitatem & ſolertiam, ſingularis integritas, eruditio, religionis probitas multiplex, & tot in ſuæ Baſilicæ decus congeſta ornamenta apprimè commendant, meritò ut ad ſupremum illud politicæ adminiſtrationis faſtigium, fortunato quodam genio provectus eſſe videatur. Is humili ortus loco circa añum 1082. inter Divi Dionyſii Cœnobitas tyrocinium fecit, ac mira ingenii felicitate ſtudiis expolitus, Synodo Pictavienſi anno 1106. interfuit. Poſtea Tauriaci ſamoſæ in Belſia S. Dionyſii villæ præpoſitus, inde Berevallis in Normannia eligitur: quibus officiis functus ad ſumum Pontificem Calixtum legationem ſuſcepit, qua egregiè obitâ, omnium ſuffragiis Abbas expoſcitur abſens, ut ipſe in *Vita Ludovici Regis* de ſua promotione loquitur: *Triplici angebar diſpendio, utrum contra Domini Regis voluntatem electionem ſuſcipiens, Eccleſiæ Romanæ vigore, & Domini Papæ Calliſti, qui me diligebat, auctoritate, matrem Eccleſiam dilapidare occaſione mei ſuſtinerem. Nos autem cùm ad matrem Eccleſiam, Deo opitulante perveniſſemus, tam dulciter, tam fideliter, tam nobiliter filium prodigum ſuſcepit: ut & Regem priùs ſevero, modò ſereno vultu occurrentem, Archiepiſcopum Bituricenſem, Epiſcopum quoque Silvanectenſem, ibidem nos exſpectantes gratulanter invenerimus. Qui cùm multa veneratione celerrimè cum lætabundo fratrum Conventu nos ſuſcepiſſent, ſequenti die, Sabbato ſcilicet Medianæ, me indignum ordinavit Presbyterum: ſequente autem Dominica, ibidem ante ſacratiſſimum corpus Beati Dionyſii, Abbatem licèt immeritum conſecravit.* Hoc contigit anno 1123. Conſecratus Abbas confeſtim animum reformationi Abbatiæ ſuæ addicens, Regularem obſervantiam in Cœnobio ſibi commiſſo *abſque ſcandalo & perturbatione fratrum* cum prudentia inſigni reſtituit: Deo ſanctam reformationem bonorum etiam temporalium copiâ remunerante, ita ut dicere poſſent: *Venerunt nobi omnia bona pariter cum illâ.* Quæ commemorans ipſe Sugerius in libro *De Vita Ludovici Groſſi Regis* ita Monachos affatur: *Quo experimento gloriæ futuræ Dei, fratres ſucceſſores noſtros obteſtando, per Dei miſericordiam & terribile ejus judicium ſollicitamus, ne ſanctam Religionem, quæ & homines & Deum conciliat, conſolidat, perdita reſtaurat, paupertatem opimat, tepeſcere permittant: quia ſi-*

cut

cut timentibus Dominum nihil deeſt, *ita non timentibus* , *etiam Regibus ipſis omnia deficiunt.* Anno poſt ordinationem proximo , ne grati animi ſignificationi deeſſet , ob ſavores à Romano Pontifice acceptos Romam ſe contulit , ubi à Calliſto Papa & Purpuratorum univerſo Collegio honorificè & amanter ſuſceptus , ſex menſes in Curia demoratus eſt , qui Concilio Lateranenſi Oecumenico , quo diuturna de Inveſtituris controverſia compoſita eſt , interfuit.

Scripſit non tantùm Vitam *Ludovici VI. Regis* cognomento *Groſſi*, ſed & Opus aliud *De rebus in adminiſtratione Monaſterii S. Dionyſii à ſe geſtis* , nec non & *Libellum de conſecratione Eccleſiæ à ſe ædificatæ*, *& translatione corporum S. Dionyſii atque Sociorum ejus.* Præterea *Volumen Epiſtolarum* ad Eugenium III. Papam, Regem Ludovicum , & alios Franciæ Magnates, ipſorúmque ad eundem de graviſſimis rebus conſcriptarum, dum Ludovico Juniore in Terram ſanctam profecto , Regnum digniſſimè adminiſtraret. : quas ex MS. Codice clariſſimorum virorum , eruditiſſimorúmque Puteanorum fratrum Tomo IV. *Hiſtoricorum Francicorum* inſeruit Andreas Quercetanus cum exemplari Teſtamenti Sugerii Abbatis xv. Calendas Julii an. 1137. Supplementum verò (y) hujus Collectionis dedit Mabillonius Analectorum Tomo I. 328. Præterea *Sugerii* Epiſtolæ aliquot , & multorum ad ipſum exſtant Tomo I. Theſauri novi Anecdotorum Martenii & Durand p. 414. ſeqq. *Una* ad Petrum Mauritium, ſive Venerabilem in Bibl. Cluniacenſi pag. 960. ubi etiam tres Epiſtolæ Petri ad noſtrum habentur. *Una* ad Eugenium Papam legitur in Tomis Conciliorum ; *de rebus in ſua adminiſtratione geſtis*, qui liber etiam à Franc. du Cheſne ſeorſim editus eſt, Pariſ. 1648. 8.

Inter Epiſtolas, quas plures ipſi ſcripſit B. Bernardus , illum cariſſimum & intimum amicum, maximúmque Principem in Regno vocat : in altera ad Papam Eugenium de laude Sugerii ita ſatur : *Si quod magnæ domus magni Regni vas in honorem apud noſtram habetur Eccleſiam Gallicanam* : *ſi quis ut David fidelis* , *ad imperium Domini ingrediens & egrediens* : *meo quidem judicio*, *ipſe eſt venerabilis Abbas ſancti Dionyſii.* *Novi ſiquidem virum*, *quod & in temporalibus fidelis & prudens*, *& in ſpiritualibus fervens & humilis* : *in utrisque* (*quod & difficillimum*) *ſine reprehenſione verſetur. Apud Cæſarem eſt tanquam unus de Curio Romano* , *apud Deum tanquam unus de curia cœli* : *ſpecialiùs diligere* , *& honorare perſonam ejus*, *honorificare eſt miniſterium veſtrum.* Robertus Herefordenſis Epiſcopus de illo hæc etiam habet : *Abundantiùs rapiunt in amorem veſtrum & lætificant animam meam tantarum chariſmata virtutum*, *quæ de vobis ad commoda multorum lotiùs prædicantur. Quid enim ſi ſapientia*, *ſi providentia quæritur in Sugerio ? Tanta reperitur*, *ut quæcunque negotia veſtro nituntur conſilio*, *cautiùs procedant*, *& ſuccedant feliciùs. Si ad religionem recurritur*, *de ſpeculo vitæ veſtræ relucet*, *& quod foris luceat*, *& quod intus expediat: odditur liberalitatis præconium*, *quæ beneficiis prævenire gaudet*, *necdum rogata erogaturum.* Et Sariſberienſis Epiſcopus ad eundem : *Opinionis veſtræ odor*, *qui circumquaque diffunditur* , *nos de transmarinis portibus in odorem veſtri currere fecit. Venimus ergo de finibus terræ veſtram ſcilicet noſtri temporis audire ſapientiam. Sapientiam audivimus*, *templum*, *quod ædificatis*, *aſpeximus* : *ornamenta* , *quæ à vobis oblata ſunt* , *& offeruntur* , *vidimus* : *ordinem Miniſtrorum* , *& Miniſteriorum attendimus* , *& meritò in illius auſtralis Reginæ voces erupimus*, *quia media pars non fuerit nobis nuntiata* , *& quoniam major eſt ſapientia & opera*, *quàm rumor fuerit in terra noſtra. Quis enim non miretur hominem unum* , *tot & tanta ſuſtinere negotia*, *ut & Eccleſiarum pacem conſervet*, *ſtatum reformet*, *Regnum Francorum armis tueatur*, *moribus ornet*, *legibus emendet.*

Sed quæ in Republica & aulico Regis Conſiſtorio graviſſima munia exegerit , abundè teſtantur authores Rerum Francicarum hujus temporis. In primis circa ornatum excellentis Baſilicæ, quam innumeris vaſorum, reliquiarum , lapillorum , cæteriſque hujusmodi donariis exquiſiti pretii , munificè locupletavit , ut ipſe fusè exponit ſingulari libro *De geſtis in adminiſtratione ſuâ*. Inſtauravit enim Eccleſiam eo ſchemate , quo nunc non ſine admiratione conſpicitur in forma crucis , longa pedes 390. larga 100. alta à pavimento ad ſornicem 80. columnis ſeu pilis 60. ſuffulta, plumbo tecta, porta majore alta pedes 15. lata 11. cum dimidio , vitreis feneſtris

in-

(y) Schöttgenius l. 19. Bibl. med. & inf. Lat. p. 602.

incomparabilibus, choro vario marmore ſtrato, cuppa porphyrea, Cruce & Crucifixo, tabulâque aurea: quam curavit anno 1140. benedicendam, Rege ipſo præſente, aliíſque primoribus Regni proceribus. Ubi ipſe tandem tot exantlatis pro Eccleſia & Regno laboribus, anno 1152. tumulatus eſt, cujus exequias Ludovicus Junior ſua præſentia honeſtavit. Cæterùm Epitaphii excerptum veteris MS. Codicis Eccleſiæ ſancti Dionyſii ad annùm præſatum omittere noluimus, quia Sugerii memoriam quodammodo illuſtrare videtur, quod eſt hujusmodi.

Hic eſt annus ultimus vitæ felicis recordationis Sugerii Abbatis Monaſterii Regalis S. Dionyſii in Francia, viri magnæ prudentiæ, & eloquentiæ, ac inter præclaros Eccleſiæ Gallicanæ viros eruditiſſimi & facundiſſimi. Cui tempore prælationis quantum fuerit ſtudium, ut eccleſiam omni gloria & honore attolleret, religioſè ordinaret, & eam redditibus opulentam, ædificiis ampliorem, ornamentis decoratam redderet, omnibus patet. Cooperante etiam ſuperna illius clementia, qui ponit humiles in ſublime, & ipſum de plebe humilì ſic erexit, ut non ſolùm in Parlamento Regali ſolium ac tribunal judicii ſapientia, qua præditus erat, laudabiliter peroraret: verùm etiam tanquam vir magni conſilii, & induſtriæ, ac in omni domo Regia ſpectabilis, & porbatæ fidei, cum excelſis Principibus conſederet, ac Regni ipſius gubernacula præcipuè moderaretur. Acumen ingenii, linguæ nitor, literarum ſcientia, ſcribendíque peritia, ſemper in eo ſplenduerunt, tantæque opinionis apud Eugenium Papam extitit, ut quotiens aliqua in Regno graviora emergebant, & usque ad ejus audientiam perlata, iſtius probatæ diſcretioni terminanda committebat. Glorioſus etiam Rex Franciæ Ludovicus Hieroſolymam proficiſcens, Pontificum & Procerum conſilio, expertæ illius fidei & ſolertiæ Regnum ſuum ſpecialiter commiſit regendum. Quod ille Deo juvante ita adminiſtravit & rexit, ut Principi redeunti commiſſa ſibi cum pace & integritate reſtitueret. Verùm quia à conditione moriendi nemo excipitur, cum valetudine, quà mortuus eſt, vexari cœpiſſet, fratrum manibus ſuſtentatus in Capitulum ſe deduci popoſcit. Ubi poſt verba ædificationis, cum lacrymis & gemitu omnium pedibus provolutus, eorum ſe judicio humiliter expoſuit: lacrymabiliter poſtulans, ut quod in eos deliquerat, vel negligentiùs egerat, reſpectu pietatis ei relaxarent. Quod fratres omnes maxima cum devotione & copioſa lacrymarum effuſione gratantiſſimè fecerunt. Tranſiit autem idem Venerabilis Pater inter verba Orationis & Symboli die Idus menſis Januarii, anno verò Domini MCLII. LXXX. ætatis ſuæ anno, à ſuſceptione autem Monaſtici habitus ferè LX. Prælationis verò ſuæ XXIX. Cujus ſepulturæ & exequiis interfuerunt ſex Epiſcopi cum multis Abbatibus & Chriſtianiſſimo Rege Franciæ Ludovico: ubi & pietatis memor, & immemor Regiæ celſitudinis, dum ſepeliretur, amariſſimè flevit. Flevítque omnis Regia domus, ſed & populus, qui eum tanquam prudentiſſimum Conſiliarium, totiúsque Regni gubernatorem & adminiſtratorem planxerunt ſapientiſſimum. Jacet porrò in eccleſia, ſub ſtatua Pontificalibus inſigniis ornata, cujus præliminari hic titulus inſcriptus: *Hic jacet Sugerius Abbas.* Vitam ejus literis exaravit Guilielmus ipſius domeſticus, & S. Dionyſii Monachus, quam Michaël Felibien in Codice Probationum Hiſtoriæ Monaſterii S. Dionyſii publici juris fecit an. 1706. Alia Hiſtoria vitæ Gallico etiam ſermone ſcripta à viro docto, ſed anonymo, prodiit Pariſiis in 12. vol. 3. an. 1721. ſub titulo: *Hiſtoire de Suger, Abbe de S. Denis, Miniſtre d'Etat ſous le regne de Louis le jeune.*

Porrò elegantiſſimum ipſi epitaphium compoſuit *Simon Capra Aurea*, Canonicus Regularis Cœnobii S. Victoris Pariſienſis, quod poſt Franciſcum Chifletium exhibet Joannes Mabillon in Notis ad Epiſtolas S. Bernardi pag. 35.

Decidit Eccleſiæ flos, gemma, corona, columna, Epitaphium.
Vexillum, clypeus, galea, lumen, apex.
Abbas Sugerius, ſpecimen virtutis & æqui,
Cum pietate gravis, cum gravitate pius.
Magnanimus, ſapiens, facundus, largus, honeſtus,
Judiciis præſens corpore, mente ſibi.
Rex per eum cautè rexit moderamina Regni:
Ille regens Regem, Rex quaſi Regis erat.
Dúmque moras ageret Rex trans mare pluribus annis,
Præfuit hic Regno, Regis agendo vices.
Quæ duo vix alius potuit ſibi jungere, junxit:
Et probus ille viris, & bonus ille Deo.
Nobilis Eccleſiæ decoravit, reppulit, auxit,
Sedem, damna, chorum, laude, vigore, viris.
Cui rapuit lucem lux ſeptima Theophaniæ
Veram vera viro Theophania dedit.

Plures ejus effigies æri inciſæ conſpiciuntur; earum uni ſequens carmen adſcriptum eſt:

Deliciæ Regum, Regníque, Sugerius Abbas:
Cui ſimilem vix Roma tulit, ſic ora ferebat.

X. S. PE-

Digitized by Google

X.

† 1156. S. PETRUS MAURITIUS, cognomento VENERABILIS Abbas Cluniacenſis.

Ejus natales & parentes. HAbuit Petrus patriam Arverniam, parentes Mauritium, & Raingardam, pari, eáque nobiliſſima proſapia conſpicuos. Ex inclyta ſtirpe de monte Buxerio oriundus, in lucem ſub finem ſeculi undecimi editus eſt. Adoleſcentiæ annos ubi attigit, militiæ nomen dediſſe, Caveus & Oudinus auctores ſunt; ſed ambo falluntur. Etenim parentes Petrum à teneris annis inter religioſorum hominum cohortes militare maluerunt, unde adhuc puellum in Cluniacenſi Monaſterio ſupremo Numini obtulerunt. Radulfus in vita Petri memoriæ prodit, ſanctum Hugonem, Cluniacenſem Abbatem, ejus matri uterum ferenti prædixiſſe, fore, ut maſculam prolem enitatur, quam verò divino conſecrare ſervitio deberet. *Monaſticen amplexus,* Igitur Petrus ſub S. Hugone Abbate monaſticen & amplexus & profeſſus eſt; quod ante annum decimum quintum fieri haud conſoeverat.

cùm in ſtudiis multùm profeciſſet, Erat ingenio acri, & excellenti; quò factum, ut in optimarum artium ſtudiis tantos proceſſus habuerit, quantos vix illius præceptores optare auderent. Literis politioribos ubi primùm inſtitutus fuit, operam poſuit in dialecticis & phyſicis, præcipuè autem in his, quæ ad Theologiam pertinent, diſciplinis. Nullum erat literarum genus, quô Petrus mirum in modum non excelleret. Ex diſcipulo magiſter factus in Vizeliacenſi monaſterio *Seniorum Doctor & Cuſtos Ordinis* conſtitutus eſt; *Seniorum Doctoris aliáque munia obit,* dein cellæ de Domena, diœceſis Gratianopolitanæ præfectus. Quæ officia magna cum laude non vulgaris pietatis, religionis & prudentiæ adminiſtravit, adeò quidem, ut poſt deceſſum Hugonis, eo nomine ſecundi, in Præſulem Cluniacenſem anno 1123. die aſſumptæ Virgini ſacra electus fuerit.

Poſtea Abbas factus Abbatiæ auctus dignitate nihil aliud eandem eſſe exiſtimavit, atque curriculum exercendæ virtutis. Duas res, tanquam bona fidei ſuæ comiſſa præprimis curæ habuit; alteram, ut *ſubditos ad pietatis* in ampliſſima Congregatione Cluniacenſi diſciplinam monaſticam ſartam tectam, editis novis Conſtitutionibos, conſervaret, vel in quibus monaſteriis nonnullam feciſſet labem, priſtinæ integritati reſtitueret; alteram, ut bonas literas, earúmque ſtudia in Congregatione foveret, ac proveheret. *& literarum ſtudium inducit.* Hoc veluti magnete complures viros doctos Cluniacum ad monaſticen amplectendam pertraxit. Eminuerunt inter eos Zelon, Tezelinns, & Algerus, Leodienſis Eccleſiæ Canonici, magníque ſuis temporibus magiſtri, qui certè vel obſcuriſſimi cujusque monaſterii tenebras eruditionis ſuæ fulgore depellere potuiſſent. Alia virtutum ac doctrinarum lumina erant Albericus Oſtienſis Epiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Legatus in partibus Hieroſolymitanis: Hugo Turonenſis Archiepiſcopus: Raynaldus Archiepiſcopus Lugdunenſis: Mathæus Cardinalis; Petrus Pictavienſis, & alii complures Monachi Cluniacenſes.

Quem verò poſtremo loco nominavi, Petrus Pictavienſis erat vir longè doctiſſimus. Hunc ſibi Petrus Venerabilis à ſcribendis epiſtolis, atque arbitrum & quaſi cenſorem ſuarum lucubrationum delegerat. Nemini igitur, quantus in omni literarum genere Petrus Venerabilis eſſet, magis perſpectum erat, atque Petro Pictavienſi. *Petri Pictav. de eo elogium,* Quàm verò excellens eſt illud univerſalis atque mirabilis elogium doctrinæ, quâ cunctis eum deceſſoribus ſuis pleniùs abundâſſe, non ſolùm loquendo, ſed etiam ſcribendo teſtatur. *Quis unquam*, inquit, *Plato ſubtilius, quis Ariſtoteles argumentoſius, quis Cicero pulchrius, aut copioſius aliquando quicquam diſſeruit? Quis Grammaticus inſtructior? quis Rhetoricus ornatior? quis Dialecticus fortior? quis Arithmeticus numeroſior? quis Geometricus regularior? quis Muſicus cantilenoſior? quis Aſtronomicus perſpicacior extitit? Si de ſanctis Patribus aliquid dicere audeamus, vos ab unoquoque quatuor fluminum Paradiſi, quæ poſt ſanctos Evangeliſtas totum orbem irrigant, aliquid ſimile reportâſtis: quia cum Hieronymo velox, cum Auguſtino profuſus, cum Ambroſio profundus, cum Gregorio clarus inceditis.* *& ad lucubrandum adhortatio.* Poſt hæc animos eidem ad lucobrandum his verbis addidit: *Expergiſcimini ergo, vir eloquentiſſime, & fidelibus conſervis doctrinæ cibaria, quibus certè cunctis deceſſoribus veſtris pleniùs abundatis, non ſolùm loquendo, ſed etiam ſcribendo, erogare ſtudete. Ita quippe non nobis ſolummodò, verùm quibusque remotiſſimis: nec præſentibus, tantùm, ſed & futuri temporis Chriſtianis multum prodeſſe valebitis, ſi more Patrum veſtrorum, prout vobis Spiritus divinus ſuggeſſerit, in Sermonibus,*

in

in Epiſtolis, diverſiſque Tractatibus,tam præclari monumenta ingenii poſterorum memoriæ relinquatis. Ad hoc enim ſublimi Eccleſiæ ſuæ ſpecula ſanctitatem veſtram providentia ſuperna conſtituit,quatenus per viam Sion ad æternæ Hieruſalem gaudia feſtinantes, ab infeſtantium Babyloniorum incurſionibus defendatis, tota die & nocte non tacendo reducere valeatis. Date igitur operam, ô magnum noſtri ſeculi decus! ô clarum ſidus! mundo divinitùs ortum, ne creditus vobis theſaurus inutiliter lateat, ſed magis magiſque nummulariis erogatus, pérque veſtram induſtriam centuplicatus, nobis & vobis ſublimem immortalitatis gradum acquirat.

Aures Petrus Petro præbuit, Cluniacenſis Pictavienſi, magiſter diſcipulo, & varia omni eruditionis ac doctrinæ genere refertiſſima Opera, infrà à nobis recenſenda lucubravit. Plura adhuc literis mandaturus fuiſſet, niſi gravia, eáque ferè aſſidua ampliſſimæ Congregationis negotia ejus calamum à ſcribendo revocâſſent, & ſæpè ſæpiùs ſuſflaminâſſent. Acceſſerunt alia negotia à Sede Apoſtolica ipſi demandata. Sic anno 1145. ab Eugenio Pontifice Italiam adire juſſus eſt, quò Tuſciæ civitates implacabili irâ, ac bellico furore inter ſe diſſidentes ad concordiam revocaret. Juſſis obtemperans nulli equidem operæ pepercit; ſed major erat Tuſcorum pervicacia, quàm ut ſe flecti aut emolliri pateretur.

Poſt congeſta gravisſima negotia,

Præ hujuſmodi tamen provinciis atque negotiis, licèt maximè honorificis, longè beatius, optabiliúſque Petrus noſter duxit illud otium, quod quidem in legendis aut etiam æmulandis Sanctorum Patrum monumentis traducere liceret. Erant haud procul Cluniaco nemora, in quorum receſſus complures monachi ſe referre ſolebant, ut rerum divinarum contemplationi attentiùs ſoli vacarent. Hos inter erant aliqui, nominatim *Arnulphus*, *Robertus*, & *Giſlebertus*, qui præter exercitia pietatis etiam ſacrarum literarum ſtudia excolebant. Quo ſeceſſû etiam Petro venerabili per aliquod frui tempus aliquando placuit. Afficiebant ipſum, ſupra quàm dici poteſt, loci ſolitudo, & altiſſima ſylvarum quies, in qua ſine ullo interpellatore liceret ipſi cœleſtia meditari, ac tum in ſacris literis multas horas ponere. Cùm verò religioſi hujus otii

ſacro & literato otio fruiturus, non procul Cluniaco in ſolitudinem ſecedit.

Petrum Pictavienſem eſſe participem cuperet, literas ad ipſum his verbis ſcriptas dedit: „ Sylvas incolimus, „ pertæſi urbium, rura amamus. Et „ ut aliquid Poëticum addam,

Inde ad Petrum Pict. literas,

—— Jam non mihi turbida Roma,
Sed vacuum Tibur placet, ac imbelle Tarentum.

„ Eremitæ jam ſumus, & juvenibus „ tibi tuíq; ſimilibus bella relinquimus. „ Armare igitur, & quia per Dei gra- „ tiam, ut ſcripſiſti, pes tuus conva- „ luit, ad prælia procede, pugna vi- „ riliter, viribus hoſtes ſubige: & quia „ jam totus mundus in arma conjurat, „ tu quoque armatorum numero con- „ jungere. Nam ea de cauſa cohe- „ remita noſter fieri noluiſti. Ego ta- „ men, quod imputas otium, non „ prorſus otioſum eſſe volui. Et, ut „ iterum verbis illius cujus ſuprà utar,

Me doctarum hedera præmia frontium
Diis miſcent Superis.
Me gelidum nemus, taceo reliqua,
Secernunt populo.

Tum ſi quæ nova in ſacro illo ſeceſſu Scripta lucubraverat, Petro Pictavienſi deſcribenda, & cum reliquis conjungenda tranſmiſit; vel Sanctorum Patrum, maximè S. Auguſtini, Opera ſibi tranſmittenda petiit. Sicque Petri Venerabilis otium non ſacrum modò, ſed etiam literatum fuerat. Atque hîc perpetuus ejus vitæ curſus fuit, ut cum ſumma religione & morum ſanctimonia bonarum, maximè ſacrarum literarum ſtudia conjuncta haberet.

& lucubrationes ſuas dirigit.

Hoc præclarum omnium diſciplinarum, atque virtutum exemplum cùm quotidie Cluniacenſibus Monachis ante oculos verſaretur, fieri non poterat, ut de ejus uno intuitu atque admiratione non illorum plures peterent veræ eruditionis, doctrinæ, ac religioſæ vitæ rationem. Erat (z) inceſſus ejus gravis, ſermo maturitatis & gratiæ plenus, mores bene compoſiti, totus jocunda gravitate, graviqúe jocunditate redimitus. – Staturâ corporis conſpicuus erat adeò, ut inter omnes ſui temporis perſonas vultûs venuſtate, membrorum poſitione, morum compoſitione præclarior extiterit. Cognomentum *Venerabilis* par illi cum Ven. Beda doctrinæ pietatiſque exiſtimatio peperiſſe (a) videtur.

Venerabilis cognominatur.

Ad

(z) Rodulphus in vita, & ex eo Chron. Cluniac.
(a) Ducheſnius in notis ad Petri Ven. ep. 9. lib. 6. p. 162.

Sanctè moritur an. 1156.

Ad Superos migravit anno 1156. octavo kalendas Januarii. Ab obitu ejus *erat corpus ipſius*, utor verbis Radulphi diſcipuli ac vitæ Scriptoris, *mortuum vitro purius, nive candidius, & mirabili quadam pulchritudine cæleſte corpus in terrenis adhuc exiſtens. Quis crederet, illam ſanctam carnem cilicio aliquando fuiſſe tectam, jejuniis afflictam, meditationibus & contemplationibus ſanctis attenuatam, vigiliis maceratam? Erat profectò jam quaſi in quadam futuræ gloriæ transformatione ſplendidiſſimum, ſine macula & ruga dotium cæleſtium præſagium ferens. Oſculabantur diſcipuli caput magiſtri, ſugebant aquam, quâ lavabatur, & unusquisque quod poterat, rapiebat.*

Sepultus eſt itaque B. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis in capite majoris & novæ Baſilicæ, cum magno honore & grandi dolore ſuorum filiorum, ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſimo Viro Wintonienſi Epiſcopo. Epitaphium hoc poſitum eſt:

Epitaphium.

Paret in hac urnâ, quòd non ſit vita diurna;
Qualescunque ſumus, morte coæquat humus.
Dum Petrus moritur pius Abbas, jus ſepelitur,
Pax cadit, ordo jacet, flere morique placet.
Ille ſalus patriæ, mundi decus, arca ſophiæ,
Neſcius invidiæ, vena fuit veniæ.
In Natale Dei ſolemnis mane diei
Mortuus, obtinuit plurima quæ meruit.

SCRIPTA.

EQuidem Petrus Pictavienſis Notarius Petri Venerabilis, ejusdem Opera in *Epiſtolas*, *Sermones*, & *Tractatus* dividit; ſed hæc diviſio non eſt adæquata; cùm *Hiſtoriæ*, *Poëmata*, & alia quædam Scripta ſint prætermiſſa.

EPISTOLARUM volumen in ſex libros dividitur. Primus liber continet XXXVI. Epiſtolas. Secundus LI. Tertius VII. Quartus XLIII. Quintus IX. Sextus XLVII. Epiſtolarum autem meminit & ipſe Petrus Epiſt. XXXV. lib. IV. & præfatus ejus amanuenſis Epiſt. VII. Duæ Epiſtolæ antea ineditæ habentur apud Mabillonium Analect. Tom. 3. pag. 481. Alias quasdam [numero octo] Sugerii S. Dionyſii, Bernardi Clarævallis, & Petri Cellenſis Abbatum ad Petrum noſtrum Abbatem Cluniacenſem, ejusdémque Petri ad Sugerium aliqnot nondum editas ſuppoſuit Duchesne in Bibliotbeca Cluniacenſi col. 959. ſeqq. Item Epiſtola de translatione ſua, quâ fecit transferri ex Arabico in Latinum ſectam ſive hæreſim Saracenorum, quam ipſe fieri procuravit anno 1142. ſcripta eſt ad S. Bernardnm; cujus tamen Epiſtola Reſponſoria hactenus deſideratur. Alias iterum Petri Venerabilis Epiſtolas vulgavit Edm. Martene Theſauri Anecd. Tom. I. Prima ad R. Priorem S. Benedicti col. 408. Secunda ad R. Abbatē Moiſiaci col. 409. Tertia de ſocietate inita inter Cluniacenſes & Resbacenſes monachos. Quarta eſt ad Sugerium S. Dionyſii Abbatem c. 416.

TRACTATUS. 1.) Contra eos, qui dicunt, Chriſtum nunquam ſe in Evangeliis apertè Deum dixiſſe; ſcriptus eſt per modum Epiſtolæ ad Petrum de S. Joanne, ſeu Pictavienſem. Extat Bibl. Clun. col. 966.

2.) *Tractatus* adversùs Judæorum inveteratam duritiem. ibid. col. 983. Caſpar Barthius Adverſar. lib. 3. c. 116. *eloquentiſſimum* vocat.

3.) *Tractatus* adversùs Petrobruſianos hæreticos ibid. col. 118. ſcriptus fuit anno 1126. poſtquam voce priùs Petrum de Brui oppugnàſſet.

4.) Summula quædam brevis contra hæreſes & ſectam diabolicæ fraudis Saracenorum, ſive Iſmaëlitarum. Eſt diſputatio quædam adversùs impiam Mahnmedis doctrinam, quam S. Bernardo transmiſit, ut eum pariter ad ſcribendum contra impia hæc dogmata excitaret.

SERMONES. De his Andreas Duchesne in Bibliotheca Cluniacenſi, in quâ Petri Vener. Opera omnia, quæcunque reperire potuit, typis mandari curavit, hæc habet: *Item ſcripſit idem Petrus Sermones quatuor valde utiles, & elegantiſſimos, quorum primus de Transfiguratione Domini eſt; ſecundus ſermo de laude ſepulchri Domini eſt; tertius ſermo de S. Marcello Papa & Martyre eſt; quartus eſt inſcriptus in veneratione quarumlibet reliquiarum.* Ex quatuor hiſce Sermonibus unicum de Transfiguratione Domini habes in Bibliotheca Cluniacenſi col. 1231. aliis ab Andrea Duchesne fruſtrà quæſitis; reliquos tres publica luce haudquaquam indignos reperit Edmundus Martene inter ſchedas Mabillonii; tertium verò & quartum in veteri codice Cluniacenſi, auctoris ætate exarato; in quo lectiones ad nocturnas vigilias recitandæ continentur. Hinc colligit P. Martene, Sermones illos olim Cluniaci in divinis officiis decantatos fuiſſe. Vulgavit verò Theſ. Anecd. Tom. V. col. 1419. .. 1439. & 1445. Vide ejusdem præſationem col. 1418.

HISTORIÆ. *De Miraculis libri duo.* In primo continentur Hiſtoriæ XXVIII.

in ſecundo XXX. quæ ſuis temporibus contigerunt.

POEMATA. Quo nomine veniunt Rythmi, Proſæ, Verſus, & Hymni.

1.) Adversùs calumniatores carminum ſui Petri Pictavienſis Defenſio, cujus argumentum eſt:

Egregius pro vate ſuo Dux ipſe perorans
His jaculis rabidam confodit invidiam.

2.) Rythmus in laude Salvatoris.

3.) De Reſurrectione Domini.

4.) In honore Matris Domini, Proſa. Item alia Proſa.

5.) In honore S.Mariæ Magdalenæ, Hymnus.

6.) De S. Patre Benedicto, Hymnus: *Inter æternas Superûm coronas.* Continet novem ſtrophas, ex quibus priores quatuor nos Benedictini in feſto S. Patris ad Laudes decantamus. Reliquis quinque ſtrophis duodecim S. Benedicti miracula breviter explicantur. Occaſio & cauſa pangendi hujus Hymni Petro Venerabili fuit, quòd æquo animo ferre & decantare non poterat alium Hymnum, in quo præter aptitudinem ſententiarum, quæ nulla erat, ad minus viginti quatuor mendacia reperiebantur. Quid autem indignius, quàm tanti viri veras laudes mendaciter proferre & celebrare? Lege Petri Vener. epiſtolam hac de re ſcriptam ad Petrum Pictav.

7.) *De translatione ſimul & illatione ejusdem Patris alius Hymnus*, cujus meminit ipſemet Petrus lib. 4. epiſt. 30. loquens de Hymnis in laudem S.Benedicti à ſe compoſitis. *Et quia*, inquit, *ſemel cœperam de translatione ſimul & illatione ejus, alterius metri ſecundum, propter tædium cantantium altero breviorem edidi.* Vide præterea Hug. Menardum Obſervat. Lib. I. in Martyrol. Bened. die 4. Decemb. pag. 384. Ego lites inter Gallos & Caſinenſes Benedictinos ut non inſtaurare velle videar, nihil addo.

8.) De S. Hugone Abbate Cluniacenſi Rythmus.

9.) Epitaphia. Primum Euſtachii Comitis. 2. Bernardi Prioris. 3. Rainaldi Archiepiſcopi Lugdunenſis. 4. Petri Abælardi.

Poëma, ſeu Carmen de ſacræ Miſſæ ritibus, quod Joannes Albertus Fabricius in *Bibliographia Antiquaria*, ſive *Introductione in notitiam Scriptorum, qui antiquitates Hebraicas, Græcas, Romanas, & Chriſtianas ſcriptis illuſtrarunt*, ſub nomine Petri Vener. in lucem emiſit, non eſt ipſius, ſed Hildeberti noſtri, Cenomanenſis Epiſcopi, ac poſtea Turonenſis Archiepiſcopi. Vide Oudin. de S. E. Tom. 2. c. 1195. quo judice rectiùs Caſpar Barthius Petro Venerabili attribuit opellam, ſeu Proſam unicam de S. Martino Epiſcopo, quam ut modicam refert Adverſariorum lib. 14. c. 13. col. 955. editionis Francofurtanæ 1648. in folio, atque omiſſam reperit in Bibliotheca Cluniacenſi, ubi Rythmi, Proſæ, Verſus, & Hymni illius habentur à col. 1338. ad col. 1354. At enimverò Oudinus hîc multùm fallitur: Barthius Proſam de S. Martino necquidquam Petro Venerabili, ſed Fulberto Carnotenſi diſertim attribuit.

Diſpoſitio rei familiaris à Petro Venerabili Abbate Cluniacenſi anno 1149. *Prælaturæ ſuæ* 28. *facta*, quam ex MS. Codice edidit anno 1700. in 8. Stephanus Baluzius Miſcellaneorum libri V. à pag. 443. ad 453. cujus mentionem facit Bibliotheca Cluniacenſis in Geſtis Petri Cluniac. col. 592. Ita Oudin. l. c.

Statuta Congregationis Cluniacenſis; de quibus vide Conſpectum Novæ Bibliothecæ Cluniacenſis, quem volumine præcedente exhibuimus.

Oratio, ſeu Elogium funebre Raingardis Matris. Hic S. Petrus Mauritius omnes eloquentiæ, ingenii, animi, naturæ, & artis contendit nervos ad leniendum ſuum dolorem, quo ex ſanctæ ſuæ matris obitu affectus fuit. Eſt hæc Oratio excellens quædam pictura vitæ & mortis hujus pientiſſimæ matronæ, quæ poſt Radulfi conjugis mortem Marſiniacenſe Ord. S. B. Monaſterium ingreſſa, in eo viginti annis ut ſimplex monialis admirabili vitæ ſanctimonia vixit. Hæc verò Oratio eſt ipſa Epiſtola XVII. Libri II.

Operum Petri Ven. Editores. Editionem Operum *Petri Ven.* primus odornavit *Petrus de Monte Martyrum*, Monachus ac Theologus Cluniacenſis, Pariſiis anno 1522. in fol. min. Sed hæc editio eſt incompleta, in quâ Sermones, Tractatus, Diſpoſitio, & Statuta deſiderantur. *Andreas Ducheſnius* in Bibliotheca Cluniacenſi, Opera Petri Ven. omnia, quæcunque reperire potuit, typis mandari curavit, quæ poſtea Bibliothecæ PP. edit. Lugd. Tom. 22. inſerta fuerunt.

Scriptores, qui de eo Vitæ ſanctimonia, pietas, religio, & aliæ ejus virtutes, præclaráque geſta non jejunè referuntur in Bibliothe-

ca

mentionem faciunt.

ca & Chronico Cluniacenſi, ſed poſt Radulphum tantùm Monachum Cluniacenſem, ejusdem diſcipulum. Videri etiam poſſunt Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis; Mabillonius in Annalibus Benedictinis, & Actis Sanctorum Ordnis S. B. Tum qui de Scriptoribus Ecclèſiaſticis agunt, ut Labbeus, Dupinius, Caveus, Fabricius, Oudinus, aliíque plures. Nemini verò *Petrus Vener.* magis ferè laudatur, atque Caſpari Barthio, magno illi Critico, tametſi Acatholico, in Adverſariorum ſuorum libris, ubi eum vocat (b) *Scriptorem ævi ſui eloquentiæ & doctrinæ laudibus admirandum.* Quid? quòd eum appellet non Abbatem modò, ſed *Principem formoſiſſimum, eruditiſſimum, ſanctiſſimum.* Nec ſilentio involvenda ſunt verba doctiſſimi Arnaudi D' Andilly in elegantiſſimo Diſcurſu gallicè ſcripto ſuper Vitas Patrum Eremi Part. 2. p. 21. ubi inquit: *S. Petrus Mauritius nonus Abbas & Generalis Cluniacenſis fuit bonoribus ab Epiſcopis cumulatus, magni à Summis Pontificibus factus, viſitatus, & od Concilia vocatus, dilectus à magno S. Bernardo, in veneratione à Gallia, Hiſpania, Anglia, & Italia babitus, ut qui per nobiliſſimos natales magnus erot Princeps, magnum ingenium per naturam, vir magnus per doctrinam, & per gratiam magnus Sanctus.*

XI.

† 1158. xiv. kal. Auguſti.

WIBALDUS Abbas Stabulenſis & Corbeienſis.

Ejus genus & educatio.

FLorebant (c) apud Leodios ſeculo undecimo & ſequentibus, viri nobiles Domini de Prato, multis & magnis dignitatum titulis eminentes. *Wibaldum* ex eo genere eſſe oriundum, idonei ſcribunt authores. Is ab ipſis incunabulis ereptus mundo, monachis Stabulenſibus traditur rudimentis imbuendus religionis. Labentibus paullatim tenellæ ætatis annis, grammaticæ applicatur & rhetoricæ, ſub diſciplina venerabilis Reinardi, qui tum Stabulenſium ſcholas mirâ ſapientiâ regebat. Is Wibaldum juvenem ob eximiam cùm virtutis tum ingenii naturam tanto amore proſequebatur, ut poſt aliquot annos creatus primus Reinehuſenſis Abbas, & deinde ſenior factus, ad finem usque vitæ loco haberet filii, paternæque ætatis privilegio utens, admonuerit frequentiùs, cùm ad ſummos dignitatis gradus aſſumeretur, ne ſeſe ſineret malè blandientis ſeculi illecebris illaqueari. Id videre eſt in nonnullis ejus epiſtolis, quæ certè pietatem ſpirant non vulgarem. Magnos hoc magiſtro progreſſus fecit Wibaldus, & diſciplinis altioribus brevì maturus, ad majores Leodienſium ſcholas ſtatim fuit evocatus. Tum verò ſumma ejus & ingenii felicitas & judicii vis enituère, ut paucorum annorum intervalló dialectica, rhetorica, arithmetica, geometrica, & aſtronomia imbueretur. Sed jam mundi pertæſus ſeceſſum meditabatur, de loco ſolùm dubius hæſitans.

Leodium accerſitur ut doceat.

Invitabant quidem vetera Stabulenſium merita ad eos ut diverteret, at ſolitudinem quærebat, quæ eſſet ab hominum conſuetudine remotior, & fortè vicinitatem verebatur conſanguineorum, quorum, quisquis ſeſe Deo devovet, conſortium fugit. Quibus omnibus ritè penſatis, anno 1117. vaſtam Valciodori ſolitudinem ſelegit. Neque tamen Wibaldus, quem Deus optimus ad labores magis actuoſæ vitæ vocabat, quàm ad contemplativæ otium, ſperatam Valciodori quietem invenit. Abbas enim Widricus cognita ejus & profunda eruditione, & morum maturitate, ferè priùs ſcholis regendis eum applicat, quàm ſolemnia religionis vota nuncupâſſet. Stabulenſes verò ſollicitant, ut ad ſe redeat, acerbiùs conquerentes ereptum ſibi eſſe, trahunt denique, ſecum detinent, atque elapſis annis ſeptem vel octo Abbatem ſibi conſtituunt.

Io Valciodori ſolitudinem abſc.

Inde extracto à Stabulenſibus

Interea Cuno Stabulenſis Abbas, optimum in Wibaldo adjutorem reperiens, non ſcholas ſolùm ei commiſit, ſed & monaſterii portam, quod præcipuum erat Stabuleti munus ob frequentes Principum & Imperatoris acceſſus. Imò de maximis quibusque negotiis cum eo conferens ejus conſiliis quàm lubentiſſimè utebatur. Cunone autem ejúsque ſucceſſore Johanne

varia,

(b) Lib. 2. col. 135. Lib. 11 peg. 514.

(c) Ex Edmundi Martene Collect. ampl. Tom. II. ubi pag. 153. vitam Wibaldi à ſe concinnatam protulit.

Abbatis etiam munus imponitur, ne Rulland demortuis Wibaldus anno 1130. in Abbatem electus fuit. Nec ſine Dei optimi conſilio factum eſt, ut eo præciſè eligeretur anno, quo Summus Pontifex Innocentius ſecundus, prævalente Petro Leone, ſuâ pulſus ſede eſt. Nunquam utique legitimo Pontifici ſubveniſſet Germania, ſi ejus conſilio fuiſſet deſtituta. Cùm enim Lotharius Imperator & miram in conſulendo ſolertiam, & incredibilem in exequendo celeritatem in Wibaldo eminere deprehendiſſet, ipſius conſilio non Innocentii tantùm partes tuendas ſuſcepit, ſed eum quaſi admiſit in adminiſtratione Imperii conſortem.

Tamen cùm attenderet non Principis ſolùm vices Stabulenſem Abbatem implere, verùm & Paſtoris, atque adeò monaſterii non minùs, quàm imperii demandatam ipſi eſſe curam; ſic uni perinde ac alteri vacabat, nullum ut intermitteret tempus à labore.

quo præclarè fungitur. Quod ad monaſterium ſpectat, primam reformationi diſciplinæ regularis operam collocavit, ùtque omnibus eò pariter tendentibus, felicem propoſiti ſui finem conſequeretur, ſingulis, quos digniores ſciebat, propria tribuit munia. In his Warnerum, & eo mortuo Robertum ſtudiorum ſub Reginardo ſodalem, conſtituit Priorem ſeu Decanum, quæ Stabuleti proxima dignitas eſt ab Abbate. Hic prudentia & virtute præcellebat, atque inprimis eloquentiâ. Scholis Henricum præfecit monachum verè pium & eruditum, cujus labores & merita non ſemel epiſtolis ſuis celebravit. Erlebaldum denique germanum fratrem, qui Leodii apud Laurentianos vota religionis nuncupârat, accitum ad ſe Capellanum priùs inſtituit ſuum, deinde Cuſtodem, ſic potrò appellatur is, cui Commiſſum eſt inſtrumentorum archivum. Neque verò ſanguini deſtinatio hæc referatur, cùm jam videretur muneribus primis adoleſcens digniſſimus. His tribus præſertim adjutoribus, fieri non poterat, qnin brevi recaleſceret & tepidior obſervantia, & jura monaſterii vindicarentur.

de Imperio Quid verò operæ negotiis Imperii dederit, libentiùs exequemur, cùm ea potiſſimùm vitæ ſuæ parte conſpiciendus ſit. Ejus conſilio Lotharius Imperator collecto exercitu Iñocentio II. contra Schiſmaticos ſuppetias laturus in Italiam contendit. Tum verò quantos Wibaldus pertulit labores? Nondum pedem ab urbe Auguſta Vindelicorum moverat Rex, cùm ecce tibi adeſt nuntius, Conradum Sueviæ Ducem, qui Italicum regnum invaſerat, irrupiſſe in Germaniam, atque eundem omnia miſcere, plurimis ad partes ejus inclinantibus. Is territus expeditionis ſama deviis itineribus cum exercitu fugerat ab Italia res novaturus. Reprimendi igitur Wibaldo fuêre uti & ceteris Imperii proceribus rebellium conatus, confirmandi alii in fide Cæſaris, providendum ſtatim exercitui de neceſſariis, cavendum denique quocunque modo, ne malum illud improviſum latiùs ſerperet. Quâ occaſione inſignia cùm fidei tum virtutis & præcipuæ in rebus gerendis ſolertiæ ſpecimina edidit, quæ certè Lotharium, confecta expeditione, eò compulêre, ut deinceps virum illum frequentiùs de præcipuis Imperii negotiis appellaret, atque eundem non tantùm Henrico ſuperbo Bavariæ Duci, genero ſuo, quem copiis præfecerat, adjungeret, ſed etiam maritimæ in regnum Siciliæ expeditioni, quæ magnam in duce dexteritatem exigebat, præſtitueret, ita tamen ut ne priùs diſcederet ab Imperatore, quam claſſis, quæ inſtruebatur, aliquo tandem moveret. Hinc Cæſari Wibaldus ferè ubique conſiliis æquè ac virtute adfuit.

Subinde Lotharius convocato apnd Melphiam conventu, Wibaldum navalis expeditionis ducem Neapolim miſit, ut claſſem milite & armis inſtrueret. Ipſe verò cum exercitu Salernum contendit, expugnatâ hac urbe in Siciliam, quò ſe hoſtis contulerat, trajecturus. Verùm brevì iterum Imperator juſſit acciri ſibi Wibaldum, quò eum in monte Caſſino, exauthorato Raynaldo Tuſco, homine ſchiſmatico atque vi intruſo, Abbatem conſtitueret. Dignitate ægerrimè accepta, ea brevì iterum ſe abdicavit, cedendum ratus armis & inſidiis Rogerii Siciliæ ac Neapolis Regis, Lotharii acerrimi hoſtis. Poſtquàm verò Caſſinenſes, ne quid mali ſors ſui unius cauſa paterentur, à ſua obedientia abſolvit, rectà migravit ad Imperatorem, qui poſitus in extremis, paucis poſt diebus devixit, ſuſceptúſque eſt abs Sereniſſima Auguſta ut princeps pacis, qui diſſenſiones, quæ tum prævidebantur, conſiliis ſuis removere poſſet.

Agebatur enim de creando novo Rege, & duo erant contendentes iidem potentiſſimi & rerum gloriâ ſpectatiſſimi. Henricus Bavariæ & Saxoniæ Dux Lotharii gener, & Conradus Sneviæ

viæ Dux Henrici V. ſororius. Divitiis ille & potentiâ eminebat, ſed faſtu & tumore inſolens, unde & ſuperbo nomen inditum, proceribus æquè ac plebi minùs erat acceptus. Hic verò lenitate in primis & clementiâ, quæ præſertim dotes in Rege ſpectantur, omnium ferè animos ſibi devinxerat. Electionis ſeriem, quíque ſunt exinde ſecuti bellorum motus, exponere hîc noſtrum non eſt, tametſi minimè dubitamus, quin ubique effulſerit Wibaldi prudentia & æquitas. Ea ſolùm aſſeremus, quæ de ipſo ſcriptis traduntur. Henrico præpoſitus eſt Conradus in conventu circa mediam Quadrageſimam habito in oppido Confluentia, ſtudio inprimis Adalberonis Trevirenſis Archiepiſcopi, & Wibaldi Abbatis, Theoduino Epiſcopo & Cardinali ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legato præſente.

Eo tempore Wibaldus Stabulenſes ſuos nimis exſpectatus inviſit, ſperans cum illis optato ſeceſſu fruiturum, & paucos, qui ſupererant vitæ annos acturum quietiùs, ídque unum abs Rege, de quo erat optimè meritus, avebat ſibi concedi. Verùm pro ſummo in Stabuletum ſtudio quantas componendis ejus rebus curas ponebat, & ſollicitudines, quot itinera ſuſcepit! ut alias omittamus molitiones. Modò Conradum Regem adire oportebat, modò Colonienſem Præſulem, modò Leodienſem. In plerisque Comitiis Imperii, in ſynodis Epiſcoporum ſemper novi aliquid de Stabulenſi monaſterio tractabatur. Improbitas ſola miniſterialium, quæ omnino comprimi debuerat, poſt Leodienſe, Wormatienſe, & multa alia judicia ſemper recrudeſcens, infinitas ipſi curas impoſuit. Coactus fuit tandem ad ipſum Apoſtolicum pergere, auxilium ipſius imploraturus. Certè eo anno, quô Innocentius II. obüt, Romæ agebat, impetravítque ab ejus ſucceſſore cum privilegii literis, literas alias ad Alberonem Epiſcopum, quibus hortatur eum Summus Pontifex, ut Stabulenſium partes ſuſcipiens, ipſos in villicos & miniſteriales gladio ſpiritali animadvertat, ſi opus erit. Reverſus ab Italia Wibaldus cum Cœleſtini literis ſperatam diu quietem quaſi à longè venientem videbat, melioratis aliquantum Stabulenſium rebus, atque unum aut alterum annum egit ſatis placidè.

& Monaſterio Stabulenſi optimè meritus.

Prodente quidem virum magnâ ſui nominis famâ, excitatæ viciniores Eccleſiæ eum in paſtorem ſubinde votis depoſcebant, petentes id ſibi non denegari, quod Caſſinenſibus monachis, externis & minimè notis aliquamdiu conceſſerat. Verùm illud eis propheticum reſponſum dabat: Non ſum medicus, non eſt in domo veſtimentum, nolite me conſtituere principem populi. *atque ita*, inquiebat, *abſque avaritiæ moribus, contentíque præſentibus, ei monaſterio, cui adſcripti eramus, etſi non benè vivendi exemplo, vel fideliter adminiſtrandi ſtudio deſerviebamus*, immotúmque videntes ampliùs non urgebant. Nec conſtantet minùs Corbeiæ novæ, illuſtriſſimi in Saxonia Aſceterii, regimen à ſe omni animi corporíſque contentione removit, cujus tamen gubernaculis, volente ac jubente Conrado III. admotus eſt, quò graviſſimis vulneribus, queîs nobiliſſima hæc Abbatia ab Henrico antiſtite Simoniaco, eámque ob cauſam à Thoma S. R. E. Cardinale depoſito, affecta fuit, mederetur.

A viciniis Eccleſiis in Paſtorem nequicquā depoſcitus

Corbeiæ novæ regimen invitus ſuſcipit.

Intereà Conradus exemplo motus Ludovici Francorum Regis, & frequenti hortatione impulſus S. Bernardi Abbatis Clarævallis, accepto Ratisbonæ vivificæ crucis ſigno, menſe Februario celebriorem habuit conventum Francoſurti, ubi ordinato belli ſacri apparatu, bellum aliud, efflagitantibus Saxonum proceribus, queîs jam Wibaldum accenſemus, indictum eſt adversùs Lutitios & Obotritos, gentem Sclavorum crudelem, & idolorum cultui addictam, quæ Chriſtianos regionis Tranſalbianæ & Daniæ miſerrimè vexabat. Aderat porrò huic conventui inter plurimos Eccleſiæ proceres Wibaldus noſter; eo verò ſoluto, miſſus obviam fuit Eugenio Summo Pontifici, qui tum ex Italia in Gallias excedebat. Literas ferebat Regis, quibus ſignificabantur ea, quæ in conventu fuerant ſtatuta. His auditis, quæ modò diximus, de bello Saxonico, útque Saxones cum Epiſcopis provinciæ ad illud ſeſe accingerent, Pontifex Wibaldo ex auctoritate à Deo ſibi conceſſa præcepit, utì negotio huic operam omnem navaret. Admonens rem agi ſuam, cùm propaganda his in locis eſſet fides, ubi olim à primis Corbeiæ ſuæ monachis plantata fuerat. Eo enim fine bellum hoc inſtituebatur, ut virtute magis Evangelicæ veritatis, quàm ferri acie ſubigerentur barbari, & proprium expeditioni inſigne ipſi impoſuit. Crux erat, ait Otto Friſingenſis, *non quidem veſtibus ſimpliciter aſſuta*, qualem ferebant expeditionis orientalis

bello Lutitiis & Obotritis facto.

juſſu Eugenii Pont. intereſt.

talis milites, *ſidâ rota ſubterpoſita protendens in altum.* Juſſis pontificiis Wibaldus eo lubentiùs annuit, quò ardentiùs avebat miſeros ab idolorum fæce eripi. Sed & propriâ inſuper Corbeiæ causâ urgebatur. Inſulam Rugiam, quam Lotharius Imperator Corbeiæ conceſſit anno 846. ob inſignem victoriam beati Viti meritis reportatam de Abotritis, ubi & cæſus eſt Geſtimulus eorum Rex, impiiſſimi barbari ex longo jam tempore invaſerant, Chriſtiano nomine penitus deleto. Spes erat, ſuccedente expeditione, ſore, ut recuperari omnino, aut ſaltem fidei priſtinæ poſſet reſtitui.

Acceleratô igitur itinere, Herbipolim conceſſit feriis paſchalibus, hinc Bambergam, ubi Conradus ſanctum Paſcha celebraverat, qui Guidone admiſſo & expedito, Henricum filium ſuum, puerum Regem Wibaldi fidei pluribus verbis commendavit, atque hoc ultimum chariſſimo Abbati benevolentiæ pignus Conradus dedit, priusquàm diſcederent à ſeſe. Ex quo affirmare certè poſſumus, Moguntinum Præſulem pro Eccleſiæ ſuæ jure nomen quidem tutoris habuiſſe, & dignitatem, tutelæ onus ſubiiſſe Wibaldum: ídque fateatur neceſſe eſt, quisquis ejus epiſtolas legerit 30. 31. 89. aliásque paſſim, ſi ſit æquus rerum æſtimator. Poſt hæc cum cæteris Saxoniæ proceribus in Sclavos movit. Tantus verè Chriſtianorum exercitus erat, ut transmiſſô Albi, *tota terra à facie eorum contremuerit.* Et ſpe nulla in ipſo ingreſſu ducibus affulgente Slavicæ feritatis edomandæ, verſo in rabiem, ut ita dicam, Rege Nicloto, *ferè per tres menſes*, utì ſcribit auctor antiquus, *omnia vaſtârunt, civitates & oppida igni ſuccenderunt, fanum etiam cum idolis, quod erat ante civitatem Malchou, cum ipſa civitate concremârunt.* Verùm plurima utrinque ſtrage edita, cùm belli cardo in expugnatione *Dimin* & *Dubin* munitiſſimarum arcium verteretur, & jam bipartito exercitu arcem utramque eodem tempore circumventam & obſeſſam urgerent acriùs, orta inter duces diſſenſione, *grandis illa expeditio cum modico emolumento ſoluta eſt.*

Abſente Conrado Imperii negotia procurat.

Wibaldus ab expeditione reverſus, Imperii negotia, abſente in Palæſtina Conrado Imperatore, feliciùs procuravit. Trevirenſi concilio ſub initium anni 1148. nomine Henrici Regis junioris adſuit, deinde Remenſi, ubi multa propoſuit. Hinc vocatus ad comitia Winisbergæ habita, tum Francofurtum, ut Regi *ad informandum regni ſtatum & pacem firmandam conſilio & auxilio aſſiſteret.* His intentum curis Wibaldum & Stabuleti agentem redux è Palæſtina Conradus annô 1149. conventu indicto Francofurti ad diem feſtum aſſumptionis acciri præcepit, ante alios Imperii Principes, ea ſeorſim communicaturus, quæ palàm erant in conventu exponenda.

Redux Imp. conſilia cum Wibaldo participat.

Negotia duo majoris momenti Rex moliebatur, expeditionem Italicam, & Ladislai Poloniæ Ducis profugi reſtitutionem, quæ duo poſt amiſſum in Oriente florentiſſimum exercitum, æquè ardua conficere non potuit, quamvis ſæpiùs tres ferè annos, quos ſuperſtes egit, variis in comitiis agitata ſint, miſſis non ſemel Legatis cùm ad Summum Pontificem tum ad Polonos. Atque his ferè Conventibus invitatus abs Rege Wibaldus adfuit. Ac primùm Francofurti hoc anno 1149. deinde Bambergæ, ubi hebdomadas novem, & eo ampliùs regiis expenſis detentus fuit, brevì mittendus Romam cum Arnoldo Colonienſi Præpoſito & regni Cancellario, niſi graviſſima interveniſſent reipublicæ negotia. Hinc Spiræ ſub initium Februarii, tum Fuldæ tertio nonas Aprilis; atque adeò Regis lateri menſes omnino quinque adhæſit; quô ferè tempore, Romanis rebellibus, qui Regis gratiam adversùs Eugenium Summum Pontificem frequentibus literis aucupabantur, aſſiduè obſtitit, ſuſceptis pro virili Eccleſiæ partibus.

Conrado mortuo charior adhuc Friderico

Conrado morte conſumto Wibaldi auctoritas ſuma, & gratia cum Rege, ut vulgò accidit, minimè diſperiit. Charior adhuc Friderico, qui canam ejus ſapientiam fidémque, utì omnes, ſumme venerabatur, factus eſt, ſublato è vivis Conrado, conſiliorum ejus omnium arbiter, atque unus, ut ita dicam, primis ejus & regni & imperii annis univerſam Imperii molem prudentiâ ſuâ ſuſtentavit; ídque advertat neceſſe eſt, quisquis epiſtolas, quas ex eo tempore, quo aſſumtus in regni ſocium eſt, Fredericus aut ſcripſit, aut recepit, attentiùs leget. Et felicem fortunatúmque hunc, ſi talem ſibi miniſtrum fortuna ſervâſſet diu.

eum in ſolium evehere allaborat.

Annos rantummodo quinque Wibaldus Conrado ſuperſtes fuit, ſed qui, ſi expendentur accuratiùs, ſuperiorem ejus ætatem videntur rerum geſtarum gloriâ exæquare. Et primus quidem

Digitized by Google

ſtem inſignis fuit Frederici promotione ad regnum, cui haud parùm adlaboràſſe Wibaldum Fridericus ipſe in comitiis generalibus anno 1153. habitis Merſeburgi diplomate teſtatus eſt literis aureis exarato. Hic verò annus Chriſti 1153. quàm glorioſus fuit Wibaldo mutuo cum *Manuele* Imperatore commercio literarum, queîs de connubio tractabatur Frederici Regis cum Imperatoris ejusdem filia. Et Wibaldus ipſe, qui connubium illud ſic proſequebatur, Frederico auctor fuerat, ut futurus ipſe Imperator, affinitate ſe cum Imperatore conjungeret. Id porrò teſtatur epiſtola 90. ad Manuelem his verbis: *Inſtanter non ceſſavi, quatenus inclytus atque victor dominus meus Fredericus Imperator cum conſtantiſſimo veſtro imperio fœdus amicitiæ iniret, & de ſanguine veſtro uxorem duceret, quod etiam veſtra ſapientia complere indubitanter maturabit.*

Déque connubio Regis cum Manuelis filia tractat.

Jam de ſequentibus annis quid afferemus? etenim brevitatis ſtudio eligendum. Expeditionem in Italiam ſub finem anni 1154. movit Fridericus Wibaldi nutu, atque ejus conſiliis anno ſequenti poſt inſignes triumphos coronatur Longobardorum Rex, tum ulteriùs progrediens, eodem comite *Wibaldo* Romam ingreſſus, ab Adriano Pontifice 14. cal. Junii coronatur Imperator. Anxius quidem Summus Pontifex de Regis adventu hoſtisne an amicus accederet neſciens, Legatos obviam præmiſerat: ſed Pontifici præſente Wibaldo quid metuendum? id verò poſtmodùm Adrianus impensè agnovit, gratúsque erga Abbatem noſtrum, ob egregiam operam in placido hoc congreſſu Imperatoris, Stabuleti & Corbeiæ monaſteriorum jura privilegiáque novis diplomatibus inſtauravit. Necdum lætiſſimus ille annus exiêrat, cùm ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, *qui Palæologum nobiliſſimum Græcorum,* utì ſcribit Otto Friſingenſis, *regalíſque ſanguinis procerem, & Marodocum egregium virum Imperatori miſerat, munera non parva deferentes,* deſtinatur. Exacta verò hac legatione an. 1156. & paucis interjectis menſibus, abs Friderico, qui tum in Polonos movebat, ut Ladislaum profugum Ducem reſtitueret, invitatur ad ineundam anno ſequenti expeditionem in Mediolanenſes, ſed heu! Deus optimus, cujus nutu omnia adminiſtrantur, quàm aliter providebat. Reverſus enim Fridericus è Polonia victor, dum ſecundam ad Manuelem legationem inſtituit, Wibaldus denuò mittitur, qui altero demùm anno tediens, Butelliæ in Paphlagonia potionatus, utì ſuſpicio eſt, occubuit 14. cal. Auguſti. Quam ob cauſam, utì ſcribit ex Radewico Annalium Paderbornenſium auctor eruditus *Nicolaus Schaten*, Legati Græcorum Imperatoris, qui anno 1159. ad Fridericum miſſi aderant, refugête comitia Principum intrare, niſi publica primùm fide Principum data, ſecuri eſſent, quòd ob tanti viri acceleratam veneno mortem aut ſuſpecti aut inviſi habetentur.

Bis ad Græcorum Imp. ablegatur.

Obiit veneno, ut creditur, infectus.

Atque hic Wibaldi Abbatis finis fuit, Viri, ſi mores ſpectabuntur, primorum Eccleſiæ temporum digniſſimi. Si felicitas ingenii, ſi prudentia, ſi ceteræ animi dotes, vix ulli ſui ævi, quod ſanè inſigniorum virorum ferax fuit, ſecundi.

De ſummo ejus literarum præſertim politiotum ſtudio jam aliàs diximus. Quas epiſtolas de rebus graviſſimis inſigni doctrina & prudentia conſcripſit, earum tomum unum edidit Cl. Edmundus Martene, qui duos in tomos fuiſſe diſtributas conjicit, quorum prior exciderit. Utrùm tractatus aliquos emiſerit, incompertum eſt: ſed amicos & fratres ſeu filios ſæpiùs eſt cohortatus ad ſcribendum. Sic Anſelmum Epiſcopum Havelbergenſem epiſtola 142. Henricum Stabulenſem monachum epiſt. 106. ſexta verò Theodoricum Walciodorenſem Abbatem. Et veteres Corbeienſis eccleſiæ ritus, qui in Bibliotheca etiamnum ſervantur, ejus juſſu eſſe inſtauratos, & ordine diſpoſitos, ipſa ſuadet operis ſublimitas, & codicis characteres antiqui. Ingentis ſanè librorum ſupellectilis, quam laboribus immenſis collegerat, pretioſæ reliquiæ.

Epiſtolarum ejus Tom. unum edidit Martene.

Hunc igitur virum Lotharingiæ decus, lumen Imperii, Eccleſiæ Romanæ difficillimis temporibus in Germania columen, Butelliæ in Paphlagonia, utì tradunt breviores Stabulenſium Annales, Græcorum perfidia ſuſtulit, 14. cal. Aug. 1158. Oſſa ejus in baſilica civitatis depoſita, Stabuletum, agente Erleboldo fratre & ſucceſſore, honorificentiſſimè translata ſunt anno ſequenti, & celebrante exequias Henrico Leodienſi Epiſcopo, in medio chori ſeptimo calendas Auguſti condita fuêre. Epitaphium hîc ſubjicimus, quod Annales Corbeiæ habent

bent ex Chronico Huxariæ, tametſi Stabulenſium opinio eſt, monumento ejus inciſum eſſe nihil præter nomen *Wibaldi* & mortis diem.

Epitaphium.

WIBALDUS DEO ET ECCLESIÆ
Qui vixit dum vixit inter mortales
omnium Abbatum feliciſſimus,
Summo * Pontifici, Imperatori,
& Principibus cariſſimus
Exuvias corporis ſui hîc depoſuit
Univerſæ poſteritati ob pietatem, diligentiam, & ſingularem zelum
Maximè & perpetuò cōmendandus,
Tu qui poſt eum ſedebis,
fac idem & vives.

* *Immo Pontificibus ſaltem quinque & Imperatoribus quatuor.*

XII.

† 1165. VII. kal. Julii.

GODEFRIDUS
Abbas Admontenſis.

FUit *Godefridus*, ejus nominis Primus Abbas Admontii celeberrimi in Styria Aſceterii, Dynaſta de Venningen. Fratrem habuit Irimbertum, celebrem illum Divinarum Scripturarum Explanatorem, ſuúmque poſt Luitholdum & Rudolphum in Abbatia Admontenſi ſucceſſorem, de cujus vita & ſcriptis alio loco acturi ſumus. Monaſticen ſecundùm Regulam B. Benedicti & conſuetudines Hirſaugienſes properante ad finem ſeculo Chriſti undecimo profeſſus eſt in famigeratiſſimo quondam Monaſterio S. Georgii in Sylva Hercynia, ex quo iiſdem ferè temporibus vitæ ſanctimoniâ & doctrinæ laude longè clariſſimi plures viri prodierunt. Porrò quantos Godefridus ſub eorum oculos tum in virtutis tum in Divinarum cognitionum ſtudio progreſſus fecerit, egregia ejus acta, quorum fama omnem Germaniam implevit, pòſt paulò declarârunt.

D. Benedicti Ordinem amplexus,

Ejus Religione, prudentia & eruditione capti Cœnobitæ Weingartenſes (c) cùm poſt Abbatem *Chunonem*, *Dapiferum de Waldpurg*, *Comitem à Thann*, *ſub quo magnus Principum*, *Comitum & Baronum numerus*, *& octo minimùm ex ſolùm Comitum de Thann familia in Vineis floruêre*, de deligendo Succeſſore cogitarent, neminem, cui loci ſui regimen crederent, Godefrido digniorem repererunt. Annum, in quem ea Godefridi in Abbatem Weingartenſem deſignatio & creatio præcisè inciderit, non notat Bucelinus, ſatis habens obſervâſſe, eum claruiſſe anno Chriſti MCXXX. Nec ex eo certius ampliúsve quid habemus, quot annos Weingartenſe Cœnobium ſua pietate & doctrinâ illuſtraverit. Sed quidquid de hoc ſit, Godefridi Præfecturam Weingartenſem ultra annum MCXXXVIII. non proceſſiſſe, ex eo conſtat, quòd ad hunc eundem annum jam *Prior* Monaſterii S. Georgii, quò ex Monaſterio Weingartenſi receſſerat, à Chronographo (d) Admontenſi adpelletur. Agens enim de ejus in Abbatem Admontenſem electione ita disertè ſcribit: *Domnus Godefridus*, *Prior S. Georgii*, *in Abbatem Admuntenſem electus*, *Chunradi Archiepiſcopi nuntiis & literis expetitus*, *& ad nos deductus eſt.*

primò Abbas Weingartenſis,

Porrò mox ut Godefridus Admontenſis Monaſterii regimen capeſſivit, incredibile eſt, quantum cōmodi lucis & gloriæ ei Eccleſiæ acceſſerit. Dixiſſe ſufficiat, Admontium fuiſſe ſcholam veluti & Gymnaſium quoddā ſanctitatis & doctrinæ, quod præſidente Godefrido mirum in modum florebat. Ex eo ſiquidem, Godefrido habenas monaſterii moderante, Abbates minimùm viginti eruditione juxtà ac virtute conſpicui ad aliorum Monaſteriorum adminiſtrationem aſſumpti fuerunt: quo *Poſtulatorum* numero neſcio an ullus Germaniæ Abbas aliquando gloriari potuerit. Neque verò ea Godefridi merita de ſolis virorum Cœnobiis erant. Sacros etiam Parthenones, ſi quos à veteri ſanctiori diſciplina deſciviſſe comperiret, emiſſis ex Admontenſi ſuo Parthenone Virginibus & Magiſtris in viam reducere adlaborabat. Quo in genere eximia fuit doctiſſima illa *Regilindis* ſeu *Relindis*, de qua infrà acturi ſumus. Quanta etiam Godefridi gloria, quòd non modò nobiliſſimorum Principum filiæ, aliæque præclaris ortæ natalibus Virgines, ſed *Sophia* etiam, Belæ Hungarorum Regis filia, deſerto Regio ſponſo, in Admontenſem Parthenonem ſeceſſerit. Id his verbis à Biographo (e) S. Gebehardi narratur: *Per idem tempus, anno videlicet MCC. Sophia Ungarorum Regis Belæ filia*, *à filio Chunradi Regis Romanorum deſponſata*, *& regaliter ipſi cum inæſtimabili pecunia transmiſſa*, *Mundo*, *quod ſuum eſt*, *diligente*, *ſcilicet bona temporalia*, *& fidem & veritatem negligente*, *prædicta Regina ſecùs*, *quàm regiam dignitatem decuit*,

dein Admontenſis eligitur.

Poſtulatorum numerus ſub ejus regimine.

(c) Bucel. Germ. Sac. P. I. pag. 93.
(d) Tom. II. Script. Rer. Auſtr. col. 180. & ſeq.
(e) Tom. VI. Antiq. Lect. H. Caniſ. pag. 1245.

decuit, habita, regnum cœleſte pro terreſtri commutavit. Conſilio namque & auxilio Comitiſſæ Ratisponenſis Luikardis, Admuntenſe Monaſterium expetiit, & cum ſacris Dei Virginibus, humillimâ converſione & converſatione cælibem vitam deinceps duxit. Nonnulli etiam Principum ſeu Comitum, ſed & plures Nobilium, filias ſuas Deo ibidem ſub regulari ſervituras inſtitutione offerentes, Cœnobium ipſum cunctis penè, ut ſuperiùs diximus, in Germania Sanctimonialium Monaſteriis celebrius reddiderunt.

Admontium incendio abſumptum,

Ita ſecundis rebus dum uteretur Godefridus, vehemens derepentè ſe Admontio tempeſtas infudit, quæ omne monaſterium, tanta hactenus induſtria ſervatum & auctum, unâ nocte funditùs evertit. Annus volvebatur MCLII. cum V. Idus Martii omnes Monachorum ædes, antequam luceret, lugubre ac atrox incendium abſumpſit. Quantæ-vero-conque acerbitatis hæc afflictio fuerit, tam effuſa in Godefridum extitit Fautorum munificentia, ut intra unius ferè anni ſpatium univerſa propemodùm res Admontenſis reſtituta fuerit.

Intra annum ferè reſtituit

S. Eberhardi potiſſimùm munificentiâ.

His primo jure loco accenſeas S. Eberhardum, qui cùm Godefridi potiſſimùm operâ Conrado I. in Archiepiſcopatu Saltzburgenſi ſuffectus fuiſſet, nunquam deinceps deſtitit gratum ſuum erga Monaſterium Admontenſe animum demonſtrare. Locuples omnium teſtis eſt Scriptor vitæ S. Gebehardi, qui poſtquàm obitum Conradi ejúsque de Admontenſi Monaſterio merita ſanè ampliſſima, retuliſſet, hæc de Eberhardo ſubjungit: *Defuncto beatæ recordationis Domino Conrado Archiepiſcopo, Clerus & populus Salzburgenſis Eccleſiæ, Divina, ut non ambiguum eſt, inſpiratione, & præcipuè interventu Domini Godefridi Abbatis Admuntenſis, unanimi electione & voto, Dominum Eberhardum Biburgenſem Abbatem in Archiepiſcopum elegerunt, anno Incarnationis Domini MCXLVIII. ſub Chunrado Rege, anno regni ejus decimo. Hic ergo Eberhardus, dilectus Deo & hominibus, ex nobilibus & religioſis parentibus oriundus, priùs Canonicus Babenbergenſis, poſtmodùm Monachus Pruvingenſis, indéque in Abbatem Biburgenſem fuerat aſſumptus: quod etiam Cœnobium ipſe & ſui germani auxilio & cooperatione felicis memoriæ Ottonis Babenbèrgenſis Epiſcopi fundaverat. Divina itaque gratia & virtutum ſuffragantibus meritis, Archiepiſcopus ordinatus, gregi ſibi commiſſo, non ſolùm verbo eruditionis, ſed & exemplo ſanctiſſimæ converſationis ſtuduit præeſſe. - - - Hic præ cæteris Epiſcopii ſui locis & eccleſiis Admuntenſe Cœnobium, prædeceſſorum ſuorum more, familiariùs diligebat, fovebat, & amplificabat. Cui etiam incendio miſerabiliter collapſo annuatim, quousque repararetur, triginta libras argenti impendebat, & de redditibus ſuis plus quàm ſedecim marcarum æſtimatione paternè ſubveniebat. Poſſeſſiones quoque ejusdem Monaſterii ſuis donationibus, & præcipuè decimarum collationibus, largè adauxit, & privilegiis communivit.*

Summi fit à viris clariſſimis.

Erat præterea Godefridus apud pleroſque ſui ſeculi viros doctos in maximâ doctrinæ ac eruditionis opinione, incredibiléque eſt, quantum ponderis ei parti accederet, in quam ſe ille dediſſet. Eum maximi ſemper fecit eruditiſſimus ille Babenbergenſis Epiſcopus *Eberhardus*, cujus dogmaticas *de Gloria & Honore Filii Hominis* Epiſtolas adversùs Gerhohum ex Codice Admontenſi Bernardus Pezius evulgavit. Ei celeberrimus hic ipſe Gerhohus, Præpoſitus Reicherſpergenſis, *Prologum* ſuum *Galeatum*, ut vocat, in Pſalmorum Explanationem, ſeu Libellum adversùs duas ſui temporis hæreſes inſcripſit, *ubi placet, approbandum*, inqoit ipſe Gerhohus, *atque ubi rationabiliter diſplicet, emendandum.* Eum denique S. Eberhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis digniſſimum cenſuit, cujus conſilio, æquitate ac prudentia præcipuè in gravi illa controverſia dirimenda, quæ inter Othonem I. Epiſcopum Friſingenſem & Hartwicum Epiſcopum Ratisbonenſem de utrinsque Epiſcopatûs finibus exorta erat anno MCLVII. uteretur.

De ejus obitu.

Obitum magni hujus Abbatis omnium optimè conſignavit Scriptor Vitæ S. Gebehardi apud H. Caniſium Tom. VI. Antiq. Lect. *Hujus* (Conradi II. Archiepiſcopi Salzburgenſis) *Pontificatûs anno ſecundo, qui ab incarnatione Domini MCLXV. Reverendus Abbas Admuntenſis Gotfridus, vir magnæ in Eccleſia Chriſti gloriæ & auctoritatis, ac multorum Pater monaſteriorum poſt multiplices fructus, quos Domino & in propria converſatione, & in aliorum copioſâ ædificatione fructificaverat, anno regiminis ſui XXVIII. in bona ſenectute VII. Cal. Julii diem clauſit extremum, & lacrymoſa filiorum & filiarum ſuarum querimonia, in Feſto San-*

ſtorum Apoſtolorum Petri & Pauli debitâ veneratione corpus ejus terræ eſt commendatum.

Reliquit Godefridus ſuis poſteris illuſtria non ſolùm induſtriæ, ac ſanctimoniæ, ſed etiam ingenii ſui monumenta, nempe

Scripta. I. *Homilias Dominicales & Feſtivales*, quas Tomis II. comprehenſas juris publici fecit Bernardus Pezius Auguſtæ Vindelicorum & Græcii A. 1725. ſumptibus Fratrum Veith fol.

II. *Opuſculum de Benedictionibus Jacob Patriarchæ*, quibus is in extremis conſtitutus futuram filiorum ſortem deſcripſit.

III. *Librum de X. Oneribus in quædam Capita Iſaiæ*, ex meris homiliis conflatum, quem Cl. Pezius in Theſauro Anecdotorum Tom. II. P. I. ſub nomine Irimberti exhibuit, poſteavero Godefrido, genuino ejus Auctori, reſtituit.

IV. *Epiſtolo* Godefridi ad O. quondam Monachum ſuum, quem rogat, ut ſibi *Joſephi Opus, excidium Jeroſolymorum & celebratum Romæ Veſpoſiani & Titi triumphum*, alióſque melioris notæ libros exſcribendos mittat.

XIII.

PETRUS

Cellenſis Abbas, ac poſtea Epiſcopus Carnotenſis.

† 1187. ix. kal. Martii.

Natalibus illuſtris

primò monachū S. B. in incerto monaſterio,

ILluſtri loco, clariſque parentibus ortum, ac liberaliter educatū, ajunt Petrum noſtrum fuiſſe in Campania, Galliæ provincia. Admodùm adoleſcens Benedictina Inſtituta profeſſus eſt, ſed quo in monaſterio haud ſatis exploratum habetur. Alii Cellam nominant Trecenſem, alii monaſterium S. Martini de Campis aſſignant. Quodcunque fuerit cœnobium, in eo Petrus præclara virtute, inſigni doctrina, ac ornatiſſimis moribus dignitatem Abbatialem ſibi conciliavit.

dein Abbatem Cellenſem,

Abbas igitur S. Petri Cellenſis Trecis in ſuburbio circa annum MCL. electus fuit. Monaſterii habenas multa cum laude moderatus, anno 1162. in Abbatem Remenſis Archicœnobii S. Remigii aſſumi promeruit.

poſtea Remenſem agit.

Quis ſub eo monaſterii ſtatus fuerit, ipſe epiſtola xiv. lib. V. his verbis certiores nos reddit: *Pax in congregatione noſtra eſt, & curſû conſuetudinario adhuc currimus. Cum omnibus hominibus pacem habemus, maximè cum Archiepiſcopo. Debitis non valde gravamur. De Marna reditus noſtros habemus. Bene eſt amicis noſtris & veſtris.*

Eccleſiã, monaſterium,

Eccleſiæ S. Remigii ſenium detraxit non ſine magnis impenſis, uti intelligimus ex ejus epiſtola v. lib. ix. ad Ingelbertum aut Ingelrannum Priorem de Lapelec, quem Lapelecenſi S. Remigii in Anglia Prioratui præfecerat: *Caput monaſterii noſtri renovare oggredior, & cum Dei auxilio jam opus inchoatum videt, & ſequentis operis auſpicia nobilia ſpondet. Non excidit à memoriâ, quòd aliquando mihi quaſi reprehenſoriè dixeras, ſtudere alia opera facere, & non curare de monaſterio. Hoc verbum etſi perfunctoriè fuit dictum, non tranſitoriè fuit auditum. Mille enim libras, adhuc ſemel quingentas poſtéo pro opere Monaſterii expendi.*

ac Bibliothecam inſtaurat.

Solent aliàs Abbates, qui in ſtrucudis ædificiis ſumptus faciunt, in rem literariam adeò non ſumptuoſi eſſe, ut à pecuniis potiùs ſe inopes dicant: at non ita Petrus noſter. Ut doctrinæ decus apud ſuos promoveret, bibliothecam monaſterii multis, iiſque præſtantioribus libris locupletavit. Hanc verò non monachis tantùm ſuis, ſed aliis etiam viris doctis patere voluit. Quin ipſe, ut ad monaſterium ſuum accederent, humaniſſimis literis eos invitavit. Excerpta ex ejus epiſtola ad Hilarium Epiſcopum Exceſtrienſem in Anglia licèt aliàs jam dederimus, hîc tamen repetere liceat: *Si magna illa belluo evomuerit vos de terra veſtra, eſt apud nos domus nova porata, cum omni ſumptu, ſine auro & orgento, ubi & copiom librorum, & ſtudeudi etiom pro libitu invenietis.*

Thomæ Angliæ Archicanc. familiaris

Amicos multos habuit, ac inter eos Thomam, ſupremum Angliæ Cancellarium, à quo de amicitia rogatus cùm fuiſſet, ita Petrus modeſtè reſpondit: (f) *Rogoſtis de familiaritate & amicitiâ. Quod rogaſtis, ſi admitteretis, admirationi procul dubio habendum eſſet pro inæquali rogantis & rogati fortunâ. Quæ enim proportionalitatis habitudo inter Abbatem Cellenſem, & Concellorium Regis Angliæ? Pene non eſt comparatio, ubi non eſt exiſtimationis adaptatio.*

cum Sanctū præ-

Cùm ſubinde verò eundem ſuum amicum ex Cancellario Archiepiſcopum Cantuarienſem, martyrio affectum audiiſſet, ita ad Bartholomæum Exonienſem Epiſcopum ſcripſit. (g) *Quis dobit mihi pennos ſicut columbæ, ut evolem, & viſitem tum-*

bam

(f) Epiſt. xxvii. lib. I. (g) Ep. xvi. lib. v.

Digitized by Google

dicat ac Martyrem. *bam pretioſi Martyris ſancti Thomæ! Credite mihi confidenter, veniam impetraturus de peccatis meis adirem locum illum, de quo ſanctiſſima ejus anima per proprium ſanguinem aſſumpta eſt ad conſortium ſanctorum meorum.*

Quàm ſincero benevolentiæ affectû amicos complexus fuerit, indicio ſunt ejus verba in epiſtola ad Richardum Joannis Saresberienſis fratrem, qui in Monaſterio Remigiano aliquamdiu hoſpitatus fuerat, deinde verò in Angliam regreſſus ſub an. Chr. 1170. quo exeunte interfectus S. Thomas, habitum mutârat regulari ſuſcepto: „Ecce „mi dulciſſime Richarde, proruo in „oculis faciei tuæ, non ſine affectu vi„ſcerali, attendens mutatum habi„tum, neſcio ſi melioratum animum, „Quid enim honeſtatis, quid matu„ritatis, quid pietatis, quid carita„tis, quid totius religionis deerat, cùm „eſſes in oculis meis, & noſtræ Con„gregationis, ſpeculum bonitatis & „forma integra æmulandæ imitatio„nis? Nusquam fuiſſet illa præpropera „ſollicitudo regreſſionis, potuiſſet ti„bi ſufficere domicilium amicæ pau„pertatis, & ſatis caræ ſi recolis ſoci„etatis. Sed ô cœca & futurorum „neſcia mens humana! extra vel ul„tra divinæ moderationis greſſum ne „porrigas pedem: quia labi eſt, à „Deo non regi, & per ſe ire, perire „eſt: Si nobiſcum manſiſſes, ſolatio „contra pene omnem fuiſſem, nec à „Deo deſertum crederem, dum hu„jusmodi ſuæ miſerationis mecum „tenerem. Sed factum eſt, quod fa„ctum eſt. Sit ſtimulus majoris deſi„derii moleſta corporis abſentia, & „ubi nulla ſubeſt corporalis viſio, con„tinuetur oratio.„ Hujus Richardi frater fuit Joannes Saresberienſis non vulgaris doctrinæ ac eruditionis Auctor, atque Epiſcopus Carnotenſis; qui cùm adhuc Clericus apud Petrum Abbatem eſſet, non minimis favoribus ac beneficiis ab eo cumulari meruit; cujus rei ipſe nobis fidem facit in epiſtola, qua ſautori ac Mæcenati ſuo gratias rependit.

In Theobaldi gratiam Sermones ſcribit. Spectatæ apud omnes doctrinæ & pietatis laude cùm Petrus floreret, à Theobaldo Pariſienſi Epiſcopo rogatus fuit, ut in ſui gratiam ſermones componeret, quo modo Salvianus Presbyter homilias Epiſcopis multas feciſſe dicitur à Gennadio. Extat Petri epiſtola ad Theobaldum lib. I. n. XXI. ubi: *Sermones de adventû Redemptoris ut componerem vobis, in mandato acceperam.... Tres ſermones de Adventû Domini, & unum de Nativitate orditus ſum vobis. Valete.*

Ejus modeſtiæ ſpecimina. Etſi verò doctiſſimus eſſet, & præclara in lucem emitteret Opera, admodùm tamen modeſtè de ſuis Scriptis ſenſit, eáque aliorum judicio & cenſuræ ſubmiſit. Neſcio quodnam illud opus fuerit, quod ad Latiniacenſem Ord. S. B. Abbatem per eam cauſam miſit his verbis: *Noverit dilectio veſtra, frater, nos opus noſtrum incorrectum confidentiſſimè vobis credere, obnixè rogans, & ſupplicans, ut limam correctionis adhibeatis, ſuperflua confodiendo, exilia ſupplendo, malè ordinata ad ordinem revocando, & quidquid in le vobis viſum fuerit, tanquam de veſtro faciendo.*

Hujus, quâ viri eruditi haud pauci deſtituuntur, modeſtiæ ſpecimina in aliis epiſtolis, quibus de ſuis Scriptis mentionem facit, videre eſt. *Liber de panibus* magni ab aliis jure ac merito, ab ipſo autem parvi fiebat. In epiſtola (i) ad Monachum de Reddinges Congreg. Clun. in Anglia (Radingenſis Monaſterii) ita loquitur: *Panes noſtros, ſi tamen noſtros, libenter comeditis, & Scripta noſtra ſublimiori honore, quàm decet, excipitis. Nunquam enim de tam immundo vaſe emanat aqua digna ad ſorbendum, vel de tam furfureo & cinereo clibano mundus egreditur panis. Dilectio tamen, quæ cinerem tanquam panem manducat, in vobis abundans, vilia quæque amici pretioſa reputat, & pallio honeſtiori ignobilia noſtra circumvenuſtat. Sed utinam limâ correctionis veſtræ omnia ſcripta noſtra explanata eſſent, & emendata.*

Eadem modeſtia (k) reſpondit ad literas Monachi Sithivenſis monaſterii, qui ejus *Sermones* expetiit: *Sermones noſtros, quos tanquam plumas inutiles & ſuperfluas quatuor venti cœli per diverſa projecerunt, habere deſideras. Si legiſti, nonne exſangues ſenſibus ſententiarum, & enerves verborum inveniſti? &c.*

In epiſtola (l) ad R. Clarævallenſem, à quo rogatus fuerat, ut *Commonitorium* ſcriberet, ſe temporis anguſtiâ laborare, atque à ſcribendo ſæpiùs revocari aſſerit: „Præter hæc, tanta „certè confuſio concurrentium ad me „fit, cùm incipio ſcribere, ut pene ſyl„labæ ſingulæ nova cogantur habere „principia. Ecce monachus confitetur, „ecce

(i) Ep. 22. lib. vi. (k) Ep. xix. lib. vii. (l) Ep. xii. lib. iii.

„ecce alius diffitetur: ecce miles ſaltat, „ecce clericus ſalutat; ecce famulus inquietat, ecce nuntius corvum frequentiùs, quàm columbam reſonat, „Mi dilecte! quam interim cor humanum congregare poterit ſanctarū ſcripturarum meditationem? quod componere commonitorium?

Pro Mathilde Abbatiſſa Fontis-Ebraldi ſententias compoſuit. Erat verò hæc Fulconis V. Andegavenſis Comitis, Hieroſolymorum poſtea Regis filia, quam Guillelmo Henrici primi Anglorum Regis filio deſponſam utriusque gentis hiſtoriæ narrant. Cæterùm Guillelmo ſponſo marinis fluctibus ante nuptias abſumpto, Mathildis intactam virginitatem inter Fontis-Ebraldi ſanctimoniales Deo devovit, & *pro Rege Anglorum*, ut Cellenſis noſter (m) loquitur, *Regem* commutavit *Angelorum*.

De Feſto Conceptionis B. V. diſputat cum Nicolao monacho.

De Feſto Conceptionis B. Virginis eadem concertatio Petro Abbati noſtro fuit cum Nicolao Monacho ad S. Albanum, veteris & nobilis apud Anglos monaſterii, quæ D. Bernardo fuerat cum Canonicis Lugdunenſibus, epiſtola CLXXIV. eademque ſententia: nihil videlicet in ea re novandum videri ante Sedis Apoſtolicæ decretum. Quod quidem ſi eorum ævo prodiiſſet, inquit Cl. (n) Sirmondus, quale poſtea ſecutum eſt, haud dubium, quin pro eximia utriusque erga Virginem reverentia æquiſſimis lætiſſimisque animis accepiſſent. Petri epiſtola licèt ſatis dentata ſit adversùs Nicolaum monachum, incredibilem tamen erga Virginem Parentem ſpirat amorem. *Sed fortè dices mihi*, inquit, *audéſne qualiscunque Abbas occludere puteos continuandæ ſemper devotionis, & profundiùs quotidie fodiendæ venerationis? Nonne eodem ſpiritu potantur moderni, quo & antiqui? ---- Non erat ab initio Nativitas Virginis in Eccleſia ſolemnis, ſed creſcente Fidelium devotione, addita eſt præclaris Eccleſiæ ſolemnitatibus. Quare igitur non ſimiliter & diem Conceptionis obtineat ſedulitas Chriſtianæ devotionis?* Ad quod ego: ***Cataractas cœli & fontes abyſſi libentiùs in obſequium Virginis ſolverem, quàm clauderem. Et ſi filius ejus Jeſus aliquid omiſiſſet in prærogativa exaltationis ſuæ Matris, ego ſervus, ego mancipium, non quidem de effectu, ſaltem affectū ſupplere geſtirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam noſtram. Antè eligerem non habere animam, quàm velle ejus extenuare gloriam.*** Hæc Petrus. Quis verò inde non intelligit, ejus animum ardentiſſimo erga Virgineam Matrem amoris incendio conflagrâſſe?

Alexander II. ploures ad eum literas dat.

Alexandro II. ob raram eruditionem ac doctrinam in pretio erat: Plures hujus Pontificis epiſtolæ ad eum extant, quibus ei diverſarum cauſarum judicium committit, quarundam etiam inter ſeculares, de uſura, de defenſione pupillorum, de cruce ſignatis pro itinere Hieroſolymitano; ab eo autem ad Concilium Generale, ſeu ſynodum Lateranenſem an. MCLXXIX. invitatus in hæc verba reſcripſit: „ Ad generale Concilium, Pater „ venerande, cum cæteris Catholicæ „ Eccleſiæ filiis citatus excuſationem „ præfero, non frivolam de perfunctoriis Evangelicis aliquam, quibus „ ad cœnam invitati ſe excuſando accuſant: ſed manifeſtis documentis probabilem & veram. Prompta „ ſiquidem eſt in me ad omnem obedientiam devotio: ſed ſuccumbit „ propter invaletudinem languida executio. Ineſt voluntas, ſed impedit „ infirmitas: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Apud igitur paternam clementiam & „ æquiſſimam Apoſtolicæ diſcretionis „ cenſuram, ætas annoſa, longa via, „ brevis vita, feſſa membra, ſint noſtræ excuſationis probabilia & neceſſaria argumenta. Mavult habere filium abſentem vivum, quàm „ ſecum ſemimortuum, vel certè extinctum. Percuſſus ſum, ut fœnum, „ quod jam exaruit, quod hodie eſt, „ & cras non in clibanum, ſed in ſeretrum mittetur; & quomodo tanquam plauſtrum onuſtum fœno proſequi putero ambulantes in equis, „ & volantes in pennis ſanitatis, & „ robuſtæ ætatis? Quid enim, ſi præſens eſſem, nec intereſſe poſſem? „ Quid faceret facula fumibunda inter „ aſtra lucentia? Parcite ergo in hoc „ nunc, ſicut ſemper feciſtis, noſtras „ preces benignè ſuſcipiendo, & efficaciter implendo.

Fit Epiſcopus Carnotenſis.

Poſtquàm Abbatiam Remenſem per XIX. annos magna cum prudentiâ, atque erga ſubditos diſcretione rexiſſet, in Joannis Sarisberienſis, Carnotenſis Præ-

(m) Vid. Sirmond. in Notis ad ep. 10. lib. 2. p. 1066.
(n) In Not. ad ep. 22. lib. vi. col. 1194.

Præſulis, de quo ſuprà, epiſcopatum ſucceſſit An. MCLXXX. exeunte, aut ſequente ineunte, quod commendatione Cardinalis Campaniæ Guillelmi factum, cujus favorem ac benevolentiam *Petrus* egregiis virtutibus ſibi conciliârat.

è vivis abit 1187. Præfuit non ampliùs quinque annos, defunctus anno 1187. De ejus obitu Calendarium Carnotenſe IX. calend. Martii: *Obiit piæ recordationis dominus Petrus Carnotenſis Epiſcopus, qui priùs fuerat Abbas S. Remigii Remenſis, qui antiquum banni conſuetudinem Theobaldo Comite aſſentiente reformavit.*

Extat hujus epitaphium (o) in Abbatiâ de Joſaphat, ubi humatus an. 1187. die II. cal. Martii.

Epitaphium. *Mœnibus & plateis urbem inſignivit, & auxit,*
Et variis Præſul tecta ſuperba locis.
Hanc pia plebs habuit tanti, pietatis amore,
Oſcula mille ſuis ut dederit pedibus.

Plurium cl. virorum laudibus celebratur. Alias Petri laudes reperies in epiſtolis, quas clariſſimi ætatis ſuæ viri ad eum dederunt; èquibus præcipuæ ſunt una S. Bernardi, Mellifluì Doctoris, ep. 293. Joannis Saresberienſis, Epiſcopi doctrina & eruditione celeberrimi, ep. 75. 76. & alia. Alexandri Papæ plures. In epiſtola ad Henricum Comitem 172. vocatur fideliſſimus & devotiſſimus Abbas, eidémque Cœnobiarchæ S. Remigii ep. 180. dirigit. Nicolaus autem Clarævallenſis Monachus ep. 25. ad Henricum Epiſcopum Trecenſem ſic loquitur: *Abbas Celleuſis vir Religioſus ac timens Deum, homo bonus, & teſtimonium bonum habens à bonis, vitâ & literaturâ conſpicuus, nobis quoque tanta familiaritate devinctus, ut non ſit unus de cæteris, ſed præ cæteris unus.*

SCRIPTA.

PEtri Cellenſis Opera conjunctim edidit V. C. Ambroſius Janvier è Congregatione S. Mauri Pariſiis anno 1671. ex cujus editione hîc ea recenſebimus.

Primum locum obtinent *Sermones* XCI. quos vel ipſe ad diſcipulos habuit, vel compoſuit rogatu amicorum; in quibus etiam IX. in Synodis habiti, unus de S. P. Benedicto, & unus de communi Confeſſorum. Memorabilis eſt Sermo ultimus de triplici lege, primâ Naturali, quam quaſi *diætam univerſalem* ait eſſe: alterâ Lege Moyſis, quæ fuerit inſtar *hellebori*; & tertiâ, Lege *Evangelii nihil habente amaritudinis, nihil acredinis.* Quibus addi poteſt Sermo *de meditatione mortis* in Combefiſii Bibliotheca Concionatoria ad feſtum Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum. Cæterùm Petri Sermones tanto in pretio habiti fuerunt, ut *per quatuor*, ait ipſe, *ventos cæli ſpargerentur.*

Libri duo de Tabernaculo Moyſi, & *Liber de Conſcientia*, ad Alcherum Monachum; item *Liber de Diſciplina clauſtrali* ſecundùm Regulas SS. Benedicti & Auguſtini, ad Henricum Campaniæ Comitem pag. 507. qui tamen pridem à Luca Dacherio Tom. 3. Spicileg. pag. 42. edit. vet. & Tom. I. novæ edit. pag. 452. vulgatus fuit.

Liber de Panibus, ad Joannem Sarisberienſem, ſubinde Carnotenſem Epiſcopum.

Epiſtolæ libris IX. comprehenſæ; à quibus tamen ſublatæ ſunt Alexandri III. R. P. eo quòd cum aliis Pontificum Epiſtolis reperiantur in noviſſima Conciliorum editione anno 1572. Tom. 10. pag. 1247. Prætermiſſa etiam fuit elegantiſſima illa Epiſtola ad fratres de Monte Dei; cùm non ſit Petri Cellenſis, ut vir eruditus conjectavit, qui eandem ex Latino Gallicè reddidit, ſed Guillelmi Abbatis Monaſterii Theoderici.

Præter hæc typis vulgata in editione Ambroſii Janvier, & Bibl. Patrum Lugdun. Tom. XXIII. alia quædam *Petrus* lucubravit, v. c. *Commentarium in Librum Ruth*, qui teſte Joanne Liron in Bibl. Scriptor. Diœceſ. Carnot. manuſcriptus aſſervatur in Bibl. Clarævall. *Epiſtolæ duæ* ad Wilhelmum, Petrum, Widonem, ne Ordini Ciſtercienſi, quem ingreſſi fuerant, nuntium improvidè remitterent, vulgatæ à Dacherio Spicil. vet. edit. Tom. 2. p. 447. edit. nov. Tom. 3. p. 544. *Vocabula Latino-Barbara* Petro Cellenſi uſurpata, excerpſit Joan. Lud. de la Cerda Adverſ. ſacr. cap. 180. & 183. V. C. Nicolaus Camuzatius, Eccleſiæ Trecenſis Canonicus, ſpem orbi erudito injecit, ſe Petri Cellenſis anecdota in lucem protracturum, quam tamen, quod ſciam, poſtea haud implevit.

De *Petro* meminerunt Labbeus Tom. 2. de S. E. pag. 190. Caveus ad an. 1182. Oudinus de S. E. Tom. 3. pag. 1157. Joan. Alb. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Tom. V. lib. XV. pag. 748. ubi ejus Opera recenſet. **Qui de eo ſcripſerint.**

X 3 REINE-

(o) Fratres Sammarth. in Epiſc. Carnot. pag. 491. col. 1.

Claruit A. 1182.

XIV.
REINERUS
Monachus S. Laurentii Leodienſis.

INclytum Divi Laurentii Ord. S. B. Cœnobium, ad muros urbis Leodienſis adſitum, à primis ſuæ fundationis annis & pietatis & doctrinæ ſchola fuit. Labente Seculo XII. in eo à teneris annis educatus fuit *Reinerus*. Habuit is in literis humanioribus præceptores Johañem & Nizonem Monachos. Utriusq; libro I^mo.^ *de Scriptoribus monaſterii ſui* mentionem facit. Et prioris quidem his verbis: (p) *Johannes Scholoſticus & eruditione & officio fuit, cujus extremui plerumque ferulam puer, ut clovam Herculis nemo unquam plus extremuerit. Heu quotiens, dum noſtra exigit aut diſcutit opuſcula, & aduncis correptas monibus obliquo tabellas oculo intuetur! Heu quotiens illam Virgilii monoculum me putavi Polyphemum incurriſſe.* Alterius verò his verbis: (q) *Nizo falli poterat, fallere homo ſimplex ignorabat. Proinde nos pueruli, cùm ab illo doceremur, undelibet nobis iratum facilè ſupplantabamus, ac veluti ex alto oëre cadentia librantis & ferientis eludebamus verbera.*

Reineri educatio, & Præceptores.

Poëſi,

Poëticis ſtudiis adeò delectatus fuit, ut adhuc adoleſcentulus ſacra ediderit carmina. „ (r) Diſcendi quippe „ agebar ſtudio, inquit, & magnos „ poetas ego poëta modicus tentabam „ utcunque imitari. Unde & *Opuſculum de novo ac veteri Teſtomento* „ condidi, *duobúsque Libris* partitus „ ſum. Hoc etiam *Pantherem* pro va- „ rietate appellavi, quòd proſa eſſet „ ac metris velut multicoloriter di- „ ſtinctum. Quin etiam *de Compoto* „ quædam tunc compoſui. Denique „ *Libellum de ſuſpendio* ſcripſi proſaicè „ *cujusdam latronis. Martyrium quoque VII. Machabæorum fratrum* ver- „ ſu heroico. Deinde illud de Apoſtolo capitulum: *Neſcitis, quòd ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*, pede latiùs excurri Aſclepiadeo. Sed hæc Reineri opuſcula familiarium nonnemo datâ occaſione ſubripuit, atque in pignus mutuæ charitatis ſecum abſtulit.

& Muſicæ operam navat.

Cùm Poëſi conjunxit artem Muſicam, in qua cum celeres progreſſus feciſſet, *melodiam* (s) compoſuit de *Sanctis* Sixto, Feliciſſimo & Agapito. Quod com Monaſterii Subprior levitati tribueret, atripiens tabellas, quibus *Reinerus* ſuos impreſſerat cogitatus, aliquantisper conſideravit. „ Interim oſcita- „ bam metu, inquit *Reinerus*. Etenim „ torvus hominis vultus, ſuſpenſáque „ ſupercilia mihi malum præſagiebant. „ O judicem Minoe vel Athamanto „ ſeveriorem! legens infremuit, can- „ tans ex hoc in hoc inclinavit: cùm „ ecce veluti magna colaphizatus in- „ juriâ cœpit innocentes ceras ob- „ ruere, & quæ exarata erant, æmu- „ lo unguis arato confundere. Quid „ facerem? Luctarerne, ſtreperem, „ convitiarer? Virgarum faſces in Ca- „ pitulo, accuſatores multi, ut reco- „ gitanda magnoperè mihi Phariſæo- „ rum, Saducæorúmque tumultuatio, „ quâ periclitatus olim Paulus fuerat „ in concilio. Peſtem murmure impre- „ carer? Preſſum dentibus nihil pro- „ deſſet anathema. Quid igitur? De- „ pono auriculas ut iniquæ mentis „ aſellus, cùm gravius dorſo ſubiit „ onus, hypocritarúmque patientia „ manſueſco ad calamitatem. „ Subinde tamen Numinis beneficio ita feliciter in cantûs rediit memoriam, ac ſi ante oculos haberet exteriores annotatum. Igitur dedit membranæ, quod redditum erat memoriæ.

Et cùm deſidiam, quæ inimica eſt animæ, meritò exoſam haberet, ad libellos varii argumenti conſcribendos calamum denuò convertit, de quibus ipſum (t) audire juvat: „ *Gemmis* er- „ go *libellis converſionem* deſcripſi *ſan-* „ *ctæ Pelagiæ*, opuſculúmque hoc illu- „ ſtravi titulo *Speculum Pænitentiæ*. „ Dehinc *Poſſionem Virginis Mariæ* „ *Coppodocis* æquè *duplici libello* expli- „ cavi ita prætitulando: *Polmarium* „ *virginale*. Subſequenter *vitam Tiebaldi Eremitæ duobus* itidem *libellis* „ complexus ſum, appellavíque *Florem Eremi*. Opuſculum denique „ confeci, quod ſic titulatur: *Libellus* „ *cujusdam funebris ſuper morte amici*: „ cui & *tetroſtichon* ſuperſcribendum „ tumulo adjeci. „

Ad ſcribendum ſe convertit.

Poſt hæc (u) Reinerus gravi adeò infirmitate correptus fuit, ut à linea ultima proximè abeſſet. Delatus verò in Cryptam ſanctæ Dei Genitricis ad ſepulchrum Divi Wolbodonis Epiſcopi & Monaſterii Patroni, ejus, ac cumprimis Matris Virgineæ meritis priſtinæ ſanitati à Deo fuit reſtitutus. Ut gra-

Morti mirabiliter ereptus,

(p) cap. xvi. (q) cap. xvii. (r) Lib. 2. cap. 1.
(s) l. c. cap. 2. (t) cap. 3. (u) cap. 4.

gratum verò erga cœleſtes medicos animum monſtraret, in eorum honorem varia lucubravit.

Etſi verò à recepta valetudine nullos ut antea concinnaret libellos, non tamen ſe ignaviæ dedit, ſed vel libris evolvendis, vel ſodalibus ſuis erudiendis (x) occupabatur. Labori non parcens pepercit tempori. *ſtudia proſequitur.* Ad ſcribendi laborem rediit, cùm ab amico interpellatus ſcriptum elucubravit diffuſius, quod nuncupavit *Commonitorium pietatis.* Scripſit etiam ad quendam familiarem opuſculum *de Inſignibus Inſularum Sardiniæ & Siciliæ* duobus verſificè digeſtum libellis. Item ad alium *duos libellos*; primum *de conflictu duorum Ducum & animarum mirabili revelatione*: ſecundum *de quodam milite captivato & per ſalutarem hoſtiam liberato.* Majorem operam ac laborem impendit conſcribendæ hiſtoriæ, libellis XIV. comprehenſæ, quâ continebatur, qualiter Jeruſalem ſancta, & aliæ plures apud Orientem urbes ſive regiones ab Occidentalibus Chriſtianis circa eam ſint ætatem receptæ, cujus erat titulus: *Laurea peregrinorum Ibeſolymitanorum.*

Periculoſiſſimè decumbens denuò miraculoſè convaleſcit. His ita conſcriptis (y) graviſſimo morbo decumbere cœpit, à quo nunquam convaluiſſet, niſi *Sanctorum Septem Dormientium* interceſſione ſanitatem à Deo recepiſſet. Ut verò ſanctis ſuis interceſſoribus gratum ſe præberet, *Melodiam de ipſis compoſitam* obtulit. Scripſit etiam verſificè *libellum de adventu Reliquiarum S. Laurentii in Leodium ab urbe Roma.* Libellum denique ad quoſdam edidit Sacerdotes *de reverentia ſacrorum Locorum*, acriter culpans, quòd penes cimiteria, ſeu corpora defunctorum, priuſquam ad eccleſiam deſerrentur, nocturnis maximè vigiliis puellares choros aliáque execranda agi, dici, vel cantitari paterentur.

Abſtruſas quæſtiones à Sciolo quodam ſibi propoſitas edito libello diſſolvit. Laudem doctrinæ ac eruditionis, quâ magnâ Reinerus apud omnes florebat, ut ei neſcio quis Sciolus, invidiæ facibus ſuccenſus adimeret, varias quæſtiones propoſuit, nunquam, ut credebat, ab illo enodandas. Qua de re Reinerus ita loquitur: (z) „Sophiſta verò, qui ſua extollere, noſtra deprimere pugnaret, abſtruſas quæſtiones barbaraſque dictiones undecunque congeſtas, mihi ſcripto propoſuit. Dædali Labyrinthum & Minotauri cornua me putaveram incurriſſe. Quâ evaderem? Quibus regerer? Subtilis deerant fila ingenii. Quo defenderer? Facundi gladius oris nullus. Implexa tamen illa diſſolvi, cornupetam dirum evaſi, Libellúſque hunc accepit titulum: *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt.*

Alia ejus ingenii monumenta. Hoc defunctus labore (a) *de victoria Michaëlis Archangeli tres* digeſſit verſificè libellos, tam de illa videlicet, quâ ex antiquo dracone & angelis ejus cum ſuis eſt clarificatus Angelis, quàm de illa, quâ pro Chriſtianis contra paganos dimicans glorioſè ifiotuit, quando in monte Gargano novum inſtituit ac dedicavit ſanctuarium. Quin etiam de *Sancto Servotio* & de *Sancto Begga* muſicè aliqua rogatus à Canonicis quibusdam compoſuit. Rogatu cujusdam fratris *de ſancto Spiritu VII. Hymnos* contexuit. Prætereà *quinque* exaravit *Libellorum* opuſcula, qualiter diebus ipſius Eccleſia Leodienſis *Bullonienſe Caſtrum* pervaſoribus triumphatis Divina receperit virtute, titulóque præſignavit: *Triumphale Bulonicum.* Hoc ipſum muſico quoque aſtruxit modulamine. De *ſanctis* etiam Martyribus *Evermaro*, ſive *Urbano* exigente fratrum devotione *geminos* Cantus compoſuit. *Epitaphia & Epiſtolos* conſcripſit quàm plurimas.

Quod igitur Venerabilis Beda quondam de ſe perhibuit, hoc verè etiam Reinerus de ſe dicere potuit: *Omnem meditandis ſcripturis operam dedi: atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis, & quotidianum cantandi in eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui.* Virum fuiſſe excellenti (b) ac pereleganti ingenio præditum, omnia ejus Opera loquuntur, ſtylo perſcripta erudito, terſo, & qui vix ſeculi ſui ſit. Nec virtute ac vitæ ſanctimonia inferior extitit, ut qui *Claruit cœleſtibus viſionibus.* cœleſtibus etiam viſionibus claruerit, quas in Opuſculis ſuis tanquam ab aliis habitas paſſim refert, & veteribus, quas tractat, hiſtoriis interſerit. Ætatem *Reineri*, quem plerique circa annum Domini MCXXX. claruiſſe ſcribunt, certam habemus ex ejusdem libello de caſu fulminis ſuper eccleſiam monaſterii ſui. *Nam præſenti anno*, inquit, *qui eſt ab Incarnatione Dominicâ MCLXXXII. XI. Kal. Aprilis, in craſtinum, ſcilicet poſt dies Palmarum mirabilis in altis Dominus intonuit ſuper nos fulmine cum maximo atque horribili frogore cadente &c.* Ejusmodi certas ad

(x) cap. 6. (y) cap. 7. (z) cap. 8.
(a) l. c. & cap. 9. (b) Bern. Pez. Diſſert. Iſag. in Reineri Opuſc.

De ejus obitu nil certi conſtat.

ad ſtabiliendam Reineri ætatem notas Chronicas in aliis etiam ejusdem Opuſculis reperies. Quo autem anno mortem cum vita commutaverit, ex nullis monaſterii ſui monumentis *Cl. Cæleſtinus Lombardus* Bibliothecarius potuit extundere.

Reineri Scripta à Cœleſt. Lombardo cum Bern. Pezio communicata

Is ipſe fuit, qui pleraque ejus ingenii monumenta ex autographis codicibus exſcripſit, atque cum Eruditiſſimo Bibliothecario Mellicenſi *Bernardo Pezio* communicavit, ut ſuo Anecdotorum Theſauro infereret, in cujus etiam Tomo quarto locum obtinuerunt. Sunt verò ſequentia:

recenſentur ex Ejusdem Theſ. Anecdot. T. IV.

1.) *De claris Scriptoribus Monaſterii ſui Libelli III.* Hi ita in Codice autographo inſcribuntur: *De ineptiis cujusdam idiotæ Libellus ad amicum ſuum*, quæ inſcriptio, ſine dubio ab ipſo Reinero profecta, inſignem auctoris modeſtiam prodit.

2.) *In Novem Ante-Natalitias Antiphonas ab O. exordientes Opuſculum*, ſeu *Quid ſignificent novem O, & quæ ſit dierum illorum ratio.* Cōmodo acuſui erit hoc Opuſculum Divini Verbi præconibus, qui in diverſis Eccleſiis ultima Dominici Adventûs Hebdomada in has ipſas myſteriorum plenas Antiphonas Sermones ad populum habere conſueverunt. Quæ autem ſit ratio, quòd Reinerus Novem ejusmodi Antiphonas, non ſeptem, quot nunc in omnibus ferè Eccleſiis decantari ſolent, expoſuerit, Lector ex Nota Cl. P. Lombardi col. 68. cognoſcet.

3.) *Speculum Pœnitentiæ*, ſeu *Vitæ S. Pelagii Lib. II.* Hiſtoriæ hujus non tam auctor, quàm interpolator Reinerus eſt, ut ex ipſius verbis, quibus Prologum finit, conſtare poteſt: Porrò etſi horum Libellorum argumentum ſatis decantatum ſit, non æquè tamen cognita hucusque fuerunt plura Virtutum exempla, quæ vel de ſe diſſimulato nomine, vel de aliis Lib. I. cap. IV. & Lib. II. & cap. III. Reinerus narrat, id quod & in aliis hiſtoriarum & Vitarum ſuarum Libellis agit, ut adeò vel hoc nomine in lucem proferri dudum commeriti fuerint.

4. *Palmarium Virginale*, ſeu de *Vita & Paſſione ſanctæ Mariæ Virginis Cappadocis Libri II.* Hos adoleſcens adhuc edidit Reinerus eô maximè fine, ut otium fugeret, ac ſalutaribus ſtudiis animum imbueret. De Maria Martyre Cappadoce ac ancilla vide Baronium in Martyrologio Romano ad diem primam Novembris, & Laureotium Surium, qui eodem die Mariæ acta ex Vincentii Speculo Hiſtoriali recitat, quô integrô ferè ſeculo antiquior noſter Reinerus eſt.

5.) *De Vita S. Tiebaldi Libri II.* Hujus ſancti Eremitæ vitam Petrus Vangadiciæ Abbas prior in literas retulerat, cujus vitulâ Reinerus aravit, nec niſi elegantiori oratione Petri opus conveſtivit, ac ſingularibus quibusdam ſui temporis eventis, pro more ſuo, telam diſtinxit.

6.) *De Conflictu duorum Ducum & Animarum mirabili revelatione, ac de milite captivo per ſalutarem hoſtiam liberato. Libelli duo* metrici.

7.) *De Adventu Reliquiarum S. Laurentii Româ Leodium Liber metricus*, cui *Officium de ſancto Spiritu* ſenſu pietatis plenum ſubjungitur.

8.) *Triumphalis Bulonici Libri V.* Quantas turbas & calamitates Hugo & Rainaldus, filii Rainaldi Barenſis Comitis, Eccleſiæ Leodienſi intercepto caſtro Bulonico, ſeu Bulliono dederint, latè deſcribit Bartholomæus Fiſenus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Leodienſi Libro X. ad annum MCXLI. Earum miſeriarum Iliadem, ac tandem Leodienſis Eccleſiæ poſt recuperatum ope S. Lamberti Martyris caſtrum Bullionenſe triumphum, duo inſignes veteres Scriptores in literas retulerunt. Primus eſt Nicolaus Canonicus Leodienſis, auctor æqualis, cujus *Triumphum S. Lamberti M. de Caſtro Bullonio* ex veteri Codice Monaſterii Alnenſis primùm in lucem extulit Joañes Chapeavillus Tom. II. Scriptorum rerum Leodienſium à pag. 577. Alter eſt, quem illuſtrandum hîc ſumpſimus, Reinerus de Eccleſia Leodienſi non uno nomine optimè meritus, qui ejusdem argumenti Libellos V. admodùm elegantes & graves compoſuit, quibus *Muſicum modulamen*, quod excidiſſe videtur, adjecit.

9.) *Evracli Epiſcopi Leodienſis vita.* Non meminit hujus vitæ Reinerus Libro II. de clar. Scriptor. Monaſterii ſui, ubi Opuſcula ſua ſingulorúmque occaſiones & titulos recenſet. Aſt non omnia ibidem retuliſſe Reinerum, aut plura deinceps poſt finitum illum Librum II. ſcripſiſſe vel ex hoc loco demonſtrari poteſt, ubi ſe ab auctore vitæ S. Wolbodonis, editæ à Mabillonio Seculo Benedictino VI. Parte I. minimè diſtinguit.

10.) *Vita Domni Reginhardi Epiſcopi.* Nec hujus Opuſculi mentionem facit Reinerus in Libellorum ſuorum indiculo. Nec tamen proptereà minùs

liqui-

liquidum eſt, illud neminem alium quàm eundem Reinerum auctorem agnoſcere. Auctor enim in prologo ea affert, quæ nulli niſi Reinero poſſunt convenire.

11.) *De caſu fulminis ſuper Eccleſiam Monaſterii ſui Liber.* Cùm anno Domini 1182. xi. kal. Aprilis Eccleſia Monaſterii S. Laurentii, ictu fulminis percuſſa, dirè conflagrâſſet, tragœdiam ſingulari Libro Reinerus perſecutus eſt, eúmque inſcripſit ac obtulit Friderico Monacho *familiari amico ſuo*, ac dein Cœnobitæ Stabulenſi. Hujus Opuſculi nulla iterùm memoria extat in Libro II. Reineri de claris Scriptoribus Monaſterii ſui.

12.) *Libellus gratiarum actionis ſuper Dedicatione novâ Eccleſiæ Monaſterii ſui.* Libellus hic præcedentem nativo ordine conſequitur. Cùm enim lugubrem Baſilicæ ſuæ caſum & excidium in priori fleviſſet & miſeratus eſſet Reinerus, in iſto fauſtam ejusdem reſuſcitationem ſibi celebrandam, perpetuúmque grati adversùs B. Laurentium animi monumentum eſſe relinquendum exiſtimavit. Opuſculum hoc ſine diſpendio temporis ipſe Lector percurret. Id enim in Reineri Opuſculis ſingulare eſt, quòd brevitatem cum elegantia orationis nullibi non conjungat, id quod & ad lectionem facilè pellicit, & ab eadem ſine faſtidio ac tædio dimittit.

13.) *Breviloquium de incendio Eccleſiæ S. Lamberti.* Ejusdem commatis hoc Opuſculum eſt ac numero 11. relatum. Nempe leſſus eſt, quem Reinerus fecit, *cùm anno ab Incarnatione Domini MCLXXXVIII. Quarto kal. Maji, quo die S. Lamberti celebratur Tranſlatio, ad primam ſcilicet ſubſecutæ noctis Vigiliam, ignis à domo prorumpens cujusdam Canonici, circumpoſitas domos, dein clauſtrum, clauſtraléſque Officinas repentè corripuit & abſumpſit, nimiúmque dæmonica exagitatione invaleſcentes flammæ tuo, ſancte Lamberte Monaſterio incubuêre, & tecta quamvis conveſtita diligentiſſimè plumbo ambâsque turres, nec non & palatium vetus cum Eccleſia ſanctarum Virginum, nonnulliſque circum manſionibus ingenti conflagratione ruinâque dejecêre.* Breviculum quidem hoc Scriptum Reineri eſt, ſed quod tamen inſigni uſui eſſe potuiſſet Bartholomæo Fiſeno in perſcribenda Hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua ne verbo quidem memorabilis eventûs meminit ad annum MCLXXXVIII. quo eum contigiſſe ex Reinero advertimus.

14.) *Lachrimarum Libelli III.* Elegantiſſimi, & qui pietatis ſenſu reliqua omnia ſuperent, ſunt præſentes III. Lachrimarum libelli, à Reinero ad Philo-Chriſtum ſeu quemlibet Jeſu Chriſti amatorem conſcripti, fortè jam à ſenio gravi & morti vicino. Vocat autem propterea *Libellos*, ſeu *Libros Lachrimarum*, quòd in iis eæ duntaxat doctrinæ ac exempla proponantur, quæ animum terrenis rebus immerſum ſalubriter futurorum exſpectatione ac metu concutiant, & amaras pœnitentiæ lacrimas ex captis mundi vanitate oculis eliciant.

De Profectu Mortis Libri duo; quorum alter ſub finem mutilus eſt, fortè propterea, quòd morte, cujus *profectum* ſibi adeò conſtanter ob oculos poſuit, præventus eum ad calcem perducere nequiverit. Atque hæc de Reineri Opuſculis, ex Cl. Bernardi Pezii Diſſertatione Iſagogica, in qua de iisdem perquàm erudite more ſuo diſſeruit.

Doluit verò V. C. Schœttgenio, qui Jo. Alberti Fabricii Bibliothecam med. & inf. Lat. libris ſex adjectis ad finem deduxit, quòd in Reineri Operum Recenſione Pezii Diſſertationem in promptu non habuerit. Quædam tamen Vir Eruditus in medium profert, quæ apud Pezium me legere non memini. Sic verò inſit: REINERUS, aliis *Renerus*, *Nonnum Renerum* vocat Codex MS. teſte Papebrochio Tomo VI. Maji p. 724. natus an. 1155. poſt annos viginti Ordini S. B. nomen dedit in monaſterio S. Laurentii Leodienſis, Romam quater profectus, an. 1197. monaſterii ſui Prior electus an. 1215. ad Lateranenſe Concilium vocatus eſt, obiit an. 1230. Scripſit multa, quorum recenſum ipſe init Libro II. de claris Scriptoribus monaſterii ſui. Nos primùm enumerabimus, quæ typis ſunt edita.

Vitæ quorundam Epiſcoporum Leodienſium ab an. 1194. ad 1230. ex quibus *Geſta S. Lamberti* edidit Jo. Chapeavillius Tom. I. Script. Leodienſium p. 411. *Vitam Wolbodonis*, qua idem uſus eſt, ediderunt Antwerpienſes in Actis Sanctor. Tom. II. April. p. 857. & Mabillonius Seculo VI. Benedictino Part. I. p. 174. *Vitam Frederici*, Bollandiſtæ Tom. VI. Maij pag. 725. Aliam ejusdem Martene & Durand Collect. ampliſſ. Tomo IV. p. 1023. Pezius dedit loco citando p. 167. *Vitam S. Reginardi* Ægidius de Aureavalle hiſto-

riæ ſuæ Leodienſi ad verbum inſeruit, & extat Tomo II. Scriptorum Leodienſium p. 167. Præfationem verò ab illo omiſſam ediderunt Martene & Durand Collect. ampliſſ. Tom. I. pag. 961. *Vitam Eraclii* dedit Pezius Theſ. noviſſ. Anecdotorum Tom. IV. Part. III. p. 155.

Vitæ S. Theobaldi Eremitæ & Pelagiæ præfationes ediderunt Martene & Durand. Collect. ampliſſ. Tomo I. pag. 960.

Continuavit *Hiſtoriam monaſterii S. Laurentii Leodienſis*, quam *Rupertus Tuitienſis* inchoaverat, ab anno circiter 1120 - 1226. editam ab iisdem Tomo IV. pag. 1033.

Continuavit porrò *Lamberti parvi* Chronicon ab anno 1194 - 1230. ab iisdem productum Tomo V. p. 1. Reliqua vide apud Pezium l. c.

XV.

Claruit A. 1222.

CÆSARIUS PRUMIENSIS poſteà Heiſterbacenſis Monachus.

CÆſarius illuſtri pſoſapiâ *de Milendunc*, caſtro prope Noveſium in agro Colonienſi natus, in Prumienſi cœnobio divi Benedicti legibus ineunte ſeculo XIII. ſe devovit, inſigni vitæ probitate inter optimos præſtantiſſimus, Abbas Monaſterii creari meruit, eúmque honorem ſtrenuo labore & fructu plurimo, per quadriennium illuſtravit; quo transacto curam & dignitatem Abbatialem ſeſignans, perfectioris vitæ ſtudio reformationem Ciſtercienſem in S. Petri Heiſterbacenſi Diœceſis Colonienſis Cœnobio indutus & executus eſt circa A. 1220. In divino ſervitio mirus ejus fervor & ſumma religio inſigniter ſe prodidit. Quod verò poſt ſeceſſum in Heiſterbacenſe Cœnobium ſcripſit, & commentariis illuſtravit, Regeſtum bonorum Eccleſiæ Prumienſis ab illuſtri *Hontheimio* in Hiſtoria Diplomatica Treviſenſi ad A. 1222. nuper editum, ſapit Virum rerum civilium ſui ſeculi expertiſſimum juxta & erudititiſſimum. Epiſtola Cæſarii ad Fridericum Abbatem Prumienſem operi præfixa ita habet: *Domino Venerabili & in Chriſto Reverendiſſimo F. Dei proviſione Abbati Prumienſis Monaſterii Fr. Le. Cæſarius quondam ejusdem quamvis indignus dictus Abbas, nunc autem apud vallem S. Petri* in Heiſterbach *humilis monachus Ord. Ciſterc. &c.* In fine: *Ne ex incertitudine temporis, quo idem liber ſcriptus & denuo à me reſcriptus eſt, aliquod ejus auctoritati præjudicium generetur; noverint cuncti ipſum apud Vallem S. Petri à me ejusdem incarnationis MCCXXII. anno conſcriptum*... Ejusdem quoque credimus eſſe epiſtolas ad *Hartmannum* & *Alexandrum* Himmerodii, nec non ad *Petrum* S. Mariæ Priores circa idem tempus exaratas, quas *Martenius* extulit Collect. ampliſſ. Tom. I. pag. 1152. & ſeq. In primâ ad Hartmannum in hæc verba reſcribit: *Cùm nuper inter nos eſſet collatio de transfiguratione Salvatoris in monte Thabor celebratâ, in qua & ipſius & omnium noſtrum fuit, & eſt gloria futuræ reſurrectionis declarata, ſicut noſtis, valde humiliter & multum inſtanter ſupplicâſti parvitati meæ, ut eandem lectionem Evangelicam exponere vellem, & ea præcipuè replicare, quæ circa corporum reſurrectionem & futuræ vitæ ſtatum inquiri, & per diſputationes ventilari ſolent. Placuit etiam nobis ad majorem intelligentiam, ut hoc fieret ſub typo dialogi... Ad quod opus cum ſcirem me prorsùs inſufficientem, Caritatem veſtram offendere pertimeſcens... petitioni veſtræ acquievi. Et quia circa corpora glorificata dotésque eorum multa in diſputationibus verſari ſolent, quæ auctoritatibus divinæ ſcripturæ ſolvi nequeunt, magis ad interrogata ſtudui opinando reſpondere, quàm aliquid aſſertivè diffinire*... In altera ad *Alexandrum* Himmerodienſem & *Petrum* S. Mariæ Priores epiſtolâ tractat *De expoſitione Morali* ſuper Paſſionem Chriſti ſecundùm quatuor Evangeliſtas; quod opus in ſeptem homilias ſe diſtinxiſſe meminit. *Præterea*, inquit, *in homiliis moralibus de ſolemnitatibus diverſorum Sanctorum dictandis ita occupabar, quod huic operi, niſi illis prius expletis, vacare non potui.* Ex quibus de illius doctrinâ & lucubrationibus judicium ferre pronum eſt. Num verò is alius ſit à *Cæſario* Priore Heiſterbacenſi, deficientibus documentis certò ſtatuere non audemus. Tempus, locus & opera apprimè conveniunt; unde ſine neceſſitate non eſſe multiplicandos arbitramur, proindéque eidem adſcribenda credimus alia quæ ſub nomine *Cæſarii Heiſterbacenſis* circumferuntur opera, videlicet 1. *Homiliæ ſeu conciones morales ſuper omnes Dominicas & Feſta totius anni, in IV. Partes diſtributæ.* 2. *Homiliæ in Evangelia Quadrageſimalia.* 3. *Sermones in Pſalmos.* 4. *Sermones ad Monachos.* 5. *Libri XII. de miraculis.* 6. *Vita S. Engelberti*

Prumiæ Monachus Benedictinus, dein Abbas factus, Ord. Ciſterc. amplectitur.

An idem ſit cum Cæſario Heiſterbacenſi?

berti Colonienſis Archiepiſcopi. 7. Vita S. Eliſabethæ, & alia nobis incomperta. Vixiſſe adhuc anno 1237. ejus ex operibus conſtat : quo autem die & anno felicem agonem conſummaverit, nondum liquet. Obitualis dies in Faſtis Colonienſibus ſignatur VII. kal. Octobr. in Villarienſibus VII. kal. Martii. *Ex Symbolis P. Oliverii Legipontii.*

XVI.

† 1259.

MATHÆUS PARISIUS Regis Angliæ Hiſtoriographus.

Natione Anglus, *MAthæus Paris, Pariſius*, vel *Pariſienſis*, ſic enim cognominatum legò à familia, non à patria, uti & *Joannes Paris*, de quo in appendice, fuit enim uterque natione Anglus. Et hic quidem *Mathæus* Ordinis S. Benedicti Monachus ad S. Albanum Congregationis Cluniacenſis. (ad S. Albanum monachus.) Ab ipſa, uti videtur adoleſcentia quaſi Deo dicatus, & monaſticæ diſciplinæ traditus, egregiam, quam natura dederat, indolem, omni laudabiliori eruditione perpolivit, omni virtute ornavit. (Omni virtute & eruditione præſtans.) Manuarius, ſcriptor, pictor non vulgaris, omnes denique mechanicas artes quantum & quâ parte liberale ingenium decere poſſunt, ſufficienter didicit, Artes autem liberales accuratè calluit. Poëta elegans, Orator facundus, Dialecticus acutus, Philoſophus ſubtilis, Mathematicus non contemnendus, Hiſtoricus percelebris, Theologus ſolidus, & quod omnium caput eſt, morum integritate purus, vitæ innocentiâ clarus, ſimplex, candidus. (Monaſticæ diſciplinæ reſtaurator.) Innocentii Papæ IV. juſſû Norwicenſis diœceſis Monachos nonnihil in obſervantiâ regularis diſciplinæ claudicantes reformavit. Ex mandato etiam ejuſdem Papæ anno Domini 1248. miſſus eſt in Norwegiam, ut monaſticam diſciplinam in cœnobio de Holui labefactatam reſtauraret, uti fecit. Acerrimus vitiorum reprehenſor, patriorum privilegiorum ſtrenuus propugnator, & defenſor. Ita zelatus zelum ſuæ gentis & Eccleſiæ Anglicanæ, ut nimias Summi Pontificis exactiones redargueret nimis, & durum ejus ingenium in Clerum Angliæ ſcripto confidenter taxaret. Anno etiam Domini 1250. cùm Rex Henricus Tertius fratres ſuos uterinos & multos alios exteros in favorem dictorum fratrum, poſtpoſitis Anglis in Anglia ad maximas dignitates tum Eccleſiaſticas, tum ſeculares eveheret, hic Mathæus ſuæ gentis deplorans in hac parte miſeriam, graviter conqueſtus eſt, quòd vix Anglus aliquis, vel in aliis exteris regionibus aliquod officium vel beneficium poſſideret; cùm tamen in Anglia tum Itali tum alii multi externi maximis in utroque genere ditarentur reditibus, & ſubjungit in hæc verba : *Profectò peccata noſtra nobis gravamina meritò talia præparârunt.* Hæc tamen & ſimilia utrùm ab ipſo ſic ſcripta, an ab aliis illi falsò adſcripta fuerint, nihil auſim certò affirmare, maximè cùm quorundam ſit opinio, multa ejus ſcripta recentiùs edita, incorrepta, imò corrupta, & nonnihil depravata in lucem prodiiſſe. Virtutis & doctrinæ titulis Principibus & Proceribus regni, ipſique Regi Henrico Tertio mirè charus erat. Rex eum ad maximas quasque ſolemnitates, quæ in Aula frequenter habebantur, advocavit, ut omnia præſens oculis contemplaretur, & poſteà ſecuriùs atque fideliùs ſcriptis mandaret ſingula. (Hiſtoriographus Regius.) Erat enim ad hiſtorias ſcribendas ingenio ſatis accommodato. Quo nomine à ſuis multùm laudatur, & inter ſui cœnobii benefactores non ultimo loco numeratur. Sanè in ejus ſcriptis immenſos labores & incredibilem ſedulitatem videre eſt, quibus etiam accedunt ingenium & judicium. (Labor & induſtria in ſuis Scriptis.) Antiquorum enim ſcripta diligenter perlegit, quæ ad ſuum propoſitum faciebant, ſagaciter ſelegit, omnia in bonam methodum compendio redegit, deduxítque ingenti hiſtoriarum volumine res geſtas ab Adamo, mundíque exordio usque ad ingreſſum Guilhelmi Normanni in Angliam. Deinde ſcripſit hiſtoriam, quam vocat *Majorem*, incipiens ab Heraldo, & præfato Guilhelmo, hoc eſt, ab anno Chriſti 1066. & perſeverans usque ad annum Domini 1250. Ubi ſubſiſtere conſtituerat, propter quaſdam rationes, quas ipſe non obſcurè verſibus his ſequentibus inſinuavit in hæc verba:

Siſte tui metas ſtudii, Mathæe, quietas,
Nec ventura petas, quæ poſtera proferet ætas.

Nihilominùs tamen vel ſua ſponte, vel ex majorum præſcripto, mutata ſententia, penè decem alios adjunxit annos. Nam non niſi anno gratiæ 1259. ſcribendi ſimul & vivendi finem fecit. (Obitus.) Sed intereà multa alia edidit opera, & hanc ipſam *Majorem* Hiſtoriam preſsè in breve redegit compendium, & *Minorem* vocavit, habétque in hac ſingularia non pauca, quæ apud alios vix aut ne vix quidem reperias. Sed jam

titulos Scriptorum ejus ſubjiciamus. Scripſit

Scripta:

Hiſtoriam ab initio mundi, *Librum unum.* Mſs. in Bibliotheca Siduciana.

Deſcriptionem mundi, Librum unum. Caſtrum Dovorenſe in ipſa rupe.

Hiſtoriam Majorem à Guilhelmo Normanno uſque ad finem regni Henrici tertii libros ſeu Reges octo. De chronographia, id eſt, temporum deſcriptione locuturi. MS. Cantabrigiæ in Collegio S.Benedicti. Item in privata Bibliotheca Baronis de Lumleio. Extat an. 1606. Editiones typis factas complures in ſequentem differimus librum. Joannes Bapt. Sollerius S J. Hagiographus Antverpienſis doctiſſimus Commentar. præv. ad vitam S.Dominici §.XXV. pag. 451. Tom. I. Aug. *Non temerè*, inquit, *ſuſpicabimur ab hæreticis editoribus huic operi inſertas eſſe calumnias, quibus ſub nomine Mathæi Pariſienſis in Romanos Pontifices ac Religioſos Ordines furioſè debacchari ſolent.* Eadem ferè habet Cl. Joañes Pinius ejus ſodalis Comēnt. præv. in vit. S. Ludovici Aug. Tom. V. pag. 282. col. 2. Ejus verba ſunt: *Mathæus Pariſius in ſua Hiſtoria quemadmodum in Regem ſanctiſſimum* (Ludovicum IX. Galliæ Regem) *non ſatis æquus ſubinde, ita & in Summos Pontifices, eorúmque adminiſtros frequenter bilem exonerat, nec rarò hac de cauſa vapulat apud Baronium, alióſque Scriptores Catholicos. Verùm non ſatis conſtat, utrùm hæc omnia ipſi Pariſio imputanda ſint; an ejus Hiſtoriæ à malevolo quopiam deinde fuerint inſerta.* Nec Sollerius & Pinius primi fuerunt, qui in hanc opinionem venerunt, cùm ante ipſos aliis viris doctis Catholicis ea non diſplicuerit, ringentibus tamen eapropter Novatoribus.

aliqua cenſentur fuiſſe corrupta.

Additamenta Chronicorum Librum unum. Cujus mentionem facit in hiſtoria ad annum 1219. & aliàs ſæpè, potiſſimùm in Henrico tertio. Quod opus apud S. Albanum repoſitum eſſe ſcribit ad annum 1252.

Minorem Hiſtoriam, quæ eſt epitome Majoris librum unum. Conſiderans prolixitatem chronicorum Angliæ MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Item in privata Bibliotheca Comitis Arundelii.

Chronica cœnobii S. Albani majora. Librum unum.

Geſta viginti duorum Abbatum S. Albani. Librum unum.

Vitas & martyria SS. Albani & Amphibali. Libros duos.

Vitam S. Edmundi Archiepiſcopi. Librum unum.

Vitam S.Guthlaci. Librum unum.

Vitam S. Wolſtani Epiſcopi. Lib. un.

Et alia quædam.

Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1259. Henrico tertio regni Anglicani clavum tenente.

Hæc de *Mathæo Pariſienſi* Joannes Pitſeus, Theologiæ Doctor, Liverdunus in Lotharingia Decanus Libro de Illuſtribus Britanniæ Scriptoribus pag. 337. quæ etiam Caſimirus Oudinus Commentario ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis Tom. III. col. 1240. & ſeqq. intexuit. Nec his contentus, præter accuratam Operum Mathæi recenſionem etiam de ejus virtutibus & vitiis prolixè diſputat. Totus in eo Præmonſtratenſis hic Apoſtata eſt, ut Mathæum de ponte religioſæ modeſtiæ & humilitatis dejiciat. Ingratiſſimum ac ſuperbum Monachum vocat. Oudino autem dici poteſt, quod D.Gregorius Nazianzenus Arianis repoſuit: *Leves ſibi ſunt Judices, aliis autem ſeveri Cenſores, vulnera habent, & aliis vibices objiciunt: turpiter cadunt, & aliorum offenſiunculas exagitant: in cœno volutantur, & ex aliorum maculis voluptatem ſibi fingunt: denique oppreſſos trabibus oculos habent, & feſtucas aliis probro vertunt.*

XVII.
BERNARDUS
Abbas Caſini & S. R. E. Cardinalis.

† 1282.

NAtione Gallus ex Provincia, cognomento autem *Aiglerius* ſive *Ayglerius*, in cœnobio Saviniacenſi Lugdunenſis Diœceſis ab adoleſcentia humanioribus literis, aliiſque altioribus diſciplinis egregiè inſtructus & excultus fuit. Aſſumpto ibidem ſacrô Ordinis habitu, hujus loci primùm Sacriſta, ſeu ſacræ ſuppellectilis Cuſtos, tum Abbas S. Honorii in Inſula Lerinenſi effici meruit anno 1256. teſte Vincentio Salerno in hiſtoria ſacræ Inſulæ Lerinenſis. Hunc Carolus Siciliæ Rex plurimi faciens, cùm iter in Italiam ſuſciperet, itineris comitem, conſiliorum & conſcientiæ arbitrum delegit. Neapolitano deinde Regno potitus non modò in paucis charum habuit, ſed & operam dedit, ut præclaræ ejus animi dotes, & inſignis religio, cùm alibi tum Romæ præcipuè divulgarentur. Quare Urbanus IV. de Bernardi

Gente Gallus,

Saviniaci S. Bened. Familiæ adſcribitur.

Fit Abbas S. Honorii

Digitized by Google

& Caſſinenſis Cœnobii.

ardi prudentia, eruditione, vitæque ſanctimonia edoctus, illum etſi diu reluctantem Caſinenſis Cœnobii regimine decoravit an. 1263. Bullâ datâ, apud Urbem veterem IV. kal. Aprilis, Pontificatûs ſui anno ſecundo, in quâ hæc de ejus virtutibus prædicat: *Sperantes quoque, quòd per tuæ circumſpectionis induſtriam, cùm habearis vir ſcientiâ præditus, morum honeſtate decorus, conſilii maturitate præclarus, & ſollicitudine circumſpectus, monaſterium ipſum relevetur à noxiis, & utiliter, auctore Domino proficiat in utrisque, te à vinculo, quô tenebaris monaſterio Lirinenſi, cujus præeras regimini, penitus abſolventes, ad prædictum monaſterium Caſſinenſe, de Fratrum noſtrorum conſilio in Abbatem præfecimus, & Paſtorem. Ideóque diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus devotè ſuſcipiens ſic curam dicti monaſterii Caſinenſis laudabiliter gerere ſtudeas, quò tibi per vitæ meritum, & aliis proficias per exemplum. Nósque perſonam tuam præcipui favoris gratiâ proſequi non immeritò teneamur.*

Hæc prætereà de Bernardo noſtro ſcribit Oldoinus in additionibus ad Ciacconium Tom. I. pag. 175. „ Quare Urbanus IV. de Bernardi ſapientia, ac ſanctitate certior factus, illum „ Caſſinatis Collegii regimine decoravit &c. Bernardus ſuſcepta cœnobii „ adminiſtratione, ſtudium, & curas „ omnes eò intendit, ut ſanctiſſimarum legum cultus ad primævam in„ ſtitutionis normam ſtudioſiſſimè re„ vocaretur &c. Atque doctiſſimus „ Martene in præſatione Comentarii „ ad Regulam S. Benedicti ſubdit, *Bernardus natione Gallus in Scripturis ſanctis ſtudioſus, & eruditus, regularis diſciplinæ zeloſus amator* &c. Abbas igitur anno 1263. conſtitutus, recuperandis ante omnia Cœnobii fortunis animum atque operam adjecit.

cujus res reſtituit.

Per annos 36. Fridericus II. Conradus IV. Impp. & Manfredus Tyrannus, Friderici Nothus, direpto cœnobio, ejectísque ferè omnibus Religioſis, locum ſacrum in arcis formam munitum, foſſis ac muris undequaque veſtitum militari præſidio firmaverant. Quod Bernardus deteſtatus, ac procerum quorundam operâ adjutus, dejectâ militum ſtatione, diſperſos Ordinis ſui Sodales collegit, atque adeò loco prophanæ militiæ ſacram iterùm familiam Caſſinum invexit, oppida, & facultates, quibus Caſſinates per temporum bellíque injurias exuti fuerant, iterùm in poteſtatem aſſeruit, terminos ac limites ſingulis ad evitandas cum adjacentibus vicinis diſcordias præſcripſit. Xenodochium in S. Germano peramplum erexit, aſſignatíſque illud facultatibus, & copioſa munerum largitione cumulavit. Coactis in unum totius Caſſinatis Diœceſis Clericis & Religioſis, Synodum apud S. Germanum celebravit, in eáque ſaluberrima ſtatuta pro Ordinis decore, & utiliſſimas conſtitutiones edidit. Fratribus Ordinis Prædicatorum, D. Thomæ Aquinatis deſiderio & poſtulatis gratificaturus, Eccleſiam in S. Germano ad incolendum conceſſit.

Cardinalis dignitate inſignitus in Gallias & Conſtantinopolim legatur.

Hiſce omnibus feliciter confectis, cùm Cœnobio Caſinenſi annis aliquot ſumma cum laude & induſtria præfuiſſet, à Clemente IV. renuntiatus eſt S. R. E. Cardinalis, miſsúsque eſt paulò pòſt Legatus à latere in Gallias pro expeditione in Albigenſes promovenda: exinde alterâ legatione inſignitus Conſtantinopolim conceſſit, pari induſtriâ curſurus bellum in Saracenos, ut ipſemet in Procœmio *Speculi Monachorum* meminit. Eo interim abſente Carolus Siciliæ Rex, vel ab ipſa regnandi libidine ſtimulatus, vel malis ſuorum conſiliis depravatus, inter alia, quæ patravit, deteſtanda facinora, Caſſinates rerum Capitalium foro, Jurisdictione, ac oppidis munitioribus ſacrilego auſu ſpoliavit, militibúsque ſuis in ſacras Cœnobii facultates impunè graſſandi licentiam fecit.

Monaſterio 2. da vice à graviſſ. calamitatibus liberato,

Bernardus ſuis perfunctus legationibus ad Cœnobium redux, admirabili prudentia ac lenitate uſus, infeſtas Caroli copias ab infeſſis monaſterii oppidis ac caſtris ſubmovit; omnésque facultates, Bona ac Jura iniquo hoſtium dominio liberavit. Quo peracto ſenio confractus, meritíſque repletus, Caſſini obiit Non. April. An. 1282. ubi nobili tumulo conditus, plurimorum inſcriptiones & elogia promeruit, atteſtante Eggſio Purpuræ doctæ Lib. I. pag. 201. &c.

è vivis exedit.

Quod autem dicunt aliqni Scriptores, Aiglerium unum è V. Cardinalibus fuiſſe, qui Carolum Siciliæ Regem in Eccleſia S. Petri Romæ die Epiphaniæ anno 1265. vel 66. juſſu S. P. Clementis IV. ſolenniter ſacrârunt, ac coronârunt, refutatur ex inſcriptione videnda in Hiſt. Liter. Lugdun. P. de Colonia. Tom, II. pag. 330.

Speculũ Monachorum.

Caſſinatibus ſuis *Speculum Monachorum* à ſe compoſitum, atque in tres divi-

Digitized by Google

diviſum partes nuncupavit, ut ex prologo liquet, qui ſic incipit: *Præcordialiſſimis Fratribus Johanni Decano, Thomacio Vicedecano, ſacróque Conventui Caſſinenſi beatiſſimi Benedicti Bernardus ſucceſſor indignus. In rore cœli, & pinguedine terræ benedictionem, quæ Fratribus in unum habitantibus promittitur, & debetur. Frequenter pulſatus, & à multis temporibus maximè modernis, quando miſſus eram de mandato Sedis Apoſtolicæ, ut agerem quædam negotia ipſius Sedis in partibus Gallicanis de juribus regulæ beatiſſimi Patris noſtri Benedicti, an omnia, quæ continentur in regula ipſa, ſint meritò dicenda præcepta, & per conſequens ad culpam mortalem obligent non ſervantes Profeſſores, an etiam ſint conſilia, ut non ſint transgreſſores ad culpam obligati. Meditatus ſum in corde meo, brevem quidem eſſe verborum materiam quæſtionis, ſed difficultate gravidam abſolvendam* &c. *Diverſa ſacræ Scripturæ, Juriſque Canonici ac doctorum Exemplaria lectitanti, ex quibus ipſorum, non meas ſententias proferendo, profiteor non mihi attribui debere, ſi aliquid adlegentis in hoc opuſculo ædificationem myſteriorum eſt ingeſtum. Hoc ergo Speculum vobis Fratres chariſſimi decrevi tradendum, in quo de monaſticæ profeſſionis obſervantia & reſponſione quæſtionis præfatæ cum explanatione ipſorum, quæ coram Deo, & Sanctis ejus profeſſi ſumus, aliqua ſunt inſerta* &c. Editum eſt Venetiis in 16. an. 1505. apud Lucam Antonium Juntam unà cum vita & regula S. Patris Benedicti. Pariſiis verò an. 1507. cum aliis Opuſculis, atque inde Coloniæ an. 1520. Pii doctique homines hoc *Speculum Monachorum* plurimi faciunt.

Expoſitio in Reg. S. Bened. Eandem pietatem doctrinámque redolet Bernardi Expoſitio *in Regulam S. Benedicti, & de præceptis Regularibus*, Monachorum Caſſinatium precibus concinnata, ut ipſemet in prologo teſtatur hiſce verbis: *Cùm igitur dilectiſſimi Fratres Thoma Decane, & Conventus ſacri monaſterii Caſſinenſis ipſius beati inſtitutio Benedicti ab illo edita, qui ad fores ſapientiæ vigilando continuus meditationibus inſiſtebat formæ ipſius ferventiſſimus amator, difficultatis obſcuritatem nullam prorsùs noſcatur lecta cum ſtudio continere, mirandum, quòd beati Patris regulam declarari petitis & pleniùs exponi, præcipuè cum Eſmaragdus Abbas, Paulus, Petrúſque Diaconi Monachi Caſſinenſes, ſi quid in ea difficultatis eſſe prima facie videbatur, cùm diligentia explanantes ſuæ vobis expoſitionis reliquerunt ſcripturas, quas in Bibliotheca monaſterii reſervatis. Nuper etiam me redeunte de partibus Gallicanis, ad quas de mandato Sedis Apoſtolicæ miſſus eram, ſuper illa quæſtione: An omnia, quæ continentur in regula, ſint præcepta, à diverſis exemplaribus compilatum edidi libellum, quem vos appellatis* SPECULUM MONACHORUM, *quibus penſatis, nulla reſtare videtur dubietas explananda, immò ſuperaddi per me aliquid ad prædicta petentes, videmini faſtidire mellis dulcedinem per alios miniſtratam, & ſtyli decorem floribus rhetoricis adornatum* &c. *Suſcipite igitur Fratres dilectiſſimi, qui eſtis meum gaudium & corona in charitatis amplexu, hoc expoſitionis opuſculum, quod aſſiduus vobis edi petitionibus poſtulaſtis.* Hæc verò Expoſitio habetur Mſ.ta Caſini & in Bibliotheca Monaſterii S. Benedicti prope Mantuam.

& alia ejus Opera De Bernardi lucubrationibus videri poteſt Placidus Diaconus ſupplemento ad Perrum Diaconum cap. 2. & Jo. Bapt. Marus in notis: Trithemius c. 601. & lib. 2. de Vir Ill. O. S. B. p. 130. Wionius Lig. vit. lib. I. p. 25. ubi memorantur *Regeſta duo*, unum collationum beneficiorum, & officiorum: alterum omniũ inquiſitionum, jurium, & bonorum in caſtris & villis Monaſterii Caſinenſis.

Monaſteriorum Benedict. Præfectis valdè utilia. Sunt verò Bernardi Opera Benedictinis Aſcetis, præſertim Monaſteriorum Præfectis & Abbatibus non parùm utilia. Illos enim, & ſuperiorum Abbatum exemplis, & proprio uſu atque experientiâ ſeriò admonet, enixéque etiam obteſtatur, ut ſi officio ſuo ritè perfungi; & à ſubditis ſuæ fidei commiſſis integram inviolatámque ſacri Inſtituti obſervantiam exigere & conſequi velint: illud ipſi viciſſim cumprimis meminerint, exactéque obſervent, ut quæ illorum victûs & cultûs ratio expoſtulat, prompta manu, ac liberali animo ſuppeditent. Alioquin irritum, & inutile fore, quidquid dixerint; quosvis labores ac conatus pro religioſa diſciplina vel retinenda, vel reſtauranda ſuſceperint, nihil omnino profuturos. Neque fieri ullo pacto poſſe, quin ſacer Ordo (quo tantoperè Chriſtianus Orbis gloriatur) quotidie in pejus ruat, ſensímque deficiat, & peſſum eat, ſi hæc Rectorum in ſuos Alumnos charitas, induſtria, vigilantia, & paterna ſollicitudo deſideretur. Hæc ille, ſed longe uberiùs, nervoſiúſque atque hîc ego., inquit Cl.

Eggſius

Digitized by Google

Eggſius Purp. Doct. lib. 1. pag. 203. Videri præterea de Ayglerio poſſunt Chronicon Caſſinenſe, Chronologia SS. Lerinenſium, Scipio in Elog. Abbat. Caſin. Ciacon. Oldoin. Ughell. Wion, Frizon, Robert. Gall. Chriſt. Poſſevinus in Apparatû Sacro, & Caſim. Oudinus Tom. III. S. E. pag. 474. Qui duo tamen poſtremi falluntur, hic, quòd Bernardi mortem ad annum 1230. ille ad an. 1247. aſſignent; nam conſtat, Bernardum an. 1282. vitâ functum, de quo omnium noviſſimè agit Reverendiſſimus Abbas Eraſmus Gattola in Hiſtoria Monaſterii Caſſinenſis Sæc. VIII. pag. 481. & ſeq.

Scriptores qui de eo agunt.

XVIII.

ENGELBERTUS Abbas Admontenſis.

† 1331. 12. Maji.

ENgelberti Abbatis meminerunt ferè omnes recentiores Scriptores, quotquot de Auctoribus Eccleſ. egerunt, quibus addendus Voſſius de Hiſtoricis Lat. Wion de Ligno Vitæ, & Bucellinus in Annalibus Bened. Verùm hi omnes jejunè admodùm & parcè tanti viri laudes expoſuerunt. Itaque operæ pretium nos facturos arbitramur, ſi quæ non nihil uberiùs de vita ejus Cl. Bernardus Pezius x) diſſeruit, hoc loco afferamus. Igitur

Nobili oriundus proſapia.

Engelbertus circa annum Domini MCCL. ortus eſt ex nobili familia de Volckerſtorff, ut Bucellinus Germ. Sac. Part. II. ſcribit, tametſi Amandus Pachler Abbas Petrenſis, Scriptor accuratus in Chronico Admontenſi MS. eum *nobili genere natum* ſatis dixiſſe habuerit. Adoleſcens ſeculo renuntians Monaſticen in ampliſſimo Monaſterio Admontenſi in Stiria profiteri cœpit circa annum MCCLXVII. à quo tempore ſtudia pietatis & literarum colere non deſtitit. Anno Domini MCCLXXI. ut ipſe in Epiſtola de ſtudiis & ſcriptis ſuis narrat, *tranſtulit ſe ad ſtudium verſus Pragam, ubi*, inquit, *per illud tempus ſub Magiſtro Oſcono & Magiſtro Bohemilo in caſtro Bragenſi legentibus Grammaticam & Logicam ſtudui, & profeci in tantum, quòd inter ſocios non fui minimus reputatus. Et ibidem tunc etiam primò audivi libros Naturales à Magiſtro Gregorio tunc Canonico & Scholaſtico Bragenſi, poſtmodùm Epiſcopo facto ibidem. Et cùm celebrato Concilio prædicto* (Lugdunenſi) *rumor publicus veniſſet Bragam de Rege Rudolpho electo, & per Apoſtolicum confirmato, ſtatim oportebat nos omnes ſcholares de Auſtria & Stiria Bragæ ſtudentes de terra recedere & exire.* Admontium reverſus Engelbertus *occaſione ſe offerente per adventum tunc electi Regis Rudolphi in Auſtriam, compoſuit ad inſtantiam Domini Johannis tunc Chiemenſis Epiſcopi, Cancellarii ipſius Regis Rudolphi primũ ſuum Opuſculum de electione ipſius Regis Rudolphi, quod incipit: Sclavica, qui tumidi confregit cornua ſceptri.* Jámque de prælio & victoria ipſius Regis contra Regem Bohemiæ Ottakarum ſecundam Opuſculi ſui partem inceperat, cùm itinere Paduano ab ea perficienda impeditus fuit. Porrò *Paduam veniens*, pergit Engelbertus, *continuavi ſtudium ibidem in Logica & Philoſophia quinque annis ſub Magiſtro Wilhelmo de Brixia tunc actu ad ſalarium legente ibidem, viro magnæ reputationis, poſtmodum facto Pariſiis Canonico per Dominum Bonifacium Papam, & Medico etiam effecto ipſius Domini Papæ. Deinde poſt quinquennium audivi Theologiam Paduæ in domo Prædicatorum ſub Magiſtris Lectoribus. Tunc ibidem in eodem ſtudio continuò quatuor annos manſi. Et deinde ad clauſtrum meum rediens in Admundam totum meum ſtudium poſui ad Originalia inquirenda & perlegenda* &c. Hæc de ſe ipſe Engelbertus in laudata Epiſtola, ubi etiam, quâ in ſtudiis methodo uſus fuerit, breviter exponit. Ita dum domi verſatur, anno Domini MCCXCVII. Henrico Abbate vitâ functo unanimi fratrum ſuffragio ad Abbatialem dignitatem evehitur, in qua tamen cùm à ſtudiorum cultu avelli non poſſet, quorundam imperitiâ & calumnia in maximum diſcrimen incidit & dignitatis & exiſtimationis ſuæ. Rem memoriâ dignam verbis Chronographi Leobienſis Lib. V. c. 4. ex primo Tomo Scriptorum Rerum Auſtriacarum dabimus. *Fridericus* [Dux Auſtriæ Réxque Rom.] *exercitum congregans, Ungaros & Comanos advocans, finem neceſſitati volens imponere, & cum Ludovico per prælium negotium expedire. Et mittit ad Enrichonem de Alzeya, ad Henricum Ducem Karinthiæ, monens, quatenus ſibi, ſicut promiſerat, ſubveniat & aſſiſtat. Fecit autem tranſitum per Monaſterium Admontenſe, cui Abbas Engelbertus vir magnæ Litteraturæ, eſt lætus locutus, quòd Regi Friderico expeditio non*

Admontii regulam S. B. profeſſus,

primò Pragæ,

dein Paduæ ſtudiis vacat.

Admontium redux

Abbas eligitur.

(x) Differt. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd. Part. alterâ n. ix. p. LXI. & Præfat. ad Tom. III. Bibliothecæ Aſceticæ.

non eſſet utilis, & in proſperum nullatenus proveniret. Hic vir acuti ingenii de Regimine Principum ad juvenes Duces ſcripſit, ac inter alia de Daniele, & Apocalypſi ſumpta materia de Antichriſto ſuperlucidè diſputavit. Hic à duobus ſuis Monachis quodam laico Camerario agente ad Dominum Salzburgenſem defertur, & quòd eſſet in Monaſterii cauſis inutilis, accuſatur. Quadam nocte præfatus laicus vidit ſe ſtantem in littore ſtagni juxta Monaſterium poſiti cum duobus Monachis ſupradictis, & beatum Blaſium, qui ibidem Patronus eſt, concito remigio undas perſulcando venientem, duóſq; ipſos Monachos ſublatos, & laicum tractum ad alta ſtagni per colles horribiles ſpumantis pariter evectos, in profundum indignanti animo demerſiſſe, exprobrantem eis mendacium & perfidiam contra ſuum miniſtrum, & fidum paſtorem Eccleſiæ fabricâſſe. Camerarius mane facto plenus timore mortis, tremens Abbatis pedibus provolutus, petens gratiam, cuncta, quæ viderat, patefecit. Vade, inquit, diſpone domui tuæ, quia morieris, & Monachi una tecum; quia Beatus Blaſius veſtrum facinus & meam injuriam diſponit ſic ulciſci. Quod factum eſt brevi temporis intervallo &c. Fuit hoc haud dubiè illud tempus Engelberti, quod ipſe in fine inſignis Libri ſui *de Providentia Dei* his verbis innuit: *Iſtum Tractatum in quodam tempore cujusdam magnæ tribulationis & afflictionis meæ compoſui ad hoc, ut in Deo ſpe poſita, cujus bonitatis providentiæ bonis facit omnia cooperari in bonum, flagella ipſius diſcerem cum patientiâ tolerare, memorans illud verbum Apoſtoli 1. Cor. 10. quòd fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari ultra id, quod poſſumus, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere.* Ita cœlitùs vindicatus Engelbertus multò deinceps liberiùs ac vehementiùs ſtudiis inſtitit, frequenter ſe in vallem Janspacenſem, mira quâdam rupium ſcena & ſilentio ac ſolitudine dulcem abdens, ubi Eremitæ more ſuaviſſimam & Divinis contemplationibus ac litteris excultiſſimam vitam trahebat.

Refellitur Clutenus. Non diſſimulandæ hîc ſunt ineptiæ Joachimi Cluteni Megalopolitani, qui in præfatione ad Librum Engelberti *de Ortu & fine Romani Imperii*, quem is anno 1610. Offenbachii ex officina Conradi Nebenii in 8. prodire juſſit, Engelbertum *Oceanicæ Monaſticarum ceremoniarum multitudinis pertæſum raro in Admontenſi Monaſterio, ſed plerumque in Janſpacenſi pago ad S. Ægidium duobus à Monaſterio milliaribus habitare ac ibi philoſophari ſolitum fuiſſe nugatur.* Non monaſticarum cæremoniarum tædio, ſed Divinarum rerum & ſacratiorum litterarum amore in illum locum, in quo etiam templum D. Ægidio ſacrum ipſe, teſte Pachlero Chron. Admont. lib. 2. c. 2. §. 1. conſtruxit, ſe contulit Engelbertus, ubi tandem decrepitus ſenex poſt triginta quatuor annorum regimen ad præmia laborum à Deo vocatur, anno MCCCXXXI. feliciter obiit die XII. Maij, ſepultus in Oratorio Beatiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ, cujus eximius in vitâ cultor, & laudator exitit. Moritur an. 1331. Fuit is, dum per vitam liceret, magnis Principibus charus, ſummóque apud viros doctos loco. A quodam Regio Concionatore Hiſpano *Vir Sanctus, & Spiritu Prophetico plenus* nuncupatur. Operum ipſius, quæ ad triginta octo elucubravit, catalogum texit citatus P. Pezius, præmiſsâ brevi hac Critica: „ Id univerſè de ſcriptis Engelberti affirmare licet, vaſtum quoddam ac ſubtile ingenium ex omnibus relucere. „ Propoſitam Quæſtionem nunquam „ deſerit, niſi re funditùs exhauſta, „ Nec nodus ullus tam intricatus eſt, „ cujus diſſolutionem non tentet, aut „ deſperet, modò argumentum ejusmodi ſit, cujus fines ab humano ingenio circumſpici & circumſcribi „ poſſint. Superſtitioſus nequaquam „ eſt, rejicere ſolitus, quidquid cum „ Divinis Scripturis, aut ratione, aut „ ſaltem cum magnorum Virorum auctoritate non ſatis apertè cohæret. „ Stylo utitur Scholaſtico, neque tamen, quod familiare ſuo ſeculo vitium erat, contaminatiſſimo. At „ hæc omnia ex ipſorum Engelbertinorum Operum lectione meliùs lector, quàm ex noſtra deſcriptione „ intelliget. „ Sunt verò ea partim edita, partim inedita, iterum alia vel deperdita, vel nondum ſaltem reperta. Cl. P. Pezius aliquibus Theſaurum ſuum Anecdotorum locupletavit.

Catalogus librorum V. Engelberti Abbatis ex R. P. Bernardi Pezii Diſſertatione Iſagogicâ in Tom. I. Theſ. Anecd. Noviſſ.

1. *EXpoſitio Continua ſuper Pſalmum CXVII. Vadam in agrum.* Extat in Codice membr. fol. exarato anno 1384. in Bibliothecâ Clauſtroneoburgenſi: & in Bibliothecæ Lambacenſis Codice chart. fol. ſeculi XV. manu per-

perſcripto. Putamus eam etiam in Bibliotheca Admontenſi haberi. Opus vaſtum eſt, proferendum tamen in ſequentibus voluminibus.

2. *De Gratiis & Virtutibus B. Mariæ Virg. Lætetur anima veſtra.* Opus hîc habes à col. 503. ex Codd. MSs. Admontenſi coævo, Scotenſi, & Gemnicenſi, qui circa MCCCLXX. exaratus videtur. Idem adſervatur in Codicibus Monaſterii Lambacenſis & Mellicenſis. Scriptionem omnem in quatuor partes auctor diſpeſcuit, *in quarum primâ ponuntur aliqua, quæ de vita & virtutibus B. Virginis in laudem ipſius ex Evangelica hiſtoria trahi poſſunt. In ſecundâ ponuntur illa, quæ ex autboritatibus & dictis Sanctorum habentur de virtutibus B. Virginis circa ipſius vitam activam. In tertia agitur de illis, quæ habentur de ipſius virtutibus & gratiis circa ipſius vitam contemplativam. In quarta parte agitur de bis, quæ habentur de ipſius B. Virginis tranſitû ex hac vita, & glorificatione in corpore & in anima.* Engelbertus argumentum hoc ſobriè pertractat, unicéque dolendum eſt, virum acuto ingenio præditum non advertiſſe, *Epiſtolas Ignatii ad Johañem Evangeliſtam, & ad B. Virginem, hujúsque ad illum* mera hominis piè nugantis figmenta eſſe. Sed Engelberti ævo nulla critica erat. Denique quæ noſter Parte ultima à cap. III. col. 703. de B. Maria Virgine *miraculosè concepta & ſanctificatâ*, modo ab hodiernis ſcholis diverſo diſputat, eidem tempori, quo pia ſententia de Immaculata Beatiſſimæ Deiparentis Conceptione tantum nondum obtinuit, tribuenda ſunt. Quod ſi nunc vivens adeò vulgatam conſtantémque Doctorum eâ ſuper re conſenſionem videret, in eorum ſine dubio ſententiam vir, honoribus Beatiſſimæ Virginis tantoperè deditus, manibus, ut ajunt, pedibúsque concederet.

3. *Tractatus de articulis Fidei: Qui confidunt in.* Hunc nullibi adhuc videre licuit. Nam Engelberti *Liber XII. Quæſtionum de rebus fidem ſpectantibus*, quem è Codice MS. Scotorum Wiennæ prelo jam paravimus, ab hoc *Tractatu de Articulis Fidei* penitus diverſus eſt, utpote quem adversùs errorem, *qui non niſi unum in omnibus animabus intellectum eſſe ſtatuunt*, ſcripſiſſe ſe ipſe teſtatur *in Libro de ſummo bono hominis in hac vita cap.* 3. In Catalogo Librorum Monaſterii Campililienſis, ſeculo XIV. confecto, ſic quidam Codices recenſentur: *Item Alexander de intellectu, & alii tractatus, quorum primus eſt tractatus Thomæ contra murmurantes de Mundi æternitate, & ſuper tractatus Sphæræ Mag. Franconis, & tractatus de nutrito editus à Domno Alberto. Item Albertus ſuper Metaphyſicam. Item libellus * contradictione contra eos, qui dicunt, quòd poſt ſeparationem ex omnibus animabus non remanet niſi intellectus unus, & anima una.* Vix dubitemus, poſtremum hunc libellum eſſe Engelberti Tractatum de articulis fidei. Sed nos illum in perluſtratione Codicum Campililienſium vidiſſe non recordamur.

* Ita Codex.

4. *Tractatus unus de Paſſione Domini & Myſterio Crucis: Circa magnum* &c. Hic extat in Cod. chart. fol. in Bibliotheca Cremifanenſi à trecentis annis, & in Glunicenſi Cod. chart. 4. ac omnium optimè in Admontenſi Cod. membr. 4. maj. ex quo eum erutum prelo paratum jam habemus.

5. *Tractatus de Corpore Domini: Cùm propter plures modos.* Eum in tot hactenus Auſtriæ & Bavariæ Bibliothecis, imò & in Admontenſi fruſtra quæſivimus. Fortè tamen in aliis vicinis Stiriæ Bibliothecis adhuc deliteſcit.

6. *Tractatus de Gratia ſalvationis & juſtitia damnationis humanæ: Indica mihi.* Editioni paratum habemus ex bonæ notæ coævóque membraneo Codice Monaſterii Admontenſis in fol. Idem Opus extat & in alio chartaceo Cod. in 4. ejusdem Monaſterii, uti & in Cod. chart. 4. Bibliothecæ Tirnſteinenſis, ubi malè tribuitur Magiſtro Alberto Magno.

7. *Tractatus de libero arbitrio: Inter cæteras plures.* Hunc deteximus in Codice B. Mariæ ad Scotos Wiennæ, manu ſeculi XV. exarato, unde depromptum prelo jam deſtinavimus.

8. *De ſummo bono hominis in hac vita: Melius eſt videre.* Indidem deſcriptum typis proximè commendabimus.

9. *De Providentia Dei: De Providentia Dei.* Eum ex Codd. Admontenſibus jam eruimus, quorum alter membraneus in 4. alter chartaceus eâdem forma eſt, uterque verò quadringentorum annorum.

10. *Tractatus de Miraculis Chriſti: Mirabilia teſtimonia.* Occurrit in Bibliotheca Tirnſteinenſi Cod. chart. fol. & in Cremifanenſi Cod. membr. fol. & itidem ibidem in Cod. chart. fol. manu ſeculi XV. At nos eum ex Co-

dice Admontenſi membr. in 4. ſeculi XIV. pro prelo deſcripſimus. Idem Tractatus habetur etiam in alio ejusdem ætatis Admontenſi Codice chartaceo in 4.

11. *Super duodecim Antiphonas, O Sapientia, Tractatus, qui incipit: Aſpiciebam à longè*: Extat in Codice membr. Zwetlenſi propè coævo in fol. unde Opus noſtrâ gratiâ exſcripſit Ven. P. Anthelmus Carthuſianus Axpacenſis. Habetur & in Cœnobio Admontenſi Cod. chart. 4. ſine præfatione: in Carthuſia Gemnicenſi eadem præfatione deſtitutus: in Clauſtro Neoburgenſi Cod. membr. fol. ab an. 1384. & Mellicenſi in Cod. chart. manu Seculi XV. ſignato Lit. O. 4.

12. *Tractatus de Quæſtionibus ſuper Antiphonam, Cùm Rex Gloriæ; De illo laudabili.* Prelo itidem paratum habemus ex Codice Zwetlenſi ſupra laudato. Eundem retinent Canonia Tirnſteinenſis in Cod. chart. 4. Monaſterium Scotenſe Cod. chart. 4. à trecentis annis: & Mellicenſe in Cod. Sec. XIV. ſignato Lit. O. 13.

13. *Tractatus de Statu defunctorum: Occaſione ejus, quod legitur.* Hunc nullibi adhuc reperimus.

14. *Tractatus de Quæſtione illa, utrùm Deus adhuc incarnatus fuiſſet, ſi primus homo non fuiſſet lapſus: Utrùm ſi primus homo.* Hoc doctiſſimum opus ex coævo Admontenſi Codice membraneo in 4. noſtra manu exſcripſimus, & prelo paravimus.

15. *Super Evangelium: In principio erat Verbum, Tractatus: Ad præceptum tuum elevabis.* Deſideratur.

16. *Tractatus de ſenſu doloris Chriſti in paſſione, & de declaratione verborum Hilarii: Super quibusdam verbis Hilarii.* Penes nos eſt, de Codice membraneo Zwetlenſi, Seculi XIV. deſcriptus.

17. *Magnum Commentum ſuper librum Ariſtotelis de Mundo; Inter plura capitula.* Neſcimus adhuc, ubi lateat. Nec hujusmodi Scholaſtica commentaria noſtræ Collectionis ſunt.

18. *Scriptum ſuper librum de inundatione Nili: Poſt librum Ariſtotelis.* Scriptum hoc nusquam comparuit.

19. *Tractatus de Faſcinatione: Cùm ſecundùm Philoſophum.* Eum vidimus in Codice Monaſterii Glunicenſis chart. in fol. finito anno 1436. Extat & in Codice Bibliothecæ Mellicenſis chart. 4. ſignato Lit. G. 11. Ubi opus elegans, & prelo digniſſimum explicit *anno* 1462. manu noſtri Johannis de Weylheim.

20. *De naturis animalium Tractatus: De naturis.* Habemus hujus operis duo ad manum exempla ex BibliothecaAdmontenſi, unum in fol. membr. Sec. XIV. & aliud membr. 4. ejusdem ætatis. De ejus editione, cùm ex Iſidoro & aliis ejusmodi pervulgatis Scriptoribus excerptum ſit, nihil adhuc certi ſtatuimus.

21. *Tractatus de quibusdam Naturalibus: Super exceptivis.* Latet.

Tractatus de cauſis & ſignis mutationis aëris & Temporum. Ubi adſervetur, ignoratur.

23. *Tractatus de cauſis longævitatis hominum ante diluvium: Quæſtionem difficilem.* Hunc egregium librum ex Codice membr. Zwetlenſi, manu ſeculi XIV. in 4. exarato eruit R. P. Carolomannus Huber, contubernalis noſter. Engelberti Opus habes in Theſ. Anecd. Noviſſ. Tom. I. Part. I. à col. 439. in quo ſtatuit, *non irrationabiliter dici poſſe, quòd tanta prolongatio vitæ humanæ ante diluvium, & tanta abbreviatio poſtmodùm, & in tanto tempore, ſicut legitur facta fuiſſe, & ſtatus abbreviationis, in quo à tempore David permanet adhuc usque, proceſſerit & procedat curſu & ordine naturali.* Quam ſententiam ſuam doctis & lectû dignis rationibus à cap. XVII. usque ad finem corroborat.

24. *Tractatus de Regimine Principum: Philoſophus dicit.* Eum evolvimus in Bibliotheca Tirnſteinenſi Cod. chart. 4. Florianenſi Cod. chart. fol. Mellicenſi Cod. chart. fol. ſign. b. 4. Quæ exempla omnia ſeculi XV. ſunt. Prelo eum nobis ex noſtro Cod. paravit Ven. P. Anthelmus Carthuſianus Axpacenſis. Cæterùm idem Engelberti Opus extare etiam in Carthuſia Gemnicenſi nuntiavit Ven. P. Leopoldus Wydemannus ejusdem loci eruditus Bibliothecarius.

25. *Tractatus, qui dicitur Speculum virtutum ad Albertum & Ottonem Auſtriæ Duces: Glorioſis Dominis.* Unicum ſcimus hujus magni Operis exemplum in Bibliotheca B. Mariæ Virg. ad Scotos Wiennæ, unde non ſine ſudore integrum expromſimus, prelo proximè ſubdendum. Codex Scotenſis trecentorum annorum, chartaceus & in folio eſt. Mabillonius in Itinere ſuo Germanico ſe id etiam Villingæ in Bibliotheca PP. Minorum vidiſſe ſcribit. Verùm is Codex nuper, cùm Villinga à Tallardo, Gallicarum copiarum duce obſidione premeretur, à Cæſareanis intra mœnia militi-

Digitized by Google

militibus, dum alia deeſſent, onerandis tormentis bellicis adhibitus, & abſumptus eſt, ut nos docuit Reverendiſſimus Dominus Michaël, S. Georgii humaniſſimus ibidem nunc Abbas. Arnoldus Wion in Adjunctis ad Lib. II. Vitæ Ligni c. 66. auctor eſt, hoc Engelberti Opus in *Bibliotheca Laziana* Viennæ quoque extitiſſe, unde fortè ad Bibliothecam Cæſar. Vindobonenſem cum altera Bibliothecæ Lazianæ parte pervenit. Nam aliqua ejusdem Bibliothecæ pars in libellario Magiſtratus Viennenſis adſervatur. Quid autem ſibi vir eruditus Gotthelſſius Struvius in Bibliotheca Hiſtorica cap. 18. velit, dum ſcribit, Lambecium in Syntagmate ſuo rerum Germanicarum evulgare promiſiſſe *Engelberti Abbatis Speculum virtutum ab anno* 1104. non aſſequimor. Neque enim hoc Engelberti Opus Hiſtoricum ſed Ethicum eſt. Atque hæc jam ſcripſeramus, cùm nos A. R. P. Cœleſtinus Mayr Bibliothecarius Celebris Monaſterii Wiblingenſis propè Ulmam certiores facit, idem Engelberti Opus in ſuæ quoque Bibliothecæ Codice adſervari, id quod hìc adnotâſſe ſatis ſit.

26. *De officiis & abuſionibus eorum: Cùm libros.* Integrum hoc opus adhuc nobis non obtigit. Nam quæ initio cujusdam Codicis Admontenſis chartacei in 4. per aliquot membranea folia extant, non niſi fragmentum elegantis Libri ſunt. Ex ſpecimine hoc tamen colligitur, omne opus in plures tractatus diſtributum fuiſſe.

27. *De ortu & fine Romani Imperii: Conſedentibus.* Librum hunc primus edidit Caſp. Bruſchius Baſileæ 1553. 8. Tum Joachimus Cluten à nobis ſupra caſtigatus. Tandem ab Andrea Schotto recognitus tranſiit ad Bibliothecas SS. Patrũ tam Colonienſem quàm Lugdunenſem. Mſ.ta ejus exempla habentur in Codice Admontenſi chart. 4. manu Seculi XIV. & Mellicenſi chart. 12. Lit. b, 26. à noſtro Johanne de Weylheim an. 1474. finito. Atque ab hac ſcriptione diſtinctum non eſt illud opus, in quo *Engelbertus de Daniele & Apocalypſi ſumpta materia de Antichriſto ſuperlucidè diſputâſſe* ſupra ab Anonymo Chronographo Leobienſi dicebatur.

28. *Tractatus, utrum Sapienti competat ducere uxorem: Narrat Satyrus.* Prelo paratum habemus ex membraneo Codice Zwetlenſi, ſignato num. 91. in 4. ſeculo XIV. exarato.

29. *Dialogus Concupiſcentiæ & Rationis: Quoniam ut dicit Seneca.* In Codice chart. Admontenſi, perquàm difficili lectu charactere, ſeculi tamen XIV. perſcripto in fol. unde Opus exhibebimus.

30. *Tractatus metricus de conſilio vivendi: Conſilium vitæ cupiat qui diſcere ritè.* Extat in mox memorato Codice Admontenſi, unde Poëma Ethicum efferemus.

31. *De electione Regis Rudolphi: Sclavica qui tumidi confregit cornua ſceptri.* Hoc Poëma Caſimirus Oudinus in Supplemento Bellarm. de Script. Eccleſ. pag. 552. audacter ſcribit haberi *in Collectionibus Hiſtoricorum Germaniæ, quos diverſi ediderunt.* Aſt in his Collectionibus ne verſus quidem nec verbum Engelbertini Poëmatis extat. Igitor omnes decepti ſunt, quotquot Oudinum intrepidè ſecuti ſunt, Pinium putamus in Bibliotheca Eccl. de Script. ſeculi XIV. Guilielmum Cave in Hiſt. Lit. qui ne Oudinum ad verbum exſcripſiſſe videatur, ait, *Carmen Engelberti in quavis ferè Hiſtoricorum Germanicorum Collectione reperiri*: &, quod magis mireris, Gottfridum Olearium in Bibliotheca Scriptor. Eccleſ. Tom. I. qui ad hæc nos cavere jubet, ne Engelbertum cum Poſſevino in Apparatu ſacro ad annum 1320. rejiciamus, cùm ex Chronico Admont. MS. Amandi Pachleri certiſſimum ſit, Engelbertum non niſi anno 1331. ad ſuperos abiiſſe. Igitur nihil certius nobis eſt, qoàm hoc Engelberti Poëma iis accenſendum eſſe, quæ lucem nondum aſpexerunt. Imò cùm nec in Bibliotheca Admontenſi hactenùs à diligentiſſimo & doctiſſimo ejus loci Bibliothecario A. R. P. Sigiſmundo Münich reperiri potuerit, vehementer veremur, ne omnino exciderit.

32. *De Paſſione beatæ Katherinæ Opus: Inclyta ſanctæ Katherinæ Virginis acta.* Nondum repertum eſt.

Jam verò cùm ſub id tempus, quo Engelbertus laudatam ſæpiùs Epiſtolam de Studiis & Scriptis ſuis ad Ulricum dedit, is plura affecta Opera habuiſſe ſe inſinuat, quæ poſtmodum feliciter eniſus eſt, ea nunc vel à nobis reperta, vel ab aliis indicata ſubjiciemus.

33. Andreas Abbas Bambergenſis *Libro de Vir. Illuſtr. Ord. S. Bened. Parte tertia* teſtis eſt, Engelbertum *ad ædificationem fratrum ſuorum ſcripſiſſe de virtutibus & vitiis, Sermonéſque elegantes.* Quæ iisdem ferè verbis ha-

bentur apud Trithem. *in Lib. de Script. Eccl. c.* 379. & *Lib.* 2. *de Vir. Illuſt. Ord. S. B. c.* 100. niſi quod in hoc poſteriori Opere *Sermones Engelberti* prætermittat. Porrò ad ſcriptionem Engelberti *de vitiis & virtutibus*, quod attinet, perſuaſiſſimi ſumus, eam ab ejusdem Opere *de Officiis & abuſionibus eorum*, aut *Speculo Virtutum* diverſam non eſſe. *Sermones* Engelberti perbreves de Tempore aliquot vidimus in membr. Cod. Admontenſi in fol. de quorum editione tamen nihil nobis adhuc certi ſedet, cùm præſtantiora ejus opera nos ſatis occupatos adhuc habuerint.

34. Amandus Pachler, Abbas Petrenſis in Chronico Admont. MSs. Engelberto tribuit *Opus de ſanctiſſima Trinitate magnificum*, quod nobis hactenùs incognitum in aliqua Stiriæ vel Carinthiæ Bibliotheca fortè cum tineis & blattis luctatur. Digniſſimum profectò foret, quod ſtudioſè perquiratur.

35. In Codice chartaceo in 4. trecentorum annorum, qui apud Scotenſes noſtros Viennæ adſervatur, conſpeximus Engelberti *Libellum XII. Quæſtionum*, de quo vide ad §. 3. ſupra obſervata. Hic addimus, dubitari non poſſe, quin hic genuinus Engelberti fœtus ſit, utpote in quo eꝺorem remittat ad librum ſuum: *utrùm adhuc Deus incarnatus fuiſſet; ſi Adam non peccâſſet.*

36. In Bibliotheca Tegernſeenſi extant Engelberti *Orationes precatoriæ ad Jeſum & Mariam ſemper Virginem*, in duas partes diviſæ. Quarum prima incipit: *O Meſſia vitæ via* &c. *Explicunt* in Codice chart. 4. anno 1473.

37. Prelo maturum habemus etiam Engelberti *Tractatum de Paſſione Domini ſecundùm Mathæum*, qui ita incipit: *Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Math. 26. *Ubi venit plenitudo temporis miſit, Deus Filium &c.* Hunc MS. retinent Bibliotheca Admontenſis in Cod. membr. 8. ſec. XIV. in quo ſubjuncta eſt *Recapitulatio articulorum Paſſionis Chriſti*: & Canonia S. Hippolytana in Cod. membr. 4. ejusdem ætatis.

38. Bucellinus *in Annalibus Benedictinis & Menologio* Engelbertum præterea celebris illius de B. Maria Virg. Hymni: *Omni die dic Mariæ* &c. auctorem facit. Sed cùm hæc res operoſioris diſquiſitionis ſit, eam Bibliothecæ Benedictinæ ſervamus.

XIX.

CLEMENS VI. Pont. Max.

Obiit anno 1352.

Natus eſt *Clemens VI.* loco nobili in Gallia ex illuſtri Gente Rogeriorum Malomentenſium. Pater fuit Petrus Rogerii, Dominus de Roſerio, frater Nicolai Rogerii Archiepiſcopi Rothomagenſis. Fratrem habuit Guilelmum Rogerii Comitem Bellifortis, Gregorii XI. poſteà parentem. E ſacro Fonte nomen patris ſui tulit, vocatúsque eſt Petrus Rogerii. Vix decimum ætatis annum attigerat, cùm in monaſterio Caſæ Dei in Arvernia Diœceſis Claromontenſis Familiæ Benedictinæ adſcriptus eſt. Poſt nuncupata ſacra vota Lutetiam miſſus in Philoſophicis Theologicísque diſciplinis non mediocriter excelluit: unde Doctoralem lauream in Theologica facultate promeritus, eandem publicè profeſſus eſt magna frequentia ac celebritate. Lutetia rediens ad monaſterium Caſæ - Dei ſpoliatus eſt à latronibus in ſaltu Randano. Hiſtoria illa extat in tabula appenſa in Eccleſia monaſterii S. Illidii Claromontenſis, ex qua eam Maſſonus tranſtulit in librum ſextum de Epiſcopis Urbis.

In Gallia nobili loco natus

vitæ monaſticæ

dein ſtudiis Lutetiæ ſedat, ubi Theologiam profitetur.

Petro Cardinali de Mortuo Mari cùm mirificè acceptus eſſet, ab eo per literas Romam invitatus eſt. Venit, vidit Pontificem Joannem XXII. ejúsque viciſſim oculos doctrina ac eruditione ſua non vulgari in ſe convertit. Ab hoc igitur primùm Prior S. Baudilii Nemauſenſis, deinde Abbas Fiſcanenſis conſtitutus eſt. Quo tempore Carolum Moraviæ Marchionem, poſteà Imperatorem hujus nominis IV.tum ſcientiis Principe dignis inſtituit. Sed primi gradus hi fuerunt ad ſublimiorem dignitatum culmina. Non diu enim pòſt ab eodem Pontifice Atrebatenſi Epiſcopatui præfectus eſt, à quo tamen iterùm primùm ad Senonenſem, tum Rothomagenſem Archipræſulatum provectus fuit. Anno autem 1330. quo Archiepiſcopus erat Rothomagenſis, proviſor etiam fuit Domûs Sorbonicæ, cujus jura & privilegia ut pro viribus tueretur, nulli operæ pepercit. Majori adhuc animi contentione, Eccleſiaſtici juris peritia atque oris facundia anno præcedenti, id eſt anno 1329. Eccleſiaſticorum cauſam contra ſecularium judicum molimina defenderat. Sic enim de eo Chronicon Rothomagenſe: *Hoc anno*

Venit Romam,

pérque varios dignitatum gradus

facta

Digitized by Google

facta convocatione Prælatorum totius Regni Franciæ coram Rege fuerunt multi articuli propoſiti contra Jurisdictionem Eccleſiaſticam: ſed Prælati virtuoſiſſimè reſponderunt, & viriliter reſtiterunt: & M. Petrus Rogerii Clericus Senonenſis Magiſter in Theologia reſponſionem fecit ſolenniter pro Prælatis.

Anno 1332. interfuit determinationi Doctorum de Viſione Beatifica apud Vincennas contra opinionem Joannis Papæ, cujus licèt ſumi ſui Mæcenatis auribus nihil dedit, ſed cum aliis Theologis determinavit. Inter Purpuratos Patres adlectus eſt à Benedicto XII. 15. kal. Jan. an. 1337. tit. SS. Nerei & Achillei, ſed Cardinalis Rothomagenſis vulgò cognominatus. Sublato è vivis Benedicto XII. anno 1342. in Pontificem Maximum electus nomen *Clementis* aſcivit. Primo anno Pontificatûs ut benè de Univerſitate Pariſienſi altrice ſua mereretur, eidem privilegium indulſit, redituum ex beneficiis percipiendorum, etiam dum Pariſiis Doctores & Profeſſores reſiderent.

ad Rom. purpuram, & ad Summi Pontificatûs apicem aſcendit.

Ejus elogium ex Petrarcha.

Hunc Petrarcha *literatiſſimi Pontificis* encomio exornat, hominem vocans tam felicis, támque ſtupendæ memoriæ, ut quod ſemel legiſſet, oblivione abolere nullatenus poſſet: *Et quod mirabilius eſt*, inquit, *hæc memoria magno quondam capitis ictu, cujus ingens ſupremo vertice cicatrix remanſerat, ei provenerat.*

Literatos amat,

Erat Clemens VI. ſuo in Pontificatu inſignis literatorum fautor, ac cùm negotiis ſummis & operoſis & quotidianis præpeditus eſſet, quò minùs evolvendis libris operam daret, negotium viris doctis ac eruditis dedit, ut ex præſtantiſſimis quibúsque voluminibus optima quæque ſeligerent, quæ ab ipſo compendiaria lectione percurri poſſent. Et ſi divini vir ingenii Plato Ariſtotelem nuncupavit Agnoſtem, hoc eſt, perpetuum ſtudioſiſſimúmque Lectorem, id nominis certè Clemens jam ante aditum Pontificatum ſummo jure promeritus fuit: quidquid enim temporis comparare potuit, ad lectionem conferebat, rationem afferens ex Cicerone pro Archia: *An tu exiſtimas, aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, niſi animos noſtros doctrinâ excolamus.* Nec minori voluptate de liberalium artium diſciplinis, ac ſcientiis tum humanis tum divinis ſermonem cum viris doctis inſtituere ſolitus erat. Unde factum, ut ad tanti literarum Mæcenatis aulam, velut ad arcem Palladiam, nobiliſſimi ingenii homines undique ſe conferrent; quos ille pleroſque vel beneficiis cumulavit, vel dignitatibus ornavit.

in literis ipſe haud parùm verſatus.

Nepotem habuit *Petrum Rogerii*, fratris filium, quem annum ætatis 18. agentem Cardinalium Collegio adlegit, Peruſiúmque protinus ad Baldum Jureconſultum miſit, ſub cujus diſciplina plurimùm profecit. Et ille ad Pontificatum quoque evectus Gregorii XI. nomen accepit. Obiit autem Clemens an. 1352. & ſepultus eſt in Cathedrali Avenionenſi. Moritur 1352.

SCRIPTA.

1.) *Sermones & Collationes.* Extat in Bibliotheca illuſtriſſimi Archiepiſcopi Remenſis vetus codex cum hoc titulo: *Sequuntur diverſa ſermonum themata feſtorum Dei, beatæ Mariæ Virginis, & aliquorum Sanctorum, & aliqua alia ſecundùm diverſos eventus rerum ac temporum facta, ordinata, & prædicata diverſis temporibus per Dominum Clementem Papam ſextum temporibus ſuorum Archiepiſcopatus, Cardinalatus, ac etiam Papatus, ut qui legerit, poterit invenire.* Aymericus de Peyraco Abbas Moyſſiacenſis in ſuo Chronico fol. 93. eum vocat *maximum ſermocinatorem verbi Dei*, continuator Nangii in Tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 739. ultra modum communem hominum eloquentem, Thomas Walſinghamus virum inſignis literaturæ. Inſignis eſt locus in vita Karoli IV. Imperatoris, ubi vocatur homo ſacundus & literatus omníque morum honeſtate circumſeptus. *De Sermone*, quem ipſe dicitur habuiſſe poſt elationem ſuam, vide Albertum Argentinenſem p. 133. ex editione Chriſtiani Urſtiſii. Ex catalogo Bibliothecæ Benedicti XIII. apparet eum habuiſſe plura volumina ejusdem Clementis.

2.) *Tractatus de paupertate Chriſti & Apoſtolorum,* de quo Baluzius in Notis ad vitas Paparum Avenionenſium p. 836. Extat apud me vetus codex MS. in quo legitur: *Incipit lectura magiſtri Petri Rogerii Prioris ſancti Baudilii, Doctoris in Theologia, ſuper decretali per ſanctiſſimum Patrem Dominum Johannem Dei gratia Summum Pontificem edita, quæ incipit: Quia quorundam mentes &c.* Eum publicè tum in Academia Pariſ. interpretatum eſſe librum

Z 3 quar-

quartum ſententiarum legimus apud Ægidium Bellamerum in cap. *Quanto* de conſuetud.

3.) *Tractatus adversùs Michaëlem de Cæſena, an cenſendus eſſet hæreticus?* Vide Waddingum ad an. 1328. §. 13.

4.) *Declaratio Clementis VI. de Monachis nigris*, quam exhibet Baluzius Tom. VII. Miſcellan. pag. 152. & ex eo Labbeus Concil. Tom. XV. col. 567.

5.) *Declaratio de Epiſcopatu Oſtienſi & Velletrenſi.* apud eund. Baluz. Tom. IV. pag. 508.

6.) *Epiſtola ad Archiepiſcopum Tarraconenſem de Jubilæis anno quovis quinquageſimo celebrandis.* Agvirre inſeruit Tomo III. Conciliorum Hiſpaniæ pag. 612.

7.) *Encyclica adversùs flagellantes*, ſeu *de flagellantium hæreticorum condemnatione ad omnes Archiepiſcopos eorúmque ſuffraganeos.* Labbe Concil. Tom. XV. col. 565.

8.) *Bulla contra adulteratores Monetarum in regno Franciæ*, quam Baluzius ſub Clementis V. nomine Tomo II. Paparum Avenionenſium vulgavit. Extat in Acherii Spicilegio Tom. XI. pag. 392. èditionis novæ Tom. III. pag. 730. Eodem Tomo tertio novæ editionis aliæ extant hujus Clementis VI. Epiſtolæ XXXII. pag. 722. ſeq. quas prior Spicilegii editio offert Tom. IV. pag. 271. ſeq & Tom. VI. pag. 242. Epiſtolæ XLV. apud Baluzium Tom. II. Papar. Avenionenſium pag. 615. 625. 656. ad 662. 665. ad 678. 681. ad 695. 697. & 701. ad 731.

9.) *Regeſtum Epiſtolarum Decretalium* Mſs. in Bibliotheca Vaticana, ex quo *Epiſtolæ decem* apud Abrahamum Bzovium ad annum 1342. &c. Aliæ XXX. apud Wadingum in Annalibus Minorum Tom. 3. ad añum 1342. &c. Aliæ CCXII. ibidem in Regeſto Pontificum pag. 263. Aliæ XVII. apud eundem Tomo IV. ad annum 1351. 1352. Aliæ XXXIX. ibidem in Regeſto Pontificum. pag. 1.

10.) Conſtitutio *de Ivone* Sanctis adſcribendo, publicata an. 1347. extat inter *quinque Conſtitutiones* apud Laertium Cherubinum Tomo I. Bullarii pag. 278.

De Bulla Clementis VI. pro anno Jubilæo.

Emanâſſe etiam à Clemente VI. dicitur *Bulla* pro *Anno Jubilæo*, propter cujus ineptias Proteſtantes mirum quantum Catholicis inſultant. *Cornelius Agrippa*, neſcio cujus religionis, an nullius Scriptor libro *de Vanitate ſcientiarum* cap. 29. his verbis exclamat: „Nonne Clemens Papa in Bulla, „ quæ hodie adhuc Viennæ, Limovis, „ Pictavii in privilegiorum ſcriniis „ plumbata ſervatur, præcipit angelis de cœlo, quod animam peregrinantis Romam pro indulgentiis & „ decedentis à purgatorio abſolutam „ ad gaudia perpetua introducant? „ Inſuper inquiens, nolumus, quòd „ pœna inferni ſibi aliquatenus infligatur, concedens inſuper cruce ſignatis ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas vellent, è purgatorio poſſe eripere, quam erroneam „ intolerabilémque temeritatem, ne „ dicam, prope hæreſin, tunc Pariſienſis ſchola palàm deteſtata eſt, „ atque corripuit. Sed fortaſſis pœnitens hodie, quod non hyperbolicum illum Clementis zelum pro aliquo Commento interpretati ſunt, „ ut res valeret potiùs, quàm periret.„ Hæc ille. At enim hanc Bullam minimè à Clemente VI. editam fuiſſe, pridem *Adamus Contzen* S. J. Theologus in præfatione ad *Chronologiam Jubilæi Evangelici* contendit, cùm ab impoſtore quodam conficta & ſuppoſita fuerit. Ejusdem ſententiæ eſt eruditiſſimus Baluzius, cujus verba hæc ſunt:

Baluzii ſententia.

„ Jure meritóque Proteſtaotes adverſùs hanc Bullam utì temerariam & „ impudentem inſurrexerunt, quia „ videbant Romanum Pontificem nullam poteſtatem habere in angelos, „ aut reliquos regni cœleſtis incolas „ & habitatores. Ego verò libenter „ cum illis ſentio; ſed tamen diverſas „ interim opiniones habemus. Illi „ enim in eam ut veram ac genuinam „ invehuntur, ego illam falſam ac ſuppoſititiam, & ab aliquo impoſtore „ valdè imperito conſcriptam fuiſſe „ contendo. Quis enim ſanæ mentis „ homo in animum inducere queat, „ virum gravem, doctum, dicendi „ peritum, prudentem, ac limati judicii, qualem fuiſſe conſtat Clementem Sextum, tam averſo à Muſis „ animo fuiſſe, tam inſulſum ac fatuum, ut compoſitionem diſſolutam, „ ridiculam, abnormem auderet aut „ vellet publicè proponere? At, inquies, Weſelus Gansfortius Groningenſis, & Cornelius Agrippa teſtantur eam Viēñæ in Lemovicibus, „ apud Pictavos extare plumbatam, „ adeóque in dubium revocari non „ poſſe, quin vera ſit, cùm conſtet „ eam fuiſſe munitam Bulla pontificia. „ Primùm reſpondere poſſum, emerſiſſe diverſis temporibus falſarios, qui „ Romanorum Pontificum Bullas con-

„ tin-

„ tingerent, eáſque plumbi Romani „ teſtimonio confirmare niterentur. „ Quæ peſtiferorum hominum audacia extorſit varias eorundem Pontificum conſtitutiones editas in libris „ Decretalium, & alibi. Verùm omiſſa ea reſponſione, quanquàm non „ inutili, quis non videt, quis non animadvertit Weſelo homini Batavo, „ & exſcriptori ejus Agrippæ, hominibus multùm ab ævo Clementis VI. „ & à Vienna, Ratiaſto Lemovicum, „ & Auguſtorito Pictonum remotis „ nullâ ratione credendum eſſe in rebus adeò antiquis & tanti momenti „ abſque teſtimonio vetuſtioris Scriptoris? Eâdem illi fide tradunt hanc „ Clementis erroneam intolerabilémque temeritatem, ac tantùm non „ hæreſim reprehenſam ac correctam „ fuiſſe à Theologica facultate Pariſienſi. Et tamen nuſpiam in tot ævi „ illius monumentis, reperire licet ullam ea de re concertationem fuiſſe „ in Academia Pariſienſi. Et fanè ſi ita eſt, ut tradit Weſelus, oportuit „ Academiam illam cæterarum principem fuiſſe admodùm ſtupidam, ſi in „ re adeò clara & manifeſta fidem potuit vel tenuiter adhibere mendacio. „ Inſulſa eſt enim compoſitio, fatua, „ demens, aliena à ſtylo Curiæ Romanæ, denique ſuperflua, cùm ad conſtituendam ſtabiliendámque auctoritatem Jubilæi & indulgentiæ generalis, excitandámque fidelium pietatem ſatis ſupérque ſufficiat illa „ Clementis conſtitutio, quæ edita „ eſt in collectione Extravagantium „ communium. Ne cui verò mirum „ videatur, quòd hanc Bullam pronuntio falſam eſſe, ea diu ante me „ fuit ſententia Alberici à Roſate; „ qui tametſi illam inveniat pulchram, „ ait tamen ignorare ſe an vera fuerit, „ & huc inclinat, ut putet, eam non „ fuiſſe bullatam nec confirmatam; „ cæterùm teſtatur eam non fuiſſe ſervatam Romæ anno MCCCL. *tempore prædictæ indulgentiæ, ad quam* „ *fui cum uxore, & tribus filiis.* Sanctus quoque Antoninus Archiepiſcopus Florentinus par. 3. Summæ tit. „ 10. cap. 3. *§. 6.* eam falſam eſſe pronuntiavit his verbis: *Et ne quis ſumat dubia pro certis, ſciendum quòd* „ *in copia cujuſdam Bullæ, quæ dicitur* „ *eſſe Clementis, multa narrantur, quæ* „ *non videntur eſſe de ſtylo curiæ, cùm* „ *ſint levia & exorbitantia ſatis. Unde licèt adſcribantur Clementi, non* „ *videtur veriſimile illius vel alterius* „ *Summi Pontificis fuiſſe, ſed fictitiè inventa.* Hoc loco S. Atnonini uſus eſt „ Joannes Brunelli in repetitione in „ Decretalem primam de homicidio „ in antiquis par. 4. concluſ. 9. ubi „ falsò putavit, Antoninum loqui de „ Conſtitutione Clementis VI. incipiente *Unigenitus*; in qua ait contineri multa puerilia & levia, illam „ porrò deviare à ſtylo communi. Addit eam non extare in collectione „ Extravagantium communium, & „ non eſſe de potiſſimis. In quo illum „ errare omninò manifeſtum eſt. Habetur enim inter Extràvagantes, & „ cùm certum ſit eam editam fuiſſe ab „ eodem Clemente, & ejus auctoritate promulgatam, dubium eſſe non „ poteſt, quin ſit de ſtylo Curiæ. „ Cæterùm nihil in ea puerile, nihil „ quod levitati debeat adſcribi. Ferri „ autem non poteſt inſulſitas Joannis „ Hornbeck, qui primus, ut ipſe putavit, hanc egregiam bullam edidit p. „ 275. Examinis Bullæ Urbani VIII. „ de feſtis; ubi pro ſua audacia, ſeu „ potiùs temeritate non veretur aſſerere, illam Clementis Bullam à noſtris ita ſuppreſſam eſſe, ut vix uſpiam „ reperiatur. Cùm enim edita jam „ diu ſit apud Albericum, & ex eo illam Cyrillus Franchus ediderit Boniæ anno MDLXXV. in Comentario de anno Jubilæi; reperitur autem in duobus antiquis codicibus „ MSs. Bibliothecæ Colbertinæ, ac „ fortaſſe alibi, manifeſtum eſt illam „ non fuiſſe ſuppreſſam ab iis, qui Romana ſacra colunt. „ Hactenus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium col. 916.

Vitam Clementis VI. edidit Franciſcus Boſquetus Montis Peſſulani Epiſcopus cum Vitis Summorum Pontificum, qui Avenione ſederunt, quam exhibet Baluzius Tom. I. Vit. Papar. Avenion. pag. 243. cui ſecundam vitam ſubjecit ab anonymo ſcriptam. Utramque verò ipſe eruditis Notis illuſtravit. De Scriptis Clementis VI. videri poſſunt Robertus Gerius ad Caveum ad an. 1342. Oudin. de S. E. Tom. III. pag. 931. Fabric. Bibl. med. & inf. Latinit. vol. 1. l. 3. pag. 1107. & alii. *Ejus vitæ Scriptor.*

XX.

PETRUS BERCHORIUS Prior Collegii S. Eligii.

Obiit anno 1362.

PEtrus Berchorius honeſta Bercherorum gente Pictavis in Gallia natus acumine ingenii & varietate doctrinæ cele- *Ejus genus & patria.*

celeberrimum ſibi nomen ſeculo XIV. in orbe literario comparavit. Humaniorum literarum præceptis à prima adoleſcentia egregiè inſtitutus fuit.

Cluniaci inter Benedictinos recipitur.

Decurſo earum ſtadio Ordinem Benedictinum ingredi conſtituit. Itaque Cluniacum, inclytum præ primis Aſceterium, atque Congregationis totius caput adiit, ubi receptus, exacto religioſæ vitæ tyrocinio, ſe Deo ſoleñi votorum nuncupatione devovit. Probata ſatis per aliquot annos ejus pie-

Literas humaniores domi,

tate ac doctrina ſcholis præfectus fuit, ut literas, quibus humanitatis nomen impertimur, juniores Congregationis ſuæ Sodales doceret. Qua ſparta ita inſigniter functus eſt, ut elegantioris literaturæ præceptor ſui temporis habitus fuerit doctiſſimus. Un-

dein Pariſiis cum laude docet.

de Cluniaco Pariſios in Collegium S. Eligii miſſus eſt; ubi easdem politiores literas docendo & ſcribendo multò latiùs ingenii famam protulit. Primùm igitur in Grammaticam metricam, quæ tunc in Galliæ ſcholis ante Joannis Deſpauterii proſodiam paſſim tradebatur, præcipuo quodam ſtudio commentatus eſt. Quæ ejus commentationes non modò diſcipulis, ſed etiam magiſtris, magna ubique autoris fama & gloria, uſui & fructui eſſe cœperunt. Has aliæ ingenii miríque acuminis plenæ exceperunt, quibus in Ovidii Metamorphoſes incredibili ſubtilitate commentatus eſt. Non minori autem morum quàm literarum

Joannis Gall. R. gratiam promeretur.

elegantia exornatus gratiam Joannis Galliarum Regis promeritus eſt, cui ſanè in deliciis & amoribus fuit. Ejus juſſu Titi Livii Hiſtoriam in linguam Gallicam convertit, quam duobus magnæ molis voluminibus comprehenſam eidem Regi, Mæcenati ſuo nuncupavit. Adjecit verò hiſtoriarum icones, ſcilicet ut oculis ſubjectæ majori oblectatione ad animi judicium transmitterentur. Tanta verò elegantia ſunt depictæ, quantam, qui oculis non arbitrati fuerunt, ægrè animo concipere poſſunt. Unde hoc opus in literariis cimeliis à Regibus Galliæ habitum eſt. Dono ab iisdem illud accepit Eminentiſſimus Cardinalis Richelius, qui eodem ceu pretioſiſſimo eruditæ jucunditatis munere Sorbonam donavit. Non levidenſe, ſed ingens ac ferè decumanum pretium eſt, quod curioſi antiquitatum æſtimatores huic operi ſtatuunt; quo nec pulchrius nec elegantius ſe uſpiam unquam conſpexiſſe, uno ore fatentur.

Ad ſacratiora ſtudia ſe convertit.

Quum verò viros Religioſos haud deceat, ut humanioribus literis plus operæ impendant, quàm quantum ſatis eſt ad literas ſacras cùm intelligendas tum exponendas, *Berchorius* ab iisdem ſtudia ſua ad intelligentiam & expoſitionem divinæ paginæ convertit. Adversùs ſtudiorum labores indomitum fuiſſe, indicio ſunt Opera ab ipſo compoſita, quæ ſine perpetuis ac aſſiduis vigiliis lucubrari minimè potuerunt; tanta doctrinæ copia atque eruditionis varietas in eisdem continetur. Certè à nemine uno legi poſſunt, qui non admiretur, tot & tantos MS.tos Codices, typographia nondum inventa, ab uno viro evolvi potuiſſe, ut, quæ uſum præſtare poterant, in ſuos transferret commentarios. Hi verò cùm omnium ore celebrentur, tum verò præcipuè iis, qui pro ſacro ſuggeſtu ad populum verba faciunt, majorem in modum commendantur. Non defuit ei Latinæ eloquentiæ facultas, ſed dedita opera facili ac plano ſtylo ad animi ſenſus palam faciendos maximè idoneo uſus eſt.

Fit Prior Collegii S. Eligii.

Tanta literarum quà profanarum quà ſacrarum doctrinâ florentem Superiores Collegio S. Eligii id temporis perquàm celebri præfecerunt. Quot annis eidem præfuerit, ignoramus. Claruit verò ſub Abbatibus quatuor Cluniacenſibus, Petro II. Abbate Cluniacenſi XXXI. Iterio XXXII. Hugone VII. hujus nominis Abbate XXXIII. atque Anduino Abbate XXXIV. Tan-

Ad plures abiit 1362.

dem ſexagenario major vitæ integer, plenúsque gloriæ terrenæ, quæ ei ex editis præſtantis doctrinæ atque eruditionis monumentis undique obvenerat, ad cœleſtem eámque perennem quòd migraverit, ſpem nobis facit indubitatam vita piè religioſéque ab eo transacta. Quotus quisque enim eſt, qui, ſi bene vixit, non etiam bene moriatur? Naturæ igitur conceſſit in Prioratu ſuo, in cujus etiam eccleſia terræ mandatus fuit, anno à reparata ſalute MCCCLXII.

SCRIPTA.

1.) *Commentarius* prolixus & inſignis in *Doctrinale metricum*, quod plerisque ferè in Gallia Scholaſticis uſui fuit, antequam Joannes Deſpauterius ſuam protulit proſodiam. Nunquam typis, quòd ſciam, exſcriptus fuit, ſed ejus tria MS.ta exemplaria aſſervantur in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis.

2.) *Com-*

2.) *Commentarius Moralis*, ſeu *Allegoriæ in libros quindecim Metamorphoſeos Ovidii*, quem cuſtodit Bibliotheca monaſterii S. Germani à Pratis Cod. 688.

3.) *Verſio Gallica Titi Livii*, quam reperies Romæ in Bibliotheca Reginæ Sueciæ, nunc Vaticanæ incorporatæ; in Bibliotheca Regia Pariſienſi; Colbertina & D. Ranchin. Vide Montfauconii Bibliothecam MS.torum Codicum, ubi *Berchorii* nomen mirè variatum leges; modò enim *Bertreve* (al. *Berthievre*) jam *Berſeur*, nunc *Bercheur*, modò *Bercenne*, nunc *Bercheve*, jam *Berceure* vocatur.

4.) *Naturalium exemplorum libri tres*, quos Bibliotheca Gemmeticenſis MS.tos aſſervat. Vide Bernardum Montfauconium l. c. pag. 1212.

5.) *Dictionarium*, ſive *Repertorium Morale*, quod dictiones ferè omnes ſacræ Theologiæ ſtudioſis ac Verbi divini Concionatoribus uſui futuras, locorum communium inſtar, alphabetico ordine complectitur, earúmque ſignificationes moribus accommodat.

6.) *Reductorium morale utriusque Teſtamenti* in triginta quatuor libros diviſum, in quo prætermiſſo hiſtorico ſenſu, breviter univerſa capita Scripturæ tropologicè expoſuit, intermiſſis interdum allegoriis: ſtilóque uſus demiſſo & aperto, & ad ſenſus animi explicandos maximè accommodato, ut rectè judicat Sixtus Senenſis.

7.) *Inductorium Morale*, quo agitur *de diverſis thematibus*, & *auctoritatibus*, & *quibusdam brevibus collationibus*.

8.) *Sermones* plures & doctè & eleganter compoſiti.

9.) Commentarius in Pſalmos perperàm ſub nomine Michaëlis Styguani editus.

Operum *Berchorii* editiones habemus complures: Baſileenſem an. 1515. Pariſienſem 1521. Venetam 1589. Colonienſem geminam an. 1620. & 1694. Inter has pro optima commendatur Pariſienſis quatuor in folio voluminibus comprehenſa. Præ hac tamen ſe correctiorem venditat nova Colonienſis an. 1730. & 1731. accurata, & VI. Tomis comprehenſa, quorum duo colligati tria volumina conſtituunt.

Scriptores, qui illius meminerunt. PETRI BERCHORII honorificam faciunt mentionem Trithemius de S. E. & Vir. Ill. O. S. B. Eyſengrenius in Catalogo Teſtium Veritatis pag. 143. ubi eum vocat Philoſophum ac Mathematicum clariſſimum, Rhetorem inſignem, Poëtam gravem, Hiſtoricum celeberrimum, & ſuæ ætatis ſubtiliſſimum Scripturarum divinarum interpretem. Sixtus Senenſis libro IV. Bibliothecæ Sanctæ. Antonius Poſſevinus Apparatu Sacro Tom. II. pag. 241. de Operibus Berchorii præclarè diſſerit. Caſimirus Oudinus de S. E. Tom. III. Sæc. XIV. pag. 1063. ſtudium ſacræ Scripturæ in Berchorio præ cæteris jure ac merito commendat. Joannes Schlitpacher vulgò de Weilheim, Prior Mellicenſis, virtute & doctrina inſignis de REPERTORIO Petri Berchorii loquens, *verè dicere poſſum*, inquit, *quòd beatus fuit venter, qui talem Monachum portavit*, & *genuit, qui præfatum librum compoſuit.* Vid. Bibl. Mellic. p. 412. Legi etiam meretur MICHAELIS XIMENII BARRANCONIS *Incognitus per ſe cognitus*, ſive Diſſertatio comparativa, in qua Petrum Berchorium verum eſſe auctorem Commentarii in Pſalmos diſputat. Madriti 1720. 8. Ejusdem *Incognitus apertiùs cognitus*, ibid. 1722. 8. & *Concluſio allegationis* in lite ſuper certitudine Autoris *Incogniti* in Pſalmos, ſive Supplementum duplicis Tractatus pro Petro Perchorio. ibid. 1728. 8. Vid. Fabric. Bibl. Med. Lat. Vol. 5. p. 222. & 728.

XXI.

ADAMUS ESTON S. R. E. Cardinalis.

Obiit 1397. die 20. Octobr.

ADamus de Eſton Anglus (quem Auberyus ortu nobilem, Ughellius plebeium dicit) Herefordiæ, percelebri Cambriæ urbe natus, quum eruditi & acris ingenii eſſet, facilè ſibi viam ad ſummos Eccleſiæ honores doctrinâ aperuit. Adoleſcens Divi Benedicti Inſtitutum Norwiaci amplexus, prima non minùs vitæ regularis, quàm literarum fundamenta inter Monachos ſub optimâ Magiſtrorum diſciplina jecit. Norwiaco Oxonium altioribus ſtudiis imbuendus miſſus, confecto feliciter Theologiæ curriculo, eandem facultatem ibidem poſt adeptam Lauream, obtentámque Cathedram magiſtralem ſecunda ſui nominis fama aliquamdiu docuit. Non modò Latinam, ſed & Græcam, atque Hebraicam linguam exactiſſimè callens, multa, quæ ad facilitandam Hebraicam ſpectant, eruditè conſcripſit. Fortunâ igitur comite ac virtute duce à Ri-

Ejus primordia.

Ad Epiſcopatū Londinenſem evehitur, & purpura donatur. *Richardo II.* Angliæ Rege ad epiſcopatum Londinenſem evectus, Romamque miſſus, paulò poſt ab *Urbano VI.* egregiis ejus animi dotibus capto, inſtante maximè Rege, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Cæciliæ adlectus eſt.

Inīæ conſpirationis ſuſpectus, Romæ exiſtens, cùm frequentiùs literas notis arbitrariis ſcatentes ad *Carolum Dyrrachium* exararet, eæq; ab obſervantiſſimo Pontifice ſemel atque iterum interceptæ, nec quid ſibi vellent, quidve innuerent, ab ullo vel diligentiſſimo interprete explicari poſſent, in ſuſpicionem commutatæ fidei, initæque conſpirationis apud Pontificem venit. Eapropter cum aliis quinque Cardinalibus apertæ proditionis reis, Luceriæ anno ſalutis 1385. Urbani juſſu captus, gravitérque tortus, cùm nihil ab eo, quod conſpirationem ſaperet, erui poſſet, reliquis mactatis, carceri mancipatur, ipſe in vinculis detentus eſt. Tandem in gratiam Richardi Regis, multùm de ejus vita ſolliciti, & quòd nihil aliud peccâſſet, quàm quòd Pontificem intolerabilis faſtûs & ſævitiæ inſimulâſſet, vel (*ut alii habent*) quòd ſciens conjurationem non detexiſſet, ac ſatis jam pœnarum ſuæ taciturnitatis expendiſſet, dimiſſus eſt ſub cuſtodia cujuſdam Clerici Cameræ Apoſtolicæ Galli, depoſitus tamen à Cardinalatu, & Sacerdotio privatus.

A Bonifacio IX. honoribus reſtituitur. *Urbano VI.* circa annum 1389. veneno ſublatô *Bonifacius IX.* Succeſſor, in primordio ſui Pontificatûs Regi gratificaturus, eum carcere exemptum, inſontémque declaratum dignitatibus omnibus reſtituit, ac cùm in Angliam properaret, Apoſtolicis literis magno Regni Angliæ conventui, uti virum Eccleſiæ utilem, pium, ac doctum, impensè commendavit.

Cùm verò ſub annum 1396. *Richardus* Joannem Henrici Lancaſtrii patrui filium ob quædam in ſe dicta (quibus ob nimias exactiones ſeditionem moliri attentaverat) bonis fiſco adjudicatis in exilium conjeciſſet, ipſéque paulò poſt à Baronibus Regni, Richardum exoſis, revocatus, motâ ſeditione illum cepiſſet, ac in carcere diu detentum fame tandem enecâſſet, Adamus Richardi partibus addictus, tumultum juxtà ac vitæ periculum declinaturus, convaſatis rebus Romam ſe contulit, ubi intemperantiùs ſtudiis ac elucubrationibus Romam reverſus moritur. intendens, contracto paralyſis morbo, non planè ſenex vivis exceſſit XIII. kalend. Novembris anno ſalutis 1397. tumulatus ad S. Cæciliam, cujus titulum Cardinalis geſſerat, cum hac ſequenti inſcriptione.

D. O. M.

ADAMO ANGLO TIT. S. CÆCILIÆ PRESBYTERO CARDINALI, EPISCOPATUS LONDINENSIS PERPETUO ADMINISTRATORI, INTEGRITATE VITÆ, DOCTRINA, ET RELIGIONE PRÆSTANTI. Ejus Epitaphium.

Artibus iſte Pater famoſus in omnibus Adam,
Theologus ſummus Cardiquenalis erat.
Anglia cui patriam, titulum dedit iſta Beata
Ædes Cæciliæ, morsque ſuprema polum.

Tradunt ferè omnes Angli Authores, qui de Adamo ſcripſere, Urbanum morti proximum palam de Adami innocentia teſtatum, vehementer ob illum malè habitum indoluiſſe; útque veniam commiſſorum moriturо concederet, ſubmiſſis oratoribus poſtulâſſe. *Ita Doct. Egſius in Purp. Doct. Lib. II. pag.* 468. ante quem aliùs Doctor, & Anglus quidem, de *Eſtono* literis ſequentia conſignavit:

Aliud ejusdem elogium ex Pitſeo. Adamus Estonus humilibus in Anglia natus parentibus, virtute, induſtria, doctrina ad ſummos in Eccleſia Chriſti pervenit honores. Adoleſcens S. Benedicti regulam amplexus, habitum illius Ordinis ſuſcepit, ſuo tempore profeſſionem edidit, & Ventæ Icenorum, id eſt, Norwici inter Monachos Monachus privatim ſimul cum diſciplina regulari, bonum literarum fundamentum jecit, & ſub optimis ibi præceptoribus, humaniores literas, unà cum rudimentis linguæ Græcæ gnaviter didicit. Qui ſtudiis ejus præfuerunt ut magiſtri, quíque quotidianis ejus exercitiis interfuerunt ut condiſcipuli, deprehenderunt in eo raram indolem, felix ingenium, maturum judicium, magnum acumen, tenacem memoriam, omnia naturæ dona ſummè perfecta, ſedulitatem & induſtriam mirificè promptam, & alacritatem nullo labore fatigabilem. Viſum eſt igitur expedire, ut ingenium ad majora natum, ad minima non deprimeretur, neque in humilibus detineretur animus aſpirans ad ſublimia. Miſſus eſt igitur Oxonium ad altiora ſtudia capeſſenda. Ibi primùm Mathematicas ſcientias, omnémque philoſophiam accuratè imbibit, non oblitus interea Græcarum literarum quotidianum exercitium. Ita ut peracto philoſophiæ curſu, videretur Græcus philoſophus, & alter planè Plato vel Ariſtoteles. Sed nec in iſtis ſecundis

ter-

tertiisvè (in quibus conſiſtere honeſtum eſt) conſiſtere potuit vir, primas conſequi & animo intendens, & totis viribus contendens. Alacriter igitur ſe ad Theologica accinxit ſtudia, ſimúlque linguam Hebræam addiſcere incepit, & tantos in utraque diſciplina fecit progreſſus, ut paucos eo tempore pares illi viderit Europa, ſuperiorem puto planè neminem. Quare non immeritò, ut cæteros taceam, honorificam de hominis perſona, de rebus ejus geſtis, & libris etiam ſcriptis mentionem facit in ſuis collectionibus *Joannes Stöw* Ord. S. B. Monachus etiam Norwicenſis. Doctrina igitur comite, virtute duce, ſautrice fortuna, fauſta illi omnia ſucceſſerunt. Rex illi contulit Epiſcopatum Herefordenſem, & paulò poſt Gregorius Papa undecimus eum creavit Presbyterum Cardinalem tituli S. Cæciliæ. Sed de his ſuo loco. Nunc ad ea, per quæ nomen ejus adhuc floret, & per quæ ipſe licèt mortuus, adhuc quodammodò vivit, veniamus. Multa enim partim ipſe ſcripſit, partim ex aliis linguis, Hebræa præſertim & Græca, in Latinam tranſtulit, & poſteris ad æternam nominis ſui memoriam reliquit.

Varia ejus Scripta.

Totum vetus Teſtamentum ex Hebræo vertit in Latinum,

Poſtillam Hebraicam. Lib. un.

Expoſitionem Levitici. Lib. un.

Hebraica Saraceni. Lib. un.

Hebraica Iarchi Salomonei. Lib. un.

Latinè ſcripſit de poteſtate Eccleſiæ.

Defenſorium Eccleſiæ. Lib. unum.

De electione Pontificis. Lib. un.

Modum conferendi beneficia. Lib. un.

Dialogum Regis & Epiſcopi. Lib. unum.

Perfectionem vitæ ſpiritualis. Lib. un.

Formam procedendi contra hæreticos. Lib. un.

Opus vitæ contra hæreticos. Lib. un.

De communicatione idiomatum. Lib. un. Incip. *Reor primùm cum Doctoribus ſanctis.*

De diverſitate translationum. Lib. un.

De veritate Catholica. Lib. un.

Meteora Ariſtotelis è Græco tranſtulit. Lib. quatuor.

De ſua calamitate. Lib un. Incip. *Dulciſſime Domine exſpectans exſpectat.*

Claruit an. Dom. Incarnationis 1390. dum Anglicani regni ſceptrum teneret Richardus ſecundus. *Pitſeus de Illuſtr. Angliæ Scriptor. æt. 14. pag. 448.* qui lectorem etiam remittit ad ſuum Londinenſium & Herefordenſium Epiſcoporum catalogum. Fallitur verò, cùm dicit, *Eſtonum* à Gregorio XI. creatum fuiſſe Cardinalem; hanc enim dignitatem ei contulit *Urbanus VI.* uti fidem facit Author Purpuræ Doctæ, cujus de *Eſtono* narrationem primo loco retulimus. Pitſeum feſellit *Baleus*, uti mox audiemus. Juvat enim cum Clemente (y) Reynerio doctiſſimum hunc Cardinalem verbis etiam deſcribere Balei, quamvis heterodoxi, & ut Montacutius de eo teſtatur, *impotentis linguæ & calami plerumque Scriptoris*, tamen quia hoſtis monachorum maximus fuit, in hoc negotio fidem facturi, præſertim quia videtur *D. Pitſeus* ejus verba per paraphraſin reddidiſſe: hic igitur de eo ſic ſcribit:

Adamus Eſton Benedictinæ profeſſionis Ventæ Icevorum, ſeu Nordovici monachus, & Oxonienſis Academiæ Doctor, ex ſingularibus Dei donis in noſtro Catalogo locum petit illuſtrem. Licèt hic tenui natus ſit parentela, vir tamen facundiæ & ſolidæ eruditionis fuit: tum præterea tam exactus philoſophus, ut ad omne diſciplinarum genus aptiſſimus videretur. Erat ille præter alias linguas, Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus, quod ea ætate pro miraculo haberi poterat. Hanc illi linguarum ac ſcientiarum virtutē non educatio, aut natura ipſa, ſed inſignis quidam labor & diligentia attulerunt. Unde Romam vocatus à Gregorio XI. fit ejus Eccleſiæ presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ. Circa añum verò à Chriſti Nativitate 1380. ſub Urbano VI., qui Gregorio ſucceſſit, incoñoda ſuſtinuit multa. Et ut *Theodericus à Niem* in primo libro de ſchiſmate cap. 57. teſtatur, Genuæ cum aliis Pontifex captivum illum reliquit. Poſtea tamen ad petitionem Richardi Anglorum Regis, & monachorum, qui pro eo ſcripſerant, è carcere demiſſus, ſed non liberatus, privatam atque pauperem duxit vitam, usque ad Bonifacium IX., qui in ſtatum priſtinum ipſum tandem repoſuit.

Balæi de Adamo Eſtono relatio.

Plura *Adamus* ſcriptis commendavit, ſcilicet *Latina*: De communicatione idiomatum. De ſua calamitate. De poteſtate Eccleſiæ. De electione Pontificis. Defenſorium Eccleſiæ. Per-

De ejus Scriptis.

(y) Diſcept. Hiſt. de Antiq. Bened. in Anglia pag. 223.

Perfectionem vitæ ſpiritualis. Modum conferendi Beneficia. Formam procedendi contra hæreticos. Opus vitæ contra hæreticos. Dialogum Regis & Epiſcopi. De diverſitate translationum. De veritate Catholica *Græcè.* Meteora Ariſtotelis ex Græco. *Hebraica* verò ejus: Alphabetum Judæorum, Hebraicè. Textum Hebraicum Bibliorum. Poſtillam Hebraicam. Pſalterium Hebraicum. Expoſitionem Levitici. Hebraica Saraceni. Hebraica Salomonis Iarchi. Et alia plura habuiſſe ac ſcripſiſſe dicitur. Claruit anno à Chriſti Servatoris adventu in carnem 1390. in Anglia regnante Richardo ejus nominis ſecundo: & fertur totum vetus Teſtamentum ab Hebræo in Latinum illis diebus tranſtuliſſe. Hæc Baleus, cujus teſtimonium credibile nimis eſt contra ſeipſum, & hæreſim ſuam, cùm virum tantum Congregationis Anglicano-Benedictinæ decus inſigne collaudet, tam excellenti præconio, quem non diffitetur ſectariorum hoſtem acerrimum, & Romanæ Eccleſiæ obſervantiſſimum fuiſſe.

Godwini de iisdem judicium.

Interpretabitur *Godwinus* Balei verba de Scriptis *Adami* Cardinalis: ſic enim de illo ſcribit: *Multa ſcripſit, utpote vir egregiè eruditus, ſapiens, in rebus gerendis dexteritatis eximiæ, & linguæ tam Græcæ, quàm Hebraicæ (quod in illo ævo mireris) apprimè peritus.* Quapropter ob dotes animi ſingulares & merita ſua ſine ullo gratiæ reſpectu, Cardinalis creatus eſt ſanctæ Cæciliæ. Et *poſtea:* Volumina reliquit à ſe conſcripta pluſquàm viginti, quorum pars maxima vel Hebræâ linguâ exarata ſunt, vel translationes fuerunt alienorum Operum ex Hebræa in Latinam linguam, vel ſaltem de Lingua Hebræa conſcripta ſunt. Inter cætera verò, ſi taceam Officium Viſitationis B. Virginis ab eo compoſitum, metuo, ne ſuccenſeant mihi Pontificii noſtri. Hæc Godwinus, ex quo intellige, quantæ diligentiæ vir fuerit, qui ſua manu adhuc monachus Biblia Hebræa & Gloſſam Salomonis Iarchi Hebræam deſcripſerit; quantæ eruditionis, qui alia opuſcula à Baleo citata in Hebræa Græcáque lingua compoſuerit; quæ niſi ejus opera cognoviſſent, nunquam certè illi tantum laudis attribuiſſent, qui paſſim noſtris (utpote quibus in fidei ſimplicitate ſatis fuit Hieronymum Hebraicè, quod ſufficit Chriſtianis, ſciviſſe) Hebrææ linguæ ignorantiam, paſſim monachis otioſitatem & ignaviam ſoliti ſunt objicere. Et illa ſanè maxima laus eſt hujus monachi noſtri (primum fortaſſis poſt Hieronymi tempora) totius Canonis Hebraici libros de Hebræa in Latinam linguam vertiſſe.

XXII. BASILIUS VALENTINUS.

Vixit anno 1413.

Natione Germanus.

IN Germania ſuperiore, &, ut vulgaris habet opinio, in Alſatia natus ſeculo XIV. exeunte floruit *Baſilius Valentinus*, celebre nomen in aula tum Cæſaris, tum aliorum Germaniæ Principum adeptus. Sub hujus verò ſeculi finem potiſſimùm claruiſſe, illud argumento eſt, quòd *Luis Venereæ*, quæ circa illa tempora initium à Gallis militibus babuit; mentionem faciens, novum, ſuóque ævo recèns graſſantem morbum non modò appellet, ſed ad illum etiam medicamenta præſcribat. Ex aliquorum opinione in Alſatia, patria ſua, aut, quod multò propiùs fidem eſt, Erpbordii, primaria Thuringiæ civitate, in S. Petri cœnobio potiſſimam ætatem egit.

Monachus

Hîc religioſæ vitæ cultum ampliùs etiam inſigni Sodales juvandi ſtudio condecoravit.

Coofratrem ope Chymiæ à calculi doloribus liberat.

Erat inter illos, quem nephritici à calculo dolores miſerè excruciabant, ita ut ſæpè æger lecto affigeretur. Hujus à medicis deſtituti miſertus Baſilius pertinaci Chymiæ ſtudio medicinam invenit, quâ ægrotum denique ſanitati reſtituit.

Compoſtellam peregrinatur.

Longè etiam latéque totâ Europâ, maximè Compoſtellam ad D. Jacobi limina peregrinatus eſt; tametſi hac de re, cæteríſque circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, & id genus aliis nullam in libris ſuis inſerat mentionem. Aliis prodeſſe magis, ut vir erat eximiæ charitatis ac religionis, quàm celebri nominis gloria inclytus haberi ſtuduit. Vitam ad annum 1413. produxiſſe ex Gudeni Hiſtoriâ Erſordienſi diſcimus.

Ejus mortis tempus incertum.

Quo autem anno diem ſupremum obierit, neminem non fugit, cùm à tricennalis belli tempore, quo miles Suecus Petrenſe Monaſterium expilavit, amplior de Baſilio notitia cum monachorum elencho aliíſque manuſcriptis documentis in deperditis habeatur. Immeritò verò factum, ut propterea viri quidam eruditi, an ullus unquam Baſilius in orbe terrarum extiterit, in dubium vocaverint.

Sunt, qui eum extitiſſe omnino negant.

Certè Vincentius Placcius (z) eum in numerum Scriptorum Pſeudonymorum referre non dubitavit. Sed quæ cauſæ virum impulerint, ut hoc faceret, ex eo intelli-

gere,

(z) pag. 111.

gere, operæ pretium eſt, maximè cùm ejus Opus, cæteroquin præclarum, in multis Benedictinis Bibliothecis deſiderari non neſciam. Sic verò ſcribit:

BASILIUS VALENTINUS, Monachus Benedictinus (cujus libri Chymici plurimi recenſentur apud *Borellum*, Biblioth. Chymicæ p. 212. & ſeqq. nec non apud *Draudium*, titulis variis, *Lindanum* pag. 93. & jejunè apud *Schenck* pag. 43. Biblioth. Med.) nullus unquam in rerum natura fuiſſe quibusdam creditur. *Morhofius* ſanè in Epiſtola elegantiſſima de Metallorum transmutatione, hîc Hamburgi anno ſuperiori edita, p. mihi 133. omnia de ipſo incerta eſſe teſtatur, quanquàm diligentiſſimè in ejus Hiſtoriam inquiſitum fuerit ab Imperatoribus Germanicis. Certè Dominus *Martinus Fogelius* Ph. & Med. Dr. aliquoties mihi, ſed pro merito nunquam dignè laudatus, ex Domino *Raſchio*, Med. olim Doctore, ſe plus ſemel audiviſſe, mihi confirmavit, nullũ ejus nominis Monachum Benedictinum fuiſſe. Quandoquidem nec in Catalogo Benedictinorum Provinciali Erfurti, neque in Generali Romæ nomen hoc à ſe fuerit inventum. Arbitrari verò ſe, quendam hoc nomine latitare voluiſſe ex familia Johann. Tholdeni Heſſi, cujus *Haligraphia* Germanica, ſive *Beſchreibung aller Salz-Mineralien*, Erſurti 1612. in 8. edita Chymiæ notitiam non proletariam arguit. Quicquid autem ejus ſit, certè librum illius *Baſilii* nomine venditatum *de incrementis & decrementis Metallorum* & cum *clavibus* 12. impreſſum, *Andreæ* de SOLEA ſeculo integro antiquiori deberi, docet modò laudatus *Morhofius* p. m. 9.

Idem repetit *Morhofius* Polyhiſtoris liter. lib. I. c. IX. p. 85. 86. Sed in tantum mutata ſententia, ut credat A. *de Solea* Nomen eſſe Anagrãma Joannis *Toldeni*, veri ſcripti hujus Auctoris; vid. allegat. ſub lit. (*a*) Sed *Leibniz.* Epiſtola quadam data Hannov. 1690. d. 27. Junii, interpolata tantum à *Tholdio* credit Perſonati Valentini *Baſilii* ſcripta, quanquam non tam vetuſtum auctorem eſſe largitur, quàm quidem ille videri vult. vid. lit. (*b*) Et extitiſſe omnino *Baſilium Valentinum*, ex Curioſorum quorundam relatione per D. *Waizium* certus factus *Reiberus* docet, ut in recenſione diſſertationis Reiherianæ de Nummis Chymicis animadvertunt, *Monatliche Unterredungen* 1693. p. 617. ſub lit. (*c*) & 1689. p. 36. 37. 44. Cum *Leibnizio* facit *Bibliotheque Univerſelle* Tom. 13. de l'an. 1689. p. 206. ſub lit. (*d*) itémque *Nouvelles de la Rep. des Lettres* du Fevrier 1689. p. 176. ex *Tollio* ſub lit. (*e*). Scripta hujus Baſilii Valentini vide apud *Mercklin* in Linden. renov. Lib. I. p. 120. qui Monachum Benedictinum appellando indicat ſatis, ipſi hunc Scriptorem non perſonatum, ſed verum videri: æquè ac *Olao Borrichio* Conſpectus Chymicor. Illuſtr. §. XLIV. p. 30. qui notabilia refert, & caſtratum ejus artificis ſcriptum ſuſpicatur. De quo mirabilem hiſtoriam probat Sam. Reyherus Tr. de nummis ex Chymico metallo factis cap. XXXVI. p. 136. §. 22. & ſequentibus, qui legi meretur.

(*a*) Morhof Polyhiſt. literar. Lib. I. Cap. IX. p. 85. 86.

In his (Pſeudonymis) Baſilius Valentinus, magnus hujus artis antiſtes) ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ *moneam (quibusdam numeratur. Ego ipſe quondam in illa fui ſententia, ac confirmat Raſchii teſtimonio Placcius in Pſeudonymorum catalogo p. 159. qui nec in catalogo Benedictinorum Provinciali Erfurti, neque in Generali Romæ nomen hoc invenerit. Raſchius aliquem ex familia Johann. Tholdenii Heſſi ſub hoc nomine latitare voluiſſe exiſtimavit. Sed in aliam nunc ſententiam penè impellit Gudenus ipſe Erfurdienſis, qui in Hiſtor. Erfurdenſi lib. 2. p. 129. ita ſcribit: Eadem ætate, ſc. An. 1413. Baſilius Valentinus in Divi Petri monaſterio vixit, arte medica & indagatione naturali admirabilis. Addit quidem Gudenius ipſe ab his ſacris alienior: Inſuper iis accenſetur, quos in augmentum ſpei nominant aurum confeciſſe. Sic aliena dementia poſt ſecula fallit, ideò minùs culpabilis, quòd non niſi decipi amantes facultatibus exuat. Verùm ut iis verbis demonſtrat, illum rerum, quas proponit Baſilius, notitiam non habuiſſe, ita ſuffragium tamen idoneum præbet, quendam ejus nominis vixiſſe in Divi Petri monaſterio. Librum tamen illum de incrementis & decrementis metallorum, qui Baſilio Valentino vulgò tribuitur, ſed cujusdam de Solea nomine apud amicum editum vidi, & quidem in 4.to Suſpicionem hoc de Solea nomen mihi movit, quoniam de Tholdeno aliorum opinio eſt, an non fortè in illo Johannis Tholdeni nomine lateat: Et ſanè integrum illud nomen de Solea in nomine Joannis Tholdeni occultatur: quæ verò ſuperſunt literæ, nullum formare prænomen poſſunt, atque nunc memoria*

excidit, quale in libro illo edito fuerit. Fortaſſis aliud quoddam aſſumpſit, eo contentus, quòd nomen quodcunque è ſuo exſtruxerit.

(*b*) Leibniz Epiſt. data Hannov. 1690. d. 27. Jun.

Baſilii Valentini nomen eſſe fictitium, & de duobus effectibus primariis lapidis Philoſophorum jactoti ſumtum divitiis Regiis, & perfecta valetudine, dudum ſuſpicatus ſum, & Cl.mo Tollio ſententiam meam aperui; qui ab ea non videbatur abhorrere, idque nuper indicavit in libello edito titulo ſapientiæ inſanientis. Neſcio an Rudolphus Imperator, ut narrat Tollius, in Monachi hujus crediti res inquiſierit, illud ſcio Joh. Philippum Electorem Moguntinum Erfordia potitum inveſtigari juſſiſſe apud Benedictinos ejus civitatis, ſed fruſtra. Ego, ut verum fatear, an ſcriptor ſit tam antiquus, qui, ut ipſe videri vult, libros ſuos compoſuerit eo tempore, quo lues venerea innotuit, anceps hæreo; dictio enim Germanica recentius aliquid ſpirat, niſi dicere malimus, fuiſſe ſcripta Baſilii à Johanne Tholdio interpolata. Hic enim quorundam editor habetur. Et ſunt, qui credunt, Tholdium cognatione junctum auctori, quædam ex ejus ſchedis in Haligraphiam ſuam tranſtuliſſe.

(*c*) *Monatliche Unterredungen* 1693. pag. 617. 618.

Wir laſſen demnach dieſe ungewiſſe und betriegliche Dinge fahren, und kommen mit dem Herrn Reyher auf den Baſilium Valentinum, *welchen etliche gar nicht auf der Welt geweſen zu ſeyn glauben. Herr* Dr. *Waiz aber hat an ihn überſchrieben, daſs er von allen* Curioſis *verſichert worden,* Baſilius *habe ſich eine geraume Zeit würcklich zu Walckenrieth aufgehalten, und bey damahligen Cinnober Bergwerck-Bau zu der* via humida *gute Gelegenheit bekommen; von welchen allen Herr* Dr. *Waiz viel* ſingularia *beygefüget, und mit einem alten Gemählde zu Walckenrieth im Creuzgange nach der Kirchen beſchleuſt, darinnen der Meiſter der erſtmahligen Tinctur mit allen* Figuris *in kleinen Thieren, als Tauben, Löuen und dergleichen, unter fünff Bögen zu ſehen, ſo ſehr rar iſt, und weil es noch in ſeiner natürlichen Farbe ſtehet, da das andere faſt alles ruiniret iſt, ſo iſt es bis dato recht fatal. Wir haben auch einmahl vom* Baſilio Valentino *gehandlet, fuhr* Leonardo *fort, im* Januario p. 36. 37. & 44. *und in Zweiffel geſtellet, ob er zu Erffurt im Peters-Kloſter gelebet, weil* Raſchius *im* Catalogo *der Benedictiner daſelbſt ſeinen Namen nicht finden können. Nach der Zeit aber bin ich deſſen abermahl verſicheret worden, und als ich die Exception mit dem* Catalogo *machte, ward mir zur Antwort, die Schweden, als ſie im 30. jährigen Kriege Erffurt inne gehabt, hätten den* Catalogum *mitgenommen: Doch wäre vor wenig Jahren noch ein Manuſcript von ihm auf dem Peters-Berg vorhanden geweſen, welches die Capuciner einmahl geborget, aber man wüſte nicht, wo es hernach weiter hinkommen. Ob aber* Baſilius Valentinus *in dem Walckenrietbiſchen Kloſter ſich jemahls aufgehalten, laſſe ich dahin geſtellet ſeyn. Im* Eckſtormio *kan ich nichts finden. Ja derſelbe ſezet die Erfindung der Ciñober-Minen erſt um das Jahr Chriſti* 1569. *da doch* Baſilius Valentinus *nach* Gudeni *Rechnung, ſchon* an. 1413. *zu Erffurt floriret.*

(*d*) Bibliotheque Univ. Tom. 13. de l'an. 1689. p. 206.

„ La plûpart de ceux, qui ont lû „ les livres de Baſile Valentin, ont crû, „ que c'etoit un Moine de l'ordre des „ Benedictins: Mais M. Tollius fait „ voir, qui l'êtoit inutile à l'Empereur „ Maximilien de faire chercher ce pretendu Moine & ſon Convent dans „ ſes états; Cet Auteur introduit ſouvent le *Mercure Philoſophique* que les „ Philoſophes appellent Baſilius ou Regalis, fils de Regale parlant ſous ce „ nom. Il ne s'apelle pas Valentin de „ la Ville de Valence, comme on ſe l'„ eſt imaginé, mais du verbe Latin *Valere*, qui ſignifie *être puiſſant*, parce „ que ce Mercure penetre, engendre, nourrit, augmente, change & „ renouvelle toutes choſes.

(*e*) Nouv. de la Rep. des Lettres Fevrier 1689. p. 176.

M. Tollius prétend neantmoins, que tout y eſt allegorique juſqu' au Nom de *Baſilius Valentinus*, que tout le monde prenoit bonnement pour le Nom de l'Auteur; au lieu que, ſelon Mr. Tollius, c'eſt le Nom de l'Auteur; c'eſt le Nom qui donne au Mercure Philoſophique, dont la Nature & l'Excellence ſe trouve exprimé par l'Etymologie de ces deux mots.

Raſchii

Raſchii argumentum refellitur.

Raſchii argumentum nervo caret. Quòd enim Baſilium in rerum natura extitiſſe neget per eam cauſam, quòd ejus nomen nec in Catalogo Benedictinorum Provinciali Erfurti, neque in Generali Romæ à ſe fuerit repertum, nihil dicit. Prior enim Catalogus à Sueco milite interiit; Generalis autem Catalogus Monachorum Benedictinorum nullus babetur. Eat Raſchius Romam, & quærat meum nomen Romæ. Quid reſponſi feret? Haud abſimile ferè ab illo, quod aliquando S. Paulus tulit. Is enim *cùm Epheſum veniret, & inveniret quosdam diſcipulos, dixit ad eos: Si Spiritum S. accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt audivimus.* Ita ſi Raſchius Romæ quæreret nomen Patris Ziegelbauer, reſponderetur ei: Sed neque ſi Pater Ziegelbauer eſt, audivimus. Nullus enim Generalis Catalogus Romæ habetur, cùm Benedictini Germani nec Romæ, nec in Germania uſpiam ullum habeant Generalem, qui Ordinis ſui monachorum nomina ſyllábo intexta habeat. An verò, quòd Romæ nomen meum ignoretur; ideò in rerum natura non exiſto? Valeat igitur Raſchius cum ſuo argumento, cujus tamen authoritate & teſtimonio alii nituntur. Nec Morhofius, nec Leibnitzius, nec Bibliothecæ univerſalis author certa argumenta, ſed meras ſuſpiciones & conjecturas afferunt. Cuinam igitur credamus? cùm omnium ſit eadem fides. Certè quia non liquet, utri credendum, ſatius fuerit, neutri fidem adhibere. Maneat Ordini Benedictino Baſilius Valentinus, donec certioribus argumentis eidem eripiatur. In dubio, maximè ex ſuſpicionibus tantùm & conjecturis excitato, melior eſt conditio poſſidentis. Plura verò de *Baſilio Valentino* diximus libro præcedente, Capite III. Sectione I. quò Lectorem remittimus.

SCRIPTA

Alia ſunt *Medica*, alia *Chimica*. Priorum Catalogum dabimus ex Georg. Abrah. Mercklini Lindenio Renovato de Scriptis Medicis pag. 120. poſteriorum ſyllabum texemus ex Petri Borelli Bibliotheca Chimica pag. 212.

Medica.

Azoth, ſive Aureliæ occultæ partes duorum Philoſophorum materiam primam, & decantatum illum Lapidem Philoſophorum filiis Hermetis, ſolidè, perſpicuè, & dilucidè explicantes, per Ænigma Philoſophicum, Colloquium Parabolicum, Tabulam Smaragdinam Hermetis, Symbola, Parabolas, & Figuras Saturni, M. Georgio Beato interprete. Francoſ. apud Johan. Bringerum 1613. in 4. Extant etiam volumine quarto Theatri Chemici editi Argentorati, apud Lazarum Zetznerum, 1613. in 8.

Opus præclarum ad utrumque. Quod pro Teſtamento dedit Filio ſuo adoptivo. Extat eodem vol. quarto Theatri Chemici, 1613. in 8.

Practica unà cum XII. Clavibus, & Appendice, ex Germanico in Latinum translata. Extat cum Tripode aureo à Michaële Meyero edito. Francoſ. apud Lucam Jenniſium 1618. in 4. Extat etiam cum Muſæo Hermetico Reformato & Amplificato Francofurti apud Hermannum à Sande, 1677. & 1676.

De Microcoſmo, déque magno mundi myſterio & Medicina hominis, Liber geminus; recens ab Angelo Medico Latinitate donatus cum Interpretis Aphoriſmis Baſilianis & Præfatione Philoſophica ad Illuſtriſſ. Princ. D. Auguſt. Anhaltinum Marpurgi, apud Wolſgangum Kezelium, 1609. in 8.

Apocalypſis Chymica. Erfurti. 1624. in 8.

Currus Triumphalis Antimonii, Commentario illuſtratus & Latinitate donatus à Theodoro Kerckringio. Amſtelodami apud Andream Friſium, 1671. in 12.

Tractatus Chymico-Philoſophicus de Rebus ſupernaturalibus & Naturalibus Metallorum & Mineralium. Francofurti, 1676. in 8.

Chimica.

Claves Philoſophiæ 12. Item Gallicè cum aliis ejus Opuſculis.

Ejusd. Dialogus Fratris Alberti cum ſpiritu.

Ejusd. Currus triumphalis Antimonii.

Idem cum notis Pet. Fabri & aliis tractatibus. Ejusd. Valentini.

Idem de Tincturis, &c. Vide Fabri & Majeri Tripodem, ut & Poterium.

Idem Gallicè, Revelation des teintures des 7. metaux, Lutetiæ apud Jacq. Sanlequium eruditum Typographum 1646. à Paris traduit par Iſrael Med. Allemand.

Ejusdem

Ejusdem Lib. de Microcoſmo, magno mundi myſterio, & hominis Medicina, Marpurgi 1609.

Idem, de Azoth Philoſophorum, ſeu aureliis occultis &c. Francof. 1613. in 4.

Ejusdem Concluſiones cum notis Pet. Fabri ſupra memorato libro.

Ejusdem Praxis Chimica.

Les 12. Clefs de Philoſophie à Paris in 8. 1624. avec l' Azoth des Philoſophes.

Revelation des myſteres des teintures eſſentielles des 7. metaux, & de leurs vertus medicinales par Baſile Valentin Religieux de S. Benoiſt, traduit de l'Allemand par J. Iſrael Med. Allemand, à Paris, chez Jacq. de Senlecque 1646. Notez que les deux premiers chap. y manquent, & que le vray titre eſt: Traité des choſes naturelles & ſurnaturelles.

Ejus Practica & 12. Claves cum Tripode aureo Majeri.

Sermones Concluſini, Germanicè.

Idem de Sulphure & fermento Philoſoph. &c.

Teſtamentum ejus, Germanicè.

Sed quis hîc non videt, quòd in utroque Syllabo eadem ferè Opera recenſeantur? ita & Medici & Chimici præcellentis hujus Autoris Scripta ſibi attribuunt.

XXIII.

Obiit anno 1425.

VENERAB. NICOLAUS de Mazen Abbas Mellicenſis.

Ejus natales & patria.

HAuſtæ primùm à Nicolao lucis annus & dies pro comperto non habentur. Vero tamen ſimillimum eſt, ipſum circa annum MCCCLX. vitam adiiſſe. Patria Nicolao Auſtria fuit, domum Mazenum non incelebris in Campis Marchiacis locus præbuit. Patri nomen fuit Leonardo Seyringer; matris ignoramus. A parentibus Viennam miſſus eſt, ut in ejus nova, & jam tunc celeberrima Academia bonarum artium imbueretur diſciplinis. Decurſis humaniorum literarum ſtudiis, Philoſophiæ primùm, tum Theologiæ operam dedit, Magiſtro & Profeſſore uſus, inclyto illo Carthuſiani Ordinis lumine, Henrico de Langenſtein, vulgò de Haſſia. Tantum verò in rerum divinarum cognitione progreſſus fecit, ut Ss. Theologiæ Baccalaureus, qui honor ea ætate propemodùm ſummus erat, crearetur. Quin, quod multò majus eſt, non modò Baccalaureatûs inſignibus, ſed & Rectoris Univerſitatis Viennenſis munere exornatus fuit anno Chriſti MCCCCI. Florebat igitur ea ætate Nicolaus, fruebatúrque doctiſſimorum hominum, ut credere par eſt, aut uſu, aut amicitia, quales erant Leonardus Schauer Decretorum Doctor, Wolfhardus Mayr Licentiatus in Artibus, M. Colomannus Kolb, M. Colomannus de Nova Villa. Stephanus de Enzesdorff Canonicus Viennenſ. Conradus de Pewrn Decretorum Doctor, Hermannus & Petrus de Treyſa, quorum ille Medicinæ, hic Theologiæ Doctor. M. Lambertus de Geldria, Caſparus de Mayſelſtain Decretorum Profeſſor, Nicolaus de Dinkelſpihl &c. qui ſimul omnes uno, eodémque tempore Academiam Viennenſem aut honoribus, aut eruditione ſuâ, doctrinâve illuſtrârunt. At enim alia, ſublimiorique flammâ in Nicolai præcordiis ardente, factum eſt, ut is poſito ſupremo Academiæ honore mundanis rebus nuntium remitteret, ac in Monachorum Ord. S. B. cœnobium ſe includeret. Erat illud non in Germania, ubi veteris à Majoribus acceptæ diſciplinæ ſplendor ferè omnis extinctus fuerat, ſed in Italia ſitum; nempe Sublacenſe S. Benedicti Monaſterium, quod à regularis vitæ obſervantia celeberrimum habebatur. Monaſticam veſtem in eo circa annum 1403. induit. Brevì verò increbreſcente ſanctitatis & doctrinæ fama, Benedictus XII. Nicolaum ita charum habuit, ut illo nemo aptior, qui in monaſterio S. Annæ non procul Neapoli poſito Prioris munere fungeretur, hujus judicio repertus fuerit.

Studiorum causâ Viennam miſſus

Ss. Theol. Baccalaureus,

& Rector Univerſitatis creatur.

Sublaci monaſticam veſtem induit.

Monaſterium S. Annæ ſibi commiſſum

In hoc Monaſterio Nicolaus ſibi omnino ſimilis eo animo contentionéque priſtinæ diſciplinæ rigorem perſecutus eſt, ac curatè commiſſorum ſibi cœnobitarum mores ad S. Regulæ amuſſim exegit, ut veluti recens quidam exortus ſol ſanctitatis ſuæ radios non ſolùm per univerſam Italiam, ſed Germaniam quoque ac Sarmatiam longè latéque ſpargeret. Sanè exiguum ac pertenue illius Monaſterium, *in quo*, verba ſunt Nicolai Dinkenſpihylii ad Albertum V. Auſtriæ Ducem in conſiliis de Reform. (a) *ſecundùm rigorem Regulæ vivitur, & ſecundùm Sanctorum Patrum primaria inſtituta*, Sacri & Oecumenici Concilii Conſtantienſis Patribus armamentarium quoddam viſum fuit, & ſanctorum

optimè regit.

(a) Chron. Mellic. pag. 309.

ctorum hominum ſeminarium, ex quo ductis ſubinde coloniis diverſorum regnorum Ord. S. Benedicti Monaſteria primævo flori & integritati reſtitui poſſent. Hinc cùm ab Andrea Laſchari Electo Poſnanienſi à Concilio Conſtantienſi peterentur viri, quorum operâ ſuæ diœceſis monaſteria ad rectam vivendi formam reducerentur, Patres gloriæ S. Patris Benedicti ſtudioſiſſimi non aliunde hujusmodi athletas, quàm ex S. Annæ monaſterio evocârunt.

Ad Concil. Conſtantienſe veniens

Concilii Conſtantienſis Patribus mox paruit Nicolaus, deductáque inſigni præſtantium virorum colonia circa an. 1416. Conſtantiam profectus eſt. Ibi, quantum Venerabilium Patrum exſpectationem ſuperârit, incredibile dictu eſt. Sanè multi, cùm de Pontifice Summo eligendo publicè tractaretur, de Nicolao Sedi Romanæ imponendo cogitarunt. Sic enim legitur in Codice MS.to Bibliothecæ Mellicenſis: *Nota quòd Dominus Nicolaus Magiſter artium, & Baccalarius in Theologia in electione Domini Martini in Papam in magno Concilio Conſtantienſi habuit multa vota ad Papatum, ſed Dominus Martinus prævaluit, qui dictus fuit priùs, ut puto, Odo, ſeu Otto de Columna.* Hoc Sanctorum Conſtantienſium Patrum de Nicolao judicium non poteſt non piiſſimi viri famam, exiſtimationémque in immenſum augere. Siquidem id unicum electoribus propoſitum erat, *ut eligerent virum ſanctum & idoneum, in cujus humeris cum pace & unitate Eccleſia quieſceret*; quæ ferè verba ſunt anonymi ſynchroni in Actis Pontific. à Bollandianis in Conatu Chronico-Hiſtor. ad Catal. Pontif. relatis pag. 113. præterea ſatis conſtat ex eodem authore, Martinum V. virum omni exceptione majorem fuiſſe.

Pontificiâ tiara dignus à nonnullis judicatur.

Ad inſtantiam Alberti Ducis

Cæterùm reliquis omnibus, qui Nicolaum à Venerabilibus Concilii Conſtantienſis Patribus impetratum ferventiſſimè iverunt, anteivit, demúmque prævaluit pientiſſimus religioſiſſimúsque Auſtriæ Dux Albertus V. Ei pro more religioſiſſimæ gentis ſuæ novum quoddam Monaſterium condere molienti à prudentioribus, ſanioribúsque, quos à conſilio habebat, viris perſuaſum fuit, ut omiſſis novis curis in id unicè animum intenderet, qua ratione Monaſteria anteceſſorum ſuorum ope condita, dotatáque, quæ à monaſticæ vitæ, ſanctiorúmque morum regula deſcivêre, quàm diligentiſſimè reſtituerentur. Nec optimo Principi conſilium diſplicuit; cui ut quantocyùs obſequeretur, ipſa brumali tempeſtate Legatos Conſtantiam ad Martinum V. miſit, qui Ven. Nicolaum de Mazen in Auſtriam adducerent. Iſti à Pontifice non ſolùm beniſſimè accepti, ſed mox voti quoque ſui compotes redditi ſunt. Eo fine Nicolaum ad ſe Martinus evocat, explicatáque chriſtianiſſimi Principis voluntate ad ſuſcipiendam ſui in Auſtria Ordinis provinciam adhortatur, & quò negotium hoc de ſe ſatis arduum, & ſexcentis veluti ſpinis obſitum alacriùs, faciliúsque expediret, ſingularibus favoribus & privilegiis munit, poſtremò, ſanctiſſimum virum pectori non ſine multis lachrimis admotum Auſtriacis Legatis unà cum aliis quinque monachis committit. Sub initium veris Viennam delatus Alberti oculos, animúmque primo congreſſu ità in ſe convertit, ut eum non aliter, ac munus ſibi divinitùs datum complexus ſit. Rebus deinde ad ſanctiſſimum auſpicandæ reformationis negotium conſtitutis, Mellicio Abbas præfectus fuit. Quæ verò & quanta cum ſumma laude juncta ſuo in regimine Nicolaus geſſerit, non eſt hujus loci pluribus commemorare. Paucis: nihil non egit, quæ Abbatem omnibus numeris abſolutum decerent, ſuósque non tam verbis, quàm exemplo ad obſervantiam regularem induxit. Quo factum, ut eo tempore Monaſterium Mellicenſe veluti ſeminarium quoddam eſſet virorum virtute & eruditione præcellentium; fervebant bonæ literæ, ſtudium potiſſimùm ſacrarum Scripturarum, conſcribebantur hiſtoriæ tum ſacræ, tum profanæ, nec poëtica negligebantur. Hinc tanta manuſcriptorum moles ad hunc usque diem apud Mellicenſes exſtat, tanta literarum elegantiſſimarum cura, ut nullum non paulo eruditiorem hoſpitem in admirationem traducant.

miſſus à Martino V.

coloniam deducit in Auſtriam.

Factus poſtea Abbas Mellicenſis.

Virtus & individua illius comes fama effecerunt, ut anno 1423. inter diſcordiam Capitularium Patavienſium de novo eligendo Epiſcopo Albertus V. Dux Auſtriæ inter reliquos pro Epiſcopatu Patavienſi Nicolaum de Mazen, ſecundo loco Summo Pontifici commendaret. Etſi verò, contranitentibus æmulis atque adverſariis, ad Epiſcopalis dignitatis gradum non aſcenderit, perpetua tamen, & nunquam intermoritura ipſius laus & glo-

ſeptemdecim monaſteria reformavit.

ria eſt, quòd ſeptem ſupra decem monaſteria, magno Benedictini Ordinis bono, reformaverit. Quibus laboribus confectus, relictis rebus mortalibus, omnibus ſuis mœſtiſſimo orbitatis luctu impletis ad exoptatam immortalitatem diſceſſit, Vindobonæ eadem die, hora, & anno, quo ejus parens Conradus Seiringer nonagenarius, anno ſcilicet 1425. ipſa nocte Domini natalitia, hora prima mane, ab hominum vita demigràſſe fertur, vir ſanè æternâ memoriâ & nunquam intermorituris laudibus digniſſimus. Amborum cadavera Viennâ Mellicium ſunt transportata, ibidémque, quòd in morte non ſunt ſeparata, in eodem tumulo honorificè fuerunt condita.

vitâ cedit an. 1425.

Opera.

1.) Reliquit Nicolaus non contemnendum Opus, quod *formulam de practica regulari obſervantia* inſcripſit.

2.) *Ceremoniæ regularis obſervantiæ Ordinis SS.mi Patris Benedicti ex ipſius Regula ſumptæ, ſecundùm quod hodie in ſacro Monaſterio ſuo Sublacenſi & Specu practicantur.* Vulgatum eſt integrum in Chronico Mellic. Anſelmi Schramb.

3.) *Gloſella ex Petro Boërio exſcripta in Regulam S. P. Benedicti* Conſtantiæ 1418.

4.) *Literæ, Confraternitatis* cum Monaſterio S. Dorotheæ Viennæ.

5.) *Literæ quibus Chriſtiano Eybenſteiner Titulus menſæ* confertur.

6.) *Literæ confraternitatis indultæ Dominæ Eliſabethæ viduæ Henrici Baronis de Zelking.* *Germanicè*, datæ 1420.

Videbatur etiam Bernardo Pezio Nicolaus Auctor Regulæ fratrum *Converſorum Laicorum*, quæ mſ.ta in Bibliotheca Mellicenſi aſſervatur. Vide hæc omnia uberiùs apud Cl. Kropfium in Bibl. Mellic. pag. 135. ſeqq.

XXIV.
JOANNES LIDGATUS.

Obiit circa ann. 1440. Natione Anglus. Monachus S. Bened.

Joannes Lidgatus, id eſt, ex oppido Lidgat, Comitatus Suffolcienſis in Anglia natus, Ord. S.B. Monachus in celeberrimo cœnobio Burienſi ad S. Edmundum in dicto Comitatu. Unde, ut inquit Pitſeus, non benè ponit eum inter Auguſtinianos Joſephus Pamphilus in ſuo Chronico. Poſtquàm ſcholas diu frequentàſſet, & ſatis felices domi feciſſet in re literaria progreſſus; ut ſimul cum ſtudiis linguas peregrinas addiſceret, & exterorum mores experiretur, Academiam Pariſienſem inviſit in Gallia, & Patavinam in Italia. Linguas utriusque gentis didicit, utrobique diligenter ſtuduit, magnáque tum rerum experientia, tum morum urbanitate, tum etiam optimarum diſciplinarum ſupellectile inſtructus, in patriam rediit, ſcholas aperuit, nobilium filios literas humaniores docuit. Et licèt omnium penè ſcientiarum eſſet peritiſſimus, tamen in gratiam juventutis, ut eam in bonis artibus, moribus, & virtute inſtitueret, exercitiis politioris literaturæ quaſi jugitet inhæſit. Erat autem non ſolùm elegans Poëta & Rhetor diſertus, verùm etiam Mathematicus expertus, Philoſophus acutus, & Theologus non contemnendus. Multùm etiam ornatûs patriæ linguæ contulit, imitatus in hoc Chaucerum noſtrum. In hunc autem finem Dantem Italum, Alanum Gallum, & alios ſimiles ſtudioſiùs legit, accuratéque in linguam Anglicam tranſtulit, omnésque aliarum linguarum elegantias ad ditandum patrium ſermonem aſſumpſit, & accomodavit. Scripſit autem partim Anglicè, partim Latinè, partim proſa, partim verſu libros numero plures, eruditione politiſſimos.

Pariſinam & Patavinam Academias adit.

Redux in patriam literas humaniores docet.

Scripta.

De audienda Miſſa Librum unum.
De gaudiis cœlorum Lib. un. Incip. *Multi ſunt, qui cœlorum gaudia cup.*
De ſaltu Macabræ, Anglicè, *The danſe of Macabre. Lib. un. Gentiles lapide aut ferro duriores.* Extat Londini. an. 1554.
Vitam S. Albani Protomartyris Britanniæ, Lib. un. Tranſtulit ex Proſa Latina in verſus Anglicos *Vitas & Martyria SS. Albani & Amphibali, Lib. duos.*
Item tranſtulit in verſus Anglicos *Chancerum de obſidione Thebes.*
Vitam S. Mariæ ad Henricum V. *Lib. un.* Mœrore ac vatio cor tactum. MS. Oxonii in Bibliotheca publica.
Vitam S. Edmundi Regis libros duos. Illuſtrem hiſtoriam memoriæ.
Vitam S. Fremundi Principis Lib. un. Glorioſus Martyr, qui ex inſigni.
Vitam S. Ethelſtani, Lib. un. Pro ſolidiote ſuſcepti operis firm.
De cantico amoris Lib. un. Jeſu Servator, quis tuam dulcedinem.
Calendarium rhythmicum Lib. I. Jeſu Domine pro tua circumciſione.
Præcepta moralia Lib. un.

De

De Philoſophorum ſecretis, *Lib. un.* Cunctipotens Dominus ſua bonitate.

De Alexandro & Ariſtotele, *Lib.* 1. Salvet altiſſimus & conſervet Regem.

Parliamentum volucrum, *Lib.* 1. Hoc parliamentum eſt avicularum.

De ruſtico & avicula, *Lib. un.* Problemata veterum ſimilitudinum.

De equo, ove, & anſere, *Lib. un.*
Contra temerarium judicium, *Lib. un.*
Inter rationem & triſtitiam, *Lib. un.*
De Rege Arthuro, *Lib. un.*
De menſa ejus rotunda, *Lib. un.*
De arte militari, *Lib. un.*
De officio Regis, *Lib. un.*
Acta Guidonis Warwicenſis, *Lib. un.*
De Guidone & Colbrando, *Lib. un.*

Proprietates nationum, *Lib. un.* Anglus interrogatus reſpondere.

Proverbia Lidgati *Lib. un.*
De fabro Dominam reformante *Lib. un.*
De duobus amantibus *Lib. un.*
De homine diætando *Lib. un.*
De fortuna *Lib. un.*
Sales & ſatyras *Lib. un.*
Poëmata & Odas *Lib. un.*
Eclogas ſeu Bucolica *Lib. un.*
Comœdias & Tragœdias *Lib. un.*
Præceptiones linguæ Gallicæ *Lib. un.*

De vita hominis Anglicè, *Lib. un.* MS. in Bibliotheca publica Oxonii.

De vita B. Mariæ Virg. Anglicè. *Lib. un.* MS. ibidem.

Lamentationes ejusdem Anglicè. *Lib. un.* MS. ibid.

Ex Joaſie Boccacio & aliis tranſtulit *De caſibus illuſtrium Virorum*, *ab Adamo usque ad Joannem Franciæ Regem ab Anglis in Pictavia captum*, *Libros novem.* Qui quandoque ſuam fecit diligentiam. Extat opus Londini an. 1527. & 1554. Habeo, inquit D. Pitſeus, volumen iſtud verſu Anglico. Aſſervatur nunc in Bibliotheca Bobleiana.

De genealogia Deorum Lib. quindecim.

De nominibus Deorum, *Lib. I.* Dum per cancrum ſol curſum ſervat.

De bello Thebano, *Libros tres.* Quoniam veſtrâ clementiâ Domini.

De captione Trojæ *Libros ſex.*
Boëtium de conſolatione *Lib. quinque.*
Petrarchæ quædam, *Lib. un.*
Dantis opuſcula. *Lib. un.*

Alia etiam multa tum ipſe jucundè ſcripſit, tum eleganter ex linguis aliis tranſtulit. Buriæ tandem circiter
moritur an. 1440. ſexagenarius mortuus & ſepultus eſt circa annum Verbi Incarnati milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum (malè etenim vitam ejus producit Joſephus Pamphilus usque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum octogeſimum ſecundum) regnavit tunc apud Anglos & Gallos Henricus Sextus. Sequens epitaphium ejus tumulo ferunt inſcriptum:

Mortuus ſæclo, ſuperis ſuperſtes
Hîc jacet Lidgat tumulatus urna,
Qui fuit quondam celebris Britañæ
Fama Poëſis.

Vid. Pitſ. æt. 15. pag. 632. Balæus VIII. 7. & Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. 4. lib. 9. pag. 274. ubi *Lidgatum* Monachum fuiſſe Burienſem ad S. Edmundum, non Auguſtinianum, ſed Ord. Bened. circa A. 1440. teſtatur. Nam Elſſius in Encomiaſtico Auguſtiniano Lidgatum obtorto collo inter Viros Familiæ ſuæ illuſtres abreptum multis extollit laudibus. Scriptores qui ejus meminerunt.

XXV.

JOANNES WHETHAMSTEDUS Abbas S. Albani in Anglia.

Obiit circa an. 1440.

JOannes *Frumentarius*, vulgò *Wethamſtede*, monachus ſani Albani, ad variarum artium potiùs cognitionem, & antiquitatem è tenebris eruendam, quàm ad eloquentiam compoſitus, in pretio fuit regnante *Henrico* quinto, Gallorum domitore. Senſerat, hoc præſide, ſanum *Albani* ſuas fortunas, ſplendorem, gloriam denique auctam. Magni ergò ſymmyſtæ lumen demiſſum ſibi faciebant, & bonas literas, ducem talem ac tantum nacti, redamare cœperunt: *Fervet opus, redoléntque thymo fragrantia mella.* Ejus vita & geſta ex Joan. Leland.

Solebat huc non rarò divertere, tum religione loci captus, tum animi recreandi gratiâ, *Hunfridus*, nobilitatis omnis & eruditionis phœnix planè unicus; qui alioquì ſua ſponte currenteis ſtimulis quibusdam virtutis ad incrementa excitabat magna. Volupe & illis quidem, tam benè erga politas artes adfectis, hujusmodi calcar perpeti. Sic inter *Hunfridum*, & ſani *Albani* monachos, præcipuéque *Frumentarium*, quo uſus eſt tanquam Bibliothecario, inſignis orta eſt & amicitia & familiaritas.

Abba verò contendens modis omnibus ſatisfacere exſpectationi Principis de ſe conceptæ, vetera undique exemplaria conquirere, atque in numerum referre, denique Mecœnati dono dare. Addidit & ad cumulum Librum *de Viris Illuſtribus*, à ſe elabo-

rata quadam ſcriptum diligentia: cujus archetypus bibliothecam propter *Iſidis Vadum Humfridinam* nunc incolit. Cùm nuper divertiſſem *Durovernum, Tuinus* pædagogus oſtendit mihi *Frumentarii* libellum *de Situ Terræ ſanctæ*. Jo. Leland. de Scriptor. Britan. cap. 530. pag. 437.

ex Joan. Pitſeo. *Joannes WHethamſtedus* aliàs Frumentarius, à loco ubi natus eſt, ſic cognominatus, Ord. S. B. Monachus *Anglus* ad *S. Albanum*, aliis Glocestriæ, Congr. Cluniac. qui etiam tandem factus eſt Abbas. Vir propter multiplicem doctrinam, & ſingularem linguarum peritiam, ſuo tempore celeberrimus. Erat etiam induſtriæ mirabilis, acerrimi ingenii, ſolidiſſimi judicii, & incredibilis in rebus agendis prudentiæ. Propter quas inſignes animi dotes, dici vix poteſt, quanto fuerit in pretio apud viros principes & magnates. *Humfredus* Glocestriæ Dux ſingularis bonarum literarum & literatorum hominum fautor illum in deliciis habuit, & ad eum non raro divertens de rebus variis familiariter cum eo contulit, ejúſque conſilio & hortatu multa tanto Principe digna fecit. In ejus denique gratiam *Cœnobii* Bibliothecam, coëmptis variis, iíſque ſelectiſſimis libris liberaliter auxit, & ornavit. Abbas etiam bono Principi viciſſim quoſdam libros donavit, ſuúmque *de Viris Illuſtribus* elaboratum *Opus* ei dedicavit, & exemplar unum ſua manu pulchrè deſcriptum ipſe tradidit. Hæc mihi Lelandus in ſuo Catalogo ſubminiſtravit. *Joan. Pitſeus.*

ex Joan. Balæo. *Joannes Whetamſtede*, aliàs *Frumentarius*, in *Albani* fano Monachus, vir ad variarum Artium potiùs cognitionem & Antiquitatem è tenebris eruendam, quàm ad eloquentiam compoſitus. *Joan. Balæus.*

Dicitur in tantum ſtudiis delectatus, tam impensè libris legendis atque etiam ſcribendis intendiſſe, ut œconomiam & res ſui Cœnobii penè neglexerit, ideóque tandem gravem Monachorum ſuorum indignationem in ſe concitâſſe, & ab iis (quod olim *Heſiodo*, ob rem familiarem ſtudiorum causâ neglectam, filios feciſſe ferunt) in jus vocatum fuiſſe.

ex Fullero & Pope Blount. *Joannes Whetamſtead* natus eſt in loco cognomine Comitatûs Hatfordiæ, non tam celebri ob *Frumentum* optimum, à quo nomen mutuatur locus natalis, quàm ob Joannem iſtum *Whetamſtead*, qui à loco denominatus eſt. Educatus fuerat in Prioratu Tinmouth, provinciæ Northumbriæ, quem *aureo calice ſacro* donavit. Fuit poſtmodùm Abbas S. Albani, atque ſextus Chriſtiani hujus nominis. Vaſtis impenſis hanc Eccleſiam adornavit, cùm ſex millia Librarum exceſſerint. Duos Criticiſmos omittere non poſſum circa ejus ædificia. *Unum*, quod ad Septentrionalem partem Eccleſiæ (cui novis feneſtris majorem lucem conciliavit) ſtatuas poſuerit Ethnicorum Philoſophorum, qui de Chriſti Incarnatione teſtimonium tulerunt. Alter eſt, quod in exiguo Sacello (huic nomen Tittenhanger) Imagines erexerit omnium Sanctorum, quorum Chriſtiana nomina fuerant *Joannes*, cum ſui ipſius pictura, & hac precatiuncula diſticho comprehenſa, *Ut quamvis indignus propter nomen ſuum in cœlis locum habere poſſet*. Propterea procuravit ab *Humfredo* Glocestriæ bono Duce, magno ſuo Mæcenate, qui apud S. Albanum ſepultus fuit, veſtimentorum ſyntheſin pretii ter mille marcarum, & *Pembrochii* dominium in *South-Vallia*. Plurimi ſunt libri, quos poſteritati reliquit, cùm non pauciores quàm octoginta & ultra numerentur *Tractatus*. Diem verò obiit circiter anno 1440. *Thomas Fuller libro de Viris Præclaris, Anglicè: Thomas verò Pope Blount Latinè in Cenſura celebr. Auth. p. 450.*

Hoc ejus Epitaphium quodam Monacho S. Albani Auctore.

Contegit iſte lapis venerabilis oſſa Joannis
Whetamſtede, Abbas hic qui fuit ejus in annis,
Ter doctus, doctos & amans, & eis miſeratus,
Nec fraudes patiens curarum Presbyteratus,
In lubricos Phinees, in adulteriiſque Joannes
Extitit, Symo Petrus, in omnes Symonianos.
Inſuper in laceris domibus, manſiſque vetuſtis
Sic reparator erat, ſic reparando novabat:
Quod ſibi præteritus non ſit compar Pater ullus,
Sive coæqualis manet impar rebus in iſtis.
Marcas Millenas decies numero repetitas
Scripta ferunt poſt ſe quæ liquerat expoſuiſſe.
Pro dilectoris anima tui dulciter ora
Albani ſancti Conventus, qualibet hora.

Weauve'rs Foneral Monuments. p. 567.

ex Ouidno. *Joannes WHetampſtedus*, ſeu *Frumentarius*, natione Anglus, circa annum 1440. claruit, ac in Conciliis Papienſi & Senenſi tempore Martini V. Romani Pontificis orationem habuit. Idem multa ſcripſit, atque inter alia potiſſimùm, Opus *de Viris Illuſtribus*, quod *Granarium* inſcripſit, quod MSs. extat in Cottoniana Bibliotheca ſub Multa ſcripſiſſe perhibetur.

effigie

effigie Neronis liteta C. Codice 6. extat prima pars *Granarii II.* Joannis de loco frumenti, id eſt Wheathamſted, olim Abbatis Monaſterii S. Albani de Hiſtoriis & Hiſtoriographis: quæ pertingit ad literam L. *Lapides pretioſi.* Extat verò in eadem Bibliotheca ſub effigie Tiberii litera D. Codice 5. Secunda pars *Granarii* Joannis de loco frumenti, olim Abbatis Monaſterii S. Albani, de viris illuſtribns, eorúmque illuſtriis; de doctis Philoſophis, eorúmqne dictis & dogmatibus. In Catalogo autem MSS. Codicum Eccleſiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum Bibliothecarum ejusdem inſignium num. 2910. in MSs. Codicibus Bibliothecæ Nortfolcianæ in Collegio Gteshamenſi apud Londinum Codice II. *Excerpta quædam è prima parte Granarii Joannis de loco frumentario.* Et ibidem num. 2933. in MSs. eisdem Norfolcianis Cod. 34. *Joannis Frumentarii Regiſtrum de diverſis terris ad Monaſterium ſancti Albani pertinentibus.* Ibidem Codice 3280. in MSs. iisdem Codice 381. ejusdem Granarii pars ſecunda. Ibidem num. 5516. in MSs. Codicibus Collegii Armorum Londini Codice 91. *Chronicon Joannis Wetbamſted Abbatis S. Albani, præcipuè de rebus Abbatiæ prædictæ, & de Abbatia de Wyndham Norf & bello civili inter domos Eboracenſem & Lancaſtrenſem.* Idem *Vitam S. Albani & Amphibali,* è quodam Libro Gallico excerptam, in Latinum Sermonem tranſtulit, quæ extant inter MSs. Codices Bibliothecæ Bodleianæ, num. 2357. in MSs. Codicibus Thomæ Bodleii litera F. 2. Codice 18. num. 1. Ibidem num. 2439. litera F. 7. Codice 11. num. 2. *Tabula Alphabetica ſuper 6. libros poſteriores Valerii Maximi*, edita per Joannem Withamſted Abbatem S. Albani, qui hunc librum Bibliothecæ Oxonienſi dedit, quæ tunc fuit cum anathemate. In Bibliotheca Cottoniana ſub effigie Claudii litera D. Codice 1. num. 1. Epiſtola Joannis Wethamſted, Abbatis Monaſterii S. Albani. Num. 2. Acta ejusdem Joannis VI. Abbatis per Joañem Agmundishamenſem, Monachum S. Albani, per ſingulos annos ipſius regiminis. Ibidem ſub effigie Othonis litera B. Codice 4. num. 1. Geſta paucula Abbatis Joannis VI. id eſt, Joannis Wethamſted, Abbatis Monaſterii S. Albani, de tempote illo, quo ptæfuit primò in officio Paſtorali. 2. Annuitates ſuffragiorum conceſſæ eidem Abbati à locis diverſis, ptopter varia beneficia impenſa ipſis. 3. Cauſa ſub brevibus, quare Abbas dictum baculum ad tempus repoſuit regiminis paſtoralis. 4. Proceſſus ſub brevibus totius ſuæ moleſtationis poſt ſuæ tempora reſignationis. 5. Exclamationes variæ, quas Abbas dictus in ſucceſſorem eructaverat, propter inhumanitatem, ingeneroſitatem, & ingratitudinem, quas in ſua perſona inveniebat. 6. Declaratio quædam ſolemnis in his, quæ ſibi primò objiciebantur per ingratitudinem ſucceſſoris. 7. Metra varia, tam invectiva, quàm etiam alia, de forma & modo, quibus ipſe ſucceſſor in ſimilem accuſationis laqueum incidit, qualem paravit contra prædeceſſorem, ſeu parari fecit. 8. Proceſſus ſub brevibus forma & modo, quibus Succeſſor dictus veniam petiit à Prædeceſſore pro exceſſibus ſuis. 9. Nomina & numerus librorum, quos ipſe ſcribi fieríque fecit, temporibus ſui regiminis, & ante prælarionem. 10. Proceſſus inductionis manerii ſive Prioratus de Benbroke, in partibus Southwalliæ, metricè. 11. Proceſſus erectionis Eccleſiæ de Wymundham de cella in Abbatiam, metricè. 12. Proceſſus brevis ſuper quadam plebis inſurrrectione in Regno Angliæ, metricè. 13. Proceſſus brevis ſuper trina variatione fortunæ in Regno Angliæ, metricè. 14. Articuli illi omnes, quos contra Joannem Succeſſor porrexerat. 15. Reſponſiones ejusdem ad eosdem. 16. Metra varia, puta de miſera ſorte regni Angliæ, de bello commiſſo infra villam S. Albani. Item Epitaphia varia. 17. Excerpta varia de prima parte *Rupinarii* Abbatis prædicti. Continet explicationem communium locorum alphabeticè digeſtorum, *Abſtinere, Advocatus, Ambitioſus* &c. Liber olim erat Henrici Comitis Stafford, filii Edwatdi Ducis Buckinghamiæ, anno 1560. *Caſim. Oud. de Script. Eccl. Tom. III. col. 2458.*

Alia ejusdem Abbatis Scripta memorantur apud Balæum VIII. 3. & Pitſeum pag. 631. Expoſitio S. Scripturæ, ſive *Granarium de granis typis Libri V. Manipularium Doctorum. Ordinationes ſuæ Abbatiæ. Defenſorium Exemptorum. De hominum officiis. De hæreticis & eorum fautoribus. Contra Epiſcopum Nordvicenſem. Contra inſidum fratrem. De geſtis propriis. Orationes in Synodis Papienſi & Senenſi habitæ tempore Martini V. De vita S. Amphibali, carmine, quod incipit: Si cupis Amphibali certamina. Opus neceſſariorum. Opus* metri-

Alia ejus Scripta.

metricum, cujus initium: *In Cirrhæ cyathopueris potanda propino. Palearium Poëtarum & Pabulariorum.* Vertit etiam vitam S. Albani, atque indicibus inſtruxit, ſive, ut Balei verbo utar, tabulavit Valerium Maximum, Joannem Sariſberienſem, Petrum Bleſenſem, Auguſtinum de Ancona, & Defenſorium Eccleſiæ. *Narratio de proceſſu contra Reginaldum Peacokium*, quam Thomas Hearne ad calcem Hiſtoriæ de rebus geſtis Eduardi I. II. & III. authore Waltero Hemingford vulgavit Oxon. 1730. in 8. duobus vol.

XXVI.

Obiit 1445.

NICOLAUS TEDESCUS
Abbas Panormitanus.

DE patria *Nicolai Tedeſci* Pontificii Juris Doctoris longè celeberrimi, antonomaſticè vocati *Abbatis Panormitani*, lis eſt inter Panormitanos & Catanenſes, quam aliis dirimendam relinquo.

Monachum Catanæ induit,

Anno MCD. ætatis ſuæ decimoquarto, Monaſticum S. Benedicti inſtitutum amplexus eſt Catanæ in Cathedrali Eccleſia D. Agathæ, ut ipſemet fatetur *in Repet. cap. cauſámque de Judiciis n.* 8. non in Catanenſi Cœnobio S. Mariæ Novæ Lucis, ut Aloyſio Lello placuit *in Hiſtor. Eccleſ. Montis Regalis Par.* 2. *pag.* 21. Studiis addictus, ob ingenii excellentiam, & ſubtilitatem, ac admirandam oris eloquentiam, inter doctiſſimos Philoſophos ac Theologos recenſitus eſt. Anno 1414. Catanenſis Eccleſiæ Canonicus declaratus fuit: exinde ut ſingularis ingenii dotes impenſiùs exerceret, Bononiam miſſus eſt, ubi Jurisprudentiæ operam dedit, & doctrinâ mirum in modum cumulatus enituit. Ideóque adhuc diſcipulus, ab illius Academiæ Moderatoribus cum eximiis aliquot viris electus fuit, ut ejusdem Athenæi privilegia recognoſceret, eo aſſerente *in cap. finali n.* 3. *ne Clerici.* Pontificia Jura ab Antonio de Butrio didicit, ex Philippo Labbæo *de Script. Eccleſ.* Tom. 2. pag. 112. & Lud. Morerio in *Dict. Tom.* 2. pag. 55. & à Franciſco Zabarella, teſte Joanne Fichardo *in Vitis Juriſconſult.* pag. 25. Hic autem cùm multa in Nicolai beneficium edidiſſet benevolentiæ argumenta, ad Cardinalis dignitatem evectus, doctorali laureâ Nicolaum cohoneſtavit. Cùm autem doctrinâ cumulatiſſimus ſupra omnes undique celebris emineret, primùm in Catanenſi Academia ſacras ſanctiones interpretatus eſt, ex Hieronymo Raguſa in *Siciliæ Biblioth. veteri* pag. 169. inde ad Senenſium Lycæum acceſſitus anno 1412. ut Pontificia Jura publico ære doceret, eo in munere per annos tredecim magno cum plauſu & Auditorum frequentiâ refulſit. Tunc à Martino V. Pont. Abbas S. Mariæ Maniacis in Meſſanenſi diœceſi ad Ætnæ radices electus eſt 10. Januarii an. 1425. ut ipſemet Nicolaus ait *in cap. cùm olim de dolo & contumacia cap.* 7. non S. Agathæ, ut habent Philippus Labbæus, Lud. Morerius loc. cit. & Henricus Warthon in appendice ad Hiſtor. literariam Guilielmi Cave pag. 70. Inde Parmam vocatus ſexennio Pontificias etiam Conſtitutiones in illius Athenæo haud minori plauſu publico docuit. Tandem in Bononienſi Academia id ipſum præſtitit addito ſtipendio 800. aureorum. Honoribus ſatis maturus à Martino V. Romam evocatus, Romanæ Rotæ, & Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor conſtitutus eſt: & ab Eugenio IV. Apoſtolicus Referendarius renuntiatus.

Bononiæ Jurisprudentiæ ſtudet.

Doctoris laurea inſignitus

variis in locis publicè docet.

Fit Abbas.

Romæ varia munia obit.

Alphonſo Siciliæ Regi etiam gratiſſimus fuit, à quo Regius Conſiliarius electus, & 150. auri unciis ſingulis annis perſolvendis ex Regia Secretia Panormi donatus. Ab eodem Rege, & ab Apoſtolica Sede Judex Delegatus in difficillimis controverſiis conſtitutus, ſingulari doctrinâ ſe ornatum oſtendit. Tandem ab ejusdem Regis munificentiâ Archiepiſcopus Panormitanus deſignatus, anno 1434. ab Eugenio prædicto conſecratus eſt. Multa in Eccleſiæ ſibi creditæ bonum patravit, & obtinuit. Ad Baſileenſe Concilium cum Joanne Cardinale Tarentino Orator Miſſus ab Alphonſo Rege, in eo, teſte præter alios Henrico Wharton loc. cit. dicendi copiâ, verborum gravitate, reconditâ Juris Canonici ſcientiâ, & nominis auctoritate, principem inter omnes locum tenuit. Sed exinde corrupto Concilio ob fœdiſſimas contra Pontificiam auctoritatem ſententias, ab Eugenio IV. Apoſtolicæ Sedis Orator adlectus eſt, ut Concilii diſſolutionem curaret; ejúsque operâ diſſolutum fuiſſe tradit S. Antoninus Archiep. Florentinus in Chron. par. 3. tit. 22. cap. 10. §. 4. & magnâ ingenii ſubtilitate, & eloquentiæ vi Pontificis auctoritatem egregiè propugnavit, ut ait Pancirolus *loc. cit.* ex Æneâ Sylvio; cui Bzovium

Regis Siciliæ Conſiliarius

& Archiep. Panormitanus eligitur.

Ad Concilium Baſileenſe miſſus

diſſolutionem ejus curat jubente Eugenio IV.

Digitized by Google

vium ad an. 1439. n. 7. adde, & Petrum Poſſinum in *Vincentio victo* cap. 11. pag. 102. & ſeq. Conſtanti etiam pectore navavit operam, ne Presbyteri in Epiſcoporum vacantia loca ſuccederent ad deciſiva vota pronuntianda, teſte Ænea *cit.* & Bellarmino *de Script. Eccleſiaſt.* pag. 394. cum aliis.

Immutatâ Concilii facie, dum ejusdem Patres deponere è Pontificiâ Sede Eugenium temerè meditabantur, noſter Nicolaus Alphonſi Regis juſſû, à Concilio receſſit, ex Hieronymo Surita *Annal. Aragon. lib.* 15. *cap.* 1. & Pancirolo. Eo igitur tempore, quô aberat à Concilio Nicolaus, per ſummam audaciam Eugenium Pontificia auctoritate expoliatum definière Patres; & Felicem V. ad Pontificatûs apicem evexère. Sed ad Concilium redire coactus, Alphonſo Rege impellente, ejusdem nomine Felicem veneraturus, Baſileam adiit, Felici adhæſit, ut Regi morem gereret, qui & ipſe Eugenio infenſus, Antipapæ acceſſit, ex Ænea *cit.* & Amadeo Pacifico pag. 131. & 132. apud de Groſſis *in Abbate Vindicato* pag. 47. & 48. Felix verò, non in mercedem iniquitatis, ut ſcripſit S. Antoninus *in Chron. cit.* ſed in egregiæ doctrinæ & meritorum præmium, ad Cardinalatûs dignitatem extulit, ut Amadeus Pacificus pag. 178. n. 5. apud de Groſſis *cit. pag.* 69. Warthon *loc. cit.* & Thomas Strozzi *in Controverſia Conceptionis Part.* 2. *cap.* 14. *pag.* 94. ſcribunt, Cardinalis titulo SS. Duodecim Apoſtolorum fuit 12. Novembris 1440. electus, ex Alphonſo Ciacconio *in Vitis Pontif.* Tom. 2. pag. mihi. 943. & Honuphrio Panvino in libro: *Romani Pontifices pag.* 299. aliiſque. Etſi ab Antipapa Felice creatus, qui quadriennio poſt Nicolai mortem, anno 1449. Pontificiam dignitatem depoſuit; attamen Nicolaus V. Pont. Max. qui Eugenio ſucceſſit, nedum Cardinales ſuperſtites à Felice Antipapa creatos confirmavit, ut ait Panvinus *cit. pag.* 303. S. Antoninus loc. cit. & Oldoinus *in Athenæo Romano pag.* 507. *& in addit. ad Ciacconium Tom.* 2. *pag.* 943. verùm etiam omnia Felicis acta confirmavit, & collatas ab ipſo dignitates ratas fore decrevit, ex Bulla edita 15. Junii 1449. apud Bzovium *Annal. Eccl. Tom.* 15. *an.* 1449. *n.* 4. Hinc deducendum, quòd etſi eo tempore jam defunctum ſcimus Nicolaum, attamen creationis ſuæ decretum ex bulla ſubſequuta confirmatum fuit. A Felice V. Legatus à latere in Germaniam miſſus eſt, Morerio *cit.* teſte.

eò redire coactus Felici Antip. adhæret,

à quo Cardinalis creatur,

Acta Felicis Nicolao V. confirmante.

Panormum à Baſileenſi Concilio regreſſus, dum Eccleſiam ſuam ſummâ vigilantiâ moderabatur, Generalibus Siciliæ Comitiis præfuit anno 1440. in quibus Alphonſus Rex ſeuda à Regni Præſulibus & Baronibus conceſſa vel confirmavit, vel iterum conceſſit. Anno 1445. eidem Regi imperterritè ſe oppoſuit, qui Eccleſiaſticorum bona & beneficia bellorum ſumptui obſtricta contendebat: etenim id fieri illicitum dicebat Nicolaus, inconſulto Pontifice. Demum eodem anno menſe Julio, ex *Pirro cit.* vel 24. Februarii ex Carrera *cit. pag.* 102. & de Groſſis *cit. pag.* 123. Panormi deceſſit; at non peſte affectus, ut perperàm Henricus Wharton in *Append. ad Hiſt. liter. Guilielmi Cave pag.* 71. & *L. Ellies Du-Pin in Biblioth. Auct. Eccleſ. Tom.* 12. *cap.* 4. *pag.* 98. eo enim anno nullum peſtis veſtigium fœdâſſe Panormum pro certo certius habemus. Nonnullos poſt annos marmoreo ſepulchro cohoneſtatus eſt, in cujus operculo hæc inſculpta legitur inſcriptio:

Eccleſiæ jura defendit.

moritur 1445.

Morte tuâ Canon, & Leges & Jura Quiritum
Occubuere, jacent hoc tumulata loco.
Tu Nicolaus eras Tudiſco ſanguine natus,
Panormi Antiſtes & Catanenſis eras.
Eugenio & Baſilii diſcordi pace ruebat
Noſtra fides, ſteterat te Duce Conſilium.
Nominis, & Tituli cumulos, & laudis adeptus,
Unde tuum texit Rubra thiara caput.

Obiit anno MCCCCXXXXV.

Epitaphium.

Hinc corrigendus Philippus Labbæus *in Ss. Patrum Biblioth. Chronologica* pag. 277. qui anno 1443. obiiſſe tradit. Nonnulla ſunt edita honoris argumenta, quæ Nicolaum emeritis laudibus extollunt, ejúsque excellentiam teſtantur. Inter alia æreus nummus, in cujus antica parte Abbatis noſtri effigies ſpectatur, in poſtica verò Trutina, Juſtitiæ, virtutíſque ſuæ teſtis. De eo Mauritius de Gregorio in libro *Condottiero del Predicatore Tract.* 6. *pag.* 266. Carrera *cit. pag.* 78. & de Groſſis *cit. pag.* 35. Pulcherrimum Nicolai ſimulachrum in Bononienſi Cœnobio Ord. S. Benedicti Congregationis Caſinenſis, ſub S. Proculi nomine, demiratur, ut habent Victorinus Aucellus *in Itinerario* apud Petrum Ant. Tornamiram *in Origine Congreg. Caſinenſ.*

Honoris ejus argumenta,

Caſinenſ. lib. 2. *§.* 15. *pag.* 236. & Bernardo de Montſaucon *in Diario Italico cap.* 27. *pag.* 398. Alia ex pario marmore ſtatua, licèt non integra, ſpectabatur Panormi in ornatiſſimis ædibus Marci Getii Cathedralis Eccleſiæ Panormitanæ Canonici, teſte de Groſſis *cit. pag.* 36. & 37.

Quæ dilucidè, doctè, & eruditè edidit noſter Abbas, hæc ſunt:

Ingenii monumenta.

In quinque Decretalium libros Commentaria. Omnes hîc horum editiones recenſere non vacat: præcipuas tantùm indicabo. Prodière Venetiis apud Juntas 1588. in 4. & 1582. & 1592. in fol. cum aliis Nicolai lucubrationibus octo Tomis comprehenſa. Antiquioris editionis de anno 1492. & recentioris novem Tomis comprehenſæ de anno 1617. meminit Jo. Albert. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. Tom. V. lib. 13. pag. 394. Lugduni 1527. 1534. 1537. Cum additionibus Alexandri de Nevo. Ibidem 1549. 1578. & 1586. in fol. in ſex Tomos diſtributa. Cum additionibus Zachariæ Ferrerii Vicentini, Taurini apud Nicolaum de Benedictis 1517. Parmæ typis Bernardini Macrini 1569. in 4. In compendium contraxit hæc Commentaria Hieronymus Pantonus de Ferrariis Ordinis Prædicatorum. Venetiis apud Michaelem Tramezinum 1564. in 4. ex Ambroſio Altamurano in *Bibliotb. Dominic. pag.* 31. & Fontana *in Bibliotb. legali Part.* 2. *pag.* 341. & 374.

Comentaria in Epiſtolas Clementinas, & earum Gloſſas. Pariſiis 1516. in 8. ex Bibliotheca Claſſica Draudii pag. 668. & Geſnero *in Bibliotb.* pag. 633. qui & mſs. aſſervari addit in Bibliotheca Imperiali in fol. Venetiis 1571. in fol. ex recognitione Leonardi à Lege J. C. Mantuano. Ibidem apud Juntas 1617. Lugduni 1584. & 1586. ex Du-Pin in *Bibliotb. cit.* & alibi cum Commentariis in libros Decretalium.

Conſilia CCXXVI. non 118. ut habet Wharton, & Du-Pin *loc. cit.* nec 104. ex Trithemio & Geſnero in Biblioth. pag. 633. & Oldoino in *Athenæo Romano* p. 508. Tomis duobus comprehenſa, Lugduni typis Joannis Criſpini 1537. in fol. & alibi ſæpiùs cum Commentariis Decretalium.

Quæſtiones VII. ſubtiliſſimæ unà cum Conſiliis editæ ſunt Lugduni 1584. & 1586. in fol. ex Bibliotheca Claſſica Draudii *pag.* 684. Venetiis 1571. Ibidem apud Juntas 1617. Aliquæ ejuſdem Quæſtiones extant in volumine inſcripto: *Quæſtiones Juris Variæ, & Selectæ.* Coloniæ 1570. in fol. & Lugduni 1572. in fol.

Repetitio in Cap. per tuas de Arbitriis. Typis tradita cum Commentariis Decretalium, & in volumine ſecundo operis inſcripti: *Repetentium in univerſas ferè Juris Canonici partes, materiáſque.* Venetiis 1587. Antverpiæ 1615. & Coloniæ 1618. & 1650. ex Fontana *in Bibliotheca legali pag.* 157. & 374.

Proceſſus Judiciarius, ſive Practica in omnibus ferè Curiis obſervari ſolita. Prodiit in 4. ex Geſnero *cit.* & cum Comentariis allatis. Ex Leonardo Cimino in libro *Sol Ritus* pag. 164. n. 61. Rithum Regni Siciliæ, qui modò in omnibus Siciliæ Curiis viget, noſter Nicolaus, Alphonſo Rege inſtante, condidit.

Theſaurus ſingularium in Jure Canonico Deciſorum conſcriptus in Concilio Baſileenſi, & ſecundum ordinem alphabeticum pro faciliori uſu diſpoſitus. Ex Trithemio *de Script. Eccleſ.* Wharton & Labbæo cit.

De Concilio Baſileenſi Tractatus. Pariſiis ex Bibliotheca Exotica pag. 467. & Bibliotheca Claſſica *pag.* 675. Hujus etiam meminêre Geſnerus in Biblioth. pag. 633. *Bellarminus de Script. Eccl. pag.* 394. & Oldoinus in *Athenæo Romano pag.* 508. & *in addit.* ad Ciacconium Tom. 2. pag. 943. Sed liber hic à Sacra Congregatione Indicis prohibetur, ut *ex Indice librorum probibit.* pag. 62. patet.

Nicolao Simonis Carmelitæ etiam adſcribitur, teſte Fontana *in Bibliotb. legali par.* 2. *pag.* 292. ſed perperàm: is enim de Concilio Baſileenſi nullum edidit Tractatum, ſed librum ſcripſiſſe fertur *de Poteſtate Papæ, Imperatoris & Concilii*, qui an idem ſit cum illo, quem de eodem argumento Nicolaus Tedeſchi compoſuit, examinat Flaccius *de Scriptor. Anonym. Lit. A. pag.* 1. *col.* 2. Prodiit etiam an. 1697. Panormitani Tractatus de Concilio Baſileenſi in Gallicam linguam verſus à N. Gerbais Doctore Sorbonico, ut Dupinius in Bibl. cit. tradit.

Tractatus de Auctoritate Papæ & Imperatoris & Inſtitutione Conciliorum ſacrorum, præſertim Baſileenſis, cum annexione quorundam dubiorum & caſuum. Lugduni 1517. in 8. Geſnero teſte aſſervabatur etiam in mſ.to apud M. Dreſſerum cum aliis Panormitani libris, & omnino diverſus eſt à præcedenti libro. In Bibliotheca Cottoniana

ſub

ſub effigie *Caligulæ* lit. A. cuſtodiri Thom. Smithus in Catalogo pag. 32. ſcribit.

Quæſtio quædam in Parmenſi Gymnaſio diſputata. Prodiit unà cum Repetitione *in cap. Per tuas*, Comentariis in Epiſt. Clementinas, & Practica. Lugduni 1587. in fol. ex Bibliotheca Claſſica Draudii pag. 170. & Bibl. Exotica pag. 579

Diſputationes variæ. Ex Trithemio, Geſnero, & Oldoino.

Deciſiones Rotæ Romanæ. Inter Deciſiones Rotæ, ex Fontana cit. p. 373. & Jo.Bapt. Catalmaio in Syntaxi ſacræ Rotæ Romanæ Auditorum.

Concluſiones Gloſſarum Clementinarum. Extant mſs. in Bibliotheca Imperiali, ex Geſnero cit.

Qui de Nicolao ſcripſerint?

De noſtro *Nicolao* innumeri Auctores edidêre multa; inter quos primo loco collocandus nobis eſt *Antonius Mongitore in Bibliotheca Sicula* Tom. II. p. 98. & ſeq. utpote cui omnia de Abbate Panormitano hactenus in medium allata in acceptis referri debent. Apud quem etiam magnus Authorum elencbus texitur, qui de *Tedeſchio* egerunt. Eosdem habes apud Jo. Bapt. de Groſſis in libro, cui titulus: ABBAS VINDICATUS, ſive *Nicolai de Tudeſchis vita edita Florentiæ* 1651. in qua nonnulla Nicolai gloriam obumbrantia diluere conatur. Paulus Laymann, cùm Panormitanum novitiæ ſuæ doctrinæ de *Monaſteriis Extinctis* haud patrocinantem haberet, *magnum quidem Canoniſtam, ſed exiguum Theologum* nominavit. At Cl. P. Romanus Hay in Appendice ad Hortum Cruſianum pag. 465. graphicè oſtendit, non eſſe, quòd ſupercilium tollat Laymannus, ſibíque ad pedes ſedere Panormitanum exiſtimet. Agunt præthereà de Abbate noſtro Anbertus Miræus in Auct. de Script. Eccl. pag. 267. & Jo. Bapt. Catalmaius in Syntaxi Auditorum Sac. Rotæ Romanæ. Marq. Freherus Theatri virorum eruditione clarorum Part. II. Sect. II. p. 18. ubi Nicolaum Siculum Archiepiſcopum Panormitanum à Nicolao Tedeſco Cardinale diſtinguit, & ex uno duos facit. Quorum uterqne tamen Commentarios in Decretales, & Conſilia multa ediderit, ínqne eadem ſchola Senenſi docuerit. Uterqne gloriam in Concilio Baſileenſi aſſecutus fuerit. Quin & mortem ntriusque biennio tantùm diſcernit. Quæ omnia nemo præter Freherum credit. Denique Joſeph Eggſius *Purp. Doct.* l. 3. p. 140. ubi Nicolai non præclarè tantùm, ſed perperàm etiam geſta memoriæ produntur. Et verò in vita magni hujus Juriſperiti non tantùm reperiemus, quæ imitemur, ſed quæ etiam, cùm meritò in reprehenſionem vocata ſint, omni ſtudio devitemus.

XXVII.

MARTINUS ABBAS Scotorum Viennæ Auſtriæ.

Obiit circa A. 1470.

Natione Hungarus,

MARTINUS ex Sepuſienſi ſeu Cepuſienſi (vulgò *Zips*) Comitatu ſuperioris Hungariæ oriundus, primùm Cracoviæ, tum Niſſæ in Sileſia humanioribus literis excultus, poſtremò ſub annum 1424. Viennæ Auſtriæ in Philoſophiæ, Theologiæ, Sacrorúmque Canonum ſtudia magna ſedulitate profectúque incubuit. Rogatus dein ab ægrotante matre, ut ad SS. Apoſtolorum limina piam peregrinationem ſuſciperet, ejus precibus morem gerens Romam comigravit: indéque in Campaniam profectus, cùm regularis obſervantiæ famà celeberrimum Monaſterium *Sacri-Specus*, quem S. Benedictum adoleſcentulum in eremo degentem incoluiſſe ferunt, religionis ergò luſtrâſſet; contemptis ſeculi vanitatibus, locíque religione ac ſanctimonia captus, ibidem Monaſticum Inſtitutum ſub norma S. Benedicti ſuſcepit. Verùm cùm nimium vivendi rigorem, qui tum illic vigebat, ferre non poſſet, anno religioſi tyrocinii necdum expleto, Cœnobium vel invitus deſeruit. Hinc in Auſtriam regreſſus, Aſceterium B. Mariæ Virginis vulgò ad Scotos Viennæ, quod anno 1418. à Nicolao Abbate de Reſpicz gente Auſtriaco reformatum quidem, ſed paulò tamen mitiùs ac illud Sacri Specûs conſtitutum fuerat, ingreſſus eſt: annuáque de more vitæ religioſæ exercitatione feliciter decurſa, ſolennia inibi vota nuncupavit. Subinde ob morum gravitatem, præclaras virtutes, doctrinæque non vulgaris opinionem Cœnobii ſui Prior creatus, tandem in Johannis Ochſenhuſani è Monacho Mellicenſi Scotorum Viennenſium Præſulis anno 1446. demortui locum ſucceſſit. Qua dignitate auctus Martinus, non ſolùm egregiè florentem in Monaſterio ſuo diſciplinam Monaſticam ſtudioſè conſervavit, verùm etiam in aliis afflictam multúmque collapſam mirificè reſtauravit. Nam cùm anno 1451. Nicolaus Chuſanus S. R. E. Cardinalis, Legatus in Germaniam à Nicolao V. P. M.

matre hortante Romam profectus

in Campania deſerto in monaſticæ vitæ ſe dat.

Rigoris causâ inde diſcedens

Viennæ eidem Inſtituto nomen dat.

Ibidem Præſul factus

P.M. miſſus, annuentibus Friderico III. Imp. & Alberto ac Ludovico Bavariæ Principibus, univerſa Ordinis Benedictini Cœnobia in Archiepiſcopatu Salisburgenſi ſita viſitari reformaríque juſſiſſet; ad id muneris præ cæteris delecti fuerunt, hic Martinus Scotorum, Laurentius Monaſterii Cellæ Mariæ in Auſtria Abbates, & Johannes Slitpacher pius ac eruditus Cœnobii Mellicenſis Prior: qui luſtratis utriusque Auſtriæ ac Bavariæ, Diœceſis Salisburgenſis, Styriæ ac Carinthiæ Monaſteriis, ſeveriorem regulæ Benedictinæ obſervantiam vel ioventam alicubi conſtabiliverunt, vel laxatam reſtituerunt. In hoc operoſo non minùs quàm difficili negotio, quæ præcipua Martini noſtri cura fuerit & occupatio, exponit ipſe Senatorii ſui Cap. IV. his verbis: *Officium meum fuit*, inquit, *facere collationes ſive Sermones poſt ſubmiſſionem viſitandorum. De hoc invenies Sermonem laborioſè collectum, cujus thema: Fratres tuos viſitabis, ſi rectè agant &c.* Quantum autem hoc nomine piiſſimo huic Præſuli, cæteríſque duobus ſupra laudatis operis adjutoribus, Ordo Benedictinus debeat, quantíſque pro ejusdem incremento ac reſtauratione laboribus ac periculis perfuncti fuerint; is facilè cognoſcet, qui *Senatorii* ſeu Dialogi Caput IV. attentè perlegerit. Integro anno, & quod excurrit in hac ſanctiſſima, ſaluberrimáque expeditione contrito, Monaſterio ſuo tandem redditus Martinus, non multo pòſt (anno fortean 1455.) præfecturâ ſe ſpontè abdicavit, quod reliquum erat vitæ, religioſa quiete rerúmque cœleſtium meditationibus exacturus. Ejus obitum IV. Cal. Aug. anni 1455. reponit Necrologium Scotenſe, ſed hic manifeſtus error (ſaltem quoad annum) refellitur ex ipſomet Martino, qui Cap. VI. Hiſtoriam Principum Auſtriacorum usque ad annum 1460. ſe ſcripturum profitetur. Et in eodem Cap. Senatorio ſuo ſub Pio Papa II. quem certum eſt univerſæ Eccleſiæ ab anno 1458. ad 1464. præfuiſſe, ſe inſudâſſe diſertè affirmat. Seriùs igitur eum mori oportuit, non tamen poſt annum 1470. adſcribens, ejus ut jam vitâ defuncti meminit his omnino verbis: *Hæc excerpta ſunt ex una epiſtolarum Patris Martini, piæ recordationis olim Abbatis Monaſterii Scotorum Wienæ, Magiſtri artium, & poſtea ibidem Senioris. Qui poſt liberam reſignationem Abbatiæ tantam copiam miſit mihi Epiſtolarum, ut ex eis facerem tres faſciculos; ſed in mei abſentia pænè omnes periêre, vel &c. Requieſcat anima ejus in pace 1470.* Hæc *Johannes Slitpacher.* Itaque ante annum 1470. obierit neceſſe eſt Martinus; at quo præciſè anno, nobis incompertum.

Monaſteria viſitat.

Poſitâ curâ paſtorali

Poſtquam igitur *Martinus*, poſita cura Paſtorali liberius otium uni ſibi poſthac vacandi nactus eſſet, ne hoc ipſum inerti ſegnitia contereret, tædiáque ſenectutis labore quopiam fructuoſo ſuperaret, aggreſſus eſt ſcribere, quod V. C. Hieronymus Pezius Tomo II. Scriptorum Rerum Auſtriacarum vulgavit, *Senatorium*, ſeu Dialogum hiſtoricum Senem inter & Juvenem, ſcitu ſanè dignum, lectúque perjucundum, quem in ſeptem Capita diviſit.

ſcribere aggreditur Senatorium

Aliud Opuſculum Aſceticum nobis reliquit, cui titulus: TRIALOGUS *de gratitudine beneficiorum Dei.* Incipit: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi. Cogitanti mihi de retributione beneficiorum &c.* Colloquentes ſunt, *Ratio, Memoria*, & *Voluntas.* Extat hæc lucubratio in Cod. MS. Bibliothecæ Tegernſeenſis N. 16. notato. Servatur & in Mellicenſi Monaſterio Germanicè verſa Cod. L. 94.

& alia Opuſcula.

Ejusdem Martini eſt Libellus, *Trialogus de Militia Chriſtiana* inſcriptus, hoc initio: *Militia eſt vita hominis ſuper terram, ut dicit Job.* Item: *Naſcitur homo ad laborem, & avis ad volandum, ut dicit idem. Præter enim illud, quod adverſarius noſter Diabolus tanquam leo rugiens &c.* Eſt Dialogus, in quo interlocutores ſunt, *Tentatio, Senſualitas*, & *Ratio.* Habetur itidem in Cœnobii Tegernſeenſis Cod. MS. N. 643. prænotato. Hæc de *Martino*, non de Cœnobio Scotorum Viennæ ſolùm, ſed de univerſo etiam Ordine Benedictino optimè merito Præſule dicta ſunto, quæ videſis apud laudatum Pezium loc. cit. Alia Acta, quæ ad Reformationem & Diſciplinam Regularem attinent, in Viſitatione Monaſteriorum utriusque Sexus, præſcripta, recenſentur in P. Kropfii Bibliotheca Mellicenſi pag. 398. & 399.

In Monaſterii Lunælacenſis Bibliotheca inter Mſs.tos Codd. aſſervantur *Cæremonialia Martini Abbatis Scotorum Viennæ.* Vid. Catal. Bibl. Lunælac. pag. 398.

XXVIII.

XXVIII.

Obiit 1496.

CAROLUS FERNANDUS

Profeſſor Regius in Univerſitate Pariſienſi.

Trithemii de eo relatio.

CAROLUS FERNANDUS non ſine ſtupore atque admiratione dicendus nobis venit. De eo ſic (b) Trithemius Abbas: Carolus Phernandus, natione Teutonicus, Brugis oppido Flandriæ ortus, à parva ætate captus oculis, & ob id elementorum quoque penitus ignarus, tantum ſui miraculum præbet, ut velut alter Homerus poëta, muſicus, philoſophus, & orator celeberrimus evaſerit, divinarum quoque Scripturarum ſagaciſſimus interpres, carmine excellens & proſa, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & converſatione integerrimus, qui à Rege Gallorum publico & perpetuo donatus ſtipendio in celeberrimo Gymnaſio Pariſienſi multo tempore literas humanitatis egregiè docuit, & authores complures pulcherrimè expoſuit. Demùm contemptis omnibus, mundum cum ſuis ſtipendiis deſeruit, & ante biennium fermè Ordinem Divi Patris noſtri Benedicti intravit, in monaſterio probè reformato, quod Caſale Benedictum appellatur, ſitum in quadam ſylva denſiſſima decem à Bituricenſi civitate fermè milliaribus diſtante, in quo usque hodie perſeverat, magno fervens zelo animarum, adeò ut diſpenſatione Apoſtolica Levita ordinatus, Verbum Dei cum maximo omnium fructu & admiratione publicè prædicet; ſcripſit tam metro quàm proſa multa præclara volumina, quibus nomen ſuum poſteritati Commendavit.

Scripta. *In decertationem metricam Ruperti Gaguini de puriſſima conceptione ſacræ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, adverſùs Vincentium de Caſtro novo Ordinis Prædicatorum Opus elegantiſſimum.* Libri duo.

Commentariorum Lib. I. *Non ambigimus ab Apoſtolo.*

Laudes Ordinis Carmelitarum Lib. I. *Dum tela vertit Parthus.*

Odarum in laudes Chriſti & B. Virginis Lib. I.

Orationem de Conceptione B. V. contra Vincentium Lib. I. ad Carthuſienſes.

Carmen Jambicum de eadem. Lib. I. *Quantum creatis antecell.*

Orationem de S. Catharina.

Epiſtolarum multarum Lib. II.

Elegias de contemptu mundi Lib. I. & alia multa.

Vivit hodie cœcus, ſed doctiſſimus in præfato cœnobio multa ac varia componens ſub Maximiliano Romanorum Rege, & Summo Pontifice Alexandro VI. anno Domini, quo iſta ſcripſimus 1494. Indictione 12.

Hæc de *Carolo Fernando* Trithemius, & ex eo Antonius Sanderus *Libro I. De Brugenſibus eruditionis fama claris* Cæſar verò Egaſſius Bulæus Tomo V. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis hæc addit:

Carolus Fernandus, ſeu *Ferrandus Flander* Brugenſis in Artium profeſſione diu claruit, licèt à pueritia cœcus: eum ait Trithemius fuiſſe à Rege Gallorum Ludovico XI. publico & perpetuo donatum ſtipendio, in celeberrimo Gymnaſio Pariſienſi multo tempore literas humanitatis egregiè docuiſſe, authoréſque complures pulcherrimè expoſuiſſe; demùm anno circiter 1492. relictis ſtipendiis & mundo apud Monaſterium, quod Caſale Benedictum dicitur, in agro Bituricenſi habitum Benedictinum ſumpſiſſe (aliis in Cœnoman. cœnobio) quo tempore Jo. Raulinus ad Cluniacenſes quoque ſe contulit. Ejus opera plurima commemorat Trithemius in Libr. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Fratrem habuit eodem tempore Joannem Fernandum, virum quoque doctiſſimum, Philoſophum, Oratorem, & Poëtam celeberrimum, Regis Muſicum, ab eóque ſtipendio perpetuo donatum. Ejus Opera referuntur à Trithemio, tam metro quàm proſa conſcripta. Obiit tandem *Carolus* an. 1496. Carolum commemorat Gaguinus inter eos, qui terſam Latinitatem ſolio Academico redonârunt. Epiſtol. 61. ad Boſtium. *Inter temporis noſtri tenebras expergiſcitur Carolus Fernandus ſcribere in Vincentium illum, cui dii cum ſuo illo in Virginem codicillo maleſaciant. Quem libellum, ut haberet in quem pila potenter emitteret, Carolo communem feci; nec ab alio, ſi tacebit, vindictam de maledico depoſcas.*

Vita & Acta Caroli ex Bulæo.

Caroli hujus Fernandi *Confabulationes monaſticas* in quatuor libellos diviſas cum vocum & ſententiarum quarundam explanatione impreſſit Pariſiis Judocus Badius 1515. Item ejusdem *Speculum monaſticum*, ſive *de Diſciplina Monaſtica* Libri IV. ibidem. *De animi tranquillitate* Lib. II. apud eundem

(b) De Scriptor. Eccleſ. pag. mihi 391.

dem Badium. 1512. *De Obſervatione Regulæ Benedictinæ*, Epiſtola parænetica apud eundem. 1516.

Liber *De Deo ſciendo, & noſcendo ſe ipſo* in 8. aſſervatur inter Mſs. Codd. Bibliothecæ Monaſterii S. Petri Pratellenſis n. 78. uti fidem facit Montfauconius in Bibl. Mſs. p. 1264. *Speculum* verò *Diſciplinæ monaſticæ* mſ. extat Ultrajecti in Bibliotheca publica.

Alii Scriptores, qui de eo agunt. De *Carolo Fernando* præterea videri poſſunt Andreas Valerius Bibl. Belg. pag. 120. Franciſcus Swertius Athen. Belg. pag. 167. Ant. Sander de Clar. Brug. pag. 23. Aub. Miræus in Auctar. de S. E. pag. 275.

XXIX.

Obiit A. 1499. 17. Febr.

ADAMUS VILLICUS Abbas S. Martini Maj. Coloniæ.

ADAMUS VILLICUS vulgò MAYER *Abbas S. Martini Maj. Coloniæ, naſcentis Congregationis Burſfeldenſis Præſidens Generalis, Viſitator, & Reformator omnium Monaſteriorum Ord. S. Benedicti per Provincias Colonienſem, Trevirenſem, Leodienſem, Trajectenſem, & Monaſterienſem à Summa Sede conſtitutus: Vir utroque & Eruditionis & Virtutum cultu meritiſſimus.* Natus is in agro Trevirenſi Vico S. Wendelini, in S. Mathiæ Treviris fœcundo iis diebus magnorum virorum Seminario Monaſticen induit circa annum 1430; ubi ad optima quæque formatus, unà cum *Joanne de Dome* S. Mathiæ Antiſtite, aliſq; ſodalibus ad inſtaurandam in agro Colonienſi veterem diſciplinam ſub añum 1448. deſtinatus fuit. Hactenùs verò per aliquot annos præbendariorum ritu, diviſis inter ſe redditibus, egerant S. Martini apud Ubios Cœnobitæ. Eo autem luxus & ambitioſa quorundam cupiditas proruperat, ut damnatione poſtpoſitâ fundationes Deo ſacras, ex quibus Eccleſia illuſtrabatur, & communis vitæ alimonia ſuffici debuerat, privatis uſibus ſubdolè applicare, aut cum maximo divini Cultûs detrimento, & poſterorum gravamine turpiter abligurire, oppignorare & decoquere præſumerent. Cui malo latiùs ſerpenti, ut opportuna tandem aptaretur medela, cogitatum ſubindè fuit de introducenda Reformatione. Fuêre quidem qui obſtipo capite contrà niterentur; at eos facilè repreſſit *Nicolai Cuſani* S. Sedis Legati auctoritas, qui anno 1452. habitâ Coloniæ Synodo, in qua confirmatis *Conradi* & *Sifridi* Colon. Archiepiſcoporum Sanctionibus, ampliori edicto, *omnibus & ſingulis Religioſis perſonis exemptis, & non exemptis per Diœceſim Colon. conſtitutis* injunxit, *quatenus ad reformationis leges vitam inſtituerent, eaſque fideliter cuſtodirent.* Extat Conſtitutio in Labbeana Collect. Concilior. & in Lunigii Spicilegio Eccleſ.

Fit Monachus Treviris in S. Mathiæ cœnobio.

Piis conatibus adſuêre Superi. Accitus quippe ex S. Mathia Treviris *Joannes de Dome* excellentis vir probitatis, omni mox ſubmotâ proprietate vitam coñunem reduxit, ac veterem diſciplinam, quâ licuit, excitavit. Facto itaque à Divinis principio, ad luxatas quoque facultates reficiendas cura converſa. *Adeò quippe in ſuis rebus deterioratum extiterat hoc Monaſterium, ut pro inibi obſervanda & continuanda regularis diſciplinæ normâ opes non ſuppeterent.* Supplicatum proinde fuit ad Sedem Apoſtolicam pro impetranda unione ſubjectiva parochialis Eccleſiæ S. Brigidæ Monaſterio contiguæ, hactenùs quidem ad Abbatum S. Martini nominationem procuratæ, ſed ſub id tempus nonnihil controverſæ. Votis haud ægrè annuit *Nicolaus* Pontifex eâ lege, ut introducta reformatio jugiter obſervaretur: Cujus etiam intuitu acceſſit quorundam benefactorum pietas, qui ampla quædam prædia S. Martino contulêre.

Dum hæc adeò felici greſſu procederent, fatalis intercidit *Joannis de Dome* obitus, qui cùm in refrigerato monaſtici rigoris calore excitando & confovendo incredibilem hauſiſſet laborem, ſui moram incolatûs in hoc loco extremâ clauſit periodo die 5. Aug. 1453. Eum ſecutus eſt poſtero anno *Jacobus de Wachendorp* hujus cœnobii S. Martini Abbas, qui diem VI. idus Auguſti ſupremam habuit. Decreta itaque ad diem 29. Septembris novi Præſulis electione, communi omnium bonorum voto ſublectus eſt ADAMUS MAYER, *Vir ſanè cujus vita meretur elogium, fama calamum, virtus immortalitatem.* Et verò tot ille eximiis dotibus ornatus erat, ut quibus in ſingulis excellere alii magnum putant, ipſe univerſis pariter emineret; nam probitas, juſtitia, humilitas, obſervantia, zelus, ſibi Adami pectus quaſi gratiſſimum quoddam hoſpitium delegerant; ſed inter hæc omnia, literarum ſtudium & cultus exſplendeſcebat; cùm interim nihil ille famæ aut nomini, omnia verò virtuti tribueret. Tanti

A. 1454. Fit dein Abbas S. Martini Coloniæ.

ti ergò ſyderis ortu refloreſcere mox omnia, poſtliminio renaſcl priſtinus Abbatiæ ſplendor, vindicari temporum injuriæ, excutere veternum rudera, vigil mores caſtigare ſolertia, repetere Lycæum Muſæ, pulchráque neceſſitudine virtutibus convivere. *A capite nimirum vitalem ducere ſpiritum corpus aſſolet, plurimúmque ad publicam intereſt felicitatem eum ſedere ad clavum, cujus vita ſit aliis vivendi norma.*

Sub eo refloreſcit diſciplina monaſtica ac literarum ſtudium.

Adamns itaque ut erat ad amuſſim optimus, ſuos per omnes ſacri canonis periodos irretortè duxit, atque iſtud cumprimis animadvertens quantâ bonarum artium neglectus regulari diſciplinæ inferat labem, totus in eo fuit, ut literarum ſtudia quammaximè excitaret. Eo igitur prælucente, in hoc religioſo cœtu veluti minores ſtellæ mirum quantum emicuêre Cœnobitæ. Florebat in nonnullis erga proximos charitas, alios extollebat humilitas, quâ unuſquisque æmulator præceptorum Dei fieri contendebat. Operabantur omnes certatim, altérque alterum invitans in bonis operibus præcellere concertabat. Augebatur invicem ardor placendi Deo, & regulam obſervandi: Unusquisque propriæ artis induſtriam ad communem profectum exercitabat, ac ſedularum inſtar apum opere nuſquam languido certatim omnes deſudabant. Erant qui ex Ss. Scripturarum & Eccleſiæ Patrum hortis ſententiarum flores colligerent; alii quod temerè conjectum in ſchedas, vel dictando elapſum, ad purum exſcribentes & ordine quæque ſuo digerentes venuſtabant; Chalcographiam nonnulli, alii typographiam curabant; hi ſpargendis in membranaceas chartaceásve tabellas apicum, comatum, lemmatum, capitalium & initialium literarum, diversíque generis characterum notis operam dabant. Minio alii & picturis, ac multifario colorum imaginúmqne uſu codices exornabant, hos alii compingebant, aliqui fibulas & ornamenta adjiciebant. Sícque admirabili Abbatē inter & Cœnobitas reciprocante commercio in omnes ſnum regularis diſciplina principatum vendicabat, ut ſuos non pateretur executores in minimo degenerare.

Ejus monaſterii alumni in aliis diſciplinam reſtituunt.

Inde utì ex equo Trojano (ſi Poëtæ fides) Græciæ vis & flos in excidium Trojæ invaluit, ſic Adamo Archiſtratego in ſubſidium reformationis recens introductæ, ex hoc uno S. Martini Cœnobio Monachi undequaqne conſummatiſſimi prodiêre, qui avitæ diſciplinæ leges in aliis Monaſteriis dixerunt. Sic *Adamus de Hertzenrode* cum aliis ſeptem ſodalibus ex S. Martino, luxatam in percelebri Abbatia Brauweillerenſi diſciplinam reſarciit, *Marſilius* in Siloë, *Jacobus Königspach* ad S. Paulum Trajecti, *Conradus Barſcerier*, vel nt Trithemius vocat, *de Rodenberg*, in S. Joannis Ringavienſi, *Theodoricus* in Egmundenſi, atque alii itidem tum Abbatum honoribus clari, tum Priores, tum Magiſtri, œconomi, variísque officiis donati (*Omnes conſortes operum, per quos correcta vetuſtas*) purioris vitæ canones aliis inſtillârunt.

Qui Scriptores ſub ejus regimine claruerint?

Præcipuos autem inter Scriptores, præeunte Adamo, ingenii ornamentis, operum immenſitate, & eleganti graphiâ claruêre *Henricus Zonsbeck*, *Arnoldus Rees, Martinus à Grevenbrocken*, *Leonardus de Ruremunda*, *Benedictus*, aliàs *Chryſanthus de Monaſterio Eiffliæ*, *Theodoricus* Colonienſis, *Hermannus de Winningen*, *Emericus* Cellerarius, & alii, qui codices non paucos aut in membranis, aut in charta exaratos, typíſque ligneis excuſos poſteris conſignârunt, quorum aliqui hodiéque ſuperant in Chartophilacio San-Martiniano....

Temporibus itaque uſus *Adamus* 1455.
Vir πολιτικώτατος, cùm egregiè conſilio atque prudentiâ viguit, tum in omne genus hominum ſe maximè benevolum præbuit. Ac ipſo quidem ſui regiminis ingreſſu An. 1455. vectigales Monaſterii homines non pacuos à jure & juſtitia peregrinantes, ad debita homagia & obſequia reformavit, alios
beneficiis excidiſſe denuntiavit. Con- 1456.
tra Brigidanæ parochiæ ædiles, ut vocant, intuitu Scholæ & miniſtrorum rem fortiter egit. Monaſterii ædificia, ubi vitium fecerant, correxit; Eccleſiæ turrim, quæ ultra quinquaginta annos ſine tecto & teſtudine elementorum injuriis obnoxia ſteterat, novâ eáque magnificâ galeâ (quæ altitudine conficit ultra 150. pedes) beneficiis *Ewaldi de Baccharaco* civis Colonienſis inſtauravit; odæi exedras, Altare princeps, organum, hierothecas, ſacra Cimelia, aliáque id genus ornamenta multifariam templo intulit; tùm facultates fortunáſque injurioſè tractatas, disjectámque rem familiarem ſic porrò levavit, ut cuncta reduxiſſe haud dubii argumenti monumenta loquantur.

Eccleſiæ ac Monaſterii decori

1457. ac commodis ſtudet. Cùm verò ſiniſtrum latus pulſarent improbi quidam bonorum harpagatores, qui, ut ſolent, quibus dentes fame dentiunt, reliquo Monaſterii bolo ſacram ingluviem explere volupe habebant, eorum ſalivam ad ſatietatem reſtinxit *Adamus*, dum habita A. 1457. die 14. Martii *Cameræ feudalis*, ut vocant, *juridicâ*, omnes Monaſterii Vaſallos & prædiorum poſſeſſores, quotquot juramento adſtricti erant, publico edicto denuntiavit, maleverſantes bonis proſcripſit, & quidquid juris rigor vel ordo dictabat rationis, ſolerter explevit. Tum verò in cauſâ Brigidana nodoſos obſtrigillantiū ſtipites, & quiquid illi malè obſipabant, penitus excuneavit, accepto à Summa Sede decreto, ne quid Brigidani in Monaſterii præjudicium præſumerent.

1458. Domeſticis hiſce negotiis utcunque temperatis, illud deinceps ADAMUS apud exteros animarum compendium fecit, ut quamplurimos Monaſtices conſecraneos veteri vitiorum fœculentiæ indormientes, acerrimè excitatos bonæ frugi redderet. Conſtitutus proinde A. 1458. die 27. Aprilis *Judex & Executor cauſarum ac negotiorum Capituli provincialis*, *nec non Viſitator & Inquiſitor Generalis*, *additâ poteſtate viſitandi*, *corrigendi & reformandi omnia Colonienſis*, *Trevirenſis*, *Metenſis*, *Trajectenſis*, *Leodienſis*, *& vicinarum Diœceſium Monaſteria*: operi adeò ſolerter incubuit, ut augeſcente numero Cœnobiorum, quæ reformationi manus dabant, nominis illius fama odórque quaquâ verſumglorioſè diffunderetur. Verùm, ut penè fatale eſt, ſuos pati obtrectatores & invidos, ita ſanè non defuêre filii *Mempheos* & *Taphnes* crudeles Monacho-maſtyges, qui fertili ad omne genus calumniarum invidiâ, demeſſo etiam uno alteróve Monaſterio in ſanctiſſimum Inſtitutum nova identidem venena adſibilarent. Neque hæc clades à profanis ſolùm illata, etiam qui Sacris præſidebant, haud melioris farinæ Epiſcopi, in Monaſteria ſubinde vim ciebant, qua folles Abbatibus excuterent, eóſque à communi corpore avulſos impunè depecterent.

ita habet charta.

Viſitator Generalis Cong. Burſfeldenſis conſtitutus

1459. Quare Unionis Promotores communi ſuffragio factâ ad Sedem Apoſtolicam interpellatione, modeſtâ oratione Pontificem rogârunt, quatenus ſuæ auctoritatis præſidio, quæ pro hujuſmodi reformationis profectu ſtatuta ac providè conceſſa erant, confirmare, ac roborare dignaretur. Pronus Pontifex PIUS II. ad ea, quæ Religionis propagationem, divini cultûs augmentum, & obſervantiæ regularis ſtabilitatem excitant, ſuæ ſollicitudinis curam intendens, hujuſmodi Congregationem (quæ deinceps BURSFELDENSIS dicta eſt) ampliſſimè laudavit, confirmavit, ac iiſdem quibus ornata erat Congregatio S. Juſtinæ de Paduâ privilegiis, gratiis & exemptionibus communivit datâ Senis Bullâ, quæ incipit, *Regis pacifici*... Pridie Nonas Martii Anno ſui Pontificatus primo, Chriſti 1459. ſignatâ.

Rebus his ad umbilicum perductis ADAMUS omnium ferè ordinum favore ac cumprimis *Theodorici* Agrippinenſium Antiſtitis auctoritate ſuffultus, id inter alia an. 1460. apud Summum Pontificem effecit, ut Monialium celebre apud Ublos ſub patrocinio S. Agathæ Gynecæum, ſuppreſſo inibi & extinctoCanone Auguſtiniano, ad Ord. Divi Benedicti transferretur, ac perpetuum directioni Abbatum S. Martini (ſub quâ etiamnum in omnium virtutum vigore floreſcit) manciparetur. 1460.

Inde (ut nunquam non plus ultra, qui virtutibus operantur, voto & labore contendunt) Hollandis, Friſiis, Weſtphalis, Trajectenſibus, Belgis, aliſque finitimis Benedictinæ familiæ alumnis ad ſeverioris obſervantiæ metam facem prætulit, ac plura utriuſque ſexûs Monaſteria ad Congregationem perduxit. Ejus igitur fraternæ Societatis fructus & emolumenta cùm obſervâſſet ſummus Pontifex, cogitationem animo volvere cœpit, quo pacto univerſus Ordo S. Benedicti per Germaniam in tres Congregationes præcipuas, nempe *Burſfeldenſem*, *Melicenſem*, & *Caſtellenſem* diſperſus in unam redigeretur, mentémque ſuam prolixè ſignificavit Epiſcopo Eiſtadienſi, qui mox miſſis ad Burſfeldenſes literis, ampliùs Suæ Sanctitatis conſilium expoſuit. Accidit ipſis Patribus hæc intentio gratiſſima, rogâruntque Sanctiſſimum, ut ille de opportunis ad id exequendum mediis providere dignaretur. Pontifex hujuſmodi ſupplicationibus ex animo inclinatus continuò per Reſcriptum Apoſtolicum Romæ III. Nonas Novembris A. 1461. ſignatum commiſit Epiſcopo Eiſtettenſi, ut ea, quæ hoc negotium cernebant, executioni demandaret. 1461.

plura monaſteria reformavit & ad Congregationem perduxit.

Eâdem occaſione Adamus plenariam Eccleſiæ S. Brigidæ incorporationem 1462.

Varia privilegia à S. Pontifice impetrat.

onem Monaſterio S. Martini à Summo Pontifice impetravit, illúdque retulit privilegium, quo ſibi ſuíſque ſucceſſoribus liceret benedicere veſtes ſacerdotales, conſecrare calices & altaria, minores Ordines ſuis conferre ac etiam cum iis in ætate diſpenſare, Miſſas ante lucem celebrare, & alia quæ hodiéque vigent.

1463. Mortuo interea Theodorico Agrippinenſium Antiſtiti ſucceſſit ROBERTUS Bavariæ Dux, *Vir*, ſi Chronico Belgico fides, *exilis perſonâ & mente levis*, cui, ne quid liberios auderet, certæ ſtatim ab initio Regiminis ſcriptæ ſunt leges, quas vulgus *Erblandes Vereinigung* nuncupat: iiſque ſimul conventum, ut Suſatum & Sanctenſis Civitas Duci Cliviæ relinqueretur, non obſtante PII *Papæ II.* decreto, quo jubebatur Suſatum & media pars urbis Sanctenſis Eccleſiæ Colonienſi ex integro reſtitui.

1464. Generalem monaſteriorum unionem per Germaniam meditatur:

Hæc inter Abbates Colonienſis & Trevirenſis Provinciæ apud S. Pantaleonem Coloniæ magnâ frequentiâ coierunt, collatíſque ſuffragiis de propagandâ generali per Germaniam Monaſteriorum Unione, conſilium urgente *Adamo* ſancti Martini, pluribus egerunt. Verùm ut nihil eſt in rebus humanis tam ſanctum, nihil egregium, quod ſuos non patiatur obtrectatores, dicente B. Leone, *quia nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi nunquam deſit obſervantia pietatis*; Ita ſanè vix exortus hujus magni conſilii Angelus jam tum à primo ſui diluculo ejus fati documenta dedit, non modò à maleferiatarum mentium vappa, ſed à viris etiam, quorum commodis velificabat, perinde ſufflaminatus.

1465. quod conſilium optatum effectum non ſortitur.

Cùm enim PIUS *Pontifex Maximus*, in rerum Germaniæ triturâ peritiſſimus, diem ſuum obiiſſet, ſucceſſit *Nicolaus Barbus* aſſumpto nomine *Pauli II.*, qui ſtatim atque Magiſtratum iniit, omnes, quos in curarum partem Pius adhibuerat, exauctoravit; unde non parum meditatæ Unionis negotium in tranſverſum abiit. His acceſſêre bellorum tempeſtates, quæ hujates adeò pulsârunt, ut Patribus Capituli provinciæ Colonienſis & Trevirenſis tutus non pateret acceſſus ad Comitia anno 1466. apud S. Mathiam

1466. Treviris indicta. Quare *Adamus* noſter eo tempore Præſes principalis, *Encicliças* ad omnes Abbates pro Capituli dilatione die 20. Martii expedivit, quibus etiam ſeriò hortabatur Viſitatores, ut ſuo interim officio ſollicitè intenderent, dum motibus anguſtior terra celebrandis comitiis itinera ſterneret pervia. Ipſe verò ne fruſtra in afflicto rerum ſtatu Præſidis nomen gerere videretur, ſacræ Unionis privilegia in unum redegit, eáque ROBERTI Colonienſium Archiepiſcopi authoritate communiri & ratihaberi impetravit.

Poſt hæc majora auſutus, de obtinendo *Salvi conductûs* diplomate Cæſareo, quo liceret Monaſteria, quæcunque reformationis deſiderium inceſſerat, viſitare & in Congregationis album referre, ſollicitus fuit. Re apud *Maximilianum* & *Philippum* Auſtriæ Archiduces expoſitâ, illud pii viri precibus clementer indulſerunt, ut in ſuis inferioris Germaniæ territoriis malè verminantes vitiorum truncos excideret, & quævis Cœnobia exempta & non exempta ad priſtinæ ſeveritatis leges revocaret: ad id inſuper operis omnem ipſi ab omnibus favorem tutelámque & auxilium exhiberi demandârunt, ſpecialiter eidem injungentes, ut contra eos, qui perſonas idoneas ad reformanda Cœnobia dimittere recuſarent, acriùs procederet. *Ex literis authenticis in Archivo Congregationis Bursfeld. Sig. A. 19.* 1467. *Salvum conductum* obtinet ad viſitanda monaſteria Germaniæ infer.

Sub idem tempus *David de Burgundia* Epiſcopus Trajectenſis *Adamum* prolixè invitârat ad luxatam in ſuæ diœceſeos cœnobiis diſciplinam redintegrandam. Hinc cum delectu Sociorum, qui ſuppetias ferrent, in Trajectenſes pietatis arma movit, atque plurimis in locis, etſi non ubique pari ſucceſſu, ſcabritiem morum lævigavit, virtutes implantavit. 1468. Ulteriores ejus labores in reformatione exantlati.

Sed vix eloquar quantum ſudoris ſuderit, ut rem reformati Canonis promoveret in celebri Monialium parthenone *Nigræ Aquæ* Trajectenſis Diœceſis. 1469. Eas *Adamus* auctoritate quâ pollebat *Reformatoris Generalis*, ſæpè ſæpiùs charitativè monuerat, ut ſaniora vellent, ut ſuave jugum ſubirent, ut vocanti Deo ad miſericordiam, reſponderent per obedientiam; ſed fruſtra fuit. Regulæ enim, in quam juraverant, malè oblivioſæ, inſtar aſpidis ſurdæ obturantes aures ſuas, nil niſi bilem ſpuebant.

1470. Quocirca *Adamus*, cùm nihil lenitate proficeret, ad acerbiora converſus, rebelles diro perculit anathemate, Superiorſſas loco movit, alias ſubſtituit, ac demùm ſuæ exactionis pœnâ compulit reliquas ad rectitudinem feſtinare. Neque hoc abſque pro-

prodigio, quo ſtygiam vulpem ſycophantiis *unam ex illis* ludentem, haud
1471. vulgariter depexit. Proceſſus quos itidem edidit adverſus Abbates reformationem excutientes Congregationis ſervat Archivum ſub lit. C. 6. quorum initium reſcribere ſufficiat; ita enim habent: *Adamus Villicus Dei miſeratione Abbas S. Martini Colon. Præſidens Generalis, Viſitator, & Reformator omnium Monaſteriorum Ord. S. Benedicti per provincias Colon. Treveric. Leodienſ. Trajectenſem &c.*

1472. Sub hæc ingens Coloniæ adverſus *Rupertum Bavarum* Archiepiſcopum nata eſt ſeditio, quæ graviore ſtrepitu totam propè Germaniam concuſſit, accito in partem armorum *Carolo Burgundo* vulgò *pugnace*, qui anno 1473. conflato ingenti exercitu omnia circumquaque infeſta habuit, ac cumprimis Noveſium acerrimâ oppugnatione preſſit.

1473. Neque tamen turbulentis hiſce quamquam temporibus Adamus noſter ab opere deſtitit. Quin florentiſſimum hodie S. Ludgeri in Werthinâ Monaſterium, quod ſub *Conrado Comite de Gelichen* Abbate ſucceſſionis ordine quinquageſimo, in extremam perniciem devenerat, feliciter cœpit reformare; repreſsíſq;, eâ quâ valebat prudentiâ, Illuſtrium inſtituto reluctantium conatibus, & depoſito etiam
1474. *Conrado*, utriuſque Monaſterii *Werthinenſis* & *Helmſtadienſis* adminiſtrationem Abbatis nomine ſuſcepit, tenuítque ſummâ cum laude & utilitate per aliquot annos. Hoc verò Cœnobium inſtitutis Burſfeldenſium ſolemni ritu ſubjecit anno 1474. literis in Vigilia S. Bartholomæi ſignatis, quæ extant in Archivo Congregationis Sig. B. 6. Cætera quæ Adamus circa Monaſteriorum viſitationes, eo quidem tempore diſpoſuit, produnt chartæ ibid. aſſervatæ ſub lit. C. 10.

Abbatiæ Werthinenſis & Helmſtadienſis adminiſtrationem ſuſcipit.

1475. Erat tùm is Noveſiorum ſtatus, ut quamquam armis & omni tormentorum vi eos Burgundus oppugnaret, nullis tamen periculorum minis cederent; At verò cùm longius bellum duceretur, Cæſar ſuæ fidei ratus quàm celerrimè ſubſidium ferre obſeſſis, ineunte anno 1475. cum maximis copiis, & evocatorum firmâ manu urbem Agrippinam majore hebdomadâ ingreſſus eſt. Ubi explotato belli gerendi conſilio, copiiſque in unum contractis, demùm poſtridie Aſcenſionis Dominicæ ſumpto ſago ſe dedit in campum: Commiſſóque acri prælio prope Noveſium, Burgundum terga vertere compulit. Gnatus verò Imperator quàm indomitos Carolus gereret ſpiritus, conſiliis firmandæ pacis aures dedit, & annitente cumprimis *Alexandro Forolivienſi* Pontificis in Germaniam Legato pridie kal. Junias fœdus cum Carolo pepigit. Lætus itaque Cæſar de pace ex improviſo firmatâ, aliquamdiu Coloniæ ſubſtitit; tum verò Cleri Colonienſis privilegia laudavit, atque ad preces Adami noſtri veteres Abbatiæ libertates, jura item & privilegia, ut tata eſſent firmáque in poſterum cavit, ac huic Monaſterio, uti & Wertbinenſi Regalibus impertitis, utrumque expers reddidit vectigalibus, portoriis, tributis, theloniis, omnibúſque iis ornavit ptætogativis, quibus vel liberrimæ & Imperiales Abbatiæ gaudere poſſunt. Tria ſuperant in Archivo S. Martini hac de re Diplomata Coloniæ data 20. Septembris A. 1475. quorum uniùs tale eſt initium: *Wir Friderich von Gottes Gnaden Römiſcher Kayſer... Unſs hat der Erwirdig Adam Abt des Gotteshauſs S. Martin zu Cöllen und Adminiſtrator zu Werden und Helmſtetten, unſer Fürſt und lieber abndächtiger &c.*

Privilegia monaſterio S. Martini & Werthinenſi ad preces Adami firmata & aucta.

Tantis potitus gratiis Adamus in 1476.
Divorum cultum apud ſuos augendum curas fervidiùs appulit, cùmque graculi quidam maligno ſpiritu afflati blaterarent Divum Wolffgangum Ratisbonenſem Antiſtitem cœleſtium evergetum albo nunquam fuiſſe relatum, Adamus, qui ejus cultum ſub ritu duplici celebrandum tunc fortè apud noſtros invexerat, de ipſius Canonizatione ſollicitus, Ratisbonam ad S. Emerani Monaſterium ablegavit R. P. *Jacobum Königspach*, ut veritatem inquireret; qui humaniſſimè à *Joanne* loci Antiſtite totóque illo Venerabili cœtu exceptus amplas de Canonizatione teſtes tabulas die 10. Martii anni 1476. majori Abbatis & Capituli, nec non Vener. *Joannis* S. Jacobi ibidem Abbatis ſigillo obſignatas, pluréſque ſacras reliquias, nempe de eodem *S. Wolffgango, de S. Emerano, & Dionyſio Areopagita*, præſtantia ſanè cimelia, Eccleſiæ S. Martini intulit. Ajunt autem Adamum veteres quoſdam codices membranaceos in vicem conteſtandi animi ergò tranſmiſiſſe.

Divorum cultum augere ſatagit.

Cæterùm ea horum fuit adhuc 1477.
temporum funeſta conditio, ut ad annum 1477. turbidis apud Ubios decertaretur armis; dum denique Conventu Berchemii inſtituto, de pace has in

leges

leges agi cœptum, ut *Rupertus* ultrò ſe Archiepiſcopatu abdicaret, & penſione annuâ contentus viveret. Sed neque his aures *Rupertus* dare voluit, maximè cum nulla adhuc Pontificis ſententia prædamnatus ad ejusmodi extrema urgeretur.

1478. Werthinenſi Abbatia ſe abdicat.

Dum interim hæc acriùs diſceptantur, Adamus noſter hactenùs Imperialis ac liberæ Werthinenſis Abbatiæ Adminiſtrator, ſtabilitâ demùm ac velut poſtliminiò revocatâ regularis diſciplinæ obſervantiâ, Regimen anno 1478. abdicavit in manus *Theodorici de Hagendorn* Prioris S. Petri Erfordienſis, viri pariter pii, prudentis, & cordati, qui ſolemni ritu inthronizatus, receptísque conſuetis homagiis, ſeverioris diſciplinæ ſcalpro fundamentales lapides ab Adamo poſitos ſtrenuè expolivit....

1479. Sed enim utut tot ſpectatiſſimi viri toto penè exercitu in varia ſeſe effunderent Cœnobia, bellum vitiis ubique indicerent, nbique ſuæ virtutis trophæa erigerent, nec ita tamen ſeſe Monaſtica erigere potuit obſervantia, quin ſuperantibus interdum loliis mores antiqui profluerent, & cupiditatibus ſanè multi adhuc ſegreges fræna laxarent, ordinatáque declinarent, aut impugnarent. Quare SIXTUS Pontifex Maximus *Motu proprio* Bullam kal. Aug. A. 1479. ſignatam ad Germaniæ partes expedivit, quâ controverſias & lites Abbatum reformationi obnitentium antiquaturus declarabat cenſuras incurriſſe, qui Præſidentium, Viſitatorum; aut Capituli conſtitutionibus rebelles exiſterent.

Adverſantes Reformationi per Bullam Sixti IV.

1480. Treviris publicatam reprimuntur.

Habitus indè primus apud S. Maximinum Treviris Capitularis proceſſus in contumaces, ubi *Sixti* Bulla ſolemni ritu eſt promulgata. Sequentis deinde anni ineunte Vere Comitiis in Monaſterio S. Martini Coloniæ celebratis, congregati Patres unanimi voto *Adamum* loci Abbatem declarârunt *Capituli Colonienſis & Trevirenſis Procuratorem, Actorem, Syndicum & negotiorum in Curia Romana Geſtorem*, unà cum *Melchiore* S. Florini in Schonavia Abbate, & provido viro *Bernardo de Orſey* cauſarum Notario; qui deinceps utroque quaſi cornu collaborârunt contra frequentiores Monaſteriorum ab Ordine dimembrationes, & Statutorum ac Reformationis neglectores.

Hæc inter Rupertus Bavarus Colonienſium Antiſtes exauctoratus die 16. Julii mortales poſuit exuvias, eíque

Succeſſor eſt datus *Hermannus ab Haſſia*, jam aliquot annis Adminiſtratoris munere functus, cui Adamus noſter gratulationis ergò inſignem planè, ac nobilem *Tractatum de Archi- & Epiſcoporum ac Patriarcharum Statu* inſcripſit his veteris ſtipulæ verſibus:

Hermanno ab Haſſia Archiep. Col. librum inſcribit.

Magnifico Domino cunctis patriæ Venerando
Hermanno quondam conſerti Lantgraviatûs,
Nunc autem fauſtus Antiſtes Colonienſis,
Abbas Cœnobii Martini Præſulis almi
Obtulit exiguum munus cum corde benigno,
Aſſuit & Fratrum conſenſus valdè paratus.
Partitur præſens in bis tractatulus iſte,
Dirigit hic primus gladium, quem ſumpſit ab arce
Cæſaris, egregius Princeps, ſontes feriundo,
Innocuos acie ſua porrò ritè tuendo,
Enſem flammigerum, quem confert ſuma poteſtas,
Diſcernens; animas manuducens arte ſecundus.
Hos ſemper vibret melior, bonus, optimus auctor,
Ut ſic reſpiciat, protegat, conſervet à noxa,
Quos ſub cura gerit, nec ceſſet paſcere gregem,
Sanctus doctrinis, exemplis, oramine mentis,
Nonnunquam ſurſum conſcendat mente fideli,
Fuſurus laudes toto modulamine cordis,
Ut capiat faciem, quâ detulit altercatam
Cornutus Moſes, fuit & vultu traductus.
Non tibi de vola labatur parvulus iſte
Libellus, ferax ſpeculum Tibi ſinceritatis
Accipito placidâ Princeps & mente benignâ,
Non quantum, ſed ex quanto præpondret ipſe,
Archivis Fratrum Martini Præſulis almi.
Paſtor æterne Deus vivens per ſæcula cuncta,
Hermannum noſtrum Tutorem ſerva per ævum,
Ut cùm prole ſuâ valeat cœleſtia regna
Scandere feliciùs, quo regnas trinus & unus.

Extat hujus operis autographum *Hermanno* oblatum in membranis deſcriptum, & variis iconibus, initialibúsque picturis exornatum in Bibliotheca Patrum Soc. Jeſu Coloniæ. Adſervatur etiam inter Cimelia Bibliothecæ S. Martini, ſed in aliquibus à priori diverſum, ac ſubinde interlinearibus correctionibus & marginalibus additamentis, ut quidem videtur, ab ipſomet Adamo interpolatum.

Etſi verò Ubiorum res jam eo in ſtatu 1481.
videbantur conſtitutæ, ut bonus quisque tranquillitatem ſibi polliceretur, non tamen deſuêre recudeſcentis ſubinde bilis impetus: Coloniæ námque (ut ibi vertigo ſolutior) ſeditioſi quidam in Magiſtratum civilem manus violentas injicere auſi, captivos Senatores aliquot abduxêre. Facinoris tamen pœnitentes, quos inſontes judicârunt, ſubitò dimiſerunt, aſt quatuordecim Conſiliarios ad pœnam capitis expoſtulârunt.

Secuto inde año 1482. menſe Apri- 1482.
li Abbates Colonienſis & Trevirenſis Alia ab
Provinciæ in unum coiverunt apud eo præ-
S. Mathiam Treviris, quo in congreſſu clarè ge-

ſta enar- rantur. ADAMO noſtro Præſidenti, & *Joanni S. Mathiæ* Antiſtiti, plena auctoritas cauſas & negotia Unionis promovendi, decidendi, & fine debito terminandi eſt denuò commiſſa. Ibidem Abbati Werthinenſi in mandatis datum, ut obtritam apud Graffſchafftenſes obſervantiam reficeret. Ineunte Junio *Adamus* Edictum ad normam *Sixtinæ* promulgavit adversùs Abbatem Gemblacenſem, aliósque, qui timoris Dei & propriæ ſalutis im̃emores caput de ſub jugo Reformationis excutere attentabant. Proceſſus ad valvas Eccleſiæ S. Jacobi & S. Laurentii apud Eburonum Lutetiam affixus eſt die XIX. Junii. *Ex Archivo Congreg.*

1483. Subſequenti anno in generali Bursfeldenſium Conventu Erfordiæ celebrato actum eſt ex inſtituto de uniendis inter ſe tribus per Germaniam Congregationibus ſupra memoratis, nempe *Mellicenſi* in Auſtria inferiore, *Caſtellenſi* in Palatinatu ſuperiore, & *Bursfeldenſi* ad inferiores Rheni Tractus. Productâ hoc nomine per delegatos Epiſcopi Eiſtadienſis Bullâ PII Papæ II., advenientibus eum in finem deputatis à *Mellicenſi, Caſtellenſi, Moguntinenſi, Bambergenſi, Colonienſi & Treverico* Capitulis, ſalubre inſtitutum vehementiſſimè urſit laudatiſſimus Princeps Elector *Bartholdus* Archiepiſcopus Moguntinus, agente *Joanne* Fuldenſi Abbate, per Germaniam primario, ſub cujus præſidio negotium feliciùs perficiendum credebatur. Aſt lætis magnificíſque initiis (ut rebus magnis ferè aſſolet) perturbatus decurſus, & inanis tandem exitus ſucceſſit. Enimverò ad eandem regendi parendíque diſciplinam adſtringere Auſtriacos, Bavaros, Bambergenſes, Mogonos, Colonienſes, Weſtphalos, Flandros, Trevericos, ac diverſarum provinciarum Religioſos non minùs moribus quàm linguis diſſidentes, quàdam etiam æmulatione gloriæ & ſtudiorum diviſos, id verò difficile, neque diu ad poſteros propagandum opus nonnullis videbatur, cùm quæque Provincia & leges alienas & homines non ſuos, vix eſſet toleratura. Fuêre etiam, qui *unionis* nomine territi, ejus amplitudini obſiſterent. Sic in apologo legimus lupos graviſſimè canes ovili incumbentes fuiſſe inſectatos, quò faciliùs poſſent diſperſum gregem ac incuſtoditum captare.

1484. Cæterùm ſalubre ejusmodi inſtitutum univerſi per Germaniam Ordinis Benedictini ſub unius Capitis adminiſtratione componendi in Capitulo annali Coloniæ in Monaſterio S. Martini A. 1484. die 12. Maij celebrato graviſſimè urſit Adamus noſter, quo Præſide plura etiam ad ſolutos mores reſtringendos & malè pullulantes vitiorum ſurculos penitùs averruncandos ſalubriter ſtatuta ſunt & decreta; ut videre eſt in receſſu Capitulari in Archivo Congr...

Poſtero inde anno Adamus *Hermannum* Archiepiſcopum Colon. ſuis 1485.
induxit Supplicibus, ut tumbam B. ELIPHII Martyris (qui à S. Brunone Colon. Archiep. in Eccleſia S. Martini repoſitus fuit) ſolemni ritu aperiret; qua de re legendus Surius 16. Octobris.

Sub idem tempus duæ Moniales 1486.
Catharina & *Agnes de Lünen* germanæ ſorores in celebri ad S. Agatham apud Ubios parthenone votis nuncupatis, ad deſerendum inſtitutum variis ſpectris à Diabolo impetitæ, diúque acriter oppugnatæ, tandem ope Adami confirmatæ, invocata beatiſſima cœlorum Reginâ, meruerunt à ſpirituali tribulatione liberari. Superat ejusce rei depicta eo tempore hiſtoria, quam etiam ex Adami ore hauſtam pluribus commemorat Trithemius in Chronico Hirſaugienſi edit. San-Gall. p. 576. ſeqq.

Poſt hæc Adamus inter varios mo- 1487.
tus civiles, firmandis veteribus Monaſterii exceptionibus & privilegiis totus
fuit. Vertente autem anno 1489. ad 1489.
inclytum *S. Adalberti* in Egmunda Archiſterium, ut diſciplinam æquo remiſſiorem intenderet, digreſſus, præclarum quoque opus, etſi non ſine obluctantium nubilo, illic perfecit. Etenim, ut erat rerum gerundarum dexteritate felix, negotium hoc arduum apud Summam Sedem tam ſolerter ex-
poſuit, ut *Iñocentius* datâ Bullâ 7. Octo- 1490.
bris ſignatâ ipſum ad omnia, quæ reformationi conducerent, peragenda, auctoritate communiret. Nec mora, *Adamus* tanto ſuffultus præſidio in *Jordanum de Druel* Abbatem, & quoscunque obluctantes primò ſuſpenſio-
nis, ac dein die 27. Januarii A. 1491. 1491.
excom̃unicationis ſententias promulgavit. Sícque exactionis ſuæ conſtantiâ plerosque, quâ vi, quâ conſilio ad ſaniora compulit; dum tandem ad promotoriales *Joannis* Comitis Egmundenſis locumtenentis Maximiliani Romanorum Regis, Bursfeldenſium inſtitutis cervicem flecterent; ſed utique duraturâ haud diu inflexione, quòd curvæ in deteriora mentes, non ſecus

atque

atque obliquæ arbores, facilè ab obtortis reſiliant.

1492. Sub id tempus ab Innocentio Pontifice Maximo privilegium Adamus obtinuit, quo Monaſteria utriusque ſexûs, quæ in futurum Congregationi nomen darent, omnibus gratiis & prærogativis Capitulo hujusmodi & perſonis illius conceſſis, aut impoſterùm concedendis, potiri deinceps & gaudere liberè licitéque poſſint ac debeant. Frequens dein Abbatum ſynodus coaluit apud S. Maximinum Treviris, in qua Præſide Adamo noſtro ſalubre inter alia contra dimembrationes ab Ordine Statutum emanavit.

1493. Summa verò hoc tempore quies per Weſtphaliam vigebat auctoritate *Hermanni* Colonienſis & *Henrici* Monaſterienſis Antiſtitum, penes quos tum dominatus reſidebat. Adamus proinde ſuam hanc occaſionem ratus, Hermañi auſpiciis, unà cum deputatis à ſacro Capitulo Viſitatoribus in comune reformationis bonum, ſymbolam illas in partes non ſine fructu contulit.

1495. At enim cùm eâ tempeſtate in pleriſque Germaniæ partibus vis privata nimium quantum inſoleſceret, adeò ut *qui prior robore, potior foret jure*; huic petulantiæ repagulum obducturus Cæſar *Maximilianus* habitis Wormatiæ Principum Comitiis, ſub pœna *Banni* vim omnem cohibuit. Quo adfulgente diluculo *Patres conſcripti*, quùm Ordini Benedictino plurimùm intereſſe crederent, ut Monaſteria paſſim avulſa,
1496. & alienos in uſus commutata, ſeriò reſtituerentur, útque laborantibus conſulerent, & dimembrationem etiamnum meditantibus frænum injicerent, pluribus inter ſe egerunt, ac denique ſtatuerunt, ut in Ordinem recipiendus quisqne hanc clauſulam ſuæ profeſſionis ſyngraphæ adjiceret: *Promitto etiam, quòd nunquam conſentiam in translationem hujus, vel cujuscunque noſtræ Unionis Cœnobii, neque ſollicitabo per me vel alium directè vel indirectè pro dimembratione ab Ordine vel Capitulo annali, nec ſponte quovis modo conceſſâ uti volo.*

1497. Anno 1497. Patres Reformatores agente *Adamo* à Summa Sede compulſorias impetrârunt contra Abbates, Præpoſitos, Priores, & quoscunque pervicaces, qui locuſtarum ritu ſegreges Statutis & ordinationibus Sumorum Pontificum Gregorii IX, Innocentii III, Benedicti XII, Clementis V, Sixti IV... adverſantes, contributiones ſolvere, aliáque Capitulorum decreta ſervare detrectabant.

Secutis inde diebus Adamus noſter, 1498.
etſi ſenio & hujus comite adverſâ valetudine preſſus, tot inter labores, legationes, & negotia, ſemper erga Deum inconnixâ pietate, jugi vigilantiâ, ſuíque inſtituti exactiſſima obſervatione ſibi conſtans non ante finem benè merendi, quàm vitæ fecit, dum tandem penè conſumptus, año 1499. ſum- ad ſuperos mi-
mo omnium bonorum planctu æterni- gravit
tati ſanctæ ſanctam reddidit animam 1499.
die XVII. Februarii, tumulum conſecutus in odæi aditu, ubi porrectus ipſe jacet humanâ ſtaturâ, Abbatiali ornatu, barbatâ facie, manibus ſupplicantis in modum plicatis, lapidi inciſus, additâ circulari limbo hâc Epigraphe: (c)

Hic jacet exanime funus Venerabilis Adæ, Epitaphium.
Abbatis primi, qui fluxa cuncta reduxit,
Laude immortali poſt ultima fata ſuperſtes,
In cælum ſcandit ſeriandus ritè beatus.
Obiit 1499. 17. Febr.

Etſi verò quæ ſparſim reſcripſi meritiſſimi Antiſtitis beatam analyſin omnium virtutum ornatiſſimam ſatis inſinuent, tot tamen ſui nominis ipſe trophæa erexit, ut fluctus Libycos citiùs quis numeraverit, quàm ſingula ejus facta vel obelo digna legerit. Quod ne ultrò à me dictum quis exiſtimet, andi patheticè loquentem, qui ejus acta in mſ. Abbatum ſyllabo delibavit *Hubertus Holthuiſen* Adamo ſuppar: *Hujus*, inquit, *digniſſimi, caníque Patris,* Huberti Holthuiſen,
ſi velim cunctas enarrare virtutes, ac geſta referre præclara, citiùs me tempus deficeret, nec modica id charta pateretur, ſed in immenſum volumen opus excreſceret... Hic quippe talis fuit ac tantus, ut omnium ferè Ordinum favore fretus & gratiâ Clementiſſimi Principis Hermanni ab Haſſia Archiep. Colon. cui à conſiliis fuit, innumera propè Cœnobia utriusque ſexûs multo tempore ob temporum injurias deformata, ad genuinam obſervantiam, ac purioris vitæ ſtatum infatigabili revocaverit operâ, & jam prorſus collapſa multijugâ prudentiâ decori reſtituerit priſtino. Talis denique habitus eſt, ut ei paſſim ab omnibus, quocumque aut eques, aut pedes pergeret, ſummus ceu Principi honos exhiberetur; tam commodus inter planipedes, quam ſocco cothurnóque ſpectabilis inter proceres,

(c) Hic lapis ſublatus eſt anno 1749. cùm chori pavimentum elevaretur, contra leges de non violandis ſepulchris ſeu domibus defunctorum.

res, atque ut bonus & facilis in bonos, ſic aſper in contumaces & metuendus... Sed & pauperum ac hoſpitum usque adeò amantiſſimus extitit, tantâque comitate & hilaritate adventantes excepit, exceptos tractavit, ut nusquam non ejus celeberrimi nominis fama increbreſceret, dúque ejus humilitate, rectâ animi devotione, ac ſtupendâ integritate, & morum candore, vitæque incorruptione omnes per Germaniam homines narrarent. Ipſemet tametſi multo ſenio confectus omnibus peregrinis hoſpitibus pedes lavare ſolebat. Unico autem Fratre & famulo ſtipatus, quocunque proficiſceretur, etiam Regibus, Principibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Satrapis & Proceribus nedum gratus ſed & admirationi fuit... Verbo Iliadem, tota ipſius vita morum fuit diſciplina, & quodammodo campus virtutum omnium vernantiſſimus. Hæc ille ad Prælatos ejusmodi hypomnema ſubnectens: *Audiant hæc noſtri ſeculi Abbates pompatici, quorum Religio eſſe videtur in phaleratis equis, in canibus venaticis, in numeroſa famulorum turma, in opiparis, ſumptuoſis & frequentibus conviviis...*

& Trithemii de eo elogium. Huberto Scriptori domeſtico conſonat *Tritbemius* morum ejus ævi cenſor acerrimus, qui in Chronico Hirſaugienſi edit. San-Gallenſis utramque de Adamo noſtro paginam implet, eáque recenſet, quæ ex ejus ore hauſit, ab ipſo patrata, mira profectò & homine majora: *Non fuit noſtrâ ætate*, inquit, *ſimilis illi cujuscunque etiam Religionis alius, nec ſurrexit poſt eum quisquam usque in præſentem diem tam zeloſus amator, cuſtos & reformator diſciplinæ regularis in ſe ſibique ſubjectis. Unde plurium fuit Pater & Viſitator Monaſteriorum... Erat vir converſatione ſincerus, maturus & integer, conſcientiâ purus, in jejunio ſtrenuus, in oratione devotus, atque die ſimul & nocte penè continuus, in docendo eruditus, in exhortando validus, in conſolando firmus & efficax, in monendo ſolidus, in corrigendo mixtâ pietate ſeverus. Nemo illum unquam reperit otioſum, nemo vidit levem aut diſſolutum; verbum ex ejus ore nunquam audivi otioſum, ſacræ lectionis quocunque proficiſcebatur, ſecum ferebat libellos, & frequenter dum potuit, aut ipſe aliquid ædificationis legit, aut Capellanum ſuum, vel Notarium audivit legentem. Erat enim ſatis doctus, tam in Jure Canonico, quàm in divinis Scripturis, quod ex lucubrationibus ejus lector facilè intelliget, inter quas libellus eſt prænotatus tali inſcriptione*: Sermo Magiſtralis de S. Benedicto: *Incipit*: Ego in innocentia mea ingreſſus ſum. *Multa ſcripſit monita ſalutis ad ſibi commiſſos...* Hæc Trithemius.

Et ſanè plura Adamum Cœleſtis Sapientiæ & eruditionis conſummatæ monumenta *Tritbemio* viſa conſcripſiſſe, quibus tum Religioſorum, tum fidelium mentes ad ſupernæ patriæ deſiderium excitantur; tum eminens ipſius in utroque Jure, ſacrisque Literis, & negotiis publicis peritia demonſtratur, præter jam allata, teſtantur ſecuri & irrefragabiles vades manuſcripti Codices, qui hodiéque partim in Bibliotheca S. Martini, partim aliò diſperſi ſuperant. Videlicet:

Ejus ingenii partus. 1. *Tractatus de Statu Archi- & Epiſcoporum ac Patriarcharum, ad Hermannum Colonienſem Antiſtitem*: in quo ſanè reconditioris ejus Ss. Canonum & Juris publici notitiæ ſpecimen elucet. Incipit: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii.* Vide dicta ad A. 1480. num. 27.

2. Egregium opuſculum *de Statu Religioſorum in titulum XVI. Decretalium*, cujus initium: *Religioſitas cuſtodiet & juſtificabit cor.* Eccleſ. 1.

3. *Libellus de tribus votis Monaſticis ſub hoc exordio*: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.

4. *Tractatus Aſceticus de ſeptem gradibus ſpiritualis Aſcenſionis in Deum.* Unus profectò mihi inſtar omnium, non tam mole, quàm ſaluberrimis documentis magnus; eloquio quidem ſimplex, ſed pateticus & igneis pietatis ſcintillis ſplendidus, nihilque (meo quidem animo) ſolidius illo, aut ſalubrius ad Religioſorum componendos affectus; quem proinde per me deſcriptum, nuper typis exſcribendum in ſe recepit *Martinus Veithius* Bibliopola Auguſtanus.

5. Præter laudatam Orationem *de S. Benedicto* typis Gothicis excuſam, quatuor extant Capitulares in congreſſibus Abbatum ab Adamo habitæ, egregiæ omninò & notabiles, quas itidem Pezio edendas commiſeram; extant verò in Cod. Membran. Sig. H. 10.

6. Sermones breves de tempore, & alia quædam Analecta diverſi commatis in ſchedas deſultoriè conjecta, de quibus in indice codicum MSs. fuſiùs egimus.

7. Ad-

7. Adſervatur in eadem Bibliotheca S. Martini inſignis quidam Commentarius in Regulam S. Benedicti, deſcriptus in membranis ſub A. 1474. cujus Auctorem ſuſpicor eſſe Adamum, ita verò incipit: *Jeſu Chriſto humiliter invocato accipite diſciplinam per ſermones meos, & proderit vobis. Sap. 6. Quamquam omnis Sapientia...* Ad calcem Commentarii agitur *De diſpenſatione & periculis Prælatorum.* Opus verò finitur in quæſtione, *Utrum inter infideles & non exiſtentes in charitate Dei ſit vera dilectio?* Sapit apprimè genium & ſtylum Adami, eſtque opus ampliſſimum & prelo digniſſimum.

8. Superant ibidem codices non pauci, cùm in membranis, tum in chartâ, Adami nutu à Religioſis exarati, ſed plerique ſuppreſſo Auctorum nomine, adeò ut certi nihil poſſimus definire. *Ex Chronico* Abbatiæ S. Martini Maj. per R. P. Oliverium Legipont, cujus eſt hæc de *Adamo Abbate* ſymbola.

Et quia vir iſte Clariſſimus aliud inſigne Opus, typis nondum vulgatum, *Faſtos Abbatiæ S. Martini Maj. Heroico Epicheremate à ſe deductos*, legendum conceſſit, Verſus, quibus præclarè Geſta *Adami* Abbatis complexus eſt, in gratiam Lectoris hìc tranſcribere non gravabor.

De Geſtis Adami carmen epicum ex Cl. Oliv. Legipont.

Ergo ubi Nobilitas clauſtris exoſa receſſit,
Et plantata piis Burſſeldina Unio cœpit
Creſcere principiis fœcundo germine felix,
Protinus ex Treviris accitus Venerabilis *Adam*
Villicus aſſumpſit curam, quam credidit æther;
Vir ſummus meritis, doctrinâ illuſtrior omni,
Quo pietas authore redit, Relligio fervet,
Diſciplina viget, virtus cum Pallade certat,
Cana nitet gravitas, caſti ſine crimine mores,
Pax, ordo, requies, candor, concordia regnant,
Firmáque fraternæ coëunt in fœdera dextræ.
Scilicet ille vices, tanto libamine rerum,
Temperat, ut virtus caſu dominetur in omni,
Relligio primas ſibi vindicat optima ſedes,
Rebus in externis zelus, vigilantia, fervor,
Sollicitum curis animum mordacibus urgent.
Nec minùs indociles vindex cenſura coërcet;
Ipſe tamen terror ſpeciem ſpirabat amantis,
Plùsque metus pœnæ, quàm pœna inflicta juvabat.
Unde novo fœtû generoſa propago renaſcens
Germinat immenſum, & latè diffundit odorem.
Numinis inde fluit benedictio, & alma
Gliſcit opum ſaties, & rerum copia turgens,
Quà reparat Præſul macerata rubigine clauſtra,
Et levat attonſæ non parvula pondera ciſtæ...
Plura quid enarrem? Series tam ſplendida vitæ
Extitit, ut cornicum oculos configere poſſet.
Quin hìc dixiſſes doctas habitâſſe ſorores,
Usque vigent artes, ſtudiis ſic quilibet inſtat,
Ut propè nec lampas habeat, nec clepſidra tempus,
Nec quæ ſecuras enervant otia mentes,
Hìc habeant partes: etenim ſtimulante magiſtro,
Quisque ſuum feſtinat opus, pars una libellos
Evolvit veteres, alius monumenta virorum
Diſcutit, ille notat, rapſodia colligit alter,
Vermiculant alii chartam, pars altera pingit,
Caſtigántque notas, opere omnis ſemita fervet;
Nullus amat ludos, nullus ſectatur inanes
Quisquilias, nemo vacuas pertranſigit horas.
Unus præ reliquis Operum ſpeculator Apollo
Adamus ſacri dux, lux, & gloria Pindi
Acriùs inſiſtit venturis tradere ſœclis,
Quæ meliora videt, rerúmque ſuprema coronans,
Attica Romanæ complora volumina linguæ
Condidit, æternâ victurus laude perennis.
Cætera prætereo divini encomia patris,
Ne tentem Ionios revocare ad litora fluctus;
Id memorâſſe ſatis, quod Synchronus accinit unus:
Haud obiit, vivit Præſul Venerabilis Adam, Joannes Piemontanus Prior Lacenſis.
Servator, Vindex, dux Relligionis avitæ,
Vivit in Eliſiis campis, fruitúrque ſaluto;
Hoc probitas, hoc ſancta fides peperêre, labórque
Et ducta inſomnes, intérque volumina noctes;
Ac plantata piis ſacra Unio Burſfeldina
Principiis, eadem clauſtro introducta Lacenſi,
Et totum Adami ſtudio diffuſa per orbem.
Hinc meritò vivit decus inſuperabile noſtri
Ordinis, atque polo famam jam terminat axis.

XXX.

JOANNES RAULINUS Regii Navarræ Gymnaſii Magnus Magiſter.

Obiit 1514. 6. Febr.

JOannes Raulinus Tullenſis cùm bonis literis in Academia Pariſienſi egregiam operam navâſſet, Licentiatus eſt in Artibus an. 1461. Procurator Nationis Gallic. factus 21. Octob. Ejus primordia.

Octob. 1472. tunc Regens in Artibus, deinde Theologiæ Doctor & Profeſſor: quo tempore & egregium in Ariſtotelis Logicam commentarium edidit, & multos de vita rectè inſtituenda ſermones ad populum fecit. Hoc in genere unum memoratu digniſſimum, Joannes Major, Pariſienſis Theologus, qui Raulinum vidit, narrat in IV. ſent. editionis II. diſtinct. XX. quæſt. 2. *Laudo factum optimi cujuſdam viri & doctiſſimi Joannis Raulini piæ memoriæ, qui cùm in Theologia Licentiatus eſſet, & hi Quæſtuarii* (Indulgentiarum prædicatores) *ſibi offerrent pecuniam pro ſuo Doctoratu, eâ lege, ut cum eis proficiſceretur de parochia in parochiam concionando, id tanquam ſe indignum recuſavit.* Circa aññum MCCCCLXXXI.

Collegio Navarrico præficitur.

Guillelmo Caſtrofortio in moderandi Collegii Navarrici poteſtate ſucceſſit, etiam reluctante Ludovico XI. ſic enim ille Ep. 5. ad Joannem Standonk: *Eja frater age, commodè tibi ſperamus omnia ſucceſſura. Experto crede mihi. Pro Regalis Collegii Navarræ Magiſterio pugnavi contra favorem Regis Ludovici; inſtigante ad hoc Narbonenſi Archiepiſcopo, qui omnia condigerebat. Non ego, ſed Dei gratia mecum. Et tunc in ſolis nudíſque intellectibus poſitus eram, utpote qui nec Beneficium, nec Officium, imò nec denarium habebam, & neſcio unde omnia ſupervenerunt abunde.* Summi Magiſtri officium tantâ cum vigilantia exercuit, ut inter Theologiæ Claſſicos diu primus haberetur.

Eccleſiæ jura defendit.

Jurium Eccleſiaſticorum Zelator fuit acerrimus, Joanni Standonk auctor fuit perſequendæ litis adversùs Cardinalem Maclovienſem, quem ambitioſiſſimum & ignariſſimum fuiſſe ſatis indicat in Epiſtolis; quam ob rem illi vehementer ſuccenſuit Cardinalis, ſed nihilo ſegniùs ille Eccleſiæ cauſam tutatus eſt. Cujus cùm deprædationes moleſtè ferret, ſimúlque mundi ſcelera, clam & nemine monito, Collegium,

Relicto Collegio Navarr. Cluniacenſibus ſe adjungit.

Navarricum deſeruit, ſéque ad Cluniacenſes contulit circa an. 1491. ſucceſſorem habuit M. Ludovicum Pinellam Theologiæ Profeſſorem, apud quem ſe quoque per Epiſtolam excuſat, quòd furtim diſceſſiſſet. Alia verò Epiſtola innuit ſe à fundamentis eduxiſſe Bibliothecam Navarricam, Pinellam verò abſolviſſe & compleviſſe. In Epiſtola autem ad M. Jo. Lentement olim Rectorem Univerſitatis tunc verò Conſtantienſis Eccleſiæ in Germania Canonicum Lectorem, ſic de ſe ſuáque converſione ſcribit: *Scis frater! labores meos, quibus nuper in ſæculo cùm Pariſius regerem, perdius & pernox vacabam, & quàm plurima eorum ſatis elaborato ſtudio per Dei gratiam cognoſcis apud nos eſſe recondita, nec tamen ordinata & diſpoſita ut prodeant in publicum, ac aliquando eorum nonnulla graviſſimo furto à me ſurripuiſti, nunc apud Cluniacum famatiſſimum Cœnobium, bene nunc ſecundùm antiquorum Patrum regulas & Obſervantias inſtitutum mihi inveni requiem.* Et in Epiſt. ad Joa. Standonck de ſe ſic loquitur: *Quamobrem bene faciunt, qui tecum ſunt, pro tuo denique jure ſollicitè ignorantes jam præteritum noſtrum vivendi ſtudium. Pariſius enim degens ſicut paſſer ſolitarius in tecto, non palatia, non tribunalia, non alienas domos rimabar, ſolam unam domum intra Pariſios muros frequentans, cum nemine alio familiaritatem contrahebam &c.* Et in Ep. ad Cuſtodem Baſilenſem ſuæ fugæ cauſam ſcribit his verbis: *Vis ſcire meam à ſæculo fugam. Ego enim ipſe ſum, qui nuper in alma Pariſiorum vulgata per orbem & omnium ſcientiarum Parente Univerſitate inter cæteros coævos meos florens amicis & Conſanguineis undique circumvallabar magnorum favoribus, ſi fas ſit dicere, in cœlum usque ſublimatus, opulentus divitiis, officiis, & beneficiis plurimis: quippe qui magni illius Collegii per univerſam Romanam Eccleſiam celebrati, quod vulgò Navarræ dicitur, magnus Magiſter & dicebar & eram quamvis indignus. Quid plura, honoratus inter plurimos, delicatè nutritus eram, utpote qui ſingulis diebus ad pinguiſſima convivia evocatus, quandoque attractus, quandóque vi pulſus. Itaque ut more Epulonis Divitis quotidie epulabar ſplendidè, & his omnibus quaſi catena ferrea ligatus eram. Cùm verò arrideret mihi mundus fallerêtque plurimùm; inter decipiendum videbam plurimorum mortes terribiles, mirabiles, nonnullos quidem doctos quaſi ſtultos Idiotas morientes. Alios in tremore maximo, ac ſi ad patibuli poſtes exiſterent, vi & violentia exeuntes. Alios divitiis refertos quamprimùm poſt mortem ſic pauperes, ut omnia velut in ventum pulvis, ſpargerentur. Et nunc ut verbis utar Salomonis, laudavi magis mortuos, quàm viventes. Inde ut mortuus & per Dei gratiam fractis catenis ferreis, quibus detinebar, mortis diſcipulus efficerer, quæ multos erudit, quamvis tardè, elongavi fugiens parentes meos di-*

ſtantia

ſtantia quaſi ducentorum octoginta milliarium, & Pariſios diſtantia ferè 200. & in hac ſolitudine Cluniaca jam nuper mortuus ſum &c. Qui nutriebar in croceis, nunc cibus ardus dulcis eſt; qui mollibus veſtiebar in domibus Regum, & Præſidentium, nunc mihi deliciæ ſunt aſpera veſtis, hirſutus habitus, vilis ſupellex, vigiliæ longæ, jejunium multum, ſilentium aſſiduum.

Badii de eo teſtimonium. Quantæ præterea virtutis fuerit; cùm alia multa nos docent, tum illud quoque, quod Aſcenſius Badius teſtatiſſimum reliquit, libro XVIII. commentarii in Aulum Gellium, cap. XV. *Joannes Raulinus Pariſienſis Gymnaſii Doctor, Theologus inſignis, ſecularia negligens, factus eſt Monachus, quò ſanctiùs viveret & tutiùs. Qui in Domo Cluniacenſi cùm Pariſiis ſomnum mediâ nocte caperet, repente ſurrexit, quos habebat Sodales proximos, altiſſimùm evocans, jubénſque, ut preces religiosè, eáſque continuò Deo Optimo Maximo pro fratre Barguino omnes offerrent. Is autem aberat 40. milliaribus, domûs negotia, ut reor, procurans, & ipſe tunc in agonia luctabatur maximè, & laborabat in extremis, & quò vicinior erat Barguini exitus, eò intenſiores jubebat preces effundi: inde eas unuſquiſque emittens, noctem tranſegit. Et ecce poſt dies admodùm paucos Barguini nunciatur obitus, ſcitúmque tunc fuit, illum eâ expiraſſe horâ, quâ ceſſandum Doctor ille præceperat. Hoc ego ſæpiſſimè accepi à Domino in ſacrâ Theologia Magiſtro, & Doctore egregio Jacobo Molino, ſeu mavis de Molendino Mæcenate meo, & avunculo haudquaquam pœnitendo. Audivit & Germanus Faber, ſancti Clodoaldi Decanus non indignus, quondam Præceptor meus; audiverunt & plerique alii.*

item Dautonii Joannes Dautonius, Ludovici XII. Regis Hiſtoriographus in Hiſtoriæ capite LXXVI. ad annum MDI. ſcribit, à Cardinali Ambaſiano Legato, datam eſſe Joanni Raulino reformandi Ordinis Benedictini provinciam. Guillelmus Parvus, Franciſco I. à Confeſſionibus in epiſtola, quæ Claudii Sciſelii libri de triplici ſtatu viatorum initio præponitur, *Raulinum magno eulogio Theologum* appellat. Qui præfationem Sermonum Raulini de Feſtivitatibus confecit, Raulinum ita deſcribit: *Vir deſideriorum Daniel eos, qui docti fuerint, aliorúmve culturæ nec non inſtitutioni navaverint operam, ſiderum inſtar olim promicaturos vaticinatur: quæ res cùm Delphico quidem oraculo ſit indubitatior, eximia ſanè ſummo examinis die claritate effulſurum virum imprimis obſervandum Joannem Raulinum, haud ambigat quiſquam, qui multos annos in Lutetiana Theologorum verſatus Academia, curas, ſtudia, laboréſque omnes in rempublicam Chriſtianam magnifico omnium emolumento contulerit: etenim, ſe ſuáque, id eſt, animum, corpus, vim ingenii, demum fortunas, alumnis Chriſti vir pius videbatur devoviſſe. Nam præterquàm quòd inter Theologiæ Claſſicos diu primus habitus ſit, nec ſibi quicquam deeſſet ad virtutum ſummam, integerrimum Cluniacenſem Ordinem profeſſus eſt, quotidie plures conciones, dum hîc ageret, erogabat plebi, quas poſtmodùm in vulgus edere nonnullis ſui nominis ſtudioſis curæ fuit.*

& Launoii. *Raulini* Doctoris hiſtoriam breviùs confecerit, inquit Joannes Launoius, qui dicet, eum nullis parcentem laboribus, nunc ſcribendo, nunc monaſticos Ordines reformando, nunc ſermones ad populum inſtituendo, totum vitæ tempus exegiſſe. Quæ autem ſcripſit, ſunt hujuſmodi:

Scripta. *Commentarium* in Logicam Ariſtotelis, ſcilicet in librum Prædicabilium, in librum Prædicamentorum, in librum de Interpretatione, in librum Priorum, in librum Poſteriorum, in librum Topicorum, in librum Elenchorum. In fine ſic habetur: Hic manus extrema appoſita eſt Logicæ eximii & egregii Doctoris Raulini diligenter caſtigata per virum doctrina præditum, Magiſtrum Joannem de Rupe, bonarum artium Profeſſorem, & in ſacra Pagina Baccalarium, qui non duxit indignum ſuis laboribus ſingulos quoſque codices, immò verò ſingulas pagellas diligenter recognoſcere, ſeu additiones perquàm acutiſſimas ex ſui ingenii officina profectas advertere. Proptetea multo labore ſe recognoſcat juvenis levatum, qui hoc opus tanta arte cernat laboratum, cum additionibus Joannis Amantis. Pariſiis anno Domini MD. apud Nicolaum Valterium, & Durandum Gerlerium.

Opus Sermonum de Adventû Domini apud Joannem Parvum anno MDXVI. Pariſiis. Quod ibidem iterum prodiit anno MDXIX. in quarto, & Venetiis MDLXXXIV.

Opus

Opus de triplici genere mortis, ſcilicet corporis, culpæ, & gehennæ, quod vulgò dicitur *Doctrinale mortis.* ibidem apud Joannem Marneſum anno MDXXIII. Quamvis antea editum fuerat apud Joannem Parvi in 4. anno 1518. & cum Itinerario Paradiſi Venet. 1588. in 4.

Opus Sermonum Quadrageſimalium ſuper Epiſtolas & Evangelia Quadrageſimalia, diviſum in duas partes, ibidem apud Joannem Parvum anno MDXXIII. imò apud eundem jam duplex editio adornata in quarto eodem anno 1518.

Opus Sermonum de Feſtivitatibus Sanctorum totius anni in duas diviſum partes, apud Damianum Hiſchinum anno MDXIV.

Opus Sermonum de Pœnitentia cum illius partibus, quod inſcribitur *Itinerarium Paradiſi.* Item opus de conjugio & viduitate, Pariſiis apud Joannem Parvum anno MDXXIV. Sex ante annis ibidem prodierant apud Marneſ. in 8.

Liber unicus complectens quatuordecim Sermones de Euchariſtia, ibidem apud Joannem Parvum anno ſcilicet 1518. in 4.

Hic auctor xxv. ad Ludovicum Pinellam epiſtolâ ſcribit, ſe commentarium in Cantica inchoâſſe. *Si Magiſter*, inquit, *Joannes ſit in urbe Pariſia, fac, ut quàm citiùs mittat ad me libros meos. Jam enim cœpiſſem ſcribere ſuper Cantica, ſicut jam cœperam, ut opus illud pedetentim conſummarem; ſed non valeo librorum meorum inopiâ cauſatus.* Sed neſcio, utrùm perfecerit, & perfectus publicam lucem aſpexerit.

Volumen Epiſtolarum, Pariſiis apud Joannem Parvum anno MDXXI. in 8. maj. Quarum ſumma capita libro ſequenti exhibituri ſumus. Scatet hæc editio innumeris mendis typographicis.

Collatio habita in Regali Collegio Navarræ in ſolenni feſto S. Ludovici per thema: *Domine, in virtute tua lætabitur Rex.* Hanc collationem ſequitur epiſtola Sebaſtiani Branti ad Chriſtophorum Baſileenſis Eccleſiæ Cuſtodem. Oratio verò illa de *Sancto Ludovico* habetur etiam in Tomo V. Scriptorum Franciæ Andreæ Quercetani.

Deinde *Collatio* habita in publico Conventu Cluniacenſium Ordinis S. Benedicti de perfecta Religionis plantatione, incremento, & inſtauratione. Hæc Oratio edita eſt ſeorſim an. 1499. Pariſiis apud Guidonem Mercatoris in 8. poſteà Argentorati apud Jo. Andream in 12. an. 1644.

In hujus Operis fine Brantus cecinit hos verſus;

Perlegat has chartas, ſi quem reverentia honeſti,
Aut ſuperûm tangat cura timore Dei.
Has legat in vera qui gaudet Religione,
Has legat & Monachus, qui bonus eſſe volet.

Sermones tum Quadrageſimales, tum de Adventu Domini; item Doctrinale de triplici morte naturali, culpæ, & pœnæ, & Itinerarium Paradiſi prodierunt Venetiis anno MDLXXV. & anno MDLXXXV. apud Altobeilum Salicatum.

Porrò *Joannes Raulinus* annos natus LXXI. Lutetiæ in Cluniacenſi Collegio migravit anno MDXIV. ad VIII. Idus Februarias, quo in loco poſitum eſt hoc Epitaphium,

Epitaphium.

Hic jacet Frater Joannes Raulinus, ſacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Cluniacenſis, luminare fulgentiſſimum, & quondam Decanus S. Dionyſii de Nongento Rotrodi egregius admodùm & indefeſſus ſuis temporibus Verbi Divini Prædicator, qui obiit anno ætatis ſuæ LXXI. Dominicæ verò Incarnationis MDXIV. menſis Februarii.

Alii ejuſdem cognominis.

Fuerunt autem eodem ſeculo dno alii ejuſdem cognominis, *Joannes Rolin* Æduus Cardinalis & Epiſcopus Æduenſis tit. *S. Stephani* in Cœlio Monte, qui patrem habuit Nicolaum Philippi Burgundiæ Ducis Cancellarium; Et ille obiit an. 1483. Et Joannes Rolin ejuſdem nepos in Camera Inquiſitionum Lutetiæ Præſes, Ludovici XII. Confeſſarius, idémque ex Decano factus an. 1501. Epiſcopus Æduenſis. De his & noſtro Raulino vide Cæſ. Egaſſ. Bulæum Hiſtor. Univerſ. Pariſ. Sec. 7. Tom. 5. pag. 896. Joan. Laun. in Hiſtor. Collegii Navarræ, Nizeron in Memoriis.

XXXI.

Obiit 1516. XIII. Decembris.

XXXI.
JOANNES TRITHEMIUS
Abbas Spanheimenſis.

MAgna *Johannis Tritbemii* fama & celebritas fuit ſub finem ſeculi decimi quinti, & initium decimi ſexti; cujus vitam, ex opinione V.C. *Joannis Georgii Eccardi* in prævia Obſervat. ad Trithemii Nepiachum Corpori Hiſt. med. ævi tom. 2. p. 1826. intextum, nondum quis exactè in literas retulit. Laudem hanc occupavit R. P. OLIVERIUS LEGIPONT Cœnobita ad S. Martinum Coloniæ Agrippinæ doctiſſimus, qui eam à ſe magno ſtudio & labore ſcriptam pro ſua humanitate mecum communicavit. Hanc verò in tres libros diſpeſcuit, quorum *primus* exhibet beatam ipſius vitæ analyſin, præclaráſque animi dotes, geſta, ſata & merita. *Alter* ejus ingenii monumenta ordine temporum recenſet. *Tertius* pios ejus manes ab iniquis obtrectatorum criminationibus & cenſuris vindicat, atque ipſius Operum ſimul edendorum ichnographiam repræſentat. Quæ omnia æquis rerum cenſoribus eò gratiora fore ſperamus, quòd *Tritbemii* in Hiſtoriam literariam, Civilem & Eccleſiaſticam, Germaniæ præſertim noſtræ, tam inſignia ſint merita, ut nemo grati hoc animi officium eidem præſtari non exoptaverit. Viro igitur docto aures benevolas præbeamus.

VITÆ & APOLOGIÆ
VEN. JOANNIS TRITHEMII
LIBER PRIMUS.
Exhibet beatam ipſius Vitæ Analyſin, præclaráſque animi dotes, geſta, fata & merita.

§. I.

TRITHEMII Elogium ex Felice Egger.

JOANNES TRITHEMIUS *magnum Eccleſiæ Bonum à ſummo Bono, illuſtre Ordinis monaſtici lumen & columen, ingens Teutonicæ gloria gentis, Eruditorum ævo ſuo æviternus phœnix, emeritus ſub Benedictinis Vexillis miles, vivus Prælatorum Archetypus, & virorum illuſtrium, qui Franconiam ipſámque adeò Germaniam eruditione, ſcriptis, ac nominis famâ ſæculo XV. declivi exornârunt, facilè Princeps*, magnâ incomparabilis ingenii laude, linguarum Orientalium peritiâ, ac omnigenæ eruditionis cultu, ſcriptorúmque varietate & copiâ, utì & vitæ ac morum integritate, rerúmque fortiter geſtarum magnitudine, non popularibus ſolùm ſuo merito nominatiſſimus, ſed etiam Gallorum, Italorum, Hiſpanorum, Anglorum, Scotorum, Batavorum, aliarúmque doctiſſimarum gentium inſignibus elogiis paſſim condecoratus: *Vir ſi doctrinam ſpectes*, inquit Arnoldus Wion, *ſapientiſſimus, ſi ſanctitatem, incomparabilis, & quodammodo, ut ita dicam, orbis miraculum, ac totius arca ſapientiæ*; Patriâ Moſellanus fuit, in *Trittenheim* (unde cognomen accepit) (d) Diœceſis Trevirenſis oppido ad lævam in deſcenſu Moſellæ fluminis ripam ſat frequenti & copioſo, Treviris, duodecim amplius millia paſſuum diſſito, quod veteres *Tripatrium* à trino dixêre judicio, natus anno humanæ ſalutis MCCCCLXII. Calendis Februarii, in ipſa Purificatæ Virginis nocte, horâ undecimâ, minuto ferè tricesimo. .. Patrem habuit *Joannem Paganotorum*, ut ipſe nuncupat, ſeu *de Monte Gentili*, vulgò *Heidenberg*, Matrem *Eliſabetham de Longo-vico*, honeſtos quidem, ſed mediocris fortunæ homines, ut quibus cultura vini vitæ neceſſaria miniſtrabat. *

Patria

Natales 1462. *Chron. Hirſaug. P. II. pag. 410.*

Parentes.

* At enim non ſanguinis, aut familiæ conditione, ſed virtutis amore ſpectari ingenia Auſonii ſententia eſt. *Virtus enim neque natalium imaginibus, neque cenſûs magnitudine circumſcripta eſt, neque tenuium ſordes aſpernatur, omnibus, in quibus amor laboris*

Natalium jura.

(d) Quamvis autem ipſe cognomen ſuum ſubinde ſine aſpiratione ſcripſerit, dubium tamen non eſt, quin potiùs debeat ſcribi *Trithemius* vel *Trittenheimus* cum aſpiratione; uti appoſitè obſervat *Lambecius* in Comment. de Bibl. Cæſ. Lib. II. c. 8. p. 806.

ris cernitur, ex æquo ſua claritatis communicans fructum. Hinc *Marius* apud Salluſtium, *Malo*, inquiebat, *Pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis Æacidæ ſimilis, quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles:* * probati námque viri genus *virtutis proſapia eſt*, inquit Ambroſius. Quia ſicut familiæ hominum ſplendore generis nobilitantur, ita animorum genus clarificatur ſplendore virtutis, & doctrinæ. Sua ergò natalium jura Trithemio ſalva eſſe debent, ut qui cum *Ovidio Naſone* meritò dicere poſſit:

* *Juvenal. Satyr.* VIII.

Sit quoq; noſtra domus vel cenſu parva vel ortu;
Attamen ingenio non latet illa meo.

Educatio. II. In hujus mundi ſcenam, quâ perſonam ſuam decenter ſuſtineret, ingreſſus *Joannes noſter*, mox cum adverſis certare, luctari, vincere cœpit. Cùm puer eſſet unius anni, patre orbatus eſt. Mater verò ejus ob amorem infantis, ne tenellus injuriis vitrici (*ut fieri amat*) exponeretur, vidua per ſeptennium manſit; quo elapſo ad ſecundas tranſiit nuptias, ex hoc thoro plures enixa liberos, qui tamen omnes in juventute obierunt, præter unicum filium *Jacobum* nomine, ad quem *Trithemius* itinerarium vitæ ſuæ, & plures epiſtolas conſcripſit. In hac nova ſtatûs reíque familiaris mutatione *Joannes noſter* aſperiori ſorte preſſus, vix non ſuccubuit. Dici enim vix poteſt, quot verbera, quot injurias, quot contumelias juvenis innocuus ab hirſutæ frontis vitrico ſuſtinuerit, quot imbres lacrymarum anguſtatus effuderit, priusquàm jugum ejus omni ſervitute crudelius ſubterfugere potuerit. His tamen omnibus adverſitatibus *incoctum generoſo pectus honeſto* maſculè objecit, jámque Ephebis egreſſus annum attigerat ætatis quindecimum, dum invitis Parentibus & cognatis literas furtivè diſcere cœpit, quarum amore ſuccenſus, & mirabili quâdam viſione de ſublimiori ſcientia aliquando conſequenda certior factus, nullis vitrici verbis, nullis verberibus à propoſito, quod inſidebat, dimoveri potuit. Quin quanto pluribus objectis premebatur anguſtiis, tanto ferventiori literarum diſcendarum ſtudio efferebatur. Nocte concubiâ ſopitis omnibus, ſeſe domo clanculùm ſurripiens ad vicinum quemdam amicum elegantiore literaturâ imbutum digredi cœpit, à quo *Alphabetum*, *Orationem Dominicam*, *Salutationem Angelicam*, *Symbolum Apoſtolorum*, *confeſſionem Altaris & reliqua* trivialium inſtitutionum rudimenta pueris primùm inſtillari ſolita brevì hauſit, eâ facilitate, ut Præceptor ipſe ſtupenda docilis ingenii & vivacis memoriæ ſpecimina in adoleſcente attonitus ſuſpiceret. *Quemadmodùm nempe maturè ſe produnt magna ingenia, animíque impetum ita detegunt, ut ad quæ nata ſint, vel ex primis adoleſcentiæ veſtigiis colligere liceat*, ita & Trithemiana virtus in ipſo puero enituit, ut, quis futurus eſſet, præceptoribus & patronis illicò patuerit. *Chron. Spanh. ad A.* 1483.

Ardor in literas.

Viſio de futura ſcientia. III. Utì verò *Philo Judæus* libro de ſomniis refert, immortalitatis candidatos, velut *Moſen* ſummo concentu & voluptate cœleſtium raptum extra corpus, quadraginta diebus & totidem noctibus cibo potúque abſtinuiſſe, atque hoc modo ſcientiam Dei hauſiſſe; ſic TRITHEMIUS (*ſi fas eſt magnis componere parva*) præter communem & humanum ordinem ad doctrinam præproperè videtur perveniſſe, ut qui juxta illud Eccli cap. 51. *Cùm adhuc junior eſſet, priusquam oberraret, quæſivit ſapientiam palàm in oratione ſua, & data eſt ei.* Sicut enim prodit ipſe in Chronico Spanheimenſi: *Ad unius anni ſpatium jejuniis & orationibus continuis duo quædam maxima à Domino Deo cum maxima intentione poſtulavit, quorum alterum fuit*, ſcientia ſcripturarum, *alterum nulli unquam ſe manifeſtare ſcribit. Ecce quadam nocte juvenis claro habitu ipſi dormienti adſtare viſus eſt, qui habebat duas tabulas in manibus; quarum altera ſcripta literis, altera depicta quibusdam imaginibus fuit, qui dixit ad eum:* Elige ex his duabus tabulis unam, quam volueris. *Mox Trithemius amore literarum, quas adhuc penitus illo tempore ignorabat, etiam dormiendo flagrans, eam tabulam, quæ ſcripta videbatur, elegit. Cui juvenis, qui apparuerat, dixit:* Ecce Deus orationes tuas exaudivit, dabítque tibi utrumque, quod poſtulâſti. *Alterâ mox die nihil illi de viſione cogitanti, mirabili occaſione data fuerunt principia literarum cupienti.**

* Equidem *Petrus le Brun* Oratorii Preſbyter in Opere ſuo gallicè edito ſub titulo: *Hiſtoire critique des pratiques ſuperſtitienſes Tom. I. pag.* 242. de hujus revelationis modo ita diſſerit, ut eum inter illas illuſiones collocandum exiſtimet, de quibus *Auguſtinus libr. 2. de Doctr. Chriſt. cap.* 24. ait: *Illi enim Spiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualiter eum irretitum per ſuſpiciones, & confeſſiones ejus viderunt...* Sed ſanè ſi rem juſtâ collectæ rationis trutinâ curatiùs expendamus, tantum abeſt, ut illius viſionis aut revelationis modus in hanc ſuſpicionem trahi queat, quin

Opinio Petri le Brun refellitur.

potiùs

Digitized by Google

potiùs inter illa media, ad quæ velut ad ſacram anchoram confugiendum nos docet Scriptura, collocari debeat, ita enim Jacobi 1. v. 5. *Si quis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo* Patreluminum, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat,*

Patruo cooperiſte ſcholas adit publicas.

IV. Hac itaque cœleſti, ut credere pronum eſt, colluſtratus viſione *Joannes* noſter, poſtquam aliquamdiu in natali ſolo operam dediſſet literis in occulto, jámque variis velut in proſcenio præludiis haud levem de ſe ſpem excitâſſet, mox ad altiora cœpit palàm eluctari. Tum enim amici ejus & loci Sacerdotes tantum juvenis ingenium amorémque literarum admirati, patruo ipſius *Petro de Heydenberg*, viro maturo, atque ſevero auctores fuerunt, ut quid ſibi tam vehemens doctrinæ cupiditas in eo portenderet, experiretur. Conſenſit ille, & ſe tutorem juvenis utpote patruus, reclamante vitrico exhibuit, etiam deinceps ejus patrimonii habere rationem cœpit. Sed commodum iſtud licet ingenuo juveni accidiſſet, adhuc tamen ſub duro inflexibilis vitrici jugo ipſi nonnihil ſudandum algendúmque fuit, dum tandem propitiori affulgente fortunâ, *evaſit domum novercam, ſicut Iſraëlitica turba Ægyptum, & iter trium dierum amore literarum in deſerto peregit.* Prima autem tyrocinii fundamenta apud Treviros poſuit, inde Coloniam Ubiorum tantiſper ſeceſſit, ac poſtremò in Heidelbergenſi athenæo trivialibus, ut vocant, ſtudiis coronidem impoſuit, iis ubique editis ingenii ac virtutis ſpeciminibus, quæ ab ipſis ludorum ſcholaſticorum præfectis mirum in modum extollebantur, *ita ut etiam præceptores ipſi palàm profiterentur, ſe nunquam docilius ingenium & memoriam vivaciorem in aliquo homine conſpexiſſe... Chron. Spanheim.*

Ejus in linguis oriental. Præceptores

V. Neque verò vulgares tantùm trivit ſemitas, ac intra latinæ ſolius linguæ cancellos ſeſe ingenuus adoleſcens continuit, ſed etiam orientalibus perdiſcendis animum curáſque appulit, uſus hac in re variis præceptoribus eâ ætate celebratiſſimis, quos inter primo nominandus loco occurrit

Joannes Dalburg.

illuſtriſſimus ille *Joannes Camerarius Dalburgius*, poſteà Philippi Electoris Palatini Cancellarius, ac demùm Wormatienſis Epiſcopus, quem in græcis tradendis literis & ſcriptoribus interpretandis palmam aliis ſui temporis præripuiſſe nemo ignorat, niſi qui in eruditorum hiſtoria planè hoſpes. Neque verò ampla ejus in ſe merita publicè diſſimulavit *Trithemius*, tum in nuncupatoria libri *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, cùm in ſuæ Polygraphiæ libro VI. ubi inter alia *doctiſſimus ille*, inquit, *quondam præceptor meus* JOANNES CAMERARIUS DALBURGIUS *Eccleſiæ Wormatienſis Reverendiſſimus Antiſtes aliquot millia dictionum græcarum collegerat, quæ in utraque lingua Græca & Germanica idem ſignificant...* Alii ejus didaſcali, quos etiam factus Abbas coluit, fuêre *Conradus Celtis* Protucius, natione Francus, Orator & Poëta laureatus, à quo grammatices & prima græcanicæ inſtitutionis rudimenta percepit;

Conradus Celtis

& *Joannes Capnio*, aliàs *Reuchlinus* gente Suevus ex oppido Pfortzheimenſi oriundus, *homo eruditiſſimus & ſingularis gratiæ docendi*, à quo in altioribus græcæ linguæ præceptis ſimul & in hebraicis meruit poſteà edoceri.

Capnio ſeu Reuchlinus,

Sed & Heidelbergæ in hebræis præceptorem habuit *Judæum* quemdam baptizatum tenuioris fortunæ hominem, ſed doctum, quem poſteà effectus Abbas ad ſe in monaſterium accivit, & quamdiu vixit, propter Deum enutrivit.

Judæus baptizatus,

In primo quoque libro Epiſtolarum Herbipoli ſcriptarum, *Libanium Gallum*, virum in omni doctrina celebrem, vocat *Præceptorum ſuorum optimum & poſt Deum fideliſſimum*, quo duce in Cryptographicis, Caballiſticis, & ſecretiore Philoſophiâ uſus eſt, ut ſuo ipſe in *Nepiacho* narrat. Non mirum itaque noſtrum maturè ingenium ad græcas potiſſimùm & hebraicas literas excolendum natum & formatum, publicis ſpeciminibus demonſtrâſſe.

Libanius Gallus.

Ingreſſus ad Monaſter. 1482.

VI. Annum attigerat ætatis viceſimum *Joannes* noſter, dum in Spanheimenſi apud Cynonotos O. S. B. Cœnobio haud procul Stauroneſo ſeu Crucinaco, duodecim verò ab Auguſtâ Trevirorum, & ſex à Moguntia milliaribus diſſito, ſub Venerabili Patre D. *Joanne de Colnhauſen* Abbate ſucceſſionis ordine XXIV. & in obſervantia Burſfeldenſium primo, Sacræ Religionis Benedictinæ habitum, non ſine divini Numinis afflatu & prodigio induit, quod ità contigiſſe prodit ipſe in Chronico Spanheimenſi ad annum MCCCCLXXXII. his verbis: *Cùm ex Heydelberga iter inſtituiſſet cum ſocio ſcholari ad patriam, monaſterium Spanheimenſe, quia in via erat, comite non modò perſuadente, ſed cogente potiùs, viſendi gratia* VIII. *cal. Februarii mane circa horam nonam intravit, factóque* *pran-*

prandio nihil minus, quàm Religionem cogitans incœptum iter continuaturus receſſit, cúmque viarum ignarus ad montem villulæ Bockenaw contiguum ambo veniſſent, cœpit oriri ſubitò nivium immenſa congeries, denſáque tempeſtas nubium, quæ non ſolùm viarum tramitem opplevit, verùm etiam facies ex adverſo confundens, oculos penè excæcavit. Suadenti ergo comiti itineris reditum ad monaſterium, cùm progredi non liceret, Tritbemius reſpondit: Verecundum nimis eſt redire; progrediamur potiùs quantum poſſumus. *Verùm præſtolantibus eis usque tertio ſub arborum tutela finem tempeſtatis, cùm prorsùs augeretur, iterum Tritbemius ad comitem ſuum dixit:* Revertamur ad Cœnobium oportet: Ecce me ibi manſurum videbis. *Hoc neſcio quo inſpirante Numine dixit, nihil etiam minus, cùm ea diceret, quàm Religionis introitum cogitans. Invitus igitur, ſed neceſſariò ad hunc locum reverſus, juxta verbum ſuum, quod neſciens dixerat, permanſurus,* Henrici de Holzhauſen p. t. *Prioris perſuaſione inductus animum mutavit, & in die Purificationis B. M. Virg.* (in cujus noctis vigilia mundo editus fuerat) *ſecularem habitum exuit, annorum cùm eſſet præcisè viginti, pòſt in die S. P. Benedicti Novitius factus, eodem anno* 1482. *in feſto puriſſimæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cum aliis tribus profeſſus ſecundam regulam fuit...*

Ejus ſtudia & converſatio monaſtica.

VII. Factus hoc modo monaſtices conſecraneus, ſicuti religioſæ converſationis ità pietatis & prudentiæ omnes explevit numeros, ſtudiúmque cùm primis SS. Scripturarum (quas ab unguiculis *ceu caſtas animæ ſuæ delicias* deperierat) & ſolitudinem cellæ omnibus aliis prætulit, uti ipſe in ſuo Nepiacho hiſce verbis commemorat: *Ex eo autem tempore, quo primùm ad Ordinem veni, nihil unquam mihi dulcius fuit, nihil jucundius, nihil ſuavius, quàm ſtudiis intendere Scripturarum, quibus & tempus non inutiliter expenderem, & mentem in cognitionem ſummi boni & eorum, quæ ſcire juvat, ſine intermiſſione pro viribus exercerem. Unde omnes horas, quas mihi de ſomno, de quiete, de ſolatio Fratrum ſubfurari potui, lectionibus & ſtudiis ſcripturarum cum maximo fervore deputavi, ità ut illum me diem perdidiſſe turpiter, crederem, in quo non aliquid utile legendo ex libris ſanctis didiciſſem... Hinc tandem uſu & conſuetudine factum eſt, ut omnibus deliciis mundi hujus atque ſolatiis hominum carere facilè didicerim, ſolo Scripturarum ſtudio, & quæ naſcuntur ex illo, meditationibus non minus ſanctis, quàm utilibus contentus.* Et alibi: *Harum*, inquit, *occupationum conſuetudine & amore mens delectata, ac velut ineſcata ſeipſam ſaltem vel in parte cœpit cognoſcere, & à noxiis vaníſque cogitationibus, ac diſcurſibus abſtinere.* Pulchrè enim & veraciter divus Hieronymns: *Ama*, inquit, *ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Unde & vetus Poëta canit:

Nil homini melius, quàm ſi divina legendo,
Figat ibi mentem, quo ſibi vita venit.

Eligitur Abbas 1483.

VIII. Tam plauſibili exordio felix de ſe novellus Religionis alumnus præjudicatum inſpiraverat, cùm ſecuto inde anno 1483. *Joannes de Colnhauſen* loci Antiſtes (*qui multum Trithemii ſtudiis afficiebatur*) conſenſu & voluntate Domini ALBERTI Sedis Moguntinæ Adminiſtratoris ad Seligenſtadienſium Monachorum regimen in locum demortui *Reinhardi* translatus eſt, reſignatâ Spanheimenſi Abbatia die XXVII. Julii in manus ſui Capituli. Quocirca *Henricus de Gelnhauſẽ* eo tempore Spanheimenſium Præſes, cæteríque Capitulares decretâ ad novi paſtoris electionem die XXIX. Julii, per nuntios & literas, abſentes more ſolito convocârunt, præmiſſóque triduano jejunio & orationibus conſuetis, Viſitatoribus ſibi ab Ordine deputatis *Hermanno* ſancti Jacobi prope Moguntiam, & *Conrado* S. Joannis in Rhingavia Monaſteriorum Abbatibus ad præfixum diem unà cum *Joanne de Colnhauſen* recens in Seligenſtadium translato, comparentibus, negotium *Electionis* in Dei nomine ipſo *S. Felicis* Papæ & Mart. die IV. cal. Auguſti celebrandum inchoârunt. Miſſa de Spiritu Sancto ſolemniter decantata convenientes ad locum capitularem Fratres, viam *compromiſſi*, quæ videbatur tutior, in electione ſervandam ſuſceperunt, compromittentes in *Hermannum* S. Jacobi Moguntiæ & *Joannem* Seligenſtadienſem Abbates; ac tres de gremio, *Henricum de Gelnhauſen*, Præſidentem, *Joannem de Dona*, Cuſtodem, & *Joannem de Dreyſa*, Magiſtrum donatorum, ut auditis in occulto ſingulorum votis coram Notario & Teſtibus illum in Abbatem eligerent, in quem major & ſanior pars ſua vota direxiſſet. Scrutatis itaque

per compromiſſ.

ſuf-

ſuffragiis, cecidit ſors in *Joannem Trithemium*, omnium in Ordine juniorem, neque ut ſuſpicari proclive eſt, adhuc Presbyterum, utpote qui alterum duntaxat ſupra vigeſimum ætatis an̄um (e) attigerat, & per octo ſolùm menſes & aliquot dies Profeſſus erat. Quam ob cauſam, factæ de ſe electioni reclamâſſe pluribus ipſe in locis memorat, nominatim in quadam ad Moniales epiſtola eo tempore conſcripta, & in prologo ſui commentarii de regimine Clauſtralium his verbis: *Cùm ars artium ſit regimen animarum*, ut dicit S. Gregorius in ſuo Paſtorali, *miſer eſt, fateor, qui antè compellitur docere quàm diſcat, & viam oſtendere aliis, quam ipſe nunquam ambulavit. Ecce compellor ego ſimul diſcere & docere, & aliorum eſſe ductor, priusquam fuerim viator, & cum Propheta eligam clamare ad Dominum & dicere*: A, a, a, Domine, neſcio loqui, quia puer ego ſum. *Puer ſum inquam, vitâ & ætate, doctrina parvulus, ingenio exiguus.*

Confirmatur. IX. Publicatâ interim electione omnes unanimiter in eum conſenſerunt, & decreto electionis propria manu ſubſcripſerunt; quo ad curiam Archiepiſcopalem directo, ac de more examinato, probatóque, eodem anno in feſto Aſſumptionis B. Virginis Mariæ per *Albertum* Sanctæ Sedis Moguntinæ Adminiſtratorem in caſtro *Steinheim* confirmatus eſt, præſentibus ibidem *Hermanno* S. Jacobi Mog. *Joanne* Seligenſtadienſi, & *Melchiore* Schonavienſi cognatæ nobis diſciplinæ Abbatibus. Poſt hæc Presbyter ordinatus, eodem anno die quinto idus Novembris, quæ fuit Dominica ante feſtum S. Martini, à *Bertholdo* Pariadenſi Epiſcopo, alte-fati D. *Alberti* in Pontificalibus Vicario, munus benedictionis accepit in ecclesia S. Jacobi prope Moguntiam (Benedicitur.) aſſiſtentibus ſibi, ex more pontificalibus indutis, præfato *Hermanno* ejusdem loci, & *Anſelmo* Lympurgenſis Cœnobii, Abbatibus ab eo rogatis. Quantum verò ab hujus dignitatis ambitu fuerit alienus, quàm eâ ſibi impoſitâ modeſtus, prodit ipſe in locis mox citatis, ſed digna cumprimis ſunt, quæ huc liberaliùs admetiar verba ex primo Exhortationum libro ipſius deprompta; itâ enim perorat in Hom. 2.dæ exordio: *Quotieſcunque Fratres chariſſimi! ad memoriam recordatio illius momenti venit, quando reclamantem & renitentem me vobis indignum conſtituiſtis Abbatem, totiens amaritudine cordis mei totus in memetipſo concutior, & lacrymas etiam invitus & nolens fundere compellor. Cur ita voluiſtis Fratres? juvenem me, indoctum & nequaquam idoneum ad militiam quam profitemur, erexiſtis in ducem, ut mihi docere ſimul & diſcere jam ſit neceſſarium, quando nec vitæ perfectio commendat doctrinam, nec ætatis conſideratio neceſſariam paſtori adhuc conſequitur auctoritatem.*

X. Vocatus igitur tanquam Aaron ad præfecturæ munus, non modò quicquam de prioris ſtudii fervore remiſit, quin potiùs auxit, & continuavit tanto ferventiùs, quanto jam liberiùs potuit, nemine ipſi innatam ſtudendi ſedulitatem invidente; ſiquidem & major neceſſitas ipſum jam ad ſtudium Scripturarum perurgere videbatur, tum ratione dignitatis aſſumptæ, in qua neceſſe erat non ſolùm diſcere, ſed docere, tum verò nê propria eum ignorantia confunderet coram Fratribus ſuis, quorum aliqui ſenes, alii revera docti, non̄ulli etiam ſcioli videbantur. Ne igitur in horum conſpectu contra normam curæ paſtoralis turpiter obmuteſcere, aut ignarus cum verecundiâ loqui cogeretur, omne tempus, quod ipſi à ſollicitudine, & curâ rei familiaris ſupererat, ſtudio & lectioni Scripturarum impendit, multáſque noctes ingenti fervore ſtudendo peregit inſomnes, interdiu etiam legendi ſtudium neceſſario cibo & obſonio præferens corporali. Quin Scripturas bonarúmque artium ſcientiam tanto deinceps ardore, etiam usque ad quorundam in vicino *Rapophagorum*, ut vocat, invidiam eſt proſecutus, ut ex corde omni tempore paratus eſſet Abbatis dignitatem potiùs, quàm ſtudium literarum relinquere. Itâ enim ipſe Homilia IV. ad Fratres: *Abbas*, inquit, *ſum veſter, quamdiu voluerit ille, qui me vocavit; ſi alterum è duobus oporteat, Abbatiam malo dimittere, quàm ſancto Scripturarum ſtudio renunciare. Scio enim verè, nihil in hac vita homini clauſtrali ſalubrius poſſe contingere, quàm ſi divinas cœperit Scripturas veraciter amare.*

Abbas ſtudia continuat.

Trithemius SS. literarum amantiſſimus.

XI. Tanto itaque cùm arderet ſcientiarum amore, tantáque in literas teneretur aſſiduitate, ſed curta admodum librorum ſupellectile non parum retraheretur à propoſito, incœpit paulatim codices ſibi comparare neceſſarios, legeréque diligentiſſimè comparatos, quotieſcunque tempus dabatur

Prima ſcriptionis tentamina.

Ee 3 &

(e) Videſis *Gall. Chriſt.* Tom. V. pag. 640.

& otium. *Et quia multum legere, & nihil ſeligere, negligere eſt*, tandem anno ætatis ſuæ XXIII. Chriſti 1484. ipſa die S. Mathiæ Apoſtoli honoribus ſacra, cogitationes ſuas, *rudis adhuc* (ut pro ſua moderatione loqui amat) *& indigeſtus ſcriptor* cœpit literis demandare, non eo quidem tunc animo, quo crederet ſe ſuis lucubrationibus alicui profuturum, ſed ut ſibi vel ſoli conſulens proficeret, dum ſanctorum Patrum ſententias de occurrente qualibet materia in unum corpus, veluti pulcherrimos lapides ad ſtructuram ineptus magiſter non ſatis ornatè comportans pro modulo ſuo redigeret, quo ſemper in promptu haberet de quavis Virtute aut vitio, quod fratribus ſuis verbum exhortationis indies more ſuo proponeret. Ita ipſe in prologo libri de regimine clauſtralium, *cùm nuper*, inquit, *ad regimen animarum inſufficiens fuiſſem aſſumptus, & factus magiſter, antequam diſcipulus eſſem. . . ſubiit animum aliquid colligere, & de ſanctorum promptuariis mendicare, ut loquens habeam ad manum quod placeat audientibus.* Alias hujus ſui conſilii cauſas profert in epiſtola ad Rogerium Sicambrum: *ut* nempè, *dum hæc ageret, vanis & inutilibus vel etiam noxiis cogitationibus viam præcluderet, & ingenium uſu ad quamdam facilitatem exerceret.* Unde alibi: *dabit mihi, ſicuti confido, in ſcripturis exercitatio uſum, & continuata ſcribendi ſollicitudo profectum...* Eſt enim calamus occultus quidam magiſter, docétque diſcentem prope inadvertentem, & ut Cicero ajebat: *diuturna obſervatio notandis rebus facit artem.* 2. de Divinat. Cura ergo illi prima fuit nudas Patrum ſententias excerpere, & in locos communes juxta materiæ ordinem, tanquam lapides futuri alicujus ædificii, congerere; ſed cùm iſta farrago, quaſi murus ſine cæmento, diſtorta & nulla æqualitate videretur ſurſom erecta, calcem ſuorum quoque verborum cœpit interponere, & ad inſtar novi artificis murum æquata jam ſuperficie continuare. Hinc tempore uſúque factum eſt, ut & in dicendo ſucceſſivè proficeret, & componere *Orationes* primò, tum *Epiſtolas*, poſtea etiam *Tractatus* pro ſua devotione, abſque crebra Doctorum allegatione, ſtyli exercendi gratia inciperet. *Ex ejus Nepiacho.*

Locos communes congerit.

XII. Profuit autem illi plurimùm *puerilis iſta*, ut vocat occupatio, in qua non ſolùm dictu Præceptorum, ſed imitatione quoque & longa conſuetudine pro ſuo exercitatus modulo, tam facilis ad quælibet occurrentia dictanda factus eſt, ut omnes etiam doctiſſimi de ejus orationis facilitate, ſeculo adhuc barbaro mirarentur, & qui eum ſcribentem tempore quocunque non præmeditata viderunt, fluere orationem potiùs quàm ſcribi aſſererent. Maluit verò in didacticis argumentis ſermonem pulvere, ſed erudito oblitum, quàm ceruſca & pigmentis incruſtatum. Sic namque ipſe: *Eloquentiam*, ait, *non quæſivi, nec ornatum ſermonis nitidum curavi, propterea quod Monachis clauſtralibus ſcribere ſimplicibus, non eruditis, ſtatui, & animos ædificare potiùs quàm mulcere auditum legentium optavi. . . Monachorum quippe eſt non verba ornare, ſed opera, mentem potiùs componere, quàm dictionem, curare ne oberret ratio, non oratio.* Idem ferè repetit in Oratione VII. ad Abbates his verbis: *Nitorem coruſcantis eloquentiæ in orationibus à me habitis nunquam adhibui: interruptrices ſententiarum, quas* introductiones locales *nonnulli appellant, uſque ad invidiam omiſi, ne vel ſimplicioribus ſenſum neceſſariæ admonitionis politiore tractatu occulerem, vel memoriam nimia locorum aſſumptione perturbarem. Mentes enim auditorum meorum ad internam compunctionem divinúmque amorem commoveri ſemper plus optavi, quàm vel in mei admirationem, vel in amorem ſcientiæ ſecularis. . .* Cur autem planam, lucidam, & allegationibus vacuam ſcribendi methodum aliis ſuo tempore uſitatis prætulerit, indicat in exordio orationis quartæ. Cæterùm non ſatis fuiſſe elegantis ingenii viro veritate & rerum majeſtate ſuos oblectare lectores, niſi etiam dictionis venuſtate & ſtylo facundiſſimo, tinnulóque eoſdem afficeret, teſtantur accurata, quæ adhuc juvenis protulit opuſcula, in quibus omnino ſermonis puritas cum gravitate doctrinæ ita videtur concertare, ut etiam *Hortenſius* in ejus comparatione deficeret, qua quidem de re ipſum collaudans *Rutgerus Sicamber* hanc ſui judicii rationem reddit: *Quia ſuas*, inquit, *cogitationes ſcriptis mandare, nec eas ordinare, neque efficere quadam ſuavitate & dulcedine tales, ut auditores lectoréſve demulceant, hominis abutentis & otio, & literis. Sed Trithemio ſtulta videbatur præſumptio, materia deſpecta, pulchram velle depingere formam*; Ideò utrumque ſtuduit combinare, non tamen adeò ſcrupuloſè,

Exercitationis profectus

ſcribendi facilitas

& ſtyli ratio,

ut

ut in brevia maluiſſet incidere & ſyrtes, quàm dictionem protuliſſe non rectam.

Vigilantia in ſtudiis.

XIII. Quamquàm verò primis aditæ præfecturæ annis *Tritbemius*, ut dixi, multis premeretur anguſtiis, ipsáque exterior rei familiaris occupatio, & loci inopia, ſæpiùs eum à ſalutari ſtudio retraherent Scripturarum, & animum contra voluntatis propoſi tum aliorſum transponerent, attamen ille omnes horas ab aliis negotiis vacuas ſic porrò impendit, *ut noctibus atque diebus in exercitio boni operis ſemper vigiliam mentis ſumma cum devotione perageret, nullum tempus otioſum vel feriatum ſibi præterire ſineret, nunquam ab occupatione vel lucubratione languidus ceſſaret.* Quippe hanc ille ſibi cum D. *Hieronymo* præfixerat vivendi normam, *ut orationem lectio exciperet, oratio lectionem terminaret.* Subinde etiam rei familiaris curas ſeponebat, ut ſtudiis & lucubrationibus commodiùs inſiſtere poſſet. Probant hoc ipſum ea, quæ in nuncupatoria Sermonum ad Fratres com̃emorat his verbis: *diebus tantummodò feſtis atque Dominicis mibi ad ſcribendum conceditur otium, in quibus ob Dei reverentiam nullas ſoleo admittere cauſas ruſticorum. Interdum etiam poſt decantatas ex conſuetudine laudes matutinas, quod reliquum eſt noctis, ſtudio literarum ſoleo impendere, & aliquid pro fratrum meorum inſtitutione, prout poſſum, lucubrare... & ne fruſtra locum videar occupare Paſtoris, quod noctibus lucubravi, ſoleo poſt nonas loco regularis ſtudii dicere, & coram fratribus in conventu ex chartula recitare. Experior enim, quòd bæc mea ſollicitudo non ſolùm fratribus ad ædificationem proficit, ſed etiam mibi ad dictandi peritiam conducit.* Huic rei argumento ſunt ea, quæ è primis ipſius ingenii fœturis ſuperant ſpecimina, *Homiliæ & Sermones* verè melliflui, quibus non modò fratrum ſuorum animos in unitate pacis & diſciplinæ conſervavit, ſed plures alios erudivit ad juſtitiam, & ab iniquitate plurimos avertit.

Obtrectatorum cavillationes

XIV. Atenim tametſi ſuos in ſacra obſervantia jugiter inſtitueret monachos; nihil de cura temporalium, nihil de ſollicitudine paſtorali ob lucubrationes remitteret, fuêre tamennonnulli, qui obſtipo capite ei ſuccenſerent, ejúsque ſtudiis usque ad invidiam obſtreperent, ARATOREM *ſe malle babere Prælatum, quàm* ORATOREM *cavillantes. Immò* quod narrat ipſe Homilia IV. *Viſitatores in ſuam trabere ſententiam tentaverunt, cupientes, me illorum bortatu in abnegationem traducere ſcripturarum, ut Ruricolam facerent, & porcorum curatorem potiùs quàm animarum... Sed fruſtra,* pergit ipſe, *conantur divinum impedire oraculum, quo impellente omnes mundi bonores atque divitias, quamdiu vixero, ſtudiis poſtponere decrevi ſcripturarum... Scio enim verè, nibil in bac vita bomini clauſtrali ſalubrius poſſe contingere, quàm ſi divinas cœperit ſcripturas veraciter amare. Quisquis veſtrûm banc inſtitutionem meam ſequi voluerit, me ducem itineris pariter & comitem babebit; qui autem ſequi diſcentem contempſerit, docentem nibilominus audire compelletur vel invitus. Hæc dixerim in eos, qui terrena ſapientes & caduca, timorem Domini à ſe abjiciunt, qui omnia penè ignorantes, diſcere contemnunt.* Ita ipſe in laudata Homilia. Tum verò in prologo commentarii in Regulam *S. P. Benedicti*, adversùs eos, qui aſſerebant, *ipſi non licere Regulam exponere, aut aliquid ſcribere,* fervidior aſſurgens: *Dicas mibi,* inquit, *detractor malevole! Num Abbati liceat fratribus ſuis prædicare verbum Dei an non? Quod ſi reſponderis;* liceat omnino, & neceſſarium eſt. *Interrogo te, cur bunc quem facit ſermonem, cum labilis ſit memoria bumana, non debeat conſcribere in charta? Ad boc quippe uſus literarum inventus eſt, quatenus bominibus res geſtas verba prolata ad memoriam reducant. Quid ergò laceras me bominem, qui meam excolo devotionem ſine alicujus nocumento? Si enim mibi docere licet fratres meos, & regulam eis juxta conſtitutiones SS. Patrum verbotenus explicare, quare non licebit & mibi ſcribere quod ſentio? Obſecro te, quicunque es, non ſis mibi moleſtus; te non offendi; ſi legere mea dicta piget, detrabere quoque pudeat. Hæc contra æmulos dicta ſufficiant.*

Ejus moleſtiæ reliquæ.

XV. Threnodias texere videbor, ſi cæteras, quas primis quidem jam tum aditæ Abbatialis præfecturæ annis ſuſtinuit moleſtias & ſimultates, fuſiùs proſequi voluero. Paucis ipſe multa complectitur, dum Homilia 2.da. *in iſto,* inquit, *jam triennio ſatis experior, quantis ſum miſeriis involutus, dum omnium veſtrûm portare infirmitates ſolus ipſe compellor, & à nemine infelix ego ſupportor.* Unde jam tum minabatur ſe Abbatiam dimiſſurum citiùs, quàm ſtudia ſua, ſubinde illo uſus paradigmate: *Monachi reprobi non*

meren-

merentur Abbatem habere bonum. Hinc & in quadam ad *Joannem de Colnhauſen* anteceſſorem ſuum epiſtola anno 1486. data prope illacrymans : *Neſcio*, inquit, *ſub quo ſydere infortunato monaſterium iſtud Spanheimenſe conſtet exſtructum, quòd Abbas in eo moritur rarus, ſed omnes pene tædio affecti, jam fermè ab annis ſeptuaginta, ſicut ex annalibus reperi, ſpontaneâ voluntate ceſſerunt, fratrum nempè injuriis malè oppreſſi, quæ quidem ſuper me quotidie omnia duplicantur.* Plura poſſem referre ſimilia, ni pudenda memorare pigeret. Erant autem viri quidam probi, & timorati, qui eidem ſedulò perſuaderent invidiam æmulorum minimè pertimeſcendam, dicentes : *Volupe invideri, at invidere probrum eſſe ingens.*

Fautores ſtudiorum.

Hos inter Trithemii fautores præcellebant laudatus *Joannes Seligenſtadienſis* Abbas, *Conradus de Rodenberg* S. Joannis in Rhingavia Antiſtes, & *Melchior* S. Floriani in Schonavia, viri maturi & eruditi. *His*, inquit ipſe, *ac quibusdam aliis adjutus invidiam latrantium canum ſurda aure tranſivi, quousque tam multorum patrocinio ſuffultus etiam ſuperavi, & evici penitus, ut viſio tabularum ante plures annos verificaretur oſtenſa... Ex ejus Nepiacho.*

Parta ex eruditione & ſcriptis fama.

XVI. Eas itaque, quas dixi, prætergreſſus moleſtias, ſecutis inde annis, ubi jam firmata virum ſecerat æras, præclaram ſanè non tantùm ex alienæ eruditionis opibus congerendis excitavit ſui nominis apud omnes exiſtimationem, ſed etiam ex locupletiſſimis proprii ingenii doctrinæque gazis eam longè latéque reddidit adeò illuſtrem, ut utrarumque opum ſplendore illectos mox doctiſſimos homines non modò ex Germania univerſa, verùm etiam ex provinciis longa intercapedine disjunctis, viſendi magni animo & corpore TRITHEMII, ſpectandíque literarum theſauri apud Cynonotos, gentem obſcuram retruſi & defoſſi, percupidos dietim propè exciverit, totíque deinceps orbi erudito ſtuporem pepererit & admirationem, quando inter ſummas rei familiaris anguſtias, & *furentes*, ut loquitur, *rerum mundialium occupationes*, ac creberrimas ad diverſa monaſteria profectiones, tot tamen ſubitò librorum tractatuúmque, quaſi ſuperſœtante ſemper alvo effudit partus, ut mirum ſit, ei vel exſcribendorum, minióque, utì conſueverat, exornandorum, otii ſatis ſuppeditaviſſe. Sicut autem doctrina & eruditione quaſi lumen aliquod, cæteris extinctis, ſuo ævo eluxit, ità ſummam dedit operam, non ſolùm ut ſacras familiæ Benedictinæ, quam profitebatur leges, ritus, hiſtorias ac univerſam religioſæ vitæ & diſciplinæ panopliam ſcriptis illuſtraret, ſed etiam ut artium liberalium, ac ſacrarum maximè Scripturarum ſtudia, prioribus ſeculis quaſi abacta & proſcripta tum in Ordine Benedictino, cùm in orbe Catholico univerſo priſtinum recuperarent nitorem, iſtud demùm ſuo quaſi jure promeritus, ut non tantùm *Multiſciis ac Polygraphis*, ſed & ſummis Heroibus literariis, primíſque renaſcentium per Germaniam literarum inſtauratoribus adſcribatur ſocius ab eruditiſſimo Literatorum cenſore RICHARDO SIMONIO *Bibl. crit. Tom. IV. Epiſt.* 21. Cui conſonat Andreas Thevetus in elogio Trithemii ità reſcribens : *Je puis l'appeller une phare eclairante de ſon âge, auquel les lettres demeuroient enſevelies, & eſt un de ceux, qui prémier les a reſuſcitées & élairées.*

Ejus animi & corporis dotes

XVII. Elucebant autem eo in viro omnia requiſita, quæ & hominis literati, & boni Præſulis eſſe ſolent : vitæ ſanctimonia, morum integritas, prudentiæ decus, judicii dexteritas, laboris amor, animi conſtantia, diſciplinæ regularis ſtudium, converſandi ſacilitas, paſtoralis ſollicitudo, & in peragendo officio aſſiduitas. Erat tam eleganti aſpectu, tam placido ornatus eloquio, vultu tam ad omnem humanitatem, ſuavitatem ac modeſtiam compoſito, ut intuentium animos in ſui raperet admirationem ſimul & amorem. Hanc externam corporis ſpeciem interna animi compoſitio indiſſolubili nexu comitabatur, támque ornatè cohoneſtabat, ut nihil in ipſo niſi excelſum, niſi majeſtuoſum, niſi ſummo Prælato dignum eluceſceret. Internam animi gravitatem exprimebat in dictis & ſactis maturitas non Religioſis modò, ſed etiam ſecularibus reverenda & metuenda, eo usque, ut in ejus præſentia homines cæterùm diſſoluti & leviſſimi, quaſi quodam numine intus violenter prohibente, non niſi honeſtatem & modeſtiam potuerint exhibere. *Omnia ejus verba erant ratione, & utilitate referta, ſale condita, & quadam auctoritatis majeſtate veneranda; caritas enim Dei, quæ in ejus pectore fervebat*, nullum exire *verbum otioſum vel inutile permittebat.* Jocoſus quidem interdum erat, nunquam

verò

verò diſſolutus, ipſámque hilaritatem ita temperabat, ut ridenti riſum nemo crederet. Cujus quidem rei teſtimonium adfert *Ragerius Sicamber*, Canonicus clauſtralis in Hagen, Trithemii familiaris, in ſua ad eum Epiſtola his verbis: *Scripſi nuper quoddam prognoſticon jocis & facetiis plenum, quod multis placet, ſed quoniam tua cenſoria ſeveritas jocos aſpernatur univerſos, non integrum judicavi ea mittere ad te, qui maturitate vitæ atque verborum nimium eſſe nugis formidabilis ſoles...* Confer. *Epiſt. 2. & 16. libro 2. & Conradi Celtis Carmen.*

Regendi dexteritas

XVIII. Hanc matotitatem morum ſequebatur majeſtas & authoritas regendi, ut non tantùm deſtinatione divina, ſed humana quoque & naturali diſpoſitione ad ſupremum monaſterii regimen factus videretur. Qualem verò ſe ſe in officio exhibuerit, ipſe luculenter nos edocet, dum boni Antiſtitis dotes, adeóque ſuas hiſce coloribus depingit Homilia XVI. *Abbas*, inquit, *ſe monachis ſuis dignum in omnibus ſtudeat exhibere paſtorem, qui oves Chriſti ſibi commiſſas verbo paſcat & exemplo in omni manſuetudine charitatis. Non conturbet fratres ſine juſta & rationabili neceſſitate, non ſit contemptor ſanctæ communitatis; diſpenſatorem ſe rerum monaſterii agnoſcat, non dominum. Non ſit diviſor ſubditorum ſuorum, non turbulentus, non importunus, non tyrannus, ſed amator eorum ſincerus, ſermone placidus, moribus lenis, & integer, converſatione ſanctus, conſcientia mundus, mente in Deum ſemper devotus.*

Prælatorum typus.

Curam gerat animarum ſibi commiſſarum omni tempore ſollicitam, & nihil eorum negligat, quæ ad ſalutem eis videntur poſſe conducere. Non ſe propterea in altum extollat, quoniam rector aliorum poſitus eſt, ſed meminerit ſibi tantò metuendum amplius, quanto ad reddendam pro omnibus rationem in tremendo Dei judicio certiſſimè eſt obligatus. Superbos, rebelles, & contumaces, quaſi dominus corrigat; humiles, & obedientes, & dirigibiles, ut pater manſuetiſſimus benignè foveat, & unicuique ſine perſonarum acceptione jus ſuum ſapienter diſtribuat. Matrem ſe ac nutricem monachorum ſemper exiſtimet; & ideò quos manſuetudine poteſt ad meliora reducere, importunis verbis, & duris invectionibus non debet exacerbare. In ſuis diſcat infirmitatibus quemadmodum oporteat eum ſubditis miſereri. Bonus enim paſtor animarum eſſe non poteſt, qui neceſſitatibus infirmantium ſubditorum ex animo compati dedignatur. Ille verò bonus inter Monachos Abbas fieri poteſt, qui ſe perſonis infirmantium ita novit comparare, ut quotiens aliquid frater ab eo poſtulat, perſonæ formam in ſe poſtulantis aſſumens in corde ſuo dicat: Quid mihi fieri vellem in hoc negotio ſecundùm rectum judicium rationis, ſi eſſem in perſona poſtulantis? *Enim verò ſi Abbas imaginetur ſe ſubditum, nullum à ſe dimittet abire contriſtatum...* Et infrà fratres ſuos alloquens: *Audiſtis*, ſubdit, *qualem ego me vobis debeam exhibere paſtorem; quod utrum faciam nec ne, vos ipſi meliùs, quàm ipſe, judicabitis... Neque enim paſtorem me malum confido, quippe qui nihil magis quæro, quàm fraternam in omnibus nutrire & amplificare charitatem.* Hæc ille Hom. XVI. & XX.

Cura pro monaſterii commodis.

XIX. Tot igitur & tantis cùm fulgeret tam corporis, quàm animi dotibus & prærogativis, non literis modò (*quod Myſantropi quidam faciunt*) ſed cumprimis Abbatiæ ſuæ commodis, laudibúsque & decoribus nervos adeò feliciter & ſtrenuè intendit, ut ex luteâ lateritiam, ex ignota famoſiſſimam brevì reddiderit. Eò namque omnem ſtatim curam & ſollicitudinem appulit, ut quæcunque ejus tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus incrementum concernerent, ſolerti ſtudio perageret. Et primis quidem ſui regiminis temporibus, *curtem in Nosbach* à centum & ultra annis oppignoratam, aliáque prædia ære alieno, & oneribus variis ab olim prægravata, multis laboribus & impenſis redempta ad poſſeſſionem Monaſterii maximam partem reduxit. Multa ædificia collapſa, aut ruinoſa inſtauravit; Hypocauſtum hoſpitum, Triclinium fratrum, conclavia, promptuaria, cellas & alia id genus plura conſtruxit; Horreum quoque ex ſolido lapide à fundamentis ad ſumma tecta eduxit; Eccleſiam multis clenodiis & ornamentis ditavit, ſacella & altaria erexit; Sanctorum reliquias quamplurimas & notabiles ſacrario intulit; Campanas, organum, exedras & ſimilia, quæ in digitos mittere & ſigillatim cenſere longum foret, fieri fecit. Toti denique monaſterii fabricæ ſenium detraxit, ac in novam, eámque elegantiorem formam plenè commutavit, uti fuſiùs per partes eundo commemorat Chronicon Spanheimenſe.

Sollicitudo in ſpiritualibus.

XX. Nec minor illi pro ſpiritualibus & regularis diſciplinæ cultu ſollicitudo fuit. Nil quippe antiquius, ni-

hil altiùs cordi Infixum habuit, quàm ut ſanctam illam Bursfeldenſium obſervantiam recens in ſuo Cœnobio implantatam excoleret, & florere ac frugeſcere uberiùs faceret. Utq́ue exemplo aliis præiret, omnes ipſe reformati canonis apices exactè cuſtodire, tum ſubditos per ſingulas ejus periodos ducere, atque ut preſſo pede veſtigia tererent, indefeſſa paſtoralis vigilantiæ curâ hortari ſollicitus fuit. Hinc doctrinæ opportunitate & conſtantia infirmos confirmare, vacillantes conſolidare, depravatos convertere, verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ continuò diſpendere, omnésq; & ſingulos opportunè, & importunè, publicè, ac privatim, fortiter & ſuaviter ad cultum veræ ſapientiæ excitare quotidiana *Trithemii* exercitatio fuit. Et quamvis, ut ipſemet deplorat, ſementem ſæpiùs in petras & arida pectora ſparſerit, nullíque minùs, quàm filiis ſuis placuerit, ipſe tamen ceu fidelis ſervus & prudens in officio conſtans perſtitit, boníſque operibus & ſtudio jugiter infundans ſuæ pietatis & doctrinæ ſplendore ſubditorum deformitates & vitia ſic porro obumbravit, texítque, ut cœnobium Spanheimenſe velut ſchola eruditionis & diſciplinæ ubique eluceret, ac elegantioris literaturæ cultores iſthuc gregatim acciret.

Ejus converſatio.

Et verò TRITHEMIUM ipſum quod attinet, luculentum planè de irreprehenſibili ejus converſatione & internæ perfectionis ſtudio teſtimonium præbet *Joannes Centurianus de Cluſardia* parochus in Tritenheim, qui biennio ſub ejus magiſterio pro diſcendis græcis hebraicíſque literis, ſalutaríque ſcientia Scripturarum haurienda in Spanheimenſium contubernio verſatus, *nihil*, inquit, *unquam videre potui, nihil audire de Te, quàm ſanctum, integrum & religioſum. Sed in tanta te vidimus puritate converſantem omni tempore, ut ſatis miraremur. Cæteris dormientibus, tu in ſacro Scripturarum ſtudio vigilabas, ſemper aut legens, aut ſcribens aliquid pro communi utilitate multorum. Nemo te unquam reperit otioſum, nemo comeſſationibus, aut potationibus vacantem audivit, nemo riſu aut levitate aliqua te vidit diſſolutum, cum mulieribus loquentem aut converſantem, unde mali poſſet oriri ſuſpicio, nemo te unquam invenit. Hæc ille Epiſt. 16. Libr. 2. famil.*

Fama Monaſterii excitata

XXI. Tali ergò prælucente ſydere refloreſcere mox omnia, ac in tantum locus hic alias obſcurus & vicinis vix notus increbreſcere cœpit, ut deinceps velut omnis eruditionis & diſciplinæ ſeminarium haberetur. Quippe cujus vel *parietes muti*, ut habet Chronicon Spanheimenſe, *plus continuerint doctrinæ, quàm aliorum pulverulentæ Bibliothecæ.* Et de fama quidem hujus monaſterii per Trithemium excitata locuples teſtis eſt *Joannes Godfridi* paſtor in *Mandal* vicino Abbatiæ oppido in epiſtola ad Trithemium, quæ eſt 16. libr. 2.^{di} ubi: *Quid*, inquit, *erat Spanheim, antequam Trithemius eſſet in eo? aut quis nomen ejus procul audivit? certè nihil erat, & nomen ejus obſcurum, in tenebris abjectum latitans & incognitum; Trithemius verò ſua eruditione & lucubrationibus nomen illuſtravit Spanheimenſe, fecítque in toto mundo cum ingenti gloria inclytum, quod antea penitus fuit incognitum. . .* Idipſum *Theodoricus* Fuldenſis Monachus pluribus ſtatuminat in *Epiſt.* 54. ejuſdem libri his verbis: *Quid enim fuit monaſterium Spanheimenſe, priusquam veſtra Paternitas reverenda eidem præficeretur? in obſcuro latebat & in tenebris, ita ut ultra decem milliaria in circuitu nominis ejus nulla æſtimatio ac notitia haberetur. Reddidiſtis illud veſtris lucubrationibus longè latéque glorioſum & notum, ita, ut ſicut vidi per memetipſum, qui ultra triennium ſub veſtro magiſterio militavi diſcipulus; quod Gymnaſio Pariſienſi in Gallia, Lovanienſi in Brabantia, Tubingenſi in Suevia, ex Italia quoque & Alemannia, aliíſque remotioribus terrarum locis quammulti viri doctiſſimi, Principes quoque & Pontifices excitati fama nominis veſtri certatim confluebant in Spanheim. . . Confer Epiſt. 2. libr. 2. & Chron. Spanheimenſe.*

Inſignis Bibliotheca, ejúſque celebritas,

XXII. Sed nihil adeò illuſtre hoc effecit monaſterium, quàm magnifica illa & planè incomparabilis BIBLIOTHECA quà manuſcriptorum, quà arte chalcographica recens Moguntiæ tunc reperta preſſorum codicum congerie adeò referta, nulla ut per id temporis in Germania extaret, quæ cum hac de palma contendere poſſet. Ita enim ipſe ſuo in Nepiacho: *Nec vidi*, inquit, *in tota Germania, neque eſſe audivi tam raram, támque mirandam Bibliothecam, licet plures viderim, in qua ſit librorum copia tanta non vulgarium, neque communium, ſed rarorum, abditorum, ſecretorum, mirandorúmque, & talium, quales alibi vix reperiantur.* In epiſtola item *ad Joannem Damium* inter editas

à Fre-

à Frehero 47. *In omni*, ſcribit, *facultate ſcientiarum multa volumina comportavimus non ſolùm impreſſa, ſed etiam in pergameno ſcripta complura pretioſa & rara, ut confidenter auſim dicere, in tota Germania ſimilem non eſſe Bibliothecam, in qua tot rara, & pervetuſta reperiantur volumina in omni varietate ſcripturorum tam divinarum quàm ſecularium; diverſarum quoque linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ... Taceo reliquas conſultò, quæ noſtris utuntur characteribùs, ut Italicæ, Gallicæ, Bohemicæ ac ſimiles....* Idem ferè refert in literis ad *Joannem Brachtium*, ad *Jacobum Kymolanum*, ad Conventum Spanheimenſem, in Chronico Hirſaugienſi, & alibi paſſim. Sed inſuper audiendus ea dere *Mathæus Herbenus* Trajectenſis, qui anno 1495. ad *Trithemium* digreſſus, & ab eo in admirandam illam Bibliothecam deductus, hoc de eo poſterorum memoriæ conſignavit elogium: *Demiror*, inquit, *unius hominis in tam variis monimentis conſequendis exactam diligentiam, atque vehementer obſtupeſco, cùm in tota Germania non exiſtimaverim tantum peregrinorum voluminum extitiſſe. Nam quamque linguarum ſermone & charactere à ſe longè diſtantium libros in codicibus perantiquis illic reperi, quos Trithemii vigilans ſtudium, non ſine multo ſudore comportavit. Hoc igitur modo fulcitam inveni Spanhemenſem Bibliothecam. Neque eam ſolùm, verùm etiam parietes totius domûs abbatialis (quæ ampla eſt) & teſtudines camerarum, græcis, hebræis, latinis verſibus characteribúsque decentiſſimè ornatas aſpexi. Quam ob rem ego quoque ita mecum reputo; ſi in Germania noſtra ſacra aliqua græcáve academia ſit, ea Spanhemenſe Cœnobium eſt; ubi plus eruditionis concipere poſſis ex parietibus, quàm ex multorum aliorum pulverulentis atque librorum inanibus Bibliothecis. Quidquid enim antiquitatis & eruditionis Germania in libris habere poteſt, Monaſterium Spanhemenſe Trithemio Abbate procurante poſſidet.* Hæc ille, & plura *Wolfgangus Treſlerus* alibi referenda. *Theſaurum* ſanè *inæſtimabilem* vocat *Hermannus Hermes* in faſciculo juris publ. Cap. 26. n. II. *Cujus*, inquit, *manuſcripta ad 80. millia coronatorum æſtimata, ſed belli injuriâ diſtracta, perdita & corrupta ſunt hæc omnia, & chartæ pretioſæ equis loco ſtraminis ſubjectæ fuerunt.* Hi nempe prætenſæ reformationis fructus.. Ejus porro Bibliothecæ reſidua primùm Heydelbergenſi palatinæ illata ſunt; hanc verò demùm *Maximilianus* utriuſque Bavariæ Dux ſpolio ereptam *Gregorio XV.* Pontifici Trophæum miſit anno 1623... *Vid. Eggs Pontificium doctum pag.* 855.

XXIII. Vix autem quatuordecim volumina, eáque parvæ æſtimationis, & minoris ad ſolidam eruditionem utilitatis à ſe reperta eſſe perhibet ipſe *Homilia VII.* ubi ſuos alloquens Monachos: *cernitis*, inquit, *hujus Cœnobii Bibliothecam omnem, quæ olim fuit inſignis & magna, per deformatos ante nos Monachos uſque adeò diſtractam, venditam & alienatam, ut ultra quatuordecim volumina non fuerint hìc à nobis inventa.* Tum cauſas prætexens, cur eo tempore plures non poſſet coëmere codices, ſubdit, *induſtria quidem impreſſoriæ artis nuper apud Moguntiam inventæ multa quotidie volumina producit in lucem, ſed comparare nobis omnia nequaquam eſt poſſibile, qui adhuc maxima deprimimur egeſtate.* Quocirca ſuos graviter admonet & hortatur, quatenus ad honorem Dei ſcribendis voluminibus quàm diligenter laborent: *neceſſitas namque*, inquit ibidem, *nos urget libris ſcribendis cum diligentia intendere, ſi cupimus habere ad manum unde nos mutuo poſſimus in ſtudio ſpirituali utiliter occupare.* Hæc ſcribebat *Trithemius* in ipſo ſuæ præfecturæ exordio. Cùm autem aliquamdiu jam Abbatis munus ſuſtinuiſſet, exarato rerum ſuarum *Nepiacho* Anteceſſorem ſuum *Joannem de Colenhauſen* promerito condecorans encomio, ob triginta codices ab eo comparatos, quòd plures non congeſſerit, cauſam adfert duplicem: *Quoniam*, infit, *& nimia eum paupertas in principio reformationis Burſfeldenſis oppreſſit, & raritas librorum propter impreſſoriæ artis novitatem pretium auxit...* Dein ſibi de meliori ſorte adplaudens: *Ego autem*, inquit, *cùm Deus paululum auxiſſet mihi ſubſtantiam, & multiplicatio Typographorum pretium libris minuiſſet, magnam ſucceſſivè copiam comportavi.* Sciebat nimirùm ſummus ille Vir literas non modò ad virtutes reliquas conducibiles, verùm etiam Monachis præſertim ad benè beatéque vivendum eſſe neceſſarias, *ne vel ignavia torpeant, vel inerti otio langueſcant.* Unde ſubdit: *Laboris monaſticæ inſtitutionis exercitium, lectionis & orationis ſtudium, & diligens cuſtodia vigiliarum, vera*

Status Bibliothecæ ante Trithemii tempora.

ſunt incitamenta virtutum. Literis verò boníſque artibus excolendis nullum eſſe validius præſidium, quàm optimam Bibliothecam, vulgata eloquitur paræmia: *Haurit aquam cribro, qui diſcere vult ſine libro.*

Trithemii in libros amor

XXIV. Fatetur verò Trithemius ſe tanto in literas & libros flagrâſſe ſtudio, ut nunquam ceſſaverit, vel altero ſaltem fatigari potuerit, quominùs animum ſecutus ſuum, quidquid in mundo ſcibile eſt, ſcire percuperet; Hinc libros omnes quos vidiſſet, vel audiviſſet ſurmis excuſos, *quantumlibet etiam pueriles & inconcinnos,* habere ac legere pro ſummis deliciis computabat, memor utique illius, quod *Plinius* librorum helluo dicebat: *Nullum eſſe librum adeò malum, qui non aliqua ex parte proſit.* Qua de re ipſum commendans *Wolfgangus Treſterus* ſancti Jacobi Moguntiæ Cœnobita iisdem diebus clarus, nihil fuiſſe ait, ex omnibus ſcitu aut lectu dignis, quod ipſum quovis modo aut latere aut fugere poſſet. *Unde quoque actum*, inquit, *ut omnium ferè Auctorum volumina, qui quod eruditioni proximum foret, ſcriptitaviſſent, in unum, ut ita dixerim, alvearium congregans grandem mirandámque viris eruditis Bibliothecam inſtruxerit, quæ & diligentiæ ipſius erga ſtudia literarum ſpecimen monumentúmque in poſteros foret digniſſimum, viríſque doctis ac philobiblis demirationis idolum quoddam grandiuſculè obſtupeſcendum. . .* Atque utinam! laudabilis hujus ſtudii, curæque & diligentiæ Trithemianæ exemplum plures cœnobiorum præfecti (quoniam & ipſi muſis præeſſe debent) ad ſe pertinere ſapienter perſpicerent, numóſque aliàs malè tuburcinandos, æquè ac induſtriam, optimis quibusque libris in ſuos & aliorum uſus comparandis ſtudioſiùs conferrent, probè gnari felicitatem & gloriam monaſteriorum, utì & diſciplinæ regularis vigorem quàm maximè ex bonarum artium cultu pendere, quemadmodùm noſter paſſim inculcat, nominatim verò cap. XIV. opuſculi *De laude Scriptorum manualium*, ubi lepidos quosdam ſui temporis Abbates nummorum quàm librorum magis ſtudioſos ſibíque infeſtos redarguens: *Ecce*, inquit, *tu aurum & argentum congregas, agrum agro copulas; & malum non judicas, ſed dicis:* pecunias colligere pro inſtanti fratrum neceſſitate providentiæ eſt, & in futurum recondere, juſtæ rationis; libros autem tam innumeros emere, non providentiæ ſed curioſitatis eſt... *O! Imperator cupiditatis, ô! avaritiæ Princeps! quid honeſtatis non oppugnat ignavia tua? quid non corradit ſæva cupiditas? ut amatores ſacræ ſcientiæ vituperes, avaritiam commendas. Ex abundantia cordis tui os loquitur, & quod ſapientiæ adverſarius ſis, tuus ſermo teſtatur. Non eſt, quam ſimulas, providentia, ſed avaritia, non fratrum neceſſitas, ſed auri cupiditas.* Odiſti diſciplinam & ſermones Domini projeciſti retrorſum, *& quaſi de inſigni juſtitia gloriaris, dum tuo luxui & perituris vanitatibus ipſam monaſterii ſubſtantiam proſtituis. Quid igitur nobis de copia librorum inſultas? cur ſanctum, & neceſſarium in Eccleſia ſtudium condemnas. Bonum eſt conſtanter auſim dicere, & multos & bonos in cœnobio habere codices, quibus fratrum promoveatur ſtudium, etiamſi omnes legere non ſufficiant. Secularium quoque auctorum volumina à monachorum Bibliothecis non ſunt repellenda, ſine quorum notitia divinos libros non æſtimo quemquam perfectè intelligere poſſe. . .*

imitandus proponitur

Notatus de Bibliomania ſe ipſum vindicat.

digreſſio ad Abbates

XXV. Hæc & plura *Trithemius*, quibus ſuum erga libros ſtudium egregiè vindicat, & feſtivos Abbates illos ſuo ſale commodè defricat, qui cæterà in perituras vanitates effuſi, tunc demùm, ubi de libris in ſuos & aliorum uſus comparandis agitur, de parcitate cogitant, longè profectò à ſpiritu ſacræ Regulæ alieni: Maximam enim Divo Patri *Benedicto* inſediſſe curam, ut in quovis monaſterio communis Bibliotheca, *quæ eſt pabulum mentis benè inſtitutæ, & exercitatio animi ingenui,* ſtudioſè adornaretur, idonei teſtantur auctores; nec hujus rei divinando fit conjectura, ſiquidem ſanctiſſimus Patriarcha neminem filiorum ſine ſuo codice & graphio velut ſummè neceſſaria armatura in ſacræ monaſtices arenam dimittere voluit. Et verò longè honeſtius eſſe ac viris ad ſacrorum miniſterium vocatis dignius, hanc verè laudis viam inſiſtere, atque in Bibliothecarum inſtructionibus, quàm in magnificis ſubſtructionibus, ſpectaculis, epulis & innumeris aliis perdendarum opum inſtrumentis ſumptus facere, nemo ſanæ mentis facilè negaverit: quidquid enim hìc impenditur, in commune bonum ſeræ etiam poſteritatis cedit, cùm cetera vel perituræ voluptati, vel inutili vanitati, cum rei ſacræ detrimento impendi ſoleant. *Quanto autem glorioſius*, inquit Clemens Alexandrinus, *multis benè facere,*

quàm

Digitized by Google

quàm magnificè habitare? quanto prudentius in homines, quàm in lapides & muros impenſas facere? Atque aureum hoc monitum tanto ſtudioſius aſſequi deberent Prælati, quòd multis jam ſuorum experimentis cognoverint, quantum ad promovendos Religioſorum animos momenti habeat verus & non adumbratus rei literariæ & librorum amor; quàm parùm verò ad monaſterii alicujus celebritatem, gloriam & ſplendorem, aut diſciplinæ regularis decorem & ſtabilitatem faciant ſumptuoſa ædificia, excelſi parietes, atria longa, inſanæ ſubſtructiones, & pretioſa ſupellex, niſi doctrina & eruditio, ac quæ felicitatis mater eſt *ſapientia*, & nutrix *virtus* ſedem in iis collocaverint. Quid enim ſunt vel ampliſſima Cœnobia ſine viris religione ac doctrina præſtantibus, niſi dealbata vivorum hominum ſepulchra? *Et quid quæſo*, inquit Trithemius, *miſerabilius Religioſo Sacerdote indocto? qui licèt nullum prædicationis officium habeat, ratione tamen ſuſcepti ordinis ad ſcientiam obligatur ſcripturarum.* Sic ſcribit Homilia quarta, digna quidem ut tota attentè legatur. Sed iſta fortean prolixiùs ac odioſiùs, quàm ut delicatioribus quorumdam palatis arrideant. Nunc qua porrò induſtria, quibúſve mediis ad ampliorem ejusmodi Bibliothecæ inſtructionem pervenerit Trithemius, paucis diſpicere lubet.

Quibus mediis uſus ſit in congerenda Bibliotheca

XXVI. Neque enim hîc facimus cum illis, qui credunt Trithemium, ut Bibliothecam ſuam, quam jugiter in oculis habebat, quotidie locupletaret, in coëmendos inſanis ſumptibus libros omnem monaſterii ſubſtantiam dilapidâſſe, ac propterea ſuorum ſimultates in ſe concitâſſe. Quibus ipſe mediis in ea congerenda augendáque uſus ſit, luculenter exponit, tum *Homiliâ VII*. cùm in ſuó *Nepiacho*. Labores nempe extra monaſterium propterea ſuis minuit, *ne gravius malè operando peccarent*, & injunxit ipſis opus manuale, *libros ſacræ lectionis ſcribere, ligare, ſcribentibus aliis neceſſaria præparare, & ſimilia, quæ cum tranquillitate mentis & corporis intra monaſterii ſepta poſſent perficere.* Quo quidem ſalubri, & nunquam ſatis laudando opere pluribus egregiis manuſcriptis codicibus aucta eſt Spanheimenſis Bibliotheca. Sed & præterea hanc ille ſibi inter alias rationem propoſuerat, ut ubicunque viſitabat cœnobia, omnium Bibliothecas ſtudioſè perluſtraret, librorúmque indices diligenter evolveret, in quibus ſi quid, quod priùs non haberet, reperit duplicatum, id vel dato civili pretio, aut altero volumine impreſſo, quale poſtulâſſent inventi codicis poſſeſſores, in compenſam ſurrogato, ut ſibi contingeret, agebat. Opuſcula etiam à ſe typis edita pariter cum Bibliopolis, typographis, philobiblis, aliíſque rei librariæ cultoribus commutabat. Suos quoque habebat emiſſarios, quorum induſtria inſignium virorum labores literarios exiguis ſæpè nummis ab interitu vendicavit. Sæpius itidem contigit, ut multa in diverſis monaſteriis reſcripta eſſent volumina in Aſtronomia, Muſica, Mathematica, Philoſophia, Poëſi, Oratoria, in Hiſtoricis item & Medicinis, aliíſque artibus curioſis, quæ eorum poſſeſſores aut non intelligebant, aut metuentes eorum præſentiâ ſanctam violari obſervantiam, *Trithemium* rogabant, ut illa omnia ſibi tolleret, & eis alia quædam impreſſa, quæ magis optâſſent, in concambium ſuppeditaret, quod ſtatim non invitus ipſe, ut rogabatur, facere conſueverat. Ita cùm anno 1495. Bibliothecas plures librorum amore perluſtraret, rariſſimum illum codicem *Notas Tullii Tyronis, Senecæ & Cypriani* continentem in quodam Ordinis noſtri monaſterio repertum, datis in vicem S. Anſelmi opuſculis recens tum impreſſis, ſui fecit juris, multum ſibi exinde in ſua Polygraphia gratulatus. Simili ſolertia complures alios pretioſos, & optandæ lectionis libros congeſſit, quorum quidem numerum ad duo circiter millia ſe ſe exporrexiſſe pluribus ipſe in locis inſinuat, additque ſe pro ejusmodi ſupellectili expoſuiſſe ultra quingentorum & mille ducatorum ſummam, quæ etſi divitiori penu inſtructis exigua videatur, ipſi tamen pro rei familiaris anguſtia quaſi maxima & penè intolerabilis apparebat; ſed nihili ille has fluxas caducáſque opes pendebat, cùm ad perennem illam ſacratioris Minervæ felicitatem eas impendebat. *Noſtræ*, inquiebat, divitiæ ſunt in lege Domini meditari die ac nocte, pulſare januam, & ſeculi fructus præeunte Domino calcare.

Viri illuſtres qui Spanhemiſi confluxerunt.

XXVII. Prolixior fortaſſis fuero, ſi omnes viros illuſtres, qui præclari hujusce theſauri apud Spanheimenſes congeſti ſplendore, Trithemiique ſama excitati atque illecti, ex variis pro

vinciis ad hoc cœnobium confluxerunt, tantíque viri magiſterium, aut literarium cum eo commercium ſtudioſiùs affectàrunt, hîc ſigillatim percenſere conſtituero. Nemo enim, ut ex ejus epiſtolis liquet, politioris erat literaturæ cupidus, qui ſummum hunc virum videre, alloqui, ac ejus intereſſe arcanis non percuperet, felices ſe arbitrati, ſiquos in ſuam familiaritatem ſemel admiſiſſet. *Adeò* nempe *ampliſſimum eruditionis præmium ipſa virtus, & ſua ſapientiam & doctrinam fama ſemper comitatur!* Sed lubet ipſummet audire *Trithemium* in Chronico Spanheimenſi ita loquentem: *Bibliotheca bujus monaſterii hodie in omni terra prædicatur in tantum, ut multi Principes, Epiſcopi, Doctores, Magiſtri, Nobiles, Viri clariſſimi, non ſolùm è vicino, ſed etiam è regionibus longinquis, nomine & fama* Joannis Trithemii Abbatis, *& voluminum ejus celebritate excitati hunc locum inviſerint, quibus antehac nec nomen quidem cœnobii conſtabat.* Inter quos, ut paucos cæteris præſtantiores comemorem, fuit *Joannes Dalburgius* Wormatienſis Epiſcopus, *Joannes Capnion* Pfortzheimenſis, Conradus Celtes Protucius Poëta laureatus, *Franciſcus Bononius* Reginæ Romanorum Secretarius, omnes viri doctiſſimi, græcæ quoque & hebraicæ linguarum peritiſſimi, *Henricus Burrungius* Saxoniæ Ducum Secretarius, *Joannes Cuſpinianus* Poëta laureatus & Medicus, *Jacobus Wimpfelingus* Theologus, *Aquinus* natione Suecus Mathematicus ſubtiliſſimus. *Ægidius Delphius* Theologus Pariſienſis, *Jaſon* Italus, *Jodocus* Gallus Rubiacenſis Theologus, *Mathæus Herbenus* Trajectenſis, *Rutgerus Sicamber*, *Carolus Bovillus* Medicus, *Libanius Gallus* Archiater expertiſſimus, *Gabriel Biel* Theologus famoſiſſimus, *Theodoricus Greſemundus de Meſchede*, & alii complures magna tum ſcientiæ & auctoritatis opinione florentes viri, *quorum nonnulli ad menſem, quidam ad duos vel tres, alii etiam ad unius alteriúſve anni ſpatium, ſolutis expenſis, amore literarum tam græcarum quàm hebraicarum, quibus inſtructus affatim habebatur Trithemius, in hoc manſêre cœnobio.* Hactenus Chronicon Spanheimenſe. *Joannes* verò *Bautzbachius Piemontanus*, Lacenſis in Euphalia cœnobii Prior, qui ſuperſtite adhuc Trithemio libris ſenis denis laudes ipſius proſecutus eſt, teſtatur *Alexandrum Hegium* Daventrienſis ſcholæ in Belgiis Gymnaſiarcham, & *Eraſmi Roterodami* quondam præceptorem, eadem de cauſa, ætate licèt decrepita, & tota civitate obſtupeſcente, apud Cynonotos inviſiſſe *Trithemium*, indéq; reverſum coram tota juventute, quæ tunc erat ducentorum capitum ſupra mille (*inter quos*, ait, *& ego tunc cenſebar*) aſſeveraviſſe incredibili ſe cum voluptate *magnum illud mundi jubar*, ejúſque locupletem Bibliothecam ſpectâſſe, omníque fama & opinione majora inibi offendiſſe.

XXVIII. Sed quid libeat Magiſtros, Doctores, Viróſque & genere & doctrina illuſtres fuſiùs proſequi, cùm potentiſſimi Reges, Principes, Duces, Imperatores atque Pontifices, apud quos ſummo in pretio Trithemius, utramque hîc nobis paginam faciant? Certè Auguſtiſſimus ille rei literariæ per Germaniam inſtaurator MAXIMILIANUS I. Romanorum Imperator, non modò Trithemiana conſuetudine impenſiùs delectabatur, ſed magnoperè etiam optabat eundem in ſuam aulam adſciſcere, ut hac ratione commodiùs in reipublicæ bonum, tum conſiliis communicandis, tum conſcribendis hiſtoriis ac bonis artibus reducendis, & promovendis opem qualemqualem una ſecum conferret, digna, quæ hîc legantur Jacobi Spiegelii verba in nuncupatoria Epiſtolis Trithemianis præfixa ad C. V. Mathiam Held Conſiliarium Cæſareum & Germaniæ Pro-Cancellarium. *Neque te*, inquit, *latere poteſt, in quanta exiſtimatione ubique habitus ſit Trithemius ob incredibilem ingenii acrimoniam & acerrimum in omni genere literarum ſtudium, prudentiam verò tantam, ut à Regibus & Principibus, & ab ipſo Maximiliano omnifariam ſua ætate maximo Imperatore in ſummo honore habitus ſit, ac ſæpius, ut ſe in ordinem Conſiliariorum adſcriberet rogatus.* Pari amore PHILIPPUS Comes Palatinus Bavariæ Dux & S.R.I. Princeps Elector Trithemium complexus, creberrimè apud Budoras ejus colloquiis in multos fruebatur dies; nonnunquam etiam cum liberis ſuis Spanheimenſe interviſit Cœnobium, ſummiſque gratiis Trithemium cumulavit. Haud minore benevolentia ac familiaritate erga eum uſus eſt ſapientiſſimus ille Princeps JOACHIMUS Marchio Brandeburgicus, qui quoties comitiorum cauſa Coloniam, Francofurtum, vel ad alias viciniores urbes à Cæſare evocabatur, *Trithemium* à latere ſuo diſcedere noluit, ac tandem etiam in Mar-

Principum in eum favor.

chiam

chiam longis itineribus traxit, & in nonum usque menſem ab ejus inſtitutione ſuſpenſus detinuit, præclariſque ac propè regiis ornatum muneribus à ſe recedentem ægrè dimiſit, tanto deinceps abſentem proſecutus ſtudio, ut & frequentes ad eum literas (in quibus Trithemium modò *præceptorem ſuum amantiſſimum*, modò *Germaniæ decus, totiúsque arcam ſapientiæ nuncupat*) exaraverit, & plurima ac pretioſa dona miſerit, non *pro munere*, ſed, ut ſunt verba epiſtolæ Berolino 1507. datæ, *in ſignum amoris ac ſtabilis amicitiæ dudum contractæ, & uſque ad mortem permanſuræ*. Summo quoque eum honore dignati ſunt *Bertholdus* & *Albertus* Moguntinenſes Archiepiſcopi, *Hermannus ab Haſſia Colonienſis, Theodoricus* Lubecenſis, *Joannes* Fuldenſis, aliíque Antiſtites ſacri. Taceo *Fridericum* Saxoniæ Ducem, *Chriſtophorum* Marchionem Badenſem, *Joannem* Symerenſem, *Joannem Weſterburgium* Comitem, & alios propè innumeros Principes, Epiſcopos, Proceres & Magnates, in quorum ſpeciali gratia & familiaritate extitit. Duumviros tamen ſilentio præterire nefas duco, Italum unum, alterum Gallum. Erat is *Raymundus* Cardinalis S. Mariæ novæ Presbyter, Apoſtolicæ Sedis ad Germaniæ partes legatus à latere Nuntius, magni vir meriti, qui *Trithemium* aliquando menſæ Marchionis Brandeburgici accumbentem affatus, multúmque ſibi de ejus doctrina gratulatus eidem optima quæquæ pollicitus eſt, ſi Romam ſecum proficiſci vellet. Alter ex ultimis Galliæ finibus *Coburſenſis Epiſcopus* eum quoque propoſitis inſignibus honorariis ad ſe accire ſtuduit. Idem fecère alii plures, quos ſparſim commemorat Chronicon Spanheimenſe, cum quo hac de re conferendæ variæ epiſtolæ inter familiares editæ libr. 2.

Trithemii modeſtia & aulæ fuga.

XXIX. Verùm enimverò, utì *Principibus placuiſſe viris*, Trithemii *non ultima laus eſt*; ita ejus modeſtia, humilitas, qnietíſque monaſticæ, & obſervantiæ regularis amor, ſtudiúmque exinde elucent illuſtriùs, quòd licèt apud ſummos hujusmodi Proceres optatiſſimam vivendi conditionem adipiſci potuiſſet, ſui tamen inſtituti tenaciſſimus maluerit *pro DEO*, cum ſanctiſſimo Legislatore noſtro BENEDICTO *laboribus fatigari, quàm vitæ hujus favoribus inaniter extolli*. Ita enim ipſe ſpiritu planè heroico in epiſtola 50. libri 2. *Elegi*, inquit, *pauper & abjectus habitare in cœnobio, magis quàm dives & glorioſus apparere cum Principibus in ſeculo*. Et iterùm in epiſtola 35. *Nunquam*, infit, *poteram induci, ut aulicis me papilionibus paterer conjungi, vetante id non minùs philoſophia, quàm religione, quam in tumultu aulico illæſam conſervare, neſcio, ſi quis potuerit unquam*; ſcriptum enim eſt: *Exeat ex aula, qui cupit eſſe pius*. Nimirùm ut ipſus in citata epiſtola 50. inculcat: *Non eſt vita piſcibus in arido, nec monacho tuta converſatio ſine clauſtro*. Cujus effati rationem reddit in epiſtola 58. ejusdem libri. *Non enim decet homines, imò nec licet iis, qui ſe divinis ſemel mancipârunt obſequiis, ad actus redire ſeculares*. Meretur hoc loco adſcribi teſtimonium magni viri Jacobi Spiegellii Aug. Impp. Maximiliani, Ferdinandi, & Caroli V. dum viveret Conſiliarii & Secretarii, qui Trithemium cumprimis à modeſtia celebrat in nuncupatoria ejus epiſtola ab eo editis præfixa his verbis: *ad hæc*, inquit, *cum vitæ fuerit inculpatiſſimæ, (fuit enim mihi multis annis familiariter notus) ac ſummo ſtudio Scripturis divinis ſemper intentus, ut nemini dubium eſſe poſſit, quin pium admodum & fidelem Ordinis ſui præſtiterit, mirum eſt, quod tam nihil aut parum ſuæ ſanctimoniæ adſcripſerit coram Deo, cum noſtra hac ætate hoc nomine etiam ii ſoleant gloriari, qui ab omni converſatione pia & honeſta ſunt alieniſſimi*. Unde apparet, quàm malè ſtipata ſit illa quorumdam criminâtio, qua *Trithemium* de Cenodoxia ſugillant, quaſi verò caprandæ auræ gratiâ curias ſecutus Principum, monaſterii ſui rem familiarem neglexiſſet, factus ſuis propterea monachis tum maximè odioſus & inviſus. Non enim vitâ ipſe oblectatus aulicâ, vel vanæ gloriolæ actus cupidine in viam ſe dedit unquam, ſed qui principes ejus conſilio ac opera publicis in negotiis, vel diſcendis artibus uti volebant, enm quà precibus, quà mandatis è monaſterio ſubinde reluctantem & invitum abſtraxerunt. Nec is id genus itinera facilè obivit, niſi vel apparatu pro conſcribenda Germaniæ hiſtoria, quam animo conceperat, onuſtus, vel donis ac muneribus à ſuis Mæcenatibus in cœnobii ſui emolumentum cumulatus domum referre pedem poſſet. Imò quotiescunque Principes adibat, minimè otioſus in aulis degebat, ſed vel eorum metu opuſcula lucubrare, vel certè cum ipſis *verſari, loqui, diſſerere, non quidem de va-*

Liberatur à vanæ gloriæ nota.

, nis

nis rebus, ac minimis aut vulgaribus, ſed de arduis & maximis ſolitus erat. Ita enim ipſe in quadam ad Joachimum Brandeburgicum epiſtola: *nihil*, inquit, *gratius mihi, nihil dulcius hoc tempore contingere potuiſſet, quàm ſapientiſſimum eruditiſſimúmque adire te Principem, tecum verſari, loqui atque diſſerere, non quidem de parvis rebus ac minimis, ſed de arduis & tuo ingenio fœcundiſſimo dignis, quæ triplicem noſtram non abhorreant Philoſophiam. Quoties enim cunque noſtrarum inter nos diſputationum, quas ante biennium Francfurdiæ in multam conſuevimus deducere noctem, in mentem recordatio venit, toties me tuis intereſſe ſermonibus puto, & magni aliquid audire abs te &c.* In epiſtola itidem ad Rogerium Sicambrum p. 564. *Novem*, inquit, *menſibus, quibus cum ſereniſſimo Principe Joachim Electore in Marchia Brandeburgenſium manſeram, quod te non latet, minimè fui otioſus, ſed quædam NB. ad ejus imperium lucubravi opuſcula, quorum aliqua complevi, reliqua imperfecta reliqui.* Confer. Ludewigii Præfatio ad *Scriptores Wirtzeburg.* §. 14. ſeqq. . . Epiſt. *ad Jodocum Bervilium &c.*

Trithemius honorum contemptor,

XXX. Neque tantùm curias fugit Principum, ſed etiam oblatas ſibi dignitates Eccleſiaſticas, & Abbatias contempſit ditiores, prout ipſemet in epiſtola 77. *Libri I.* de ſua Spanheimenſi diſſerens teſtatur his verbis: *Hæc me annis compluribus nimio ſui amore detinuit, & ne conſentirem in Abbatias pinguiores, quæ mihi offerebantur, nimium retraxit.* Quin votivæ paupertatis adeò rigidus cultor exſtitit, ut quæ ſibi Principum munificentiâ fuerant condonata, in communem monaſterii & fratrum converteret utilitatem.

paupertatis cultor,

Nihil enim illi ſpeciale, nihil proprium, nec ulla in cibo, potu vel habitu ſingularitas fuit, ut ex epiſtola 2. *Libri I.* colligitur. Hinc cùm ſubinde ex Spanheimenſi Abbate creatus fuiſſet divi Jacobi in ſuburbano Herbipolenſi Antiſtes, hanc tanto ſtudio, tótque impendiis & laboribus à ſe congeſtam Bibliothecam noluit ſecum transferre, *eo quòd de monaſterii ſubſtantia*, ut loquitur, *eam comparaviſſet. Bibliothecam*, inquit, *integram dimiſi in Spanheim, cujus non magni facio jacturam, cùm jam tandem ſine illa philoſophari magna ex parte didicerim. . .*

quietis monaſticæ amator,

Sed & quantus quietis & ſolitudinis monaſticæ amator fuerit, indicat ipſe Homilia VI. ubi ſuos ad ſacræ hujus Philoſophiæ cultum cohortatus: *Rogo vos*, inquit, *& obteſtor in viſceribus fraternæ charitatis, ut cellæ quietem diligatis tanquam ſalutis veſtræ officinam, in qua pax eſt multa diligentibus Deum, & magna commoditas perficiendi ad cognitionem ſummæ veritatis intellectum. Dicit enim Propheta Iſaias*: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. *Qui non amat ſolitudinem cellæ & quietem ſilentii, mentis puritatem nequaquam diligit, ſed corpore vagus novas ſemper animo vanitates haurit. . . Mihi certè*, ut cum Hieronymo loquar, *oppidum carcer eſt, ſolitudo paradiſus.* Et alibi: *Solitudo*, inquit, *mihi ſemper placuit, quam quoties deſerere compulſus fueram, minus aptus ad ſpiritualia toties fiebam. O verè ſal terræ, quo præcordia noſtra, ne poſſint ſeculi vaneſcere errore, condiuntur!* . . . Qualis autem in reliqua regularis diſciplinæ obſervantia fuerit, Liber, quem ſuper regulam S. Benedicti ſcripſit, digito monſtrat: *Neque enim aliter vixit, quàm in expoſitione legis noſtræ vivendum fore monachis intimavit.*

obſervantiæ regularis exemplar,

Quanta verò animi moderatione & patientiâ injurias ſibi non modò ab extraneis, verùm etiam à ſuis filiis illatas ſuſtinuerit, prodit ipſe fuſiùs ſuis in epiſtolis, nominatim 75. his verbis: *Ad Chriſtianos, maximè ad clauſtrales pertinet injurias tacendo, fugiendóque potiùs, quàm reſpondendo aut reluctando vincere. Ego ut me Chriſti ſervum licet inutilem comprobarem, ecce quanta ſine demerito ſuſtinui meo, quæ in æmulos retorquere potuiſſem, ſed nocentibus malum inferre nunquam volui, ſperans, quòd Dominus Jeſus patientiam remuneratur, quam dedit.*

animi moderatio.

Poſſem hìc latiùs excurrere in campum cæterarum virtutum, quibus *Trithemius* enituit, ac vel de ejus pietate, juſtitia, frugalitate, temperantia, fortitudine, charitate, zelo honoris Dei & ſalutis proximi, utì & de vanæ laudis ac gloriæ fuga morúmque innocentia integrum volumen comportare; ſed cùm *Joannes Piemontanus* Lacenſis Prior, eo adhuc vivente, hanc provinciam occupaverit, & omnia ipſius Trithemii ſcripta, dicta, facta nihil aliud ſpirent, quàm omnium harum virtutum odorem, admirabundus ipſe eò Lectorem invito, atque interim ad alia properans, labores, quos pro ſacri Ordinis præſertim verò Congregationis noſtræ Burſfeldenſis propagatione, incremento, ſtabilitate & ſplendore conſtanter exantlavit, vel deſultoriè attingam.

virtutes reliquæ.

XXXI.

Labores pro ſacro Ordine.

XXXI. Quæ enim & quanta hac in re præſtiterit, ſatis ipſemet declarat in epiſtola 68. Libri I. ad Præſidentes & Abbates ſacræ hujus confœderationis reſcribens in hæc verba: *Annis jam viginti & amplius* (ſicut vos ipſi ſcitis) *pro communitate Ordinis atque Capitulo continuè laboravi, ſcribendo, dicendo, hortando, viſitando, cauſas & commiſſiones innumeras Unionis noſtræ coram Epiſcopis atque Principibus, aliiſque diverſis expediendo, nec hodie quiſquam in Ordine vivit, qui tantos labores pro bono communi toleravit, quantos me ſcitis pertuliſſe. Per Sueviam, Franconiam totam, Alſatiam, pérque Diœceſes Trevirenſem, Colonienſem, Herbipolenſem, Argentinenſem, Auguſtanam & ceteras, non ſemel aut bis, ſed multoties veſtro juſſu viſitavi, multóque tempore de Monaſterio meo abſens, vobis imperantibus propria neglexi, curans aliena....* In pleriſque itidem Capitulis tum Provincialibus, cùm Annalibus præfuit, Orationes, ſubinde etiam ex tempore, quamplurimas fudit, ſalubria condidit ſtatuta, præcedentia contraxit, alia elimavit, leges, ritus, cæremonias ſcriptis illuſtravit, methodum viſitandi aliis præſcripſit, excidia cauſáſque ruinæ Ordinis pro adhibendo efficaciori remedio detexit, ſapientiſſima ad monaſteriorum conſervationem conſilia ſuggeſſit, hortari, inſtare, & jam liberiùs accuſare, mox ſuaviùs monere Abbates non deſtitit, ut perniciem fugerent, luxum vitarent, turpem ignaviæ labem à ſe removerent, Præcepta Evangelica & Regulam accuratè obſervarent, Ordinis decus ſtudioſè quærerent, diſciplinam promoverent, cœnobiorum dimembrationes ſollicitè præverterent, periclitantibus mutuò ſubvenirent, ſubſidia conferrent &c. Nullos ille cavillos, nullas moleſtias, nulláſque invidias aut inimicitias eâ causâ ſibi defugiendas putavit, atque adeò nullam non adhibuit curam, quo veternum à Prælatis juxta ac Monachis depelleret, ac denique, ut cætera prætervolem, grave illud & momentoſum negotium, quod hortante *Pio II.* Pontifice maximo, ad inſtantiam *Bartholdi* Archiepiſcopi Moguntini, & *Joannis* Abbatis Fuldenſis, *de conjungendo* ſub uno capite *univerſo per Germaniam Ordine Benedictino*, agitabatur, vehementiſſimè urſit, tam in Capitulis provincialibus, quàm in ſuis ad id legationibus, dignus ſanè, qui plures ſui ſimiles habere meruiſſet cooperatores. *Vid. Rom. Hay Aſtrum P. Ziegelbauer Hiſt. P. III. inextinctum Q. VII. pag. 233. & Receſſus Capitulares...*

Ejus in literas merita.

XXXII. Iſtud etiam *Trithemio* præcipuè laudi dandum, quòd non ſibi ſolùm, Muſíſque cecinerit, ſed & omni, quâ poterat contentione ſeculi ſui barbariem profligare ſtuduerit, plures ſuo in cœnobio diſcipulos melioribus literis inſtituerit, eóque nervos omnes intenderit, ut cùm ſecularium, tum maximè ſacrarum Literarum ſtudia in Familia Benedictina, ipſáque adeò Germaniâ universâ prioribus duobus ſeculis quaſi abacta & intermortua reſuſcitaret, ac priſtino nitori reſtitueret. Cùm enim animadverteret ſagaciſſimus Antiſtes, quantam bonarum artium & literarum neglectus pariat perniciem, quantam cœnobiis inferat labem, ſe in Ordinem illuſtrius haud conferre poſſe beneficium exiſtimabat, quàm ſi doctrinæ ac ſapientiæ fontes, è quibus bona omnia in eundem profluxerant, propè jam tum exarentes & occluſos denuò aperiret. Hinc totus in eo fuit, ut quod bonarum artium ac literarum majores in ſuis Monaſteriis, primis olim apud Germanos Muſarum ſedibus, ſuſtulerant ſignum, poſteri impigrè ſequi contenderent, & quantum ſtudiorum neglectus diſciplinæ & Religioni importaret mali, vel ſerò tandem agnoſcerent. Cúmque non deeſſent lepidi quidam Prælati, qui ſuos ad ſtudia literarum incitari periniquè ferrent dicentes: *Quid Monachis tantoperè commendas inane ſtudium Scripturarum, quod eos non humiles, ſed contumaces & ſuperbos reddit?* Trithemius in Oratione, quam coram omnibus in Reinhartzbornenſi Monaſterio habuit, acriùs inſulſos ejuſmodi ignorantiæ Patronos redarguit, hiſce in eos uſus invectivis: *O ſtulti & inſipientes! qui Ordinem ſanctum ſubvertitis, dum literis dare operam Monachos prohibetis. Ergóne Monachi veſtri, cùm ſint rudes & indocti, non poſſunt eſſe ſuperbi? Si ignorantia Scripturarum facit humiles, vos veraciter* humillimi *debetis appellari. Sed erratis: Nam & habet ignorantia plures ſuperbos, quàm humiles. Nemo enim tam rudis, nemo tam imperitus, cui non pars ſtultitiæ & ſuperbiæ major contigerit. Omnis ſuperbus ignorans eſt.* Uti enim folles tument, quia vacui, & inde inflati, ita & inſipidi; ſapientia autem auro contra ſolidior ſibi conſtat, nullo ſuperbiæ vento diſtenditur, ſine criſtis, ſine ſupercilio eſt. *Multa Ordinis noſtri cœnobia perluſtravi, varias Mona-*

Prælatos ignorantiæ Patronos redarguit.

chorum paſſiones & diſplicentias reperi, quas non à doctis, neque à ſtudioſis, ſed ab imperitis & literarum contemptoribus ſemper & motas & continuatas offendi. Et unusquisque noſtrûm plures profectò habet monachos imperitos & rudes, ſpiritu ſuperbiæ turgentes, quàm in ſcientia Scripturarum ſtudioſos. Stultum ergò eſt Monachis ſtudium literarum propter humilitatem interdicere; cùm & eos, qui ſine eruditione ſunt, videamus peramplius ſuperbire. Nam ſcientia Scripturarum plures fecit humiles, quàm ſuperbos; ignorantia autem non humilitatem, ſed ſuperbiam ſemper habet amicam. Vos autem qui colos, id eſt, rudes & imperitos ad Ordinem libenter aſſumitis, juxta vulgare proverbium vobis ſimiles amatis: Doctus amat doctos, & imperito rudis conjungitur. *Forſitan timetis, ne ſi doctos haberetis Monachos, vos in eorum comparatione imperiti rudéſque judicemini, aut certè doctrina illorum correctio fiat veſtrorum ſcelerum? Enimverò ſi veri obſervatores eſſetis monaſticæ converſationis, non tantoperè Monachos doctos potuiſſetis contemnere... Si verò humilitatem ex recta intentione quæritis, inſipienter nihilominùs agitis, qui monachis ſtudium literarum interdicitis. Neque enim omnibus datum eſt contemplationi & orationi ſemper inſiſtere, aut meditationibus continuò vacare. Igitur Monachi ſecundùm regulam cellis incluſi, quo exercitio tempus utiliter poterunt expendere, quibus interdicitis ſtudio & literis operam dare? Neceſſe eſt enim, ut cogitationibus vanis & inutilibus defluant, vel certè fabulis intenti foras ſedulò diſcurrant. Nónne melius eſſet Monachum in cella ſtudioſum & quietum perſiſtere, quàm lectione deſpectâ otio & diſtractionibus vacare?* Hæc ille politiſſimus rei monaſticæ Magiſter, tantóque locupletior arbiter, exiſtimatórque tanto ſpectatior, quanto priſcæ ſcientior diſciplinæ, & morum ſuæ ætatis verſatior.

Monachos deſides & inſipidos increpat.

XXXIII. Sicuti verò feſtivos, quos dixi, ignorantiæ patronos commodè ſuo ſale perfricuit, ita etiam deſides illos & inertes Monachos egregiè depexuit, qui ſuam ignaviam & ignorantiam trito nitebantur obtegere ſipario dicentes: *Ad quid nobis ſcientia Scripturarum, qui prædicationis nullum habemus officium? Salomonis amplectimur conſilium dicentis: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter...* Unde veſanâ neſcio quâ inſaniâ inferebant, ſibi ſufficere ſimpliciter vivere, & in ſua inſcitia torpere; quoniam *ſervus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis, ignorans autem non peccat...* Contra inſipidos hos calones *Trithemius* ſtylum exacuens in hæc verba prorumpit: *O ſtulti & perditiſſimi petrones, qui ſcientiam ſalutarem contemnitis, & ignorantiam Scripturarum potiùs, quàm intelligentiam amatis! Nunquid affectata voluntatis Domini ignorantia paucioribus vos plagis reddet obnoxios? aut propterea delinquentes eritis coram Deo innoxii?... Imò,* ſubdit, *duplici pœnâ cruciandi eritis, alterâ quòd ſcire viam mandatorum Dei contemnitis, alterâ quòd ſermones ejus non cuſtoditis. Non eſt, quam allegatis, ſimplicitas, ſed duplex potiùs impietas. Nam ſi juxta Prophetam:* Beati ſunt, qui ſcrutantur teſtimonia Domini; *Quis dubitet illos eſſe maledictos, qui nec Deum exquirunt, nec ſcripturas ejus advertunt, ſed indurato magis animo contemnunt. Audite quid vobis Salomon dicat in proverbiis:* Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum, & ſtultitia hominis ſupplantat greſſus. *De vobis etiam, ô ſtultiſſimi tenebriones! illud intelligitur D. Hieronymi:* Quoniam ibi non eſt ignorantia jam excuſabilis, ubi ſcitur, quid ſit illud, quod ignoratur. *Magis autem cavendum vobis, ne cum illis tandem computemini, qui dixerunt Deo:* Recede à nobis, viam ſcientiarum tuarum nolumus.... *Enimverò ſi in laïcis videtur intolerabilis inſcitia, quanto magìs in his qui prælucere aliis debent, nec excuſatione eſt digna, nec veniâ? Mihi profectò nihil videtur infelicius Monacho indocto, qui ſtudium Ss. Scripturarum vel negligit vel contemnit: Quia nunquam poteſt in vera cordis tranquillitate apud ſemetipſum purus conſiſtere, ſed compellitur inquietudine propriâ contra monaſticæ converſationis integritatem externis & inutilibus mentem occupare.* Hæc ille Homilia IV. Similia paſſim occurrunt in ejus epiſtolis & ſermonibus, quæ ſi colligere vellem, nunquam abſolverem; ſatis erit inculcare huc cumprimis ſpectare aurea ejusdem monita cap. 2. libri *de Laude Scriptorum Manualium*, ubi in commendationem ſtudii Scripturæ ſacræ calamum fuſiùs laxat, & Monachos ad ſacratioris hujus Philoſophiæ cultum inflammat, dignus ſanè, qui plures ſui propoſiti nactus eſſet conſortes, & conſilii ſequaces.

XXXIV. Haud remiſſiori zelo & fervore *Trithemius* in Eccleſiarum Pa- **Clericos inſtruit,**

ſtores

ſtores & Clericos ſeculares invectus, prædicationis ſuæ ſignum etiam ſuſtulit in poſteros, ſpeciali conſcripto ſyntagmate *De vita, moribus & doctrina Clericorum*; quo in opere graviter cumprimis ipſos ad frequentanda Scripturarum ſtudia ſtimulat, hortatúrque, ut vitam Chriſti & Apoſtolorum tanquam exemplar illius quam agere debeant, ſedulò imitentur; inde iis præcepta morum, aliáque ad honeſtam converſationem, & vitæ ſanctitatem documenta, quæ ipſe divino veluti hauſtu imbiberat, abundè propinat.

Mores eorum carpit.

Duriuſcula quidem nonnulla delicatulis ſacerdotibus videri poſſent, quæ circa corruptos illius temporis clericorum mores ſubinde adducit in medium, quæ tamen prudentiſſimus vir non ex vano hauſerat: *Joannes noſter hoc eructabat, quod biberat.* Ad opticum namque Dei oculum diſtantiſſimarum rerum præſcium *præviderat ille* (verba ſunt doctiſſimi Felicis Egger) *pullulantium jamjam hæreſum prodromos, aſtutos, verſutos, acutos.* Hos in cunis cum Hercule eliſurus, Paſtores & Presbyteros ſalutaris doctrinæ clypeo providè præmunivit, & præmonuit, ut tandem aliquando ſaperent ac noviſſima providerent: *Timeo*, inquiebat, *vehementer, ne brevì contra Clerum graviora ſint futura malorum incommoda.* Cur times Trithemi! *Quia* nempe *ſicut populus ſic & ſacerdos*: *Libêret*, inquit, * *ſi conduceret, tempeſtatis noſtræ mores deteſtari humanos, quos hodie tam enormiter cernimus depravatos, in his maximè, qui de generis nobilitate gloriantur, quos rectiùs* Dumetinos Equites *Maximilianus Rex appellare conſuevit, quàm* Nobiles, *qui latrocinia, rapinas, ſcortationes & luxum ſectantes, nec Deum timent, nec homines reverentur*... Tum verò alibi verſo in Eccleſiaſticos ſermonis impetu: *Ad tantam*, infit, *nunc miſeriam devenit auctoritas Eccleſiaſtica, ut Sacerdotum jubeamur verba amplecti, non facta. Dicunt enim de ſemetipſis infelices Presbyteri, inquinationis ſuæ teſtimonium perhibentes*: Eruditionis noſtræ verba attendite, exempla cavete... *O verba*, exclamat ille, *omni confuſione digniſſima! Qui quantum ex doctrina erudire populum debuerant, tantum ex operibus ſcandalizant*...

*In Chron. Hirſaug. P. II. pag. 605.

Equites Dumetinos &

Canonicos vellicat,

Inde Canonicorum præſertim Equeſtrium ruditatem acriùs inſectatus: *Quàm multi hodie*, inquit, *ex Nobilibus inveniuntur non ſolùm Cathedralium, ſed aliarum quoque Eccleſiarum Canonici atque Prælati, contemptores ſacræ lectionis, qui ſcientiam Scripturarum propterea ſibi exiſtimant ignominioſam, quia non ruſticorum procreati ſanguine*, licèt plusquam ruſtici, *ſe nobiles gloriantur ignaros. Quanta inſania mortalium pectora rotat? ſi contemptus & ignorantia Scripturarum nobiles faceret, jure tales dicerentur* Nobiliſſimi; *qui minùs quàm nihil intelligunt, cùm & ſeipſos neſciant, & Deum ignorent*... Rursùs alibi ſervidior efferbeſcens: *Indocti*, ait, *& rudes jam ſine diſcretione meritorum ad ſacerdotium veniunt, qui moribus ſuis peſſimis Chriſti oves infeliciter occidunt.*

eorúmq; ruditatem ſugillat.

Nulla jam in ordinandis clericis vitæ ſanctitas requiritur, literarum eruditio nulla poſtulatur, conſcientiæ puritas non attenditur, ſufficit apud eos, ſi currentem ſoritem poſſint conſtruere, ſi cujus partis orationis ſit, Muſa, Dominus *reſpondere, ſi* ita, *&* non, *intelligere*... Verſo denique in ſacrorum Antiſtites orationis ariete: *Væ*, clamat, *Væ noſtræ ætatis Epiſcopis, & Sacrorum Miniſtris, qui ſecularibus negotiis intenti ordinationes clericorum non conſiderant, ſed curam examinandi imperitis locant. O quàm diſtrictam ſubituri ſunt ſententiam, qui ſe totius in Eccleſia mali exhibent cauſam!*... *Sed noſtra de his cum ſit infructuoſa diſputatio, tacere compellimur, ne os in cælum poſuiſſe videamur*... Hæc ille, in tempora profectò noſtra æquè ac in illius ætatem accomodatiſſima, quæ proinde acceptare convenit tamquam ſalutares monitiones à Deo immiſſas, quibus calcar addatur currentibus, & unusquisque officii ſui moneatur.

Epiſcopus admonet,

XXXV. Pari quoque acrimoniâ in ſuæ ætatis Theologaſtros, & Verbi Dei præcones ineptos exarſit: *Pudet me*, inquit, *horum temporum, in quibus pudiciſſima virgo Philoſophia noſtra cæleſtis, quam græco vocabulo* Theologiam *vocamus, usque adeò quarumdam meretricularum ſocietate violata corrumpitur, ut penè nusquam exeat pura, ſed Philoſophorum inutilibus, ne dicam, vanis deturpata plumis potiùs quàm ornata videatur. Quaſi nobis ad ſtudium cæleſtis doctrinæ minùs ſufficiat Evangelium Chriſti, deſintque ad fidei noſtræ confirmationem Divinarum teſtimonia Scripturarum, ut in omni penè ſermone ad Chriſtianos de fide inſtruendos Gentilium ſit neceſſe opiniones introducere Sapientûm.* Aliter profectò veteres Eccleſiæ Patres, qui paſſim docuêre fidei noſtræ principia eſſe Scripturam ſacram

Arguit illos, qui neceſſaria neſciunt, quia ſuperflua diſcunt.

cram & Traditionem Apoſtolicam, myſteria eſſe credenda, licet capi non poſſint, quantúmque ad fidei Chriſtianæ inſtitutionem pertinet, Evangelium Chriſti Salvatoris abundè ſufficere; Quia ſicut Divus ait *Bartholomæus* à Dionyſio Areopagita in Theologia myſtica introductus: *Et latum & magnum eſt Chriſti Evangelium, rurſúsque conciſum*; Magnum eſt, *quia omnem continet diſciplinam ſapientiæ cœleſtis*; Latum eſt: *quoniam quidquid ad confirmationem ſacroſanctæ fidei videtur neceſſarium, abundè docet; Rurſúsque* conciſum: *Quia nihil continet inutile, nihil in eo reperitur ſuperfluum, nihil inſipidum...* Hanc Evangelii ſufficientiam vetuſtiores ſanctæ recordationis Doctores optimè intellexerunt, qui in declamandis ad populum ſermonibus ſacroſanctam Chriſti doctrinam, & Apoſtolorum ſanctiones ab omni fuco depuratas in medium produxerunt: *Noſtri autem Concionatores*, inquit, *majore in numero puriſſimos ac limpidiſſimos Dei ſermones Ariſtotelicis, Tullianiſque intermiſcent opinionibus, crebriùs Philoſophos Gentilium, quàm Chriſti Apoſtolos allegantes. Proh pudor! tam celebris facta eſt Verbi Dei præconibus peripateticorum auctoritas, ut in cathedra Chriſti crebriùs Ariſtoteles citetur in medium, quàm* Paulus *aut* Petrus *ſacratiſſimi Apoſtolorum Principes.* Quid amabo! talium ſermones ſimplici & indocto Dei populo proficiunt, in quibus ad oſtentationem totum, ad compunctionem verò nihil inducitur. *Ad ſcholas Gymnoſophiſtarum iſtæ meretriculæ, Gentiliúmque traditiones remittendæ ſunt, ut in ſchola Chriſti nihil aliud, quàm doctrina Chriſti pura & immaculata prædicetur.* Furfures enim puriſſimæ farinæ commiſcuit, quisquis hunc prædicandi modum primus adinvenit... *Indignum planè meo judicio, docendi genus, ut in ſchola Chriſti, quaſi pro dictorum Spiritûs ſancti confirmatione, illorum audiantur nomina recitari, quorum ſpiritus, absque ambiguitate, à Chriſto penitus fuit alienus.* Non enim cognoverunt Dei ſapientiam ipſius mundi Sapientes, & propterea in ſuis vanitatibus turpiter evanuerunt. *Stultus ergò ſit prædicator oportet, qui doctrinam Chriſti gentilium dictis Philoſophorum exiſtimat decorandam: Divina quippe eruditio*, ut Lactantius ediſſerit, *dialecticam non deſiderat, quia non in lingua, ſed in corde ſapientia eſt, nec intereſt, quali utare ſermone, ubi res quæruntur, non verba.*

Ariſtotelicos Concionatores corripit.

XXXVI. Sed neque Viros eruditione & ſcientiâ literarum ſuperbientes à ſua commonitione dimiſit inanes. Ita enim ipſe in Tractatu de laudibus S. Annæ cap. 111. illos affatus: „ Sunt, *inquit*, inter vos (quod pace bonorum „ dixerim) qui typo ſuperbiæ inflati, „ omnia devotionis ſimplicium exercitia deſpiciunt, Sanctorum miracula & exempla velut deliramenta „ contemnunt, nihilque ſanctum admittendum exiſtimant, quod Philoſophorum argumentis non probatur. Revelationes omnes à Deo devotis hominibus oſtenſas, mendacia vel ſomnia mulierum reputant, „ Legendas Sanctorum fabulas appellant, & dum eruditionem ſuam temerè prædicant, magni Dei opera „ imprudenter impugnant. Tractatus quoque ſanctorum Patrum & devotorum hominum, quia Tullianam „ præ ſe non ferunt eloquentiam, tamquam eruditione carentes abjiciunt, & cœleſtis doctrinæ verba propter orationem ſimplicem contemnunt. O ſtulti & ſubverſores! quare vosmetipſos decipitis? Cur Chriſtiani cùm ſitis, ſimplicitatem Eccleſiaſticam contemnitis? Gratia „ Dei non in eloquentia cognoſcitur, „ ſed in ſimplicitate ſancta acquiritur. „ In extremo Dei judicio non requiretur à vobis Quintiliana elegantia, „ ſed Chriſtiana vita. . Non remuneratur à Deo ornatus ſermo, ſed humilis devotio. Ibi ceſſabunt argumenta ſophiſtica, ubi ſecreta cordium erunt manifeſta. Tunc ſimplices devoti apparebunt in gloria, & „ docti ſuperbi in pœna. Ecce ſurgunt indocti ſimplices, & regnum „ Dei in ſua ſimplicitate devota accipiunt; & vos cum doctrinis veſtris „ in ſuperbia & elatione ad infernum „ deſcenditis. Vobis ſufficere creditis famam Eruditionis, quâ Veterum „ exemplo apud poſteros nominis immortalitatem acquiratis. Sed eſto: „ fiat quod quæritis; nomen veſtrum „ & fama in mundo, quamdiu ſteterit, cum laude prædicetur; quid „ vobis proderit? Verè ſtulta conſolatio, ſi lauderis, ubi nunquam eris, „ & torquearis, ubi ſemper ſine fine „ manebis. Moneo itaque & conſulo, „ deponite ſupercilium, pellite inſaniam, tumorem abjicite, ut inferni tormenta poſſitis evadere. Deus „ enim ſuperbis reſiſtit; remunerat „ non verba, ſed opera; non ſcientiam, ſed vitam, non doctrinam,

„ ſed

Eruditos inflatos ſuperbiâ reprehendit.

„ ſed conſcientiam. . . Rara eſt in Eruditis devotio; quia dum in profunditate ſuæ conquiſitæ doctrinæ confidunt, à ſimplici devotione longiùs recedunt. . . Hæc me dicentem nemo hoſtem bonarum artium exiſtimet, nemo Eruditorum calumniatorem credat; quippe qui literas ſemper colui & dilexi, viros Eruditos ſemper honorare conſuevi, & usque ad odium & perſecutionem imperitorum nonnunquam defenſavi. Sed ut caveant, qui ſibi docti videntur in oculis ſuis, ne ſimplicium devotionem contemnentes, eos à ſancto propoſito judicent revocandos. Si qui verò tales futuri ſunt, Eruditum in eorum numero crediderim neminem; cùm vera Eruditio devotionem juvare conſueverit, non reprehendere. . . „ Hæc & plura Trithemius in ſuis Sermonibus, quæ vel idcircò ſuſiùs commemoranda duximus, tum quia ex tanto viro maximè pendet iſtius ſeculi imago; tum etiam ut exinde palàm faceremus, quanto ſervore zelóque vir ſumus ſui ævi barbariem profligare, mores lævigare, vitia extirpare, virtutes inſerere, & quemlibet ſui officii commonefacere ſtuduerit; tum denique ut inde apertiùs eluceret, quàm irreprehenſibilem ipſe docendi vivendíque rationem inierit, qui tam conſtanter, tam intrepidè aliorum noxas tetegere, plectere, caſtigare auſus fuerit: Sicut enim vixit, ita docuit, & ut docuit, ita vixit, verus melioris diſciplinæ magiſter, juſtitiæ myſta, & incorruptus morum arbiter. Etſi verò aſperiora videri poſſent aliqua, proderit tamen ea nôiſe etiam ab illis, qui fortè hoc tempore tam ptojectæ indolis non ſunt; *Ne ſaltem per aſtum mali dæmonis nunquam ad perniciem otiantis, aut per obrepentem ignaviam in ſimilia degener prolapſus* fiat. Felix enim ille, quem faciunt aliena pericula cautum. *Vid. Illuſtriſſimus D. Franciſcus Guillelmus Epiſcopus in præf. ad Tritbemii libellum de inſtitutione Sacerdotis.* . .

Trithemii Fata &c. XXXVII. Quia verò *nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi non deſit obſervantia pietatis*, & calamitates ſolent magnorum plerumque virorum eſſe pabulum; quod etiam *M. Minucius Felix* his verbis prædocet: *Omnes viri fortes, qui in exemplum prædicantur, ærumnis ſuis inclyti vixerunt*; poſtquam curſum vitæ à *Tritbemio* per tot præclariſſimarum virtutum laborumque ſeriem hactenus traductum ſpectavimus, tanti quoque fata Viri ad commune noſtrum levamen ordine hîc proſeqni non erit inutile. Harum enim experto rerum, *Hieronymo* teſtante, *ſemper in propatulo fortitudo æmulos babet*, & juxta Naſonis effatum: *Summa petit livor, perflant altiſſima venti*; ut proinde nemini mirum videri debeat, ſi quanto doctiores & ſanctimoniâ clariores, tanto ſubinde acriores & plures habuerint obtrectatores. En tibi pro exemplo *Tritbemii* noſtri tragœdiam, & ſuſcitatæ in eum tempeſtatis ſeriem. Illuxerat ineuntis ſeculi XVI. annus quartus ob mortem *Georgii* Bojoariæ Ducis (*cujus bæreditati partes diſtractæ ac infenſæ ſibi invicem imminebant*) ſeditionum ac tumultuum plenus, & Germaniæ perinde atque Palatinatui Rhenano funeſtus, dum *Tritbemius* belli motu ac dein domeſtica ſuorum ſimultate jactatus, atque etiam ob interiorem *Philippi* Palatini gratiam adverſis partibus inviſus, quo ſe diſcrimini eriperet, in proximum Spanheimio Palatini oppidum, quod antiqui *Stauroneſum*, recentiores *Cruciniacum* dixére, ſeceſſit, nbi (*deportatis ſucceſſive libris, aliiſque Monaſterii clenodiis, ne in prædam cederent hoſtibus*) moram traxit per ſex ferè menſes; quibus elapſis, adſpirante pacis ſeriundæ ſavonio, monaſterium in vigilia S. Andreæ repetiit, in qno omnia ſus deque verſa, graviáque damna ab hoſtibus illata reperit. Secuto inde anno 1505. *Philippi* Comitis Palatini juſſu & literis Heydelbergam evocatus, die *primâ Aprilis*, uno ſtipatus ſamulo equeſter itineri ſe commiſit. Erat verò nonnihil debilis, febri tertianâ correptus, quæ infirmitas ex aëris intemperie aucta, eum Heydelbergæ lecto affixit, adeò ut redire ad ſuos, ſicut diſpoſuerat, citiùs non potuerit. Eo autem illîc decumbente, quintâ poſt ejus à Monaſterio diſceſſum die, gravis inter ſuos, inſtigante malo dæmone, exorta eſt perturbatio, quæ nimis inconſultè præſumpta cauſam *Tritbemio* præbuit tantarum tribulationum, ut ab hac die Spanheimium repetere noluerit, *non quòd probiberetur ab aliquo, ſed propterea, quòd verebatur ſe pacem cum æmulis poſteà nunquam babere poſſe*, iſtud Achillis ad Hectorem apud Homerum Iliade X ſæpè ingeminans: *Sicut non eſt leonibus & urſis concordia firma, neque lupi & oves unanimes eſſe queunt, ſed mala utrinque meditantur ad invicem, ſic non erit me & te alterutrum amari ampliùs.* Con-

fer. Epiſt. *ad Jodocum Beiſelium.* Linturius *Append. Faſc. tempor.* Langius *in Chron. Citizenſi &c.*

A Joanne Brandeburg. Coloniam evocatur.

XXXVIII. Frequens interea Principum à Cæſare reformandæ pacis causâ convocatorum cœtus Coloniæ Agrippinæ coaluit, ad quem *Joachimus* Marchio Brandeburgicus cum aliis digreſſus *Trithemium*, qui tum Spiræ Nemetum adversâ valetudine preſſus in ædibus Abbatis Lymburgenſis morabatur, per nuntium cum literis, ut Coloniam deſcenderet, rogavit. Hic igitur quamvis adhuc ex parte debilis, & propter lapſum ex equo, fluxum pateretur in crure ſiniſtro, vehiculo Moguntiam, indéque navigio Coloniam deſcendit, ubi per menſem cum Marchione hæſit, reditum ad cœnobium procraſtinans, donec ſibi innoteſceret, quò æmulorum ſuorum laberetur intentio. Quod ubi Marchio reſcivit, armatis precibus *Trithemium* ſollicitare cœpit, ut congreſſu ſoluto ſecum in Marchiam proficiſceretur. *Erat enim Princeps ille in omni varietate Scripturarum doctiſſimus, annum agens tunc vigeſimum quartum, ſed prudentiâ atque ſapientiâ longè ſupra ætatem clarus, qui amore ſcientiæ ſalutaris nimium æſtuans*, Trithemium *à multis annis habere præceptorem deſideraverat.* Cujus quidem votis annuit *Trithemius*, ſed tum denique illuc ſe venturum promiſit, poſtquam de *Philippi* Palatini conſenſu & rerum ſui cœnobii ſtatu ſibi pleniùs conſtaret. Copioſo itaque viatico & honeſtâ comitivâ à Marchione donatus die VI. Auguſti Coloniâ exivit, & navigio Moguntiam, indéque Spiram repetiit: ubi vocato ad ſe *Nicolao de Remig* Priore Spanheimenſi, omnem illi diſpoſitionem Monaſterii commiſit; quo facto cum bona *Philippi* Comitis Palatini veniâ per Thuringos interiorem Saxoniam penetrans, Berolinum ſeu Urſulum Marchionis Regiam ineunte Septembri A. 1505. appulit, ibíque perhonorificè exceptus à Principe, ac juxta aulæ magnificentiam proviſus, per novem menſes commoratus, varia ad ejus nutum elucubravit opuſcula, quæ infra ſigillatim enumerabimus. *Vid. Chron. Spanh. & ejus Epiſt...*

Ejus apud Berolinenſes mora,

XXXIX. Berolini conſtitutus, die XX. Octobris *Theodoricum* Capellanum ſuum cum literis ad Priorem & Conventum Spanheimenſem remiſit, indicans ſe in Marchia ad proximum Paſcha manſurum, neque verò Spanheimium priùs regreſſurum, quàm æmulorum ſimultates ſopitas noſceret. Rogabat hinc ſuos, ut *Joannem* Simerenſem Ducem ſibi, ex eo quòd à *Philippi* Palatini partibus ſtetiſſet, malè averſum conciliarent, & quàm temerè in ſe æmuli proceſſiſſent, palàm facerent: *Si quominùs; Ecce*, inquit, *iterùm denuntio vobis illum non me habiturum Dominum, qui me non habet Prælatum, neque illius me ſubjiciam imperio, qui injuſtitiâ & tyrannide armatus Dei juſtitiæ non vult eſſe ſubjectus... Palatinis favi rebus, propterea perſecuti ſunt me gratìs; Quid facturi ſunt æmuli, ſi dixero: Sed & favebo, quamdiu in me ſpiritus reſederit vitæ?....* Tantùm verò abeſt, ut juſtis hiſce Trithemii rogatis reſponderint Spanheimenſes Monachi, quin potiùs ſubinde interrogati: *Ubi Trithemius verſaretur?* Quô ipſi turpem fugæ inurerent notam, *ſe neſcire*, mendaciter reponebant. Rumorem alii ſubdolè diſſeminabant, *malè eum periiſſe*; Alii mancipatum vinculis aſſerebant; Alii aliud, quo illi odium conflarent & infamiam, malitioſè ſpargebant; de quibus ipſe non ſine juſta cordis amaritudine graviter conqueritur in ſuis epiſtolis, tum ad *Antonium* Abbatem S. Matthiæ Treviris, cùm ad alios Urſulô datis. Ceterùm propter ejus abſentiam quùm aſperiùs ab omnibus vexarentur æmuli, aliam ſubinde chordam oberrare cœperunt, & caudam jactantes populo, humilia atque dulciſſima verba ſcripſerunt *Trithemio*, ut ad monaſterium quantociùs reverteretur. Huic rei argumento ſunt literæ *Nicolai Remitii* Prioris Spanheimenſis 22. Novembris A. 1505. Urſulum directæ, ubi inter alia: *Ingenti*, ait, *me triſtitiâ affecit mora tam diuturna &c.* Cui Trithemins reſcribens, *verbis*, inquit, *verba retulimus, donec mentes pleniùs exploraremus; Non enim demceps facilè credemus, ſemel tam enormiter decepti...* Hæc inter *Joachimus* Marchio Trithemii familiaritate, moribns, doctrinâ, ſcriptis & inſtitutione vehementer delectatus, impensè eum hortabatur, ut perpetuò ſecum maneret, nec ſuo à latere recederet unquam. Quod ut faciliùs ab eo impetraret, Univerſale Gymnaſium Francofurti ad Oderam ipſe inſtituit, cui *Trithemium* præficere meditabatur. Aſt quùm hic renueret, anno 1506. die XXVI. Aprilis primus ſcholarum Rector creatus eſt *Conradus de Wimpfen* Francus Lipſienſis Doctor. Quibus peractis *Trithemius* impetratâ abeundi licentiâ, eximiis à Principe cumulatus hono-

& ſparſi de eo rumores.

honorariis die XIV. Maji Urſuiô egreſſus, iter ad Rheni oras relegit; ſex verò diebus Lipſiæ calculi & veſicæ morbo conflictatus ſubſtitit, inde à ſatellitibus Comitis Duroburgii malè laceſſitus, tandem ſecundâ Junii Neometim appulit, ibíque moram aliquamdiu traxit, ac demùm ad Budoras ſe recepit Principi ſua penſurus officia. Cùm autem Spanheimium regredi nollet, niſi priùs æmulorum in ſe animos intelligeret compoſitos, Francofurto præmiſerat ad Spanheimenſes Capellanum ſuum *Theodoricum*, qui rerum ſtatum diligenter indagaret, & Priorem Conventûs Heydelbergam acciret. Fluctuantibus adhuc inter Cœnobitas ſimultatibus, immò quorumdam ſuperbiâ magis emotâ, manſit hinc *Trithemius* cum Abbate Lymburgenſi apud Budoras usque ad finem Septembris, tacitus rei præſtolaturus eventum.

Cur ad ſuos redire noluerit...

XL. Contigit intereà Annale Ordinis Capitulum apud Moguntiam in fine Auguſti celebrari, cujus Præſidentes duos è gremio ad Trithemium Heydelbergam miſerunt Prælatos, *Conradum* S. Stephani Herbipoli, & *Joannem* Scuterenſem, qui nomine totius Capituli illum rogarent, ut Spanheimium repeteret, ſpondentes ſe daturos operam, quò impedimenta omnia, natæque difficultates tollerentur è medio. Ordinaverant & alios duos Abbates, *Thomam* Seligenſtadienſem, & *Joannem* S. Joannis in Rhingavia, qui Ducem Symerenſem, ſi contra illum adhuc in aliquo offenſus eſſet, eidem conciliarent. Quibus auditis *Trithemius* per incautas ſuorum cavillationes ſibi aliunde relatas, prope abalienatus, tale fertur dediſſe reſponſum: „Ex eo tem-
„pore, quo monachus eſſe cœpi, ſemper
„& voluntarius fui, & animo promptus
„Patrum meorum in omnibus obedire
„mandatis, & temerè nunquam ab eo-
„rum inſtitutis declinavi; ſolùm hac vi-
„ce mandatis eorum nulla poſſum ra-
„tione præbere conſenſum, ut ad Spon-
„heim revertar denuò manſurus, pro-
„pterea quòd me pacem cum eis habi-
„turum deinceps minimè confido. Ma-
„nifeſtum enim eſt, quàm malè quidam
„ex eis contra me machinati ſunt, qui
„(*malitiáne vel ſimplicitate ignorantiæ,*
„*non judico, ſed comitto omnipotentis Dei*
„*judicio*) plures mihi æmulos ſuſcitâ-
„runt; unde ſi reverterer ad monaſte-
„rium, nec ego illis fidem habere pote-
„ro, nec eorum animos mihi credituros
„perfectè ſcio. Melius eſt ergò; ut ſepa-
„remur ab invicem, quàm ut in diſſen-
„ſione perpetua vivamus: *Semper enim*
„*ſalus animarum commodo eſt præpo-*
„*nenda corporum, & Paſtor, qui oves*
„*ſibi commiſſas meliores ſe non poſſe*
„*facere conſiderat, & ſibi & illis ſa-*
„*lubriter conſulit, ſi officium reſignat.*
„Annus hodie tertius atque vigeſimus
„planè exactus eſt, quo Spanheimen-
„ſis Abbas indignus fui ordinatus, in
„camino paupertatis nimiæ ſemper
„decoctus, in miſeria & labore con-
„tinuus, & quod plus omnibus me
„gravare conſuevit, auxilio fratrum
„meorum in tot curis neceſſario, nun-
„quam relevatus. Cauſarum quoque
„ad cedendum me moventium non
„ultima fuit, quòd unus ex monachis
„meis haud infimus, quem ſemper
„ut filium intimum ſinceriter dilexi,
„& ſicut pupillam oculi mei contra
„quoscunque moleſtatores ubique
„defenſavi, omnium immemor * be-
„neficiorum nuper ad Moguntiam
„conſtitutus, conſilio & auxilio cu-
„jusdam alterius boni fratris literas
„in me contumeliis & injuriis plenas
„nomine totius Conventûs edidit,
„cùm mihi conſtet manifeſtè, quòd
„nullam à Conventu deſuper habue-
„rit comiſſionem vel conſenſum. Si
„hoc fecit, aut facere potuit homo
„pacis meæ, in quo ſperabam, qui
„mecum ambulabat ante pauper-
„culum gregem in paſcuis Domini,
„quid facturi ſunt infirmiores, quos
„tantis beneficiis minimè cumulavi?
„Si dextera mea, mei oblita tam te-
„merè me abnegare potuit, manus
„quid facient alienæ? Si amicus imò
„amiciſſimus meus talia contra me
„præſumpſit, inimicus quid faciet?
„Denique addam & illud, quòd ego,
„ut verum fatear, homo natus ad ſtu-
„dium Scripturarum magis, quàm ad
„curas negotiorum ſecularium, quie-
„tem magis deſidero, quàm inutiles
„labores. Venit ergò nunc tempus,
„quod ſemper optavi, data eſt mihi
„non merenti occaſio cedendi, quam
„non ſecùs duxi ſuſcipere, quam ſi
„omnipotens Deus manifeſta me pie-
„tate à tantis calamitatibus decre-
„verit liberare ad nominis ſui hono-
„rem. Cedam ergò libens, & Divi-
„næ me providentiæ committam, ne
„ſi cum ingratis diutiùs manere con-
„ſenſero, & corporis periculum &
„animæ incurram detrimentum; *Me-*
„*lius enim eſt*, inquit Ambroſius, *emi-*
„*grare cum gratia, quàm cum jurgio*
„*reſidere*.... Verumtamen priusquam
„id faciam, neceſſe fuerit, ut mihi lo-

* *Memoria beneficiorum fluxa, injuriarum ænea.*

„cum

„ cum futuræ manſionis provideam. „ Dominus Deus, qui non ſpernit preces pauperum, ſed auxilium poſtulantibus mittit in tempore opportuno, ipſe mihi locum providebit, „ non dubito, in quo liberiùs & quietiùs ei poſſim obſequi & ſalutem „ propriam in ſilentio operari... *Ex Chron. Spanh.*

Invitatur à diverſis Principibus.

XLI. His aliiſque expoſitis ſui ſeceſsûs cauſis, cœptâ perſtans in ſententia, redire ad ſuum Spanheimenſe monaſterium non conſenſit; quare miſſi Abbates aliis duobus remandârunt, opus non eſſe, ut Ducem Symerenſem propter *Trithemium* adirent, cùm mallet ipſe hanc Abbatiam omninò dimittere, quàm ſeſe in medium turbationis collocare. Audientes igitur Principes illum nolle ad ſuos Lares regredi, eum inſtanter ſollicitârunt, ut ad ſe deflecteret, ingentia polliciti minervalia, & proviſiones honorificas, ſi operam ipſe ſuam ſibi commodare vellet. Ita, referente Chronico Spanheimenſi, *Maximilianus* Imperator, *Philippus* Palatinus, *Joachim* Brandeburgicus, *Hermannus* Colonienſis Archiepiſcopus, *Joannes* Fuldenſium Antiſtes, aliique Proceres cùm ſeculares, tum Eccleſiaſtici, eum in ſuas adſciſcere aulas certatim ſtuduerunt.

Refugit aulas.

Verùm raræ & eminentis doctrinæ Abbas, monaſtici cùm eſſet tenaciſſimus inſtituti, nec ſanum ſibi nec integrum duxit in curiis Principum verſari, aut extra obſervantiæ regularis orbitam ſecedere. Divino igitur ſeſe in ærumnis conſolans præſidio, locum ſtudiis & converſationi ſuæ congruum maluit patienter exſpectare, ac interim innocentiæ clypeum rebus aſperis objicere, quàm ullatenus à virtute deſciſcere. *Propterea omnipotens Deus miſertus illius deſolationem, & nolens afflictum deſerere in finem, ſuper eum clementer aſpexit, & locum ſtudiis ejus congruum in obſervantia regulari providit.* CONRADUS namque S. Stephani Herbipolenſis Abbas (*qui à Capitulo Abbatum Moguntiâ Heydelbergam ad Trithemium ablegatus fuerat*) operam dedit, ut S. Jacobi Majoris in ſuburbio Peapolitano, quod Scotorum dicebatur, cœnobium acciperet regendum. Erat autem ejus loci tunc temporis Abbas *Chilianus de Oxenfurt*, vir gente & mente Germanus, qui cùm audiviſſet *Trithemium* poſſe induci, ut ſibi ſuccederet, *nulli ſe in mundo libentiùs, quàm tanto viro ceſſurum dixit, rogavítque ut res optatum quantociùs ſortiretur effectum.* Delato proinde ad R.^{mum} *D. Laurentium de Bibra* loci Epiſcopum negotio, reſpondit ille: *Sibi non ſolùm placere, ſed maximè optare, ut Trithemium in ſua Diœceſi poſſet habere Abbatem.* Voluntate Pontificis auditâ, Trithemius per nuntium & literas Herbipolim continuò invitatur; qui causâ *Philippo* Palatino, ut par erat, propoſitâ, de conſenſu illius, quò vocabatur, aſcendit. Tertiâ Octobris anno 1506. Herbipolim delatus, poſt reſignationem *Chiliani* Abbatis duodecimâ ejuſdem factam, compromiſſione fratrum in Epiſcopum & duos Abbates vicinos, præſati Cœnobii Antiſtes conſtitutus eſt, atque die XIV. Octobris ab eodem *Ordinario* confirmatus, alterâ mox die divi Burchardi patriæ Tutelaris honoribus ſacrâ in realem Abbatiæ poſſeſſionem eſt introductus. Literas deinde miſit ad Spanheimenſes, quibus illam ſe abdicare, & hanc ſuſcepiſſe Abbatiam nuntiabat. Eſt hæc epiſtola inter familiares ſecunda libri II. lectu digna. *Confer Chron. Hirſaug. edit. Sangall. pag.* 634.

Fit Abba. S. Jacobi Herbipoli A. 1596. 12. Oct.

Sparſis de ſe rumoribus obviat.

XLII. Mirabantur omnes quomodo induci potuiſſet *Trithemius*, ut locupletiſſimam illam Bibliothecam Spanheimenſem tantis impenſis & laboribus coactam deſereret, ac pauperculum cœnobiolum pinguiori præferret; cúmque nonnulli inficetæ opinionis ſcabie languidi, caſum viri locique mutationem variè acciperent, quidam temerè culparent, alii periiſſe aut delirâſſe crederent dicentes: *Hei! lumen illud ſplendidum, quod illuminare totum orbem ſuâ eruditione conſuevit, quomodo tenebrarum caligine eſt obfuſcatum! Quis Abbatem Trithemium in toto penè orbe Chriſtiano famâ eruditionis & ſanctitatis glorioſum in tantam animi dejectionem crediddiſſet venturum, ut patriam & amicos tam inconſultè deſereret?*... Hiſce clamoribus, qui viro liberali ac erudito, latiùs ſerpendo, officere potuiſſent, obviam iturus *Trithemius*, ſcriptis ad diverſos compluribus epiſtolis, tum cauſas ſui diſceſsûs prolixè pertexuit, cùm inſignem Spanheimenſium petulantiam & maleſartas æmulorum offucias egregiè notavit. Rerum verò humanarum ſortem & inſtabilitatem pulchrè nobis depinxit in epiſtola ad *Joannem Brachtium* S. Mathiæ apud Treviros Priorem his verbis: „ Quàm pendeant cuncta ſub ancipiti „ mortalia caſu, ſi priùs, *Amice!* „ neſcieras, Trithemiana nunc patefacit hiſtoria. Ego ſum ille Trithe- „ mius,

Digitized by Google

„ mius Abbas quondam Spanheimen-
„ ſis, quem docti ſimul & indocti tam-
„ quam oraculum Apollinis obſerva-
„ bant; qui omniũ ore laudatus, Burs-
„ feldianæ Congregationis videbar ca-
„ put atque columen. Magnum me
„ aliquid exiſtimabant Reges & Prin-
„ cipes; Eccleſiarum Præſules ad ſa-
„ mam nominis noſtri concitati, me
„ videre, me alloqui, ac ſuis intereſſe
„ cupiebant arcanis. Nomen Span-
„ heimenſis Abbatis per omnium ora
„ cum laude volitabat, ſéque puta-
„ bant felices viri magni & eruditi, ſi-
„ quos in mei familiaritatem admiſiſ-
„ ſem. Confluebant ad me non ſolùm
„ ex tota Germania viri doctiſſimi,
„ ſed ex Italia quoque & ex tripartita
„ Gallia plures. Principes quoque &
„ Pontifices Eccleſiarum ſuis me lite-
„ ris atque muneribus viſitabant. . .
„ Et ecce venit illa dies pravis optata
„ blaſphemis, quâ improbi raptores
„ totum Palatini turbantes Principa-
„ tum, rapinis incendióque vaſtârunt,
„ neque monaſteriis, neque Dei par-
„ centes eccleſiis. . . Hinc temerita-
„ tis auſum invidia ſumpſit, & me
„ pauperem ac innoxium carpſit. . .
Tum verò mutationis ſuæ factum exemplo aliorum Patrum fusè comprobat in Epiſtola XXXI. ad *Antonium* ejusdem Abbatem: *Sic enim*, inquit, *ſanctiſſimus* P. N. Benedictus *improborum Abbatiâ Monachorum dimiſſâ commigravit in eremum. Sic &* Rabanus Maurus *Fuldenſis*, Benno *Goſeckenſis*, Othmarus *San-Gallenſis*, Regino *Prumienſis*, Ratbertus *Corbeienſis*, *& alii propè innumeri ſuorum injuriis & contumeliis agitati, ſua deſeruerunt cœnobia, alio digreſſi. . . Horum ego*, ſubdit, *exemplo Patrum ſpontaneâ voluntate dimiſi Spanheimenſem Abbatiam, eámque in qua nunc dego pauperculam, ſed quietam, meíſque ſtudiis convenientem accepi, malens inter paucos habere pacem, quàm cum multis jugem Deo & ſaluti adverſam ſuſtinere contentionem.*

Ejus manſuetudo & patientia.

XLIII. Potuiſſet equidem *Trithemius* favore Principum ſuffultus æmulos ſuos facilè comprimere, excitatúmque livorem & denſam injuriarum ac proprorum nubem, quam minabantur diſcoli, ultimæq; ſortis homines, acriori impetu à ſe repellere, & in eos retorquere; ſed Chriſtianâ ut erat plenè imbutus Philoſophiâ, frænatis atque coërcitis vanæ indignationis aculeis, maluit per patientiam fieri ſalnbrior, quàm per vindictam effici ſuperior. Argumento ſanè luculento, ſimul ut cognoſcamus perfectum virum non moveri ulciſcendi doloris invidiâ, nec malorum rependere vicem.* Digna ſunt, quæ hîc attentè legantur ejusdem verba ſacratioris ejusmodi ethices melle madida in epiſt. 32. libr. 1. *Paratus ſum*, inquit, *ipſe Dominus Jeſus novit, & non ſum turbatus, pro gloria ejus nominis, pro meis quoque peccatis, & amore regni cœleſtis, non Abbatiam ſolùm & omnem hujus mundi favorem ſpontè dimittere, ſed etiam extremæ inopiæ me ſubjicere & addicere mendicitati. Injurias & contumelias non meritas à Principe Cynonotorum ſuſtinui, quas cùm poſſem in ejus retorquere caput, malui amplecti patientiam, quàm contra Dei voluntatem ſuſcitare vindictam. Eſt Deus in cœlo, qui videt injurias, quas patior ſine cauſa, ipſe non dubito vindicabit. . .* Rursùs in epiſt. ad Jodocum Beſeilium Juriſconſultum: *Neque verò*, inquit, *invidiam æmulorum expertus ſum adeò inſuperabilem, ut eam facilè domare favore & auxilio Ser.*[mi] *Principis* Philippi *Comitis Palatini potuerim, ſi voluiſſem. . . ſed ego non minùs amore pacis & tranquillitatis, quàm injuriarum conſideratione permotus, fixum apud me, quod ſtatueram, ſervavi, patienter ſufferens datam mihi occaſionem, quâ variis & inutilibus mundi occupationibus vel ſerò tandem eximerer. . . Sanctum igitur* Benedictum *ducem Monachorum ſecutus, monachos, quos induratos promovere ad ſaniora non potui, pacis amator deſerui*, ut ipſe reſcribit ad Simonem Abbatem Lacenſem. Et alibi: *Ego*, ait, *conſcientiæ teſtimonio, quod Deum fallere non poteſt, contentus, juxta illud Ovidianum*: Conſcia mens recti famæ mendacia ſpernit, *invidis locum dedi, nec mea intereſt, quod ſubjungitur*: Sed nos in vitium credula turba ſumus. *Omnipotens Deus, qui nihil ignorat, ipſe novit, quam temerariam injurioſámque contumeliam ſuſceperim ab æmulis meis, quam cùm ſummo Judici diſcernendam commiſerim, nolo eam literis vindicare mordacibus, probè gnarus Nobile vincendi genus eſſe patientiam.* Quæ virtus maxima eſt non tam in Religioſis, quàm in miniſtris Verbi Dei & præſertim in Prælatis, quos par eſt, pro Chriſti gloria illuſtranda omnia patienti animo ſufferre. Jucundum planè eſt ac conſolatione plenum, quod eam in rem ediſſerit epiſt. 75. his verbis: *Chriſtiani*, inquit, *ſumus & clauſtrales, imò aliis prælati, & proinde perampliùs ad humilitatem & patientiam*

* *Quippe minuti & infirmi eſt animi voluptas ultio. . . Juvenal. Satyra XIII.*

tiam exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, obligati; propter quod omnia gravia & amara pro Chriſti amore patienter à nobis ferenda ſunt. Quanto enim nos profeſſio monaſticæ inſtitutionis ad perfectionem ligat ampliùs, tanto nobis licet minùs vim vi repellere, ſed magis oportet adverſa quæquæ patientiùs ſuſtinere. Plena ſunt reliqua ejus ſcripta gem̃eis hujusmodi ſententiis. Quæ in animum dum reducimus, vix non poſſumus non iraſci, & cum *Rogerio Sicambro* exprobrare ac maledicere Monachis Spanheimenſibus, *qui*, ut ille queritur, *ex invidia & malignitate hunc virum omnium mitiſſimum, optimum, atque doctiſſimum, Regibus & Principibus charum, & cunctis viris bonis eruditíſque reverendum, qualem trecentis ab annis Ordo S. Benedicti habuit neminem, tam injurioſè confundere, & ad indignationem provocare non timuerunt.*

*Quo pacto vitia & perſecutiones vicerit.

XLIV. Verùm, *ſicut*, divo dictante Gregorio, *gravioris eſt culpæ inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi præconii eſt inter malos malum non extitiſſe.* Quâ autem arte inter malignantes tam incorruptus ſubſtiterit Trithemius, & emotas in ſe perſecutiones adeò feliciter ſuperaverit, pluribus ipſe inculcat in epiſtola ad *Eberhardum de Campis*, ubi ſtudiorum fructum ceu unicum ſuæ ſecuritatis præſidium obtendens, *Quid putas*, inquit, *accidiſſet in tranſacta perſecutione Trithemio, ſi ſtudium ſcripturarum à principio non omiſſet? ubi credis hodie eſſet? Experior nunc, quòd ſcientia Scripturarum non ſolùm tutam facit animam, ſed & corpori omnia copioſè procurat. Unde me non pœnitet literis operam navâſſe bonis, quamquam propterea multas ab æmulis injurias ſuſceperim.* Hæc ibi; in alia verò ad Jacobum fratrem ſuum epiſtolâ Urſulô datâ: *Neque fratrem te*, inquit, *nos imitari pigeſcat oramus, qui annorum vitæ tranſactæ, ut noſti, tempus omne ſtudio Scripturarum, usque ad invidiam vanarum impendimus. Quod niſi feciſſemus, ubi nunc fortunâ ſæviente in nos Frater! putas jaceremus? Nam etſi parùm docti evaſimus, conſiſtere tamen in nobis, Deo juvante, didicimus, variósque & fallaces fortunæ contemnere vultus, & intelligere, quis ſit ignorantiæ finis. Quæ noſtra ſunt, nemo tollet à nobis, quippe qui noſtra nobiſcum portare didicimus omnis terreni jacturam parvi facientes...* Similiter in literis ad Jacobum Syberti, *Pulcherrima*, infit, *poſſeſſio eſt eruditio mortalibus... Nam ut Tibi loquar in aurem, non jactantiæ causâ meæ, ſed ratione inſtitutionis tuæ, quid precor! mihi contigiſſet in ea perſecutione, quam adverſum me annis prioribus æmuli ſuſcitârunt, ſi ſtudio imbutus vel parum non fuiſſem literarum? Conſpirârunt in me Cynonoti unâ cum perfidis quibusdam Clauſtralibus meis, inviſa contra nos mendacia confingentes... quos ſtudio literarum adjuti pulchrâ cogitatione tandem exhaliſtavimus, Abbatiam Spanheimenſem dimittentes cum ingratis hominibus ſuis, non metu æmulorum, ſed contemptu honorum, viam nobis ad meliorem ſtudio parante literarum...* Sed lectu cumprimis digna ſunt ea, quæ in ſuis ad *F. Joannem Nutium* Spanheimenſem monachum reſcribit: *Annis triginta in pace & tranquillitate, ut ita dixerim, Philoſophiæ Chriſtianæ operam dedi, die ac nocte lectionibus Scripturarum, quod omnibus eſt notum, qui me noverunt, continuum penè ſtudium impendi, ſed quantum profecerim, jam primùm experientia dabit. Tempus omne ſtudendi mihi paravit naviculam, jam venit hora tentationis, quæ neceſſariam indicit navigationem. Experiar oportet, quàm ſcitus nauta evaſerim, qui tot annis diſcendi laboribus non peperci. Doctrina enim viri*, ut quidam ſapiens dicit, *per patientiam dignoſcitur. Si ergò in tantis adverſitatibus patiens evaſero, ſatis me didiciſſe arbitrabor... Scio autem me eſſe mortalem & brevi neceſſariò moriturum, propterea cùm alterutrum oporteat, malo injurias ferre, quàm inferre. Dicit enim S. Joannes Chryſoſtomus*: „Quidquid à quolibet hominum paſſi fuerimus, aut remiſſionem accipiemus omnium peccatorum, aut ſi tanta in nobis delicta non fuerint, clarioribus honorabimur coronis... *Ita ipſe*; concludit verò Chronici Spanheimenſis interpolator: *Divinâ igitur ordinatione factum credimus, ut locum ſtudiis ſanctis inveniret aptiſſimum, qui cunctis mundi honoribus ſemper prætulit ſcientiam Scripturarum; quarum etiam amore maluit pauper & abjectus latere in angulo, quàm multas poſſidere divitias cum mala inquietudine mentis in ſeculo...*

Ejus labores reliqui.

XLV. Quieti itaque reſtitutus *Trithemius*, multúmque ſibi exinde gratulatus, priſtino quoque literarum ſtudio ſe totum reddidit, ac multiplici deinceps genere ſcriptionis, non annis, quàm meritis & ſtylo vivacior, ingenii & diligentiæ effectûs ſuæ ætati, & bonis omnibus in futurum affatim probavit, luſtrando, viſendóque mona-

ſteria

ſteria, probæ morum diſciplinæ, uti priùs adfuit, & ne extremum quidem vitæ actum majorum conatuum cogitatione vacuum habuit. Is enim funeſtum illud malum, quod experti ſunt Patres noſtri, & nos usque & usque experimur, providè ut averteret, Eccleſiæ, Religioni, patriæ conſuleret, Principes cùm ſacros, tum profanos periculi imminentis admoneret, conſilia in rem opportuna & neceſſaria ſubminiſtraret, omnem movit lapidem, diéſque ac noctes laboravit; cúmque apud exteros parùm aut nihil proficeret, illud inprimis conatus eſt, ut ſui Ordinis collegas in officio contineret, novo fervore ſpiritûs accenderet, otium & ignaviam proſcriberet, literarum ſtudia latiùs propagaret; quod & plurimis in locis effecit, tantumque valuit, ut tam in inferiore quàm ſuperiore Germaniâ & eruditionis laude & vitæ meritis non pauci eniteſcerent, & ſarta omnia, atque integra conſervarent, plura effecturus, niſi obſtinata jam præcépsque in exitium patria conſilium omne & antidotum contemptim reſpuiſſet. Ipſe verò ante omnes gliſcentibus jam tunc per Germanias hæreſum ſeminibus, non ſine Numinis ſpeciali impulſu providè occurrit, dormitantes paſſim paſtores excitavit, Clerum fideliter præmonuit, Eccleſiam variis adversùs ſerpentes impiorum technas cautelis inſtruxit, Rempublicam literariam immenſis propè ac innumeris ſubſidiis velut præſcius futurorum præmunivit, egregio ſanè fidei, vigilantiæ, zeli ac induſtriæ exemplo demonſtrans, quid hæreſibus in apertum erumpentibus facturus erat, ſi ſuperſtes foret. Inexplicabile verò meritum, quo ſibi obſtrictam reddidit Germaniam univerſam (*Utinam*, inquit Bucelinus, *impia hominum peſtis & colluvies agnoſceret!*) id fuit, quòd improbas mortalium, invaleſcentésque nimium totis provinciis ſuperſtitiones, cunctáque maleficia exſcindere pro virili adlaboraverit, ac rerum patriarum hiſtorias eâ ætate adhuc neglectas egregiè illuſtraverit, Rem literariam ſuis commentariis copiosè adauxerit, iísque orbem eruditum inſtruxerit adminiculis, quibus hodiedum permulti ad quandã ſcientiæ lucem prorepant, majora ſanè præſtiturus, ſi hujus lucis uſura diutiùs in tranquillitate frui licuiſſet. Nihil enim illi jucundius, nihil uſitatius, quàm legere, ſcribere, & præclaras quidem res antiquitatis cognoſcere, præſentem loqui cum priſcis vel poſteris, atque ita omne tempus, quod aut præteritum vel futurum eſt, ſuum facere. Huic rei argumento ſunt innumera prope ejus ingenii monumenta inferiùs recenſenda.

XLVI. At enim ſublimioribus ejusmodi cogitatibus indies magis magiſq; dum indulgeret, atque ad finem usque vitæ propoſiti tenax, laboríſque indeſeſſus extantioribus operibus memoriam ſui ulteriùs extendere feſtinaret, morbo interceptus, non ſine ingenti Eruditorum, Magnatum, Principum, immò & Cæſaris *Maximiliani*, bonorúmque omnium luctu & planctu, *omniſcius ille, mirandíque ingenii Abbas* *; extremam in ſuo Herbipolenſi S. Jacobi majoris cœnobio vitæ periodum beato, ſed heu! nimis præpropero fine complevit die XIII. Decembris ſanctæ Luciæ Virgini & Martyri ſacrâ anno reparatæ ſalutis MDXVI. ætatis 54. Menſ. x. diebus xv. Trithemii obitus A. 1516. XIII. Decemb.

* *Hoc eum mactat elogio Flachius.*

Erectum ei in divi Jacobi templo ſaxum ſepulchrale, cui ipſe inſculptus viſitur Abbatis habitu mitrati, dextrâ librum, ſiniſtrâ lituum paſtoralem tenentis, additâ circulari hâc epigraphe:

ANNO. DOMINI. MCCCCCXVI. IPSO. DIE. SANCTE. LUCIE. OBIIT. VENERABILIS. PATER. DOMINUS. JOHANNES. TRITEMIUS. ABBAS. CUJUS. ANIMA. IN. SANCTA. REQUIESCAT. PACE. AMEN.

Ponè ad latus columnæ appenſa viſitur tabella lignea, hoc ſpectantibus legendum exhibens monumentum perenni illius honori & memoriæ ſacrum:

EPITAPHIUM
JOANNIS TRITHEMII
Auctore D. GEORGIO FLACHIO Suffraganeo Herbipolenſi, quarto ab illo in Abbatia D. Jacobi ſucceſſore.

Hunc meruit ſtatuam Germana gloria gentis,
ABBAS TRITHEMIUS, *quem tegit iſta domus,*
Quam fuerit literis ſimul & virtute celebris,
Admiranda ſui dant monumenta ſtyli.
Arguit hoc etiam multorum gloria Regum,
Ex quibus inprimis MAXIMUS ÆMILIUS.
MAXIMUS ÆMILIUS * *Romani gloria ſceptri,*
Qui fuit Auſtriaca clara propago Domûs.
Hujus magnificâ fuit acceptiſſimus aulâ,
Et primum tribuit docta caterva locum.
Abſit ſuſpicio de Dæmonis arte Magiâ,
Contra quam magnum ſcribere cœpit opus. *
Ut vivit famâ, ſic vivas mente beatus,
Et videat ſummi cœlica regna Dei.

* *Maximilianus I.*

* *Libri XII. contra maleficia &c.*

Cùm anno 1716. pavimentum templi Jacobæi in altum erigeretur, R.mus D.nus JOANNES BERNARDUS MAYER *Epiſcopus Chryſopolitanus Herbipolenſis Suffraganeus*, Trithemii exuvias è tumulo in corona multorum Virorum dignitate & doctrina illuſtrium, non mino-

minori religionis affectu, quàm veneratione erga virum ſanctitatis opinione inclytum levavit, eáſque ſigillo obſignatas, in loco ubi corporis requiem acceperat, repoſuit anno 1720. uti teſtatur lapis infra ſtatuam ſarcophago impoſitus cum hac inſcriptione:

HIC. REQUIESCUNT. OSSA.
VIRI. PIETATE. ET. DOCTRINA.
CELEBERRIMI.
JOANNIS. TRITHEMII.
PRIMO. SPANHEIMENSIS. DEINDE.
HUJUS. AD. S. JACOBUM. MONASTERII. ABBATIS. REPOSITA. ANNO.
MDCCXX.

Sed ut plenam tandem fidem Lectori ſaciam *Trithemium* meritis in rem literariam ſuo ſeculo neminem ſibi habuiſſe ſuperiorem, continente filo retexenda jam ejus ſunt ingenii monumenta, atque adeò luculentiori demonſtratione evincendum ſine adulatione egiſſe viros doctiſſimos, qui Trithemianam Muſam in cœlum laudibus evexerunt. Quo labore eo lubentiùs defungar, quòd pleraque ejus Opera diſparuerint, ita ut nec ubivis inveniri, nec inſpici poſſint, qui verò eorum dedêre indices, mancos plerumque & jejunos exhibuerunt.

VITÆ & APOLOGIÆ
VEN. JOANNIS TRITHEMII
LIBER SECUNDUS,

In quo omnia ejus Opera, quotquot vel olim typis excuſa, vel anecdota reperiri potuerunt, ſervatâ, quâ licuit, annorum ſerie, locíſque indicatis, in quibus de ſingulis mentio occurrit, curatè recenſentur, additis ſubinde rerum ſummariis, & Eruditorum de iis judiciis & cenſuris.

§. I.

Operum Trithemianorũ commendatio.

TAmetſi curſus Vitæ à *Joanne Trithemio* Abbate per tot præclariſſimarum virtutum laborúmque ſeriem traductus indolem ejus verè præclaram & egregia in Eccleſiam, Religionem, Ordinémque ſuum & patriam merita abundè teſtatur; majora tamen quædam lumina radiare videntur ex nobiliſſimis uberrimíſque ipſius lucubrationibus. In his enim tanta ſelicitas cum fertilitate doctrinæ conjuncta relucet, ut velut in tranquillo mari lenes undæ poſteriores ſeſe prioribus ſuperfundant; adeò ut ſive in iis ſpectes ſtyli ſoliditatem & elegantiam, ſive materiæ perpendas dignitatem aut copiam, attonitus hæreas, nec quid in tanto numero mirêre magis, tecum poſſis ipſe convenire: *In ipſo*, inquit Gabriel Bucelinus, *redivivum* BENEDICTUM *& primævum Ordinis Benedictini ſpiritum reſuſcitatum nemo dubitaverit, qui Commentarios ejusdem in Regulam S. Benedicti*; Homilias & Exhortationes ad Monachos; Sermones in generalibus Abbatum congreſſibus habitos; Tractatum de triplici regione clauſtralium; Libellum Penthicum de ruina Ordinis monaſtici, Inſtructionem Sacerdotum, & alia ejus ſcripta attentè legerit. *Adeò omnia Divini Pnevmatis dictata referunt, ut in hoc genere in nullo maximis Eccleſiæ Doctoribus ceſſiſſe videatur, adeò ponderosè, graviter ſimul & ſuaviter animos religioſos afficit, ut re verâ non hominis, ſed Dei verba & dictata agnoſcas; úſque merito, tanto pòſt, ſæpiùs in reformatiſſimis cœnobiis ad menſam & alias lecta magno cum fructu ſummâque omnium admiratione & approbatione audiantur.* Et verò, ſubdit cultiſſimus FELIX EGGER, *Trithemii divinam prope doctrinam æquali ubique alveo fluentem propiùs dum contemplor, digniſſimam invenio, quam omnes admirentur. In lucubrationibus de fide & intellectu, novo Manichæo (futuro quem præviderat* Luthero) *novum oppoſuit* Auguſtinum; *in Tractatu de Scriptura ſacra adæquavit eruditionem* Hieronymi. *In Commentariis ad Regulam D. Benedicti ſtillavit ſuavitatem* Ambroſii. *In libello Penthico & adhortationibus ad Prælatos, Monachos, & Sacerdotes, oſtendit gravitatem utriusque* Gregorii, *aſcendit ad majeſtatem* Leonis, *profundit aurea* Chryſoſtomi *flumina, melifluum lac propinat* Bernardi. *In reliquis quos emiſit libris, ſentit ut* Pythagoras, *dividit ut* Socrates, *ex-*

pli-

plicat ut Plato, *implicat ut* Ariſtoteles, *ut* Æſchines *blanditur*, *ut* Demoſthenes *iraſcitur*, *vernat ut* Hortenſius, *æſtuat ut* Cethegus, *incitat ut* Curio, *moratur ut* Fabius, *ſimulat ut* Craſſus, *diſſimulat ut* Cæſar, *ſuadet ut* Cato, *diſſuadet ut* Appius, *perſuadet ut* Tullius, *inſtruit ut* Hieronymus, *deſtruit ut* Lactantius, *adſtruit ut* Auguſtinus, *attollitur ut* Hilarius, *ſubmittitur ut* Johannes, *ut* Baſilius *corripit*, *ut* Gregorius *conſolatur*, *plangit ut* Salvianus, *ſtringit ut* Rufinus, *ut* Oroſius *affluit*, *narrat ut* Euſebius, *ut* Eucherius *ſollicitat*, *provocat ut* Paulinus, *ut* Ambroſius *perſeverat*. Quæ denſa elogiorum ſylva ultro prodit, quanta ſit Operum Trithemianorum præſtantia: Nimirùm ut *Deſiderius* ille *Roterodamus* ajebat: *Auro ſapientiæ nihil pretioſius*, *fulgore eloquentiæ cum ſapientia conjunctæ nihil mirabilius*... Quæ etiam cauſa fuit, cur præter Germanos, Galli quoque & Itali, Hiſpani, Batavi, Belgæ, aliæque nationes ab hoc aſtro ad ſe lucem derivare ſtuduerint, hodiéque illi, qui magno ſubinde ſupercilio, multóque orationis fuco rerum argumenta incruſtant, ſuos ipſos commentarios Trithemii auctoritate fulcire & ornare verbis ſatagant. Nec id meo quidem animo prorsùs ineptè; ſiquidem is unus in plerisque plurimorum inſtar eſſe queat, accinente *Paulo Langio* Poſavienſi Monacho ejus quondam diſcipulo: -- *Hic eſt*

Inſignis virtute Cato, Pompejus honore,
Tullius eloquio, Religione Numa.
Relligio, probitas, honor & facundia in illo eſt;
Sicque Viros Abbas quatuor unus habet.

Ejusdem Operum indices.

II. Variis autem in locis lucubrationum ſuarum elenchum *Trithemius* ipſe pertexuit, non quidem cœnodoxiæ aut inanis gloriolæ afflatus ſpiritu, ut nonnullis perperam viſum, ſed potiùs humilitatis & candoris ductus amore. Has enim ipſus ſui conſilii cauſas non ſine inſigni magnæ moderationis & modeſtiæ indicio aſſignat in fine libri Virorum Germaniæ illuſtrium his verbis: *Non exiſtimo me dignum, qui locum inter Scriptores, & illuſtres Germaniæ Viros occupare debeam propter ingenii mei paupertatem, ſed ne mihi obveniat, quod multis legimus contigiſſe, qui titulos Operum ſuorum ex humilitate occultantes, auctores eorum quoque librorum æſtimati ſunt, quos forſitan non viderunt. Sed Apologiam cui ſcribimus? In his conſcientiæ teſtimonium unicuique ſufficiat, nemo extra ſe amplius requirat. Celent alii ex humilitate, quæ cuderunt opuſcula, ego quæ ſcripſi magis ex humilitate & caritate in lucem conſtitui producenda. Malo enim, ſicubi erratum eſſet, vivus corripi, quàm mortuus; quoniam ſicut à mortuo perit confeſſio, ita in vivo prodeſt correctio. Neque enim tam petulans ſum, ut memoriam nominis vanitati obnoxiam pro laboris mei mercede expoſtulem. Ne ergo compoſuiſſe videar aliena, aut celaſſe propria, exemplo Divorum Patrum titulos Operum meorum ſubjiciam... Ut noverit poſteritas benè me ſemper voluiſſe, quamvis Neyatharum præpeditus inſolentiâ, minimè potuerim bonum perficere, quod volebam....* Septem verò ab eo confectos habemus ejusmodi indices totidem inexpugnabiles iſtorum ipſius laborum teſtes. *Primus* extat ad calcem libri *de Scriptoribus* Eccleſiaſticis A. 1494. editi. Alter habetur in fine Catalogi Illuſtrium Germaniæ Luminarium ad an. 1495. perductus. *Tertius* in Nuncupatoria Chronico Spanheimenſi año 1506. præfixâ edente Frehero. *Quartus* in ipſo Spanheimenſi Chronico ordine annorum digeſtus. *Quintus* in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum datâ Herbipoli A. 1507. quæ eſt 51. libri ſecundi familiarium editionis Speigelianæ. *Sextus* & locupletior in ejus *Nepiacho* de ſcriptis propriis à pueritia repetitis ad annum 1507. deductus, in quo etiam noñulla ejus Opera alibi non memorata comparent. *Septimus* auctior occurrit in Chronico Hirſaugienſi curis & typis San-Gallenſium in Helvetia Monachorum nuper edito, cujus calci ipſe Trithemius recenſionem Operum à ſe ad A. 1513. exaratorum annexuit. Alius & ferè ceteris explicatior legitur in Epiſtola *Joannis Duracluſii* ejus diſcipuli ad *Nicolaum Hamerium Emelanum* anno 1515. ſcriptâ, quæ reperitur inter Trithemiana. Ejusquoque vigilias & lucubrationes fusè recenſuére *Geſnerus* & *Joſias Simlerus* in ſuis Bibliothecis; Fuſiùs verò *Arnoldus Wion* libr. 5. Ligni vitæ pag. 784. *Freherus* item, *Buſæus*, & *Heidelius* in editis à ſe Trithemii Operibus, omnium indicem præmiſerunt. De iiſdem plura ſuppeditat *Voſſius* libr. 3. de Hiſtoricis latinis cap. 10. Ne referam, quæ in ejus laudem congeſſere *Bzovius*, *Laurentius Craſſus*, *Thomas Popeblount*, uberiora ſunt illa, quæ ad rem noſtram *Poſſe-*

vinus, *Labbeus*, *Du-Pinius*, *Niceronius*, *Wartkouus*, *Olearius*, aliíque Bibliographi ſuggerunt. *Jacobus Maſenius* Jeſuita in notis & additamentis ad Broweri Aňales Trevirenſes *pag.* 556. omnium quoque Trithemii Operum indicem ſubnectit. *Chilinus* in Theatro Virorum Literatorum pag. 13. multa huc facientia commemorat. Suam itidem ſymbolam in idipſum contulerunt *Bucelinus* in Benedicto redivivo, *Felix Egger* in Idea O. S. B. *Ignatius Groppius* Tom. I. Scriptor. Wirtzburg. pag. 247. Sed omnium pleniorem & accuratiorem notitiam dedit V. Cl. *Albertus Fabricius* in Bibl. mediæ latin. libr. IX. pag. 453. Ex his itaque & aliis, quæ nobis bona obtulit fortuna, ſequentem procudimus Catalogum, ſervatâ, quâ licuit, annorum ſerie chronologicâ, locíſque diligenter adnotatis, in quibus de ſingulis mentio occurrit, aut ubi typis exſcripta, vel anecdota reperiuntur, additis ſubinde ipſorum Operum argumentis, Eruditorum cenſuris, judiciis, aut elogiis, ut eo ipſo homines cupidos moveremus ad conatus noſtros promptiùs juvandos.

Primæ ingenii fœturæ ab A. 1484.

III. Poſtquam igitur noſter triviis quibusdam tentaminibus velut crepundiis ad majora præluſiſſet, ſenſímque promptior & exercitatior evaſiſſet, anno demùm ætatis ſuæ XXII. Chriſti 1484, primùm cœpit ſcribere, ac tam multiplici deinceps lucubrationis genere ingenii vires ac laborum fructus omnibus probavit, ſícque naturæ dotes artis perfectióne & culturâ ceu cote lævigavit, ut ſupra conditionem humanam eas extuliſſe multis viſus fuerit. Prima autem quæ ſcripſit opuſcula, erant de iis rebus, quæ ſtatum & profectum concernunt Monachorum, quorum aliqua velut informes partus ignibus ipſe tradidit, poſtquam aliquantulum politiores jam edere didicerat. Has inter infelices victimas Vulcano ſacrata ceſſit ampla quædam collectio in quatuor partes diſtributa hoc rubro: *De origine, acquiſitione, pulchritudine ac utilitate virtutum in genere & in ſpecie. . .*

De Virtutibus. . .

Opus ſanè & titulo, & argumenti præſtantiâ ſplendidum, dignúmque quod ætatem ferret, ſed quia propter nimiam prolixitatem & varias initæ Abbatialis præfecturæ occupationes illud limare & expolire non ita potuit, uti voluiſſet, *Maronis* exemplo flammis cremandum dicavit, ut refert in Chronico Spanheimenſi ad A. 1488. Hac in re meo quidem animo minimè imitandus: Nam quemadmodùm *Apellis* tabulæ, licèt ruditer tantùm adumbratæ, in pretio ſubinde apud veteres æſtimatores fuêre, ita fieri poteſt, ut quæ ſuis auctoribus, præſertim ſummis viris impolita, & à ſpongia ad pulveres, piperiſque togas videntur relegenda, ſuos aliquando procos, manúſque ſortiantur obſtetrices. Latitant enim nonnunquam in ejusmodi collectaneis horridis cæteroquin & inficetis velut in ſterquilinio quodam pretioſi uniones, quibus diligentiores probè uti, & ſua exornare didicerunt. Sed iſta pro monito inſinuâſſe ſatis. *Vid. Schelhornii Amœnitates Tom. VII. à pag.* 75. Hanc porrò primigeniam ingenii fœturam excepit *Summula quædam de vitiis & virtutibus*, ex dictis SS. Patrum & Doctorum duobus libris conflata hoc exordio: *Magna virtus animi eſt. . .* Quod Opus necdum anno 1507. in lucem prolatum fuiſſe memorat in epiſtola ad Rogerium Sicambrum: *Inprimis*, inquit, *cum eſſem annorum trium & viginti, comportavi ex ſcriptis Doctorum Summulam Virtutum in duobus libris, quam necdum in lucem edere potui.* Ejusdem meminit in ſuo Nepiacho, hodiéque, deſideratur. Extat verò conſimilis argumenti Opus manuſcriptum in Bibliotheca S. Jacobi apud Mogonos, quod Trithemii eſſe ſuſpicamur; ſed vacillantibus duntaxat ſuffulti conjecturis.

An. 1485. Summula de Virtutibus & vitiis. . .

IV. Sub idem tempus à quodam Presbytero interpellatus de pœnitentia in ſacro tribunali iis injungendâ, qui per negligentiam filium perdiderant in igne, & quod ſceleratius, duodecim annis in hoc reatu ſcienter communicantes perduraverant, prolixam ad eum reſcripſit hac de re Epiſtolam, quæ inter editas à *Joanne Buſæo* vigeſima eſt. Crebris itidem pulſatus quarumdam Monialium precibus, ut exhortationis ſuæ Sermonem aliquem ipſis communem faceret, fuſam æquè, ac boni ſucci plenam ad easdem conſcripſit *Homiliam de ſectanda charitate, humilitate, & in tentationibus perferendis patientiâ.* Hanc *Buſæus* inter Epiſtolas retulit num. 3. pag. 921.

Epiſtolæ quædam & Homiliæ.

Ad inſtantiam earumdem Monialium eodem tempore inchoavit magnum Opus *de Laude Virginitatis. . .* quod tamen ſub annum 1506. necdum perfecerat, uti ex ejus Nepiacho & aliis indicibus diſcimus.

De Laude Virginitatis.

Eodem

De miſeriis humanæ vitæ.

Eodem anno 1485. ſcripſit *Libellum de vanitate & miſeriis humanæ vitæ....* decem capita complectentem. De hac lucubratiuncula ipſe in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum ita reſcribit: *Ad inſtantiam cujusdam amici librum ſcripſi unum* de miſeria vitæ præſentis, *in quo legentis animum ad mundi contemptum inducere conatus ſum. Hoc Opus dudum fuit impreſſum,* (Moguntiæ 1495. in 4.) *& incipit: Cùm nihil ſit vita...* Recuſum eſt curante laudato *Joanne Buſæo* inter ſpiritualia Trithemii Opera pag. 784. Aureo hoc in opuſculo hortatur cumprimis peccatores ne differant vitæ emendationem. Monet omnia vanitati eſſe obnoxia, háncqne vitam eſſe quamdam peregrinationem à patria cœleſti. Inde nos edocet, qualis aſſumenda ſit vitæ inſtitutio; tum verò varia enumerat, quæ nos à pœnitentiæ fructu retrahunt. Agit deinde de multiplici humanæ conditionis miſeria; & quod in omni ſtatu, ſexu, ætate & conditione ſuæ ſint ærumnæ, oſtendit. Tractat denique de præſentis vitæ brevitate, de mortis neceſſitate & amaritudine, nec non de judicii diſtrictione. Ex quibus concludit mundum, carnem & omnes hujus vitæ voluptates eſſe contemnendas.

De Inveſtigatione S. Scripturæ.

Circa idem tempus conſcripſit Tractatum quemdam *de inveſtigatione S. Scripturæ*, quem anno 1486. cum literis miſit ad *Nicolaum* Mernicenſem Presbyterum, his uſus verbis: *Ut autem ſcires qualiter ſtudio ſacræ lectionis debeas fructuoſiùs inſiſtere, mitto tibi de hac materia Tractatum, ob quorumdam amicorum petitiones à me nuper editum; in quo compendiosè multa de ſacrarum Literarum inveſtigatione perſcripſi. . .* Vide Epiſt. IX. apud Buſæum pag. 941. & infra §. IX.

A. 1486. Inſtructio Sacerdotis.

V. Secuto inde anno repetitis præfati *Nicolai Mernicenſis* ſui quondam conſcholaris neo-presbyteri literis flagellatus, *ut formam in ſacerdotio laudabiliter vivendi*, ſtylo commendaret, gemmeum illud condidit opuſculum, *de vita, moribus & doctrina Clericorum*, ſeu *de vitæ ſacerdotalis inſtitutione*; quod Spanheimio Calendis Aprilis anno 1486. ad eundem transmiſſum legitur. Typis verò exſcriptum eſt primùm *Moguntiæ* anno 1494. cum Epiſtola *Thomæ Ruſcher de Gamunda* Ss. Literarum Profeſſoris & in majori æde Moguntina Verbi Dei præconis eâ ætate celebratiſſimi, ubi quàm neceſſaria in hoc quæ continentur opuſculo, ſuis eſſent temporibus, præſertim ad Clericorum in partibus illis libertati ſenſuum tunc magis aſſuetorum reformationem, pluribus oſtendit. Duriuſcula quidem nonnulla delicatioribus noſtri ævi Criticis videri poſſent, quæ *Trithemius* circa mores Sacerdotum liberali fronte profert in medium; Verùm aliter planè viſum eſt ſapientiſſimis plerisque Epiſcopis, qui eundem Tractatum ſuo Clero aut commendârunt, aut in ſynodis ab omnibus legendum ſanxerunt, ac iteratis excudendum typis curârunt, ut multiplicatis exemplis, quilibet frequenter eum manibus tereret, eóque veluti vitæ & viæ duce per iſtas ſui ſeculi ſalebras uteretur. Digna cumprimis ſunt, quæ hîc repetam, mellita ſel. record. *R.mi D.ni Chriſtophori Andreæ* primùm Brixinenſis, dein Gurcenſis Epiſcopi verba, quibus Clerum ſuum allocutus eſt, quando anno 1577. auream hanc Trithemii inſtructionem, exemplo aliorum Epiſcoporum in uſum ſui Cleri typis recudi fecit; ita enim præfatur:

Chriſtophorus Andreas Epiſc. Brixinéſis in præfatum opuſculum.

„ Poſtquam in ea incidimus
„ tempora, quibus maximè, ſi un-
„ quam anteà, creberrimis ad Clerum
„ exhortationibus opus eſt; operæ
„ pretium facturos eſſe nos exiſtimavi-
„ mus, ſi quod vivâ voce jam ſecun-
„ do in anniverſaria noſtra Synodo
„ quantum in nobis fuit, præſtitimus,
„ ſcripto illud idem in præſentia ſe-
„ dulò conaremur, ut vos omnes pa-
„ terno ſtudio veſtri officii commone-
„ faceremus. Nam ut neſcio quo
„ pacto mirificè afficiant, quæ auribus
„ hauriuntur; non minùs tamen com-
„ movere ea plerumque ſolent, quæ
„ ipſi meditatis diligentérque perpen-
„ ſis rationibus à mutis interpretibus
„ accepimus. Qua de cauſa ex Stras-
„ burgenſi noſtra Bibliotheca JOAN-
„ NIS TRITHEMII jam olim Abbatis
„ Spanheimenſis, *Viri*, ut ex ejus
„ ſcriptis apparet, *& vitæ & eruditio-*
„ *nis ſpectatiſſimæ*, libellum deligere
„ viſum eſt, quem novatis excuden-
„ dum typis curaremus, ut multipli-
„ catis exemplis, veſtrûm quilibet fre-
„ quenter in manibus haberet, eóque
„ quaſi vitæ & viæ duce per iſtas no-
„ ſtri ſeculi ſalebras uteretur. De Sa-
„ cerdotum vita piè ſanctéque inſti-
„ tuenda, optima & ad corruptiores
„ noſtri temporis mores accommoda-
„ tiſſima præcepta tradit; omnia ex
„ limpidiſſimis Theologicæ doctrinæ
„ fontibus deprompta ſunt; nihil præ-
„ ter ſaluberrimas admonitiones, nihil
„ præter Chriſtianam pietatem, nihil

„ deni-

„ denique præter ſalutis adipiſcendæ rectiſſimam, amœniſſimamque viam continet. Verùm quoniam vix eſt, ut à nobis aliquid ita novum ac inauditum excogitari dicíve poſſit, quin anteà vel ſæpiùs dictum audituḿve ſit, *Tritbemium* hoc argumentum, poſt aliquot alios celeberrimi nominis Theologos optimè tractâſſe inficiari nec poſſumus, nec volumus. Etenim quo ille vixit tempore, jam ante annos centum, aut eadem vigebant, quæ hodie, flagitia, aut hanc noſtram tempeſtatem tot ſceleribus contaminatum iri vaticinatus eſt; ita plerorumque mores & vitam depingit: Atque adeò quid nobis agendum, quid fugiendum egregiè ob oculos proponit. Quæ potiſſima ratio fuit, cur vobis piiſſimum ejus libellum præ ceteris comendandum cenſuerimus.

Urbanus Brixinēſis Epiſcopus eundem Tractatū laudat.

„ Accedit huc, quòd audiamus URBANUM prædeceſſorem noſtrum, cujus & memoriam colimus, & veſtigia libenter ſequimur, hunc eundem Tractatum vobis laudare ſolitum. Cùm igitur noſtrum ſit vobis præire, vos vocare, vos excitare, perſuaſum habetote, illud Nos eò libentiùs ac ſæpiùs facere, quòd videamus cohortationes noſtras apud vos inanes non eſſe; quarum fructus haud exiguos & ipſi jam ſentimus, & univerſus Grex noſter propediem longè uberiores percipiet, ſi, quod veſtrâ ſponte facitis, noſtris precibus & monitis alacriùs ad *Venerandi Patris* TRITHEMII præſcripta vitam informaveritis. Neminem veſtrûm ignorare arbitramur, quanti ſint apud imperitam multitudinem Paſtorum exempla, à quibus ſi quid liberiùs fiat, id ſibi non tantùm licere exiſtimat, ſed plerùmque videmus multa addere & afferre de ſuo. Quare tales exemplo & oratione vos præſtate, quales eos eſſe decet, qui ſalutis ſuæ omnes properationes à nobis ſuſpenſas habent. Valete officii muneriſque veſtri memores. Datum Strasburgi ex arce noſtra Epiſcopali Cal. Febr. anno à ſalute reparata MDLXXVII. „ Hæc laudatiſſimus & ſapientiſſimus Præſul *Chriſtophorus*. Eundem verò Tractatum notis quibusdam perutilibus illuſtratum iteratis typis pro uſu & commoditate ſui Cleri excudendum curavit Ill.mus Princeps D. *Franciſcus Guilelmus* Ratisbonenſis, Mindenſis & Verdenſis Epiſcopus... *Coloniæ Agrippinæ* anno 1655. in 12. paria præfatus.

Franciſcus Guilelmus

Epiſcopus Ratisbonenſ. eundem ſuis commendat.

Hunc quoque cum notis & epiſtola quadam adventatoria, *in qua occaſiones Statui Sacerdotali pernicioſiores proponuntur*, R.mus ac Ill.mus Princeps D. *Antonius* Brixinenſis Epiſcopus alterâ vice recudi fecit Oeniponti anno 1675. Iſtis verò ornamentis & encomiis ſpoliatum dedit *Joan. Buſæus* Jeſuita inter ſpiritualia Trithemii Opera *pag. 765*...

VI. Eodem anno die VIII. Idus Aprilis *Trithemius* ad eundem *Nicolaum Mercinenſem* amplam conſcripſit epiſtolam, in qua novitios Sacerdotes inſtruit de officio. Scripſit & alias plures ad eundem literas ſatis prolixas, quibus documenta ſaluberrima tradit, *de vita piè traducenda; de cavenda mulierum familiaritate; de ſtudio ſacræ Scripturæ, & Ss. Patrum; de fugienda ebrietate; de vitandis tabernis, otio, ignavia, aliſque vitiis*. Has epiſtolas extulit *Buſæus* num. 1. 4. 5. 9. 10.

1486. Epiſtolæ quædam & Parænefes.

Iis itidem diebus, *inter furentes*, ut ipſe loquitur, *mundialium rerum occupationes*, duos conſcripſit libros *Homiliarum & Sermonum*, ſeu *Exhortationum ad Monachos*, quorum primum die IX. Junii abſolvit, & ſextâ Auguſti ſuo Anteceſſori *Joanni de Colnbauſen* Seligenſtadienſium eo tempore Antiſtiti tranſmiſit, correctionis ejus limâ expoliendum; Alterum verò die 1. Septembris complevit, & XII. ejusd. præfato Abbati inſcripſit. Ita enim in præfixis epiſtolis, & ad calcem utriusque libri legitur. In priori ad inſtitutionem fratrum, ut præfatur, Homilias XXV. quas coram pro ſuo more indies peroraverat, comportavit; in altero Sermones ſeptem ſecundùm ordinem, quo dicti fuerant, compegit. Solemne iſtud habebat *Tritbemius*, ut ſingulis ferè diebus exhortationes ad ſuos faceret, uti ex prologo in librum *de regimine clauſtralium* liquet, unde mirari ſubit, non plures eſſe ſervatas aut editas; ſed fatetur ipſe ſe non omnes literis commendâſſe in epiſt. 34. apud *Buſæum*. Harum Exhortationum editionem Argentinenſem de anno 1486. referunt quidam Catalogographi; ſed credimus errorem inde natum, quòd annum ſcriptionis pro editione conſignaverint. Eas adhuc ineditas delituiſſe anno 1507. reſcribit Trithemius in ſua ad Rogerium Sicambrum Epiſtolâ; ubi Opus his ait incipere verbis: *Militiæ convenit Chriſtianæ*... Prodierunt autem primò Argentorati anno

1516.

1516. in fol. min. ex officina *Joannis Knoblouch Calcbographi*, impenſis *Joannis Haſſelbergers de Augia* Conſtantienſis Diœceſis, ut in fine legitus. In Opus pſælufit *Ottomarus Luſcinius* Argentinenſis hoc decaſticho:

Si cui non ſatis eſt placidas ſectarier aqui
Leges Chriſte tuas: ni reforat Monachos;
Serapion, Paulus, callémque Antonius olim
Pratensat, ſalebris qui riget innumeris.
Aſpera ut excruciet corpus, monſtrare lucernâ
Nititur, & plumam non ſinit eſſe thoro.
Ut pellant animi tumidum jejunia faſtum,
Membra brevis ſoveat ſemiſopita quies.
Hac taciti factis docuêre, ſed aptior illis
TRITEMIUS, *linguâ qui valet atque manu.*

Aversâ paginâ legitur Maximiliani Imperatosis privilegium Trithemio anno 1514. datum, ubi inter alia ſapientiſſimus Imperatos: *Quùm Te*, inquit, *varias tam veterum, quàm novorum authorum editiones non ſine magno labore, vigiliis & diligentiâ collectas, compoſuiſſe humiliter nobis expoſueris, quas in lucem edendas totâ mente deſiderares, atque hujuſcemodi rei miniſtrum noſter & S. R. I. dilectus magiſter Joan. Haſſelberg de Conſtantia ſe futurum paratiſſimum obtulerit, formâsque idcircò, quibus prænominata opera imprimere valeat, magnis impenſis comparaverit. Nos itaque prædicti Magiſtri Joannis indemnitati, tuíque honoris ornamento conſultum iri cupientes, ne opera tua magnis à TE laboribus & vigiliis compoſita, veluti rubigine obducta latitent, ſed potiùs indies magis eluceſcant; ideò &c.* Recuſi ſunt hi duo Exhortationum libri *Antverpiæ* cum opuſculis *Thomæ à Kempis* anno 1574. in 8. & iterùm *Lovanii* cum segulis quatuor Ss. Patrum anno 1575. Item *Florentiæ* cum aliis ejusdem commatis A. 1577. ac denique curante *Buſæo* iotes opera ſpiritualia Trithemii Moguntiæ An. 1604. *pag.* 410. In illo autem ipſo *ætatis flore vigente ſuæ* aliquamdiu jam Abbatis munus ſuſtinuerat *Tritbemius*; ſed quàm modeſtum in eo dignitatis gradu ſe præbuerit, nos edocet in ipſo Homiliæ ſecundæ exosdio. In reliquis ſuos cumprimis ad ſtudium Scsipturarum inflammat, iisque ſalubria ad benè beatéque vivendum ſuppeditat documenta, ac ſubinde ignavos acriùs mordet. Hos ſermones cùm fortè ſortunâ aliud agendo *Schelbornius* aliquando pervolutâſſet, *probè gnarus*, ut ipſe præfatur, *virum inser ſui ævi* πολυμαθεστάτους *meritò referendum, ſcriptis etiam dogmaticis & moralibus varia inſerere conſueviſſe, quæ inibi haud facilè quæſiveris*, nonnulla ex iis notatu digniſſima excerpſit, ſuíſque amœnitatibus literariis intexuit Tom. VII. pag. 283. pro genio exinde in rem ſuam philoſophatus.

VII. Circa idem tempus adornare cœpit *Commentarium in Regulam Ss.* 1486. Comentar. in Regulam S. Benedicti.
P. N. Benedicti, ſeu *Tractatum de regimine Clauſtralium*, duobus libsis complendum; cujus tamen poſtremus deſideratur. De hac lucubratione Tsithemius ipſe in epiſtola ad *Jacobum Syberti* Lacenſem in Evphalia Monachum anno 1508. ſignatâ mentionem injiciens, *Ea*, inquit, *quæ dudum in Regulam Divi Principis noſtri* Benedicti *ſcripſimus, cum aliis in Spanheim remanſerunt; cogitamus autem, quoniam iſthic multi poſtulant, aliam in eandem facere lucubrationem, quæ priorem vetuſtate dictionis aliquantulum excedat...* At verò in epiſtola ad *Joannem Piemontanum* ejusdem loci Priorem ſequenti anno datâ, totum ſe in complendo Hirſaugienſi Chsonico detentum inſinuans ſubdit: *Hinc fit, quod Commentarios in Regulam S. B. ſicut propoſueram, aggredi animo tuo haud potero.* Ex quibus colligere pronum eſt opus iſtud mutilum remanſiſſe; nec de parte altera nobis quidquam hactenùs compertum: licèt ipſe ubique duos ejus Operis libsos deſignet: ita enim in epiſt. ad *Rogerium* Sicambrum anno 1507. exaratâ: *Ad inſtantiam Nicolai Stauronefii tunc Prioris mei clauſtralis in Spanheim ſcripſi ſuper Regulam S. P. N. Benedicti libros duos*; quod Opus ſic incipit: *Venite filii, audite me.* In prologo ſuos ſeſtivè perſtringit æmulos, qui ei ſuccenſebant eo, quòd poſt veteses Patres, qui ſacrum Divi Benedicti Canonem luculentiſſimè expoſuerant, rursùs ipſe novus expoſitor accederet. Superat verò ejus comentarii liber primus manuſcsiptus in chartulario S. Jacobi Scotorum Herbipoli; ex quo illum in lucem protulit Buſæus inter Opera Tsithemii Moguntiæ edita pag. 150. Eundem ſeparatim secudi curavit *Henricus Sommalius* Jeſuita *Valencenis* anno 1608. in 8. Quo quidem Opere nihil ille *magis pium, nihil magis eruditum in Regulam Divi Benedicti* ſcriptum ſe legiſſe unquam non ſemel affirmat. *Sommalio* conſonat doctiſſimus *Edmundus Martene* in obſervationibus præviis ad ſuum in eandem Regulam Commentarium, ubi: *Hoc opus*, inquit, *reconditiorem multigenámque Ss. Patrum lectionem exhibet; ſed quod ſatis doleri non poteſt, decurta-*

tum ſeptem duntaxat continet capita, cum prologo, in quibus vix aliquid ad accendendum fovendúmque religioſæ diſciplinæ ſtudium ac fervorem aptius aut fortius deſideres. Idem ferè judicium de eo tulit doctiſſimus Abbas *Calmetus* in ſuo itidem ad Regulam S.B. Commentario Gallicè edito Pariſiis 1724. Tom. II. in 4. Illuſtris verò *Felix Offelius* Ser.mi Bavariæ Ducis Conſiliarius Aulicus & Bibliothecæ Electoralis, quæ Monachii eſt, præfectus, nuper per me ad ſuppetias novæ, quam paro, Operum Trithemianorum editioni è locupletiſſimo Monacenſi Chartophyiacio ſufficiendas coram invitatus, in hæc verba ad rem propoſitam reſcripſit: *Commentariorum in Regulam SS.mi Patris veſtri Benedicti liber ſecundus deperditus omnium Bibliographorum veſtrorum vim odoram ſuſcitare, & diligentiam acuere deberet ad eum retegendum; neque enim dubito alicubi cum blattis & imbribus luctari. Excuſſi in eum finem Catalogos Manuſcriptorum plusquam triginta, variorum Bavoriæ potiſſimùm Monaſteriorum, qui Maximiliani I. Septemviri noſtri, Principis etiam in literis maximi juſſu ſive rogatu concinnati ſunt; ſed pauca admodùm Tritemiana ubique reperi, Haſelbachiis, Dunckelſpüblanis, Henricis de Haſſia & ſimilibus Quotlibetariis omnes propè forulos occupantibus.* Hæc & alia ſummus ille vir, quæ profectò moroſioribus noſtris Concellitis & Abbatibus pudorem incutere deberent. Sed iſta alibi uberiùs.

A. 1487.
De tentationibus Monachorum.

VIII. Cùm ætatis vigeſimum quintum, regiminis verò Abbatialis quartum ageret annum, ſcripſit *Trithemius* libros duos *de tentationibus Religioſorum*, rogatu *Joannis Damii Curtenſii* Agrippinatis ejus quondam à cubiculis famuli, tum verò Monachi & Capellani, ac denique Sanctimonialium in Noviburgio prope Budonim Præpoſiti. Primus liber undecim abſolvitur capitibus, in quibus agit de quatuor tentatoribus, *Deo*, *Mundo*, *Carne*, & *Diabolo*. Poſt hæc multiplicia demonſtrat tentationum genera, modóſque & cauſas earumdem indicat. Deinde ſubjungit remedia, & quàm utiles ſint proficienti in melius tentationes oſtendit. Liber poſterior ſex tantùm capita complectitur, cæteris deperditis aut deliteſcentibus. In illo libro ſpeciales vincendi tentationes formulam ſuo præſcribit diſcipulo. Statim ab initio ſuam juvenilem cauſatur ætatem & regendi ſcribendíque imperitiam; unde conjicimus *Trithemium* hoc opus in ipſo aditæ præfecturæ Abbatialis exordio adornâſſe ac ſenſim expoliiſſe: Ita enim ipſe: *Cui hæc*, inquit, *loquor? Tibi utique & fratribus tuis, qui nondum in diſcipulatu inſtitutum me vobis præfeciſtis Magiſtrum. Modò quantæ ſit temeritatis docere, quod neſcias, coactus experior. En ſermo implanatus meæ dat teſtimonium ignorantiæ, quòd puer ego balbutiens doctorum uſurpaverim mihi nomen munúsque.* . . Extant hi duo libri inter ejus opera curante *Buſæo* editi *pag.* 661. ſed in poſterioris libri extremis mutili, proindéque in nova editione ex MSS. ſupplendi. Sequitur ibidem *Tractatus de vitio proprietatis clauſtralium* decem capita complectens, circa idem tempus ad inſtantiam cujusdam Monachi Blidenſtatenſis ab eo conſcriptus. Quo quidem in opuſculo oſtendit primò *Monachi proprium eſſe, voluntatem propriam abnegare, & Chriſti veſtigiis inſiſtere.* Agit deinde de tribus votis ſubſtantialibus, quibus monaſtica religio innititur. Tum verò expandit quàm periculoſum ſit non reddere votum; ac denique ex Jure Canonico & SS. Patrum ſententiis probat peculium Monacho penitùs eſſe interdictum, nec Abbatem Monacho poſſe concedere proprium. Hinc excuſantes proprietatis vitium egregiè carpit & admonet de periculis, atque ad illud fugiendum eosdem ſeriò cohortatur. Prodiit hoc inſigne opuſculum primò *Moguntiæ* anno 1495. typis *Petri Friedbergenſis* exſcriptum in membranis & in papyro cum aliis ejusdem tractatulis. Deinde recuſum eſt, tum curis Buſæi anno 1604. tum etiam *Sommalii* cum Commentario in Regulam S. B. *Valencenis* 1608. in 8. Extare Manuſcriptum in variis Belgii Bibliothecis diſcimus ex *Antonii Sanderi* Bibliotheca Belgica Parte II. pag. 150. & 219. . .

De vitio proprietatis.

Eodem anno inchoavit laborioſum & vaſtiſſimum Opus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quod ſeptenni decurſu abſolvit, ut ſuo loco pluribus ediſſeram. Varias inſuper Epiſtolas ad diverſos conſcripſit Trithemius, quas turbatâ annorum ſerie dedit *Buſæus* Num. 18. 2. 6. 12. 19. 11. 13. 14. 15. in poſtremis præſcribit cuidam Clerico modum proficiendi in ſtudio Divinarum Scripturarum. Tum fusè exponit, *cur anguſta dicatur via ad vitam æternam, lata verò ad perditionem.* Deinde rationibus aliquot oſtendit, non ideò religionis monaſticæ propoſitum eſſe

De Scriptoribus Eccleſiaſt.

Epiſtolæ.

deſe-

Digitized by Google

deſerendum, quòd in ea nonnulli inveniantur deſides & mali. In decima quinta tres diſſolvit quæſtiones, 1. *An ſecretum Confeſſionis pateſieri poſſit?* 2. *Quando feſta ſolemnia incboentur & finiantur?* 3. *An fato aliquid ſit tribuendum?* In prioribus expoſtulat cum aliquo de intermiſſis ad ſe literis; Arguit monachum cauſâ adeundæ Eremi cœnobio egreſſum; Cauſam fugitivi ad communem Abbatum conventum eſſe referendam contendit; in XII. conqueritur ſe nimiis oppreſſum negotiis &c...

An. 1488. Inveſtigatorium S. Scripturæ.

IX. Snb idem tempns opuſculum, cujus jam priùs prima duxerat lineamenta ſub titulo: *Inveſtigatorium SS. Scripturarum*, ad uſum fratrum ſuorum paulò curatiùs elaboravit. Mancum illud habuit *Buſæus*, ſed cauſis neſcio quibus, ſuppreſſit; Nec hactenus, quod ſciam, lucem publicam adſpexit, dignum omnino meliori ſorte, noſtrâ præſertim ætate, quâ omnia ſophiſticis crepitibus perſonant, & Ariſtoteliadum ineptiis obfuſcantur. Certè *Tritbemium* divini oracula verbi impenſiſſimè præter illius, quo vivebat, ſeculi morem & genium adamâſſe, ac Scripturas velut *caſtas cordis ſui delicias* maximi feciſſe ſcimus; aſt longè aliâ præditos fuiſſe mente Monachos ejus cœnobii, cui præerat, diſcimus ex Homilia IV. in qua ſuos his compellat verbis: *Videmus inter vos quosdam Scripturarum ignaros, inſtabiles, diſcolos, vagos, quibus eo magis imputamus ignorantiam, quo minùs inclinantur ad diſciplinam. Turpe quidem eſt neſcire, quod ſcire juberis; turpius non diſcere, turpiſſimum verò contemnere. Et ſunt inter vos quidam, qui ſcientiam ſalutarem neſciunt; Sunt etiam, qui diſcere negligunt; quid ſi addam eſſe & alios, qui ſcientiam Divinarum Scripturarum penitùs contemnant? Certè non mentior, Vos ſcitis, quia verum eſt, quod dico...* Hos igitur moroſiores ut ad ſtudia SS. Scripturarnm accenderet, laudatum condidiſſe opuſculum non ex vano conjicimus. Procudiſſe prætereà alium

De modo ſtudendi.

Tractatum *de vero modo ſtudendi*, diſcimus ex Chronico Spanheimenſi ad hunc annum. Quo itidem tempore

De Vita ſpirituali. Speculū vitæ Religioſi viri.

conſcripſit alterum opuſculum *de Vita ſpirituali*; necnon *Speculum vitæ hominis Religioſi*, & ſimilia quædam ſynthemata hactenus anecdota, & fortè deperdita, aut alicubi cum blattis & tineis luctantia.

Epiſtolæ.

Geminas quoque epiſtolas iis diebus exaravit ad *Joannem* Monachum Blydenſtatenſem, in quibus aberrantem, & per devia incedentem graviter admonet, ut futurorum cautus periculorum mala proſpiceret, & de reliquo vitam in melius commutaret. Utraque lectu digniſſima habetur inter editas à Buſæo Num. VII. & VIII. plura ad hunc annum opuſcula refert Chronicon Spanheimenſe ab eo conſcripta, ſed ordinem chronologicum videtur neglexiſſe, qui in Nepiacho explicatior apparet.

A. 1489. Vitæ Sanctorum & Panegyres.

X. Proximo inde anno 1489. regiminis Abbatialis ſexto compoſuit *Legendam S. Irminæ Virginis*, filiæ Regis *Dagoberti*, primæ in Horreo Trevirenſi cœnobio Abbatiſſæ, cujus emortualis dies ſignatur in Calendario XXIV. Decembris, ſacræ verò capitis exuviæ olim adſervabantur in Spanheimenſi Sacrario. Scripſiſſe etiam eo tempore *de Laudibus S. Joſepbi* Nutritii D. N. J. C. librum unum, & alterum *de Laudibus S. Andreæ Apoſtoli*, ac etiam unum *de Laudibus SS.mi Patriarchæ Benedicti*, prodit Chronicon Spanheimenſe. Sed an iſta typis edita ſint, aut deliteſcant anecdota, ignoramus. Verſabat inſuper alia quædam in manibus opuſcula, quæ tamen iſto anno non perfecit; *Nam ſtudium linguarum orientalium, quod ante religionis ingreſſum adhuc in ſeculo poſitus incboaverat, ac per ſeptennium fermè intermiſerat, aliis intentus, ne per ipſum in oblivionem duceretur, rursùs iis diebus totis viribus aſſumpſit excolendum*, ut refert Chronicon Spanheimenſe. Eodem anno varias conſcripſit Epiſtolas, quas extulit Buſæus

Epiſtolæ.

Num. 16. 17. 21. 22. 23. in prima ad Priorem Brulenſem *Petrum de Suchtelen* reſpondet ipſius querelis de fratre quodam *Wilhelmo* apoſtatâ; in altera hunc *Wilhelmum* increpat, & ad viam reducere tentat. In XXII. ſignatâ IV. iduum Martii ad F. *Bernardum de Slierbach* Ord. Minorum Conventûs Crutzenacenſis Concionatorem, tractat de verâ amicitia Monachorum. In ſequenti, quæ XXI. eſt, ad eundem data XV. kal. Novembris recenſet Auctores, qui ſcripſerunt *de Miſericordia Dei, de excellentia charitatis, gloriâ regni cælorum, ſacrâ Eucbariſtiâ & de Laudibus B. M. Virginis.* In XXIII. ad eundem agit *de Timore ſervili, & de igne infernali.* *Legi*, inquit, *de hac materia plurima, quæ magis opinionem faciunt, quàm certitudinem...* Ait enim Auguſtinus: *Ignis æternus cujusmodi ſit, & in qua mundi vel rerum parte futurus, hominem ſcire arbitror neminem, niſi fortè, cui Spiritus Divinus oſtendit... ſit ergò quidquid*

ſit... Sic autem vivamus dum vivimus, ut ignis, de quo loquimur, qualitatem evadamus. Curioſa magis, quàm utilis eſt iſta inquiſitio, quoniam quod ſine peccato neſcitur, non eſt cum periculo diſtendum &c.

A. 1490. Forma viſitationis clauſtralis.

XI. Secutis inde diebus omnes prope ingenii vires in labores pro Ordine Benedictino intendit, atque anno 1490. regiminis ſui ſeptimo concinnavit *Methodum & formam Viſitationis Clauſtralium*; quod opuſculum XXXII. capitulis abſolvitur; in quibus ad Ss. Canonum obruſſam examinat qualitates & jura Viſitatorum, iíſque viſitandi modum præſcribit. Typis poſteà ex mandato Capituli Provincialis Abbatum O. S. B. per Germaniam impreſſum eſt *Norimbergæ*, cum aliis ejusdem argumenti opuſculis anno 1496. extátque inter ejus Opera à Buſæo edita pag. 979. De hac lucubratione in ſua ad Rogerium Sicambrum Epiſtola ſic ſcribit: *De modo & forma Viſitationis Clauſtralium ſcripſi librum, qui Norimbergæ dudum juſſu Patrum eſt impreſſus, & ita incipis*: Fratres tuos viſitabis... *De modo etiam & forma celebrandi Synodum Ordinis Provincialem ſcripſi librum unum, qui præſcripto coimpreſſus eſt.*

De modo celebrandi Capitulum Provinciale.

Eodem anno inſignem habuit orationem coram Abbatibus in Congreſſu annuo Moguntiæ in monte S. Jacobi celebrato, quæ excuſa eſt ibidem eo tempore, & deinde recuſa curante Buſæo *pag.* 840. In ea agit Trithemius *de fuga ſeculi, & de laudibus vitæ religioſæ*; videtúrque eſſe ichnographia vel compendium alterius opuſculi, quod eâ ætate procudiſſe prodit Chronicon Spanheimenſe hâc rubricâ: *Laudes vitæ Cœnobiticæ*; quod quidem opuſculum necdum anno 1507. typis vulgatum fuiſſe memorat in ſua ad Rogerium Sicambrum Epiſtolâ, ſolóque titulo nobis hodie cognitum eſt. Eo inſuper anno Epiſtolam dedit ad *F. Franciſcum Wilet* Ord. Minorum Concionatorem in Pfortzen, in qua exacerbatum hoc delinit popiſmate: *Nihil reſponſione dignum in tuis reperi epiſtolis, qui ſententias ſermonibus imperitis obruiſti. Mel abſinthio miſces, laudibus falſis interponis convitia, & dum utrique laxas habenas, neutrum me putas accipere. Benè quidem. Ego enim, qui profiteor monachum, nec laudibus variis demulceor, nec convitiis injuſtis ullatenus perturbor. Quid velis intelligo, & quid intendas non ignoro. Me operum suorum conſtituis judicem, & cauſaris detractorem. Qualis es, talem me fore judicas... Sed quid mihi obtendis querelam? Nullum adhuc tuorum legi Operum, præter id quod* de Novitiorum ſcrupuloſitate *ſcripſiſti, & paucas epiſtolas, in quibus ſi ut putas, limam reprehenſionis apponerem, multa quàm vilia ſcripſeris, facilè demonſtrarem... Cùm enim ſis Monachus, uſurpato jam vocabulo, & ſacram coneris Scripturam evolvere, defectus ſententiarum poëtico ſtylo contendis palliare. Sed utriusque confundis induſtriam, dum nec Poëta es, nec Theologorum intelligis qualitatem... Si* Franciſcum *tuum ſanctiſſimum juxta habitûs inſignia imitari decreveris, elatam prorsùs cervicem & in te & in aliis ſemper horrebis: Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Dicamus quod ait quidam*: Hoc ſcio, quod neſcio; *Ne dum volumus plurima ſcire videri, nihil veraciter ſcire contingat. Hæc tibi,* Frater chariſſime! *breviter reſpondendo reſcripſi, habiturus te, ſi humiliter accipias, amicum benevolum, vel pacificum iratum...* Eodem anno die XVI. kal. Septembr. aliam ad *F. Bernardum Slierbach* ejusdem Inſtituti Concionatorem dedit Epiſtolam, in qua notatu digna hæc occurrit ſententia: *Stultum eſt malo ſuo amicorum probare conſtantiam: quia ſæpè dum paucis non creditur, multorum amicitia violatur.* Deſino plura congerere quamquam bellè & ſapienter dicta.

Oratio de fuga ſeculi.

Laudes vitæ monaſticæ.

Epiſtolæ.

XII. In ſequenti anno regiminis ſui octavo *Enchiridion ſeu Epitomen receſſuum* Statutorum *Capitularium O. S. B. per Provinciam Moguntinam & Diœceſin Bambergenſem à tempore Concilii Conſtantienſis emanatorum*, ſubmiſit primò Præſidentibus illius Provinciæ Abbatibus cenſurandum, ut eſt in Epiſtola apud Buſæum XXVII. ubi inter alia: *Præcepiſtis,* inquit, *ut ex Decretalibus & conſtitutionibus ſummorum Pontificum illa colligerem, quæ noſtro convenirent propoſito, ac utilitati conſulerent. Feci quod potui, & ex eisdem conſtitutionibus, videlicet decretalium* Benedicti XII. Martini V. Nicolai Cuſani *Card. & Legati Apoſt. Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis, nobis quæque utiliora extraxi, & in unum cum cæteris compendium coarctavi... ſuſcipiant igitur Paternitates veſtræ obeditionis opuſculum, quod ut perficerem, veſtrum præſidentiæ mandavit imperium. Si quid emendandum occurrerit, limam auctoritatis veſtræ meo arbitrio libens ſubibit...* Deinde idem opuſculum cum aliis miſit

A. 1491. Epitome Statutorum Provincial.

ſit ad *Joannem* S. Ægidii Norimbergæ Abbatem prelo committendum, ut diſcimus ex Epiſtola xxvi. apud eundem Buſæum, ubi: *Receſſus*, inquit, *Capitulorum ad mandatum DD. Præſidentium in breve quoddam Enchiridion coarctavi. Formam quoque, ut poſtulâſtis, viſitationis incepi, & Dei auxilio ad finem usque perduxi, quam DD. Præſidentium examini diſcutiendam ſubjeci.* De ſervando Capitulo Provinciali *modum quemdam concepi, quem veſtræ quoque cum prædictis omnibus Reverentiæ deſtinavi. Bullam etiam Baſileenſis Concilii cum quibusdam aliis ex decretalibus & Benedictinâ, nobis opportuna collegi, & ſuis in locis abbreviata diſpoſui. . . Cùm ergò paternitas veſtra hæc ipſa ſuſceperit, examinet, & ſic demùm, ſi placuerit, juxta commiſſionem Patrum tradat imprimenda. . . Conſilii autem mei eſt, ut forma viſitandi atque ſervandi Capitulum non imprimatur; quia quod paucis convenit, in aures omnium non eſt propalandum.* Hæc ille. Aliter tamen viſum eſt Præſidentibus, ſiquidem memorata *Abbreviatura* ſive *ſynopſis receſſuum Capitularium*, unácum viſitandi, & Capitulum celebrandi modo typis excuſa ſunt *Norimbergæ* accurante præfato Abbate per *Georgium Stöchs ex Sultzbach* civem Norimbergenſem anno 1493. ut ex Gottwicenſi in Auſtria, & Schwartzacenſi in Francia codicibus ipſemet didici. Hujus quoque editionis meminit *Roederus* in Catalogo Librorum, qui Norimbergæ impreſſi ſunt num. 324. & infra num. 393. addit librum *de forma viſitandi, & celebrandi Capitulum* cum ſtatutis Capitularibus recuſum eſſe ibidem circa annum 1496. ſed hujus editionis exemplar nullum videre nobis contigit. Extant eadem opuſcula inter alia à Buſæo digeſta pag. 1026. De his agit Trithemius in ſua ad Rogerium Sicambrum Epiſtolâ, addens ſe

Synopſis Statutorum Burſfeldenſ.

etiam *Statuta Annalis Capituli Patrum de obſervantia Burſfeldenſi ornatiore ſtylo in unum librum abbreviando redegiſſe, qui Coloniæ habetur in Cœnobio S. Martini, &* incipit: *Reverendis in Chriſto Patribus. . . Præterea*, ſubdit, *ad inſtantiam Joannis Abbatis Burſfeldenſis*

Modus celebrandi Capituli Annalis.

Modum & formam deſcripſi Annale Capitulum celebrandi; quod opus priusquam perficerem, ille obiit, & libellus in Spanheim cum aliis remanſit; incipit autem ſic: *Reverendo Patri Domino Joanni. . .*

Iisdem diebus utroque quaſi cornu laboravit Trithemius in perficiendo *Scriptorum Eccleſiaſticorum* Catalogo, ut ex citata Epiſtola xxvi. diſcimus; ubi ad altefatum S. Ægidii Abbatem ita reſcribit: *Cæterùm quod poſtulâſtis denuò de Scriptoribus Eccleſiaſticis opus grande incepi, ſed nimiis occupationibus preſſus perficere hucusque non potui. Spero tamen in hac me, ſi vixero, æſtate completurum. Continebit autem plurium, quàm ſexcentorum Doctorum nomina, ſcripta & tempora. Interim itaque patienter ſuſtineatis, quia citiùs perficere non potero. . .* Eo itidem anno totus fuit *Trithemius* in adducendis ad reformationem Monachis in Odenheim Diœceſeos Spirenſis; qua de re extat ejus Epiſtola ad *Ludovicum* Spirenſem Epiſcopum data v. Maji. Scripſit etiam ex Hirſaugia ad *Rupertum* Argentinenſem Epiſcopum, qui Viſitatores Ordinis admittere detrectabat, in hæc verba: *Non ignoramus Epiſcopalia jura noſtris viſitationibus fore liberrima; cogit enim nos obedientia ſtatutis obtemperare Apoſtolicis & Abbates Monachósque noſtro Capitulo ſubjectos, quantum poſſumus, ad deteſtationem exhortari vitiorum & amorem virtutum. . .* Huc etiam referenda eſt Epiſtola ad fratres quosdam in tribulationibus conſtitutos, lectu digniſſima apud Buſæum *N. XXX. pag. 969. . .*

Epiſtolæ.

A. 1492. De origine Ordinis Carmelitar.

XIII. Circa idem tempus Trithemius ad inſtantiam *Johannis Lapicidæ* de Colonia Prioris Carmeli Crucenacenſis, & *Jacobi de Cuba* Lectoris ibidem ſcripſit *Libros duos de origine, progreſſu, & laudibus Ordinis FF. Carmelitarum*, quos anno 1492. ſubmiſit R. P. *Joanni Wirici de Nuſſia* ejusdem Ord. per inferiorem Germaniam p. t. Provinciali, cæteríſque Patribus in Conventu Colonienſi capitulariter congregatis Epiſtolâ ix. kal. Maji ſignatâ. De tempore elucubrati Operis certiores nos adhuc reddit Trithemius in fine libri ſecundi, ubi *Joannis de Aqua Veteri* mentionem injiciens, hæc ſubdit: *Vivit adhuc in Conventu Aquenſi. . . anno Domini, quo hæc ſcripſimus, 1492. indict. X.* Typis exſcriptum eſt opuſculum Moguntiæ circa annum 1494. quo ſignata in fronte comparet Epiſtola *Rutgeri Sicambri* ad Joannem Lapicidam idibus Novembris data. Capitulis abſolvitur duodecim, in quibus agit, de principio Ordinis Carmelitarum; de *B. Elia* ejus phoſphoro & conditore; de converſione filiorum Prophetarum, aliorúmque eremicolarum ante nativitatem Chriſti. Tractat

deinde de modo & tempore, quo data eſt regula Fratribus Carmelitis; de hujus confirmatione & approbatione; Inde inquirit quare Carmelitæ dicantur *Fratres B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo*; Agit denique de transmigratione eorum in Europam; de multiplici perſecutione hujus Ordinis, & ejus contra æmulos victoriâ; de profectu, multiplicatione, & utilitate ejusdem Ordinis; de Sanctis & viris illuſtribus, ac Scriptoribus ejusdem Inſtituti. Addita ſunt varia in librum epigrammata tum ipſius Trithemii, cùm etiam *Joannis Empolidis* Canonici S. Petri Dumetenſis, & *Rutgeri Sicambri*. Verſus tales quales ego & Cluvienus. Vix lucem adſpexerat glorioſum Carmelo opuſculum, cùm illicò illud excepit *Joannis Paleonydori* Carmelitani Batavi liber *Trimeteſtus*, *Anaphoricus*, *Panegyricus*, *de principio & proceſſu Ordinis Carmelitici*, Moguntiæ itidem impreſſus arte magiſtri *Petri Friedbergii* anno 1497. in 4. In ea, quam luſtravimus utriusque Operis editione, titulum excipit Epiſtola *M. Mathæi Herbeni* ad Gotfridum Conventûs Aquenſis Priorem, eo ſtylo ſcripta, qui authori ſuo locum in *Menckenii* Charlataneria vindicat. Sequitur alia *Joannis Damii* Spanheimenſis Monachi Epiſtola in *Tractatum Trimetricum* Paleonydori ad R. P. *Arnoldum Boſtium* Carmelitam Gandavenſem ex Spanhemio v. kal. Majas 1496. data. Ejus Epiſtolæ partem, cùm Trithemium propiùs concernat, viſum eſt hic repetere: „Venit nuper ad nos „ Carmelita tuus *Joãnes Paleonydorus*, „ Batavus, vir bonus & ſtudioſus, afferens ſecum quædam ſynthemata „ de Religionis ſuæ principio & progreſſu... Rogavit itaque non ſine „ magna inſtantia *R. P. N. D. Tritbemium* Abb. quatenus id laboris „ pro Dei amore aſſumeret, & ipſum „ codicem legendo perluſtraret, ne „ quid fortè contradictioni rationabiliter obnoxium illo contineretur. „ At R. P. N. tum aliis & quidem altioribus ſtudiis intentus mihi hanc „ contulit provinciam, ut ipſum codicem unà cum ejus auctore diligenter „ relegerem; & ſi quas inveniſſem „ mendas, ſecundùm veritatem hiſtoriarum emendarem. Ego igitur Præceptoris mei cupiens adimplere mandatum, præfatum Joannem Paleonydorum authorem voluminis mihi „ aſſociavi... Anaphoricum ipſum diligentiſſimè legimus; ſuperflua noſtro communi judicio reſecavimus, „ ambigua cum græcis & latinis exemplaribus, quorum nobis copia erat, „ contulimus, & veriora nobis viſa... „ multiplici atteſtatione comprobavimus. Sed cùm nihil ſit humanis in „ rebus perfectum, noſtrum ingenuè „ fatebor erratum; Nam etſi ſtudium „ non mediocre impendimus, nequaquam tamen omnia correctione digna potuimus emendare... „ Mittunt ergò ad Boſtium, ut ille opus perficeret, & emendatum ocyùs remitteret. Sequitur in præfata editione *Trimereſti libri* alia Rutgeri Sicambri Epiſtola ad Paleonydorum auctorem data A. 1495. die x. kal. Februarii. Hanc excipit ipſius Paleonydori Epiſtola ad *R. P. Rumoldum Laupach* Priorem Francofurtenſem Ordinis Carmelitici data ex Aquenſi Conventu v. kal. Martii anno 1495. ubi circa finem hæc reſcribit: „Et quia Reverendiſſimus in Chriſto P. & D. Joannes Spanheimenſis „ Abbas Ord. D. Bened. ſatis lucidè „ & extentè de Doctoribus noſtri Ordinis & illuſtribus viris in ſuo libro „ de laudibus Carmelitarum ſcripſit, „ de illis ſuccinctim pertranſibo. ... „ *Idem Cap. XIV. ejusdem libri ita habet*: Anno Domini 1492. R. M. Poncius celebravit Capitulum generale „ Romæ... Eodem tempore Magnus „ ille Dom. Abbas Spanheimenſis O. „ D. B. dictus JOANNES inſignem librum de Ordinis noſtri dignitate, titulo & laude inſignibúsque & illuſtribus Viris conſcripſit, qui Dei Eccleſiam illuſtrârunt. Hunc librum „ religioſus Pater S. Theologiæ Lector „ *Joannes Lapicida* Colonienſis Prior „ Conventûs Crucenacenſis impreſſuræ comẽdavit anno Domini MCCCCXCIIII. *Rursùs Cap. XV.* Et „ quid, *inſit*, de modernis noſtræ Religionis Carmeliticæ Scriptoribus „ dicam? de quibus ſuperſedere judicavi: Nam Venerabilis Abbas hiſtoriarum armarium *Trithemius* tum „ in libro de Eccleſiaſticis Scriptoribus, cùm de Scriptoribus Germaniæ, plura de noſtris narravit laude „ digna. Inſuper in Tractatu ſuo, „ quem prætitulavit, *de Laudibus Carmelitarum*, LXVIII. nominatim, etiam „ quoad eorum ſcripta pro tunc ſibi „ occurrentia compilavit. O celeberrimum felicémque Patrem & Benedictinum Beatum, qui Benedictæ „ Matris fratres ſic amavit, ut ſui Ordinis initium, Patres, Fundatores, „ ipsúmque patronatum ex vetuſto „ ob-

„ oblivionis ſepulchro in lucem ad-
„ vexerit; qui torpentem ſacram de-
„ ſidiam noſtram acutiſſimis calcari-
„ bus urget; qui velut Angelus ſub
„ junipero *Heliam* dormitantem exci-
„ tavit; qui ſic Carmelitanos omnes
„ ad Literarum ſacrarum ſtudia, ad
„ meliorem animorum cultum ample-
„ xandum animavit; cui ſe totum Or-
„ do noſter dat, devovet, atque tra-
„ dit... Hactenus ille Scriptor coævus; ex quo caſtigandi ſequiores quidam Critici, qui Trithemium non eſſe laudati Operis authorem comminiſcuntur, quos inter *Dorſchæus* in ſylloge Miſcell. p. 100. hunc partum Trithemio abjudicare ſuſtinet. Sed fruſtrà. Trithemium enim de laudibus Ordinis Carmelitarum ſcripſiſſe recepta apud eruditos opinio eſt, altíſque adeò eorum in animis defixa radicibus, ut incaſſum Dorſchæi argumentis laceſſita fuerit. Unde *Cl. Menckenius* in ſua Bibliotheca ſemel atque iterùm (pag. 807. & 855.) Trithemium illius Operis authorem eſſe perhibet. Mihi ne minimus dubitandi locus eſt relictus, poſtquam citatas epiſtolas, & librum de miraculis ad invocationem B. V. M. in Urticetano Carmelitarum monaſterio juxta Heilbrunnenſe oppidum patratis evolvi. Iteratis verò typis repetitus paruit iſte Trithemii liber, primùm *Florentiæ* cum notis *Petri Lucii* Belgæ anno 1593. in 4. Deinde *Moguntiæ* curante *Buſæo* inter paralipomena Anno 1605. in 8. pag. 534. Tertiò *Lugduni* cum *Marci Antonii Alegre* elogiis & auctariis anno 1639. in fol. Quartò cum *Auberti Miræi* & *Joannis Carthagenæ* additamentis *Coloniæ* 1643. in 8. Ejus quoque verſio in ſermonem teutonicum recens adornata prodiit *Pedeponti* hoc titulo: *Trithemii Abhandlungen von dem Urſprung und Fortgang des Ordens der ſeeligiſten Jungfrauen und Gottes Gebährerin Mariæ vom Berg Carmelo.* 1747. *in* 4...

A. 1492. Oratio de ruina Ordinis...

XIV. Eodem anno 1492. celebratâ die VII. Cal. Sept. Erphordiæ in monte S. Petri Abbatum Synodo, *Trithemius* inſignem illam peroravit *Orationem de ruina Ordinis monaſtici, & de laudibus Congregationis Bursfeldenſis*; quæ paulò pòſt typis vulgata eſt *Moguntiæ*, extátque inter alias curante Buſæo editas pag. 850. Inde redux cum Venerabili Viro Dom. *Gerlaco de Breitbach* Tuitienſis prope Coloniam ad Rhenum Cœnobii Antiſtite, ad hujus inſtantiam nobile illud condidit opuſculum *de Laude Scriptorum Manualium*, dignum ſanè quod literis aureis procudant illi Præſules, quibus monaſtica diſciplina & bonæ artes curæ cordíque ſunt. Ex eo quippe cumprimis diſcimus, quis olim labor Monachos in cœnobiis benè conſtitutis potiſſimùm occupatos tenuerit, *Librorum* videlicet *deſcriptio*, & *neceſſariorum ad ſcribendum præparatio.* Ita enim ipſe cap. IX. *Unus*, inquit, *corrigat, quod alius ſcripſit; alius rubro perornet, quod ille emendavit, hic notis diſtinguat, atque ſchematibus; conglutinet iſte, & liget codicem aſſeribus; Tu aptabis aſſeres, iſte corium, laminas ille præparet ad ornatum. Nullius hic deſit miniſterium, quo devotus ſcriptor relevatus ſuum valeat continuare officium... ſcindat unus pergamenum, alius purget, tertius lineando Scriptoribus aptet, alius encauſtum, pennas alius miniſtret...* Hæc ibi. In reliquis verò Capitulis commendat præſertim ſacræ Scripturæ ſtudium; Veterúmque diligentiam & amorem erga libros extollit, & quantum laborem in deſcribendis codicibus impenderint, oſtendit, probátque Monachos non debere à ſcriptione ceſſare ob inventam typographiam, quin tanto magis eos ad ſtudium & amorem ſcribendi inflammat; *Enimverò*, inquit, *etiamſi multa volumina impreſſa ſint, nunquam tamen adeò imprimentur, quin ſemper ad ſcribendum, quod impreſſum non ſit, valeas invenire; ſemper enim*, ut Chryſoſtomus ait, *diligenti aliquid ſupereſt.* Prodiit porrò hoc opuſculum primò ſeorſim *Moguntiæ* typis *Petri Friedbergii* anno 1494. exſcriptum; dein recuſum eſt inter Opera Trithemii curante *Buſæo* ibidem 1604. pag. 741. Laudatur verò in diſceptatione de Secretis Patrum Societatis Jeſu *Moguntiæ* A. 1617. in 8. editâ p. 135. & in Joannis Mabillonii Tractatu de Studiis Monaſticis. Extat etiam MS. in Bibliotheca S. Jacobi Moguntiæ, cum Oratione in laudem *Ruperti* Abbatis Tuitienſis &c...

De Laude Scriptorum Manualium.

A. 1493. De Viris illuſtribus Ord. S. Bened.

XV. His itidem diebus inchoavit laborioſum Opus *de Viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti* in quatuor libros diviſum, quorum priores duos anno 1492. perfecit, poſteriores ſequenti año complevit, ut habet Chronicon Spanh. Opus tamen necdum typis in lucem prolatum fuiſſe anno 1507. memorat ipſe in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum his verbis: *De Viris quoque illuſtribus Ordinis noſtri ſcripſi libros quatuor, qui necdum in lucem prodierunt;*

quo-

quorum primus loquitur de principio & incremento ipſius Ordinis in genere. Secundus verò Catalogus eſt Sanctorum ex Ordine ipſo canonizatorum. Tertius Romanos continet Pontifices ex ipſo aſſumptos. Et quartus viros Ordinis exprimit inſignes, qui non minùs Eccleſiam Catholicam, quàm Ordinem ipſum ſcriptis & lucubrationibus ſuis magnificè ornârunt. . . Hujus Operis autographum adſervatur in Bibliotheca S. Jacobi Moguntiæ ab editis nonnihil diverſum, cui Trithemius ſuâ ipſe manu hæc præfixit: F. A. S. *Hic deſunt duo ultimi libri, tertius videlicet & quartus, quorum unus tractabit de Sr. & Canoniſatis noſtri Ordinis... Alius qui & ultimus, de Papis, Cardinalibus &c.* Prodiit verò unàcum *Joannis de Turrecremata* & *Smaragdi* commentariis in Regulam S. Benedicti *Coloniæ* 1575. in fol. & inter Trithemiana curis Buſæi *Moguntiæ* 1604. pag. 17. Queritur ſtatim in prologo *Trithemius*, quòd cùm in cæteris Ordinibus religioſis fortia ac memorabilia Patrum geſta ſcriptis ſedulò ſint commendata, in ſolo Ordine Benedictino, *qui reliquis antiquitate, dignitate & authoritate præſtat*, nihil aut parùm invenerit ſingulariter eſſe conſcriptum, quamvis non mediocriter laboraverit inquirendo. Hinc ad preces amicorum ex diverſis Chronicis præſens comportare inſtituit opuſculum; in quo totus ferè eſt in laudanda veterum Monachorum eruditione & induſtria, ut nempe illis exemplis deſides excitaret ad amorem & cultum bonarum artium & virtutum. Aſt quemadmodum ii, qui novæ cujusdam diſciplinæ rudimenta præſcribunt, non adſequuntur omnia, ſed in plerisque deficiunt, hallucinantur, aut parciùs ſeminant, metúntve; ita etiam *Trithemio* accidiſſe in eruderanda Benedictini Ordinis antiquitate ex vero cenſet doctiſſimus *Mabillonius*: Hanc quippe Provinciam pede tam preſſo ſubinde obivit, ut multa aliis explicanda, illuſtranda & ſupplenda reliquerit. Gratias nihilominus ipſi publicè debemus maximas, quòd ingenti labore ſuſcepto in aurifodinam penetraverit primus, aliisque calcaria admoverit, ac viam præiverit, ut rem quærerent. Et hoc ipſum eſt, quod ſibi propoſuiſſe inſinuat Trithemius, dum ait: *Ego autem ſylvam hiſtoriarum tranſacti temporis, quantum licuit, ingreſſus, paucos collegi de pluribus, ſequentibus viam, qui reſtant, inquirendi præbiturus, non terminum.* Ejus

Trithemius Sanctos & illuſtres O. S. B. Viros ab aliis monachis ſejunxit primus.

veſtigia tum temporis preſsêre *Andreas Bambergenſis* Abbas, *Paulus Langius* Poſavienſis, *Joannes Piemontanus* Lacenſis Prior, & *Riſwichius* Gladbacenſis Cœnobita, omnes in idem argumentum intenti; quorum tamen collectanea hactenùs deliteſcunt anecdota. Majora deinde moliti ſunt poſteri, *Arnoldus Wion*, *Antonius Yepes*, *Gabriel Bucelinus*, *Mabillonius*, *Pezius*, *Ziegelbauerus &c.* Eo quoque temporis intervallo librum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ante ſexennium à ſe inchoatum ſubmiſit *Joanni Dalbergico* Wormatienſi Epiſcopo cenſurandum & illuſtrandum, ut eſt in Epiſtola nuncupatoria operi præfixa; qua de re uberior ad A. ſeq. redibit ſermo. Tunc etiam *Jacobus Wimphelingus* Trithemium literis pulſavit permovítque, *ut ex denſa virorum illuſtrium ſylvâ, qui in religione Chriſtiana ſub quacunque gente ſcripſerant*, ſeparatam atque ſpecialem ſibi *Germaniæ Luminarium* partem excerperet, utì diſcimus ex Wimphelingi Epiſtola primæ ejus Operis editioni Moguntinæ annexâ.

De Scriptoribus Eccleſ.

De Germaniæ Luminaribus.

XVI. Vertente eodem anno ſcripſit *Trithemius* rogatu *Blaſii* Abbatis Hirſaugienſis *Libellum Penthicum* ſeu *Lugubrem de ſtatu & ruina Ordinis Monaſtici*. Opuſculum verè aureum, Abbatibus cumprimis, omnibúsque Religioſis ac cordatis Viris non minùs utile, quàm lectu neceſſarium; quod proinde Patres Capituli Provincialis eodem anno in Hirſaugienſi SS. Petri & Pauli monaſterio congregati ſtatuerunt perpetuis deinceps temporibus ad Prælatorum menſam in comitiis prælegendum, ut refert Chronicon Spanheimenſe, & ex receſſu liquet. Opus undecim abſolvitur capitulis, in quorum primo deplorat Ordinis monaſtici ruinam, & Abbates ſtrenuè ad reformationem priſtinámque obſervantiam cohortatur. Inde agit de primitivo Ordinis Benedictini ſtatu, & flebilem, quam nunc induit, faciem graphicè depingit. Tum verò acriùs invehitur in eos, qui ſe ab Ordine ſegregant, vel dudum, etiam cum Summi Pontificis annutu, abjecto ſchemate monaſtico, *è malis monachis in pejores abierunt canonicos.* Media dinde ſuggerit, quibus ejusmodi occurrendum ſit dimembrationibus, atque moroſiores Abbates his compellat verbis: „Ecce jam „ab Ordine noſtro in ſola Provincia „Moguntina ſex Monaſteria noſtris „temporibus tranſlata ſunt, & niſi ali-

1493.

Libellus Penthicus de ruina Ordinis.

„ter

„ter vigilemus, graviora damna indies
„patiemur. Sic nobis diſſimulantibus,
„ne dicam, torpentibus, Ordo paula-
„tim minuitur, quousque tandem ex
„toto diſſipetur. Cur ergò tantis peri-
„culis non obviamus? An pereunti-
„bus cæteris nos de ſecuritate ſapien-
„ter confidimus? Nónne veraciter di-
„xit Poëta: *Tunc tua res agitur paries*
„*cùm proximus ardet?* Illis herì, nobis
„ſimile cras imminebit periculum.
„Unusquisque veſtrûm, non dubito,
„monaſterium ſuum diligit, & nulla-
„tenus conſentiret ab Ordine trans-
„ferri. . . Quare ergò non defenditis
„communiter, quod ſingulariter time-
„tis amittere? Vereor Patres! ne in
„hac diſſimulatione peſſima, noſtra te-
„nacitas arguatur, diligimus nuṁum,
„& amittimus cœnobium; metuimus
„paucas expenſas, & perdimus trans-
„latas manſiones; pecuniam modicam
„non volumus exponere, & abundan-
„tiſſima cœnòbia patimur ab Ordine
„in alios tranſire. Utilitati communi
„privata commoda præponimus, &
„honorem Ordinis conſervare non cu-
„ramus. Multa dicimus, multa pro
„utili defenſione Ordinis concludi-
„mus, ſed exponere denarios ſinguli
„formidamus. O zelus debilis, quem
„tenacitas inutilem facit! . . . Intuea-
„mini Ordinum aliorum Profeſſores,
„quàm ſollicitè, quàm zelosè, quàm
„conſtanter, jura, privilegia, cœno-
„bia religionis ſuæ defendant, non
„parcentes expenſis, neque laboribus,
„neque contributionibns, ut Ordines
„ſuos in vigore conſervent. Nunquid
„illis inferiores eſtis? Nunquid men-
„dicantibus pauperiores? . . . Neſcitis
„ô Patres! quoniam vigilantibus jura
„ſubveniunt? Non eſt bona patien-
„tia, quâ Dei honor negligitur, cul-
„tus illi debitus minuitur, integritas
„Ordinis ſancti violatur. . . Non vos
„ergò lateat, quia niſi Ordinis inſtau-
„retur unanimitas, facilè prævalebit
„adverſariorum impietas. „ Hæc ille
Cap. V. Inſequenti illos acriùs vellicat,
qui bona monaſteriorum inutiliter con-
ſumunt, & Ordini vel in minimo ſub-
venire contemnunt: Ita enim eos affa-
tur: „ Sanctus Benedictus TE, *ô Abba*
„*ingrate!* ſublimavit, divitem te fe-
„cit, Monachum ſuſcepit, ex abjecto
„magnificavit, fratrum ſuorum paſto-
„tem conſtituit. Quare ergò non re-
„cognoſcis munificentiam Legislatoris
„tui? Quare vicem non rependis ejus
„beneficiis? Quid habes, quod de
„regula ejus non accepiſti? Quis tibi
„coṁiſſum dotavit cœnobium? Nón-
„ne devotio Principum & eleemoſynæ
„fidelium? Cur ergò beneficiis tantis
„ingratus es? Ecce in avibus, cani-
„bus, equis, curribus, famulis, con-
„viviis, epulis, balneis, aliísque per-
„dendarum opum inſtrumentis, tri-
„ginta, quadraginta & ultra nuṁos
„auri non times exponere, & ſancto
„BENEDICTO vel unum renuis offer-
„re. . . Quid dicam de ſtructuris & cu-
„rioſis & ſuperfluis, quæ non minùs
„reprehenſioni, quàm expenſis ſunt
„obnoxiæ? picturis ornantur parietes,
„auro pinnacula fulgent, monimen-
„tis feneſtræ notantur: Clamat ad ja-
„nuam pauper, Ordo ſacer anguſta-
„tus petit auxilium, & nullus digna-
„tur præſtare ſubſidium. O Abba!
„miniſter voluptatis, cultor vanitatis,
„pietatis inimice! qui ſubſtantiam
„monaſterii turpiter effundis, qui au-
„ro vina libas, qui Ordini tuo ſubſi-
„dium negas, quemadmodùm S. Bene-
„dicto rationem villicationis tuæ red-
„diturus es? Si dives epulo ſepultus
„eſt in inferno, quia Lazaro de ſuo
„auxilium non contulit, quo ſepelie-
„tur Abbas, qui aliena ſuo Domino
„negavit? . . . Nunquid Cœnobii tui
„paupertatem allegare poteris, qui
„tam multa turpiter conſumis? Pudet
„me dicere, quod facere Abbates
„multi non verentur. „ Hæc & plura
Tritbemius, digna ſanè quæ unciali-
bus literis omnium Abbatum cordibus
inſculpentur. At enim ut ex vero *Theo-*
philus Raynaudus Jeſuita in ſua Thre-
nodia judicat: *Pentbicus Liber Trit-*
bemii aliud non eſt, quàm lamentatio
ruinarum Ordinis ſui Benedictini; Cu-
jus item Ordinis plerisque locis convulſi
& everſi Threnos vulgavit annis ſuperio-
ribus Joannes à Boſco, *malè ob id à*
ſuis exceptus. Adeò periculoſæ ple-
num opus aleæ tractat, qui Antiſti-
tum vitia ſugillat! Verùm Trithemius
de ſuæ intentionis rectitudine ſecurus,
obturatis, inquit, *auribus probra eo-*
rum tranſibo, modò ſanctis & eruditis
viris placeat onus, quod porto. Nibil
me ſcripſiſſe memini, quod æmuli noſtri
valeant lacerare, ſed vera, ſed manifeſta,
& quæ oculis pateant omnium; quæ ſi
ſcribi nolunt, doleant etiam facta, aut
facere erubeſcant. . . Extat porrò lau-
datum opuſculum MS. in pluribns Bel-
gii & Germaniæ Bibliothecis. Typis
expreſſum primò prodiit *Moguntiæ* cir-
ca A. 1494. in 8. idémque comparet
inter alia à Buſæo edita pag. 806. Seor-
ſim verò zeloſi cujusdam Abbatis ſum-

ptibus recuſum eſt *Bambergæ* A. 1739. in 8. Recenſio habetur in Florentinis novalibus Rei literariæ num. 44. de dato 2. Novembr. 1742. col. 698. ſub Capite *Ex Germania.*

A. 1493. Oratio de ruina Ordinis...

XVII. Celebratâ eodem anno provinciali Abbatum Synodo Hirſaugiæ die Dominicâ *Jubilate*, Trithemius in ea præſedit, atque prolixam de eadem re orationem ad Patres habuit, quæ deſideratur. Eo autem congregatos Antiſtites permovit, ut præfatum libellum deinceps ad menſam prælegendum decernerent, ac contributionum taxam pro Ordinis utilitatibus inpoſterùm pendendam ſtabiliter conſtituerent. Eam, cùm edita non ſit, alibi dabimus integram. Nonnullas iis quoque diebus ad diverſos Abbates conſcripſit epiſtolas, quas inter una nobis obtigit anecdota, meritò hîc intexenda; ita enim habet: „ *Venerabili & amantiſſimo Patri Domino*

Epiſtola ad Adamum S. Martini Colon. Abb. de quo plura in Chron. Hirſaug. ad annum 1499.

„ ADAMO *Abbati S. Martini Coloniæ*
„ *Frater* Joañes *vocatus Abbas in Spanheim, quidquid officii poterit, cum*
„ *ſincero parendi affectu.* Quoniam rogâſti me diſcipulum Magiſter, imperitum peritiſſime Pater! ut quemadmodùm nuper compilavi epitomen receſſuum Capitularium Ordinis noſtri per Provinciam Moguntinam & Diœceſim Bambergenſem à tempore Concilii Conſtantienſis emanatorum, ita quoque inſtitutæ & propagatæ per Germaniam inferiorem reformationis & Capitulorum, quæ per Colonienſem & Trevirenſem Provinciam habita ſunt, hiſtoriam concinnarem, ſanctæ profectò & juſtæ petitioni pro viribus lubens ſatisfacerem. Sed tametſi non deſit promptitudo animi, Téque zelus Ordinis & fervor diſciplinæ, quo inter reliquos ejus provinciæ conſpicuus emines, dignum omnino efficiant, cui pro honore Dei & bono Ordinis ac obſervantiæ regularis promotione poſtulanti nihil poſſim aut debeam recuſare; quia tamen neceſſaria ad opus perficiendum deſunt ſubſidia & monumenta, æquiſſimæ petitioni tuæ nequaquã potero ſatisfacere, donec ea ad me mittantur, quæ in hac re literarum teſtimonio fuerunt commendata. Memini equidem venerandam Paternitatem veſtram mihi aliquando altè conqueſtam eſſe, pauca earum rerum, quæ dignæ eſſent tum relatione, tum ſcripto, à Majoribus ad poſteritatis notitiam eſſe tranſmiſſa.
„ *Cõmunis ferè hæc eſt bonorum omnium querela; & nihilominùs in eo ipſo, in quo veteres culpamus, nos ipſimet reos eſſe profiteri debemus. Eſt enim pernicioſa hæc Mortalium conſuetudo, ut æſtimationi ſemper vileſcant præſentia, ſola præterita menti placeant, pauci de futuris ſint ſolliciti. Unde conſurgit in contemptum diſſimulatio veritatis, & plures occurrunt, qui Priſcorum geſta Patrum aut veterum hiſtorias libenter audiunt & legunt, pauciſſimi verò qui res ſui temporis notatu dignas ad memoriam conſignent poſteritatis. Quo demùm fiet, ut & ſequentes rerum retroactarum ſtudioſi, eandem incuriæ notam noſtris inurant temporibus, quam nos præterlapſis inurimus. Quapropter, ſi hoc dedecus à nobis amoliri velimus, in id ſeriò incumbendum erit, ut quæ modò in Ordine geruntur memorabilia, victuris chartis ſedulò committantur. Hunc in finem TE *præſtantiſſime Pater!* impensè obteſtor, ut pro ea qua polles Præſidis & Reformatoris per inferiores iſtas partes Generalis auctoritate & efficaciori ſuadâ, venerandos Coabbates tuos ad diligentiorem rerum ſuarum tam præteritarum, quàm præſentium conſignationem horteris & inducas. Veniet enim tempus, quo ſeri nepotes in noſtræ ætatis acta & hiſtorias non minùs ſtudioſè inquirent, quàm nos modò in præterita inquirimus, & quemadmodùm hodie magni facimus Añales Veterum, utut parcos & jejunos, ita quæ nos ſcribimus, quamvis animis vileſcant noſtris, olim judicio placebunt poſteritatis. Agendum ergò eſſe cenſeo, ut in qualibet provincia uni alterive viro prudenti & erudito conſcribendarum rerum ſucceſſivè in cœnobiis & congregationibus geſtarum cura perpetuò demandetur, ac deinceps caveatur, ut reliqua fragmenta, *ne pereant*, ſedulò colligantur, & in unum volumen curatè digerantur; quibus ad me tranſmiſſis, laudabili veſtro deſiderio pro virili parte ſatisfacere largiente Domino ſtudioſè conabor. Suſcipiat itaque Paternitas veſtra promptum animi officium, & ut rem ipſam exequar, veſtrum, ſi lubuerit, mandet imperium. Reliqua poſtulata, quod attinet, quamvis ad me non ſpectet iſta tractatio, tamen cùm ſim veſtri amator Capituli, non erit, ut ſpero,

„ vobis

* *Inde animi caligo & magna oblivio rerum quas geſſère Patres...*

Digitized by Google

„ vobis oneroſa aviſatio diſcipuli. Eam
„ his incluſam literis transmitto, cum
„ *libello lugubri de ruina Ordinis Mona-*
„ *ſtici.* Veſtrum erit venerande Pater!
„ ſolidum à carioſo, verum à falſo,
„ conſentaneum ab incongruo diſcer-
„ nere, mihi ſufficiat, quod ſentio,
„ explanâſſe. Totus ego ſum in ea per-
„ ſuaſione, quòd ſola diviſio Ordinem
„ noſtrum confundat, & deſpicabi-
„ lem reddat. Vetus effatum eſt,
„ *Concordiâ res etiam parvas creſcere,*
„ *diſcordiâ maximas dilabi.* Si ergò
„ cupimus Unionem noſtram à pravo-
„ rum moliminibus ſartam tectámque
„ ſervare, neceſſe omninò erit Abbates
„ refractarios ad illius obedientiam re-
„ formare, ac unitis viribus animíſ-
„ que bonum publicum procurare;
„ quia niſi inſtauretur unitas, facilè
„ prævalebit adverſariorum impietas:
„ Scriptum enim eſt: *Omne regnum*
„ *in ſe diviſum deſolabitur.* Modus au-
„ tem obviandi dimembrationibus,
„ ceteríſque malis facilè diſcitur, ſi
„ exemplum aliorum à nobis in praxin
„ convertatur. Videmus Ordines re-
„ liquos ex ſuis Procuratores in Urbe
„ Roma conſtituere, qui malorum
„ principiis obſiſtunt, & nihil contra
„ Ordinem ſuum convaleſcere permit-
„ tunt; quid ergò vetat, quominus
„ idipſum Ordo nuſter faciat? cùm
„ ſit ceteris penè omnibus antiquior
„ tempore, ſtabilior authoritate, &
„ divitiis præſtantior? Verùm de his
„ plura, dum largiente Domino ad
„ proximum Capitulum Coloniæ ce-
„ lebrandum venero. Opto interim
„ Venerabilem Paternitatem Veſtram
„ ad Congregationis noſtræ & Ordinis
„ decus in ſenectute uberi diutiùs va-
„ lere incolumem, meíque memorem
„ apud Deum. Data manu ſuâ anno
„ Domini MCCCCXCIII. die VI. idus
„ Junii.

F. Joannes Abbas S. Martini in Spanhem.

1493. XVIII. Ineunte menſe Septembri ejusdem anni Abbates Provinciæ Colonienſis & Trevericæ ſolemnem quoque habuerunt congreſſum *Coloniæ*, ad quem invitatus miſsúsque Trithemius nomine Abbatum ſuperioris Germaniæ comparuit, & inſignem illam Orationem peroravit, quæ inter editas tertia eſt, hoc rubro: *Collatio de Republica Eccleſiæ ad Monachorum Ord. Divi Patris Benedicti, habita Coloniæ in Capitulo annali, primâ die menſis Sept. anno Domini 1493.* In ea deplorat cum primis ſtatum Eccleſiaſticum ſui temporis, acriúsque invehitur in damnabilem beneficiorum pluralitatem, & Epiſcopos mali exempli choragos egregiè, ut merentur, carpit. Ex ungue leonem agnoſce: *Vos avari,* inquit, *vos immundi, vos elati Paſtores! ſanguinem pauperum comeditis, pluralitate beneficiorum veſtrorum pauperes. Sacerdotes vobis doctrinâ & ſanctitate meliores ſpoliatis... Lac & lanam de ovibus recipitis, & cuſtodiam earum mercenariis infidelibus collocatis...* Væ Paſtoribus qui paſcunt ſemetipſos, *qui oves Domini negligunt, qui terrenis lucris inſerviunt, qui ſua, non quæ Jeſu Chriſti inquirunt... Hi ſunt lupi rapaces, qui veniunt in veſtimentis ovium, Dominici gregis diſſipatores & inimici, qui Eccleſiaſticas dignitates indignè ambiunt, prælaturas auro & ſanguine emunt, per fas nefáſque principatum populi acquirunt, & ſub Eccleſiaſticæ libertatis nomine, quaſi benè fecerint, nequiter ſe defendunt... Talis modò tua eſt Reſpublica,* O ſancta Mater Eccleſia! *ut in Sacerdotibus tuis atque judicibus deſint, qui corrigant improbos, ſoli apud illos, qui corrigantur, occurrant...* Et infra: *Rari ſunt,* inquit, *Eccleſiarum Prælati noſtris temporibus, docti, pii ſimul & devoti. Quare? quia non à Spiritu ſancto, ſed ab hominibus eliguntur...* Hæc poſtquam fuſiùs eſt proſecutus, inde oſtendit, *cur à Principibus nunc Eccleſiæ ſpolientur;* causámque adſcribit præcipuam depravatis Sacerdotum moribus, *qui ſuper cuſtodiam ſpeculatores poſiti, adverſariis nocendi poteſtatem offerunt, ſéque apud Deum & homines reddunt contemptibiles...* Poſt hæc omnem verborum impetum in Ordinis Prælatos effundit, pluribúsque monſtrat, duo principaliter D. Benedicti Ordinem reddidiſſe glorioſum, *Doctrinam* videlicet *Scripturarum, & ſanctitatem morum.* Enumeratis deinde viris aliquot illuſtribus, qui hanc familiam ſcriptis ſuis & virtutibus olim exornârunt, ſubdit: *Sed ubi nunc eſt tale ſtudium Monachorum? Ubi amor ad divinas Scripturas Abbatum? Prob pudor! jam magnus & utilis in Ordine dicitur, non qui ſcientiam Scripturarum colit & diligit, ſed qui colligendis perituris divitiis ſordeſcit. O Patres! ô Fratres! non ſic quondam res noſtra publica floruit; non ſic Ordo noſter antiquitùs crevit... Sed reſpondere ſolent Abbates mundo dediti, excuſant ſe à ſtudio Monachi vanitatis amici:* Nos in ſimplicitate noſtra manere libenter volumus,

Oratio de Republica Eccleſiaſt.

qui etiam doctos per abrupta vitiorum in perditionem ire videmus... *O ſtulti*, ſubdit, *& inſipientes! qui ignaviam veſtram non abſconditis; ſed ad majorem confuſionem veſtram inimicos Divinarum Scripturarum vos palàm oſtenditis. Benè dicitur proverbio: Quoniam* Scientia non habet inimicum niſi ignorantem. *Vos amatores mundi, vos ſectatores vanitatis! qui ſtudium Scripturarum à vobis inſipienter abjicitis, cur illud in aliis non amatis? Manete ergò in ſimplicitate veſtra non rectâ; manete in humilitate aſinina; nolite intelligere, ut benè agatis, nolite Regulam S. Benedicti attendere; nolite à ſtultitia veſtra recedere... Sed quid tandem reſpondebitis omnipotenti Deo & Legislatori veſtro Benedicto, cùm curam ovium ſuarum à vobis requirent?* Hæc & plura ibidem Trithemius, lectu, niſi planè fallitur animus, æquè jucunda ac utilia. Eodem ferè tempore videtur concinnâſſe *Reſolutiones quasdam dubiorum circa Miſſarum celebrationem occurrentium*; Quo de Opere videſis Epiſtolam *Joannis de Lapide* ſuper Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt. item *Chevillerium*, ubi narrat, quàm ſæpè & quibus in locis impreſſum fuerit.

A. 1494. Liber de Scriptoribus Eccleſiaſt.

XIX. Poſtero inde anno *Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quem ſeptenni labore eo usque deduxerat, typis excudendum dedit, primùm *Moguntiæ*, ut aliqui volunt, dein *Baſileæ* per *Johannem de Amerbach* in fol. Cui editioni addita eſt Trithemii Epiſtola, in qua rationem reddit, cur inter Scriptores Eccleſiaſticos poſuerit multos ſecularium literarum Profeſſores. Elegans cumprimis eſt doctiſſimi *Sebaſtiani Brant* Poëtæ laureati, & *Joannis de Lapide* Carthuſiani Pariſienſis, de eo judicium eidem editioni præfixum. Recentiorum qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis universè & ex inſtituto egerunt, primus eſt Trithemius. Hunc tamen Catalogum contexuit ex aliis, qui præceſſerant, atque ab Apoſtolorum inde temporibus ad ætatem usque ſuam perpetuo filo deduxit, additis, ſi quos ab aliis omiſſos ipſe indagare potuit. Eo autem in Opere complexus eſt Scriptores Eccleſiæ Chriſtianæ addictos, ſive Theologi ſint, ſive Juriſconſulti, ſive Philoſophi, Medici, Grammatici, Geographi aut Hiſtorici, vel alterius diſciplinæ cultores, quorum elogium pangit, vitæque ſynopſin, & Operum indicem exhibet, agens de illorum patria, profeſſione, ingenio, officiis, fatis, aliísque circumſtantiis, quæ juvent tum ad illuſtrandos, tum aliquando ad deprimendos auctores. Inſcriptum Opus titulo ſimplici, qui naturam lucubrationis mentémque compilatoris explicaret, non qui lectorem emptorésque pompatica, ut fieri amat, vel ampullatâ & vaniloquâ epigraphe deluderet. Ubi tamen orbis eruditi conſpectum ſubiit, diverſum de eo criticorum fuit judicium, his adplaudentibus, dum cæteri cenſuras inurunt. Nec aliud quidem à Trithemio exſpectari debuit collocatæ in hoc operæ pretium, cùm nullus hujus commatis è prelo liber unquam emerſerit, quem pari homines omnes opinione admiſerint. Hîc enim ſi unquam, *quot capita, tot ſententiæ*. Teſtes erunt locupletiſſimi *Geſnerus*, *Simlerus*, *Draudius*, *Königius*, *Bellarminus*, *Voſſius*, *Poſſevinus*, & inter recentiores *Elias Du-Pin*, *Caveus*, *Oudinus*, *Ceillier*, reliquíque Bibliographi mutuo inter ſe conflictantes diſcidio, pluribus licet ſuccollati ſubſidiis, quàm Trithemius, qui argumentum innumeris adhuc involutum difficultatibus elucidandum ſuſcepit, primúsque glaciem fregit, & latiſſimum dicendi campum ſequioribus aperuit. Sicubi ergò oſcitaverit, vel errores quosdam chronologicos aut hiſtoricos admiſerit, facilè veniam ei tribuendam cenſemus, cùm is majorum longè rerum iliadem condiderit, quàm *Homerus*, cui ſubinde etiam ſomnus obrepſit, & aliunde tempora auctorum præſertim veterum ac ineditorum ſæpiſſimè ignorentur, rerum quoque quas tractant, vis ac ſcopus ex titulo non ſatis divinari poſſit. Num verò deferendum quidquam ſit *Jacobi Wimphelingii* adversùs hunc Trithemii partum offuciis, alibi dicemus. Sed neque hìc moramur illam, quam triobolares quidam Critici apud *Magirum* in Eponymologio ipſi impingunt cenſuram: *Quòd nempe uno omnes calopodio Scriptores calcet* i. e. *iisdem æquet laudibus, quos laudat.* Addi poterat, inquit Fabricius, TRITHEMIUM *ſemper laudare libenter & commendare ſtudium Scriptorum quos refert. Id quod longè mihi videtur æquius & præſtare ignavo ingratóque ſilentio, vel acerbis & inhumanis indignísque aliorum cenſuris, atque invectivis in eos, qui pro virili ſua conati ſunt aliquid conferre in communes uſus lectorum & prodeſſe aliis ſine cujusquam injuria.* Sed & audiendus hac de re doctiſſimus *Andreas Thevetus* Engolis-

golismenſis Coſmographus tegius, qui inter alios Trithemii partus, hunc præcipuè celebrat his verbis : *Entre les autres livres de l' Abbé Tritheme, celui, qu'il a intitulé* des Eſcrivains Eccleſiaſtiques, *eſt digne de perpetuelle memoire & louange. . . .* Eruditiſſimus quoque *Angelus de Rocca* Auguſtinianus in Catalogo Bibliothecæ Vaticanæ anno 1591. edito : *Trithemius*, inquit, *ex Ordine Benedictino Abbas Sponheimenſis deinde Neapolitanus Librum* de Eccleſiaſticis Scriptoribus, *ſtudioſis admodum utilem & commodum ſcripſit. . . Et ſanè*, inquit Suffridus Petri, *nullum Scriptorum genus eſt, cui plus gratiæ, plus venerationis debeatur, quàm ei, cui id curæ fuit, ut perpetuos quoſdam Catalogos Authorum texeret, ex quibus poſteritati conſtare poſſet, quis, qua de re, quid, quóve tempore conſcripſiſſet.* Quod cùm Trithemius in memorato Opere, diligenter præſtiterit, non eſt profectò, quòd ipſi unguem inſigamus; ſiquidem id extra controverſiam eſt, multos inſignes Scriptores cum ſummo Reipublicæ literariæ detrimento fuiſſe interituros, aut delituiſſe prorsùs incognitos, niſi ipſe ſuis indicibus ad inveſtiganda eorum opera ſtudioſos excitâſſet, aut ipſorum memoriam ad poſteros propagâſſet. His accedit *Hieronymus Platus* S. J. Theologus, qui Trithemium vocat *accuratum & ſedulum ſcriptorem, cujus in diſcernendis ſcriptoribus, borúmque lucubrationibus prudens judicium cordati omnes ſuſpiciunt.* Quæ etiam cauſa fuit ut laudatus Trithemii liber iteratis typis ſæpiùs recuderetur. Primùm *Pariſiis* apud Rembolt anno 1512. in 4. appendice auctus ab auctore quodam Anonymo, qui doctos aliquot proximis añis ſecutos enumerat. Quamquàm verò Trithemius in prologo Operis, ſe in ultimo anno *Friderici III.* Imperatoris (qui in A. 1493. incidit) finem ſcribendi feciſſe ipſe profiteatur, uno tamen anno ſeriem ulteriùs prorogavit, plutéſq; adjecit ſuperiotibus, quos anno 1494. floruiſſe cōmemorat, quo & ipſum Opus primò typis excuſum inſinuavimus. Sed & ipſemet poſteà hunc indicem pluribus auxit Scriptoribus præſertim Teutonicis ad annum 1510. claris, ut videre eſt in codice membranaceo MS. Univerſitatis Herbipolenſis. *Wimphelingius* etiam aliquot adjeciſſe putatur. Aſt cumprimis inſigne eſt & ampliſſimum, quod *Joannes Boutzbachius* Piemontanus Lacenſis in agro Treverico Cœnobii Prior *Trithemio* ſinchronus addidit auctarium, ultra ſexcentos auctores complectens, quod cùm hactenus delituerit anecdotum, multam autem præbeat Scriptorum tum veterum, tum Trithemio recentiorum notitiam, novæ illius Operis editioni jure quodam ſuo inſeri meretur. Extat námque integrum in præfati cœnobii chartulario. Iterùm typis repetitus paruit laudatus liber *Coloniæ* ex officina Petri Quentelii 1531. & rursùs ibidem anno 1540. Notæ ſuper editionem Colonienſem reperiuntur in Bibliotheca ſacro-profana *Latini* Latinii p. 77. Deinde ſtudio *Balthaſaris Werlini* Colmarienſis adauctus ibidem recuſus eſt A. 1546. Sed diversâ methodo uſus editor, Chronologiæ ſeriem, quæ hactenùs continuata fuerat, reliquit, & Scriptores, quos magno ſuo ſtudio congeſſit, ordine alphabetico recenſuit; quem poſteà *Suffridus Petri* Leovardienſis Friſius U. J. Lic. & in Burſa trium coronarum apud Ubios Profeſſor in ordinem redegit, atque primùs ſex Authores ejusdem argumenti, *Hieronymum* videlicet *Gennadium*, *Iſidorum*, *Honorium*, *Sigebertum*, & *Henricum de Gandavo* præmiſit Trithemio, variíſque annotationibus illuſtravit, recuſo Opere *Coloniæ* typis *Materni Cholini* anno 1580. in 8. Cùm autem hujusmodi indices non tantùm ad cognitionem authorum, ſed etiam ad inveſtigationem librorum utentibus inſervire debeant, *Suffridus*, quò magìs commodaret lectori ſtudioſo, non gravatus eſt, quantum quidem in ſe fuit, in ſingulis Scriptoribus declarare, ubinam eorum Opera vel typis excuſa ſint, vel manuſcripta adſerventur, ut comparari poſſint. Notas præstereà addidit chronologicas, & quinam Scriptores apud Trithemium reperiantur, curatè indicavit; ac ne videretur ſine delectu authores omnes æquali bilance ponderâſſe, ſuis locis diligenter inculcavit, quo in numero eorum quisque ſit habendus. Deinde cùm poſterior Trithemii appendix Alphabeti tantùm ſerie conſtaret, ratus eſt *Suffridus* authores eâ comprehenſos in juſtum temporis otdinem eſſe redigendos, ne continuus chronologiæ decurſus interrumperetur. Ad extremum, quia poſt primam Trithemiani Operis editionem, elapſis tum annis penè centum, Eccleſiaſticorum Scriptorum numerus haud quaquam exiguus ſuccreverat, etiam hos in ſupplementum Operis addendos eſſe putavit, ut perpetua quædam Bibliothecæ ratio conſtaret in Eccleſia-

ſticis ad ſuam usque memotiam. Hæc porrò editio prodiit *Coloniæ* an. 1594. præmiſsâ pereleganti nuncupatoriâ ad Venerab. in Chriſto Patrem D. *Godefridum Werdenenſem* S. Panthaleonis Abbatem. Eundem Trithemii librum refudit *Freherus* inter Opera ejus hiſtorica *Francofurti* A. 1601. in fol. edita; ſed iſtis, quæ numeravimus, parergis & auctariis denudatum, aliis tamen ſubinde additionibus interpolatum. Noviſſimè demùm *Albertus Fabricius* Suffridum imitatus idem Trithemii Opus cum aliis ſex ſupralaudatis Bibliographis *Hieronymo*, *Gennadio*, *Iſidoro* &c. in lucem reddidit *Hamburgi* anno 1718. in fol. Ita verò ipſe præfatur: *Joannis Trithemii liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis neutiquam omittendus mihi eſt viſus, qui etſi poſt primam editionem Moguntinam A. 1494. in 4. ſæpiùs vulgatus, tamen rarò hodie obvius eſt, venalis certè nusquam proſtat, cùm tamen non modò Miræi auctarium atque liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad illum velut in ſupplementi vicem referatur, ſed & Trithemius unus ſit is, ex quo plurimi Scriptores recentiores hauſerunt, hauriúntque, quæ de ſuperiorum temporum Scriptoribus, ubi veteres illi nos deſtituunt, ſive vera, ſive falſa tradunt. Addidi igitur etiam Trithemii librum, ſed non modò emendatiorem multis locis, quàm eſt editio Wecheliana, ſed & capitibus addidi numeros, toti Operi notas, breves illas quidem, ſed quibus tamen, ſpero, lux aliqua locis obſcuris haud paucis, vel minùs rectè ſe habentibus medela adhibebitur, licet plura aliis adnotanda, & Balthaſaris Werlini commentationes, qui totum Trithemii Opus ordine etiam mutato pervertit, ipſi inſolidùm reliqui. Indicem denique ſubjeci Chronologico-Alphabeticum, ad veteres ſimul Scriptores præmiſſos omnes, & Miræi auctario parallelum*... Ita ille. Sed forſan & hæc olim meminiſſe juvabit nonnulla in poſterioribus ejusmodi editionibus addita eſſe, quæ *Trithemius* nunquam cogitaverat: *Impoſtores enim ſequioris temporis*, uti Schanatus obſervat, *multa hujusmodi in ſcriptis Catholicorum Doctorum inſeruerunt, ut venenatam doctrinam ſuam eorum quaſi authoritate roborarent.* Quapropter conſultum fuerit veteres editiones & manuſcriptos codices pro nova editione adornanda conferre. Extat verò Trithemii authographum in Bibliotheca S. Jacobi Moguntiæ; Auctarium in Bibliotheca Univerſitatis Herbipolenſis. *Vide Fleury Hiſt. Eccl. Tom. XXIV. pag. 229.*

XX. Eodem temporis decurſu *Trithemius* ad petitionem *Rumoldi de Laupach* Prioris Carmelitarum Francofurtenſis Conventûs, *Ornatiſſimum* ſcripſit *Librum de Laudibus S. Annæ Matris beatiſſimæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, qui à multis magno habetur in pretio, éſtque hodie vulgatiſſimus*, ut perhibet Chronicon Spanheimenſe ad hunc annum. Continet capita XVI. in quorum primo tractat de laudibus S. Annæ in genere. 2. Invocat Divinum auxilium ad id, quod intendebat, perficiendum. 3. Hortatur fideles, ut S. Annam colant. 4. Invehitur in eos, qui memoriam S. Annæ lacerant. 5. Oſtendit quòd Deus S. Annam ab æterno in parentem elegerit. 6. Quàm ſancta & Deo grata ſemper extiterit vita ejus. 7. Quòd S. Anna filiam ſuam S. M. V. ſine peccato conceperit. 8. Quemadmodùm S. Mater Anna filiam Deo obtulerit. 9. Quòd S. Mater Anna apud Deum in magno ſit honore. 10. Quòd potens ſit noſtris miſeriis ſubvenire. 11. Quòd à nobis in maxima veneratione ſit habenda. 12. Agit de celebratione Feſti S. Annæ. 13. Ediſſerit quibus exercitiis eam honorare debeamus. 14. Miracula quædam S. Annæ ſuccinctim recenſet. 15. Diſſerit de fraternitate S. Annæ. 16. Concludit Opus cum exhortatione ad cultum & confraternitatem S. Matris Annæ. Id porrò Operis *Moguntiæ* per *Petrum Friedbergenſem* typis excuſum anno 1494. in 4. prodiit, variis ad calcem parergis & epigrammatibus exornatum. Aliam editionem Lipſienſem laudat *Fabricius* eodem anno procuratam, & additâ Legendâ S. Annæ 1512. in 4. Extat etiam inter paralipomena curante *Buſæo* Moguntiæ anno 1605. edita pag. 619. Vix lucem adſpexerat hic partus, orbem eruditum aliquamdiu ſuſpenſum in controverſiis tenuit. Cùm enim Capite VII. de puriſſima conceptione Deiparæ mentionem injeciſſet Trithemius, eámque *immaculatè conceptam* aſſereret, ſurrexit quidam ex Ordine Prædicatorum *Wigandus Cauponis* dictus, tum temporis Conventûs Francofurtenſis Concionator, *homo quidem ſatis doctus, ſed nimium temerarius & elatus*, qui Opus quantum *ad immaculatam Conceptionem* impugnare conatus, ſcriptis quibusdam literis pſeudepigraphis aſſumpto *Fratris Penſantis* nomine acrioti ſale reſperſis, quas per ignotum Trithemio ſubmiſit, eundem quaſi de conceptione Virginis perperàm ſcri-

1494. De Laudibus S. Annæ.

Frater Penſans ſe contra Trithem. erigit.

pſiſſet

pſiſſet, pertumidè reprehendens. His
ille continuò reſponſum dedit, in quo
pari pectine Dominicanum depexuit
in hæc verba profuſus: *Ægrè quidem
ferrem convicia & opprobria tua ſcriptor
innominate! niſi te gravi morbo animi
laborare intelligerem, qui usque adeò in
te prævaluiſſe cernitur, ut experientia
medicorum principis Æſculapii neceſſaria
ad tui curam videatur.* . . Et quia de
Dogmate Eccleſiaſtico agebatur, ad-
verſario indignationem Dei & damna-
tionem æternam comminatur, ſícque
concludit Epiſtolam: *Si religioſus es,
ſi fraternæ charitatis amator, à conviciis
& maledictis te modò cohibere non neg-
ligas, neque in tua prudentia contra im-
maculatam Dei Genitricem temerè con-
fidas. Niſi hoc feceris, erit tempus, quo
ſcripta tua irriſione digniſſima in caput
tuum retorta dolebis...** Cum his lite-
ris, aliíſque vindiciis miſit Francofur-
tum *Tritbemius* virum quemdam pru-
dentem & eruditum, qui diligenter
apud Prædicatores exploraret, quis eſ-
ſet ille *Frater Penſans.* Quo detecto ac-
rius inſtauratum eſt bellum inter eos
literarium, quod fermè biennio effer-
buit. Tum verò præcipuos ejus æta-
tis Theologos in ſuam ſententiam fa-
ciles habuit Trithemius, qui & librum
ipſius & ſenſum de immaculata Con-
ceptione defenſantes, metro & proſâ
adversùs *Wigandum* decertârunt, ac
ſuperciliosas ejus offucias egregiè con-
futârunt. Quos inter *M. Theodoricus
Greſemundus de Meſchede* eâ tempeſtate
multâ ſcientiæ famâ florens carmen in
Fr. Penſantem evulgavit ſatis denta-
tum, ut refert ipſe Trithemius in Ca-
talogo Virorum Germaniæ illuſtrium.
Mathæus Herbenus Trajectenſis *Anti-
logion* in eundem procudit. *Wilhelmus
Heyckius* Abbas Mariæ-Munſterienſis
prope Luxemburgum, & *Eberhardus
de Campis* S. Mathiæ apud Treviros
Prior, ſuas quoque ſymbolas huc con-
tulerunt. *Andreas* verò Bambergen-
ſis Abbas integrum hac de re Tracta-
tum condidit, qui hodiéque in S. Mi-
chaëlis Chartulario adſervatur publicâ
luce dignus. Superat Trithemii ad hunc
Præſulem Epiſtola eodem anno data,
quæ cùm ſit inedita, eam hîc reſcribe-
re viſum eſt: ita verò habet: „*Reve-
„ rendo in Chriſto Patri Domino Andreæ
„ S. Michaëlis in monte Monachorum
„ prope Bambergam O. S. B. Abbati &
„ Theologo doctiſſimo Trithemius omne
„ bonum, & ſeipſum ad obſequia para-
„ tiſſimum.* Quandoquidem Veneran-
„ da Paternitas tua datis nuper ad me
„ literis tenuitatem meam interpellare
„ dignata fuerit, ut ea, quæ contra
„ quosdam immaculatæ Conceptionis
„ Beatiſſimæ Virginis Mariæ impugna-
„ tores congeſſi ſynthemata, tuæ le-
„ ctioni transmitterem evolvenda, cer-
„ tè quamvis hæc ipſa necdum plenè
„ in juſtum ſyſtema redegerim, facere
„ tamen neutiquam potui, quominus
„ juſtæ petitioni tuæ pro modulo ſatis-
„ facere ſtuderem. Teſtis eſt enim mi-
„ hi Deus, quòd ſi quandoque exte-
„ rioribus curis exemptus huic rei vel
„ per horulam incumbere poſſim, tan-
„ to cordis ſolatio afficiar, ut cunctis
„ mundi vanitatibus poſtpoſitis, nihil
„ magis appetam, quàm ſacræ Virgi-
„ nis laudibus intendere, ac cum ipſo
„ lætitiæ ſpiritu in ſinum intemeratæ
„ cœli Reginæ ſtatim proſilire. Quia
„ autem, ſicut ex iisdem literis didici,
„ Rev. Paternitas tua pari mecum in
„ puriſſimæ Conceptionis defenſionem
„ zelo & fervore afficitur, Téque in
„ hoc propoſitum multa ex Theologi-
„ cis Juridicíſque libris compaginâſſe
„ documenta teſtaris, Te viciſſim eni-
„ xè obſecro, ut in hoc ſtadio firmiter
„ pedem figas, ac bonæ cauſæ tuo
„ coneris aſtipulari ſuffragio. Huic
„ namque diſceptationi ſuccurrere, &
„ eam ad univerſalis S. Matris Eccle-
„ ſiæ normam velut ad Sanctuarii pon-
„ dus diſcutere, laudabile utique eſt,
„ & meritorium. Matri enim procul
„ dubio diſplicet omnis, quæ oritur &
„ invaleſcit inter filios diſceptatio. Un-
„ de ſi hæc petra ſcandali tollatur è
„ medio, idipſum meritò Eccleſia pro
„ inſigni acceptabit ſervitio. Nam
„ cùm ſancta Mater noſtra tanta & ta-
„ lia de glorioſiſſima Virgine Maria ca-
„ nat & affirmet, quæ nulli unquam
„ alteri puræ creaturæ conceſſa viden-
„ tur, quis ipſi Eccleſiæ obediens, aut
„ Virgini Deiparæ devotus exiſtens, ſi-
„ ne animi perturbatione ſummóque
„ dolore audire poſſit quosdam non
„ ſolùm plebeios, ſed etiam religionis
„ habitu amictos, aut magiſtrali in-
„ ſulâ decoratos viros pertinaciter aſ-
„ ſerere & in pulpitis prædicare: *B.
„ Virginem ab æterno in* JESU CHRISTI
„ *Matrem electam, & præordinatam,
„ maculâ peccati originalis fuiſſe con-
„ ſpurcatam atque in cōmuni ſorde con-
„ ceptam?* Pius profectò ad hæc inau-
„ dita horreſcit animus. Quamob-
„ rem ego, qui ab incunabulis & te-
„ nerâ ætate ſemper glorioſiſſimæ Vir-
„ ginis ſervulus extiti, taliſque Deo
„ propitiante futurus ſum ad extre-
„ mum

*Chronic. Spanheim. ad h. A.

„ mum vitæ halitum, firmiter mecum „ ſtatui volitantia ejusmodi jacula pro „ virili retundere, ac talia, ſi quan- „ do dabitur otium, in piæ opinionis „ fulcimentum ex ſacris Theologiæ „ fontibus in medium proferre mo- „ menta, quibus convicti temeratores „ profani, niſi veritati bellum indice- „ re voluerint, vel obmuteſcere debe- „ bunt, aut palàm profiteri Virginem „ Chriſti Matrem à ſorde peccati pror- „ sùs fuiſſe immunem. His interim, „ quæ ſubmitto, benè utatur Reveren- „ da Paternitas tua, valeáſque feliciter, „ ac me tuæ doctrinæ admiratorem „ maximè ſtudioſum amare pergas. Da- „ ta ex Spanhem in vigilia Conceptio- „ nis Beatiſſ. Virg. Mariæ anno MCC- „ CCXCIIII. & ſua manu. *Frater Joannes Abbas in Spanhem.*

Eodem anno *Trithemius* declaratoriam ſuæ mentis de Virginali Conceptu evulgavit Epiſtolam, quam ipſe ad calcem memorati libri *de Laudibus S. Annæ* inſeri voluit, quámque Buſæus inter alias retulit N. xxxiii. In ea proteſtatur, *ſe ſolam pertinaciam quorumdam imperitorum ſui temporis, non opinionem eruditorum quorumcunque aliter ſentientium arguere; quippe qui Sixti IV. Pont. Max. declarationem non ignoraret.*

1495. Tractatus de Immaculata B. M. V. conceptione.

XXI. Secuto inde anno conſcripſit *Tractatum quemdam ſpecialem de illibata glorioſæ Virginis Conceptione*, tribus, ut præfatur, potiſſimùm actus de cauſis: *Prima*, inquit, *eáque inter omnes potior eſt*, amor Dei, *qui virtute ſui fervoris etiam ad magna compellit ſæpè infirmos, & facit amanti poſſibile, quod aggredi vires humanæ refugerent.* Honor intactæ ſemper Virginis Mariæ *ſecundo mihi loco, ut iſta ſcriberem, anſam dedit; cui tantum poſt Deum reverentiæ & devotionis debeo, quantum ipſe nec mente concipere, nec ore poſſum proferre.* Tertia verò *Cauſa aſſumpti laboris* Caritas eſt fraterna: *cujus intuitu motus ſum multiplici ratione, tum nempe, ut plurium Venerabilium Virorum ſatisfacerem poſtulationi; tum ut aberrantes & malè ſentientes in viam veritatis reducerem, & piæ opinioni faventes in bona fide firmarem; tum denique ut meam mentem literis prolixiùs commendando, & vivus & mortuus Beatiſſimæ Virg. Mariæ laudes atque prærogativas ad ædificationem legentium pro ingenii mei modulo prædicarem.* Ejus opuſculi apographum penes me adſervatur propitiori lucinâ publicæ luci aſſerendum. Novem verò abſolvitur Capitibus, in quibus validiſſimis rationibus & teſtimoniis ex uberrimis ſacræ Theologiæ fontibus, & SS. Patribus depromptis, Beatiſſ. Virginem ab originalis peccati macula expertem fuiſſe demonſtrat. Neque tamen interea Dominicanus obmutuit, quin hujus diſputationis ſervor utrumque biennio ferè tenuit, dum tandem eo tempore in tricis evoluto, controverſia auctoritate Rectoris Univerſitatis Colonienſis *Udalrici Krydwijs de Eslingen* Majoris Ædis Colon. Canonici, Theologi celeberrimi, & *Thomæ de Scotia*, aliorúmque hujus Academiæ Doctorum, eſt deciſa, & *Wigandus* contrariæ aſſertor ſententiæ, palinodiam canere juſſus, demùm temeritatis ſuæ veniam à *Trithemio* deprecatus, ea quæ contra *immaculatæ Conceptionis* dogma effutierat, ſuopte judicio damnavit. Nihilo tamen minùs exaſperati quidam Dominicanæ Familiæ alumni in adverſum muſſitare non deſtiterunt, ac ſummum etiam Pontificem *Alexandrum VI.* ſuas in partes flectere, reſcriptúmque contra eundem extorquere moliti ſunt, ſed fruſtra; *Habebat enim Trithemius ſibi conſtantiſſimè adhærentes Univerſitates præcipuas, Pariſienſem, Colonienſem, Tubingenſem, totúmque Ordinem Carmelitarum, & Minorum, ac univerſum prope Germaniæ Clerum; Cardinales item, Archi- & Epiſcopos, viróſque eruditos penè innumerabiles;* ut perhibet Chronicon Spanheim. ad A. 1494. Ex hac pro Virgine Deipara, ejusque Conceptu immaculato generoſa luctâ *Trithemius* inter inſigniores Marianos pugiles deinceps omnium ore, linguis & calamis celebrari meruit, elogium accinente diſertiſſimo *Felice Egger* Diſſert. II. de cultu Mariano pag. 197. *Hic enimverò verum monſtravit Benedictini ſpiritûs genium & ingenium; cui id ſemper ſolemne, pro Immaculata certare, luctari, vincere, mori.* .. Confer Chronicon Spanheim. ad A. 1494. & 97. *D' Argentre* Collect. judicior. pag. 331. *Fleury* Hiſt. Eccl. Tom. XXIV. p. 229. *Euſebius Nierenbergius* in Tract. de Immac. Concept. &c.

XXII. Catalogographus Spanheimenſis, qui ſæpè ad unum eundémque annum rejicit opuſcula ſucciſivè & diverſis temporibus à *Trithemio* elaborata, ad hunc itidem A. 1495. refert: 1. *Menologion hominis Deo devoti*, ſive *Soliloquium hominis ad animam ſuam*, opuſculum, quod ſciam, hactenus inedi- 1495. Varia Opera inedita.

edi-

editum, cujus tamen meminêre reliqui indices. . .

2. Librum *de laude, amore & vero ſtudio Scripturarum*, ſive, ut in Hirſaugienſi Chronico legitur, *Laudes & utilitates ſtudii & lectionis Scripturæ ſacræ;* Opus ſanè, ſi quod aliud, perutile, maximè iis, qui in monaſteriis ad pietatem exercentur, ſed hucusque deſideratum.

3. *De Ordinis Carmelitarum exordio & progreſſu libros duos*, de quibus ſuprà egimus.

4. *Statuta Provincialis Capituli*, Provinciæ, ut ſuſpicamur, *Colonienſis & Trevericæ*; Nam *Moguntinæ* & *Bambergenſis* Statuta ante hoc tempus conſcripta alibi oſtendimus.

5. Circa eosdem dies ſcripſit ad inſtantiam *Udalrici Kreitwys de Eslingen* Canonici majoris Ædis Colonienſis, *Librum unum de certis quæſtionibus græcis in Evangelium S. Joannis vitio Scriptorum depravatis*, hoc exordio: *Crebris amicorum precibus pulſor...*

6. Ejusdem hortatu ſcripſit, *de quibusdam in Pſalterio dubiis librum alterum*, tali initio: *Cùm nuper Coloniam...* Utrinsque lucubrationis mentionem facit noſter in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum & alibi paſſim.

7. *Poëmata Homeri* latinitate donâſſe diſcimus ex ejus Epiſtola ad Priorem Spanheimenſem Budori A. 1505. datâ, ubi, *Zenobium quoque & ea quæ nos de Homero latina fecimus poëmata;* item *Epiſtolas græcas manu noſtrâ deſcriptas... ut mittas præcipimus...*

8. E Græco ſermone in Latinum vertit *Librum B. Maximi Abbatis de Incarnatione Domini*; qui poſteà interpolatus curis *Bilibaldi Pirckheimeri* Bibliothecæ Patrum Tomo V. editionis Pariſienſis acceſſit.

9. *Anathemata Cyrilli Alexandrini contra Hæreticos in tertia Synodo Epheſina promulgata, & ejusdem Synodi Epiſtolas quasdam, latinitate donavit.*

10. *Myſticam Dionyſii Theologiam* in latinum vertiſſe ſermonem, innuit ipſe in Epiſtola ad *Matthæum Herbenum* Coloniæ A. 1505. data his verbis: *Rogamus autem, ut nobis translationem noſtram myſticæ Theologiæ Dionyſii cum græco exemplari, quam tibi ante biennium, cùm nobiſcum eſſes in Spanheim, commodavimus, remittas.*

11. Quæſtiones etiam græcas *de Evangeliorum diſſonantia*, ad preces *Rutgeri Sicambri* enucleâſſe memorat Chronicon Spanheimenſe.

12. Eodem ferè tempore deſcripſiſſe

videtur *Miracula ſanctæ Matris Annæ*, opuſculum ſpeciale, quod inter deperdita adnumeratur.

XXIII. Circa hoc etiam tempus exarâſſe videtur opuſculum illud hodie deſideratiſſimum *de Miſeria Prælatorum Clauſtralium* ad *Macharium* Abbatem Lympurgenſem libris duobus conſtans hoc exordio: *Ut de Miſeria Prælatorum Clauſtralium...* Ejus Operis exemplar in Spanheim remanſiſſe perhibet noſter in ſua ad *Rogerium Sicambrum* Epiſtolâ, ejusdémque mentionem facit in alia ad *Georgium Epiſcopi* A. 1507. data, ubi: *Has*, inquit, *Monachorum inquietudines expertus, dudum ſcripſi librum* de Miſeriis Prælatorum Clauſtralium, *quas etſi non omnes patiantur æqualiter, pauci tamen ab eis prorsùs reperiuntur immunes...* Manuſcriptum habuit *Buſæus* Jeſuita, qui illud certis de cauſis publico ſubduxit; ita enim ipſe in præfatione ad paralipomena: *Suppetebant quidem & alia nonnulla, verùm quia partim erant mutila & manca, ut* Tractatus *de inveſtigatione ſacrarum Scripturarum* & Liber de miſeria Prælatorum, *partim liberiore ſtylo ita conſcripta, ut pii Lectoris animum offendere potiùs, quàm erudire poſſent, quandoquidem & ipſe ea ſepulta alicubi voluit, omninò ſuppreſſimus...* Ubinam verò nunc delitescat, nec ſando aſſequi potuimus. In hujus opuſculi laudem epigrammate pro ſeculi more luſit *Jaſon Alphæus Urſinus* Presbyter & Poëta Laureatus R.mi Trevirorum Archiepiſcopi eo tempore Capellanus, in quadam opella poëtica anno 1496. *in nobili Civitate Moguntina per Petrum Friedbergenſem* excusâ hoc titulo: MELPOMENECON *Jaſonis Alphæi Urſini... ad R.mum Joannem Camerarium Dalburgicum Wangionum Præſulem & Philoſophorum principem...* Alphæanæ huic poëmatum collectioni præmittitur Epiſtola Trithemii ad *Henricum de Bunawe* Equitem Saxonicum, quæ typis quidem excuſa, ſed opuſculo inſerta, quod hodie raritate cum codicibus manu exaratis pugnare poſſit, hic videtur reſcribenda. Ea ſic habet: „ *Joannes Trithemius Abbas Spanheimenſis nobili atque doctiſſimo Militi* „ *Domino Heinrico de Bunawe illuſtris* „ *Ducis Saxoniæ, Principis Electoris* „ *Secretario S. P. D.* „ Jaſon Urſinus „ Poëta Laureatus Trevirorum Archi- „ præſulis R.mus Capellanus *Melpomenecon* primum Carminum ſuorum vo- „ lumen eruditiſſimo Academiæ noſtræ „ Principi *Joanni Camerario Dalbur*-

1495. De miſeria Prælatorum.

„ *gico* Wangionum Antiſtiti nuper in„ ſcripſit; mihi quoque legendum ex„ hibuit. Cùm ergò TE noverim uni„ cum Philoſophorum inter militaris „ Ordinis viros amatorem, qui Erudi„ torum hominum lucubrationibus ve„ hementer incumbis, tanti vatis Mel„ pomenecon Opus imprimendum for„ mis ad honorem tui nominis tradere „ volui, ſperans merem tibi non mo„ do jocundam, ſed & gratam quoque „ facturum. Denique *Jaſon* iſte Poë„ ta vario Carminis genere diverſa con„ ſcripſit, quæ ad TE propediem mit„ temus, ſi tibi quæ miſimus grata fu„ iſſe cognoverimus. Scripſit enim he„ roico carmine totam inventionem „ Civitatis Mediomatricum videlicet „ Metenſis. De bellis & victoriis eorum. „ Item de Confluentino ſitu, déque „ deſcenſu Trevirorum Archipræſulis „ & ejus militia in Trajectum. Oratio„ nes varias & alia multa cognitione „ digniſſima. *Ariſtotelem* tuum Græ„ cum & *Iſocratem* cùm voles tibi re„ mittam, qui mihi cum aliis græcis „ jam dudum ex Italia allati ſunt. *Vale* „ *ex Spanhem X. kal. Decembr. anno* „ *MCCCCXCVI*...„ Sequuntur in eodem *Alphæi* libro bina ad Trithemium epigrammata, quorum altero ejus in literas hebræas, græcas, & latinas amorem extollit, altero *Eridis* Trithemii canis domeſtici indolem dotéſque depingit. Ineptum utrumque & inficetum, ut meritò inter parum *emuncti incommoda ſecli*, malóſque poëtas reponendus veniat bonus *Urſinus*, ſui nominis verſificator. Unum tamen quod recenſito Trithemii libello *de Miſeria Prælatorum* ſubjungit carmen encomiaſticon hîc reſcribere viſum eſt; ita enim habet:

Hæc ſunt iſta viri Venerandi ſcripta Trithêmi,
Quem colit alma Deûm ſumma Minerva virum.

1495. De Viris illuſtribus Germaniæ. XXIV. Eâ quoque ætate Opus peculiare *de Luminaribus*, ſeu *de Viris illuſtribus Germaniæ*, quod rogatu *Jacobi Wimpfelingi* ante quadriennium inchoaverat, ex ſchedis emendans complevit, typíſque reddidit *Moguntiæ* apud *Petrum Friedbergium* anno 1495. in 4. Cujus quidem editionis titulus ita habet: *Catalogus illuſtrium Virorum Germaniam ſuis ingeniis & lucubrationibus omnifariam exornantium, D.ni Joannis Trithemii Abbatis Spanhemenſis O. S. B. ad Jacobum Wimpfelingum Sletſtatinum Theologum*... Eidem editioni præfixa eſt Epiſtola *M. Matthæi Herbeni* Trajectenſis ad inſignem virum *Judocum Beyſſelium* Patricium Aquenſem, in qua *Trithemium* ejúſque Bibliothecam ſummis effert elogiis, & hoc epigramma libro apponit:

Trithemio multum debet Germania tota,
Qui te ſpectandum parve libelle dedit.

Rutgerus Sicamber ſymbolam quoque ſuam huc contulit, ſequenti ad Lectorem præfixo Melathemate:

Hoc opus eximium legito; claros Alemannos
Invenies Italis viribus eſſe pares.

Continet liber iſte Scriptores gente Theotiſcos CCCXIV. quibus in Protheſi ſeu Auctario ſedecim adjecit *Wimphelingus*, exigui ferè nominis & momenti. *Trithemius* verò poſteà opus curis ſecundis refudit, & pluribus auxit, ut videre eſt in membranaceo Codice MS. almæ Univerſitatis Herbipolenſis, ubi ſeries Scriptorum deducta legitur ad annum 1510. Ceterùm opus repetitâ deinceps impreſſione multiplicatum, & Tomo primo Trithemianorum curante *Frehero* Francofurti A. 1601. editorum inſertum, iſto deſtituitur auctario, quod novæ illius editioni adnectere curabimus. Quod autem hujus opellæ utilitatem attinet, eam illi maximè agnoſcunt, qui ſua decora ſeparatim videre & veritatem religionis, majorúmque fidem & doctrinam detegere cupientes, optârunt aliquoties veterum Scriptorum præſentiâ & commercio frui, eo fine, ut per magiſtros tam certos, teſtéſque veritatis à ſuis dubiis & perverſis dogmatibus liberentur. *At verò*, utì celebris *Burchardus Struvius* Introduct. Litt. Cap. VIII. §. X. rectè judicat, *Multum hic Catalogus Virorum clarorum, eorum maximè, quorum ſtatum vix aliàs reperimus deſcriptum, nobis præbet notitiam. Et licèt vitæ deſcriptio prolixa non ſit, ſingularia tamen quandoque ſunt, quæ proponuntur*...

XXV. Anno MCCCCXCVI, qui fuit 1496. Oratio de cura animarum... ejus regiminis XIII. celebratis primâ Maji Provincialibus Abbatum Provinciæ Moguntiææ & Bambergenſis Comitiis in Seligenſtadienſi ad Mœnum archiſterio, *Trithemius* ibidem electus in Definitorem cum *Andrea* Bambergenſi Abbate, inſignem illam Orationem, quæ *de cura paſtorali* prænotatur, peroravit. In ipſo ſtatim exordio Prælatos alloquens: *Ad hoc*, inquit, *Dei providentia Vos Monachorum Gubernatores conſtituit, ut animas eorum mundas, ſanas, & integras ad cœli palatium reducatis. Enimverò quantumlibet ſancta ſit* Mona-

Monachorum Congregatio, ſine vigilantia Paſtorum, ſana diu non poteſt conſiſtere, nec temporalium rerum ordinatio permanere. Inde oſtendit, quàm difficile ſit animas regere, monachos affectione & voluntate moribúſque diverſos in unitate conſervare. Tum verò docet Abbatem debere ſuos triplici pabulo paſcere, *verbo*, *exemplo*, & *alimento*. Hinc invehitur in eos, *qui ſe Dominos ſuorum fratrum exhibent, non Patres*; interfectores animarum, non Paſtores eos eſſe aſſerit, *qui dum propter ignorantiam diſcernere morbi qualitatem neſciunt, non remedia, ſed venena mortifera apponunt.* Deſcribit deinde boni Præſulis qualitates, ac illos acriori ſale defricat, qui ſemetipſos paſcunt, oves autem Domini paſcere contemnunt: *Ecce*, inquit, *monachos tuos verbis & plagis ad obſervantiam regularem conaris impellere, & tu ſine regula vivens tibi exiſtimas omnia licere. Bona, quæ dicis, non facis, mala, quæ probibes, committis. Jejunare vis fratres tuos ſecundùm regulam, & tu quotidianis conviviis excitas gulam. Alios jubes intra monaſterii ſepta conſiſtere, & tu ſemper in exterioribus vis ambulare. . .* Typis impreſſa ſeparatim prodiit hæc oratio *Moguntiæ* anno 1495. ex officina *Petri Friedberg*. recuſa eſt ibidem cum aliis edente Buſæo *pag.* 853. In eodem Capitulo electus eſt *Tritbemius* Definitor & Promotor negotiorum cum *Andrea* Bambergenſi Abbate. Deputatus quoque fuit ad Unionem totius Ordinis S. Benedicti per Germaniam ſub uno capite ſtabiliendam. Eodem anno aliam *de duodecim excidiis obſervantiæ regularis* habuit orationem in Capitulo annali die v. kal. Septembr. in Rheinhartzbornenſi Hercyniæ ſylvæ Abbatiâ celebrato, quæ propter præſtantiam digna ſanè eſt, quam literis aureis cordi imprimant illi, quibus Ordinis decus & diſciplina monaſtica curæ eſt. In ea queritur primò Trithemius omnes Ordinis S. Benedicti reformationes tandem defeciſſe, idémque pertimeſcendum de ultima Burſfeldenſi inculcat: *Quid enim*, inquit, *Unio noſtra paſſura eſt vetula, ſi juvenis tanta nunc ſuffert contraria?* Tum factâ ad propoſitum digreſſione, duodecim enumerat cauſas & principia deſtructionis ruinæque omnis obſervantiæ regularis. Primo autem loco reponit indiſcretam ſuſceptionem inutilium perſonarum: *Iſta*, inquit, *calamitas ſicut in Ordine eſt prima, ita quoque ad deſtructionem omnis diſciplinæ cenſetur fortiſſima; cùm enim inutilis quiſque ad Ordinem recipitur, vigor converſationis monaſticæ facilè diſſipatur.* Secunda excidii cauſa eſt negligens Novitiorum inſtitutio: *Nam cùm totius monaſticæ obſervantiæ integritas in prima Novitiorum inſtitutione conſiſtat, quis non videat, quanta mala, quos morbos, quot clades religioni negligentia ejus importat?* Tertia eſt juniorum ex vicinia ſuſceptio: *Quoniam quidquid eis in monaſterio diſplicet, parentum vel cognatorum auxilio cupiunt emendari. Sæpè quoque viſitantur à proximis, conſolationes & varias & pernicioſas recipiunt à cognatis. . .* Quarta eſt ingredientium & ſuſcipientium ad Ordinem non recta intentio: *Quidquid enim intentione vanâ incipitur, bono fine rarò terminatur.* Quinta eſt ſtudii regularis omiſſio. Totus efferbeſcit Trithemius in hac confodienda vulpecula, quæ vineam Benedictinam maximè demolitur: *Quid eſt*, inquit, *regulare ſtudium, niſi juxta præceptum regulæ lectionibus inſiſtere Scripturarum? ſed noſtri Abbates & Monachi hoc ſalubre ſtudium abjiciunt, otio & vanitatibus intendunt, pro ſtudio Scripturarum avaritiam, pro libris voluptates carnis amplectuntur. . . Non mentior Patres! non mentior, tales non paucos novi, qui nobilia ſuorum ingenia opprimunt, qui legere monachos nihil præter humilia permittunt. O ſtulti & inſani! quare ſtudium regulare contra regulam prohibetis? . . . Forſitan timetis ne, ſi doctiores evaſerint, vos in eorum comparatione imperiti rudéſque judicemini, aut certè doctrina illorum, correctio fiat veſtrorum ſcelerum? . . .* Sexta vulpes eſt, Monachorum freqnens de cœnobio egreſſus: *Quoniam ſicut piſcis extra aquam citò moritur, ita monachus extra clauſtrum facilè ad vanitates mundi revocatur. Quanto enim crebriùs de monaſterio egreditur, tanto minùs in interioribus delectatur. . .* Septima clades naſcitur ex nimia cupiditate & ſollicitudine divitiarum: *Quia ſicut religionis fervor primùm abundantiam rerum temporalium cœnobiis contulit, ſic tandem opulentia cuſtodiam obſervantiæ penitùs diſſipavit. . .* Octavum religionis excidium, eſt inutilium promotio Prælatorum: *Enimverò dum rudis, imperitus, deſes, aut vitioſus quiſque rector animarum conſtituitur, diſciplina obſervantiæ regularis facilè negligitur. . .*

De XII. excidiis obſervantiæ regularis.

Nona beſtia vineam noſtram devaſtans, eſt debitæ correctionis omiſſio: *Homines enim fragiles cùm ſimus, in multis quotidie offendimus; & ſi nobis correctionis diligentia ſubtrahitur, delinquendi audacia generatur.* Decima vulpes, quæ religioni grave infert damnum, eſt negligens & inconſulta viſitatio Monachorum: *Dum enim inexpertis & deſidibus hujus officii ſancta committitur inſtitutio, concordia unitatis monaſticæ facilè diſſipatur.* Qualis autem debeat eſſe Viſitator, ibidem pluribus exponit. .. Undecima peſtis, quæ, ut præſagiebat, *regularem obſervantiam noſtram deſolabit*, eſt reformationis Burſfeldenſis nimia extenſio: *Nam ſicut extenuatur à ſua fortitudine ferrum, dum nimium extenditur, ſic obſervantia noſtra nimium dilatata tabeſcet, & paulatim confundetur. . . Non omnes Provinciæ terrarum noſtræ conveniunt obſervantiæ. .. Habet unaquæque gens mores ſuos, nec omnium eſt inter barbaros non barbarè vivere. . . Quòd ſi quis illud Agamemnonis in Calchantem apud Homerum mihi objecerit*: Vates malorum nunquam mihi utile dixiſti; *Ad poſteritatem provoco, ſententiam illi ferendam committo, quam viſuram intra pauca luſtra calamitatem religionis majorem non dubito. . .* Duodecima vulpes, eſt malitia temporum & hominum cœca ambitio: *Ecce*, inquit, *nunc omnes Ordines rebus temporalibus ſuffulti, in ruinam poſiti ſunt, & in ſignum contradictionis in populo, quando jam monaſteriis nemo aliquid amplius conferre cernitur, ſed collata ab aliis in rapinam tranſeuntium conſpicimus nunc penitùs eſſe expoſita. . .* His prolixiùs deductis denique concludit: *Hæ ſunt vulpes noſtram devaſtantes vineam, quas niſi capere & prorsùs interimere pro viribus curaveritis, graviora damna in Ordine brevì ſentietis. . .* Præſagii veritatem docuit eventus: Funeſtas enim iſtas calamitates experti ſunt Patres noſtri, & nos usque & nsque easdem experimur. Typis porrò excuſa eſt dicta oratio *Moguntiæ* eodem anno; atque ob præſtantiam ſæpiùs recuſa, & in Gallicum ſermonem translata rursùs prodiit *Duaci* anno 1604. in 12. Quinta verò eſt inter editas à Buſæo.

Per eos itidem dies Trithemius elegans perinde ac doctum quoddam Muſæum erexit, cujus parietes diverſis Emblematibus & Epigrammatibus latinis, græcis & hebraicis ab eo exornati ad invidiam ſimul & doctrinam ſuperbiebant. Quibus *Conradus Celtes* Protucius Poëta laureatus hanc adſcripſit Epigraphen:

Aſpice verſiculos hoſpes, venerabilis iſtos
Trithemius *poſuit, quos tribus ecce notis,*
Ille vetuſtatis cultor, quantus vel amator
Linguarum, paries ſcriptus uterque docet.

Idem Vates aliud in laudem Trithemii, *Druidæ*, ut vocat, *Germanici* poëma condidit *Pythagoricum*, ex quo nonnulla de ejus frugalitate, morum innocentiâ, aliíſque virtutibus colligere fas ſit, aliis fortaſsè non obſervata. Extat illud in editione Epiſtolarum *Cratetis*, quæ Norimbergæ curis Jacobi Locheri adornata prodiit typis *Ambroſii Hueber* anno 1501. Ea quoque tempeſtate complures viros dignitate & eruditione conſpicuos Spanheimium ad luſtrandam Trithemii Bibliothecam confluxiſſe memorat Chronicon Spanheimenſe. Ad hunc etiam annum ſpectant variæ virorum Eruditorum Epiſtolæ memorabiles omnino in rebus ad Trithemium pertinentibus, videlicet *Jacobi Wimphelingi*, *Mathæi* HERBENI, *Joannis Damii &c.*

XXVI. Anno 1497. Trithemius inſigne illud opuſculum *de triplici regione Clauſtralium* unácum *Exercitio ſpirituali Monachorum* à Venerabili *Joanne* Burſfeldenſium Antiſtite compoſitum, ad inſtantiam Abbatum Congregationis Burſfeldenſis, ſtyli ſui cote aſſumpſit perpoliendum, totúmque Opus brevioribus quidem, licèt non paucioribus ſententiis reddidit, ut eſt in Epiſtola ad Præſidentes illius ſodalitii data XIV. kal. Septembr. MCDXCVII. In Capitulo annali Burſfeldiæ A. 1510. celebrato ſtatutum fuit, *ut omnes religioſi huic ſodalitio ſubjecti in ſuis exercitiis & recollectionibus eo libello uterentur, & ſalubria, quæ præſcribit documenta in praxim ſeriò redigerent.* Idem Statutum in diverſis Capitulis repetitum legitur, nominatim *A.* 1640. 1641. *& ſeqq.* . . Dividitur opus in duas partes, quarum prima tres habet tractatus: primus abſolvitur novem articulis, in quibus diſſeritur de regione carnalium Monachorum, *in qua turbo manet ſcelerum & tempeſtas continua vitiorum.* In ſecundo tractatur de media regione videlicet *rationali*, & *de radicibus divini timoris* per XIV. articulos. In tertio deſcribitur ſuprema regio, in qua mens purificati hominis per fervorem divini amoris ſuper ſemetipſam rapitur, & in abyſſo Divinæ contemplatio-

1497. De triplici regione Clauſtralium.

platio-

Digitized by Google

plationis abſorbetur. Pars altera continet *Modum & formam quotidiani Monachorum exercitii*; cujus etiam opuſculi compendium dedit Trithemius. Extat utrumque inter Trithemiana curante Buſæo edita pag. 563. Seorſim verò prodiit A. 1516. in 4. edit. *Melch. Loter.* recuſum eſt ſumptibus R.mi D. *Anſelmi* Abbatis S. Michaëlis *Bambergæ* 1739. in 8. Exercitium ſpirituale teutonico idiomate donavit *Theodorus Gangelt* S. Pantaleonis Coloniæ ſervando gregi Prioris nomine præfectus. In hunc librum *Jacobus Syberti* Priot Lacenſis Trithemio ſynchronus ſequens epigramma condidit:

Vincere ſi quiſquam cupit inſuperabile fatum
Et phlegeontheos non habitare lacus;
Aut geſtit poſt hanc cœleſtia ſydera vitam
Scandere ſtellatas ac ſine labe domos;
Atque ſuam qui vult alienam crimine vitam
Servare, & mores optat habere graves:
Sive quis eximius cupit eſſe in Religione,
Et Monachus ſemper qui volet eſſe bonus.
Seu quis fervorem devoti cordis habere
Nititur, & ſummo ſive placere Deo;
Hæc legat, & ſacri ſervet documenta libelli,
Quæ ſenſu pollent, atque nitore ſtili;
His omnis monachus ſtudio ſe exerceat, aureis
Virtutum gemmis cor redimire volens.
Quid deceat monachum, quid dedeceat vel eundem
Edocet hoc variis pagina ſcripta locis.
Abbati docto ſumma cum laude Johanni
Trithemio *grates candide Lector age.*
Ex MS. cod. S. Martini Coloniæ.

Eodem anno Trithemins ſolemnem
Oratio de amore divino. Orationem *de operatione divini amoris*, Erphordiæ in Capitulo añali die VI. kal. Sept. habitam publici fecit juris. In ea contendit primò Deum ſolum eſſe diligendum: *Quia ſi aliquid præter ipſum in amoris conſortium admittitur, integritas divini amoris frongitur.* Inde pluribus comprobat, quid operetur in homine mortali amor immortalis; & hunc quidem cauſare contritionem perfectam, paſſiones mortificare, tum etiam facere, ut omnia terrena contemnantur, oſtendit. Unde arguit Abbatem non diligete Deum, qui paratus non eſt officio cedere; & reliqua prolixiùs ibidem deducta. Ad hoc tempus varia Univerſitatum Statuta *de doctrino immoculatæ Conceptionis* in favorem Trithemianæ ſententiæ lata memorat Chtonicon Hirſaugienſe.

1498. Opuſcula varia inedita. XXVII. Secuto inde anno Trithemius apertâ in monte S. Ruperti prope Bingam *B. Hildegardis* tumbâ, ejus brachium obtinuit, quâ occaſione ſcripſit ille de eadem Sancta *proſam* ſeu *ſequentiam* hoc exordio: *Laus tibi ſit Domine.* Item de ſancto *Ruperto* alteram & de aliis Sanctis ibidem patrocinantibus, *collectos, ſecretas, complendas* & integra Miſſarum officia, quæ extulit *Buſæus* inter paralipomena. Circa idem tempus ad preces *Gudæ Spechtin* ejusdem loci Antiſtite condidiſſe videtur opuſculum *de inſtitutione Virginitatis*, quod incipit: *Sancta Virginitas, quæ Virginis dicotur filio, tot habet timere periculo, quot momentis præſens rotatur vito...* Scripſit & aliud Opus *de continentia viduali*, nec non alterum *de inſtitutione conjugali*; ut planè appareat nullum fuiſſe ſtatum, nullum doctrinæ ſalutaris caput, cui ſuo è penu ſymbolam non contulerit Trithemius. De iſtis verò lucubratiunculis mentionem facit ipſe in Nepiacho ſuo & alibi paſſim. Sed quod dolendum, memorata ferè omnia interiiſſe creduntur. Eodem anno *Statuta Capituli Annalis Patrum de obſervantia Bursfeldenſi* in unum librum ornatiore & ſuccinctiore ſtilo à ſe redacta, ſubmiſit ad *Adamum* Abbatem S. Martini Coloniæ. Horum meminit noſter in ſua ad Rogerium Sycambrum Epiſtola; ubi opuſculum ita incipere teſcribit: *Reverendis in Chriſto Potribus...* Acceſſit *praxis inſtituendæ Abbatum electionis &c.* Circa idem tempus Trithemius Argentinam in cauſis Ordinis ptofectus, & per *Joannem Keiſersbergium* loci Concionatorem in Majoris Eccleſiæ Bibliothecam inductus, reperit vetus quoddam Pſalterium Tullii & Cypriani notis exaratum, cujus hiſtoriolam planè lepidam exponit in ſua Polygraphia Libr. VI. his verbis: *Superſcriptio*, inquit, *ab ignaro myſterii talis fuerat extrinſecus poſita*: Pſalterium in Armenica lingua. *Ego doctorem adhibui, falſitatem oſtendi, ita reſcribendum admonui*: Pſalterium notis Ciceronis deſcriptum. *Quod fecerit, necne, incertum habeo, quoniam ad eam Bibliothecam poſteà non ſum reverſus...* Caſtigandus indo *Schelhornius* vir acatholicus, qui ut captatâ occaſione monachos de ruditate poſſet ſugillare, ſubleſtâ fide narrationem interpolavit, eámque ex *Groſſchuſſio* in hæc verba reddidit Tom. VI. Amænit. pag. 603. *Memini in Bibliotheca Argentoratenſi publica adſervatum eſſe Pſalterium Davidicum Tullii & Cypriani notis latinè conſcriptum, quod cum fortè olim in Monachi cujusdam oculos incidiſſet, nec literarum ductum intelligeret, eo tamen audaciæ proceſſit, ut libri tergo inſcripſerit: Pſalterium in*

lingua Armenica perſcriptum. . . Quæ narrata ſi quis depuratâ mente cum Trithemiana relatione contulerit, *Schelbornium* ejúsque promachum *Groſſchuſium* iis adnumerandos facilè judicabit, de quibus Plautus: *Reperiuntur malevoli ſuper lacum, qui alteri de nihilo audacter impingunt contumeliam, & ipſi ſat habent, quod iis poſſit verè dicier...*

1499. Curſus S.Annæ. XXVIII Anno 1499. Trithemius pro ſua ſingulari erga B. Annam devotione compoſuit *Curſum* ſeu *Officium quotidianum*, *Roſarium*, *Orationem ſupplicatoriam*, aliáque ſynthemata, quæ poſteà *Raymundus* S. R. E. Cardinalis Legatus de latere Francofurti conſtitutus in publico Principum congreſſu adprobavit, ſibíque deſcribi curavit, concedens omnibus & ſingulis, quodlibet eorum devotè legentibus totiens quotiens octoginta dies indulgentiarum, ut habet Epiſtola Trithemii ad Rogerium Sicambrum, eidem operi præfixâ, apud *Buſæum* inter paralipomena *Moguntiæ* 1605. in 8. edita. Michaël Maittaire in Annal. Typogr. p. 34. *Erat Trithemius,* inquit, *S. Annæ Chriſti Aviæ & B. V. M. Matri devotus, in cujus honorem officium & ſequentias compoſuit, quæ anno* 1503. *lucem publicam adſpexerunt.* Hunc curſum teutonico ſermone donavit *Conradus Wetter* S. J. Theologus, edidítque *Ingolſtadii* anno 1617. in 12. Roſaria quoque alia de diverſis Sanctis *Petro, Paulo, Mariâ Magdalenâ*, & aliis, necnon *collectas*, *proſas*, *orationésque ſupplicatorias* ſine certo numero ad inſtantiam devotorum hominum conſcripſiſſe nos docet ipſe in ſua ad Rogerium Sicambrum Epiſtola: *Complurà etiam*, ſubdit, *parva ſcripſi opuſcula, quorum hâc vice titulos omnium ad memoriam nequeo revocare. Ex his nonnulla in lucem edita jam dudum prodierunt; alia verò in Spanheim necdum ſatis elucubrata dimiſi in poſterum forſan perficienda.* Eodem anno celebratâ provinciali Abbatum Synodo Herbipoli apud S. Stephanum, præſedit Trithemius, & orationem è roſtro fudit, ut habet Chronicon Spanheimenſe. Ibidem deputatus eſt Trithemius cum Abbatibus S. Jacobi Moguntiæ, Seligenſtadienſi & S. Ægidii Norimbergæ, ad negotium Unionis trium obſervantiarum Mellicenſis, Caſtellenſis & Burſfeldenſis promovendum, ut in receſſu legitur... Per eos itidem dies datis ad *Arnoldum Boſtium* Carmelitam Gandavenſem virum doctiſſimum literis reſcripſit ſe totum eſſe occupatum in concinnando *Opere Steganographico*, quod tractaret de quibusdam rebus & artibus occultis, atque mirandis ab eo noviter inventis, quæ nulli hominum antehac fuerint cognita, quemadmodùm opus ipſum probat. Verùm priusquam Epiſtola perveniſſet Gandavum, *Boſtius* ipſe pridie nonas Aprilis diem ſuum obierat. Prior ergò loci literas aperuit, legit, & quaſi pro miraculo ubique divulgavit, quæ brevì temporis ſpatio per totam Galliam & Alemanniam coram multis Principibus & doctiſſimis viris fuerunt publicatæ, reſcriptæ, & maxima omnium admiratione lectæ. At verò cùm nullus quantumlibet eruditus earum rerum, quæ ibi promittebantur, vel principia vel rationes intelligeret, ambiguam plerique protulêre ſententiam. Alii Trithemium hominem divinum, alii prædicabant eruditiſſimum: nonnulli quibus & intellectus tardior, & voluntas ad temeritatem paratior, *Magum* eum, ac ſpirituum miniſterio hæc agere confirmabant. *Sed quàm purè ſint naturalia cuncta, quæ in eadem Epiſtola referuntur,* ex principio libri Steganographiæ clarè pateſcit. Hâc novitate permoti plerique viri doctiſſimi ex ultimis Galliæ finibus videre & alloqui Trithemium, huc venerunt, qui viſis libris & rebus ipſis, quorum famam longè poſiti audiêrant, demonſtrationéque lucidiſſimâ, quantum decuit, à Trithemio aſſumptâ, famam rebus & veritate longè inferiorem fuiſſe confeſſi ſunt. Nonnulli etiam longè diſtantes nuncios ſuos cum literis ad Trithemium miſerunt, cupientes experientiâ rei cognoſcere veritatem, quam ſolâ famâ cognoverant. Horum aliquibus Trithemius ita reſcripſit, ut & mirandorum ſuorum operationem ſine ſuperſtitione naturaliter intelligerent eſſe poſſibilem, & tamen principia ipſius artis operandíque per eam tanta mirabilia rationem neſcirent. Inter eos, qui hiſce diebus Trithemium per literas convenerunt, *Valaſcus Luſitanus*, vir certè doctiſſimus tantâ ſubtilitate, tantâ eruditione, tantáque argumentorum varietate cum Trithemio egit, ut nemo in proponendis quæſtionibus talium rerum eo perſpicacior unquam fuerit à Trithemio compertus... *Hucusque Chronicon Sponheimenſe ad h. A.*

Epiſtola ad Boſtium de Steganographia.

XXIX. Curioſi porrò illius Operis, quod ad inſtantiam magni cujusdam Principis moliri cœperat, librum pri- 1500. Steganographia.

mum

mum abſolvit anno 1500. vi. Cal. Aprilis; Secundum die xii. Cal. Maji. Tertium verò imperfectum reliquit, ut teſtatur ipſe in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum his verbis: *Magnum & nimis arduum opus* Steganographiæ *mirabilis inventionis in octo libros partiendum ſcribere ſum adorſus, cujus primum quidem librum & ſecundum ad finem uſque perduxi, tertium verò mancum, & reliquos omnes dimiſi uſque in hunc diem omninò ſepultos, multiplici conſideratione perſuaſus, cùm & labor ſit magnus, & forſitan retributio parva. Maneat ergò imperfectum ſicut jacet, donec aliud perſuadeat utilitas.* Ceterùm *Joannes Duracluſius* ejus diſcipulus in ſuis ad Nicolaum Hamerium literis A. 1515. exaratis innuit *Trithemium* poſteà *Steganographiæ libros octo* ad inſtantiam Joachimi Brandeburgici abſolviſſe, eique inſcripſiſſe; ut proinde ſuſpicari proclive ſit, ipſum ſuadente aliud utilitate, aut Principis authoritate, mentem ſuam mutâſſe, & opus quod in tertio libro mutilum reliquerat, ac plebei ſucci hominum oculis ſubducere conſtituerat, ad ſecunda ſtudia revocâſſe, atque in gratiam *Joachimi* vel certè *Maximiliani* Imperatoris ad umbilicum perduxiſſe. Id ut credamus multa ſuadent argumenta: quippe *Trithemius* ipſe in ſua ad *Nicolaum Gerbellium* Epiſtolâ A. 1507. exaratâ diſertè aſſerit, ſe augendo & expoliendo operi inſudâſſe: *Novo quoque invento*, inquit, *Steganographiæ navamus operam, quod in lucem edere necdum pollicemur, nebulonum malignitate deterriti*... Et in alia ad *Joannem Capellerium* A. 1505. datâ, ſuam Steganographiam in minorem & majorem diſtinguere videtur; ita enim reſcribit: *Eam tibi partem Steganographiæ noſtræ* Minoris, *cui titulum dedimus græcum*

Glottophoria.

γλωττοφορίαν, id eſt, linguæ fertilitatem, reſcribi fecimus, quam pridem poſtulâſti à nobis. Opus ut ſcis arcanum hactenus nulli viſum, quod eâ mittimus lege, ut ſervetur occultum... Alibi *Opus* vocat *admirabile, cujus adminiculo homo latinæ linguæ penitus ignarus, modò literas formare ſciat, in una hora cum Deo & bona conſcientia diſcet unum occultum modum, quo latinè, congruè ornatè poterit ſcribere quidquid voluerit, in quocunque negotio mundi*... Ruſsùs in ſuo Nepiacho meminit ſe ſcripſiſſe mirabile Opus, quod γλωττοφορίαν prænotavit, partémque eſſe dicit ſuæ Steganographiæ. Illud verò ſe nulli, niſi *M. Regi*, *Euripono* & *Adelpho* communicâſſe declarat; per quos *Maximilianum* Germaniæ Regem, & fratrem ſuum *Jacobum* intelligi autumat illuſtris *Eccardus* in notis ad Nepiachum Trithemii à ſe editum. Ego tamen loco *Jacobi* interpretandum ſentio *Joachimum* Capellerium: Utrique enim id operis comune feciſſe ex ejus diſcimus epiſtolis. *Euriponus* verò Carmelita fuit Damenſis, ad quem Trithemius ex Urſulo die 15. Decembris A. 1505. in hæc verba reſcribit: *Heſterno veſperi Capellanus noſter Theodoricus à partibus transrhenanis ad nos reverſus eſt, & Steganographiam noſtram, quam tantopere videre deſideras, attulit.* Sic autem Glottophoria incipit: *Clementiſſimo Principi D.* Aſt ubi nunc lateat, incompertum eſt. De fatis verò Operis Steganographici *Philippo Palatino* inſcripti hæc comemorat *Schelhornius* in ſuis Amœnit. Lit. Tom. VII. pag. 125. *Ejusdē quoq; Trithemii Steganographiæ autographum flāma hauſit; quippe quod ab ipſo olim auctore* Philippo *Electori Palatino oblatum, tanquam magicâ refertum dæmonomiâ Franciſcus Huſſitus, vir ceteroquin doctiſſimus, cùm Bibliothecam Heidelbergenſem curaret, immeritò combuſſit.* Sæpiùs tamen jam pridem deſcriptum fuiſſe iſtud opus diſcimus ex *Henrici Cornelii Agippæ* Epiſtolis ad *Joannem Rogerium Breñonium* Metenſem Presbyterum earumdem cum Agrippa Muſarum conſecraneum. Idipſum etiam teſtatur Joannes Wierus in ſuo Apologetico, addens *ſe ejus operis partem cum figuris & ſpirituum nominibus ſcriptam apud Henr. Corn. Agrippam legiſſe atque eo inſcio exſcripſiſſe.* Illius quoque exemplum in codice chartaceo MS. in fol. extitiſſe olim apud Cl. *Virum Joan. Rhodium* Patavinum memorat *Jacobus Philippus Thomaſinus* Æmonienſis Epiſcopus in ſuo de Bibliothecis Patavinis opere pag. 141. Ceterùm, ut benè obſervat *Buſæus*, nonniſi tres ejus operis libri, iique mutili vulgò manibus paucorum circumferuntur manuſcripti ac etiam typis editi, primùm *Francofurti* ex typographeo *Joannis Staurii* ſumptibus *Joannis Berneri* A. 1606. in 4. & iterùm A. 1608. deinde Darmſtadii 1608. & 1621. hoc rubro: *Joannis Trithemii Steganographia* h. e. *Ars per occultam ſcripturam animi ſui voluntatem aperiendi*... Huic poſtremæ editioni præfixa eſt clavis ab ipſo auctore, ut ibi dicitur, conſcripta ad Sereniſſ. Principem

cipem D. *Philippum* Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem & Imperii Electorem. Ea in duo ſecatur capita, in quibus nihil aliud agitur, quàm de variis modis occultè ſcribendi per primas literas dictionum vel omnium vel aliquarum tantùm, ut fusè ibidem & diſtinctè explicatur, ídque vel retento ordine naturali Alphabeti, vel per literas variè transpoſitas. In ipſa verù Operis præfatione teſtatur ſe magnum Steganographiæ ſuæ ſecretum, *ne in aures vulgarium, imperitorum, aut pravorum hominum veniat*, ita myſterus & verbis exoticis obvolviſſe, ut nemo niſi ſtudioſiſſimus, poſſit ejus arcanum proprio marte penetrare, ídque beneficio *Cabalæ*, id eſt per traditionem ac receptionem à docente. Promittit ſe artis hujus ſubſidio quemlibet etiam latini ſermonis penitùs ignarum intra bidui ſpatium docturum, ut latino ſermone, compoſitione congruá literas ſcribat, quâlibet narratione apertas ad alium in eadem arte peritum, quibus animi ſui ſenſa tantis myſteriis virtute cabaliſticâ obvolvat, ut à nemine penitùs quantumcunque ſtudioſo vel erudito, poſſit penetrari, quoniam aliud verba indicant, aliud verborum involucro abſconditum manet. Et quia in arte tradenda plerumque uſurpat nomina, officia, ordines, differentias, proprietates, orationes, conjurationes diverſorum, *ut ipſe appellat*, ſpirituum, per quorum intelligentias hujus ſcientiæ ſecreta omnia clauduntur & aperiuntur, ne quis cum Necromantam aut Magum & cum dæmonibus pactum habere vel quâlibet aliâ ſuperſtitione uti exiſtimet, præmittit proteſtationem & jusjurandum ſanctiſſimum, quo coram Deo proteſtatur omnia & ſingula, quæ in illo Opere dicit, veris catholicis & naturalibus principiis niti fieríque cum Deo omnia ſine ſuperſtitione quâcunque. Hæc autem ita eſſe deprehendet, qui artem percipiet.

Steganographiæ illuſtratores.

XXX. Nec eſt profectò operæ pretium ſe multum in ea arte intelligenda cruciare, nec erat, quòd tantoperè laboraret Auctor in eadem occultanda; jam enim res palàm eſt, poſtquàm à poſteris ſuperioris & præſentis ſeculi ars illa adeo fuit exculta, ut ad ſummum perfectionis apicem perveniſſe, necquidquam ei ampliùs addi poſſe videatur. Eam verò antiquiſſimis etiam temporibus in uſu & pretio fuiſſe, multis conſtat exemplis apud Gellium libr. 17. cap. IX. Robertum Valturium libr. 7. de re militari cap. 17. Petrum Gregorium Toloſanum libr. XVII. de Rep. cap. 4. Nonnulla etiam habet de ea Venerabilis BEDA. Sed primus, quod ſcimus, è recentioribus illam illuſtravit *Trithemius*, quem deinde ſecutus eſt *Nicolaus Baſelius* Hirſaugienſis Monachus ejus diſcipulus, *qui*, ut teſtatur *Paulus Langius* in ſuo adverſùs Jacobi Wimphelingi deliramenta libello, *ſcripſit ad imitationem præceptoris ſui opus egregium, quod prænotavit*: Aporretologiam, *libros continens quatuor.* Idem perhibet Trithemius in auctario ad ſuum *de Luminaribus Germaniæ* opuſculum his verbis: *Nicolaus Baſelius... ſcripſit imitatione noſtri laborioſum & mirabile opus, quod prænotavit*, Cryphiographiam *Libr. IV...* Simile quid moliti ſunt *Jacobus Weckerus, Pancirollus, Æneas Sylvius, Caſaubonus*, & alii qnos landat *Hercules à Sundé.* His addi poſſunt *Hieronymus Cardanus, Joannes Baptiſta Porta, Erycius Puteanus, P. Hermannus Hugo, Blaſius Vigenerius, Daniel Schwenterus, Sylveſter à Petra ſancta.* Sed cumprimis ipſam Trithemii Steganographiam in gratiam ſecretioris Philoſophiæ ſtudioſorum egregiè illuſtravit *Guſtavus Selenus* ſeu *Auguſtus* Dux Brunswicenſis Principum omnis ævi eruditiſſimus, qui edito *Cryptographiæ ſyſtemate* anno 1624. magicæ impietatis maculam Trithemio iniquè & ſummâ viri optimi injuriâ affixam, feliciter abſterſit. Poſt eum Joannes Caramuel à Lobkowitz, *dum Belgium luſtraret*, ut refert Viſchius, *Joannem Trithemium Spanheimenſem Antiſtitem à Necromantiæ nota (velit nolit Zoilus) demonſtrativè vindicavit, editis ex Alnenſis monaſterii Bibliotheca ejusdem Steganographicis libris unà cum clavibus, ſeu regulis, quibus conjurationum myſteria in iis contenta commodè reſerari poſſunt.* Titulus libelli ita habet: *Steganographiæ necnon Claviculæ Salomonis Germani Joannis Trithemii Abbatis Spanheimenſis... genuina, facilis, dilucidáque declaratio... Coloniæ 1635. in 4.* Noviſſimè eandem reſeratam dedit *Wolfgangus Erneſtus Heidelius* Wormatienſis Archiepiſcopi Moguntini Conſiliarius publicato opere cum vindiciis *Moguntiæ* 1676. in 4. Cujus induſtriam laudant omnes periti, licèt ipſe ſuos pati debuerit obtrectatores, ſed ineptulos & rerum ignaros. Recuſus eſt *Heidelii* liber Norimbergæ A. 1721. in 4. jámque curioſorum ferè omnium

Confer. Morhof. Polyhiſt. To. I. libr. 4. cap. 2.

Nicolai Baſelii Cryphiographia.

Auguſti Cryptographia.

mani-

manibus non ſine fructu teritur. Ipſius verò Trithemii Apologiam pro ſemetipſo ſcriptam non ita pridem *Cel. Colerus* in Anthologiæ ſuæ Tomo I. Faſc. 1. pag. 41. ſeqq. exhibuit. Priorum autem librorum (ut hoc obiter moneam) clavis eſt Polygraphia. Tertium *Rogerii Baconis* Epiſtola reſerat. Aliam ipſe Trithemius procudit *Clavem*, quæ præfixa legitur editioni Darmſtadienſi. Modos porrò occultè ſcribendi, quos Auctor noſter in ſua ad Boſtium Epiſtola promittit, cùm aliquando legiſſet Ill.mus ac Excellentiſſ. *D. Bernardus à Martiniz* Bohemiæ Pro-Rex omni genere doctrinæ ornatiſſimus, ſciretque ea, quæ Trithemius citato loco pollicetur, libris ſcriptis, qui extant, commiſſa non fuiſſe, rogavit impensè *P. Athanaſium Kircherum* Jeſuitam datis ad ipſum frequentiſſimis atque humaniſſimis literis, ut pro ingenii ſui ſagacitate modum excogitaret præſtandi id, quod toties promittit & tantoperè extollit Trithemius. Cujus Principis honeſtiſſimæ petitioni obtemperandum ratus Kircherus excogitavit modum, quem *Gaſpar Schottus* in ſua Magia Cryptographica part. IV. ſyntag. IV. pag. 40. exhibet. Ubi & ipſe plura in favorem Trithemii diſſerit. Artem verò Trithemianam *ſcribendi per ignem* haud ita pridem expoſuit & publico dedit Georgius Wallin. *Confer.* Hermanni Conringii *Epiſtola ad Boineburgium de Bibl. Auguſtâ Guelferbytanâ pag.* 244. *Collect. Schmidianæ.*

Artis prodigia & abuſus.

XXXI. Quàm mira & ſtupenda Trithemius promittat Steganographiæ ope perficienda, in vulgus notum eſt. Sed cùm ea aut palàm non faciat, aut peregrinis nominibus, obſcuriſque ænigmatibus obvelet, nonnulli, ut ea nihilominùs perfici poſſe docerent, tot Bubonibus, Bacucis, Philophotis, mirabiliſque nomenclaturæ ſpiritibus à Trithemio prolatis decepti, ſcopóque auctoris perperàm intellecto, ad pudendos contra Philoſophiam errores, deteſtabiléſque contra ſinceram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ſuperſtitiones delapſi ſunt, Trithemianámque Steganographiam prorsùs ſuſpectam reddiderunt, dum aut *ſympathicis* neſcio quibus radiis ex anima emiſſis, diſſitúmque amicum afficientibus, illa fieri poſſe aſſeruerunt, aut figuris ſub certa conſtellatione vel aſcendente ſigno confectis, aut reciprocâ ſanguinis carníſque inſitione, cum adjuratione non minùs ſuperſtitiosè, quàm ridiculè peractâ, aut denique magneticâ pixide mirabili & ineffabili ferè modo conſtructâ perfici commenti ſunt. Iniquior præ reliquis in Trithemium fuit *Carolus Bovillus* homo Gallus, qui circa A. 1500. Spanheimium delatus, cùm oſtenſum ſibi à Trithemio opus adhuc imperfectum raptim evolviſſet, advertit in eo fieri mentionem *de ſpiritibus diurnis & nocturnis*, ad literas obſcurè indicandas, ſeu voces & ſigna, quæ nihil aut aliquid ſignificant, *ab auctore adhibitis.* Hinc arbitratus Trithemium de Dæmoniis ibi locutum, in Galliam reverſus paſſim divulgavit ipſum eſſe Magum & Præſtigiatorem; qua de re meritò conqueſtus eſt Trithemius in *Epiſtola*, quam adversùs ſuum accuſatorem eâ ætate ſcripſit, in qua totam Camerinæ Bovillianæ tragœdiam retexuit, & omnia, quæ malis artibus iſte attribuit, naturaliter fieri oſtendit. Hiſce verò in eum invehitur verbis: *Indulgeat tibi Deus, ó mendacii confictor Boville! qui unâ in Epiſtola tua * ad Germanum Gamay congallum tuum & me Trithemium Abbatem tunc in Spanheim mentitus es Magum & Necromanticum, & è fratribus meis nonnullos Alchimiæ vanitatibus intentos. In caput tuum iterùm dico:* mentitus es bove rudior Boville! *Quod pravis concedis artibus, quod non intelligis, ars per naturam operatur. In animam juro meam, quod Magiæ ſuperſtitioſæ operam dedi nunquam, neque theatrum Alchimiæ intravi, neque fratrum meorum aliquis intendit hiſce vanitatibus. Si tempus mihi datum fuerit, otii tanti, mendacia tua in te* Boville! *ſcriptis refundam. Si quominus, ad Dei tribunal ſuo tempore citatum eſſe volo injuriis reſponſurum.* Hæc Trithemius in Chronico Hirſaugienſi editionis San-Gallenſis Part. II. pag. 588. Trithemii verò Epiſtola ad Steganographiam prodiit ſeparatim Herbipoli A. 1548. in quibus modò ſubſiſtimus, de his námque uberior alibi redibit ſermo. De ipſa porrò arte Trithemiana *Cornelius Agrippa* hoc profert judicium: *In ea*, inquit, *tam ſecuros ſecretóſque ad quantamcunque etiam diſtantiam explicandi animi ritus modóſque tradidit, quibus nec Junonis omniſcia zelotypia, nec Danaë arctiſſima cuſtodia queat reſiſtere, nec quæ omnia pervidens Centoculi Argi vigilantia poſſit explorare.* Unde hæc ars, ſi peritiſſimo *Caramueli* credimus, *nobilior eſt, quàm Polygraphia, quia ſecretiorem ſcribendi methodum tradit, atque ita arcanum promovet, ut ubi maximè ſecre-*

* *Bovilli Epiſtolam dedit Michael Maittaire T. II. Ann. typogr. pag.* 210.

ſecretum latet, nulla ibi videatur ſubeſſe ſecreti ſuſpicio. Ejusmodi clandeſtinè ſcribendi vel loquendi modos *Gaſpar Schottus* Jeſuita *Magiam* nuncupat *Cryptagraphicam*, eámque dicit artem eſſe, quâ abſentibus ejusdem artis conſciis ſcribimus ſignis adeò occultis, characteribúsve alioquin notiſſimis eo modo diſpoſitis, ut tametſi Epiſtola in manus aliorum incidat, ii aut in ſuſpicionem latentis ſecreti venire nequeant, aut ſi veniant, Epiſtolam tamen vel legere non valeant, vel lectam non intelligere. *Cryptologicam* verò appellat modum, quo duo pluréſve inito fœdere occultos animorum ſuorum conceptus arcanáque conſilia manifeſtare ſibi mutuò poſſunt remotiſſimis etiam locorum intervallis diſſiti. Similes modos tradit Trithemius plusquàm centum occultè ſcribendi quidquid velis ſine omni ſuſpicione, ſine literarum transmutatione, ſine omni timore, *ita ut non ſit homo in mundo, qui naturali induſtriâ ſcire vel ſuſpicari quidem poſſit, quid in literis contineatur.* Sed quia arte hâc abuti quis poſſet, noluit Trithemius, ut præfatũ Opus in lucem publicam prodiret: *Jubet enim ratio,* inquit, *magnum abſcondere parvis, & margaritas nullatenus committere porcis.* Ob conceptam præterea aliquorum de ſe iniquam ſuſpicionem & inconſultam diffamationem ſatius judicavit omnia mirabilia à ſe inventa perpetuo damnare ſilentio, quàm magicæ vel necromanticæ ſuperſtitionis notam falsâ etiam hominum æſtimatione incurrere. Ejus tamen loco ſex *Palygraphiæ* libros edidit, de qua inferiùs. Nimis ergò acerbum eſt *Bellarmini* judicium in libr. de Scriptor. Eccl. dicentis: *Steganographiam Trithemii plenam eſſe perniciosis dogmatibus ad Magiam pertinentibus, & Trithemium id agnoviſſe & confeſſum eſſe.* Vid. Gaſpar Schottus in Magia naturæ & artis *Part. IV. Lib.* 1. *cap.* 3. *&c.*

1500. De crucibus in veſtimentis hominũ.

XXXII. Cùm cruces eo tempore apparuiſſent in veſtimentis hominum, in peplis mulierum, in corporalibus quoque & pallis altaris &c. de his Trithemius rogatu *Bertholdi* Moguntinenſis Archiepiſcopi operoſum conſcripſit opuſculum hoc exordio: *Cruces in veſtimentis...* Utì verò refert Chronicon Spanheimenſe, *primò viſæ ſunt in Sabernheim & Meyſenheim cum maximo vulgi terrore & horrore; poſt apparuerunt in Crutzenach, & in villis circumjacentibus; deinde in Bingen & in Moguntia, ac conſequenter in multis Alemanniæ locis. Erant autem cruces parvulæ varii & confuſi coloris, ac ſi pannus aliquâ pinguedine mixti coloris eſſet intinctus; nec poterant quâlibet lotione deleri, ſed poſt diem nonum aut decimum per ſe deficientes evanuerunt.* Quid porrò cruces iſtæ portenderent, in laudato opere declarandum in ſe receperat *Trithemius*, ſed dolor! liber iſte, qui vota bonorum omnium fatigat, intercidiſſe, aut inexpiabile bellum cum blattis & tineis in chartulario Moguntino ſuſtinere creditur. Paucis tamen, quæ huc ſpectant, explicuit Trithemius in fine libelli *de ſeptem ſecundeis*, circa A. 1509. exarati, ubi iſtud omninò notabile: *Anna,* inquit, *Chriſtianorum 1525. cruces in veſtimentis hominum viſæ ante decennium, quod præteriit, ſuum oſtendent effectum.* Et paulò antè: *Secta religionis conſurget, magna veterum erit deſtructia religionum... Altercationis imago tranſibit ad primum, & erit perditio multarum...* Lutheraniſmi præſagium. Item in Chronico Hirſaugienſi Part. II. pag. 684. quid defectio ſolis A. 1512. facta portenderet exponens ait: *Poſt annos ſex, ſeptem & octo, qui vixerint, abſervent, quia tunc ejus apparebunt effectus...* Quæ omnia exurgente *Luthero* noſcimus & ingemiſcimus adimpleta. Ita enim author Chronici *vom Auff- und Untergang deſs erſten Lutheriſchen Evangelii: Anno 1525. hat das Teutſchland die erſte blütige Früchten deſs Lutheriſchen Evangeln gekoſtet...* Idem explicatiùs inter alia memorat compilator & interpres libelli Trithemiani, Spiræ A. 1529. ſub titulo: *Das Wunder-Büchlein*, editi his verbis: *Es hat auch vorbemelter Auctar der hochgelerter Herr Johan von Trittenheim ſa etwonn Abt von Spanheim und Würtzburg weiſsgeſagt und Prophecey angezaigt, wie die Creutz, ſo darvor des XVII. Jars vergangen in den Menſchen Cleydung geſehen ſindt, ihre Würckung ſollen erzeigen des XXV. Jars mit vil groſſem Plutvergieſſen, daſs ſich dann, wie mannigklich wiſſen, wol bewieſen mit denn uffruriſchen Bauren, deren ob hundert tauſen todt blieben inner halb des Römiſchen Reichs...* De iisdem crucibus & mirandis, quæ in peplis mulierum apud Trajectenſes & Leodienſes eâdem tempeſtate apparuerunt, luculentum quoque tractatum conſcripſit *Matthæus Herbenus* Eccleſiæ S. Servatii apud Trajectenſes Canonicus, *bona fide, Religione, ac eruditione ſummè*

mè venerandus, Trithemii in literis græcis quondom auditor & diſcipulus, ut refert Chron. Spanh. ad A. 1501.

Oratio de converſione mentis ad Deum.

Eodem anno 1500. celebrata die 3. Auguſti Erfordiæ apud S. Petrum annuâ Abbatum Synodo, Trithemius ſolemnem habuit orationem *de converſione mentis ad Deum*, quam paulò pòſt *Joanni Engellender* Juriſconſulto & Oratori facundiſſimo Colonienſis Archiepiſcopi Secretario inſcripſit, typiſque edendam curavit *Moguntiæ* apud Petrum Friedberger. Extat eadem in MS. membranaceo Univerſitatis Herbipolenſis, & inter alias à Buſæo editas p. 901. Ejus argumentum ferè totum eſt Theologicum; & primò quidem oſtendit *Deum eſſe lumen, quo nihil clarius, nihîlque obſcurius.* Rationem quoque noſtram lumen eſſe probat, *quo mediante Gentiles Deum exiſtere cognoverunt.* Duplicem inde cum S. Dionyſio ſtatuit Theologiam, alteram quidem *ſecretam & myſticam*; Alteram verò *notiorem, opparentem, receptivâmque per literas & troditiones hominum ad homines.* Hac occaſione invehitur in eos, *qui Theologiam ſanctom in pernicioſam verterunt battologiam.* Deſcribit deinde attributa divina, oſtendítque neminem verè Deum diligere, niſi amore carnali ſit exutus; ac demùm ut gradatim ad veram converſionem menti paretur aſcenſus, ſcalam ſeptenis gradibus diſtinctam erigit, per quam mens ipſa in cognitionem ſummi boni aſcendens, Divini amoris mereatur aſſequi dulcedinem.

De computo Eccleſiaſtico.

Circa idem tempus ad preces *F. Alberti Latronis* Guardiani Ord. Minor, Crucinaci elucubrâſſe videtur opuſculum *de Computo Eccleſiaſtico*, quod hactenus deſideratur. De eo noſter in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum: *Scripſi*, inquit, *de Computo Eccleſiaſtico librum unum, qui non eſt odhuc deductus in publicum.* Incipit: *Joannes Tritbemius Abbas...* In ſua verò Epiſtola ad *Chriſtianum Maſſeev* Presbyterum Gandavenſem A. 1507. datâ, ipſum monet, ut memor ſit in editione Chronicorum ſuorum, quòd omnes ferè chronographi in ſupputatione annorum Domini erraverint, *omittentes quatuor & viginti annos, qui ſub Conſulibus non rectè ſupputati tranſierunt, quod ex Mariano Scoto Monacho, & Auguſtino Weſtgallo Lovanienſi Theologo ſubtiliter invenies calculatum. Scripſerom tibi de hac ipſo re ante triennium latiùs ex Spanheim &c.*

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

A. 1501. Parænesis de Unione Ordinis Benedictini.

XXXIII. Anno 1501. celebrato Fuldæ die 2.da Maji Provinciali Abbatum Capitulo præfuit Trithemius, *qui & verbum fecit, & multa pro uniendo per Germaniam univerſo Ordine Benedictino pathetice ſuo more diſſeruit.* Nihil tamen ibi ſtatutum de novo fuit, ſed plura ad promovendum publicum Ordinis bonum fuère propoſita, & ad proximum congreſſum remiſſa. In hiſce comitiis orationem habuit diſertiſſimus vir *Andreas* Bambergenſis in monte Monachorum Abbas, quæ typis excuſa adſervatur *Monachii* in Sereniſſimi Bavariæ Ducis Bibliotheca. Ita verò incipit: *Fons lucis & lux de lumine, ardor non deſinens ac immortalis caritas ſit ævo cum omnibus nobis!* Oratio memorabilis eſt, ſed paulò vehementiùs in vitia quorumdam monachorum illius regionis & temporis invehitur auctor. Per eos deinceps dies totus fuit Trithemius in ſtudiis curioſis, præſertim in prodigioſa arte Steganographica à ſe nuper inventa & propalata experimentis comprobanda. Cujus novitatis famâ excitati complures ſummi viri, ipſique etiam in celſiſſimo dignitatis gradu collocati Spanheimium viſendi & alloquendi Trithemii causâ plus ſimplici vice confluxerunt, quos inter primo loco nominandus *Chriſtophorus* Marchio Badenſis, *qui*, ut habet Chronicon Spanheimenſe, *hoc anno venit videre Bibliothecam, & quædam arcana, pro quibus anno priore Tritbemium ad ſe vocaverat ad caſtrum ſuum Lutzenburg, & in notitiam cognitionémque eundem aſſumpſit... Anno etiam prænotato die menſis Novembris XIX.* PHILIPPUS *Comes Palatinus Rheni ac Bavariæ Dux inclytus cum* Ludovico & Ruperto *filiis ſuis huc venit ad Spanheim gratiâ Trithemium alloquendi & viſendi Monaſterium ſimul & libros... Omnia autem de ſuo copioſiſſimè neceſſaria providit.* Joannes quoque *Weſterburgius* Comes rerum naturalium diſcendarum actus cúpidine huc ſe contulit, quem quidem *Trithemius* artis ſuæ oſtentis & imitatione ſic porrò accendit, ut ob ejus ſcientiæ ardorem Abbas ipſum *Virum deſideriorum ſuorum* compellaret. Paulò pòſt *Joachimus* Marchio Brandeburgicus ejuſdem artis Steganographicæ, nuper, ut dixi, à *Trithemio* propalatæ, ſtudio ſuccenſus, legatum miſit Spanheimium, qui diſciplinæ pleniùs cognoſcendæ doctorem ad ſe in Saxoniam perduceret. Tum etiam *Conradus Celtes & Ladislaus de Sontheim* Maximiliani

Experimenta artis curioſæ.

Imp. Oratores in eodem negotio *Trithemium* convenerunt: quibus licèt in præſentia operam accuratiorem negaverit Abbas, ſuæ tamen artis rudimenta per Epiſtolas poſteà expoſuit.

Chronicon Spanheimenſ.

Intereà temporis *Chronicon Spanheimenſe*, non parvæ molis opus, ſe ſcripſiſſe teſtatur tum in Epiſtola ad *Chriſtionum Maſſeev*, cùm in pinace ſuarum lucubrationnm, utrobique addens ſe id operis ad annum 1502. deduxiſſe; ita enim habet: *Chronicon quoque Monaſterii tunc mei Spanheimenſis à tempore fundationis ſuæ usque ad A. C.* 1502. *cum magno labore conſcripſi, in quo ſucceſſiones, temporo & geſto omnium Abbatum ejus à primo usque ad me, quantum invenire potui, diligentiſſimè ordinovi, magnum volumen conficiens hiſtoriarum, in quo ſingulis annis multa per digreſſionem inſerui rerum memorotu in Alemannio dignarum...* Opus iſtud poſteà continuavit usque ad annum 1509. ut infrà dicemus.

1502. Epigrammata Latina, Græca, Hebraica...

XXXIV. Secuto inde anno 1502. triclinium fratrum æſtivale iconibus & inſigniis Abbatum cum ſubſcripta brevi hiſtoria à primæva Monaſterii fundatione ad ſua tempora depictis exornavit. Neque id ſolùm, ſed inſuper parietes & muros totius domûs Abbatialis (quæ ampla erat) ac etiam teſtudines camerarum Latinis, Græcis, Hebræíſque verſibus & Epigrammatibus illuſtravit; quæ aliquando coram demiratus *Matthæus Herbenus* Trajectenſis Presbyter, ita ad amicum reſcripſit: *Si in Germania noſtra ſocra aliquo, Græcíve ſit Academia, ea Spanheimenſe cœnobium eſt; ubi plus eruditionis concipere poſſis ex parietibus, quàm ex multorum aliorum pulverulentis atque librorum inanibus Bibliothecis...*

Bibliothecæ Catalogus.

Eodem anno Trithemins libros ſuæ Bibliothecæ recenſuit, *& inventa ſunt in ea*, ut habet Chronicon Spanheimenſe, *mille ſexcenta quadroginta ſex volumina, quæ omnia, præter quodragínto numero, ipſe tempore ſui regiminis in unum comportavit.* Conferſis *Epiſt. ad Joan. Nutium A.*1505. *libr.* 1. *Epiſt.* 32. De his aliíſque rebus mentionem facit Trithemius in quadam ad *Hortmañum Schedelium* Noricorum archiatrum Epiſtolâ eo tempore datâ, quæ cùm inter editas non compareat, illam ex autographo in Sereniſſimi Bavariæ Ducis Bibliotheca adſervato commodè hoc loco inſerendam duximus; Ea hæc eſt: „*Clariſſimo Medicinarum Doctori Dom. Hartmanno Scheidelio omnium bonarum artium enucleatori doctiſſimo, Civi Nurimbergam eruditione decoranti, præceptori ſuo venerando atque chariſſimo ſalutem & quidquid beneplaciti occurrit...* Præſtantiſſime doctiſſiméque Præceptor! *Bavariam* veſtram ad manus Domini Abbatis S. Egidii poſtulantis remiſi, gratiáſque & ago & habebo immortales. *Thuringiam* autem cùm nec propoſito veſtro conducat, nec eâ ſine maximo carere hâc vice queam dolore, penes me, ſpe bonâ retinui, opportuno tempore remittendam. *Indicem Bibliothecæ noſtræ* ante ſex annos D. Henrico militi de Buna commodavi, quem usque in præſentem diem ab eo extorquere non potui. Doleo vehementer me veſtro ſatisfacere non poſſe deſiderio. Nimia enim voluminum multitudo, utpote 1600. & amplius, non ſinit me novum indicem condere; quamquam in eo, quem miles tenet, magna pars non habeatur. Æſtate venturâ, ſi potero, cuncta noſtra volumina de novo ſignabo, & quamprimùm potero, indicem mittere veſtræ Dominationi curabo. In anteceſſum cum his literis transmitto quædam tenuis ingenii mei opuſcula, quæ etſi lectione veſtra ſint indigna, erunt tamen officii & charitatis in vos meæ qualiacunq; indicia. Quid verſem in manibus, quid cudam, quid intendam, Domino S. Egidii referente cognoſcetis. Omnipotens Deus charitatem veſtram diu conſervet incolumem! Raptiſſime ex Spanheim quintâ iduum Martii anno Chriſtianæ ſalutis MDII. & ſua manu,

Epiſtola ad Scheidelium.

„ *Joannes Trithemius Abbas in Spanheim.*

Hoc ipſo anno *Bertholdus* Moguntinenſium Archiepiſcopus celebratis die VIII. Julii Norimbergæ Principum comitiis præſidens, *Trithemium* & alios quosdam Abbates ad ſe accivit, eíſque mentem ſummi Pontificis, ſuíſque cordis intentionem de Ordine Benedictino per Germaniam juxta cap. *in ſingulis.* ſub unam Congregationem redigendo latè explicuit. Verùm cùm rigidioribus Bursfeldenſium conſtitutionibus *Mellicenſes* in Auſtria, & *Caſtellenſes* in Bavaria ſeſe ſubjicere & conformare detrectarent, infecto negotio quique ad ſua reverſi ſunt, ut pluribus enarrat noſter in Chron. Hirſaugienſi.

Eo

Oratio de laudibus Religionis. Eo itidem tempore celebratum annale Bursfeldenſium Capitulum apud S. Petrum Erfordiæ, die Dominicâ poſt feſtum S. Bartholomæi Apoſt. *In quo Tritbemius ad cœtum Patrum Abbatum, doctorum atque ſtudentium inſignem* de laudibus Religionis monaſticæ *orationem dixit, magnóque omnium favore exceptus non ſine laude ad ſuos receſſit.* Plures ejusmodi Orationes in Capitulis tam Annalibus, quàm Provincialibus à Trithemio peroratas memorat Chronicon Spanheimenſe, quæ tamen hodie deſiderantur; ſeptem enim duntaxat habemus à *Buſæo* typis redditas, cùm Catalogi viginti quatuor enumerent. Ipſe quoque Trithemius in Epiſt. ad Rogerium: *Orationes*, inquit, *in Capitulis Ordinis & extrà babitas plures ſcripſi numero quàm viginti, quarum aliquæ typis Moguntiæ fuerunt impreſſæ, aliæ verò per amicos ſunt diſperſæ.*

Hoc quoque anno *Joachimus* Marchio Brandeburgicus *Nuncios & literas plures miſit ad Tritbemium, quem ſecum babere voluit.* Paulò pòſt *Chriſtopborus* Badenſis iterùm eundem inviſit, ut de quibusdam naturæ arcanis informaretur. Horum Principum donariis cumulatus Abbas plures in græca & hebraica lingua codices eâ ætate comparavit, *quos omnes ſeorſum in uno regiſtro ſuis nominibus recenſuit*, ut refert Chron. Spanheim. Hunc indicem retulit *Buſæus* in paralipomenis.

1503. Orationes piæ. XXXV. Sequenti anno Trithemius ad ſolemnem Principum congreſſum Francofurti menſe Octobri celebratum accitus *Joachimum* Brandeburgicum rerum abditarum ſtudio flagrantem adiit, mansítque apud eundem per dies decem, eorum, quæ ab ipſo audire Princeps cupiebat, rationem reddens. Aderat comitiis Eminentiſſimus Sedis Apoſtol. Legatus à latere Nuntius *Raymundus* Presbyter Card. tit. S. Mariæ novæ, Epiſcopus Gurcenſis, qui Trithemium menſæ Marchionis accumbentem allocutus, multúmque ſibi de ejus doctrina gratulatus, abiturienti his valedixit verbis: *O quàm tardè notus, quàm citò recedis!* Eidémque inſignia munera & privilegia contulit, ac etiam *Roſarium de S. Anna, cum Curſu borario & Miſſæ officio*, aliáque ab eo compoſita, auctoritate Apoſtolicâ confirmavit, conceſſis LXXX. dierum indulgentiis omnibus & ſingulis, qui Curſum ipſum & Roſarium devotâ mente oraverint. Trithemio quoque privilegium conceſſit ſuper uſu *Altaris portatilis*, literis Moguntiæ ſignatis 1503. die XIV. Cal. Julii, quas repræſentat Chronicon Spanheimenſe.

Eodem anno binas compoſuit Orationes, unam ad B. Virginem hoc exordio: *Ave ſole ſplendidior.* Alteram de Nomine Jeſu contra mortem ſubitaneam, quæ incipit: *Jeſu Rex cœli.* Utraque à diverſis Pontificibus approbata, & indulgentiis annexis commendata fuit; cujus rei fidem adſtruunt literæ R.mi D.ni *Thomæ* Epiſcopi Venecomponenſis Moguntini Archipræſulis in Pontificalibus Vicarii, quas ex codice membranaceo Univerſitatis Herbipolenſis hîc inſerere volupe eſt; Ita enim habent: „ THOMAS *Dei &*
„ *Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Vi-*
„ *cecomponenſis ac ſacræ Theologiæ*
„ *Profeſſor, univerſis S. Matris Eccleſiæ*
„ *filiis ſalutem in Domino ſempiternam.*
„ Splendor paternæ gloriæ, qui mun-
„ dum ſuâ ineffabili claritate illumi-
„ nat, pia vota fidelium de clementiſ-
„ ſima ſuæ majeſtatis benignitate ſpe-
„ rantium tunc præcipuè benigno fa-
„ vore proſequitur, cùm devota ipſo-
„ rum humilitas Sanctorum meritis &
„ precibus adjuvatur. Cupientes igi-
„ tur, ut omnium fidelium devotio
„ in venerationem puriſſimæ Dei Ge-
„ nitricis & Virg. Mariæ ubique terra-
„ rum augeatur, ipſiúsque intemera-
„ tæ Virginis ſanctiſſimi Parentes *Joa-*
„ *chim* & *Anna* veneratione congruâ
„ honorentur ab omnibus, & à Chri-
„ ſtiano populo jugiter venerentur;
„ omnibus contritis, pœnitentibus &
„ confeſſis, qui piam aſſertionem il-
„ lam & ab Eccleſia in Concilio Baſi-
„ lienſi aſſumptam, *quòd B. Dei Geni-*
„ *trix Virgo Maria nunquam ſubjacue-*
„ *rit originali peccato*, ſed ſpeciali pri-
„ vilegio puritatis ſemper ab illo præ-
„ ſervata extiterit, ut Mattem Dei
„ decebat, prædicaverint, credide-
„ rint & tenuerint; Ac etiam circa
„ imaginem ejusdem ſacratiſſimæ Vir-
„ ginis *Orationem Joañis Trithemii* Ab-
„ batis Spanheimenſis, quæ ſic incipit:
„ *Ave ſole ſplendidior*... ſemel, aut ſa-
„ lutationem Angelicam, ſi orationem
„ ipſam neſciêrint, flexis genibus tri-
„ nâ vice cum devotionis intentione
„ dixerint, totiens, quotiens... Ac qui
„ SS.mos Parentes ejus venerantes, ora-
„ tionem ejusdem Abbatis de S. Joa-
„ chimo, quæ ſic incipit: *O Patriar-*
„ *cba nobilis!*... Et illam de S. Anna
„ ejusdem: *Salve Sanctiſſima*... Et

„ illam de nomine Jeſu contra mor„ tem ſubitaneam, quæ incipit: *Jeſu* „ *Rex cœli*... Aut ſi eas neſciérint, ter „ orationem Dominicam devotâ men„ te dixerint, & qui alios ad venera„ tionem puriſſimæ Conceptionis Ma„ rianæ ſanctâ adtentione induxerint, „ ac parentum ejus memoriam fideli„ bus propalaverint, aut aliquod præ„ miſſorum mandaverint, procurave„ rint, aut alios ad hoc excitaverint... „ Nos de Dei miſericordia omnipoten„ tis, & B. Mariæ ſemper Virginis cle„ mentia & Ss. Petri & Pauli Apoſtol. „ omniúmque Sanctorum meritis & „ auctoritate confiſi, quadraginta dies „ indulgentiarum de injunctis eis pœ„ nitentiis, totiens quotiens aliquod „ præmiſſorum fecerint, in Domino „ miſericorditer relaxamus. In cujus „ rei teſtimonium ſigillum noſtrum his „ Literis appendi fecimus, Moguntiæ „ A. D. 1505. die verò ſeptimâ menſis „ Junii.

Chronicon Hirſaugien. primæ editionis...

Per eos quoque dies totus fuit in concinnando *Hirſaugienſi Chronico*, quod urgente *Blaſio* Abbate Hirſaugienſi circa A. 1495. inchoâſſe videtur; ſed *Blaſio* hoc tempore fatis erepto, continuationem operis abrupit, ut ipſe teſtatur in ſua ad Rogerium Sicambrum Epiſtola his verbis: *Ad preces Blaſii Abbatis Hirſaugienſis Chronicon ejuſdem cœnobii ſcribere adorſus majorem partem complevi, ſed illo mortuo editionem intermiſi, incertus quâ mercede ſucceſſor ejus laborem compenſare futurus ſit*... Similia reſcribit in Epiſt. ad *Nicolaum Baſelium* Hirſaugienſem Monachum A. 1507. datâ. Hanc verò compoſitionem non ultra annum 1370. deduxit, quam ſic imperfectam typis primùm excudit *Jacobus Parcus* Baſileæ procurante *Guilhelmo Radente*, expenſis *Joannis Oporini* A. 1559. in fol. eámque *Freherus* cum autographo (quod in ſplendidiſſima Bibliotheca Palatina Heidelbergæ adſervabatur, accuratâ Trithemii manu ad miraculum eleganter deſcriptum) collatam publico eruditorum bono refudit inter alia Trithemii Opera Francofurti typis Wechelianis A. 1601. edita. Et hoc quidem eſt Chronicon illud Hirſaugienſe, cujus authoritas pridem frequens Scriptoribus fuit, & in amoribus *Huberto Thomæ* Leodienſi in vita *Friderici Victorioſi* Palatini, *Frehero* in libris de Originibus Palatinis, *Geſnero* in Bibliotheca Scriptorum, *Spondano* in Annal. Eccl. *Serario* in Moguntiacis, *Voſſio* de Hiſtoricis latinis, & aliis ſine numero; quibus illa ſemper in manu, at noviſſima editio, quam San-Gallenſes dederunt, in ſolo deſiderio fuit. Etenim res iſta, quæ etiam ſecurim injeciſſe operi videbatur, eadem fuit occaſio, ut nunc demùm illud tanto deductius & auctius habeamus. Quippe abrupto, ut dixi, opere, *Joannes* Abbas anno ſuprà memorato 1503. ad Hirſaugiæ infulam promotus, importunis iterùm precibus Trithemium rogare & hortari non deſtitit, donec is urbanitate victus, ac ſpe remunerationis acceptâ ſecurus, iterùm ſe operi accingeret. Telam ergò ſuæ hiſtoriæ à primæva fundatione retexens, opus deinceps ita auxit, ut quadruplum primæ editionis conficiat, uti infrà dicemus.

Epiſtolæ.

Eodem inſuper anno prolixam *Trithemius* conſcripſit Epiſtolam ad *Joannem Weſtenbergium* Comitem, *Virum*, ut vocat, *deſideriorum ſuorum*, in qua fuſiùs agit *de tribus naturalis Magiæ principiis, ſine quibus nihil in ipſa ad effectum perduci poteſt*. Incipit: *Longi deſiderio itineris*. Alteram ejusdem ſerè argumenti die XXVI. Junii dedit ad *Joachimum* Marchionem Brandeburgicum his exorſus verbis: *Sanctum & laudabile deſiderium Serenitatis tuæ*... In ea prolixiùs agit de rebus vero Mago ſeu Philoſopho convenientibus. Hæ duæ Epiſtolæ primùm editæ ſunt ad calcem libelli *de ſeptem Secundeis ſeu Intelligentiis orbes poſt Deum moventibus*... Coloniæ *apud Joan. Birckmannum A.* 1567. *in* 8. Tertia quæ ex autographo in Sereniſſimi Bavariæ Ducis Bibliotheca adſervato humanitate Clar. D. Oeffelii nobis obtigit, hæc eſt:

Epiſtola ad Joan. Abb. Norimberg.

„ *Reverendo in Chriſto Patri D.no Jo*„ *anni Abbati S. Egidii in Nurimberga* „ *O. S. B. ac Præſidenti Capituli Pro*„ *vincialis ejusdem, amico ſuo chariſſi*„ *mo Trithemius ſeipſum ad vota para*„ *tiſſimum.*

„ *Reverende Pater, fautor ac amice* „ *percolende!* Literas P. V. in vigilia „ Conceptionis B. Mariæ ſemper Vir„ ginis accepi, quibus monetis, ut „ Domino Schedelio Chronicon ſuum „ *de rebus Thuringicis* remittam. Vel„ lem fateor, & fuerat juſtum ſervare „ fidem, ſed obſtat unum, quominus „ hac in re poſſim; quia anno priore „ cùm eſſet apud nos Princeps noſter „ Palatinus ſenior ad videndum Bi„ bliothecam, petivit inter alia volu„ mina, ut ſibi hunc codicem D.ni Do„ ctoris commodarem, promittens „ ipſum ſe brevì reſtituturum. Ne-

„ gavi

„ gavi quidem, ſed non prævalui, aſ-
„ ſerens non eſſe meum, ſed alterius,
„ mihíque commodatum &c. Nihilo-
„ minus imperium Principis declinare
„ non potui. Intereà non fui cum eo-
„ dem Principe: ſed certus ferè ſum,
„ quòd quamprimùm ad ipſum vene-
„ to, mihi præfatum Codicem reſti-
„ tuet. Unde oro cum D. Doctore
„ perhumaniter agatis, ut patientiam
„ habeat, nec dubitet, quin fideliter
„ ei ſuum reſtituam librum. Verùm
„ non videtur mihi conſultum ei reve-
„ lare, ubi jam ſit liber ejus, ne fortè
„ deſperet ſine cauſa. Ceterùm de ne-
„ gotio Monaſterii Hirſaugienſis nove-
„ rit P. V. me ad electionem novi Ab-
„ batis ſuiſſe vocatum, ſed venite non
„ potui. Tamen intereà res compla-
„ nata eſt, ſtátque *in bonis*, ut ajunt,
„ *terminis*, & modernus Abbas pro
„ conſummatione chronicæ me co-
„ hortatus non minora, quàm ejus An-
„ teceſſor pollicitus eſt. Ad Reveren-
„ diſſimum D. Atchiepiſcopum Mo-
„ guntinum cum ceteris, ut ſcitis, or-
„ dinatus fui, ſed non ivi. Domini
„ S. Jacobi Moguntiæ & S. Joannis
„ Rinckavienſis fuerunt coram eo, &
„ nomine Capituli retulerunt Unio-
„ nem trium obſervantiarum non eſſe
„ poſſibilem cum allegationibus *Qua-*
„ *re.* .. ſicut à Capitulo ipſis fuerat
„ commiſſum; & ſic hæret negotium.
„ Quid igitur? Nónne dixi P. V. Nu-
„ rembergæ: *Bos laſſus fortiter figit*
„ *pedem*, nec aliter fieri poſſe? Ego
„ autem unus ſum, moltus aliorum eſt
„ numerus. Anne ergò Saluſtiani ob-
„ litus ſim dicti: *Fruſtra niti, & nil*
„ *aliud quàm odium quærere, extremæ*
„ *fore dementiæ?* Quapropter ne ex-
„ penſas & operam cum oleo perdam,
„ æthiopes lavare, lyrámque ſurdis
„ tangere deinceps ceſſabo. Interim
„ opto Paternitatem V. in Chriſto be-
„ nè valere, orare pro me, mihíque alia
„ præcipere. Datum ex Spanheim
„ in vigilia Conceptionis B. Mariæ Vir-
„ ginis anno 1503. .. *Frater Joannes*
„ *Abbas.*

1504. Chronicon Bavariæ Ducum. XXXVI. Sub annum 1504. quo nubeculæ qnædam turbarum Palatinatui & Muſarum tranquillitati, ſubinde erant infeſtæ, nihil Trithemianum, quod ſciam, orbis eruditi conſpectum ſubiit, præter librum *de Origine & Progreſſu Ducum Bavariæ, Comitúmque Palatinorum & Spanheimenſium ad Philippum Comitem Palatinum Principem Electorem.* De hac lucubratione ſua loquitur Trithemius in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum: *De origine*, inquit, *& progreſſu Ducum Bavariæ hiſtoriam quoque ſcripſi jubente Ser.mo Principe D.* PHILIPPO *Comite Rheni Palatino, cujus exordium Operis à memoria lapſum eſt.* Et rurſùs in alia ad *Jacobum Syberti* Lacenſem Cœnobitam A. 1508. datâ: *Chronicon, quod olim de Bavariæ Ducibus edidi, in manus Comitis Palatini eodem tempore, exemplari non retento conſignavi.* Item in altera ad *Wolfgangum Treſlerum* S. Jacobi Mogontiæ Monachum A. 1514. exaratâ: *Parcè Bavariæ Ducum Chronicon Melancius penès me maneat juſſit. Reſcriptum verò ad Te citiùs remittam.* In Catalogo quoque Hirſaugienſi: *Ad Philippum Comitem Palatinum Chronicon breve Ducum Bavariæ libr.* 1. Seorſim prodiit Opos *Francofurti* an. 1544. & 1549. in 4. Tum verò accurante *Frebero* cum aliis Trithemii Operibus hiſtoricis recuſum eſt typis Wechelianis A. 1602. Tomo I. in fol. Legitur etiam in lingua Germanica, interprete *Philippo Erneſto Vægelino* luci publicæ datum Moguntiæ anno 1616. in 4. Inſuper monente Clar. D. Oeffelio didicimus, ad finem libri octavi Annalium MSS. Aventini ab *Hieronymo Zieglero* vernaculè redditorum (*quorum autographa in Monachienſi Bibliotheca Electorali adſervantur*) comparere *Excerpta quædam ex Hiſtoria Trithemii* (ita Chronicon ſucceſſionis Bavariæ Ducum nominat) *à quodam Martino Menrado vernaculè item expreſſa anno* 1545. Addit *Pareus* Hiſtoriæ Palat. L. I. Sect. I. pag. 3. Trithemium prætereà ſcripſiſſe *de Origine, Regibus ac Ducibus Bavarorum ſimul & Comitum Palatinorum & Spanheimenſium libros quatuor, ad Ducem* JOANNEM *Comitem Palatinum & Spanheimenſem apud Simmeren reſidentem*: Si verus eſt Duracluſianus ejus Operum Catalogus: *ſed hæc omnia*, ſubdit, *interierunt, nec de eis recuperandis ſpes ulla.* Niſi fortè hæc ipſa ſint, quæ in Sereniſſimi Principis Bipontini Chartulario adſervari prodit *Magirus* in Eponymologio critico. Extiterunt qoidem olim geſta Comitum Palatinorum per quemdam Monachū Lauriſhamenſem deſcripta, quæ cum aliis id genus habuit & excerpſit Trithemius, ut ipſe teſtatur in præfatione Chronici Hirſaugienſis; & in eo quidem Opere à principio ad A. 1475. Comitum Palatinorum tes geſtas complectitur; ſed in antiquis ſæpenumerò hallucinatum obſervat Ludewigius in ſua Germania Principe §. IV. pag. 105.

In

la medii verò ævi rebus, inquit, *conſuli meretur*; *habet namque nonnulla*, *quæ fruſtrà alibi quæſiveris.* Duriores *Ludovici Tolneri, Meibomii* & aliorum de eodem Opere cenſuras alibi commodiùs ad incudem revocabimus.

Res geſtæ Friderici Palatini. Circa idem tempus *Res geſtas Friderici I. Victorioſi Comitis Palatini Bavariæque Ducis Principis Electoris*, in Chronico Spanheimenſi, quod tunc ſub manibus verſabat, per annorum ſeriem cum cura conſignavit. Exinde opuſculum peculiare confecit *Marquardus Freherus*, & ea quæ Trithemius in ſuis Chronicis de *Friderico* ſparſim retulerat, congeſſit, atque in Ordinem redacta, cum notis & additionibus ex ejusdem Principis Hiſtoriâ per *Mathiam Kemnatenſem* & alios deſcriptâ, ſeorſim in lucem dedit *Heydelbergæ* anno 1602. in 4. Inſertum deinde eſt opuſculum Freherianæ Collectioni Scriptorum rer. Germ. *Hanoviæ* primùm A. 1611. editæ, dein *Argentorati* revidente *Struvio* recuſæ A. 1717. in fol. Hoc Opus egregio ſibi adjumento fuiſſe fatetur *Hachenbergius* in Præfat. ad Hiſtoriam de vita & rebus geſtis Friderici Victorioſi: *Ubi poſt illum* (Mathiam Kemnatenſem) *Joannes* TRITHEMIUS, *Vir de rebus Germanicis meritiſſimus*, *magnum adjumentum præbuit*, *qui in Chronico Sponheimenſi & Hirſaugienſi bella Friderici juxta annorum ſeriem recenſuit*, *quem laborem laudibus extulit Freberus*, *& commentariis ſuis illuſtratum vulgavit.* Quæ monuiſſe ſufficiat, nequis fortè putet peculiarem fuiſſe à Trithemio libellum Friderico tributum. *Mathiæ* porrò *Kemnatenſis* Opus vernaculè ſcriptum adſervari in Bibliotheca Bavarica, nobis nuper Monachio per literas nuntiavit Clar. Oeffelius; cui plura debemus in acceptis.

Hiſtoria Belli Palatini-Bavarici. Hiſtoriam quoque *Belli Bavarici* anno 1504. *Philippo* Palatino & *Ruperto* filio à *Maximiliano* Imperatore illati, ſeparatim editam debemus diligentiæ ſtudióque ejusdem *M. Freheri*, qui eam tum ex Trithemii Annalibus ampliſſimis olim in Bibliotheca Palatina Heydelbergæ adſervatis, tum ex Chronicis Spanheimenſi & Hirſaugienſi recenſuit ediditque inter Scriptores rerum Germanicarum ſuprà laudatos. *Confer. Epiſt. 27. ad Joan. Cantberinum, & 66. ad Jacobum Wimphelingum.*

Turbidis porrò & infeſtis hisce temporibus *Hartmannus Schedelius* Medicinæ Doctor & civis Norimbergenſis Epiſtolam reſcripſit Trithemio in hæc verba:

Schedelii Epiſtola ex Bibl. Bavarica. „ *Celeberrimo in Chriſto Patri Domino Joanni Abbati in Spanheim Majori ac Præceptori ſuo colendiſſimo Scheidelius ſalutem cum adoptione omnis boni.* In diſceſſu Excellentiæ veſtræ inter alios libros ſub bona fide reſtituendos, *Chronicon Thuringiæ* accepiſſe ſcitis, quod poſt quartam partem anni, juxtà pollicita, rediturum ſperabam. Nunc me in tertium annum hâc ſpe fruſtratum miror, cùm nec ſcripta noſtri R.^mi Abbatis S. Ægidii, nec mea quicquam ad reſtitutionem efficere potuerint. Anno effluxo ad Herbipolim ſcripta dedi cum literis D. Abbatis, ut Paternitas veſtra erudiſſima intelligeret, quam ob rem hunc codicem in his tribulationibus inſtanter habere optarem, cùm ex rogatu cujusdam Principis quædam paranda forent, quæ ſine iſto libro perfici non poſſunt. Nunc iterùm hâc ſpe privatus, atque interim favore, munere & gratiâ hujus Ducis inductus, iterato impenſiſſimè rogo, ut hunc libellum cum iſto nuntio mittere & in ambiguis fluctibus vela remósque dirigere velitis, ne veſtro deſtitutus numine inter ſyrtes & brevia colliſus, ac arenarum mole pervolutus, anxius angar. Quòd ſi aliquid obſtet, per nuntios, omni conatu operam detis, obſecro! ut veſtrum ſaltem experiar favorem. Indicem quoque veſtræ Bibliothecæ cum his per longa tempora exſpectavi. Si liber in manibus inclyti Palatini extat, omni modo procurate, ut ſaltem deſcribatur, & ad Collectionem vigiliarum mearum ſedeat. Si opus foret impreſſum, etſi in duplo majus exiſteret, libente animo dono donarem. Quòd ſi aliqua impedimenta reſtiterint, perſcribite, & meas literas ad generoſos DD. Archiepiſcopum Moguntinum, & ſeniorem Principem Palatinum mittam. Spero tamen, ut hanc curam veſtrâ operâ ex innatâ humanitate bono fine perficietis. Valeat feliciter Paternitas veſtra Eruditiſſima. Ociſſimè ex Nuremberga in profeſto Converſionis D. Pauli 1504.

1505. Trithemii receſſus ex Spanheim. XXXVII. Rebus bellicis *Maximiliani* Imperatoris nutu ſedatis, necdum tamen plenè compoſitis *Trithemius* ineunte Aprili A. 1505. vocatus per *Philippum* Palatinum Comitem Rheni Hey-

Heydelbergam aſcendit in cauſa exuſti per ſatellites Comitis de Lingen Limburgenſis Monaſterii daturus conſilium. Eo apud Budoras exiſtente, quidam ex Spanheimenſibus Cœnobitis non rectè cum Palatino ſentientes captatâ occaſione adversùs Trithemium Abbatem ſuum conſpirare cœperunt, *& odium, quod diu occuluerant, operibus fecêre manifeſtum.* Quæ malefeŕiata fratrum ſimultas tantùm tædii & amaritudinis Trithemio faceſſivit, ut redire deinceps ad ſuum noluerit monaſterium. Ne autem turpi otio difflueret, totus eo temporis intervallo fuit in congerendis veteribus Eccleſiæ Neometûm monumentis, quæ illuſtrandis rebus Germanicis ſervirent; Extat hæc ipſius Collectio in MS. codice S. Stephani apud Herbipolim. Inde Coloniam Ubiorum ad congreſſum Principum per Marchionem Brandeburgicum invitatus, primâ Julii Bonnam appulit, ubi ab *Hermanno* Colonienſium Archiepiſcopo honorificè exceptus per ſex ferè dies ſubſtitit, indéque Coloniam cum Archiepiſcopo & Marchione Brandeburgico deſcendit, ibidem ad triginta dies providente Principe in diverſorio commoratus. Ibi cùm ſubſiſteret, literas 18. Julii ad Joan. Capellerium Mathematicum dedit, quibus eam illi Steganographiæ ſuæ partem, cui titulus *Glottophoria*, opus arcanum, hactenùs nulli viſum, eâ miſit lege, ut ſervaret occultum... Tum verò die XXIX. Julii ad *Maximiliani* Imperatoris alloquium admiſſus, obtulit Cæſari *Lichnum perennem cum ejus conficiendi methodo*; in cujus compenſam 6000. Coronatis à *Maximiliano* donatum fuiſſe refert *Bartholomæus Korndörffer* in aurei velleris tractatu ſecundo, ubi hoc Trithemii arcanum typis exſcriptum legitur. Præthereà Imperator ſapientiſſimus *poſt variam diſputationem Scripturarum* exquiſitâ ejus doctrinâ adeò fuit delectatus, *ut eum in Archicapellanum ſuum aſſumpſerit, eíque titulum & libertates Capellæ ſuæ ſub teſtimonio literarum regalium contulerit. Archiepiſcopus etiam Colonienſis vocatum ad ſe Trithemium muneribus cumulavit. Similiter* FRIDERICUS *Marchio Brandeburgicus Joachimi patruus eum ſuâ munificentiâ honoravit. Joachim verò ſacri Camerarius Imperii & Princeps Elector, qui ex multo tempore Trithemium in Marchia ſecum habere cupiebat, eo tunc urſit inſtantius, quo illum fratrum ſuorum improbitate offenſum, minus voluntarium ad ſuum revertendi cœnobium eſſe conſpexerat. Conſenſit autem facilè Trithemius, locum intereà daturus malignantibus in eum Cynonotis; quo & conſpirantium palàm detegeretur occulta perverſitas, & animi præconcepta malignatio ſuæ abſentiæ intervallo ſanaretur.* Sed tamen ſine conſenſu *Philippi* Comitis Palatini, *cujus nutu agebat omnia*, itineri ſe noluit committere. Coloniâ itaque Spiram die nonâ Auguſti regreſſus, manſit ibidem per XVIII. dies, illúcque accitum ad ſe *Nicolaum* Priorem Spanheimenſem, conſtituit rerum monaſterii in ſuâ abſentia Adminiſtratorem. Dum verò apud Nemetes adhuc moram faceret, venit ad eum ex Gallia miſſus orator *Narciſſus* quidam Medicinæ Doctor cum literis Epiſcopi Cohurſenſis, qui *Trithemium* egregiis muneribus propoſitis ad ſe in Galliam accire contendebat. Verùm hic datæ Marchioni Brandeburgico fidei ſuæ memor in præſentia operam Epiſcopo negavit, & per Epiſtolam ad Rogata conciſè reſpondit. Alia quæ ad inquiſitiones Germani de Ganay reſpondenda fuerant, ſacratiore incluſa ſcrinio, ei ſoli per *Narciſſum* exhibenda cum clave transmiſit, ut diſcimus ex Epiſtola Neometi 24. Auguſti A. 1505. datâ.

Spirenſis Eccleſiæ monumenta.

De Lichno perenni.

Factus eſt Imperatoris Archicapellanus.

Rebus ita conſtitutis Spiram die 27. Aug. digreſſus cum ſuo famulitio per Thuringiam *Urſulum* Marchionis regiam adpulit die undecimâ Septembris, ibíque cum Principe per novem menſes commoratus, præter Cryptographica quædam, variáque ad linguam latinam græcámve ſyntagmata pro Principis inſtitutione exarata, procudit primò *Epitomen de Vitis Sanctorum*, quorum devotione peramplius princeps ſervebat, *cum multis & variis orationibus ſupplicatoriis*, hoc exordio: *Magnum & arduum opus...* De hac lucubratione in ſuis ad *Joannem Euriponum* Carmelitam Conventûs Damenſis Urſulo 15. Decembris literis: *Nos*, inquit, *opus noſtrum de laudibus Sanctorum abſolvimus, quod te, ut reſcribatur expectat. Moras igitur omnes reſcinde, ne Principis animum offendas.*

De Vitis Sanctorum.

2. Eodem tempore juſſu Principis ſcripſit de variis atque diverſis materiis & rebus Antiquitatum ex diſputatione quotidiana emergentibus libros XIV. aut certè XX. ut alibi legitur, quod opus prænotavit *Panalethiam*, cujus prologus ſic incipit: *Multa ſunt Præceptor magne...*

Panalethia.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

Opus Hieraticum.

3. Opus Hieraticum *pro variis morbis depellendis* in quatuor & triginta particulas diviſum hoc initio: *Ea quæ tuæ Majeſtati ſcripturus aggredior…*

Alia ſynthemata.

4. Alia quædam ſynthemata nobis incognita, quorum aliqua complevit, reliqua imperfecta dimiſit, ut ex epiſtola ad Rogerium Sicambrum diſcimus. Omnia verò iſta (quod è re noſtra eſt hîc admonere) inter anecdota aut deperdita cenſentur. *Confer Chron. Spanh & Hirſaug.*

Epiſtolæ.

5. In ſæpè citata ad Rogerium Epiſtola addit, ſe dum in exteris verſaretur, *multas ad amicos ſcripſiſſe Epiſtolas,* quas inter memoranda cumprimis ea, quæ ad *Jacobum Kimolanum* ex Colonia 22. Julii A. 1505. data legitur; ubi lectores à nimia curioſitate & vanitate ſecularium ſtudiorum avocat, & ad veram ſapientiam, quæ in ſacris Literis continetur, omni ſtudio provocat. De reliquis alibi commodiùs agemus.

Hæc itaque ſunt vera & genuina Trithemii monumenta, quæ ipſe in Abbatia Spanheimenſi inter varias rei familiaris occupationes ab anno 1483. quo in Abbatem eſt electus, usque ad A. 1506. ſe procudiſſe memorat. A tempore autem ejus exitûs de Spanheim usque ad introitum in divi Jacobi apud Herbipolenſes Abbatiam fluxerunt menſes XVIII. & dies XV. in quibus quid præter recenſita poſterorum legivo commiſerit, ſigillatim memorabimus.

1506. Regreſſus ex Berolino ad Rhenum.

XXXVIII. Impetratâ tandem à Marchione Brandeburgico abeundi facultate, úsque cumulatus honoribus, quos inter vitæ ſuæ potiſſimos meritò poſteà habuit, Urſulo die XIV. Maji anno 1506. diſceſſit, & ſecunda Junii ſuo ſtipatus famulitio Spiram Nemetûm attigit. Miſerat verò Francoforðiâ Capellanum ſuum *Theodoricum* ad Spanheimenſes, ut & ſtatum rerum animóſque Cynonotorum exploraret, & Priorem ad ſe Heydelbergam evocaret. *Non enim volebat redire ad monaſterium, niſi Comitem priùs conveniſſet Palatinum.* Die tandem Junii XI. Budorim ad Trithemium regreſſus Theodoricus nuntiavit ei ſtatum rerum, & faciem monſtri, quod Cynonoti dudum ſuſcitaverant; *quo mendaciis Ducem Simerenſem Trithemio infenſum reddiderant, & infirmorum animos fratrum contra innocentem provocaverant.* Hiſce relatis exaſperatus TRITHEMIUS, *qui nec iram meruerat, nec gratiam æmulorum captare volebat,* Budori aliquamdiu ſubſtitit, eóque tempore ampliſſimas ad *Julium II.* Pont. Max. ſcripſit literas, quibus *Bennonis* Epiſcopi Miſnenſis vitam inſeruit, rogans Pontificem, ut eum in Sanctorum album referret. Rebus intereà Sponhemii adhuc turbidis, quùm *certiſſimâ revelatione*, ut ipſe ſcribit, *præmonitus ſciret, quòd in Abbatia Spanheimenſi non eſſet manſurus usque ad mortem,* quamvis cedendi tempus adhuc ignoraret, maluit emigrare cum gratia, quàm diutiùs reſidere cum jurgio. Relictâ igitur Spanheimenſi Abbatiâ pinguiori, tenuem S. Jacobi Herbipoli ſibi oblatam aſſumpſit, die XV. Octobris A. 1506. ſolemni ritu ibidem inthroniſatus. Literas deinde dedit ad Spanheimenſes, quibus mandabat, *ut quem vellent in locum ipſius Abbatem eligerent.* Tum verò variis ad diverſos exaratis epiſtolis, ſparſis de ſe rumoribus obviare ſtuduit. Inde totus fuit in complendo *Spanheimenſi Chronico,* in cujus elucubratione annis propè quindecim deſudârat, geſtis Abbatum multa per ordinem interſerens. Ejus autographum, quo ad vota uſi fuimus, adſervatur in S. Jacobi apud Herbipolenſes cœnobio ab edito nonnihil diverſum. In fronte námque alia quàm apud Freherum comparet Epiſtola die ultimâ Octobris A. 1506. ſignata. In ipſo autem contextu ad hunc annum leguntur ſequentia: *Hucusque Joannes Trithemius Abbas Monaſterii Spanheimenſis continuavit hiſtoriam à principio fundationis ejusdem cœnobii… usque ad præſentem Dominicæ Nativitatis annum 1506. incluſivè, qui eſt ipſius Trithemii Abbatiæ Spanheimenſis aſſumptæ annus XXIII. incompletus, Herbipolenſis autem S. Jacobi primus inchoatus. Et hic finis eſt Chronicæ Spanheimenſis Joañis Trithemii Abbatis. Quæ autem ſequuntur in hoc volumine, per eundem ſunt addita…* videlicet usque ad annum 1509. quo deſinit manuſcriptum his verbis: *Epiſcopus tamen Wormatienſis ab hac pacis compactatione ſecluſus eſt, & in cœpta litis proſecutione cum civibus ſuis hodie perſeverat.* In editione Freheriana perductum legitur usque ad A. 1526. ſed deſunt ea, quæ in Manuſcripto Jacobæo ab Authore addita ſunt. Ejusdem Chronici apographum equidem recentius, ſed optimæ notæ olim in Bibliotheca Uffenbachiana extitiſſe indicat illius Catalogus. Vidi aliud exemplar Manheimii apud Ill.mum Comitem de Hillesheim, ex Jacobæo deſcriptum.

Vita S.ti Bennonis.

Epiſtolæ ad diverſos.

Chronicon Spanheimenſ.

Ipſum

Digitized by Google

Ipſum verò opus ad noſtra usque tempora non ſine ingenti labore deduximus; quod Auctarium cum reliquis futuræ editioni novæ inſeri curabimus.

Quæ demùm à Trithemio per decennium & ultrà, quo S. Jacobi Monaſterio Herbipolenſi præfuit, geſta ſint, vitæ illius Scriptores haud ſatis enucleatè explicuerunt: Nos ea, quæ ipſis hac in parte deſunt, ſuppleturi nonnulla hinc inde excerpta liberaliùs deinceps admetiemur.

1507.

Invitatur iterùm in Marchiam.

XXXIX. Vix Herbipolim demigraverat Trithemius, quùm Ser.mus Princeps *Joachim* Brandeburgicus binos ad eum miſit tabellarios, cupiens illum denuò habere ſecum ad tempus, pro eorum conſummatione, quæ ante biennium cum eo apud Urſulum inceperat, qui cùm in latina lingua evaſiſſet perfectus, etiam græcæ notitiam habere pleniorem nptabat. In prima Epiſtola Princeps hiſce inter alia uſus eſt verborum illiciis: *Ceterùm amantiſſime Præceptor! TE iterùm atque iterùm quàm inſtantiſſimè obſecramus, ut redire ad nos circa feſtum Paſchotis aut Pentecoſtes non pigriteris: Eſt enim, quod nôſti, tua opera in multis neceſſaria, quâ ſine detrimento rerum noſtrarum diu carere non valemus.* Sed Trithemius monaſticæ quietis amator cùm eſſet præcipuus, reſpondit, ſibi conſultiùs videri, ut ſuum in Marchiam iter in annum ſequentem differret: *Ne ſi tam citò*, inquit, *abiero, rurſùs aliquid in me lingua æmulorum maledica exſpuat levitatis.* Eodem anno, ut habet Chronicon S. Jacobi, die XXIII. Novembris *venit alter nuncius Ser.mi ejusdem Principis cum literis, quorumdam dubiorum à Trithemio ſolutionem ſuo more poſtulantis*: Cui Trithemius per literas prolixè reſpondit, ſed iter in Marchiam ſuſcipere renuit. Principi

Modus græcè ſcribendi.

verò *Modum græcè ſcribendi*, quem præſens dederat, iterùm miſit: Quo de opuſculo Joachimus in ſuis: *Ago*, inquit, *Paternitati tuæ gratias infinitas pro* Modo illo pulcherrimo & exquiſitiſſimo græcè ſcribendi, *quem mihi denuò miſiſti, quo in ſecretis meis non vellem carere pro multa pecunia.* Iis quoque diebus Maximilianus Rex invictiſſimus per nuntium ad ſe vocavit Trithemium, qui tamen usque in annum ſequentem ſuum diſtulit adventum.

Epiſtolæ

Varias eo tempore ad diverſos Germaniæ Principes, Epiſcopos, Magnates, viróſque eruditione & dignitate præſtantes conſcripſit Epiſtolas, quæ ferè inter editas comparent. Reliquos verò ejus labores literarios quod attinet, ſe ab inita S. Jacobi præfectura usque ad Auguſtum anni 1507. ſequentia ſcripſiſſe ſyntagmata comemorat: Videlicet 1. *De Laudibus S. Joſephi Nutritii Domini noſtri Jeſu Chriſti librum unum*, quem in Spanheim inchoaverat, poſtulantibus amicis ad ſecunda ſtudia revocavit, pluribus auxit, & totum emendavit, ut ſcribit ipſe in auctario Chronici Spanheimenſis, & in Epiſtola ad *Nicolaum Gerbellium* A. 1507. datâ, ubi: *De ſancto Chriſtotrepho Joſeph librum mediocrem abſolvimus.* Opus iſtud inſcripſit *Chriſtophoro Friderico de Redwitz* Bambergenſis Eccleſiæ Canonico; incipit: *Magno ſæpè deſiderio ſtatui...* Viginti verò capitibus abſolvitur, quibus acceſſit, *Roſarium S. Joſephi* quinquaginta articulorum; *Officium quoque ejusdem cum orationibus variis & ſequentia*, ut habet ipſe in Epiſtola ad *Jacobum Syberti* A. 1508. exaratâ, ubi inter alia, *ſcripſi*, inquit, *in hoc Abbatia... de laudibus Divi Joſeph Chriſti Nutritoris librum unum. Roſarium quoque, Officium & varias orationes...* Ejusdem Operis meminit in Epiſtola ad *Eberhardum de Campis* & in aliis indicibus. Num verò lucem viderit publicam, nobis incompertum eſt; iſtud conſtat ejus *Hiſtorias, Legendas, ac Officia compaſſionis B. Mariæ Virginis & ſuorum progenitorum, atque cognatorum, Joſephi quoque conjugis Virginei & ſororum Mariæ Jacobi & Salome...* Phorcæ typis exſcripta fuiſſe hoc anno in ædibus *Thomæ Anſelmi*, impenſis *Sigismundi Stier* Civis Heilbrunnenſis in fol. Cujus editionis exemplum vidimus in S. Jacobi apud Mogonos Bibliothecâ. Opus quoque magnum libris duodecim abſolvendum *de Dæmonibus...* ad preces amicorum hoc tempore inchoâſſe teſtatur ipſe in citata ad Nicolaum Gerbellium Epiſtolâ. De ſua verò *Polygraphia* ita ipſus in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum A. 1507. datâ: *Scripſi prætereà hoc ipſo anno magnum & laborioſum Opus in ſex libros partiales diviſum, quod prænotavi græcâ dictione* Pollographia, *quod latinè ſonat multam ſcripturam. Docet enim miranda ſubtilitate naturali multos immò infinitos ſcribendi modos & nunciandi ſecretiſſimè tutiſſiméque ac ſine aliqua ſuſpicione univerſaliter in omni lingua totius mundi, quodcunque fuerit nunciandum vel ſcribendum... Sed notandum* Rogeri! *quòd hoc opus habere*

De Laudibus S. Joſephi.

Varia de Sanctis opuſcula

de Dæmonibus,

Polygraphia.

neminem æquè decet ac Principes magnos atque Potentes, per quod ſecretiſſima negotia ſua nunciare poſſunt abſentibus ſine timore, ita quod arcanum eorum totus mundus non poſſit invenire, absque hujus libri ſcientia, quæ facilè diſcitur habito volumine, & ſine labore in memoria retinetur. Propterea ſtatui hoc opus cuidam offerre Principi, cujus ſapientia & virtus omne bonum meretur. Ad Joachim Brandeburg. Quis ſit hic Princeps, explicatiùs indicat in ſuo Nepiacho: *Scripſi*, inquit, *eodem anno, qui fuit Dominicæ Nativitatis MDVII. Opus laborioſum in ſex libros diviſum ad* Joachim *Marchionem Brandeburgicum Principem Electorem*, *quod* Polygraphiam *prænotavi*, *& incipit: Legimus complures...* Rursùs in Epiſtola ad ipſum Marchionem XVI. Octobris ejusdem anni exaratâ: *Complevi Domino adjuvante Polygraphiæ meæ Opus in ſex partes ſive libros diſtinctum, quod tuæ Majeſtati conſtat eſſe dicatum. Operam dabo, ut ſacris conſpectibus tuis quantociùs exhibeatur.* Ejus quoque lucubrationis & inſctiptionis meminit in ſua ad Eberhardum de Campis die XVI. Novembris datâ his verbis: *Scripſi anno tranſacto... ad unum Principem Polygraphiæ libros ſex.* Hujus porrò operis autographum *Joachimo* inſcriptum extare in Guelferbytana Ducali Bibliotheca prodit Tenzelius apud *Struvium* Introduct. litt. *cap.* 4. §. 8.

1508. Eadem ad Maximilianum Imp. cum Clave. XL. Cùm vidiſſet Trithemius iniqua iniquorum aut ignorantium hominum de promiſſis *Steganographiæ* libris judicia, ſilentio, utì vidimus, eos premere ſtatuit, eorúmque loco *Glottophoriam*, de qua ſuperiùs, & ſex *Polygraphiæ* libros conſcripſit, vel certè, ut arbitratur *Schottus*, partem illorum mutato tantùm titulo in hos tranſtulit, & opus, ut jam oſtendi, primùm *Joachimo* Brandeburgico inſcripſit; Quia verò & in his libris per obſcura ænigmata propoſuit omnia & multis exoticis involvit terminis, *ne perverſi eâ abuterentur doctrinâ, quæ ſolos decet Principes*, idem opus in gratiam *Maximiliani* Imperatoris poſteà pluribus auxit, eíque ſuâ clave teſeratum anno 1508. in Bopardia obtulit, utì tum ex Epiſtola ad ipſum Cæſarem operi præfixa, cùm ex manuſcripto Spanheimenſi Chronico liquet: ita enim ipſe ad A. 1507. *Joannes Trithemius Abbas ſcripſit Polygraphiæ libros ſex ad Maximilianum Regem Romanorum, quos illi anno ſequenti vocatus in Bopardia præſentavit. Alium quoque libellum, qui* Clavis *prænotatur, ſeorsùm edidit, ſine cujus notitia Polygraphia nulli facilè pateſcit.* Et rurſus in Hirſaugienſi indice: *Scripſi ad Maximilianum Cæſarem opus, quod prænotavi* Polygraphiam *& multiplicem ſcripturam libr. 6. Ad eundem* Polygraphiæ Clavem *ſeu Enucleatorium librum unum...* In Epiſtola ad *Jacobum Syberti* anno 1508. die ſextâ Martii datâ opus octo libris conſtare meminit, computatis fortè Enncleatoriis, vel dnobus *Glottophoriæ* aut *Steganographiæ* libris: *Scripſi*, inquit, *Polygraphiæ ad Maximilianum Regem Romanorum libros octo, opus arcanum & mirandæ inventionis, cui ſimile fuit nusquam.* Hujus operis prototypum propriâ ipſins Joan. Tritbemii manu A. 1508. exaratum & *Imp. Maximiliano* oblatum extare in Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea ac incredibiliter ab editis diſcrepare meminit Lambecius *Comment. de Bibl. Vindob. Tom. I. Lib. II. pag.* 463. Editiones Operis. Prodiêre autem ſex dicti libri cum clave totum opus enucleante, ex officina *Joannis Haſelbergeri de Aia* anno 1518. *in min. fol.* Primigeniæ huic editioni præfigitur iconiſmus buxo inciſus, in cujus media area *Trithemius* genibus nixus ſedenti Imperatori porrigit opus ſuum. Propè ipſum adſtat vir duas Claves *Maximiliano* ſimul offerens, & ipſe, ut videtur, monachali veſte indutus, ſed capillo minimè attonſo. Pone ambos Monachus alius ſtans pedum paſtorale manu tenet, mitra ad pedes ipſius Abbatis poſitâ. Hæc Trithemii effigies, etſi rudior, non abludit ab ea, quam ex veteri pictura anno 1513. ſignata delineatam novæ ejus operum editioni præfigere cogitamus. Circumcirca ſunt parerga. In calce ipſe *Trithemius* Pontificalibus indutus, & ſiniſtræ innixus humi procumbit, ex cujus pectore intrinſecùs Rami duo ſurgunt & utrumque latus mediæ areæ quadratæ ambiunt, adſcripto jacentis nomine JOAN. TRITHEMIUS. Ex utroque hoc ramo ad quodlibet latus tres viri dimidii pullulant, quorum quilibet inſtrumentum Mathematicum, puta *Sphæram armillarem, Quadrantem circuli, Amuſſim*, & *Circinum* manu præfert. Supremus ex utroque latere nihil præter ſchedam tenet, cui tamen nulla epigraphe inſcripta. In quatuor angulis folii, totidem ſpectantur inſignia. Averſâ paginâ legitur Trithemii Epiſtola ad *Maximilianum* Cæſarem die XXVI. Aprilis A. 1508. ſignatâ; quam excipit pinax ſeu index lucubrationum

ipſius

ipſius ex Epiſtola *Joannis Duraclufii...* Præfatio incipit his verbis: *Legimus complures veterum ſapientes...* data verò eſt die VII. Aprilis A. 1508. Liber primus in fine legitur abſolutus XII. Febr. ejusd. anni. Alter primâ Martii, tertius ſeptimâ, quartus decimâ tertiâ, quintus decimâ ſextâ, ſextus in fine ejusdem menſis... Sequitur *Clavis* ſeu explanatio totum opus enucleans, quam aliàs Trithemius latere voluerat: *Ut ſtudioſis*, infit, *materia non deſit exercendi memoriam, & reprobis auferatur cauſa ſciendi ea, quibus benè uti non ſunt voluntarii.* Præter hanc editionem, aliam nobis ex officina *Cyriaci Jocobi* procuravit eruditiſſimus Vir *Adolphus à Glauburg* Patritius Francofurtenſis anno 1550. in 4. Huic acceſſêre aliquot locorum explicationes, eorum præſertim, in quibus admirandi operis Steganographici principia latent, *quæ quidem ingenioſis occaſionem præbent longè majora ac ſubtiliora inveniendi.* In eadem editione comparet *Apologia Joannis Trithemii* præfixa Steganographiæ. Ad calcem legitur expoſitio eorum, quæ ab Authore vel præterita ſunt, vel minùs perſpicuè tractata. Hoc idem opus gallico idiomate donatum per *Gabrielem de Collange*, typis exſcriptum prodiit *Pariſiis* anno 1561. & iterùm 1625... Latinè rursùs excuſum eſt *Coloniæ Agrippinæ* apud *Joannem Birckmannum* & *Wernherum Richwinum* anno 1564. & 1571. in 8. Quæ editiones ferè concordant cum Francofurtenſi; Sed Argentinenſi ſumptibus *Lazari Zetzneri* an. 1600. procuratæ acceſſit libellus *de ſeptem Secundeis moventibus orbem*, de quo infrà.

Editio Francofurtenſis

Gallica verſio.

Operis utilitas. XLI. Hæc Polygraphia agit de transfiguratione literarum & earumdem poteſtate ſecretâ, multásque complectitur ciphras valdè curioſas & ſecretas: Unde liber iſte cenſetur perinde utilis ac neceſſarius belli Ducibus & ſummis Principibus, immò, ſi *Reimmanno* credimus, *inculpatior eſt Steganographiâ, & minùs ſuſpecta, ſed rarior tamen & magis lectu digna.* Continet enim infinitos prope ſcribendi, animíque noſtri arcana quàvis ferè linguâ alteri tutè & citra omnem ſuſpicionem enuntiandi modos; oſtendit & methodum tam in docendo, quàm diſcendo utiliſſimam, ac prætereà rationem profundiſſima quæque artium & diſciplinarum myſteria intelligendi, mirandâ ſubtilitate explicat. *Latent*, inquit author ipſe, *in ſingulis paſſibus plura myſteria, & quanto ex his majora inveneris, tantò reſtant ampliora invenienda. Via paratur incipientibus, in qua proficientibus non erit difficile ſucceſſu temporis invenire, multa & rara & maxima. Hic diſcet latinè ſcribere, qui neſciebat, & cuncta voluntatis ſuæ myſteria ſermone prudenter involvere peregrino...* Has operis utilitates paulò explicatiùs enumerat *Caſpar Schottus*: 1. Quòd modum tradat, quo illi, qui artificium intelligunt, mentis ſuæ arcanum tutò, ſecurè ac ſine aliqua ſuſpicione, ſi literæ interciperentur, notum faciant ejusdem artis conſciis ad quamlibet locorum diſtantiam... 2. Quòd exiguo temporis ſpatio hominem latini ſermonis ignarum, modò literas tantùm legere & ſcribere noverit ſub lingua materna, doceat in latina correctè & ornatè ſcribere, omniáque ſub eadem lingua voluntatis ſuæ arcana celare & abſcondere, artémque ſcienti nuntiare tutò, ſecretè & absque ſuſpicione, ut mox dictum. 3. Quòd hujus artis ſubſidio latini ſermonis imperitum non ſolùm paucis horis docere queas ſcribere ac legere, ſed etiam intelligere, ſi prudenter munus officii adhibeas, ut novæ artis diſcipulus, quam non noverat anteà linguam latinam componere, intelligere & interpretari ipſe poſſit. 4. Quòd per ampliationem ſimilitudinis rei acceptæ omnia prædicta in quamlibet linguam poſſint extendi. 5. Quòd imitatione ſimilitudinis communicare poſſimus artem ſcienti, quæcunque mentis noſtræ arcana quantumcunque voluerimus abundè, multipliciter, & latiſſimè, variísque modis, qui ab alio nullo ſciri poterunt vel notari. 6. Quòd per intelligentiam hujus operis, quamlibet Matheſin ſeu transpoſitionem regulatam literarum invenire poſſimus, eásque nihilominùs ſic formare, ut ſolis noſcentibus artem & alteri penitùs nulli ſubſerviant in mundo. Omittimus alias utilitates, quas apud Trithemium ipſum leges in dicto opere. Libet verò doctiſſimum *Caramuelem* de eadem arte differentem audire: ita enim in ſuo Apparatu Philoſophico Diſp. 2. §. XII. diſcurrit: *Polygraphia ars eſt ſcriptoria, quæ varios characteres diverſarum linguarum contemplatur.* Graphiaria *in una eadem lingua calamum movet juxta regulas publicas, & materiam à legibus determinatam; at* Polygraphia *ſecreta eſt ſcriptura, & diverſos characteres invenit & efformat. Iſta autem non mutat materiam characterum*

ſterum, ſed formam, non figuram, ſed ſignificationem: puta ſi ſcribat A, & legat B. ſcribat B, & legat C. & ita conſequenter; tunc enim ſcribet GNIN *&* *leget* HOMO, *non figurâ, ſed valore literarum variato. Modos ejusmodi pulcherrimos ſcribendi tradidit* Joañes Trithemius *ſpeciali libro, qui* Polygraphia *nuncupatur, quem nos imitati opus curioſum variúmque Lectori ingenioſo trademus.* Ita Caramuel; Ex quibus ultrò apparet quàm iniquum & malefe-riatum ſit judicium *Hieronymi Cardani* libr. XII. *de Variet. rerum cap.* 61. de prædicta Trithemii Polygraphia, quam una cum auctore ſuo tam putidis ſugillat verbis, ut propè pudeat referre; *Supereſt,* inquit, *ut de commutata ratione verborum loquar. Fuit vir paulò ante noſtram ætatem mendacior Agrippâ, inanior Roymundo Lullio Abbas Tritbemius, qui totum librum ſatis grandem hoc uno ſomnio implevit, nec tamen explevit. Et ut fidem fabulæ faceret, finxit ſe Necromantiæ, cùm potiùs ſtultitiæ deberet, accuſatum...* In quæ verba digitum intendens Gaſpar Schottus in ſua Magia Part. IV. Libr. I. cap. 2. p. 36. *Apparet,* inquit, *manifeſtè invidiam ea ac livorem è calamo excuſſiſſe; Vellem non dixiſſet. Si non ab aliud, certè vel ob hoc Scaligeri vexationem meretur Cardanus.* Et verò ut mittam aliorum etiam graviſſimorum virorum de *Cardano* cenſuras, *Naudæus* in ejus vita, *Non video,* inquit, *quid aliud exiſtimari poſſit de homine illo, quàm inſanienti proximum vixiſſe, ut qui ſomniis, oſtentis, auguriiſque vaniſſimis, & maximè ridiculis fidem adhiberet; qui totus ex delirantium vetularum obſervationibus penderet; qui quoties vellet, à ſenſibus per extaſim peregrinaretur; qui ſpectra & larvas videret; qui Paredrum aliquem & ſibi faventem genium adeſſe vel ſtultè crederet, vel malignè mentiretur... qui denique vitæ ſuæ probra turpitudinéſque vel minimas non evulgavit modò, ſed nauſeanti ferme per tot ineptias & narrationes inconditas lectori obtruſit...* Spretis igitur impudentis Sycophantæ dicteriis, audiſis æquius *Andreæ Theveti* Engoliſmenſis Coſmographi de Trithemiano Opere judicium; ita enim habet: *Quant aux livres de la Polygraphie, ceux qui lui ſont les moins affectionnez, ſont contraints d' admirer l' ingenioſité du ſtile, dont il a uſé, auxquels il deſcrit diverſes manieres d' eſcrire miſſives. Mais c' eſt avec telle difficulté, que ceux qui ſont les mieux verſez, ont aſsez de peine d'y pouvoir atteindre. Pour cette raiſon lui-même a forgé un livre, qu'il nomme* la Clef de la Poligraphie, *afin d'y ouvrir la porte, & manifeſter les ſecrets, qui ne pourroient pas être communiquez, vûs, ni reconnus, qu' avec une peine ineſtimable.* Hæc ille haud trivius. Sed pergo, & quid ſinguli Polygraphiæ libri contineant, nunc lubet breviter exponere.

XLII. Et quidem in primo libro quadraginta ferè ordines literarum, quos Alpbabeta nuncupamus, ſeriatim digerit, ſingulíſque literis cujuslibet Alphabeti ſingulas dictiones adnectit, quarum quælibet illam ſignificat literam, cui ſubjungitur, tametſi non ab ea litera incipiat. Singulis autem dictionibus reſpondent in alio Ordine ejusdem ſensûs epitheta & verba, ita ut ex multis ordinibus ritè fabricari poſſit oratio. Si enim ex primo Alphabeto una duntaxat accipiatur dictio, alia ex ſecundo, aliáque ex tertio, & ſic deinceps verſus finem, quousque libuerit, fiat progreſſio, omnes dictiones ſibi mutuò cohærent, & congruam efficiunt orationem latinam, quarum quælibet dictionum illam ſignificat literam, cui in ſuo Alphabeto ſubjuncta eſt. Si igitur velis abſenti ſcribere hæc verba: *Cautè age.* Ex primo Alpbabeto deſcribe vocabulum *Conditor,* cui reſpondet litera C. Ex ſecundo vocabulum *Clemens,* cui reſpondet A. Ex tertio *diſcernens,* cui reſpondet U. & ſic conſequenter. Ita ergò ſtabit exemplum: *Conditor clemens diſcernens orbem, concedat omnibus felicitatem supercæleſtem...* Hæc verba ubi acceperit alius artis conſcius, ut ex iis intelligat mentem tuam, quæret primum vocabulum in primo Alphabeto, ſecundum in ſecundo, tertium in tertio, & ſic de reliquis, tum verò ſingulis correſpondentes literas ſcribet, in abaco aut charta, inveniétque conjungendo literas priora verba: *Cautè age.* Quod ſi plures literas continet ſecretum ſcribendum, quàm ſunt Alphabeta apud Trithemium, rediri poteſt ad primum Alpbabetum, & procedi rursùs ut anteà. Cavendum tamen ſemper eſt, ne una vice ſimul ex eodem Alphabeto plusquam una dictio capiatur; item ne ullum Alphabetum tranſiliatur. Addendæ etiam particulæ laterales typo curſivo expreſſæ, alioquin totus latinæ orationis ſenſus perturbaretur in tua Epiſtola ad alium miſſa, & alius ſervando ordinem Alphabetorum hæreret. Secretum poteſt eſſe Latinum,

Polygraphiæ libr. contenta.

Ger-

Germanicum, Gallicum, Italicum, Hiſpanicum & cujusque alterius idiomatis, quod utitur literis Alphabeti latini. Si loco hujus adhiberetur Græcum aut Hebraïcum, poſſet latino ſermone etiam Græcum aut Hebraïcum ſecretum alteri perſcribi. Ex quibus patet, quomodo quis linguæ latinæ ignarus poſſit ſcribere latinè ſatis eleganter, & aliis mentem ſuam eâdem linguâ declarare. Hoc tamen incommodi habet hic primus Trithemii modus, quòd oratio latina ad alium hâc ratione ſcripta ſuſpicionem moveat legentibus aliis ſecretum ſub ea latere. Item quod non poſſit adhiberi, niſi & qui ſcribit, & cui ſcribitur, habeant librum Trithemii, aut ex ipſo dicta deſcribant Alphabeta. Denique quod longiſſimâ oratione, breviſſimum duntaxat exprimat ſenſum. Hinc non videtur res digna ſumptu temporis, etiamſi per ſe aperta non eſſet.

Secundi libri artificium nihil ferè differt à præcedente, niſi quòd Alphabetorum literis aliæ ſubjunguntur dictiones alium ſenſum efficientes; ideò unus idémque modus operandi in utroque eſt, & omnia, quæ in primo obſervanda ſunt, etiam in ſecundo obſervari debent. Notat verò Trithemius in regulis ſeu cautelis in operatione ſervandis in hac Polygraphiæ ſuæ inventione latere alia quædam prædictis longè meliora & ſubtiliora, ſed iſta in ſuis permanere voluit latibulis ſepulta cum reliquis. Ex rudibus tamen inventis ejus nonnulli pulcherrima quædam venati ſunt, de quibus Cardanus *Tom. III. oper. Libr. XII. cap.* 61.

In tertio libro ſimilis traditur modus hoc ſolùm diſcrimine, quòd dictiones literis Alphabeti ſubjunctæ, ſunt fictæ, unde qui legit Epiſtolam illis dictionibus ſcriptam, exiſtimat peregrinam eſſe linguam. Eadem in hoc modo ſervanda ſunt, quæ in præcedentibus.

In quarto libro ſimili ratione dictiones fictæ ſubjunguntur literis Alphabeti, cum hoc diſcrimine à præcedenti modo, quòd harum dictionum ſecunda litera ſemper ſignificat literam Alphabeti, cui ſubjungitur, & conſequenter ſingulæ ſecundæ literæ in ſingulis dictionibus ſignificant ſingulas literas ſecreti, quod indicare vis abſenti. Exemplum ponit Trithemius tale: *Ecorach bauaſar Dulay ſemalas...* ſi hujus orationis primum vocabulum quæratur in primo Trithemii Alphabeto, ſecundum in ſecundo &c. Invenietur ante primum litera C. Ante ſecundum litera A. Ante tertium litera U. & ſic de cæteris; quæ literæ ſimul junctæ dabunt hunc ſenſum: *Cave hunc Virum...* Hæ eædem literæ in prædictis dictionibus fictis obtinent ſecundum locum. Hic porrò modus, ut notat *Schottus*, non indiget Alphabetis, nec dictionibus à Trithemio aut ab alio confictis, ſed quilibet poteſt ex tempore inter ſcribendum de novo confingere nova vocabula, quorum primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ &c. ſignificent literam aliquam ſecreti. Hoc itidem artificium poteſt multis modis variari, nam poteſt ad ſecretum ſignificandum adhiberi in primo vocabulo prima litera, in ſecundo ſecunda, in terio tertia &c. aut vice verſâ, vel eo ordine, quo placuerit, dummodò inter ſcribentem, & eum, cui ſcribitur, conventum priùs fuerit.

In quinto libro tradit modum occultè ſcribendi per matheſin ſeu transpoſitionem literarum, ponendo valorem unius literæ pro valore alterius, ut B. pro A.. C. pro B.. D. pro C. &c. Quem in finem varia diſponit Alphabeta ordine recto & inverſo, quæ tamen brevius & clariùs diſponit *Schottus* in ſua Magia Cryptographica *Part. IV. Libr. I. pag.* 34. Hâc ratione ſcribi poteſt in quavis lingua, quæ utitur Alphabeti latini literis.

In ſexto libro adfert *Trithemius* varios veterum characteres, quibus pro literis utebantur, ut ſi quis proprium ſibi Alphabetum ex iis efformare, aut ad illorum imitationem effingere varios characteres velit, habeat unde materiam hauriat. Literas deinde latinas omnes facit numerales, & ex iis nova ordinat Alphabeta ad ſcribendum adeò ſecretè, ut putet nullum mortalium ſcripturam ſine inſtructione legere poſſe. Agit præterea de Notis Tyronis & Senecæ, de quibus plura *Gruterus* & *Schottus* ſuppeditant. Tandem addit modum ſcribendi per numeros & ſingulis ſignis Zodiaci ſingulisque Planetis, varietatis causâ unum Alphabetum adſignat. Sed quoniam illa omnia variis modis à quolibet pro libitu diſponi poſſunt, hæc ſapienti indicâſſe ſufficit.

XLIII. Per eos quoque dies ſcripſit 1508.
Trithemius Intelligentiarum libros duos, Libellus
ut habet Epiſtola ad *Jacobum Syberti* de ſep-
A. 1508. data, ſed unus tantùm cir- tem Se-
cumfertur ad hunc annum deductus, cundeis.

ut patet ex fine: *Ab hoc anno Chriſtianorum 1508. reſtant anni usque ad finem gubernationis Samaëlis ſeptemdecim; in quibus dabuntur ſignificantes initium malorum figuræ. . .* Myſterioſum hoc opuſculum eodem anno inſcriptum legitur *Maximiliano* Imperatori. Typis verò primùm *Lipſiæ* A. 1519. excuſum in 4. memoratur; quam tamen editionem videre non merui. Altera illius editio *Norimbergæ* impenſis *Joannis Haſelbergers* anno 1522. procurata eſt ſtudio *Joannis Marquardi*, qui opuſculum Phorcæ in ædibus *Joannis Svebelini* ex ſcriniolo depromptum & à ſe deſcriptum in lucem dedit hoc rubro: *Joannis Tritbemii apud Peapolim, quod nunc Wirceepurgum Ducale Francicum, Monaſterii Divi Jacobi, quondam Spanbeimenſis Cœnobii Abbatis*, de ſeptem Secundeis, *id eſt intelligentiis ſive ſpiritibus moventibus orbes, libellus ſanè pretioſiſſimus Imperatori Cæſari Maximiliano Auguſto, Pio, Fœlici dicatus.* Suam editor operam R.mo D.no *Jacobo Zwifel* Monaſterii Amorbachiani in Franconia Ord. S. Benedicti Abbati nuncupavit, his inter alia uſus verbis: *Poſtremum ex ſcriniolo depromptus eſt Joannis Tritbemii* de intelligentiis libellus, *quo diſſecto & exenterato per Muſas! quanta rerum cognitio, quot divinationes futurorum, & ad bæc quoque periculis plena tempora videtur vaticinari? Pellicebar cùm inventionis omine, tum novitate rei. Ab bomine amico impetravi deſcribendi copiam; collato dein meo exemplo cum uno atque altero biſtoriarum Scriptore, pulcbrè annorum reſpondent numeri, veritáſque biſtoriarum convenit. Itaque inbumanum & incivile arbitratus theſaurum tantum à paucis poſſideri, quamquam non ignorem populo banc felicitatis partem invideri à plerisque, qui fortè clamabunt:* Sanctum non dandum canibus. . . *Atqui candidiſſime Pater! nibil veritus iſtos vitilitigatores modò ſub tui Nominis titulo rem faciam gratam multis vel maximè bonis. . . Porrò quis eſt bujus orbis, cui ſtudiorum Tritbemii fætura bæc juſtius dedicetur, quàm Tibi viro juxta docto ac pio, qui Spanbeimenſem illum Abbatem acerrimi ingenii, & omnigenæ virum eruditionis ita complecteris, ut nec mortuum prædicare intermittas; illius libros, quorum tibi ingens eſt cumulus, ita colis, ut non poſſis ſanctiùs, doctrinam atque morum integritatem ita imitaris, ut nemo TE vivat illi ſimilior. . .* Vernaculâ donatus linguâ legitur eodem anno ibidem excuſus, iterúmque recuſus anno 1701. in 4. Ejus, quod vidi, compendium prelo emerſit *Spiræ* anno 1529. in 4. hâc inſcriptione: *Das Wunder-Büchlein, wie die Weldt von Anfang geregiert, undt erbalten iſt, auch wie und zu welcher Zeit alle Ding auff Erdereich erfunden, und auffkommen ſindt, mit vil wunderlichen Geſchichten. . . durch den hochgelärten* Johan *von* Trittenheim *beſchrieben, welches hin auffs kurtziſt angezeigt. Gedruckt zu Speyer den X. Tag des Monats Septembris año MCCCCCXXIX. . .* Rursùs ex autographo, ut præfertur, impreſſus prodiit *Francofurti* apud *Cyriacum Jacobum* anno 1545. in 4. hoc titulo: *Joannis Tritbemii Abbatis Spanbeimenſis de ſeptem Secundeis, id eſt, intelligentiis ſive ſpiritibus orbes poſt Deum moventibus, reconditiſſimæ ſcientiæ & eruditionis libellus, multa ſcitu digna mirâ brevitate in ſe complectens arcana, Imperatori Cæſari Divo Maximiliano Auguſto, Pio, Sapienti dicatus.* Eâdem inſcriptione ornatus iterùm recuſus eſt *Coloniæ* apud *Joan. Birckmañum* A. 1567. in 8. Cui editioni acceſsêre decem Epiſtolæ memorabiles; quarum una ad *Joannem Weſterburgium* Comitem A. 1502. die x. Maji data. Altera ad *Joacbimum* Marchionem Brandeburgicum ſextâ Junii ſignata nondum inter alias editæ fuerant. Comparet etiam ad calcem Polygraphiæ Argentorati anno 1600. typis redditus hoc titulo: *Chronologia myſtica, ſeu Libellus de ſeptem Secundeis, id eſt ſpiritibus moventibus orbem.* Extat quoque inter Trithemiana curis Marquardi Freheri A. 1601. excuſa hoc rubro: *Chronologia myſtica de ſeptem Secundeis ſive intelligentiis orbes poſt Deum moventibus...* In quibusdam Catalogis epigraphen præfert. *Libellus de dominio ſeptem intelligentiarum, quo videlicet ordine præſint orbi.* Alicubi inſcribitur: *Liber de intelligentiis cœleſtibus orbem poſt Deum gubernantibus. . .* In ipſo libelli ingreſſu ſuam author mentem his exponit verbis: *„Veterum ſententia eſt plurimorum*, ſapientiſſime Cæſar! *mundum hunc inferiorem ordinatione primi intellectûs, qui Deus eſt, per ſecundas intelligentias gubernari,* quorum opinioni Conciliator aſſentiens Medicorum dicit, ſeptem planetis ſpiritus ſeptem à principio creationis cœli & terræ præfectos. Quorum unusquisque mundum annis gubernat trecentis quinquaginta quatuor, menſibúsque ex ordine quaternis. Huic poſitioni complures viri doctiſſimi hactenus præbuêre conſenſum, quam ego non aſ-*

* *Angelos fuiſſe creatos ad hæc inferiora curanda docet* ATHENAGORAS *Athenienſis Philoſophus Marci Antonii Imp. tempore clarus ad A. 178. . .*

ſerendo

Digitized by Google

ſerendo, ſed referendo duntaxat facio tuæ ſacratiſſimæ Majeſtati manifeſtam... Hunc verò ſtatuit Secundearum ordinem. 1. *Oriſiel Spiritus Saturni.* 2. *Anaël Spiritus Veneris.* 3. *Zachariel Angelus Jovis.* 4. *Raphaël Spiritus Mercurii.* 5. *Samaël Angelus Martis.* 6. *Gabriel Angelus Lunæ.* 7. *Michaël Spiritus Solis.* Mirum ſanè eſt in oculis noſtris, quod de Lutheraniſmi ortu præſagiit Trithemius: *Circa finem hujus tertiæ revolutionis Samaëlis*, inquit, *altercationis imago tranſibit ad primum, & erit perditio multorum... Non conſummabitur Martis hæc tertia revolutio ſine prophetia & novæ alicujus inſtitutione religionis... Anno Chriſtianorum 1525. cruces in veſtimentis hominum viſæ ante decennium, quod præteriit, ſuum oſtendent effectum... Secta Religionis conſurget, & magna veterum erit deſtructio religionum...* Quæ porrò intelligeotia nunc dominetur orbi, his inculcat verbis: *Ordine viceſimo* Gabriel Angelus Lunæ *regimen mundi tertio recipiet anno orbis conditi 6732. menſe IV. die menſis Junii 4. anno Chriſtianorum 1525. & mundum gubernabit annis CCCLIV. menſibus IV. usque ad annum Dominicæ nativitatis 1879. menſes ſimiliter duos. Revolutionis futura ſeries prophetiam requirit... Ex præcedentibus judicentur futura, quæ ſequuntur...* Ob hoc reconditiſſimæ ſapientiæ opuſculum malè quidem apud nonnullos audit Trithemius, ac ſi cum Priſcillianiſtis ſenſiſſet omnia ſub conſtitutionibus planetarum in orbe geri. Sed neſcius non erat Vir ſapiens doctrinam illam, quæ aſtra ab intelligentiis gubernari, & fato omnia ſubjacere ſublunaria putat, ab Eccleſia & à piis omnibus reprobari. Quare in fine libelli proteſtatur ſe non hæc aſſertivè ſcripſiſſe, *quibus cum injuria orthodoxæ fidei nullâ eſt ratione credendum...* Et alibi: *Corpora*, ait, *inferiora ſecundùm influentiam ſuperiorum diſponuntur; mens quidem libera eſt, & influentiam aſtrorum non ſuſcipit, niſi per nimium, quod cum corpore habet commercium, ſe inclinando affectum commaculet. Angeli enim, qui motores ſunt orbium, nihil eorum, quæ natura conſtituit, deſtruunt vel ſubvertunt.* * Hinc pro coronide operis, *Meâ*, inquit, *manu propriâ proteſtor, & ore confiteor, quod in his omnibus nihil credo, nihilque admitto, niſi quod Eccleſia credit Catholica: cætera ut vana, conficta, ſuperſtitioſa, reſuto & contemno.* Verùm de his alibi uberiùs, nunc elegans *Joannis Marquardi* in libellum Epigramma ſubdere lubet:

* *Confer. Epiſt. XV. apud Buſæum.*

Geſta priora docens gratâ brevitate libellus,
Ex numeris certis quanta futura monet.
Calchas Theſtorides potuiſſet Apolline plenus,
Non Helenus Vates certa referre magis.
Magna fides fuerat Cumæi carminis olim;
Aſt ego non foliis credo Sybilla tuis.
Plus tenet hic fidei noſter venerabilis Abbas,
Cujus perpetuum pagina Numen habet.

XLIV. Præter ea, quæ retuli, opuſcula, Trithemius ſe his itidem diebus *duos Epiſtolarum familiarium ad diverſos Germaniæ Principes, Epiſcopos, Abbates ac eruditione præſtantes viros exaratarum libros* in unum volumen redegiſſe teſtatur tum in Epiſtola ad Jacobum fratrem ſuum, tum in alia ad Jacobum Syberti; tum etiam in ſuis ad Joannem Capellerium & ad Rogerium Sicambrum literis: *Poſt hæc*, inquit, *ſcripſi ad Jacobum Trithemium fratrem Epiſtolarum mearum familiarium libros duos, quorum primus continet quasdam Epiſtolas numero LXVI. quas ſcripſi ad diverſos per totum illud tempus, quo de Monaſterio Spanheimenſi exivi usque ad introitum meum in hunc locum. Secundus verò continet Epiſtolas ſimiliter LX. quas hoc anno 1507. Abbatiæ hujus primo ſcripſi ad diverſos.* Hoc Opus ſic incipit: *Oportunè ſatis admonuiſti ſuaviſſime frater...* Prodierunt hi duo libri curante *Jacobo Spiegelio* S. Cæſ. Maj. Maximiliani, Ferdinandi & Caroli V. Conſiliario *Hagenoæ* ex officina *Petri Brubachii* an. 1536. in 4. Eosdem refudit *Freberus* in editione operum Trithemianorum; ſed Epiſtolarum nihil ultra Spiegelianam collectionem dedit, præter duas pridem alibi excuſas, unam videlicet magni illius inter literatos irriſoris *Cornelii Agrippæ* ad Trithemium, & alteram hujus ad illum, quam provocatus ab eo, Philoſophiæ occultæ ſubmiſſo munere repoſuerat. Quæ autem in hac collectione comparent Epiſtolæ, quadriennium vitæ Trithemii non implent, utpote ab anno 1505. ad annum 1507. excurrentes. Unde pronum ſit ſtatuere, quàm ingens illarum foret farrago, ſi reliquæ fuiſſent adſervatæ, aut in unum collectæ. Ceterùm inſigne auctarium ſuo epiſtolio addidit Trithemius, dum eas, quas diverſis temporibus ab anno 1486. conſcripſerat, in alterum volumen compegit inſertis quibusdam aliis minoribus opuſculis. De hac collectione ita ipſe ad Rogerium

1508. Epiſtolæ familiar. *vide Rich. Simonis Epiſtolas ſelectas Gallicè editas Tom. 4. p. 131.*

Sicambrũ: *Epiſtolas verò ad amicos ſcripſi multas, quarum paucas in unum librũ coadunavi, illas videlicet, quas in principio Abbatiæ meæ Spanheimenſis emiſeram. Reliquæ autem absq; ordine jacent adhuc in ſchedulis diſperſæ, quas ſi potero, in unum volumen aliquo tempore comportare curabo.* Has extulit Buſæus inter reliqua Trithemiana. Utraque tamen collectio manca eſt & mutila, ſiquidem vix tres conficiat libros cum Epiſtolarum Spanheimenſium quatuor, & Herbipolenſium libros ſex ipſe deſignet in Hirſaugienſi Catalogo: *Epiſtolarum mearum in Spanheim ſcripſi libros IV. & Epiſtolarum in Abbatia S. Jacobi Herbipoli libros ſex...* Qui ſimul conficerent libros decem. Quocirca reliquas, nobis cognitas ad completiorem collectionem indicare non erit inutile; Et quidem ex Spiegeliana editione decem inſertæ ſunt ad calcem *Libelli de ſeptem Secundeis* Coloniæ A. 1567. recuſi; quas inter duæ anteà ineditæ comparent, una ad *Joan. Weſtenburgium* Comitem, altera ad *Joachimum* Brandeburgicum. Nonnullas etiam ad eundem Principem datas reſcripſit *Ludewigius* in obſervationibus prævüs ad Scriptores Wirtzeburgicos ſ. 14. Plures tamen adhuc in Berolinenſi archivo latere anecdotas meminit, & votum publici nomine pro illarum editione in hanc ſententiam nuncupat: *Und weil ſelbige in allerhand artigen Umbſtänden annehmlich zu leſen, als wäre wohl zu wünſchen, daſs ſelbige zuſammen gedrucket, und ans Licht gegeben würden...* Et hoc quidem conſilium jam olim fuit celeberrimi Profeſſoris Burckardi, *de Joannis Trithemii, Joannis Reuchlini, & Rudolphi Agricolæ Epiſtolis obſervationibus illuſtratis ſimul in lucem proferendis*; Cujus propoſiti conſpectum anno 1714. Guelpherbyti in 4. prodiiſſe teſtatur *Stollius* Introd. lit. pag. 63. & cum eo Clariſſ. *Arenboldus* Hanoveranæ Bibliothecæ præfectus; qui & ipſe Bibliothecam epiſtolicam, opus ſanè deſideratiſſimum, meditatur, cujus Ichnographiam año 1746. Hanoveræ typis vulgavit. Unam Trithemii Epiſtolam ad *Petrum* Amorbachienſem Abbatem anno 1515. datam extulit Lambecius Comentarior. de Bibl. Vindob. To. III. Append. pag. 342. quam nuper ex autographo reſcripſit operoſus Vir P. *Ignatius Groppius* in Hiſtoria Amorbacenſis cœnobii pag. 189. qui alteram ad eundem excidiſſe autumat. Epiſtolam Trithemii ad *Albertum* Card. Archiep. Mogunt. A. 1516. datam & vitæ B. Maximi à ſe conſcriptæ præfixam exhibet *Joannes Latomus* in Catalogo Archiepiſcoporum Mogunt. apud *Menckenium* Tom. III. Scriptor. Rer. Germ. pag. 439. *Paulus Langius* Zwicavienſis Monachus *Creditivas* ſibi à Trithemio ad Abbates Germaniæ A. 1515. datas refert in ſuo Chronico apud Piſtorinm To. I. Rerum Germ. Binæ itidem Epiſtolæ Theſauro epiſtolico Trithemii augendo comparent in propylæo Elucidationis Pſalmor. Pœnitentialium *Petri Schwikeri* Carmelitæ A. 1514. in 4. Landshuti editæ. Una eſt Burckardi de Horneck ad Trithemium, altera eſt hujus ad eum reſponſoria 13. Julii A. 1513. data. Utraque ſerii valde argumenti, & digna quæ lucem iteratò adſpiciat. Ejusdem Literæ ad *Maximilianum* Imperatorem anno 1511. exaratæ, quibus Conciliabulum Piſanum diſſuadet, comparent in Chronico Hirſaugienſi editionis San-Gall. pag. 669. Epiſtolam quoque Trithemianam Lovanii in Chartulario Canonicorum Regular. S. Aug. in valle S. Martini latitare manuſcriptam meminit *Sanderus* in Bibl. Belgica Part. II. pag. 219. ſed quæ illa & ad quem nnn indicat. Plures ineditas ex Sereniſſ. Bavariæ Ducis Bibliotheca nuper beneficio humaniſſimi ac eruditiſſimi Viri D.ni *Oeffelii* Conſiliarii Aulici ſumus conſecuti, quarum aliquas hîc interſeruimus, alias propitiore Lucinâ in lucem prolaturi. Etſi verò nobis maximè in votis ſit omnes ejusmodi reliquias ſtudioſè colligere, *ne ambroſiæ illius pereat quidquam*, vereor tamen ne ſpes omnis novarum reperiundarum decollet, ſi quàm leviter hæc ſolia plerumque ſoleant diſpergi cogito, & ſecula elapſa, monaſteriorum vaſtationes, temporum & bellorum viciſſitudines, ignis & udoris pericula, tinearum & blattarum ſtrages, hísque omnibus nocentiores Barbarorum aut ineptorum Bibliothecariorum manus in animum revocn; qui cùm ejusmodi opes literarias, ut *Pici* aurum ſuum ſervare debuerant, eas ſæpenumerò inter emporeticas abjecerunt, aut ad nbſcœnos etiam uſus abſumpſerunt; viri ntique in Reipublicæ literariæ perniciem nati, proindéque loris ac piſtrina digni, vel potiùs ad ſuſtitudinas ferri crepidináſque inſulas relegandi, quàm Bibliothecis præficiendi. Sed de his alibi, ad ea, quæ reſtant enarranda, properamus.

Eâdem ferè ætate ſcripſit Trithemius

Nepiachus Rerum Trithemii.

mius *Rerum ſuarum Nepiachum*, id eſt, *Libellum de ſtudiis & ſcriptis propriis à pueritia repetitis.* Ita ipſe reſcribit in Epiſt. ad Eberbardum de Campis anno 1507. ſignatâ: *Scripſi*, inquit, *anno tranſacto rerum mearum Nepiachum.* Item in Epiſt. ad *Nicolaum Gerbellum* eodem anno datâ: *Nepiachum quoque annalium noſtrorum ab hora nativitatis in hunc diem perduximus.* Hoc opuſculum cum ejus *Hodæporico* ſeu *Itinerario vitæ* confundit *Buſæus*, diverſúsne ſit, dubitat Fabricius, unde mihi de diverſitate ſcrupulus ſubnaſcitur, quòd *Nepiachus* uno tantùm conſtet libro, *Hodæporicon* verò duobus, ut habet Epiſtola ad *Jacobum Syberti* an. 1508. data his verbis: *Scripſi autem in hac Abbatia mea. . . Hodæporicum meum libros duos.* Idem notat Duracluſius: *Ad Jacobum Trithemium fratrem ſuum, Itinerarium vitæ ſuæ libros duos.* Utrumque etiam opus diſtinguunt Labbeus & reliqui ferè Catalogographi; ſed ſolius *Itinerarii ſui* mentionem facit Trithemius in Hirſaugienſi indice, & in Epiſtola ad Joannem Capellerium: *Scripſi*, inquit, *Itinerarium totius vitæ meæ à tempore nativitatis meæ usque ad hunc annum* 1507. . . Quid rei ſit, difficile eſt definire, neque verò pugnare contendo. *Nepiachum* extulit *Joan. Georg. Eccardus* Tomo II. Corporis hiſtorici medii ævi N. XIII. ita in eum præfatus: *Magna Joannis Trithemii fama fuit ſub finem ſeculi XV. Vitam ejus nondum quis in literas retulit. Unde ipſum eandem, ſcriptáque ſua recenſentem audire operæ pretium erit. Titulum* Nepiachi *ſive* puerilis *ipſe libello dedit. Manuſcripto chartaceo, unde is depromptus eſt, præſcripta erant hæc, quæ non præterire debui verba:* Joan. Trithemius *Abbas Spanheimenſis & S. Jacobi Herbipolenſis, Philoſophus ſummus naſcitur in Tritheubeim ad Moſellam tertio à Treviris lapide A.* 1462. *kal. Februarii.* Hæc ille.

1508. Contra Simoniam.

XLV. Eo quoque tempore Trithemius ad propoſitam ſibi quæſtionem reſpondendo unum conſcripſit librum *contra pernicioſum Simoniæ ac proprietatis clauſtralium morbum, & vitium maximè Monialium*, quod opuſculum *Burchardo de Horneck* Medicinæ Doctori pro ſua nepte inſcriptum meminit Buſæus. Ejus mentio occurrit in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum, ſed inter deſiderata hodie numeratur: his verò incipit verbis: *Eſt cœnobium quoddam Monialium. . .*

Orationes ſupplicator.

Sub idem tempus conſcripſit *Orationem ſupplicatoriam ad proprium Angelum.* Aliam inſuper *de Paſſione Domini*; ac ſimilia minoris notæ ſynthemata, quæ extant in codice membranaceo Univerſitatis Herbipolenſis.

Hiſtoria Saxonū.

In quadam Epiſtola ad *Fridericum* Saxoniæ Ducem his diebus data ſcribit ſe velle conſummare *Hiſtoriam de geſtis Saxonum ab Adamo de Fulda* inchoatam, quod utrùm perſecerit, ignoramus.

Dominicæ Paſſionis exercitium. Libri XII. de Dæmonibus.

Addit in ſæpè laudata ad *Jacobum Syberti* Epiſtola ſe tum temporis *Dominicæ Paſſionis exercitium*, & aliud opus duodecim librorum *de Dæmonibus prænotatum contra omnes ab Eccleſia prohibitas artes* ſub incude verſâſſe. Anſam huic procudendo operi dediſſe videtur *Maximilianus* Imperator, qui cum Trithemii ſummam & doctrinam & prudentiam baberet præcognitam, eum ad ſe accivit, variáſque quæſtiones arduas ſanè noſtríſque Theologis prope inextricabiles eidem propoſuit. Rem ipſe Trithemius pluribus enarrat in auctario Chronici Spanheimenſis MS. quem audire non abs re fuerit: „ Anno præ-

Trithemius à Maxim. Imp. Coloniam accerſitur.

„ ſignato MDVIII. die XXVI. Aprilis
„ Maximilianus Romanorum Cæſar
„ invictus per literas & nuncium ad ſe
„ jam tertiò vocavit Abbatem *Trithe-*
„ *mium* præmiſſis quadraginta duca-
„ tis ad viaticum. Qui cum reluctari
„ diutiùs non poſſet tantæ Majeſtatis
„ imperio, die præfatâ, quæ fuit quar-
„ ta feria poſt Paſcha, exivit Peapo-
„ lim, & deſcendens Moguntiam, ubi
„ Principes quidam Imperii convene-
„ rant, uno & XX. diebus Cæſaris (qui
„ erat in Colonia) præſtolabatur ad-
„ ventum. Quintâ die menſis Maji
„ *Bernhardinus* Cardinalis S. Crucis in
„ Jeruſalem Apoſtolicæ Sedis Legatus
„ intravit Moguntiam, & in Conven-
„ tu Fratrum Carmelitarum, ubi ho-
„ ſpitabatur Abbas Trithemius, & ipſe
„ manſionem accepit. Die autem
„ Maji XII. Legatus Apoſtolicus me-
„ moratus *Jacobum* Archiepiſc. Mo-
„ gunt. *Mathæum* Epiſc. Gurcenſem.
„ & *Joannem Trithemium* invitavit ad
„ menſam; qui cùm eſſet S. Theolo-
„ giæ Doctor acutus, completâ refe-
„ ctione, ſolemnem *de proceſſione Spi-*
„ *ritûs ſancti* habuit diſputationem...
„ Intereà Maximilianus Cæſar per Epi-
„ ſcopum Gurcenſem informatus de
„ adventu Abbatis Trithemii ad Mo-
„ guntiam, ambos per literas vocavit
„ Coloniam. Die Maji XXVI. Trithe-

„ mius cum Epiſcopo memoratò venit ad *Agrippinam Civitatem.* . . & manſit in ea diebus decem; introductus tandem ad Cæſarem cauſas vocationis ſuæ ab ejus ore audivit.

Synthemata eidem ab Imp. propoſita.

Prima fuit quarumdam quæſtionum in Scripturis enucleatio. *Secunda* omnimodæ hiſtoriæ Cæſarianæ conſcriptio. *Tertia* ipſius monumenti, quod fabricatur in Auguſta pretioſiſſimè, *carminum additione* ſimul & Ordinis militiæ S. Georgii contra turcas per ejus ſcripta decoratio. Hæ Trithemianæ vocationis ad Cæſarem cauſæ fuerunt. Propoſuit enim Trithemio Cæſar octo raras quæſtiones, quarum ab eo ſolutionem, quantum fieri poſſet ſine injuria fidei Chriſtianæ, poſtulabat in ſcriptis.

Octo QQ. Imperator.

1. De Fide & intellectu.

„ Prima quæſtio fuit: *Quare omnipotens Deus potiùs credi à mortalibus voluerit, quàm ſciri vel intelligi, eo videlicet modo cognitionis, quo cognoſcitur à Sanctis in cælo Angelis & ſpiritibus jam ſeparatis?*

2. De fide ad ſalutem neceſſaria.

„ Secunda quæſtio fuit: *Cùm parva mundi habitabilis particula hodie legibus pareat Chriſtianis, quid de quorumdam ſit opinione tenendum, qui unumquemque in ſua religione quam credit veram, putant eſſe ſalvandum, & maximè quibus fides Chriſti nunquam innotuit?*

3. De miraculis Infidelium.

„ Tertia quæſtio fuit: *Si nemo extra fidem Chriſti poteſt credi ſalvandus; unde infidelibus miracula?* Quoniam hodie fieri apud incredulos ad invocationem Dei miranda, multorum eſt relatione manifeſtum.

4. De ſacra Scriptura.

„ Quarta quæſtio fuit: *Quare Dominus Deus Scripturam ſanctam fidei noſtræ myſteria continentem, non dedit apertam, manifeſtam & lucidam, ſed involutam potiùs, & in multis locis occultam, ſibique contrariam?*

5. De reprobis & maleficis.

„ Quinta quæſtio fuit: *Quare homines impii, ut ſunt mulieres maleficæ, ſpiritibus queant imperare malignis, cùm boni viri Catholicæ fidei cultores integerrimi, neque bonis imperare valeant, neque malis?*

6. De poteſtate maleficarum.

„ Sexta quæſtio fuit: *Unde poteſtas hæc tanta maleficis, quâ facere tot miranda poſſunt in una hora, qualia vel quanta nullus bonorum hominum facere poſſet in omni vita ſua, quantumcunque doctus fuerit?*

7. De permiſſione divina.

„ Septima quæſtio fuit: *Quare omnipotens Deus cùm ſit juſtus & miſericors ac vindex malorum, tanta fieri maleficia permittat in perniciem humani generis, quibus maximè & frequentiùs læduntur innocentes?*

8. De Providentia Dei.

„ Octava quæſtio fuit: *Utrùm naturali ratione probari poſſit Deum habere curam inferiorum, humanorúmque actionum, omniúmque quæ geruntur in terra certam & infallibilem habere cognitionem & providentiam?*

„ Ad has octo quæſtiones Maximiliani Cæſaris Joannes Tritemius Abbas quantum potuit ex tempore tunc reſpondit; Verùm Cæſar volens ejus reſponſiones habere in ſcriptis, mandavit, ut eas in libellum redigeret, & ſuæ Majeſtati quantociùs exhiberet. Quod & factum fuit. Sequebatur autem Tritemius Cæſarem in ejus curru ſubvectus à Colonia in Segeberg, & inde usque ad Bopardiam, ſempérque fuit eorum de variis rebus diſputatio. . . *Hucusque Chron. Spanh. MS.*

Libellus octo QQ.

Ad ſuum itaque regreſſus Monaſterium totus deinceps fuit in arduis iſtis enodandis difficultatibus ſibi à Cæſare propoſitis; unde prodiit aureus ille *Libellus octo Quæſtionum Theologicarum,* lectu ſanè perjucundus & dignus prædicatu, quem *Guillelmus Cave,* & *Olearius* titulo *Curioſitatis Regiæ* perperàm inſigniunt contra fidem Manuſcriptorum veterúmque editionum, quæ noſtram inſcriptionem in fronte præferunt. De hoc verò *ſingulari planè & præclaro opere* Cæſar ipſe in ſuis ad Trithemium Epiſtolis anno 1511. datis ita reſcribit: *Accepimus literas tuas, quibus ſignificas te illud ſingulare & pulchrum opus octo Quæſtionum noſtrarum, de quo edendo te aliàs hortati fuimus, usque ad calcem deduxiſſe, & jam penè perfeciſſe, quod nobis jucundiſſimum eſt, eritque & nobis ad maximam ſatisfactionem, tibi ad perennem famam; quoniam ſcimus, quæ ex te viro literatiſſimo & integerrimo procedunt, nonniſi excellentia & paria magnitudini tuæ, & quæ perpetuo à Principibus viris ediſcenda ſunt. Sed cum jam & bello maximo (propter quod cogimur Italiam petere) & convocandæ univerſalis Eccleſiæ maximè impliciti ſumus negotio, non poſſumus his jam vacare, ſed in reditu noſtro evocabimus te cum eodem opere tuo ad nos, & tecum de ſingulis præſentes latiùs diſſeremus. Ideò eundem librum penes te benè cuſtoditum retinebis...* Hæc ſapientiſſimus Imperator. Trithemius verò in ſuis ad eum reſponſoriis die 25. Augusti

guſti ejusdem anni ſignatis reſcribit: *De octo Quæſtionum Serenitatis tuæ libello, quem te imperante conſcripſi, faciam, quod jubes.* . . Videtur itaque hoc opus Cæſari primùm obtuliſſe anno 1512. dum *Maximilianus* ipſe Herbipolim venit, utì habet noſter in Chronico Hirſaugienſi; Licèt ad calcem operis legatur miſſum ad Cæſarem ex Civitate Neometana die x. Julii anno 1508. . . Lucem verò adſpexit publicam typis cônſignatum primò *Oppenheimii* anno 1515. & 1518. in 8. Deinde iterato prelo repetitum Coloniæ A. 1533. *Francofurti* annis 1534. 1550. & 1569. in 8. *Summo ſemper ſtudio plausúque Eruditorum exceptus eſt ille Libellus, hodiéque ob præſtantiam & raritatem plurimorum votis expetitur, ut qui nec inter Opera Trithemii curante *Frebero* A. 1601. junctim edita, nec inter ejus ſpiritualia à *Buſæo* Moguntiæ A. 1604. vulgata comparet, ſed tantùm inter *Paralipomena Petri Bleſenſis & Joan. Trithemii* ab eodem *Buſæo* typis Balthaſaris Lippii A. 1605. ibidem procurata. Eadem *Paralipomena* ſecundùm ſunt excuſa Coloniæ Agripp. apud Joan. Wulſeraht A. 1624. in 8. Opus tamen minùs hodie Bibliopolis cognitum eſt, teſte *Lambecio*, quem laudat & ſequitur *Reymannus* in Bibliotheca acroamatica pag. 177. . . Ceterùm præter editiones, quas retuli, alterius Moguntiæ per *Joan. Albinum* anno 1600. in fol. adornatæ meminit *Joannes Cleſſius* in Elencho Libror. Theol. Pontif. p. 323. de Scriptoribus ſeculi XVI. Coloniæ itidem prelo *Balthaſaris Clipei* liberatus eſt A. 1603. & iterùm 1624. cum *Jacobi Mindendorpii* Quæſtionibus Theologico-Politicis. Fragmentum earumdem Quæſtionum à quinta publici ſecit juris R.mus *Sigismundus* Abbas Seonenſis unacum Trithemii Apologiâ *Ingolſtadii* A. 1616. in 4. Tres quoque quæſtiones *de reprobis & maleficiis* extant in flagello Hæreticorum *Francofurti* A. 1581. typis excuſo. Eædem QQ. de maleficis mantiſſæ loco nuper adjectæ ſunt libello *Diſquiſitionis Numiſmaticæ de Cruculis S. P. Benedicti*, procurante R.mo D.no *Beñone* Brzwnovienſis S. Margarethæ prope Pragam Archiſterii Abbate, *Viennæ* A. 1743. edito. Quintam ferè integram reſcripſit *Martin. Delrio* in ſuis Diſquiſitionibus magicis Libr. II. Q. 27. Sect. 2. multis additis, quæ ad explicationem facere judicavit, in nova Trithemianorum editione haud negligenda. Extare verò opus integrum manu ipſius Trithemii exaratum in Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea, refert *Lambecius* in Comm. *Libr. II. pag.* 805. ubi indicem illarum QQ. tamquam argumentum & ſpecimen totius operis repræſentat, diverſum planè ab editis ſuprà memoratis. *Confer Chron. Hirſaug. ad A.* 1511. Joan. Vogtii *Catalog. Libror. rarior. pag.* 589. *vel* 779. Schelhorn. *Amœnit. lit. Tom. V. pag.* 289.

*Idem Opus germanicè ad inſtantiam *Vigalei Handsi* ab *Hieronymo Zieglero* verſũ prodiit hoc titulo: *Trithemii Antwort auf* 8. *Fragſtuck* MAXIMILIANI IMP. *Ingolſtadt* 1556. *in* 4. Extat in Ratisbonenſi Sant-Emmerami Bibliotheca A. 1582.

XLVI. Circa idem tempus procudit Trithemius *Antipalum Maleficiorum* Libris IV. comprehenſum, & *Joachimo* Brandeburgico inſcriptum. Ejus operis exemplaria duo Manuſcripta, & *Conradi Peutingeri* notulis illuſtrata in eodem, quod mireris, codice chartaceo nitidiſſimè compacto Auguſtæ Vindelicorum in Peutingeriana Patrum Soc. Jeſu Bibliotheca adſervari certis didici auctoribus; &, ſi quid expedit ſcire, codex notatur M. M 2. 15. Orbis verò eruditi conſpectum ſubiit inter paralipomena ſuperiùs laudata accurante *Joan. Buſæo* Moguntiæ apud Balthaſarum Lippium 1605. in 8. edita. Nuncupatoria Libri I. ad *Joachimum* Brandeburgicum ex Peapoli die XVI. Octobris anno 1508. data inſtituti rationes his deprompſit verbis: *Antipalum Maleficiorum*, id eſt, *Adverſarium ut ſcriberem, tua*, Sereniſſime Princeps! *juſſio fecit. Nefandum genus eſt hominum maleficorum, præcipuè autem mulierum, quæ malorum cooperatione Dæmonum, ſive veneficiis innumeras humano generi clades inferunt. Contra quarum impietatem hunc brevem quidem, ſed non penitùs inutilem, ut confido, Antipalum comportavi. Continebit enim cauſas inprimis & variam multitudinem maleficiorum, quibus maledicta gens ſuit incantationibus, & homines multipliciter lædit, ac ſubitò interficit jumenta. Deinde modum dabit ſecundus Antipali ex ordine libellus, quo ſe quisque tutum & ſalvum ab incurſione maleficiorum ſervabit, ut nec in eum, nec in ejus jumenta queant prævalere. In tertio autem remedium tradetur Eccleſiaſticum per ſanctos & licitos exorciſmos, quibus olim in primitiva Eccleſia viri boni & Deum timentes maleficia hominibus impoſita conſueverunt removere. In quarto remedia dabimus contra maleficium impotentiæ, quibus nonnulla connectimus vana & ſuperſtitioſa, ut ea ſcias duntaxat, non autem quod illicita debeas practicare.* Quatuor itaque libris totum opus abſolvitur, cui titulum indidit:

1508. Antipalus Maleficiorum.

Antipalus, id eſt *Adverſarius*, ſive *Antitheſis Maleficiorum*, quia totus quantus adverſatur maleficiis tum præſervando homines, ne maleficarum incantatione lædantur, tum etiam læſos curando & promovendo ut ſanentur. Siquæ his intermixta ſint, quorum iſthîc non fit mentio, utilitatis causâ inciderunt. Argumenta Capitum libri primi hæc

Contenta Libri I.

ſunt: I. Agit de primo genere Maleficarum, quæ nullum manifeſtum pactum habent cum Dæmonibus. II. De ſecundo genere maleficarum, quod implicitè illuditur à Dæmonibus. III. De tertio genere, quod commercium manifeſtum habet cum Dæmonibus. IV. De genere maleficarum peſſimo, quod ſe homagio Dæmonibus facit proprium.

Libri II.

Libro altero tractat I. De primario à maleficiis præſervativo, nempe de puritate conſcientiæ. II. Oſtendit, quòd firmitas fidei Chriſtianæ inſuperabile ſit præſervativum contra maleficia. III. Quòd reverentia Sacramentorum & rituum Eccleſiæ multum valeat contra maleficium. IV. Quòd res per Sacerdotum exorciſmos benedictæ multum valeant contra maleficia. V. Agit de quibusdam particularibus præſervativis.

Tertii,

In tertio libro agitur de modo quodam curandi vel amovendi maleficium ſecundùm antiquam Eccleſiæ cunſuetudinem, nempe per balneum, cujus præparandi & benedicendi modus traditur.

Quarti.

In quarto exponuntur quinque quæſtiones à Joachimo Brandeburgico propoſitæ, videlicet I. Quare Dæmones proni ſint ad imponendum viris maleficium impotentiæ? II. An licitum ſit maleficium maleficio repellere? III. An membrum virile, quod maleficio aufertur, realiter ſit ablatum? IV. An ſint remedia aliqua quibus impotentiæ maleficium licitè queat removeri? Ubi remedia quædam Eccleſiaſtica præſcribuntur. V. Quare non ſemper maleficium removeatur per exorciſmos & orationes Eccleſiæ? Quibus ſubnectitur exorciſmus brevis contra impotentiæ maleficium. Hoc itaque opuſculum videtur eſſe fragmentum vel quinque librorum, quos contra Maleficos & artes ſuperſtitioſas moliebatur, aut certè duodecim illorum, quos in Epiſtola ad *Rogerium Sicambrum* A. 1507. datâ ſpoſponderat ſe ſcripturum *de Dæmonibus artibúsque profanis & maleficiis eorumdem, quibus humanum genus decipiunt*, quósque in Epiſt. ad *Jacobum Syberti* anno 1508. ſignatâ ſub incude jacuiſſe memorat. Circa idem tempus ſcripſiſſe videtur libros duos *de Prænotionibus licitis & non licitis homini-Chriſtiano* ad eundem *Joachimum* Brandeburgicum, quod opus ſolo titulo nobis eſt cognitum, nec illius in Hirſaugienſi Catalogo ulla fit mentio.

De Prænotionibus.

Libri XX. variarum QQ.

Hoc itidem decurſu temporis exaráſſe credimus *Libros XX. variarum quæſtionum, orationum & propoſitionum* ad alteſatum Marchionem Joachimum; cujus operis meminêre *Duraclusius* in ſuo indice, & *Paulus Langius* Poſavienſis Monachus in ſuo adversùs Wimphelingi deliramenta libello Cap. XI. his verbis: *Prætereà*, inquit, *ad Illuſtr. Joachim Marchionem Brandeburgenſem Electorem, auditorémque ſuum volumen XX. Librorum edidit, eíque offerendo dicavit.* Hæc ſcribebat Langius ante A. 1510. quo hoc opuſculum Trithemio obtulit hodienum in S. Jacobi Herbipolitano Scotorum Monaſterio adſervatum. Num verò præfatum *Trithemii* opus ab eo ſit diverſum, quod *Panalethia de variis QQ. naturalibus* intitulatur, ſub judice lis eſt, ex ipſis Manuſcriptis, quæ videre nobis necdum obtigit, venturis ſolibus decernenda. In Hirſaugiano indice mentio fit tantùm *Viginti librorum quæſtionum naturalium ad Joachimum Brandeburgicum*; unde ſuſpicamur opus eſſe idem cum *Panalethia*, quæ ibi reticetur.

1509. Chronica Hirſaug. Spanheimenſ. S. Jacobi, & alia.

XLVII. Subſequenti tempore ſe totum *in Chronico Hirſaugienſi*, quod mutilum reliquerat, augendo, perpoliendo & complendo occupatum fuiſſe teſtatur noſter in Epiſtola ad *Joan. Piemontanum* die xxi. Octobris anno 1509. datâ apud Buſæum pag. 975. ubi: *Ut literis*, inquit, *reſpondeam tuis, te ſcire volo, quòd iſto anno toto ſum occupatus in editione Chronicorum ſive Hiſtoriarum Monaſterii Hirſaugienſis. Opus eſt magnum, & per annos fermè ſeptingentos à fundatione prima usque in hæc tempora continuandum. Etenim primam editionem mancam olim dimiſſam, iterùm à principio promiſſione remunerationis acceptâ nuper inchoavi, erítque neceſſe continuare in finem. Hinc fit, quod Commentarios in Regulam, ſicut propoſueram, aggredi animo tuo haud potero...* Eadem de cauſa hoc quoque anno finem impoſuit *Auctario manuſcripto Chronici Spanheimenſis*; uti & Compendio hiſtoriæ fundationis & reformationis Monaſterii, cui præerat,

S. Jacobi

S. Jacobi in ſuburbano Herbipolenſi, quod tamen in ſequentes annos perducere voluiſſe indicat charta reſidua ductibus ſignata. Poſtremùm hoc opus è MS. Jacobæo, quod vidimus, erutum in lucem protulit Buſæus cum aliis ejus ſcriptis Moguntiæ A. 1604. Idem refudit *Joan. Petrus Ludewigius* Tomo II. Scriptorum Rer. Wirtzeburg. *Francofurti* A. 1713. à pag. 993. Additamenta quædam ſuppeditat Clariſſ. P. *Ignatius Gropp.* noviſſimæ Collectionis ſuæ Rerum Herbipol. Tomo I. pag. 400. & 516. qui itidem pag. 819. *Catalogum Epiſcoporum Wirceburgenſium* à Joanne Trithemio breviter concinnatum & ad annum MCCCCXCV. deductum ex codice MS. S. Stephani Wirtzeburgi reſcripſit. Ita verò de eo diſſerit Editor: *Secundi quem afferimus Epiſcoporum Wirceburgenſium Catalogi Scriptor fortaſſe fuit Joannes Trithemius S. Jacobi Wirceburg. Abbas, tum quòd Trithemii manu ſit exaratus, tum quia de* Embricone *Epiſcopo aſſeverat eum Monaſterium* ſuum, h. e. *S. Jacobi fundâſſe.* Hæc ille, ſed quæ in ſuſpicionem contrarii eum impulerunt, mihi ſanè haud tanti videntur ponderis, ut opus Trithemio abjudicetur; conſtat enim reliqua collectanea in eodem codice contenta ejus diligentiæ deberi. Ea verò ſunt 1. *Succinctus Epiſcoporum Bambergenſium Catalogus*, Trithemii manu exaratus. 2. *Nomina diverſorum Principum, Imperatorum, Regum ac conjugum eorum in Spirenſi Eccleſia quieſcentium.* Opus ut nobis videtur ab ipſo Trithemio, dum apud Nemetes verſaretur, collectum, & ejus Amanuenſis calamo exaratum, atque Trithemii manu hinc inde interpolatum. Hæc verò ad calcem ſuâ manu adjecit: *Philippus de Roſenberg. . : obiit anno Domini MDXIII. . . Georgius Comes Palatinus Bavariæque Dux major Præpoſitus Eccleſiæ Moguntinæ, filius Philippi Comitis Palatini defuncti, frater Ludovici hodie regentis, Philippi quoque Epiſcopi Friſingenſis, & Joannis Epiſcopi Ratisbonenſis, ſit Epiſcopus Spirenſis anno MDXIII. in numero ſexageſimus quartus.* Sequuntur *Annales de origine Francorum* A. 1515. editi. Ita ut inde pronum ſit colligere hæc collectanea fuiſſe ad majus, quod vergente ætate moliebatur, opus *de rebus Germanicis*, quorúmque maximam partem laudato *Hirſaugienſi Chronico* inſeruit, uti ad A. 1513. prolixiùs ediſſeram. . . Vitas verò & res geſtas Epiſcoporum Herbipolenſium libro ſuo *de origine Francorum* adjecit. *Quo in vitulo*, inquit Ill. Ludewigius de Script. Wirtzeb. præf. §. XIV. *Caſparus Bruſchius aliique ſuccedente tempore Scriptores rerum Herbipolenſium ſtrenuè araverunt.* Scripſit præterea ſub id tempus *Meditationum & Orationum Dominicæ Incarnationis, Nativitatis, Vitæ, Paſſionis & Mortis*, opuſculum aſceſin ſpirans & devotioni ſovendæ conveniens libris duobus complexum, quod idem nobis videtur cum illo, cujus meminit in Epiſtola ad Jacobum Syberti his verbis: *Dominicæ Paſſionis exercitium, quamprimùm in lucem ediderimus, ad te dabimus perferendum.* De eo itidem in Catalogo Hirſaugienſi: *Scripſi etiam Exercitium totius vitæ, actionis & Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti, per modum orationis & gratiarum actionis.* Multas quoque devotiſſimas *Meditationes & Orationes de Domino noſtro Jeſu Chriſto, de ſanctiſſima ejus Genitrice Maria Virgine, atque de variis Sanctis*, pulchrâ varietate compoſuiſſe perhibet *Joan. Duracluſius* in ſæpè laudata ad *Nicolaum Hamerium* Epiſtolâ, ubi addit ipſum *Steganographiæ libros octo ad Joachimum Brandeburgicum* circa hoc tempus abſolviſſe.

Catalogus Epiſcoporũ Wirtzeburgenſ.

Bambergenſium.

Aſcetica quædam.

In notitiis quibusdam privatis laudatur ejusdem *Libellus precum* in proprium uſum græco ſermone hâc ætate compoſitus. Aliæ quædam ejus commatis opellæ extant in Cod. MS. Bibliothecæ Univerſitatis Herbipolenſis. His itidem diebus illud adversùs ineptas *Bovilli* calumnias procudiſſe videtur *Propempticon* ſeu *Apologeticum*, de quò ipſe in Catalogo Hirſaugienſi poſtremo loco: *Scripſi*, inquit, *contra Carolum Bovillum, qui me falsò Magum & Necromanticum, in quadam Epiſtola ad Germanum Ganay calumniatus eſt, libros duos, in quorum primo reſpondens ejus Epiſtolæ, ipſum falſum oſtendi atque mendacem. In ſecundo ſatisfeci his, ſi qui ſunt forſitan, qui mendaciis ejus fidem præſtiterunt.* Hoc opuſculum hactenùs deliteſcit ineditum. Nam quæ hac de re haud ita pridem *Colerus* in ſuæ Anthologiæ *Tomo I. Faſc.* 1. *pag.* 41. exhibuit, ex Trithemii Neplacho deprompta ſunt; quibus jungenda ſuo quodam jure fuiſſent, quæ ipſe Trithemius in Chronico Hirſaugienſi *Part. II. pag.* 588. adversùs obtrectatorem ſuum reſcripſit. De reliquis rebus ipſius adſcribo verba Chronici S. Jacobi: *Anno MDIX. nonâ die menſis Martii Joañes Trithemius ſæpiùs vocatus per Comites de Iſenburg*

Apologia adversùs Bovillum.

ad

ad eos in Budingen, quædam in Cryptographicis dubia expoſiturus deſcendit, manſitque ibidem cum eis, diebus viginti in Quadrageſima... Anno præſcripto Ser.mus Princeps Joachim Marchio Brandeburgicus iterùm nuncium pro Abbate Trithemio miſit & viaticum, qui tamen aliis cauſis & negotiis impeditus venire ad illum non potuit.

1510. Vindiciæ Trithemii per Paulum Langium.

XLVIII. Cùm porrò hâc tempeſtate *Jacobus Wimphelingus* Presbyter & Theologus doctrinâ alioquî conſpicuus, ſed ſcribendo plurimùm acerbus & ſpinoſus, libellum quemdam *de integritate* evulgâſſet, moréſque Religioſorum & ingenia, ac inter alia *Librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis* à Trithemio editum nimis temerè & inſipienter reprehendiſſet, eum erroris inſimulans, quòd Ordini Benedictino *Gregorium M. Alcuinum* & *Ven. Bedam* vindicâſſet, calamum in ejus deliramenta nutu ductúque Trithemii ſtrinxit *Paulus Langius* Poſavienſis Monachus tunc Herbipoli ſub ejus diſciplina conſtitutus, opúſque bipartitum in laudem & defenſionem Clauſtralium conſcripſit, de quo ipſe in ſuo apud Piſtorium Chronico Tom. I. Scriptor. Germ. pag. 1124. & 1267. Ejus opuſculi autographum *Conrado* Abbati S. Stephani anno 1510. nuncupatum in chartulario S. Jacobi Scotorum hodiéque adſervatur. Cur verò ipſum Trithemium in hujus operis hyperaſpiſten non elegerit, indicat author in Nuncupatoria his verbis: *Tum quia cauſam ipſius pro parte tuendam ſuſceperam, tum quia continua illius & ſtudia & arcana Philoſophiæ necnon Theologiæ ſpeculationes altiſſimas, meis ineptiis diſturbare ſive moleſtare pertimui.* Fuſiùs in Trithemii laudes excurrit Capp. IX. X. & XI. *Quia reverà*, inquit:

Hic eſt præ reliquis noſtri clariſſimus Abbas
Temporis, haud ullum cui reor eſſe parem.

Achilles Pirminius Gaſſarus in Annalibus Auguſtanis apud Menckenium Tom. I. rerum Germ. *pag.* 1739. ad A. 1510. refert, *Joannem Trithemium Abbatem Nepolitanum doctiſſimum* eo tempore *Sequentiam ſeu* Proſam de B. Anna

Proſæ de S. Anna.

Servatoris Chriſti Aviâ in gratiam Provincialis Carmelitarum Auguſtæ Vindelicorum tunc reſidentis compoſuiſſe, cantandámque illuc transmiſiſſe. Tres ejusmodi proſæ à Trithemio concinnatæ circumferuntur; Una quæ incipit: *Jeſu cœlorum Regis...* ſcripta ad inſtantiam *Joannis* quondam Archiepiſcopi Trevirenſis cantanda ſub melodia: *Ave præclara...* Cujus literæ verſuum capitales nomen Trithemii repræſentant. Altera in ejus feſto canenda ſub tono: *Congaudent Angelorum chori.* hoc exordio: *Exultent in hac die...* Tertia de eâdem ſcripta ad petitionem *Joannis Fortis* Carmelitarum Provincialis incipit: *Jubilemus in honore*, canitúrque ſub melodia: *Lauda Sion Salvatorem.* Hujus capita verſuum nomen indicant poſtulantis. Breviorem quoque orationem de S. Anna in gratiam *Richmodis de Horſt* Abbatiſſæ Sebacenſis condidit, cujus initiales literæ dictionum hunc reddunt ſenſum: *Sana me miſerum Trithemium ac Richmodem de Horſt Virginem Chriſti ſponſámque devotam...* Incipit: *Salve Anna...* extátque cum aliis in codice membranaceo Univerſitatis Herbipolenſis.

Eodem anno *Henricus Cornelius Agrippa* percelebris nominis Philoſophus, opus ſuum de occultiore Philoſophia *Trithemio* ſubmiſit cenſurandum. In Epiſtola operi præfixa gloriatur *Cornelius* multa ſe cum eo de *Chymicis* multa de *Magicis* & *Cabaliſticis*, ceteríſque adhuc in obſcuro deliteſcentibus arcanis Scientiis & Artibus contuliſſe; unde conantur nonnulli evincere *Trithemium* curioſis ejusmodi ſtudiis ſubinde plus æquo indulſiſſe, partámque nominis famam vergente jam ætate nonnihil exinde obſcurâſſe; Sed hæc alibi commodiùs ad incudem revocabimus. Certè occupatiorem in ſcribendo fuiſſe Trithemium, quàm ut ejusmodi offuciis vacare potuiſſet, ex ejus planum fit lucubrationibus. Quin potiùs magicæ vanitatis mancipia, terrores, ſomnia, portenta, genios, lemures, ſtultiſſimáſque ejusmodi obſervationes, quarum plenus eſt *Agrippa*, flocci facit ubique, & explodit, quemadmodùm ex ejus ſcriptis ultrò adparet.

XLIX. Anno 1511. libros duos *de miraculis B. Mariæ Virginis in Eccleſia nova oppidi Dittelbacenſis haud procul Herbipoli patratis* abſolvit; cujus quidem ſuſcepti laboris rationem exprimit ipſe cap. 2. libr. 1. his verbis: *Cùm igitur anno Dominicæ Nativitatis decimo ſupra quingenteſimum atque milleſimum veniſſem pro quodam negotio ad ſupradictum oppidum* Dittelbach, *novam in arena capellam unâ cum venerabili Abbate S. Stephani* Conrado & Caſparo Pfiſter *majoris Eccleſiæ Herbip. præbendato... cauſa devotionis adii & omnia... quàm diligentiſſimè perluſtravi. Inter multa verò, quæ reperi ad memoriam ſanctæ Dei Genitricis... oblata.. ſchedas*

1511. De miraculis B. M. Virginis in Dittelbach.

vidi

vidi papyreas in gyro parietum plures certis oblationibus imaginariis de cera, ut fieri ſolet, affixas, in quibus homines diverſa beneficia ſanitatum conſcripſerant, quæ meritis ſuperinnocentiſſimæ Dei parentis Mariæ ibidem fuerant conſecuti. Et quia non eſt bonum abſcondere tanta Dei beneficia, conſilium dedi Magiſtris fabricæ, qui erant ex Senatu duo ſeniores, quatenus omnia miracula per ſchedulas in teutonica lingua ſparſim ſcripta in unum facerent codicem latino comportari ſermone, pro ædificatione non ſolùm præſentium, ſed etiam ad memoriam poſterorum. Res ad commune ſenatûs defertur conſilium & placuit cunctis. . . Unde rogatus nomine totius conſilii, quatenùs hunc ſcribendi laborem pro honore Dei ſubirem, contradicere non potui... Manum itaque operi illicò admovit *Trithemius*, illúdque an. 1511. ad finem usque deductum Senatui oppidi Dittelbacenſis inſcripſit die VI. Octobris, ut ex præfatione liquet apud *Buſæum*, qui geminos hoſce libros extulit inter Tritheniana. Eosdem reſcripſit diligens rerum Wirtzeburg. Collector P. Ignatius Groppius *Tom. I. pag.* 176. In primo ſtatim libro probat *Trithemius*, nec ſe nec alios Scriptores jure argui poſſe, quòd nova miracula ſcriptis conſignent; deinde ſuſcepti laboris rationes depromit, & dicendorum veritatem teſtimoniis præmunit. Tum verò à Cap. 3. originem peregrinationis ſacræ ac concursûs populi ad imaginem & ædem B. M. V. in Dittelbach exponit, docétque quomodo iſte concurſus ex divina præordinatione ſumpſerit exordium. Capite VIII. oſtendit, quot & quanta ex hujusmodi peregrinationibus, quarum plures recenſet, proveniant bona. Cap. IX. & ſequentibus Mariani cultûs dignitatem & utilitatem, ipſiúsque ſanctiſſimæ Matris erga genus humanum beneficentiam & patrocinium commendat: Ac denique fideles ad perſeverantiam devotionis & peregrinationis illius continuationem exhortandos aſſeverat. Integro libro ſecundo ſexaginta & amplius miracula ſeu ſanitatum beneficia per ordinem temporis ab anno 1505. usque ad 1511. eo in loco facta enumerat, quorum ſe ſignorum Scriptorem exhibet, non judicem. In fine addit: *Complevi autem hunc ſexagenarium miraculorum numerum ſextâ die menſis Auguſti A. Domini* 1511.* Quo item tempore abſolvit primam partem Chronici Hirſaugienſis poſtremæ editionis, ut ipſe ad calcem

* *Confer. Ignatii Gropp. To. I. rerum Wirtzburgenſ.*

insinuat. Eo quoque anno celebratis in Brauweilerenſi prope Coloniam Abbatia Burſfeldenſium comitiis deſignabatur *Trithemius* ad ſermonem habendum in Capitulo Burſfeldiæ A. 1512. celebrando; ſed cùm ille non compareret, ejus vices obivit R.mus D. *Jodocus* Abbas Flechdorfienſis prælecto Trithemii ſermone ad capitulum transmiſſo. Cùm verò iisdem diebus Cardinales quidam conciliabulum Piſæ contra Julium II. Pont. Max. propria temeritate indixiſſent, *Maximilianus* Imperator in hujus rei graviſſimâ causâ quid agendum ſibi foret, datis alterâ vice ad *Trithemium* literis conſilium ab eo poſtulavit, monuítque ut ad illud ſe interim præpararet, ſcriberétque quid hac de re ſentiret. Cui tandem *Trithemius* tantæ Majeſtatis imperio velut neceſſitate coactus, mentem ſuam prolixè explicuit, multísque & gravibus argumentis diſſuaſit, in illegitimi conciliabuli partes ne abiret, datâ ad Imperatorem Epiſtolâ die XXV. Aug.

L. Subſecuto inde anno *Maximilianus* Imperator venit Herbipolim, peractóque ibidem Carnisprivio, ſine pompa vel ſtrepitu ad Metenſes per Weſtraſiam & Lotharingiam iter deflexit. Hâc occaſione *Trithemius* memoratum *Octo Quæſtionum libellum* eidem obtulit, regiis ab eo cumulatus honorariis. Referunt autem Biographi, quòd cùm aliquando conviva apud Laurentium à Bibra Epiſcopum Herbipolenſem accumberet Trithemius, ad menſam fortè miniſtrantem *Wilhelmum à Grumbach* adoleſcentem nobilem intuitus, ejúsque lineamenta in facie diligentiùs contemplatus cùm eſſet, converſus ad Epiſcopum dixit: *Adoleſcens iſte* (digito in eum intento) *aut magno commodo, aut ſummo incommodo patriæ olim ſuæ futurus eſt; & ſi hoc, ſupplicio teterrimo vitam terminabit.* Quod poſterius docuit eventus. Id autem *Andream à Thüngen* Canonicum Herbipolenſem, virum fide dignum narrantem ſe audiviſſe memorat *Thraſybulus Lepta*, ſeu *Andreas Dinnerus* juris Profeſſor Altorfinus in libro de vita & rebus geſtis *Georgii Ludovici Baronis à Seinsheim libr.* 4. *pag.* 256. Quod ſuo quoque relatu dignum cenſuit *Paulus Freherus* in Theatro Virorum Eruditorum Part. IV. pag. 1437. Sed piget reliquas referre nugas & fabellas, quas nonnulli *de ſuſcitata à morte Maximiliani Imperatoris uxore* ſine die & conſule comminiſcuntur. 1512.

1513. Libri V. contra malefic.

Circa idem tempus abſolvit Trithemius illos quinque libros *contra Maleficos & omnes artes vanas, ſuperſtitioſas & Chriſtianæ Religioni contrarias.* Quorum mentio fit in Catalogo Hirſaugienſi anno 1513. conſcripto, ex quo conjectura ſumitur de tempore completi operis; quod *Joachimo* Brandeburgico inſcriptum, typiſque latinè & germanicè exſcriptum *Ingolſtadii* anno 1555. in 4. aliqui perhibent Catalogographi: Ita Fabricius in Bibl. med. Latin. Libr. IX. pag. 466. ſed iſtud, dum hæc ſcribo, adhibitâ licèt omni diligentiâ, nuſquam reperire potui. Id tamen ipſum eſſe ſuſpicor (neque enim hoc videre merui) quod ſub hac rubrica: *Trithemii Meynung von Hexen und Unholden* inſertum legitur *Theatro de Veneficis* Francofurti anno 1586. typis impreſſo in fol. niſi fortè hoc poſtremum, ſit *Antipalus maleficiorum*, aut fragmentum quæſtionum *de reprobis & maleficis* paulò antè ibidem excuſum in *Flagello Hæreticorum.* Quid rei ſit, tempus, ſpero, nos docebit.

De cauſis & cura morbi caduci &c.

Trithemium per hos quoque dies ſcripſiſſe *de cauſis & cura morbi caduci, ac maleficiorum libros tres ad eundem Joachimum Marchionem Brandeburgicum*, diſcimus ex Hirſaugienſi Catalogo & ſæpè citatâ *Duracluſii* Epiſtolâ. Sed neque de hujus Operis editione, nec de Manuſcripto alicubi ſuperſtite quidquam nobis conſtat.

Orationes ſupplicator.

Præterea *Orationum ſupplicatoriarum* ad Deum & Sanctos *libros duos*, necnon *Roſaria, Officia, Collectas, Proſas*, aliáque ejuſmodi ſynthemata ſine certo numero compoſuiſſe memorat ipſe in laudatis indicibus. Horum aliqua extant inter Paralipomena opuſculorum ejus & Petri Bleſenſis *Moguntiæ* curis Buſæi A. 1605. edita. Ad calcem libelli à *Paulo Langio* Poſavienſi Monacho adversùs *Wimphelingi* deliramenta conſcripti, & in S. Jacobi Scotorum Herbipolenſi Monaſterio adſervati, Trithemius ſequens epigramma *de Chriſti Paſſione*, manu ſuâ adſcripſit: quod quia ineditum, operæ pretium duxi hîc referre; ita enim Crucifixum mortales alloquentem ſiſtit:

Epigramma de paſſione.

Huc me ſydereo deſcendere juſſit Olympo;
Hic me crudeli vulnere fixit amor.
Langueo, nec quiſquam noſtro ſuccurrit amori,
Quem nequeunt dira frangere jura Crucis.
Pungentem capiti Dominum portare coronam,
Fortis amor docuit verbera tanta pati.
Felle ſitim magni Regis ſatiavit amaro,
Pectus ut aperiret lancea, fecit amor.
De me ſolus amor potuit perferre triumphum,
Ille pedes clavis fixit & ille manus.
Si cupis ergò animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige pro tantis, ſat mihi ſolus amor.
Jo. Trithemius Abb. ſcripſi 1513. Apr. 20.

Quàm multis quoque nominibus de Virgine Matre ſcribendo meritus fuerit, quantúsque illius cultor extiterit, non poteſt paucis explicari: perenne inter alia ſuperat ejus rei argumentum in veteri quadam tabella anno 1513. ſignata, & in odæo Eccleſiæ S. Jacobi Scotorum apud Herbipolim parieti appenſa, in qua egregius noſter Marianophilus ante B. Virginis immaculatæ imaginem geniculans depictus viſitur cum his ex ejus ore fluentibus verbis: *Ora pro Joanne Trithemio ſancta Maria Virgo.* Ex hoc archetypo ad vivum coloribus expreſſo, omnibúſque genuitatis characteribus veſtito, veram Trithemii effigiem novæ ejus operum editioni præfigere cogitamus, diverſam planè ab illa imaginaria & fictitia icone, quam *Freherus*, *Buſæus*, *Laurentius Craſſus*, *Heidelius* in ſuis Trithemianis ſpectandam dederunt, adeò hirſutam, piloſam, horridulam, ut bonæ illius formæ gratiam obſcuret potiùs, quàm illuſtret, cùm tamen vel ipſius imagini & umbræ inſit, neſcio, quæ ingenii & vultûs ſoperſtitis lux, quæ excitare ſpectantium oculos & animos poſſit, vultum enim habuit non mediocriter gratioſum, quíque tacitis quibuſdam illecebris hominum ſtudia benevolentiámque pelliceret, ac quodammodo ejus orationem præveniret. Et verò ſi ex corporis habitu & lineamentis de animo, indole, ingenio & moribus conjectura ducitur, profectò, ut verba illius, qui *Conſtantini M.* panegyricum dixit, huc transferam, *natura ipſa dignum magnis mentibus domicilium metata eſt, ut ex vultu ac decore membrorum colligi poſſet, quantus illum cœleſtis ſpiritus intraſſet habitator.*

Trithemii effigies.

LI. Eodem decurſu temporis *Chronicon Hirſaugienſe* ante quinquennium, ut diximus, ad ſecunda ſtudia revocatum pertinaci & diuturno 54. menſium labore, tandem die ultimâ Decembris ad finem perduxit, eíque ſequenti anno 1514. coronidem & parerga impoſuit, ut in fronte & ad calcem operis legere eſt. In Præfatione reſcribit, *ſe tam indeſinenter, tam continuè, támque ſtudioſè operi cœpto ſemper inſtitiſſe, ut non ſolùm viſui ſuo priùs optimo valdè nocuerit, ſed omne quoque corpus & vires continuâ nimium debilitave-*

1514. Chronicon Hirſaugienſ.

taverit ſeſſione, multóſque importunitate ſcribendi morborum contraxerit nodos. Auxit ipſi non mediocriter, ſed exceſſivè laborem, *quòd pauci*, ut ipſe queritur, *ab annis multis Germanorum res geſtas ſeriatim & ſufficienter, ſine ordine corrupto & debita cum gravitate* (quos tutò imitari potuiſſet) *conſcripſerint*. In eo itaque totus fuit, ut huic operi per digreſſum insereret, quæcumque memoratu digna occurriſſent, non in qualibet natione, ſed in Germania præcipuè: *Germani enim ſumus*, inquit, *& in regno Germaniæ vivimus, noſtráque imprimis meritò curamus; & ideò quod nobis exteri faciunt, in eos refundere non timemus. Quis autem alterius nationis Scriptor unquam laudavit Germanos? Quis hodie Italus? quis Gallus? quíſve Hiſpanis auctor ab oris, dum ſcribit hiſtorias, Germanos non tranſit? aut ſi recenſeat, non fabulam inde ſumit?* Nemo ergò miretur, ſi pauca Trithemius de Gallis, pauciora de Italis, Hiſpanis, aliíſque: *Quoniam & noſtra conſultò ipſi tranſeunt, & in rebus ſuis præclariùs ſunt adornati Scriptoribus, quàm Germani, quorum in obſcura hactenus latet tenebroſitate hiſtoria.* . . Cujus mali cùm plures ſint cauſæ, duas tamen ex omnibus potiores in medium producit noſter: *Prima eſt*, inſit, *quòd Germanis innata ſemper fuerit barbaries quædam Scythicâ feritate permixta, quâ ſuo more impulſi bellis, dilatandis, vel tuendis patriæ terminis, ulciſcendis injuriis & contumeliis, inquietandis vicinis, ampliandis divitiis, exercendis venationibus, hiſque ſimilibus operam navare magis conſuevêre, quàm literis. Unde factum eſt, ut quia nihil curabant, niſi præſentia, nemo ſcribere hiſtorias eorum vel didicit vel curavit, qui omnem contempſerant eruditionem atque hiſtoriam. Ex hac ſcaturigine tenebrarum cunctis penè Germaniæ Principibus, & noſtris, & qui retrò vixêre temporibus quaſi ex lacte morbus quidam (ſi dici fas eſſet) ignaviæ adhæſit, ut voluptatibus dediti, non ſcripturis, avaritiam & vanum potiùs ſectentur honorem, quàm ſui nominis immortalitatem. Hinc fit, ut cum Principes ipſi penè omnes hiſtoriarum hodie Scriptores vel negligant vel contemnant, nemo inter Germanos velit eſſe Hiſtoriographus. . . Quotus enim quiſque eſt ex Germaniæ Principibus, qui hiſtoriæ Scriptores foveat? qui futuris præſentia non præponat? Propterè perit memoria eorum cum ſonitu campanarum.* . . Hactenùs antiquæ vir eloquentiæ, tantò quidem ſpectatior rerum Cenſor, quantò de moribus Germanorum inſtructior, & ab adulationis fuco remotior. Quid nonnulli ſibi ipſis curioſè ſuffeni pro noſtra ætate argutentur in contrarium, non ignoramus. At certè ignoſcant mihi Principes, ſi ſalvo, quem omnibus debeo cultu, cum illuſtri Viro *Seckendorfio* dicam: *Non ſatis æſtimare illos nec utilitatem Hiſtoriæ* (de vera loquor & genuina) *nec maxima & largiſſima famæ præmia, quæ caperent, ſi Majorum & ſua conſulta geſtáque relatu digna, ab idoneis ingeniis conſcribi, perpetuo ſtudio & ſumptu curarent. Verùm cum aut nulla huic labori ſtipendia, aut levia deſtinent, quid mirum, ſi erectiora ingenia ab occupatione, quæ laudatur & alget, deterreantur?* Digna eſt, quæ hujus rei intuitu legatur Cl. Viri *Jo. Erhardi Kappii* Diſſertatio de ratione, quâ Germani merita ſua in ſtudium hiſtoricum deinceps amplificare poſſent. Nobis jam è diverticulo in viam redeundum.

Cur Germanorũ res huic operi curatiùs inſeruerit.

Germaniæ Principes non curant Hiſtoriarum Scriptores.

„ Per deformem Vulcanum ſi ſtetiſſet, *inquit Schelbornius**, careremus hodie inſigni monumento hiſtorico, *Annalibus ſcilicet Hirſaugienſibus Joannis Trithemii, viri tot nominibus de orbe literato benè meriti.* „ Eorum etenim autographum poſt longos in exilio errores hoſpitium peregrinis quærens in oris, tandem flammis miſerè ſuccubuit,„ Sed bono auſpicio *San-Gallenſes* Monachi, opus antequam in cineres laberetur, à ſe deſcriptum, ſui Monaſterii typis, laudabili certè conſilio año 1690. duobus juſtæ molis voluminibus in fol. excudi curaverunt hoc rubro: *Joannis Trithemii Spanheimenſis & poſteà Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, viri ſuo ævo doctiſſimi Annales Hirſaugienſes, opus nunquam hactenus editum & ab eruditis ſemper deſideratum, complectens Hiſtoriam Franciæ & Germaniæ, geſta Imperatorum, Regum, Principum, Epiſcoporum, Abbatum & illuſtrium Virorum.* . . Baſilienſis editio de anno 1556, & Freheriana inde deprompta pertingit ſolùm usque ad annum 1370. primámque ſiſtit ejus Chronici compoſitionem, quam *Trithemius*, ut ſuprà monui, mancam reliquerat: San-Gallenſis verò excurrit usque ad annum 1514. éſtque duplo auctior & multò accuratior, immò doctiſſimi *Mabillonii* judicio, *optima eſt hujus Auctoris noſtri Hiſtoria*; de qua celebris quoque *Menchenius* ita pronuntiat: *Dieſe Chronick, ſo vor dieſem noch nicht ſo vollkommen*

* *Amœnit. lit. Tom. VII. pag.* 123.

Chronici Hirſaug. fata &c.

herauſſen geweſen, iſt ſehr curieux, Samuel verò Schurzfleiſchius: *Hocce Chronicon*, utì & Spanheimenſe, *in rebus Germanicis præcipuè momentum* habere aſſerit. Alii *præclarum omníque antiquitatis eruditione plenum opus eſſe*, prædicant. Et ſanè ſubſidia, quod attinet, fatendum *Tritbemio* plures præſtò fuiſſe Manuſcriptorum ſuppetias, quibus nunc caremus; poſtquàm nempe agricolarum Lutheri doctrinâ efferatorum tumultibus benè magnam Germaniæ partem turbari, multáque Monaſteria cum Bibliothecis & tabulariis ſuis expilari, cremari, funditúsque everti contigit. Sed ut de aliis judicium ferri ſolidius poſſit, noſtri fata libri ex San-Gallenſium præfatione hîc repetere non erit incongruum: *Frementibus*, inquiunt, *Proteſtantium & poſteà Suecorum armis, verus & unus hic Unio pulſos Hirſaugiâ Monachos & Abbatem* Wunibaldum *comitatus eſt ad Vineas* (Weingartenſe Monaſterium) *tanquam ad ſinum & concham; ſed cùm graſſante indies jamjam in Sueviæ viſcera bello inter manubias Martis rapi formidaret, ſecuritatis ergò in Helvetiam ad noſtrum D. Galli aſceterium ex tot procellis elapſus appulit; ex quo dein ſagaci induſtria apographum noſtrum exemplar deſcripſimus, eundémque jam alteri ruinæ, quam dicemus, imminentem ab interitu vindicavimus. Eo adhuc madido & vix completo avocatur rursùs, & alio portu quæſito naufragium reperit. Ut enim tutiùs lateret, Blumeneggæ caſtro in Walgoia ſito unà cum ultimo Hirſaugienſi Abbate* Wunibaldo *immigrat. Invida & infida ſors! incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Declinato feliciter Marte, Vulcano ſpolium infeliciter ceſſit Tritbemii Chronicon, poſt tot pericula & ſortis inſidias quiete incaſſum quæſitâ: repentino etenim exorto incendio cum univerſis aliis Hirſaugienſium documentis, priusquàm in lucem prodiit, in flammam & cineres abiit,* Wunibaldo *vix illæſo, & paulò pôſt animam doloris acerbitate victam efflante. Audio quidem, jam antequam caſtrum flammis abſumeretur, juſſu & impenſis Sereniſſimi Bavariæ Ducis & Electoris Maximiliani pleraque ex documentis deſcripta, Monachiúmque deportata fuiſſe, quæ nunc ævi fortaſſis in Electorali Bibliotheca Monacenſi reperire liceat.* . . Hæc doctiſſimi San-Gallenſes. Quam autem à vero aberrent, dum exemplar *Monacenſe* Maximiliani Bavariæ Ducis juſſu deſcriptum fidenter tradunt, oculorum meorum fidem teſtor. Enimverò inſigne hoc monumentum, cujus jam pridem meminerat *Gabriel Bucelinus* Weingartenſis *in ſuo Benedicto Redivivo pag.* 32. hodienùm Monachii adſervatum, non *apographum*, ut præfertur, ſed verum eſſe *autographum* ipsâ Trithemii, vel certè ejus Amanuenſis manu, eodem charactere, eodémque formato, quo Chronicon Spanheimenſe apud Scotos Herbipoli, aliáque Viri Opera MSS. mihi viſa, exaratum, argumentis haud proletariis deprehendi, dum anno 1746. die XI. Octobris perluſtratâ Monacenſi Bibliothecâ illud monſtrante humaniſſimo pariter ac Eruditiſſimo D. *Felice Oeffelio* Chartophilacii Præfecto & Conſiliario Aulico *de Minerva* optimè merito, oculis manibúsque ad vota volvendi & revolvendi felicitas mihi obtigit. Quod proinde Archetypum, cùm indobitata ejus fides appareat, erit velut lapis lydius, ad cujus normam examinanda veniet San-Gallenſis editionis fides, noſtráque editio efformanda. Id curæ & oneris in ſe dignanter recepit laudatus *Oeffelius* conatuum noſtrorum ſecundaneus nulli ſecundus, qui non modò præſentem me omni officio, ſed etiam abſentem ſymbolis humanitatis æquè ac eruditionis melle conditis plus ſimplici vice proſecutus, hæc inter alia in rem præſentem nuper reſcripſit: *Ad Tritbemium*, inquit, *nunc venio (cujus operum editionem adornas) & auſpicem amicitiæ noſtræ, & itineris Monacenſis veram cauſam. Gratulor itaque mihi tibíque, quòd dieculam, quam Bibliothecæ Bavaricæ perluſtrandæ indulſiſti, non ſolùm non perdideris, ſed inſtituto tuo laudatiſſimo ſupra ſpem fortè fueris expertus proficuam; vidiſti enim me exhibente, non literas tantùm ipſa Tritbemii manu ad Hartmannum Schedelium Noribergenſem perſcriptas, ſed ad eas ipſas collatum inſuper* Chronicon Hirſaugienſe (*quod geminis iiſque vaſtiſſimus voluminibus tibi exhibui*) *genuinum illud eſſe authoris Tritbemii autographum rationibus irrefragabilibus deprehendiſti. Qua quidem in re magno illo* MABILLONIO *multo extitiſti beatior, cui apographum autographi loco à Monachis San-Gallenſibus optimâ fide virum fallentibus* (quod Archetypum ipſi crederent flammis abſumptum) *non gravatè oſtenſum, tantùm attulit gaudii, ut itineris ſui & moleſtias & impenſas eo viſo nihili duceret*... Ita amicus Muſis noſtris calamus. Ceterùm ne quis exiſtimet nos San-Gallenſis editionis

fidem

fidem in dubium revocare, candidè monemus, omnia, quæ cum Monacenſi autographo contulimus, ad apicem usque concordare. Præfert titulus San-Gallenſis, *id Operis paſſim ab Eruditis deſideratum eſſe.* Ita eſt: evolve, ſi lubet, Clar. Viri *Marquardi Freberi* Notas Chronico primæ editionis ad calcem annexas: Ubi inprimis inter alia: *Incertum*, inquit, *an auctor opus longius produxerit.*. Dubitationem *Frebero* moverat ipſe Trithemius Epiſtola ad Rogerium Sicambrum datâ anno 1507. ex qua liquet, ipſum *Blaſio* Abbate defuncto ob alienæ metum ingratitudinis ſcribere deſiiſſe. E contra ſpem continuati operis rursùs aut animavit, aut veriùs erexit Blaſii ſucceſſor, ut præfatio Trithemii Chronico Spanheimenſi præmiſſa innuit his verbis: *Chronicon Hirſaug. cœnobii hic quidem incœpi, ſed apud Herbipolim tandem complevi; Opus magnum & in duobus voluminibus partitum.* Meritò igitur Gerardus Joan. Voſſius: *Utinam*, inquit, *totum Opus aliquando videat lucem!* Adamuſſim hæc omnia reſpondent dictis Trithemii, quæ ſparſim inter Opera ejus reperiuntur, ſi exactâ annorum ſerie obſervatâ conferantur cum præliminaribus Epiſtolis duorum voluminum ſecundæ compoſitionis, ut proinde omnem nobis forſitan ſuppoſitionis ſcrupulum tollant doctiſſimi San-Gallenſes, dum ordine hiſtorico utriusque compoſitionis ſeriem enarrant, ne quis primam & ſecundam editionem pro una eadémque accipiendam falsò exiſtimet. Telam enim hiſtoriæ ſuæ rursùs à primæva fundatione retexens, & quosdam lapſus prioris compoſitionis corrigens, totum opus ita adauxit, ut quadruplum conficiant primæ editionis. Primum volumen usque ad *Volpoldum* Abbatem xxv. incluſivè deduxit, abſolutúmque ſcribit anno 1513. in Epiſt. ad *Joannem* Abb. Hirſaug. præfixâ editioni San-Gallenſi, & in calce MS. Bavarici. Anno tandem 1514. utrique volumini ſupremam manum & finem impoſuit usque ad Abbatem tunc in vivis degentem id continuando. At mors Trithemii biennio poſt ſubſecuta, in cauſa fuit, ut & hoc opus, & alia plura per eum conſcripta non ederentur. Latuit ergò ſecunda hæc compoſitio in latebris condita, & ſola per integrum ferè ſeculum Hirſaugia tanto ſuperbiebat cimelio, ut ipſe Trithemius, vel alius Hirſaugiæ incola in calce primi voluminis addidit: *Me ſola Hirſaugia gaudet.* At enim Theſaurus inviſus & ſapientia abſcondita, quæ utilitas in utroque? Anno tandem 1606. quantum quidem mihi conſtat, & ex *Originibus Palatinis* conjicere datur, *Marquardo Frebero* harum editori videre hæc duo volumina, vix tangere, frui omninò non licuit. Rectè itaque SCHELHORNIUS * *Magnam*, ait, *ab omnibus bonis iniiſſe gratiam Monaſterii S. Galli inquilinos, dum opus ætatem ferre dignum, antequam in cineres laberetur, à ſe deſcriptum excudi curârunt*, majorem, meo quidem animo, inituri, ſi pari conſilio reliqua ſummi viri opera ſanè deſideratiſſima tamquam è cineribus rediviva junctim publico ſiſterent. Sed ne nimis extra oleas, ad id quod hîc conſtitutum mihi eſt, regredior.

* Amœnit. litter. Tom. VII. pag. 123.

1514. Trithemius retractat aliqua in Aña libus Hirſaug.

LII. Trithemius intereà, forte neſcio quâ, nactus vetuſtiſſimum, ut rebatur, rerum Francicarum Scriptorem *Hunibaldum*, quædam ex eo in ſuis Annalibus retractavit, quæ hîc ſilenda non ſunt; Ita enim ipſe in Epiſtola ad *Nicolaum Baſelium* Hirſaugienſem Monachum benè doctum A. 1514. die xii. Aprilis exaratâ reſcribit: *In hujus autem ſecundi voluminis principio Rudolphus de Habſpurg quondam Rex Germanorum occaſionem dedit, quòd originem gentis Francorum altiùs quàm volui, repetere ſum compulſus. Cujus rei gratiâ primos duos quaterniones, quos ſcripſeram, neceſſario abjeci; propterea quod communem ſecutus opinionem cum pluribus erraveram, qui Francos temporibus* Valentiniani *Cæſaris (neſcio unde) primùm in Germaniam veniſſe ſomniarunt: cùm ex multis conſtet auctoribus, illos diu ante* Sicambros *dictos circa Rheni fluminis oſtia (ubi nunc ſunt Hollandii, Friſii, & Geldrii) ſedes habuiſſe. Quod autem priùs dicti fuerint* Sicambri, *quàm* Franci, S. REMIGIUS *innuit, qui baptizando Regi Francorum* CLODOVEO *dixit*: Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendis, incende quod adorâſti. . *Alios ergo in locum priorum quaterniones duos repoſui, in quibus* Hunibaldum *ſecutus, veram originem Francorum deſcripſi. Hinc factum eſt, quòd mihi apud plures juſtè videbor contrarius &c. His te propterea monuerim, ut ſi olim reſcribenda fuerint hæc ipſa volumina, errorem corrigas. . .* Hæc ornatiſſimæ Vir eruditionis, qui cùm veteribus ita ſtuduerit, ut exemplum ſingularis diligentiæ & ſtudioſitatis ſuo prodiderit ævo, vidit utique in rerum Germa-

nicarum & hiſtoriæ cultu pluſculum, quàm multi credunt, deſiderari. Majoribus itaque animis rem altiùs repetendam ratus, per ſubſequentis temporis decurſum totus fuit in condendis *Annalibus, de Origine, Regibus & geſtis Populi Francorum & Germanorum*, quos tribus juſtæ molis voluminibus complexus eſt, à *Marcomero* Rege, qui populum anno ante incarnationem Domini 433. à Scythiæ finibus in Germaniam eduxit ad oſtia Rheni, uſque in *vigeſimum octavum*, vel, ut alii legunt, *vigeſimum nonum* Maximiliani *Cæſaris annum*, id eſt, 1515. ut benè exponit *Arnoldus Wion*, qui opus in Germania typis excuſum meminit, ſed locum & annum non prodit; neque verò iſtud hactenus indagare potuimus, nec ubi lateat Manuſcriptum, Auctores & Catalogi, quos frequentavimus, indigitant. Equidem *Hiſtoriam quamdam anecdotam, eámque præſtantiſſimam à Trithemio conſcriptam* deprædicat *Paulus Hochenbergius* Electoris Palatini olim Conſiliarius *in Germ. Med. Diſp. VI. §.* 2. Hanc verò in Ser.mi Principis Bipontini Chartophylacio adſervari memorat *Magirus* in Eponymologio Critico art. *Trithemius.* Sed quænam ſit hæc hiſtoria, nec fando aſſequi potuimus. Ceterùm de iſta lucubratione ſua Trithemius in Epiſtola ad *Laurentium de Bibra* anno 1515. datâ ita diſſerit: *Scripſi, quemadmodùm R.ma Dominatio veſtra novit, de origine, proceſſu, & peculiaribus geſtis Regum, Ducum, Principum, & Gentis Francorum, non parvi laboris tria volumina magna, principium ſumens narrationis & ſucceſſionis Regum ab anno ante Chriſti Nativitatem quadringenteſimo quadrageſimo, quo tempore* Antenore *magno gentis Rege ab hoſtibus occiſo*, Marcomer *filius in regno ſucceſſit, & populum ſuum, majores videlicet noſtros de Scythiæ finibus in fines Germaniæ Saxoniæque ad oſtia Rheni* (ubi nunc eſt Gelria) *eduxit. Tempus autem in his tribus voluminibus complexus ſum annorum mille nongentorum quinquaginta quatuor, in quibus Reges numerantur Francorum recto ſibi ordine ſuccedentes ab ipſo* Marcomero *jam dicto, uſque ad viceſimum nonum annum Imperatoris Romanorum* Maximiliani *Auguſti, centum tres...* Hiſtoriam porrò hanc tali digeſtam partitionis ſerie exhibet: *In primo*, inquit, *volumine gentis Francorum originem deſcripſimus & Reges à Marcomiro... uſque ad Pippinum... Secundum verò volumen Annalium noſtrorum de rebus Germanis exordium ſumit ab anno Dominicæ Nativitatis 750. quando Pippinus Majordomus in Regem Francorum fuit electus... & continet tempus annorum ab hinc uſque ad octavum annum Richardi Regis Germaniæ, quingentorum quindecim... Tertium volumen ſumit initium ab octavo anno Richardi Regis, qui fuit Dom. Nativ. 1262. quod continuavimus in octavum & vigeſimum annum Maximiliani Regis, Dominicæ ſcilicet Nativitatis 1514. continens annos ducentos quadraginta octo.* Hæc Trithemius.

Condit Annales Francorum 3. volum.

De iiſdem verò Annalibus Celebris Marquardus Freherus ita loquitur: „ Inter immenſarum lucubrationum miracula & numero & mole ſuâ poſteris ſtuporem allatura, principem facilè (ſi extarent) locum obtinerent fuſiſſimi illi Germaniæ Franciæve Annales in tres Tomos tributi, quos tunc ex omnibus omnium ætatum monumentis herculeo planè labore concinnatos & abſolutos reliquit, ſed vivus edere non potuit, perbrevi tantùm primi voluminis compendio (ex quo ceu ex ungue leonem æſtimare datur) ad LAURENTIUM de Bibra, emiſſo. Quod certè opus & Auctoris famâ, & rerum varietate ſuâque perfectione, quantivis precii habendum meritò Doctorum vota jam dudum ingenti deſiderio requirunt, ut ſi haberetur, facilè aliorum jacturam ferri poſſe putarent. Habuit enim vir ille præter eas dotes, quibus victuros meditantem libros inſtructum eſſe oportet, judicii acrimoniam, ſtyli facilitatem, variam lectionem, accurationem & laboris tolerantiam ad inſtitutum illud condendæ omnifariàm hiſtoriæ, illa inſuper adminicula, quæ aliorum vix ulli talia ſuppetebant; UNUM dico Bibliothecæ Spanheimenſis à ſe poſſimum ſtructæ & auctæ, variorum & optimorum Codicum theſaurum incomparabilem; quem poſteà ſucceſſorum partim incuriâ, partim temporum injuriâ, & bellorum civilium turbis direptum & ſublatum, intercidiſſe, ut vix vilia ejus ruta cæſa quædam modò apud Stauroneſum aſſervata ſuperſint, ſatis deplorari non poteſt. *Alterum*, Notitiam cum Principibus & magnis per Europam viris (quorum eâ tempeſtate bonam ſegetem ſuccreſcere magno divinarum humanarúmque literarum bono Deus voluit) qui illius „ fami-

„ familiaritatem quaſi certatim exam„ bibant, & conſuetudinem veris „ amicitiæ vinculis, concordi virtu„ tis & doctrinæ ſtudio copulatam, „ quorum ope nil non rerum gravio„ rum in patria foriſque geſtarum „ cum cauſis & circumſtantiis ſuis re„ ſcire potuit, & in chartas deinceps „ conjicere non paulò meliore fide & „ auctoritate, quàm vulgus Scripto„ rum factitaret... „ Quæ ipſa cogitatio mirificum certè in eorum animis, quotquot meliore & harum literarum curâ, & patriæ amore tanguntur, deſiderium videndi eximii illius operis excitat & incendit, ut ſperent adhuc ex aliquo Bibliothecarum patriarum angulo erui poſſe. Quapropter poſſeſſores aut cuſtodes illorum enixè rogamus, & publico nomine obteſtamur, ut Reipublicæ & poſteritati, eâdem benignitate, quâ nos ſacere vident, eos communicare velint, noſtram interea operam, ad emendatè & eleganter edendos (quantum in nobis erit) offerentes.

Eorum compendium.

Ingentis porrò illius operis *Epitomen* ſeu *Breviarium* tribus libris comprehenſum, ad inſtantiam *Laurentii de Bibra* Herbipol. Epiſcopi concinnavit Trithemius; cujus primum volumen Moguntiæ anno 1515. excuſum fuit typis *Joannis Schoeffer nepotis quondam honeſti viri Joannis Fuſth civis Moguntini artis impreſſoriæ primi inventoris*, utì ad calcem legere eſt. Et hoc quidem tantùm ex luculentiſſimis & elaboratiſſimis illis Germanicarum rerum Annalibus Trithemianis nobis reliquum eſt, novato prelo recuſum Lutetiæ Pariſiorum anno 1539. Baſileæ 1547. & iterùm 1574. Teutonico idiomate donatum per *Jacobum Schenck* prodiit *Francofurti* anno 1568. in 8. Extat etiam in *Schardii* Scriptoribus Rerum Germanicarum Tom. I. *Baſileæ* 1574. & *Gieſſæ* 1673. in fol. vulgatis; Item inter Opera Trithemii obſtetricante *Frebero* typis Wechelianis anno 1601. edita. Ita verò in id operis præfatur Auctor: *Primi*, inquit, *Voluminis Annalium noſtrorum epitomen ſive compendium ex certa mentis noſtræ conſideratione ſcripturi, monemus Lectorem, ne priùs carpat opus, quàm prudenter examinet. Temerarii hominis judicium eſt manifeſtum, judicare quod neſciat, & ſcire neminem poſſe, quod ipſe forſitan ignorat.* Deſinit Opus anno Dom. Nativ. 749.

Compendium Hunibaldi.

Circa idem tempus condidit Trithemius aliud *Compendium de origine gentis Francorum* ex duodecim ultimis *Hunibaldi* libris, quorum ſex primos *Waſthaldus* conſcripſit ab introitu Sicambrorum ad partes Rheni in Germaniam. Quo in opere etiam Præſules Wirtzeburgenſes noſter enumerat. Incipit: *Anno ante nativitatem Domini CCCCXXXIX...* Deſinit in *Ludovico* Ludovici ſenioris filio. Hoc opus in ſuā quoque Collectionem iñiſit *Freberus*, & ex eo *Ludewigius* inter Scriptores rerum Wirtzeburg. retulit. Sed nunc *Hunibaldus* iſte, ut hoc obiter moneam, à putatitia vetuſtate ſua excidit, apud Criticos vix non exploſus. Unde & iſtud Trithemii opuſculum ex eo, aliiſque haud probatæ fidei Scriptoribus conflatum, non æquè, ut reliqua Viri doctiſſimi Opera, in pretio habetur. Num verò quidpiam deferendum ſit duriori cenſuræ eorum, qui *Hunibaldum* planè à Trithemio confictum comminiſcuntur, alibi commodiùs dicemus. Id modò ad Authoris noſtri vindicias inſinuâſſe ſufficiat, quòd *Franciſcus Irenicus* Trithemio ſynchronus in ſua Exegeſi Germaniæ anno 1518. Norimbergæ typis Kobergii editâ, pariter inter rerum Francicarum Scriptores celebret *Theocalum Humbaldum, qui plus XXX. libris eorum geſta complexus ſit.* Et iterùm libr. 2. cap. xxxv. Eruditorum antiquiſſimi Germanorum, *Humbaldus, Otto Friſingenſis, & Roſwita Monialis* referuntur, *quibus Hiſtoriographorum nomen inditum eſt, quòd apertè ſeſe Germanos profiteantur.* Conferatur etiam Trithemius in Chronico Hirſaug. Part. II. pag. 22. ubi de *Hunibaldo & Waſthaldo, vetuſtiſſimis*, utì credidit, *Francorum Auctoribus*, plura ediſſerit, fonteſque ex quibus hauſit, quod ingenui eſt Viri, hederâ coronat...

LIII. Præmiſſis hiſce *de originibus Francorum* prodromis, cùm jam exercitatiori ætate Germanicarum rerum hiſtoriis (*quarum ſtudioſiſſimus ſemper extitit*) prolixiùs illuſtrandis operam accuratiorem dare conſtituiſſet, cuperetque eàdem fideliâ alterum dealbare parietem, ſuum, *inquam*, librum *de Luminaribus* ſeu *Viris illuſtribus Germaniæ*, jam pridem typis datum, de novo recoquere, augere & interpolare, hoc ſuum conſilium promptiùs ut exequi poſſet, *Paulum Langium* Zwicavienſem in Miſnia O. S. B. Monachum, virum eâ ætate minimè illiteratum, cum *Creditivis* ſeu *Commendatitiis* ad Monaſteria Germaniæ juſſit excurrere, ut undecunque comportaret, quæ ad rerum 1515.

Annales Germanorum.

Ger-

Germanicarũ Hiſtoriam illuſtrandam, aut *Catalogum Scriptorum* augendum & expoliendum pertinerent, utì ipſe *Langius* memorat in fine Chronici Citizenſis à ſe conditi apud Piſtorium *Tom. I. Rer. Germ.*

Verùm tametſi memoratam Theotiſcarum medii ſequioríſque ævi antiquitatum ex ipſis archivis & tabulariis per diverſa loca indagationem permulti celebres & graviſſimi integerrimíque Viri laudarent, hodiéque boni omnes deprædicent, *fuêre tamen è diverſo nonnulli ſycophantæ & ſcioli, ac etiam* (quod fœdius eſt) *è concellitis Fratratores,* ut vocat, *& Petrones religioſculi, mordaces & cynici,* qui malè ſuſpicioſi eam inquiſitionem ſatis impudenter ſugillarent, ipſum *Langium* pro tam arduo conamine ſuſceptíque itineris mercede velut *Gyrovagum,* & *circumcellionem* traducere non erubeſcentes: quorum offucias & maleſartas criminationes, ac temeritates *Paulus* noſter in fine ſui Chronici Citizenſis egregiè notavit: *Si ego,* inquit, *gyrovagus, ſi circumcellio, quid quæſo erat æquivocus meus D. Paulus, qui peragratis ſuperioribus partibus venit Epheſum? quid Hieronymus, quid Ruffinus, quid Heraclides, quid Petronius, quid alii prope innumeri, qui ob propriam devotionem, & aliorum ædificationem maria tranſierunt, loca terræ ſanctæ perluſtrârunt, Ægyptum, Niſtriam, Scythiam, Palæſtinámque gyrantes, exactiſſimè Monachorum cœnobia perſcrutantes, vitam, converſationem, ac doctrinam eorum curatè explorârunt? ... At quid multis moror? cur mihi vendicare conor, quod excellentiſſimi Viri nec virtute, neque ſanctitate aſſequi potuerunt? qui denique quanto doctiores & ſanctimoniâ clariores, tanto & acriores & plures ſemper habuêre obtrectatores. . .* Hæc *Langius; qui,* ut perhibet Trithemius, *procul dubio facilè doctior evaſiſſet, ſi non invidente fortunâ oſores literarum ſuper ſe Moderatores paſſus eſſet. Verùm quanto ille ſtolidâ hominum inſcitiâ premebatur iniquiùs, tanto ad ſtudium literarum confortabatur amplius.* Sic ſcribit noſter in Auctario Luminarium Germaniæ manuſcripto. Dignum verò eſt, quod in laudem propoſiti Trithemiani & *Langianæ* miſſionis hîc repetatur perſimile conſilium ab illuſtri Viro *Philiberto de la Mare* in conſpectu Hiſtoricorũ Burgundiæ datum in hæc verba: *Si j'avois entrée dans les aſſemblées des ſcavans, je leur donnerois cet avis, que ſous l'autorité des intendans des provinces on deputât dans chacune des perſonnes bien inſtruites, pour y faire des recherches exactes des Monumens hiſtoriques, qui s'y conſervent, imprimez ou non, en publient enſuite des bons Catalogues; on y verroit d'un coup d'oeuil toutes les hiſtoires, & la Republique des lettres tireroit un grand avantage de ce travail...* Conferſis Clar. D. Kappii Diſſert. *de ratione, quâ Germani merita ſua in Studium hiſtoricum amplificare poſſint.*

A. 1515. Libri XII. de Dæmonibus &c. Magnæ mentis opus, nec de lodice parandum.

LIV. Trithemium hiſce adhuc temporibus versâſſe in manibus laborioſum opus, & ſuorum quidem maximum, *de Dæmonibus & artibus profanis, maleficis & ſuperſtitioſis,* perhibet ſæpè laudatus *Duracluſius.* Eo in opere omnia diabolicarum artium vafra-menta explodere, confundere & evertere meditabatur Trithemius, ut ipſe nos docet in ſua ad *Nicolaum Gerbellium* Epiſtolâ anno 1507. exaratâ his verbis: *Opus,* inquit, *magnum librorum duodecim de Dæmonibus ad preces amicorum inchoavimus, in quo decrevimus omnes Magorum prophanas deſtruere artes in genere ſimul & in ſpecie, earúmque cauſas, inventores, libros, modos & deceptiones nominatim & propriè taxare.* Idem explicatiùs repetit in ſua ad *Rogerium Sicambrum* Epiſtolâ eodem anno datâ: *Decrevi autem in poſterum, ſi voluerit altiſſimus, qui poteſt omnia ſolus, opus lucubrare meorum omnium quidem maximum, quod libris XII. foret diſtinguendum, quorum materia erit de Dæmonibus, artibúsque prophanis & maleficiis eorumdem, quibus humanum genus miſerè decipiunt; éſtque mihi animus omnes ſuperſtitioſas Dæmonum artes & hominum pro viribus explodere, confutare, & quam ſint vaniſſimæ, pernicioſæ ac deteſtandæ, multipliciter ex propriis ſtultorum, qui eas tradiderunt, libris demonſtrare. Videtur enim mihi neceſſarium opus his maximè temporibus, in quibus homines nimium ſunt curioſi, docti videlicet nonnulli ſimiliter & indocti, ea perquirentes, quæ meliùs neſcirent. Laboris tamen ardui magnitudine non mediocriter deterritus ad tempus differre intentionem hanc meam utile putavi, qui interim ſucceſſivè materiâ in unum pro tanto neceſſaria opere comportetur.* Hæc ille. Unde mirum videri nemini debet *Trithemium* ſubindè legiſſe Magorum volumina, præſtigiarúmque non pauca perluſtrâſſe ſynthemata, nec ea volumina, quæ ſpirituum docent ligamina & his ſimilia penitus à ſua lectione rejeciſſe, pro-

ut fatetur ipſe in ſua ad *Joannem Waſterburgium* Comitem Epiſtolâ. Legit enim illos libros non ad imitandum, ſed ut ſciret ex ratione ad ſolidiùs confutandum; *Nemo* quippe *ſtultorum errores valentiùs poteſt redarguere, quàm ille, qui cauſas & arcana errontium ex principiis cujuslibet artis, aut facultatis propriis novit in publicum rationabiliter declarare. Alioquin inſcitè facilius eſt reprehendere, quàm emendare: Sic Aſtrologiam imperiti contemnere poſſunt multi, ſcitè autem demonſtrare ſtultitiam pauci, illique ſoli, qui artis principia noverunt*, uti noſter appoſitè diſſerit in Vindiciis *Alberti Magni Part. II. Chron. Hirſaug. pag.* 41. Iſtud porrò Opus typis exſcriptum dicitur Coloniæ A. 1567. Sed nullam ejus editionis notitiam quærendo aſſequi hactenus potui; nec quid præterea de *Manuſcripto* dicam habeo, niſi quòd *Martinus Delrio* illud à *Buſæo* conſodali ſuo acceptum in ſuas areolas derivâſſe, atque adeò Trithemii ſcrinia egregie depilâſſe feratur. Hanc tamen litem facere mecum nolim; qui profectò lubens hoc homini plagium condonarem, ſi quod ingenui eſt viri, confeſſus fuiſſet, per quem profecerat: ſed tantùm abeſt, ut id præſtiterit, quin potiùs ſuppreſſo *Trithemii* nomine, ipſum eâ parte, cujus bono Viro par cum vita debet eſſe æſtimatio, captatâ occaſione falſò & perversè impetiit, ac velut *Archimagum præ ceteris goëtiâ præſtigiisque Dæmonum & incantationibus infamem* præpoſterè ad poſteros traduxit. Quod quidem nigrum *Theta* uti aqueis figuris exaratum ita à fronte boni viri abhorret alienum, ut *Delrium* inurentem magis quàm *Trithemium* patientem contaminet. Verùm iſta iniquior cenſura acriori lixivio alibi veniet commodiùs eluenda, nunc cœptum peragamus iter.

Epiſtola ad Petrû Amorbacenſem. Cùm porrò *Petrus* Amorbacenſis ad confinia ſylvæ Odonicæ O. S. B. Monaſterii Abbas eo tempore nominatiſſimus, factâ in ſui aliorumque monaſteriorum originem ac fundationem inquiſitione *Trithemium* literis deſuper conſuluiſſet, binas hic Epiſtolas notabiles ſuper quæſitis Abbati anno 1515. reſcripſit, quarum unam excidiſſe memorat nuperus rerum Wirtzeburgenſium Compilator R. P. *Ignatius Groppius*, qui alteram jam à *Lambecio* cum notis editam, ex originali ut præfatur, refudit in Propylæo probationum Hiſtoriæ Amorbacenſis pag. 189. Scripſiſſe præterea hoc tempore *Librum unum de Ducibus & Epiſcopis Francorum Wirtzeburgenſium*, meminit *Duracluſius*; ſed ubi delitеſcat opus, & an prelum ſubierit, nec in ipſa Francorum urbe principe quæritando indagare potui. Extat tamen in S. Jacobi Scotorum chartulario conſimilis argumenti Manuſcriptum multis obſervationibus & notulis marginalibus ipsâ *Trithemii* manu illuſtratum; ex quo proinde ſua hauſiſſe ſuſpicamur, niſi fortè quis maluerit dicere ipſum opus jam ab eo compoſitum, & *Amanuenſis* calamo emundatiùs deſcriptum, poſteà ab Authore curis ſecundis fuiſſe retractatum & pluribus auctum. De Ducibus & Epiſcopis Wirtzeburg.

1515. Vita S. Rabani. LV. Eodem anno *Trithemius* hortatu *Alberti* Moguntinenſis Pontificis, *Acta Rabani Mauri Abbatis Fuldenſis, ac dein Moguntini Archiepiſcopi*, tribus libris digeſſit. Equidem ante *Trithemium* Vitam *Rabani* ſcripſerat *Rudolfus* ejus diſcipulus, ſed hanc lucubrationem ſi legit, in vitæ numero non habuit *Trithemius*, qui in prologo ita præfatur: *Nec mirum*, inquit, *ſi plura geſtorum ejus ſilentio pertranſivi; quippe qui nullum ante me fixum, ſolidum & ſufficientem de hac ipſa moteria potui habere Scriptorem, ſed primus auctor eſſe ſine præcedente compellor*... Et infrà: *plures fateor hiſtoriarum Scriptores varia laudum præconia de hoc beatiſſimo atque doctiſſimo viro in ſuis lucubrationibus paſſim hinc inde ſcripſerunt, quorum tamen nullus vitam ejus continuatâ ſerie compoſuit.* Proptereà ad eam ſcribendam compulſus eſt *Trithemius*, illámque in tres, *ut dixi*, libros diſtinxit; quorum *primus* eſt dè *Rabani* vita privata; *Secundus* de ejus regimine Abbatiali; *Tertius* de Epiſcopali. In ea lucubratione *Trithemius* aliquoties uſus eſt teſtimonio *Meginfredi* Fuldenſis Monachi ſeculo XII. ex volumine *de temporibus gratiæ* hactenus inedito, in quo *Rabani* ſæpiùs meminit. Ceterùm etſi iſtud *Trithemii* Opus de *Rabano* ſpernendum non ſit, *Mabillonio* tamen ut recuderetur in Actis Sanctorum O. S. B. non viſum eſt operæ pretium, tum *propter multiplicia, quæ in eo admiſit errata*, tum maximè *quia iſtud opus jam extat initio operum Rabani, & in Februario Bollandino*. Epiſtolam verò nuncupatoriam ad *Albertum* die 19. Januarii A. 1516. datam, exhibet *Menckenius* Tom. III. Scriptor. Rer. Germ. pag. 439. Ceterùm hæc vita ab Ordinis noſtri Sodalibus literarû ſtudioſis præprimis legenda proponitur. In ea texenda genus ſcribendi Trithemius ſecutus eſt, quod

ad animi compunctionem maximè conducit. Scripſit inſuper *Trithemius de ejusdem* RABANI *à Moguntiaco in Saxoniam translatione* librum unum. Item

S. Maximi,

Vitam S. MAXIMI *Epiſcopi Moguntini*, quæ excuſa habetur apud Surium XVIII. Novembr. In fine memorat Trithemius, *Reliquias Ss. Maximi & Rabani anno* 1515. *in Saxoniam fuiſſe translatas*, è quibus de tempore ſcriptionis hujus opuſculi conjicias. De iſta verò vita hoc *Tillemontius* in ſuis Commentariis *Tom. VI. pag. mihi* 335. tulit judicium : *Cette vie n'a point d'autre autheur que* TRITHEME *ou un* Megenfroy *Moine de Fuld du tems des Othons. Elle eſt toute pleine de fautes & de Contes, & l'on ne ſçauroit l'accorder avec elle-même. Il n'y a rien de bon dans cette vie, ſinon qu'on y voit que* Megenfroy *eſt le plus ancien auteur de ce qu'on nous debite touchant les premiers Eveques de Mayence, & qu'au lieu qu'il en conte quarante jusqu' à S. Boniface*, *d'autres n'en mettent que ſeize. Que ce* Maxime *qu'il conte pour le XIX. & qu'il met du tems de Conſtance, eſt mis par d'autres aprés Attila, & conté pour le ſeptieme. Il parle auſſi de la depoſition* d'Euphrate *Eveque de Cologne, aſſez differemment de ce que nous en avons dans les Conciles.* Serrarius *dans ſes Annales de Mayence n'a pas d'autres choſes à nous dire de ce* Maxime, *que ce qu'il en a appris de Trithême*... Le-

S. Maximini,

genda S. MAXIMINI *Trevirenſis Antiſtitis* ab eodem Trithemio, ut fertur, contexta itidem habetur apud Surium non *XVI. Novembris*, utì erroneè *Whartonus* inſinuat, ſed *XXIX. Maji.* Atque ejusdem ferè ac prior eſt metalli & pretii apud Criticos. Hanc tamen, quæ in Surio habetur, non eſſe à Trithemio aſſerit Niceronius *Tom. XXXVIII, p.* 225.

Ruperti Tuitienſis.

Ruperti verò Abbatis Tuitienſis *Elogium hiſtoricum* à Trithemio ad preces *Gerlaci* ejusdem loci Abbatis compoſitum legitur in fronte Operum B. Ruperti *Moguntiæ* anno 1621. editorum, & inter Trithemiana procurante *Buſæo* typis ibidem reddita *pag.* 912. Condidiſſe quoq; Elogium quoddam *de Chalcographia* memorat *Joan. Arnoldus Bergellanus* in præfatione ad

De arte cuſoria.

ſuum *de Artis Cuſoriæ apud Mogonos inventione* poëma encomiaſticum à *Georgio Chriſtiano Joannis* Tomo III. Rer. Mogunt. pag. 429. relatum; ſed præter ea, quæ hac de re in ſuis Chronicis retulit Trithemius, nihil nobis obtigit niſi ſuccincta quædam & menſurata exclamatio, è ſchedula ipſius beati Auctoris manu exaratâ, ne pereat, merito hîc inſerenda; ita enim habet:

O felix noſtris memoranda impreſſio ſæclis!
Inventore nitet utraque lingua tuo.
Deſiêrat quaſi totum, quod fundis in orbem;
Nunc parvo doctus quilibet eſſe poteſt.
Omnes Te ſummis igitur nunc laudibus ornant,
Te duce quando Ars hæc mira reperta fuit...

A. 1516. De miraculis in Urticeto.

LVI. Vergente jam ætate Trithemius ad inſtantiam eximii Viri *Petri Wirt* Ss. Theologiæ Doctoris, & Venerabilium Patrum ſacri Ordinis B. M. V. de monte Carmelo cœnobii, quòd in Urticeto extra regale oppidum Heilbronnam ſitum eſt ad Neccari ripas in Diœceſi Wirceburgenſi & Ducatu Franciæ Orientalis, ſcribere cœpit *de Origine, cauſa & ratione confluxûs fidelium ad memoratum locum in Urticeto; de conſtructione quoque magnifica monaſterii in eodem loco*; necnon *de ſignis & miraculis, quæ per annos tum plus ſeptuaginta ibidem ad invocationem ejusdem B. M. V. operatus eſt Dominus in multorum ſalutem.* Opus in ſex libros diſpeſcere conſtituerat Trithemius, quorum priores duos jam anno 1513. ad umbilicum deductos fuiſſe indicat ipſe in Catalogo lucubrationum ſuarum Hirſaugienſibus Annalibus annexo; in tertio autem libro deſudâſſe usque ad annum 1516. prodit cap. 14. Libri II. Num. VI. Aſt reliquos forſan morte præventus, * non perfeciſſe videtur. Tres enim tantùm circumferuntur ejus lucubrationis libri, quos ex MS.to Codice prænobilis Viri *D. Hartmanni à Cronberg* in lucem dedit *Buſæus* inter Trithemiana. Operis ſuma hæc fere eſt. Capite 1. libri primi declarat, quibus teſtibus veritatem horum miraculorum cognoverit. 2. Teſtatur ſe amore Dei & B. Virginis reverentiâ ac fraternæ charitatis intuitu fuiſſe impulſum ad ſcribendum. Poſtremo, quod Religionis Catholicæ ſanctitas, quódque Dei Genitricis honor poſtulabat, impios miraculorum Cavillatores per capita ſolidè refutat; Contendit B. Virginem nunquam peccato originali vel actuali fuiſſe obnoxiam; ac proinde concludit eſſe omni honore cultúque digniſſimam. In altero libro docet quanta utilitas ex deſcriptione miraculorum redundare queat. Inde per ſequentia XIV. capita initium concurſûs in Urticetum & alia hiſtorica fuſiùs enarrat. Denique tertio libro miracula cœlitùs in eodem loco patrata ab anno 1442. ſigillatim enumerat.

* *Obiit A.* 1516. XIII. *Decembris.*

Præ-

Opellæ aliæ de Sanctis.

Præter immenſa illa & multigena, quæ ordine chronologico recenſuimus Opera, protulit etiam alia quædam minora complura, tum ſuæ & amicorum devotioni congrua, tum gloriæ Sanctorum & Eccleſiæ utilitati ſervientia, ut ſunt: Primò *Speculum cæleſtis doctrinæ* compunctioni meutis nun parum deſerviens hoc exordio: *Salutis humanæ principium..* 2.do *Laudes, Precationes, Roſaria, Curſus horarum, Miſſæ, Officia, Proſæ*, & alia id genus multa, videlicet, *de S. Joſepho, de S. Petro Apoſtolo, de S. Joanne Evangeliſta, de Ss. Anna, Magdalena, Hildegarde, Ruperto Bingiorum Duce, Rabano &c.* Item *de vulneribus Chriſti, de Compaſſione B. Mariæ Virginis, de ſancto Joachimo, de bono cujusque hominis Angelo, de S. Martha, de S. Maria Ægyptiaca, de S. Jacobo Apoſtolo, de S. Andrea, de S. Benedicto, de omnibus Sanctis*, & ſimilia *Duracluſio*, aliíſque laudata, quorum nonnulla inchoata & deproperata ſummatim ad præſentem uſum, alia propter anguſtias temporis haud ſatis expolita, deinde per incuriam neglecta reliquit. Plura autem jam perfecta ex ſcriptis doctorum Virorum, qui ea laudârunt, in locem prolata eſſe video, quæ tamen, dum hæc ſcribo, necdum ad manus meas deveneront, ſed ſiqua diligentiùs erunt cognoſceoda, qoæremus aliàs, & monebimus.

Opuſcula dubia vel ſuppoſititia.

LVII. Habes igitur hîc recenſita, certa, genuina, & indubitata Trithemii Opera; alia verò quæ [illegible] ejus nomine circumferuntur ſynthemata præſertim *Chymica*, cùm eorum nec vola nec veſtigium in lucubrationum ejus catalogis appareat, inde ea in dubiorum aut ſpuriorum claſſem amandanda judicavimus. Hæc inter primo mi-

1. Imagines Magicæ.

hi loco occurrit *Libellus veterum Sophorum ſigilla & imagines magicas ſive ſcolpturas lapidum & gemmarum ſecundum nomen Dei Tetragrammatum è Joannis Tritkemii Abbatis Peapolitani manuſcripto erutas exhibens*, qui hoc titulo ſeorſim excuſus eſt anno 1612. in 8. deinde recuſus unà cum variorum librorum & Manuſcriptorum Magico-Cabaliſtico-chymicorum Catalogo accurante *Friderico Roth-Scholzio* Herrenſtadii A. 1732. Eundem libellum ſine Trithemii nomine pridem extulerunt *Camillus Lienardus, Ludovicus Dulcis, & Rodolphus Gocklenus.* Hoc verò opuſculum aliqui autumant eſſe fragmentum majoris illius Operis, quod moliebatur *Trithemius* de Dæmonibus artibúſque profanis; ſed ſanè ſi quid hîc fecit noſter, nihilo plus fecit ab illis, qui *Hermetis, Porphyrii, Pſelli, Apulei*, & ſimilium ſcripta magica vel deſcripſerunt, aut in lucem protulerunt, ut alibi ex profeſſo oſtendemus. *Quemadmodùm autem*, ut ait noſter, *naturæ præſumptuoſi, & nimium avari præſtigiatores Alchymiſtæ grandia promittentes, & nihil veritatis exhibentes, vel à ſemetipſis decepti multos & varios circumferunt vanitatis ſuæ libellos*, PLATONIS, ARISTOTELIS, *aliorúmque præſtantiſſimorum Virorum nominibus prænotatos; vel circumventi ab aliis, cùm non habeant, unde vivant, ſub titulis falſis decipiunt curioſos, ita nebulones & tenebriones iſti Necromantiæ profeſſores, ut ſuæ perverſitatis inſtituta curioſis perſuadeant, librorum, quos confinxerunt, falſos titulos mentiuntur.* Ita Trithemius in Chron. Hirſaug. Part. II. pag. 41. Vid. etiam libr. I. Antipali Maleficior. cap. 3. pag. 302. editionis Buſæanæ. Niceron. Tom. 38. comentariorum de Viris illuſtr. pag. 232. ubi de hoc opuſculo ita differit: *C'eſt par une pure tromperie du libraire, que ce livre paroit par le titre être ſorti du cabinet de Tritheme, puisque Camille Leonardi en avoit fait le troiſiéme livre de ſon* Speculum Lapidum *imprimé à Peſaro l'an* 1502. *in 4. &c...*

2. Tractatus Chymici.

2. Altero reponitur loco illud opuſculum, quod in Theatri Chemici Tomo I. *Urſellis* ſumptibus *Lazari Zetzneri* anno 1602. edito pag. 437. & in editione Argentinenſi A. 1659. p. 388. legitur hoc rubro: *Phyſica ſeu Comentarius* JOANNIS TRITHEMII *Abbatis Spanheimenſis de Spagyrico artificio...*

Tertium ejusdem comatis opuſculum habetur Tomo IV. laudari Theatri pag. 663. hoc titulo: *Tractatus Chemicus nobilis Joannis Trithemii Abbatis Spanheimenſis ſeculo noſtro inter Philoſophos facilè principis.* Quem etiam Tractatum Trithemio tribuunt *Olearius & Cavus* in Hiſt. litt. Quin & *Paulus Freberus* in Theatro Virorum illuſtrium articulo TRITHEMIUS, Tractatum ejus *de Lapide Philoſophico* deprædicat, húncque cum Anonymi opuſculo, *de ſecretiſſimo antiquorum Philoſophorum arcano* anno 1611. editum commemorat in 8. & Tomo IV. Theatri Chymici, & 1595. cum *Georgii Riplæi* axiomatibus Philoſoph. Idem Liber XVIII. capitibus conſtans Germanicè inter libros Iſaaci Voſſii MS. in

Bibl.Leidenſi adſervatur, utì refert Fabricius in Bibl. med. Latin. libr. IX. pag. 466.

4. *Samuel Reyberus J. C.* in ſuo Comentario de Nummis quibusdam ex metallo Chymico factis *Kiliæ Holſatorum* A. 1692. edito *cap.* 33. *pag.* 121. Trithemii Tractatum laudat, *in quo*, inquit, *inter alio Aſtrologiam Chymiæ Cultoribus commendat, & adjuncto ſchemate planetarum ſitum exhibente, metallorum hormoniam & transmutationem adumbrat.* Sed ubinam editus ſit Tractatus ille, non inſinuat, verba tamen auctoris fuſiùs ibidem recitat.

5. Aliud conſimile Trithemii ſcriptum celebrat *Morhofius* in ſuo Polyhiſtore Libr. I. Cap. X. §. 25. his verbis: *Porrò*, infit, *quod in pluribus locis uno tempore viſus ſit Apollonius, in memoriam mihi revocant Trithemii magni in arte chymicà Myſtæ verba, qui in quodam* SCRIPTO GERMANICO *expreſsè teſtatur beneficio arcani ſummi Phyſici, ſed in cœleſtem planè naturam redacti, fieri illam translationem corporum poſſe.*

6. Trithemii *Phyſicam Chymicam*, aliúmque ejus *librum Alchymicum* adſervari in Lugdunenſi Batavorum Bibliotheca, germanico idiomate conſcriptum perhibent privatæ quædam notitiæ Monaſterii S. Jacobi Ratisbonæ manu exarato Operum Trithemianorum Catalogo ſubnexæ. Philoſophiam ejus naturalem *de Geomantia* Argentinæ A. 1609. in 8. editam commemorat Fabricius in Bibl. med. Latinit. Libr. IX. pag. 466.

7. Vidi etiam aliquod Manuſcriptum Moguntiæ hàc inſcriptione inſignitum: *Joannis Trithemii documenta de tribus rerum naturalium principiis in octoginta aphoriſmos redacta.* Quo quidem in opuſculo *de materia chaotica, de auro auræ, & de aura auri*, ac etiam *de Aqua, à qua fiunt omnia*, non pauca ſupra vulgarem Philoſophorum captum Operis author diſſerit, *Trithemio* non indigna. Liber verò iſte typis conſignatus dicitur in Opere cui titulus: *Sapientia conſummata* ſeu *ſacra Philoſophia Joannis de Padua*...

8. Aliud ibidem oculis manibúsque uſurpavi hâc inſcriptione prænotatum: *Dieſe Tractat iſt geſunden worden in dem Cloſter Spanheim bey Creutzenach, in einer alten Mur von* Johan. Trithemio *auff Pargament geſchrieben mit gu denen Buſtaben*... Incipit: *Hier hab ſich ohn die allernahmhoffſtiſte Kunſt der Alchymien*...

9. Mihi quoque præ manibus eſt Trithemii *Enchyreſis conficiendæ medicinæ omnium univerſaliſſimæ*, quod arcanum reipsâ ipſius eſſe multis, ut credam, inducor conjecturis.

10. Ejus item *Pulveris Medicinalis* ſtudentibus perutilis præparandi methodus extat inter Opera ipſius hiſtorica; & ad calcem fragmenti Quæſtionum ad Maximilianum Imp. curis *Sigismundi* Abbatis Senonenſis editi. Hunc pulverem cùm *Paulus Scalichius* Duci Boruſſiæ (*cui tunc temporis erat à conſiliis*) utendum dare vellet, Medici Principis prohibuerunt; ex quo enata eſt diſputatio inter illos, in qua iſtius pulveris in partem utramque ſcriptis dimicatum fuit, quæ diſputatio extat in *Satyris Philoſophicis* ipſius Scalichii, meritò novæ editioni inſerenda.

11. Extat inſuper quoddam ejus arcanum breve quidem, ſed neutiquam pœnitendum in *aurei velleris* Tractatu ſecundo pag. 43. & in Theatro Roth-Scholtziano hàc epigraphâ: *Joannis Trithemii Augmentatio cum Mercurio Saturni* &c. Aliud ibidem legitur p. 99. hoc titulo: *Zwey ewige unauslöſchliche brennende zeitliche Lichter von Hern* Trithemio *Abt zu Sponheim.*

12. *Roth-Scholtzius* in memorato Theatro *Part. III. pag.* 346. laudat ejusdem librum cui titulus: *Synouſiaſtes*... quod opuſculum aliqui ſuſpicantur eſſe partem *Steganographiæ Trithemianæ*; ſed quid de eo pro comperto dicam, me non habere, ingenuè profiteor.

13. De arte Trithemiana *ſcribendi per ignem* plura ſuppeditat *Georgius Wallin* in ſuis Diſſertationibus; quas tamen perluſtrare mihi necdum obtigit. Nonnulla etiam huc ſpectantia ex *Trithemio* decerpta comperias in Benedicti Figuli *Roſario Olympico* Baſileæ anno 1608. typis conſignato.

14. In quodam Erlangenſi Catalogo A. 1746. edito inter MSS. codices occurrit: *Trithemii Schlüſſel von allen Geheimnüſſen*... Sed præter titulum, nihil de Opere mihi compertum.

15. Brunæ Moravorum cùm A. 1749. die IX. Septembris verſarer, vidi Tractatum quemdam Chymicum MSS. hoc rubro: *Lilien und Roſen, welche abzubrechen der erſte Prælat zu Creutzberg* Johan. Trithemius O. S. B. *ſeinem Cloſter* privativè *zum Andencken hinterlaſſen.* Continet capita ſex, quorum primum tractat de tinctura Chymicorum. Hujus Operis apographum mihi oſtendit Perilluſtris D.nus *Franciſcus de*

Schmi-

Schmiden L. B. de Freyboven S. Cæſ. M. Centurio, qui autographum Viennæ in Bibliotheca Cæſarea adſervari, comminiſcebatur. Sed apage impoſturas!

Alia hujuſce commatis plura ſub *Tritbemii* nomine circumferuntur opuſcula mihi adhuc inviſa, ut proinde circa hæc judicium ſuſpendere cogar; Cùm tamen univerſim viris eruditis quamplurimis perſuaſum ſit, vel nulla genuina, vel pauca admodùm ejus argumenti ſcripta reliquiſſe *Tritbemium*, contemptorem potiùs artis & ſectantium irriſorem, uti ex ejus Epiſtolis & Chronicis liquet *, ſi quæ profectò ejus nomen hodie præferunt, hederæ loco ab impoſtoribus appenſum exiſtimo, ut tutiùs fallerent, & ſuis ineptiis auctoritatem conciliarent. Quidam enim in *Charlataneria* benè formati, hoc veluti aucupio rebus ſuis conſulere ſatagentes, ut arti pretium conflent, ſummos quosque Viros eidem litâſſe jactitant: ita *Salomoni*, *Hermeti*, *Balemio*, *Razieli*, *Platoni*, *Ariſtoteli*, *Zoroaſtre*, *Raymundo Lullo*, *Alberto Magno*, & aliis plures libros ſuæ dementiæ teſtes adſcribunt, quos ad nauſeam enumerare hujus non eſt propoſiti. Primaria verò & vulgatiſſima factæ ejusmodi ſuppoſitionis ratio arceſſenda videtur à Librariis, vel Typographis, qui Operibus nomina eorum, à quibus non fuerunt conſcripta, præmiſerunt, ut libri iſti pluris fierent, & meliùs divenderentur: quo factum ut etiam Eruditi, cùm hæc opera illorum auctorum ſcriptis conjuncta, vel nomine inſignita viderent, re non ſatis perpensâ, crediderint ejusdem eſſe Auctoris.

* *Vid. Chron. Hirſaug. P. II. pag. 225. & 288.*

LVIII. Ceterùm ut hoc obiter moneam, non omnes cujúsque argumenti lucubrationes Trithemianis indicibus curatè relatas eſſe, inde arguimus, quòd ipſe plerisque in locis inculcet, ſe nonnulla in manibus versâſſe ſynthemata, quorum titulos & prænotationes conſultò reticuerit, donec ad umbilicum eſſent perducta. Clarè idipſum innuit *Duracluſius* in ſua Epiſtola anno 1515. exarata, recenſionem ſuam ita concludens: *Hæc ſunt, mi Nicolae chariſſime! Tritbemii Abbatis noſtri volumina, quæ per annos ferè triginta duos continuo lucubravit ſtudio: præter illa, quæ nondum perfecta in manibus verſantur ſub incude mibi incognita.* Et Trithemius ipſe in Epiſt. ad Rogerium Sicambrum: *Complura*, inquit, *ſcripſi opuſcula, quorum hâc vice titulos omnium ad memoriam nequeo revocare.* . Plura etiam poſthuma reliquiſſe in ſcriniis tutiùs fortè poſt ipſius obitum in lucem proferenda, exinde colligimus, quòd cùm ipſe quidem maturiori jam ætate, *ſuis ſibi monumentis literariis*, ut loquitur Nicolaus Gerbellius, *laudem tantam apud poſteros & gloriam ineluibilem comparâſſet, ut non tam bumo bumili, quàm ipſis ſub aſtris ſplendicantibus deambulare occiperet; Non tamen vividus ille ejus ingenii vigor otio delituit, ſenio elanguit, viribúsque medullitùs diſciplinarum palæſtrâ enervatis ſtinctnavit unquam, vel emarcidus alſit*, ſed ad vitæ finem propoſiti tenax, laboríſque indefeſſus, *lucubrationibus diurnis elychniúmque redolentibus novi aliquid indies excogitavit, quod boni omnes admirarentur, concupiſcerent, ſummâque veneratione exoſcularentur*: quæ & nos profectò, ſi ea aſſequi contingeret, attalicis opibus & Cræſi divitiis meritò præferremus. Verùm quod dolemus, *eo denato, opuſcula quæ in utraque lingua condiderat*, ut refert Bilibaldus Pirckmerus *, *adeò repentè diſparuêre cuncta, ut ne veſtigia quidem ſupereſſe viderentur.* Multa tamen hinc inde latere etiamnum anecdota, perſuadent inter alia verba Eruditiſſimi Viri *Angeli de Rocca* Eremitæ Auguſtiniani, qui in Catalogo auctorum deſcriptæ à ſe Bibliothecæ Vaticanæ A. 1591. Romæ in 4. majori editæ præfixo, Trithemium inter *Polygraphos* ſignatè recenſet, enumeratísq; aliquot ejus ingenii monumentis, ſubdit *ipſum denique ſcripſiſſe opuſcula penè innumera, quæ in lucem non prodierunt.* Qui dum *penè innumera* dicit *inedita*, tantus ipſe librorum helluo, & Bibliothecarum perreptator tamquam teſtis è tabulis Jovis, quod ajunt, nobis videtur ſuſpiciendus. Hæc inter præter enumerata cenſentur, 1.mo *Annales Germanorum*, quos Maximiliani Imperatoris juſſu ſcribendos A. 1515. in ſe recéperat, iis exarandis verè immortuus. 2.do Opuſculum *de ſupputatione annorum*, de quo ipſe in Epiſt. *ad Chriſtianum Maſſew* Presbyterum Gandavenſem: *Scripſeram Tibi de hac ipſa re ante triennium* (hæc ſcribebat anno 1507.) *latiùs ex Spanbeim per Joan. Steinemmoelen Presbyterum Mechlinienſem.* 3.tio Ad Joachimum Marchionem Brandeburgicum *Epiſtolarum Liber unus*, de quo Duracluſius. 4.to *Epiſtolarum Herbipolenſium*, quas in ea ſcripſit Abbatia, libri quatuor... 5.to *Arcana quædam naturæ & artis*, quæ cum ſumis Princi-

Lucubrationes poſthumæ imperfectæ, & incognitæ.

* *in præf. ad Fulgentii Opera..*

cipibus ſecreto comunicâſſe diſcimus ex ejus Epiſtolis. Reliqua Trithemii Opera inedita fuſiùs comemorat Fabricius in Bibl. med. Lat. Libr. IX. p.466.

Tandem, ut alia prætercam, non diſſimulandum quædam Trithemii ſcripta apud Bibliographos recenſeri, quæ aliis rectiùs tribuuntur, cujusmodi eſt, *Tractatus de Providentia Dei*, quem anno 1611. *Altorfii*, & 1632. *Norimbergæ* ſub ejus nomine editum memorat *Warthonus* ad Caveum; ſed id operis nuper refudit doctiſſimus *Baluzius* ſub nomine *Salviani* Maſilienſis Presbyteri; quæ verò *Trithemius* hac de re ſcripſit, cùm iſta curatiùs oculis colluſtrarem, comperi inter octo quæſtiones ad *Maximilianum Imp.* edita reperiri Q. 8.

LIX. Eum itaque procul dubio hauſtu non indigo infuderat, mentémque heroïcis planè cogitationibus fætam, & rerum altiſſimarum capacem ipſi indiderat Divina Sapientia, ut tam anguſto vitæ ſpatiolo tot & tanta elaboraret volumina, quæ ſi quis depuratâ à præjudiciis mente in animum reduxerit, intelliget planè ipſum nullum doctrinæ ſalutaris caput præteriiſſe, cui non aliquem nitorem addiderit, plura utique editurus, ſi exercitatiori ætate diutiùs frui licuiſſet: *Si enim*, ut eleganter Heidelius, *ſpatio annorum triginta trium, inter continuas ſollicitudines & curas rei familiaris; ſi inter crebras profectiones ad Abbatum & Principum congreſſus; ſi inter æmulationes, perſecutiones, & ſimultates, maximóſque labores, quos in communibus cauſis & negotiis Capituli Ordinis & Unionis, viſitando, dicendo, corrigendo, mores lævigando, probæ diſciplinæ conſulendo, ac etiam legationes coram Principibus, Epiſcopis, aliíſque Proceribus frequenter obeundo impendit, tot & tanta támque diverſa reperitur ſcripſiſſe volumina, quanta nec longo tempore ante illum, nec ab illo hucusque quisquam ſcripſit, quantáque multi longiori annorum ſpatio ne legerint quidem; quid fuiſſet ſcripturus in tranquilla, curis vacuâ, ſtudiíſque ipſius ſatis congruâ Herbipolenſi Abbatiâ, ſi hujus lucis uſurâ diutiùs frui licuiſſet?*

LX. Sed neque lucubrationum ejus multitudo, nec vaſtitas, aut varietas tam eſt admiranda, quàm humilitas & modeſtia, quâ easdem meritò Operibus Eccleſiæ Patrum comparatas, nihili ipſe æſtimat; ita enim in Epiſtola ad *Rogerium Sicambrum*, quæ duodecima eſt libri 1. familiarium, ubi præmiſſo Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo, *Quid ſunt*, ſubdit, *noſtra ſtudia*, Rogeri optime! *lucubrationibus iſtorum comparata Virorum? Omne tempus vitæ ſuæ literis tradiderunt, ſemper aliquid legentes vel ſcribentes, quo & ſuum intellectum in cognitionem ſummæ veritatis elevarent, & poſteritati utilia providerent. Quid denique ſunt noſtræ lucubrationes, quibus aliquid eſſe præ cæteris putamur, ſi præſcriptorum comparentur opuſculis Patrum, niſi paleæ relatæ ad triticum, & immaturi quidam fructus, quibus nec tempus affuit, nec locus, imò nec aëris opportuna temperies donata fuit, ut in cibum coaleſcerent optatum.* Scribimus, *ut Flaccus ait*, indocti doctíque poëmata paſſim, & *inanis nimium æſtimationis cupidi opuſcula noſtra puerilia nimis, ut nonum taceam, nec in alterum quidem premimus annum. Quæ omnia etſi ita ſe habeant, noſtrorum tamen rectè laudamus ingenia, cum unusquisque hoc ipſum, quo poteſt, amore ſapientiæ facit. Quanto enim magis quisque in ſacris Scripturis aſſiduus fuerit, tanto ex iis uberiorem intelligentiam capit*... ita ibi. In alia verò Epiſtola ad Gurcenſem Epiſcopum ſic reſcribit: *Noſtra*, inquit, *ſtudia nihil magni promittunt: quæ ſcripſimus ſynthemato, humilia ſunt, qualia non curæ Hippoclidi eſſe, nec magnos oblectare Principes, ſed mediocribus ſoleant convenire hominibus.* Hàc nempe virgulâ pro inſigni ſua moderatione ſuos ipſe partus ferit *Trithemius*; at dum ſe ſuáque in minimis poſuit, ab aliis gloriam, laudem, æternitatem accepit; etenim quod *Gerundus Naſo* olim accinebat, hodiéque obtinet:

Trithemii modeſtum de ſuis Operibus judicium.

Et places & legitur, quidquid Trithemius Abbas
Erutt ex adytis Græcia docta tuis.

VITÆ

VITÆ & APOLOGIÆ
VEN. JOANNIS TRITHEMII ABBATIS
LIBER TERTIUS

Pios ejus manes & ſcripta ab iniquis obtrectatorum cenſuris, criminationibus & calumniis vindicat.

§. I.

Summa cavillationum capita. ENimverò utut omnia omnium ferè ſui ævi merita nimio ſplendore ſuo venerabilis & im̃ortalis memoriæ Abbas *Trithemius* obſuſcaverit, atque adeò de ipſis, qui tum antè, cùm poſteà in Ordine Benedictino, & in Germania ac in universa Eccleſia ſanctitatis aut doctrinæ famâ claruerunt, egregiè meritus ſuerit, variíſque argumentis vitæ ſuæ innocentiam, mentis puritatem, ac fidei & religionis integritatem affatim teſtatam reliquerit, famam tamen & gloriam tot vigiliis, ſudoribus & ſcriptis partam vix ab obtrectatoribus illibatam ſolidámque tueri atque conſervare potuit. Cùm enim invaleſcente jam ætate *Curioſa*, ut vocant, *ſtudia*, quo indulgeret genio, & ſeculi moribus ac Principum votis obſecundaret, ſectari cœpiſſet, multáque de Cryptographicis, Chymicis, Mathematicis, Cabaliſticis, & aliis adhuc in obſcuro deliteſcentibus naturæ & ſecretioris Philoſophiæ arcanis atque artibus comperta ſe tenere palàm feciſſet, indéque haud vulgarem Nominis plauſum apud Principes & Proceres, Viróſque harum rerum ſtudioſos collegiſſet, fuêre nonnulli obliquæ mentis opinione languidi, multi ſtupidi, quidam maligni, alii nimis creduli, plures invidiæ facibus ſuccenſi, aut præcipiti aliorum cenſurâ decepti, qui ejus inventa & ingenii propè Divini prodigia ſugillantes, ac cumprimis STEGANOGRAPHIAM, & innoxium *Magiæ* nomen in deteriorem partem detorquentes, atque maleſartâ criminatione acerrimóque conviciandi genere in fictitiarum conjecturarum umbra ſuas ſatyras depingentes, ſuſpenſo altiùs ſupercilio clamitare cœperunt, *Trithemium vetitas artes docere, Principibus imponere, piis auribus offendiculo, præclaris ingeniis ſcandalo eſſe.* Nec deerant, qui ipſum ſuſcitâſſe mortuos, evocâſſe ab inferis Dæmones, prædixiſſe futura, ſures latronéſque carminibus ligâſſe, & Theurgiam coluiſſe blaterarent. Quo factum, ut & credula in vitium turba ſuo contra innocentem debacchari more cœperit, & *quoniam naturalium non habet in cognitione principia*, quidquid non intelligebat, malis operationibus & præſtigiis adſcribere feſtinabat, grandi quidem errore, ſed tamen uſitatiſſimo: Quid enim tam pronum & proclive vulgo arcanorum ignaro, quàm mirabilium inventorum auctores invadere, de præſtigiis, mormolyciis, aut Magia poſtulare, ſi inaudita, ſi inviſa in conſpectum proferant? Appoſitè doctiſſimus Caramuel de Lobkowitz: *Mirabilis*, inqoit, *olim fuit Joannis Trithemii Abbatis in Ciphris inveniendis felicitas, & æquè mira illius ævi ignorantia. Condemnatur enim à multis, à quibus non fuit intellectus.* Hoc erat ætatis priſcæ ingenium, hoc eſt noſtræ: *pauca legere, paucioris intelligere, omnia aut ferè ſingula damnare.* Et verò quotus eſt quisque hominum, cui ut Satyricus monet, *promptum ſit vulgi murmúrque humiléſque ſuſurros tollere de templis, & aperto vivere voto?* Ego fanè ſimilem ſi cerno, non ſecus hoc tempore ac olim Juvenalis:

Miranti ſub aratro
Piſcibus inventis, & fœta comparo mula.

Cùm itaque omnium rerum, quas indipiſci humano generi licet, nihil jucundius, nihil præſtantius ipsâ ſit veritatis cognitione; ut porrò clariùs adpareat, quàm maleſartæ ſint cavillationes, horrendæque & injurioſæ calumniæ, quas *Trithemio* pridem impactas, nonnolli poſterorum animis altiùs imprimere nituntur, libet *ab ovo*, quod ajunt, fabulam repetere.

II. Anno ſupra milleſimum quadringenteſimo nonageſimo nono, *Trithemius*, ut ſupra memini, ad inſtantiam *Philippi* Electoris Palatini moliri cœperat mirabile ac myſterioſum Opus *de variis* per obſcuras notas ſcribendi modis ſub græco *Steganographiæ* titulo libris quatuor, velut alibi inſinuat, **Steganographiæ ſcribendæ ratio & idea.**

nuat,

Digitized by Google

nuat, *octo*, abſolvendum, cujus ille
Operis argumenta cœptíque conſilii
rationes, datis eodem anno ad *Arnoldum Boſtium* Gandavenſem Carmelitam literis prolixè per ordinem commemorat his verbis: „ In manibus jam
„ habeo grande opus, quod ſi unquam
„ fuerit publicatum, totus mundus mirabitur; cujus primi libri titulus eſt
„ *Steganographia*. Erunt autem quatuor libri; quilibet ad minus centum capitulis diſtinguitur. Incœpi
„ hoc opus ad inſtantiam magni cujusdam Principis, quem nominare
„ non opus eſt. Quæris quid hoc opus
„ docet? Maxima docet, omnibúsque neſcientibus ſtupenda & incredibilia, quæ à ſeculo nunquam ſunt
„ audita. Primus enim liber continet
„ plusquam *centum modos occultè ſcribendi quidquid velis ſine omni ſuſpicione, ſine literarum transpoſitione,*
„ *ſine omni timore*, ita ut non ſit homo in mundo, qui naturali induſtriâ ſcire, vel ſuſpicari quidem poſſit, quid in meis literis contineatur,
„ præter eum, qui artem novit ex me,
„ vel ex eo, quem ego docuero. Verba ſunt plana & familiaria, omni
„ ſuſpicione carentia, ſed intentionem meam nemo ſine arte percipere poterit in æternum, quantumcunque ſit doctus, & eſt res verè
„ ſtupenda.

„ Secundus liber multò mirabiliora continebit; *per ignem* videlicet
„ in hâc arte poſſum mentis meæ conceptum notum facere artem meam
„ ſcienti, ad quamcumque diſtantiam, ad centum milliaria, vel
„ plura ſecurè ſine verbis, ſine ſcriptis, ſine ſignis, per quemcunque
„ nuntium, qui ſi comprehenſus fuerit, ſi interrogatus etiam per tormenta duriſſima, nihil poteſt fateri de nuntio meo, quia nihil penitùs ſibi conſtat de illo... Voluntatem quoque meam indicare poſſum ſedenti in carcere, artem ſcienti, etiam longè abſens, quantumcunque is cuſtodiatur, etiamſi tribus milliaribus ſub terrâ ſederet, *Et*
„ *hæc omnia latiſſimè & univerſaliter,*
„ *quando & quotiescumque voluero, poſſum naturaliter ſine aliqud ſuperſtitione vel adjutorio ſpirituum quorumcunque.*

„ Tertius liber docet artem, per
„ quam poſſum hominem idiotam, ſcientem tantùm linguam maternam,
„ qui nunquam novit verbum latini
„ ſermonis, in duabus horis docere
„ ſcribere, legere & intelligere latinum ſatis ornate & disertè...

„ Quartus liber cootinet multa ſtupenda experimenta, ſed purè naturalia....

„ Mirantur hæc omnes, qui audiunt, è quibus multi ſunt viri Nobiles atque doctiſſimi exiſtimantes
„ iſta aut eſſe impoſſibilia, aut penitùs ſupernaturalia. His ego tibíque reſpondeo, quod multis reſpondi: *Multa naturalia eſſe poſſibilia,*
„ *quæ neſcientibus vires naturæ impoſſibilia, vel etiam ſupernaturalia videntur.* Et ecce coram Deo loquor, qui novit omnia, quòd ea
„ quæ prædixi miranda, multo ſint
„ excellentiora, profundiora, & majora, quàm ego ſcribere, aut tu
„ credere poſſis, & tamen omnia ſunt
„ purè naturalia, ſine deceptione aliqua, ſine ſuperſtitione, ſine magicà arte, ſine invocatione ſeu miniſterio quorumcunque ſpirituum.
„ Hæc ideo dixerim, ut ſi fortè aliquando rumor ad TE pervenerit,
„ me aut ſcire, aut poſſe miranda,
„ non me *Magum*, dico, exiſtimares, ſed Philoſophum. Nam quod
„ *Alberto M.* profundiſſimo rerum naturalium ſcrutatori contigit, ut propter miranda, quæ occultâ virtute naturæ operatus eſt, *Magus* à
„ vulgo ſit habitus, mihi certus ſum
„ ſimiliter contingere poſſe. Si quæris unde mihi iſta, quæ nemo alius
„ novit? Audi, non ab homine, neque per hominem iſta didici, ſed
„ per revelationem neſcio cujus. Cùm
„ enim præſenti anno 1499. quadam
„ vice cogitarem, quid novi poſſem
„ invenire, quod omnes lateret, cœpi
„ cogitare, ſi ea poſſem excogitare,
„ quæ dixi miranda. Cùm poſt longam phantaſiam tamquam de re impoſſibili penitùs deſperarem, dormitum eâ me nocte repoſui, fatuitatem
„ meam ipſe mecum deridens, quoniam impoſſibilia pertentaverim.
„ Eâdem nocte mihi adſtitit quidam
„ dicens: *Non ſunt vana ô Tritheni!*
„ *quæ cogitâſti tamquam tibi impoſſibilia, quæ nec Tu, nec alius tecum*
„ *poterit invenire.* Dixíque ad eum:
„ *Si ergo poſſibilia ſunt, dic obſecro,*
„ *quomodo, fiant?* Et aperiens os
„ ſuum de ſingulis per ordinem me
„ docuit, oſtendens, quomodo fieri,
„ quæ multis diebus fruſtra cogitaveram, de facili poſſent. Ecce coram Deo, quia non mentior, neminem adhuc iſta docui (quamvis

„ multi

„ multi promittentes magna, ſæpè rogaverint) præter unum Principem, „ cui ſcribo, quem de poſſibilitate, „ artis manifeſto argumento ſeci certiorem. Nec decet iſta alios ſcire, „ quàm Principes; Alioquin multa „ per ea fierent mala, traditiones, „ deceptiones, fornicationes, & alia „ quæcunque vellent homines mali „ (*Nihil enim tam bonum eſt, & ſanctum, quo reprobi non ſæpiùs abutantur in malum.*) Sed benè utentes arte, multa per eam bona Reipublicæ facere poſſent. Poſſum „ autem iſta omnia docere in omni „ lingua totius mundi, quam nunquam audivi. Hæc Tibi Boſti! propterea ſignificare volui, ne me crederes otioſum. „

Trithemii epiſtola ad Boſtium excitat varia de ipſo judicia.

III. Priusquam hæ literæ Gandavum appuliſſent, *Boſtius* ipſe diem ſuum pridie nonas Aprilis obierat. Prior ergo loci eas aperuit, legit, promiſſorúmque novitate attonitus multis aliis rogantibus legendas & reſcribendas conceſſit. Quo factum, ut brevi tempore per totam ferè Germaniam & Galliam divulgatæ, multos etiam doctiſſimos viros in ſtuporem & admirationem abripuerint, usque adeò, ut quid ſentire de *Trithemio* cum veritate deberent, ambigui hæſitarent. Alii námque ipſum *hominem propè divinum ac Philoſophum ingenioſiſſimum* prædicabant. Alii quibus & intellectus tardior, & voluntas ad temeritatem paratior, dicebant: *Magna & mirabilia pollicetur iſte Abbas, quæ ſi poteſt, non aliter quàm Dæmonum miniſterio poteſt, cùm naturæ metas procul videantur excedere. Si verò non poteſt, quis eum dubitabit mendacem eſſe, & ab omnibus viris bonis meritò refutandum?* Alii audaciores apertè clamitabant: *Omnia illa eſſe frivola,* ἀδύνατα, *impoſſibilia, falſa, & inanis auræ captandæ causâ impudenter excogitata.* Verùm cordatiores, quibus Trithemii admirabile ingenium, doctrina, prudentia, ac vitæ ſanctimonia probè erant cognita, his impiorum maledictis & calumniis maſculè obſiſtebant, & quàm temerariam tanto viro inurerent notam, multis palàm argumentis demonſtrabant. Quin plerique viri doctiſſimi *rei novitate & ſubtilitate excitati*, ut habet Chronicon Spanheimenſe, *ex ultimis Galliæ finibus Spanheimium, videndi & alloquendi* TRITHEMII *percupidi confluxerunt, qui viſis ejus libris, quorum famam longè poſiti audierant, demonſtrationéque lucidiſſimâ, quantum decuit, à* Trithemio *aſſumptâ, famam rebus & veritate longè inferiorem fuiſſe confeſſi ſunt. Nonnulli etiam longiùs diſſiti nuncios ſuos cum literis ad* Trithemium *miſerunt, cupientes rei cognoſcere veritatem, quam ſolâ famâ audiverant. Horum aliquibus* Trithemius *ita reſcripſit, ut & mirandorum ſuorum operationem ſine ſuperſtitione naturaliter intelligerent eſſe poſſibilem, & quod principia ipſius artis, operandíque per eam tanta mirabilia, rationem neſcirent. Inter eos, qui hiſce de rebus* Trithemium *per literas convenerant,* Vlaſcus Luſitanus *vir certè doctiſſimus tantâ ſubtilitate, tantâ eruditione, tantáque varietate argumentorum cum* Trithemio *egit, ut nemo in proponendis talium rerum quæſtionibus eo perſpicacior unquam fuerit compertus* ... Hucusque Chron. Spanh. ad 1499. *Confer. Præf. ad Polygraph.* ...

Bovillus fœdæ buccina famæ.

IV. Omnium verò Trithemii *Steganographiam* temerè judicantium maximè temerarius & flagitioſus rerum æſtimator primus prorupit in medium *Carolus Bovillus* (*f*) natione Picardus, qui cùm anno 1500. peragratis ſuperioribus Alſatiæ partibus, *Trithemii* famâ pertractus Spanheimium, per Treviros in Galliam rediturus, deflexiſſet, ipſúmque opus, *ut erat curioſus*, nondum abſolutum, neque ſuâ clave reſeratum, jam tamen ad tertium librum perductum, luſtrâſſet magis, quàm penetrâſſet, & fortè peregrina illic vocabula ſpirituum diurnorum & nocturnorum (*uti certas ſcriptorum notas ad obſcurè indicandas literas ſeu voces, quæ nihil aut aliquid ſignificabant, appellare Trithemio placuerat*) offendiſſet, explicatione ab Auctore non petitâ, arbitratus eſt eum reipsâ de dæmoniis ibi locutum, indéque reverſus in Galliam, *malum pro bono reddidit, & Chriſtianæ fœdus amicitiæ turpiter violavit.* Interrogatus námque per D. *Germanum de Ganay* Trithemii amicum poſtea Aurelienſem Epiſcopum, quid Spanhemii vidiſſet reperiſſétque mirabile, *falſa pro veris, mendacia pro beneficiis retulit, damnans & temerè judicans ea, quæ obtuſo comprehendere intellectu minimè valebat.* .. Utì Trithemius ipſe tùm in ſuæ Polygraphiæ prologo, tùm in eâ, quam adverſus ſuum accuſatorem ſcripſit, epi-

(f) De Bovillo copiosè Albertus Fabricius in Bibl. med. & inf. lat. Tom. I. p. 929.

epiſtolâ graviter & meritò conqueritur: *Nam*, inquit, *cùm Doctrinæ ſibi palmam invidiâ & mendacio crederet fore conferendam, Epiſtolam * ad memoratum virum doctiſſimum falſitate, mendaciis, injuriis, & contumeliis plenam reſcripſit, in quâ non intellectæ* Steganographiæ *mentionem faciens Trithemium pravis artibus deditum, Magum & Necromanticum falſo, mendaciter, & nimis injurioſè temerariâ præſumptione proclamat*...

* *Eſt hæc inter Bovillianas tertia, quam etiam dedit Mich. Mattaire Tom. II. Annal. Typograph. pag. 210.*

Brevis rerum geſtarum expoſitio.

V. Atque hæc obtrectandi viro optimè de Republicâ literariâ, Religione & Eccleſia merito, prima fuere principia, quæ longiùs provecta, multorum deinceps animis opinionem injecerunt *Trithemium* extra naturæ bonæque artis limites cupidine famæ actum proſiliiſſe, ac præſtigiis dæmonum & incantationibus operam dediſſe. Quam deinde calumniam innocuo temerè impactam pertinaces quidam ac malevoli aut invidi & ignorantes cenſores in poſteros derivare non erubuerunt. Hos inter reponitur *Joannes Wierus* in libro 2. de præſtigiis. Verùm hanc ille criminationem ſibi à *Leone Suavio* iniquè offuſam repulit in ſuo Apologetico pag. mihi 880. *Nam*, inquit, *quùm ferè nullam aliàs Tritemii mentionem fecerim, demùm libr. 2. de præſtigiis cap. VI. ſequentia retuli*: „ Steganographiæ Jo„annis Tritemii Abbatis Spanhei„menſis in hæc verba meminit Caro„lus Bovillus in ſuâ ad Germanum „Ganaium epiſtolâ... *Et poſt reci„tata fuſiùs Bovilli verba ſubjunxi*: „Quem tamen mendacii & impieta„tis accuſat Tritemius, ſe purgans „in præfatione libri Polygraphiæ ad „Maximilianum Imperatorem. *Li„brorum Steganographiæ partem ſcri„ptā cum figuris & ſpirituū nominibus „apud* Henricum Cornelium Agrip„pam *felicis memoriæ ego olim legi, „atque eo inſcio exſcripſi. Si hîc aliud „addidero, ſecus res ipſa docebit legen„tem eoſdem accuratè.* Tum adverſus Leonem Suavium acriùs fodicans: *Num*, infit, *hoc eſt furere, debacchari & memoriam alterius execrari? Unde hic nobis Momus? unde hic petulcus interpres?* Hæc ille. Sed apertiùs inter eos, qui Trithemii memoriam offuſcare conati ſunt, ſuo ſeipſos, ut ſorices, produnt indicio *Bellarminus*, *Poſſevinus*, *Delrio*, *Joannes Roberti & Browerus Jeſuitæ*; iſte in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Alter *in Apparatûs ſacri Tomo II.* Tertius libro II. *Disquiſ. Mag. Q.* 1. Poſtremus *in Annalibus Trevir. libro XX. pag.* 321. Omnes ſanè vel ſubleſtæ fidei teſtimoniis decepti, aut zelotypiæ æſtro perciti, vel humanitatis, prudentiæ & æquitatis penitùs obliti, dùm poſt tot manifeſta in contrarium argumenta tanti viri famam denuò vellicare, iiſque notis denigrare non verentur, quibus vix è tartari carbonariâ poſſint peti horridiores; ajunt enim STEGANOGRAPHIAM *Opus eſſe plenum pernicioſis dogmatibus ad Magiam non naturalem, ſed vetitam pertinentibus; idque Trithemium agnoviſſe, ac propterea lucubrationem hanc tenebris ultrò damnâſſe*...

Quid ſit Steganographia.

VI. Quod aſſertum à veritate quàm ſit alienum, quàm ineptum & maleconſutum, nôrunt, qui ex poſteris religioſam *Trithemii* vitam, repetitas adverſus tam atroces calumnias proteſtationes, & ſcripta ipſa majori ingenio & ſubtilitate, quàm ut vulgaribus doctoribus & plebei ſucci hominibus paterent, exarata, penitiori acumine & depuratâ à præjudiciis mente ſcrutati ſunt, variiſque experimentis (*quæ potentior eſt deſricandi ratio.*) luculenter didicerunt & docuerunt reconditas & obſcuris ænigmatum latebris obductas ſcribendi artes, nihil planè flagitii, goëtiæ, ſuperſtitionis, aut damnoſæ impietatis continere, ſed mera naturalia & artificioſa, fictitiis quibusdam vocabulis, ſigniſque hieroglyphicis, aut cryptographicis & cabalææ doctrinæ arcanis providè incruſtata, ne cuique paterent obvia. Unde eruditiſſimus *Natalis Alexander* in Hiſtoriâ ſeculi XV. num. 15. pag. mihi 993. *Quid ſit Steganographia*, inquit, *videntur non intelligere, qui* Trithemium *ob illam jure merito in Magiæ ſuſpicionem veniſſe volunt.* Eſt enim ars purè orthographica & naturalis à voce græca Στεγανὸς id eſt *occultus*, & γραφὴ i. e. *ſcriptio* dicta, quia ut ipſe inculcat in epigraphe, tradit modum animi ſui voluntatem abſentibus per occultam ſcripturam aperiendi. Varios porrò ejusmodi occultè ſcribendi modos (qui à Gellio *ſcripta furtiva*, ab Italis *Ciſræ* vocantur) tam apud veteres, quàm apud recentiores uſitatos refert verſatiſſimus noſter *Bernardus Montfaucon* in ſua Palæographiâ Græca libro V. De iiſdem ſingulari disquiſitione *Helmſtadii* anno 1727. vulgatâ eruditè egit *Chriſtianus Breithaupt* Philoſophiæ Profeſſor. Sed

pro-

Digitized by Google

propiùs ad rem noſtram *Aventinus* ſuper V. Bedæ opuſculo *de computatione per digitos* diſſerens: *Computum*, inſit, *ac loquelam digitorum Joannes Tritbemius* Steganographiam *nuncupat, quam cùm hic celebrâſſet, & pluribus libris explanâſſet*, Carolus Bovillus *imperitus hujusmodi rerum, falsò Magiæ artium fallaciſſimæ tribuit*: ita, referente *Theophilo Raynaudo*, Geometriam ignarus quidam pro damnatâ habuit ſcientiâ, quia deſinit in *ia* ſicut *Magia* & *Necromantia*. Nùm verò quid ſit, quod in quæſtionem meritò vocari debeat ex Steganographia, prudenti Lectori proponit *Wierus* in Apologetico, ipſius *Leonis Suavii* verbis ex ſcholiis in cap. X. de vulneribus lib. 2. Paracelſi: *Ratio eſt*, inquit, *certiſſima, voces quæ nibil ſignificent, nullius eſſe momenti aut ponderis; Sed barbara quidem verba fatebor non eſſe nobis immutanda. Ideo* TRITHEMIUS *jubet in Steganographiâ poſt jusjurandum à diſcipulo exactum, Magiſtrum illi conjurationum formulas explicare, quæ videntur omninò barbaris, vel potiùs nibil omnino ſignificantibus eſſe conceptæ*... Aſt huc cumprimis appoſitè Ill.^mus Annalium Baronii Continuator *Spondanus*, qui cùm antea in oppoſitâ fuiſſet opinione, edoctus tandem, quid ſit *Steganographia*, pium & eruditum Auctorem ab omni Magiæ ſuſpicione vindicavit ad A. 1499. num. 10. ita reſcribens: *Ut tantum virum optimè cæterà de Eccleſia Catholicâ, Ordine ſuo, ac re literariâ meritum ab omni adeo nefandi criminis culpâ immunem exiſtimemus, fecit diligentia Eruditiſſimi Patris* HILARII *Monachi Benedictini Cœnobii S. Germani de Pratis Pariſienſis Congr. reformatæ SS. Benedicti & Mauri, qui re nobiſcum poſt primam noſtram horum Annalium editionem communicatâ, arcanum aperuit ambagium Tritbemii, à ſe non parvo labore & induſtriâ adinventum, manifeſtâque ad ipſasmet Tritbemii regulas factâ probatione oſtendit, nibil in toto eo opere eſſe conjurationis, aut invocationis dæmonum, ſed quæ ejusmodi videntur, claves tantùm eſſe, ſeu interpretationes verborum, quibus ambiguè utebatur in ſuis epiſtolis.* Spiritus diurnos, *quos vocat, epiſtolas ipſas eſſe, quæ cunctis paterent;* Spiritus *autem* nocturnos, *quasdam eſſe literas, ſyllabas ſeu vocabula ipſarum epiſtolarum, quæ in ſe continerent ſecretum in eis comprebenſum.* Duces *denique &* Miniſtros Spirituum, *verba eſſe & literas otioſas, quæ iisdem epiſtolis continerentur ad tegendum ſecretum.* Hæc ille. Sed quid porrò *Spiritus* in ſubſtrata materia denotet, luculentiùs exponit *Caramuel* in Clavicula his verbis: *Sumitur*, inquit, *præterea ſpiritus pro charactere, & ſic eſt duplex, proprius & ſubſtitutus. Proprius eſt, qui verè eſt adſpiratio. Subſtitutus, qui aliàs dicitur accentus. Cùm ergo Steganographiam tractat* TRITHEMIUS, *quæ ut ipſe deſinit*, eſt ars per occultam ſcripturam animi ſui ſenſa aperiendi, *debuit utique agere de ſpiritibus in eâ ſignificatione, in quâ ad ſcripturam pertinebant, quia aliàs eſſet ineptum & extra intenti limites erraſſe*... Hæc tot tantique viri; è quibus ſolida rei veritas absque fuco, aut partialitatis ſtudio hauriri potuiſſet, immo debuiſſet.

VII. Et verò rem ipſam penitiùs diſcutere ſi lubuerit, nihil toto opere Steganographico contineri, quod *Magiam* oleat vetitam, inter alios pluribus oſtendit Sereniſſ. Princeps AUGUSTUS Dux Brunswicenſis & Luneburg. glorioſus omnino ſubtiliſſimæ artis interpres atque integritatis Trithemianæ aſſertor maximè idoneus, qui editis anno 1624. novem libris in fol. iisque ſanctiſſ. Mem. Principi FERDINANDO II. Imp. Aug. inſcriptis, ignorantiam illam cenſorum adeo ineptorum orbi univerſo prodidit, ſub hoc operis titulo: GUSTAVI SELENI *Cryptomenytices & Cryptographiæ libri IX. in quibus & planiſſima Steganographiæ à* Joanne Trithemio *Abbate Spanheim. & Herbipolenſi admirandi ingenii viro, magicè & ænigmaticè olim conſcriptæ enodatio traditur, inſperſis ubique Authoris ac aliorum non ſpernendis experimentis*... In ipſo ſtatim libri veſtibulo, quantum *Trithemio* deferret Dux & Princeps tantus, facilè animadvertimus, cùm ipſe in tabellâ æri incîsâ ſtans à tergore ſedentis & ſcribentis, tanti ingenii virum, meritiſſimúmque honoraturus caput, huic ducalem ſuum pileum ſive cidarim imponat, ſummâ ſanè venerationis conteſtatione, & memorabili literarum & literatorum omnium Mecænatis exemplo argumentóque potentiſſimo illos confundere, qui ſæpè de viris doctiſſimis & meritiſſimis ſtultâ & temerariâ indebitæ ſibi gloriæ ambitione nequiſſimè detrahere non erubeſcunt. Quàm verò feliciter ſapientiſſimus Princeps Trithemii elucidaverit opus, audi ſodes, *Gabrielis Naudæi* viri utique & eruditione clariſſimi &

Steganographiæ interpretes.

& ab omni palpo alieni, qui in ſuâ Bibliographiâ politicâ Lugd. Batav. A. 1642. editâ pag. 192. laudatis iis, qui de arte arcanè ſcribendi egerunt, Abbatem *Trithemium* ſuo quoque commerito mactat elogio: *Cujus*, inquit, *inventa polygraphica, cùm per ſe perſpicua ſemper exitèrint, ſanè quod ad Steganographica pertinet, quæ* Carolo Bovillo *Doctori parum naſuto, ac ipſius relatione multorum credulitati magica omnino viſa fuerant, ea ſic nuper illuſtravit nobiliſſimus Auctor Cryptographiæ* Guſtavus Selenus, *ſeu* Auguſtus Dux Brunſvicenſis, *ut quidquid in illis obſcurum involutúmque tamdiu in ſummâ omnium opinione ac veneratione delituerat, non amplius ſui deſiderium excitet, poſtquam ab illo retectum eſt atque patefactum.* Eadem ferè repetit in Apologiâ pro viris illuſtribus de Magiâ falsò poſtulatis, Gallicè typis exſcriptâ Pariſiis A. 1669. cap. xvii. ubi recenſitis pluribus Trithemii vindicibus, denique ſubdit: *Mais plus ouvertement, & ſans laiſſer aucune difficulté par* Guſtavus Selenus, *qui nous a donné depuis un an l'entiere explication de cette Steganographie, au troiſieme livre des neufs, qu'il a mis en lumiere de la Cryptographie; Car il explique premierement, pourquoy Tritheme l'a voulu rendre ſi difficile, pourquoy il s'eſt plûtôt voulu ſervir du voile de ces eſprits & invocations, que de quelque autre, & puis il en donne des telles ouvertures, que nous pourrons juger par icelles, quel tort ceux-là font à leur jugement, qui blâment avec ſi peu de conſideration les choſes, qui leur ſont inconnuës, & qu'il eſt bien vray ce que l'on dit communement; Que les plus doctes ne ſont pas toujours les mieux ſenſez...* Cum Naudæo facit *Hermannus. Conringius* Helmſtadienſis Medicus pari eruditionis famâ conſpicuus in ſua ad illuſtr. Boineburgium Epiſtola de Bibliotheca Auguſta Guelferbytana pag. 154. Ipſemet quoque *Gerardus Joan. Voſſius* lecto Seleniano Opere, Soceri ſui *Franciſci Junii* de Trithemiana Steganographia judicium nonniſi trepidè & leviter auſus eſt ſuſcipere, *Viri doctiſſimi* præconio *Guſtavum* proſecutus. *Schelhornius* item in ſuis Amœnitatibus literariis Tom. VII. pag 126. *Dudum*, inquit, *magicæ impietatis maculam feliciter à Trithemio abſterſit Principum omnis ævi Erudatiſſimus* Auguſtus *Sereniſſimus quondam Brunſwicenſium & Luneburgenſ. Dux in Cryptographiæ ſyſtemate.*. Huc etiam ſpectant ea, quæ narrat *Rethmeierus* in Chronico Brunſwicenſi pag. 1391. ſed cumprimis hoc loco memoranda ſunt, quæ Celebris *Morhofius* in ſuo Polyhiſtore literario To. I. Libr. IV. cap. 2. de variis Scripturæ modis appoſitè differit in hæc verba: *Notarum, quæ ad Cryptographiam ſpectant, artem* Trithemius *in Steganoo- & Poly-Graphia ſua tradere aggreſſus eſt. Uſus earum antiquiſſimus deprehenditur: Ut enim Scytalam Lacedæmoniorum taceamus à Gellio Libr. XVII. cap. 9. Noct. Attic. fusè ſatis deſcriptam, nec Cæſaris etiam nec Auguſti arcanos ſcribendi modos, quos* Suetonius *detegit, memoremus; nihil aliud ſuis notis primùm* Cicero *voluit, quàm occultè ſcribere; ita enim libr. 13. ad Atticum: Et* quod *ad te de decem legatis ſcripſi, parùm intellexiſti,* credo quia διὰ σημείων ſcripſeram. *Talis occultæ ſcriptionis, utì diximus, ars illa eſt, quam tradere, ſuis tamen myſteriis involutam voluit* Trithemius *Abbas, quæ evolvit poſteà ſcripto in ejus Polygraphiam commentario Ill.mus* Guſtavus Selenus, *i. e.* Auguſtus *Dux Brunſvic. edit. in fol. Lunæburg. 1624. Cryptographia...*

VIII. Jam ante *Selenum* idem argumentum tractaverat *Abraham Colorinus* in Scotographia Italica; quin & alii plures ſingularia hujusmodi artificia monſtraverant, ſed qui Apologiam pro *Trithemio* Ingolſtadii anno 1616. ediderat *Sigiſmundus* Seonenſis in Bavaria Monaſterii Abbas, artis illius genuitatem tantummodo probat ex Authoris ſanctitate & vita; ac proinde licèt doctos convincat, indoctos & impios, qui argumenta à ſanctitate ducta non penetrant, haud ſatis firmiter à ſua revocare potuit ſententia. Ex eo tranſcripſit, ut ipſe fatetur, *Balthaſar Bellerus* ea, quæ dixit Lectori ante octo Quæſtiones Trithemianas à ſe editas. Rem paullò altiùs repetiit doctiſſimus *Joannes Caramuel* Lobkowitzius, qui, teſte *Viſchio* in Biblioth. Script. Ciſterc. pag. 178. *Belgium dum luſtraret, Joannem mox Trithemium Spanheimenſem Antiſtitem à Necromantiæ nota* (velit nolit Zoïlus) *demonſtrativè vindicavit, editis ex Alnenſis Monaſterii Bibliotheca ejusdem Steganographicis libris, unacum clavibus ſeu regulis, quibus conjurationum myſteria in iis contenta commodè referari poſſunt.* Prodiit liber Coloniæ Agrippinæ A. 1635. in 4. ſub titulo: *Clavicula Salomonis Germanici* Joannis Trithemii *Abbatis Spanheimenſis*... De hac verò

Alii Steganographiæ vindices & expoſitores.

arte

arte differens *Caramuel* in ſuo Apparatu philoſophico pag. 9. *Steganographia*, inquit, *eſt occultiſſima ſcribendi facultas, quam olim Joannes Trithemius tradidit, & ego anno MDCXXXV. curioſo commentario illuſtravi, viam aperiens aliis, qui poſteà valdè doctè ſcripſerunt.* Tum verò ſubjectâ dedicatoriâ, quam Sereniſſimo Principi Neoburgenſi *Wolfgango Guillielmo* Comiti Palatino ſcripſerat, ſublimiores artis illius operationes & utilitates inſinuat his verbis: *Exit in lucem, qui famam æternam, ſed matrimonio clandeſtino duxerat Steganographicus* Joannis Trithemii Liber, *liber jam tandem à malevolentia indoctorum. Verè unus & ſolus, uni & ſoli Principi digniſſima ſolicitudo. Porrò unus; alii enim regiam mentem exornant, hic conſtituit. Nunquam profuerunt conſilia, ni ſecreta, & quæ non profuerunt, regia non debent dici. Regum enim conſilia & decreta debent in populi profectum collimare: Nam ubi ſcholaſticus dicit:* Scire tuum nihil eſt, niſi ſcire tuum ſciat alter, *ibi Politicus reponit:*

Si ſciat hoc alter, ſcire tuum nihil eſt.

Et quidem ne conſilia Principis arcana periclitarentur, Trithemius *hanc artem compoſuit. Hanc ego evulgo, ut deſinat periclitari. Porrò ſolis Principibus ſpeculationes has ſublimes profuturas exiſtimo; Enſis enim in manu Protectoris eſt utilis, nocivus in manu invaſoris. Ars quæ prodeſſe debet, nocere poterit, ſi quis illa abutatur. Abuſum timens conatus fuit Trithemius, ne Steganographicæ ſapientiæ Regulas omnibus innoteſceret; & ut uni & ſoli pateret Principi, ſymbolis armavit periodos, & regulas obſcuritate. Scripſit ac ſi non ſcripſiſſet; Liber enim editus in lucem, luce caruit, annis centum ſolidis latuit, & ſcripturientium crudeles calamos perpeſſus eſt. Patet ab uno, ſed non omnibus; Nam Commentarius iſte aut voce indiget vivâ, aut ſaltem ſecundo Commentario. Fortè nec illum exarabo; expedit enim artem hanc à ſolis Principibus ſciri; tamdiu námque utilis eſſe poterit, quamdiu non ſit vulgaris. Plurima quidem eáque valde utilia hoc brevi volumine comprehendi; curioſa proponam:* Hâc in-
„ ſtructus rariſſimâ ſapientiâ Princeps
„ Hiſpanis, Belgicis, Germanicis, Scy-
„ ticis, Græcis, Latinis, aut cujos-
„ cunque idiomatis literis ad expri-
„ mendos ſecretiſſimos mentis ſuæ
„ conceptus uti poterit, tametſi & qui
„ literas ſcribit, & qui recipit, has
„ ipſas linguas neſciat, & ſolam ma-
„ ternam dialectum percalleat. In Se-
„ natu Reipublicæ amicæ aut inimi-
„ cæ Princeps ipſiſſimus habeat gra-
„ via, eáque graviſſima negotia, va-
„ cat aut expedit unam ſolam ſcribe-
„ re Epiſtolam. Quî ergò poterit di-
„ verſimode inſtruere conſcriptos Pa-
„ tres? Neſciet, quamdiu careat hâc
„ ſcientiâ, quam ſi habeat, poterit
„ vel ſimplicem ſcribere Epiſtolam, in
„ qua unusquisque Senator conjura-
„ tionis complex perſpiciat mentem
„ Principis per directionem volunta-
„ tis. Angeli voluntariâ conceptuum
„ directione, Angelico Doctore aſſe-
„ rente, arcanas contemplationes ex-
„ primunt; ergò & Principes conver-
„ tuntur in Angelos me duce; jam
„ enim illis licet ſimplici Epiſtolâ di-
„ verſa, eaque minimè confundenda
„ negotia comprehendere, & ea his
„ celare, illis manifeſtare. Eundem
„ contextum legent ſinguli, diverſa in-
„ telligent, & omnes bene. Inſtent
„ ſumma pericula, graſſentur prodi-
„ tores, nulla facultas ſit tabellariis;
„ adhuc poterimus ſecurè literas de-
„ ſtinare. Dabimus ipſi ſecundùm ar-
„ tem folium libri primò occurrentis,
„ manuſcripti aut impreſſi, cujuscum-
„ que idiomatis aut argumenti. & ſuf-
„ ficiet: Nam amicus ſecundùm Ar-
„ tis legem folium illud recipiens no-
„ ſtrum aſſequetur conceptum. . . „
Hucusque Caramuel.

IX. Idem Steganographiæ Opus aut vindicârunt, vel explicationibus ſuis illuſtrârunt Mathematicarum rerum & Cryptomenytices egregie periti Scriptores non pauci, quos inter emineat, *Nicolaus Baſelius* Hirſaugienſis Monachus Trithemii diſcipulus; *Gerardus Dornius* in Clavi Philoſophico-chymica ſub finem; *Jacobus Goborius* libr. de Myſteriis notarum, & libr. I. Comment. in Paracelſum *de vita longa*. . . *Blaſius Vigenerius*, *Boiſſardus*, *Duretus*, *Jacobus Weckerus*, *Pancirollus*, *Æneas Sylvius*, *Cauſaubonus*, *Hermannus Hugo*, *Sylveſter à Petra ſancta*, *Daniel Schwenterus*, *Joan. Bapt. Porta* Medicus Neapolitanus, *Thomas Willys*, *Comierus*, *Harsdörfferus*, *Becherus*, *Hillerus*, *Schelton*, *Walliſius*, *Dahlgarnus*, *Wilkinſius*, *Ericius Puteanus*, *Joannes d'Eſpiers* in Specimine Steganographiæ, aliíque de arte arcanè ſcribendi fuſiùs tractantes, quos reconditioris doctrinæ gratiâ evolvere non pigebit. His noviſſimè acceſſit Reliqui Steganographiæ explanatores & vindices.

vir eximius *D. Wolfgangus Erneſtus Heidelius* Wormatienſis Eminentiſſimi Electoris Moguntini, dum viveret, Conſiliarius, qui ipſammet *Trithemii Steganographiam* ſolidè vindicatam & lucidiſſimè reſeratam unâ cum Authoris vitâ Moguntiæ anno 1676. & iterùm edidit, & peſtiferis obtrectatorum calumniis, non diem tantùm, ſed ſi dicere fas eſt, meridiem dixit. Ex eo fonte hauſit, quæ Hiſpanis recens propinavit *Bened. Hieronymus Feyjoo.* Tom. IX. Theatri Critici p. 50. Ex Jeſuitis verò inter artis Trithemianæ enucleatores & vindices locum principem facilè occupat *Athanaſius Kircherus* ſui ſeculi Ædipus, qui ipſe ſi Trithemii ævo floruiſſet, rogum puto ipſum à barbarie ſtructum non effugiſſet. Kircherum excepit *Gaſpar Schottus*, tum in Thavmaturgo ſuo Phyſico, tum etiam in *Schola Steganographica*, Norimbergæ apud Endteros A. 1680. in 4. editâ. Pari ductus animi moderatione *Adamus Tannerus* in Oratione, quam hac de re Ingolſtadii edidit, uti & *Jacobus Maſenius* ex eadem Sodalitate Theologus *Trithemii* cauſam adverſùs aſperiores *Broweri* cenſuras graviter egit in additamentis ad Annales Trevirenſes. Et huic quidem tanto major in Trithemii exiſtimatione vindicandâ debetur fides, quòd ingenio quàm ille haud inferior, rem depuratâ à præjudiciis mente penitiùs diſcuſſerit. Taceo alios, qui pari reconditarum ſcripturarum manifeſtatione *Trithemium* ab omni criminis ſuſpicione abſolvunt, & *doctiſſimo ac Religioſiſſimo Viro*, ut eum compellant, *hanc Magiæ pernicioſæ labem immerito adſpergi* pluribus oſtendunt. Certè celebris *Morhofius* in ſuo Polyhiſtore literario Libr. I. cap. 8. num. 25. vix non indignatur iis, qui ad pauca reſpicientes de facili enuntiant, in hæc verba prorumpens: *De Alberto Magno, Joanne Trithemio, & aliis qui non ſunt ſtultorum hominum clamores, & hi tamen naturæ ſecretioribus adminiculis inſtructi multa vulgo miracula viſa perpetrârunt.* Ipſe etiam *Mabillonius* noſter (at quantus vir) in ſua Reſponſione ad Animadverſiones D. Armandi Buthilierii Abbatis Trappenſis art. 18. pag. m. 203. *Et de Trithemio*, inſit, *quid dicam? quid mali propriis ille ſcriptis Eccleſiæ intulit, quorum pleraque de rebus ſpiritualibus tractant & pietatem redolent?* Commercium habuiſſe cum Dæmone poſtulatus eſt, & in crimen vocatus, quòd libros de Magia compoſuerit? *Quid inde? An ideo Magus & hæreticus fuit?* Sylveſter II. *Pont. Max.* Albertus Magnus *& alii nonnulli eorundem criminum accuſati fuêre, à quibus tamen inſontes habentur. Æquitati verò contrarium eſt, eos denuò in crimen vocare, poſtquam purgati fuerunt. Tanquam Magus aliquis* Trithemius *fuit habitus, quòd compoſuerit librum de variis per obſcuras notas ſcribendi modis, ſub titulo* Steganographiæ. *Quidam Gallus* Bovillus *nomine ab ejus famâ pertractus eum convenit in cœnobio, ubi benigniſſimè exceptus fuit. Ut verò vir erat ſtudioſus literarum, noſcere optavit, quam tunc materiam præ manibus haberet* Trithemius, *qui reipſâ* Steganographiæ *librum illi oſtendit. Cum eum* Bovillus *raptim evolveret, advertit in eo mentionem fieri de* Spiritibus diurnis & nocturnis, *ad obſcurè indicandas literas ſeu voces, quæ nihil aut aliquid ſignificabant in illis notis.* Bovillus *explicatione ab auctore non petitâ, arbitratus eſt eum de Dæmoniis ibi locutum, & in Galliam reverſus, paſſim divulgavit* Trithemium *eſſe Magum. Porrò Trithemius meritò conqueſtus eſt in Epiſtola, quam adverſùs ſuum accuſatorem ſcripſit. Opus autem ipſius imperfectum & ineditum reliquit. Huc tota redit ejus culpa: Quod ſi hanc accuſationem ſibi attraxit occaſione vocum ſuſpectarum, quas non adhibere præſtitiſſet, ſuam etiam emendavit culpam ſuppreſſo hoc opere,* Senecæ monitum ſecutus: *Sanabis iſta, ſi abſconderis...* Ita vir eruditiſſimus pariter ac modeſtiſſimus, cui etiam per omnia ſuffragatur doctiſſimus *Hiacynthus Amat de Graveſon* in Hiſt. Eccl. *Tom. VI. pag. mihi* 97. Sed hîc etiam exaudiendus *Fridericus Roth-Scholtzius*, qui poſtquam in Theatro Chemico Nurembergæ A. 1732. edito, Part. III. pag. 338. ita de ſecretis naturæ operibus diſſeruit, ut apertè oſtendat, *conſenſum plurima poſſe, non ſolùm in illis, quæ præſtigiatores improbi mentiuntur, ſed etiam in rebus utilibus & magni momenti, quas non ſtupidum tantummodo vulgus admiratur, ſed quibus & ſcioli magicas ſubeſſe fraudes arbitrantur,* ſubdit: *Hinc Trithemii Steganographia tota dependet, quam inde illum hauſiſſe ſuſpicor.* Et paulò pòſt: *Sed ut pro Trithemio,* inquit, *ſemel reſpondeam, in quo* Libavius *ſæpenumero deſipit, ajo Trithemii Magiam, quæ in univerſa Steganographia continetur, non eſſe aliam, quàm modum quemdam artificio-*

ſum

Digitized by Google

ſum celandi arcanum quodcunque, ut ſolis artem unà ſcientibus innoteſcat. . . Denique ut alia prætercam, huc cumprimis ſpectant ea, quæ *Gabriel Naudæus* in libro Gallico, cui titulus: *Apologie pour tous les grands hommes, qui ont été accuſez de Magie.* chap. XVII. pag. 365. ediſſerit his verbis: *Tout le ſoupcon que l' on a eû de la Magie de Tritheme, n' a eû d' autre occaſion & foudement, comme il dit lui-même, que la publication d' une lêttre qu'il envoia à un Carme de Gand nommé* Arnaud Boſtius, *en laquelle il lui ſpecifioit beaucoup d' effets du tout merveilleux & extraordinaires, des quels neantmoins il enſeignoit la pratique en ſon traité de la Steganographie; Car le jugement de Charles Boville s' étant auſſi publié en même tems, l'on commenca dés lors à croire, que telles choſes ne pouvoient être enſeignées, que dans un livre en Magie, & que Tritheme étoit aſſûrement maître paſſé en l' art de grimoire & invocations.. Or le premier, qui s' oppoſa à cette mediſance aprés celui, qui pour y avoir le plus d' interêt, s' étoit deja defendu tant en la clef de ce livre, qu'en beaucoup d' endrois de ſes oeuvres, ce fut* Jacques Gohours, *qui dreſſa une petite defenſe pour cette Steganographie contre les calomnies de Wier, Boville & Cardan, en quoi il fut ſuivi de* Blaiſe de Vigenere, Boiſſart & Duret, *qui ont montré que le ſeul deſſein de Tritheme en ce livre n' étoit autre que d' enſeigner une facon nouvelle & beaucoup plus rare, que celle de ſa Polygraphie pour écrire, & s'entrecommuniquer librement toutes choſes plus ſecretes & cachées par une invention, qui ne peut jamais être ni ſoupconnée d' un ſecond ſens, ni dechiffrée par autre, que celui, qui en auroit la clef. Ce qui a pareillement été confirmé par* SIGISMOND *Abbé de l' Ordre de S. Benoit, qui a fait un livre intitulé:* TRITHEMIUS SUI IPSIUS VINDEX &c.

Trithemius ſui ipſius vindex.

X. Verùm miſſis alienis vindiciis ipſum præſtat audire *Trithemium* adverſus imperitos Steganographiæ cenſores ſuæ innocentiæ aſſertorem juratum & irrefragabilem: ita enim ipſe coram ſupremo judice cauſam ſuam perorat in epiſtolâ ad *Arnoldum Boſtium* Gandavenſem Carmelitam: *Ecce,* inquit, *coram Deo meo loquor, qui novit omnia, quòd ea quæ prædixi miranda, multo ſunt excellentiora, profundiora, & majora, quàm ego ſcribere, aut tu credere poſſis, & tamen omnia ſunt purè naturalia, ſine deceptione aliquâ, ſine ſuperſtitione, ſine magicâ arte, ſine invocatione ſeu miniſterio quorumcunque ſpirituum...* Et rurſus in epiſtolâ ad Maximilianum Imperatorem Polygraphiæ præfixâ: *Conſtanter,* inquit, *affirmo, veraciter dico, & confidenter in animam meam juro, cum Dæmonibus, pravis ac pernicioſis, magicis vel necromanticis artibus me nullum unquam habuiſſe commercium, ſed omnia & ſingula, quæ vel ſcripſi, vel ſcripturum me ſum pollicitus, pura eſſe, ſana, naturalia & Chriſtianæ fidei in nullo penitùs adverſa. Unde non vereor mea promiſſa coram viris bonis & doctis, quando & quotiens opus fuerit, dare examini, quorum determinationi nullatenus intendo reluctari...* Et iterum paullo inferiùs: *Celantur,* ait, *ſub ænigmatibus myſteria, ne Bacuccis fiant bubonum arcana quomodolibet manifeſta. Si quem hæc ſcire delectat, remotâ procul invidiâ lector accedat. Sum enim Chriſtianus, ſum Presbyter ſub normâ Divi Patris Benedicti & Monachus. Chriſtum diligo, & quâ poſſum ſinceritate mentis devotus adoro. Nulla mihi ſunt, nulla fuerunt, & protectore Deo, nulla erunt cum dæmonibus commercia, nulla in magicis, necromanticis ſeu profanis artibus ſtudia, nullæ occupationes, nulla documenta. Qui de me aliter ſentit, malè ſentit, & apertum Bovilli mendacium defendit...* Iſta ibi; In ipſo autem libri I. Steganographiæ proœmio: *Ne quis,* inquit, *hujus, operis lector futurus, cum in proceſſu ſæpè offenderit nomina, officia, ordines, differentias, proprietates, orationes, & quaslibet operationes ſpirituum, per quorum intelligentias hæc ſecreta hujus ſcientiæ omnia clauduntur, & aperiuntur, me Necromanticum & Magum, vel cum dæmonibus pactum contraxiſſe, vel quâlibet aliâ ſuperſtitione uſum vel utentem credat, vel exiſtimet, neceſſarium duxi & opportunum famam & nomen meum à tantâ labe, injuria, culpâ & maculâ ſolemni proteſtatione in hoc prologo cum veritate vendicando præſervare:*
„ Dico ergo & coram omnipotenti
„ Deo, quem nihil penitùs latere
„ poteſt, & coram Jeſu Chriſto Uni-
„ genito ejus filio, qui judicaturus eſt
„ vivos & mortuos, in veritate dico,
„ juro & proteſtor; omnia & ſingula,
„ quæ in hoc Opere dixi vel dicturus
„ ſum, omnéſque hujus ſcientiæ
„ vel artis proprietates, modi, figu-
„ ræ; operationes, traditiones, re-
„ ceptiones, formationes, adinven-
„ tiones

Digitized by Google

„ tiones, inſtitutiones, & univerſa, „ quæ ad ejus ſpeculationem, inventionem, conſecutionem, operationem & practicam vel in parte vel in „ toto pertinent, & omnia quæ in „ hoc noſtro volumine continentur, „ veris, Catholicis & naturalibus principiis innituntur, fiúntque omnia „ & ſingula cum Deo, cum bona conſcientia, ſine injuria Chriſtianæ fidei, ſine ſuperſtitione quacumque, „ ſine omni culpa. . . Ita ut hujus „ adinventionis ſcientia & practica „ ad bonum uſum non dedeceat virum ſapientem Chriſtianum bonum „ atque fidelem, „ Idem fermè repetit in rerum ſuarum Nepiacho, & ſubdit: *Si quæ novi, ſi quæ ſcio, ſi quæ feci, quæ non capientes mirantur, non Dæmonum ſunt opera, ſed naturæ, ſed induſtriæ, ſed ſpeculationis philoſophicæ. . . Quisquis aliter de me ſentit, malè ſentit, & injuriam coram Deo, Angelis & hominibus facit; contumeliam ſtruit, mendacium dicit. Reliquum eſt, ut me conſoletur conſcientia mea, quæ horum ſe ſcelerum novit contagione innoxiam. . .*

Notantur Bovilli, Broweri, & aliorũ cenſuræ.

XI. En Abbatem & Presbyterum in ſacris exercitationibus præcipuo vitæ ac ſtudiorum curſu verſatum, editísque lucubrationibus quamplurimis pietate & religione plenis nominatiſſimum; En ſanctiſſimæ diſciplinæ ubique magiſtrum & præconem, acerrimúmque vitiorum & flagitiorum profligatorem: En hominem exemplo vitæ & morum integritate ad promeritum, ut religioſis viris præficeretur, eosdem ad pietatem ſuis exhortationibus jugiter ſtimularet, ſummis Principibus conſilio adeſſet, maxima Ordinis & Reipublicæ negotia tractaret, velut *unicum ſui ſeculi decus & doctrinæ ſpecimen* * emineret; En! inquam, talis ac tantus vir ſolemniter proteſtatur, & coram Deo jurat, iterumque repetit: *Nihil ſibi cum Dæmonibus, malíſve artibus intercedere commercii; Omnia ſua Catholicæ fidei, morum puritati & regulari propoſito eſſe conſentanea. . .* Et in his laudatiſſimo viro habere fidem tam ſanctè aſſerenti, quis ſanæ mentis detrectabit? Quis inquam tam perditus, *ut dubitet teſtem hunc præferre Bovillo?* Ecquis verò *Wiero, Godelmanno, Cardano?* aliiſque Dæmonographis ſolo *Bovilli* relatu innixis & deceptis ſubſcribat, librúmque damnet, quem non legerit, aut intellexerit? Quis denique tam corneæ fibræ, ut recentioribus credat, cenſoribus *Bellarmino, Browero, Delrio, Poſſevino* Jeſuitis * ſine die & conſule referentibus, *Trithemii Steganographiam Opus eſſe plenum pernicioſis dogmatibus ad Magiam non naturalem, ſed vetitam pertinentibus, quòd & ipſe agnoverit, & confeſſus fuerit.* Quis *inquam* poſt tot támque luculenta in adverſum teſtimonia, tam atrocem tanto viro, ac univerſæ Familiæ Benedictinæ labem impudenter adſpergi, publicíſque ſcriptis in poſteros propagari haud indignabundus ferat, ac continuò non exclamet, aut Jeſuitis licere liberiori calamo in aliorum famam & ſcripta impunè graſſari, aut tam apertum propudioſúmque obliquæ mentis indicium publicâ authoritate penitùs eſſe obliterandum? *Conſultiùs quidem eſſet,* inquit Galenus contra Julianum, *ſi quemadmodùm ſtatutum legibus eſt, ut eâdem quâ reus pœnâ, ſi damnatus fuiſſet, puniatur is, qui falsò accuſârit, ita dignâ in eos erratorum pœnâ animadverteretur, qui iis, quæ ignorant, contradicunt, alienáque dicta ſeu facta nunc augent, modò amplificata ultro citróque renuntiant; nunc in deteriorem partem arripiunt & detorquent.* At verò *Browerum* cumprimis nil aliud ex propoſito egiſſe, quàm ut malè affictam *Trithemio* Magiæ notam in poſteros propagaret, indéque viri tot tantíſque ſcriptis de orbe literato & religione benè meriti famam obfuſcaret, facilè animadvertet, qui animo à præjudiciis repurgato, inclementiores ejus cenſuras, & immodeſtum atque affectatum eas poſterorum animis inſinuandi modum exploraverit; Initio námque ſuæ dicæ imitatur ridiculum illum ſcribillatorem, qui gemino bellum Trojanum órditur ab ovo, atque *ut mitiore introitu* (hæ ſunt ejus amœnitates) *poſterorum animis illabatur cenſoria nota*, aucupatur verba, tricas nectit, exaggerat dicteria, quibus virum tantis nominibus & meritis clarum non modò in magiæ ſuſpicionem vocat, ſed & malæ fidei, vanæ gloriæ, doli & perjurii labe conſpurcat, præfidenter aſſerens, *Trithemium Libanii cujusdam Galli malis artibus imbuti diſciplinâ & præceptis inſtructum, quæ ſibi efferre nefas ſpecioſo Magiæ naturalis ſipario palliâſſe, útque præſtigias imperitis ſecuriùs offunderet, & à ſuperſtitione & Goëtiæ calumnia vindicaret, ajebat vir bonus, ſine Dei & fidei Chriſtianæ injuriâ ſe ea ſcire & operari, nec niſi divino munere & in otio atque ſeceſſu cognoviſſe. Dum interim ipſe ceu gra-*

tuiti

* *Hoc cum elogio exornat Ganaus.*

* *De quorum ſpeciali privilegio Oudinus Tom. II. Script. Eccl. pag.* 273. & 289. . .

tuiti doni & proteſtationum oblitus in epiſtola ad Joannem Waſterburgium Comitem, quem prodigioſis effectis & oſtentis coram dementârat, multa fatetur ſe Magorum legiſſe volumina, præſtigiarúmque non pauca ſynthemata perluſtrâſſe; nec ea volumina, quæ ligamenta ſpirituum docent, & eis conſimilia, penitùs à ſua lectione rejeciſſe... Hactenus cit. loco * *Browerus*, cujus *verba velut tinctum ſingula virus habent.* Nec alienus ab eo *Martinus Delrio* ejusdem familiæ ſocius, qui in ſuis Diſquiſitionibus magicis Libr. 2. Q. 3. ita reſcribit: *Vix dubito aliquod exemplar Claviculæ Salomonis in manus* Joannis Trithemii *incidiſſe, unde & partitionem & materiam ſuæ* Steganographiæ *periculi & ſuperſtitionis pleniſſimæ acceperit; cujus operis nomen, quod nondum prohibitis ab Eccleſia libris ſit inſertum, ſuſpicor accidiſſe, quia liber nondum typis vulgatus, in paucorum manus incidit; alioquì quando probibiti omnes Magici, ſatis iſte probibitus cenſendus, qui inter alios familiam ductat...* En ideam, quam boni illi Patres nobis de Trithemiano Opere Steganographico effingunt.

* *Libr. XX. Annal. Trevir. pag. 321.*

Broweri & Delrii cenſuræ exploduntur.

XII. Verùm ſi commenta ſunt iſta hominum imperitorum, ut ſanè eſſe prudens nemo jam dubitat, quæ humanitatis, quæ juſtitiæ, quæ charitatis aut æquitatis leges ſinebant, eadem tam ampullato ſermone rursùs refricare, & virum planè innocuum, ac toties ab omni culpa vindicatum tam turpiter & ignominiosè iterùm traducere, ídque eâ mente, *ut mitiore introitu poſterorum animis illabatur cenſoria nota?* Spectâſſem ego, ſi pro tuenda fama fiat provocatio ad Deum honorémque Divinum, quòd tunc ſuſpicioni locus in adverſum eſſe non deberet. Atqui *Trithemius* non ſemel Deum innocentiæ ſuæ teſtem & judicem in animam ſuam invocat, iterúmque repetit, & demonſtrat, *Nullum ſe cum Dæmonibus aut pravis artibus unquam babuiſſe commercium; omnia & ſingula, quæ ſcripſit in* Steganographia, *eſſe pura, ſana, naturalia, & Chriſtianæ fidei in nullo penitùs adverſa...* Cui ergò credemus, *Trithemióne*, an *Browero* aut *Delrio*? Regula juris enuntiat, *Actore non probante, reum eſſe abſolvendum?* Quid verò ea omnia, quæ afferunt iſti, ut Trithemii fidem elevent, artémque ipſius non Magiæ naturalis, ſed perniciosæ & ſuperſtitioſæ eſſe pleniſſimam adſtruant? Aliud ſanè nihil, quàm conjecturæ & ſuppoſitiones omni fundamento & auctoritate deſtitutæ. An hic diſputandi modus in materia tam gravi, támque viro optimo injurioſâ? An libri Authorísque innocentia aliunde ſatis probata, per conjecturas ſimplices elidi poſſit? An inquam teſtimoniis authenticis & experimentis ad oculum claris ſuppoſitiones & poſſibilitates imaginarias, vel allegationes ſuo nervo truncatas, aut à ſenſu Scriptoris perperàm detortas ac millies convulſas opponere ſufficit? Et poſito hujusmodi conjecturas in ſe roboris aliquid habere, An id in quæſtione, de qua agitur, haberent contra nubem teſtium & experimentorum in contrarium? Hac tamen ratione Auctor Annalium Trevirorum *Browerus* egit contra TRITHEMIUM; qui modus agendi licèt parùm illi ſit honorificus, nec defuerit ex ejus ſodalibus, qui ipſius duritiem mitigaret, ac calamum contunderet *, acriore tamen ſtrigili meritò plectendus vel ideò videtur, quòd & ſubleſtæ fidei, & cacotechniæ ſat illiberalis tam apérta pandat indicia; Extollit ſiquidem nunc *Trithemium*, mox deprimit, rursùs blanditur & pungit, magnificat & flocci facit. Ita libro XIX. Annalium pag. 315. *Eum*, inquit, *virum de Eccleſiaſtica Hiſtoria, adeóque de omnibus iis, qui ſub ſancti Benedicti diſciplina ſanctitatis aut ingenii fama claruerunt, egregiè meritum, laude ſuâ minimè fraudandum duximus.* Et paullò pòſt laudati à ſe Viri memoriam ſopitósque cum honore cineres profanâ manu ventilans, calumniam, quæ ſilentio ſepeliri debuerat, redivivam opinione ſuâ excitat, confictúmque à *Bovillo* mendacium ſuis lenociniis & ceruſſis peritus Mengo ita incruſtat, ut & literati ejus dicta velut eptomen criminationis conſiderent, & rudes altiùs in animum dimittant. Quem igitur Cenſorem æſtimabimus, *Browerum*, qui ſibi ipſi vineta cedit, ac ſuomet ſe pugione confodit: Et quid verò mercedis mereatur, qui nullo vel ſuo vel publico emolumento famam alienam tam probrosè traducit? Quæ iniqui Cenſoris obligatio ſit, ſuſiùs exponit *Theophilus Raynaudus* ejusdem inſtituti ſocius in Erotemate de confixione librorum *Tom. XI. Oper. pag.* 370. Nec dubito, quin *Browerum* pro merito caſtigatura ſit poſteritas, eúmque tandem

Exigat ad dignas ultrix Rhamnuſia pœnas.

Quid enim? Fatetur *Trithemius* ſe multa Magorum legiſſe volumina: Ergóne propterea Magus ipſe & Necromanti-

* *Jacobus Maſenius in Additam. Ann. Trevir.*

cus, aut ſuarum proteſtationum oblitus? Minimè. Qui námque contra Maleficos, omnéſque artes & ſuperſtitiones ab Eccleſia prohibitas, libros quinque; Qui de cauſis Maleficiorum libros tres; Qui de Dæmonibus & artibus profanis aliud Opus grande libris XII. comprehenſum in manibus verſabat; Qui, inquam, omnia diabolicarum artium vaframenta & mormolycia explodere, confundere, evertere, & ſalvâ ſemente bonâ venenatas herbas ſecernere ac evellere meditabatur, utique ejuſmodi libros, qui præſtigiarum ſynthemata referrent, evolvere & revolvere neceſſe habuit, probè gnarus Chriſtiani eſſe hominis fallacias has non ignorare, *& ſpiritalia nequitiæ*, ut loquitur Tertullianus, *non quidem ſociâ conſcientiâ, ſed inimicâ ſcientiâ nôſſe; nec invitatoriâ operatione, ſed expugnatoriâ dominatione tractare, ac multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatorem debellare...* Atqui idipſum eſt, quod *Trithemius* in ſua ad *Joannem Capellerium* Pariſienſem Mathematicum Epiſtolâ ſe feciſſe prodit his verbis: *Libros fateor Magorum pleroſque legi, non ut imitarer, ſed ut aliquando redarguendo confunderem, quod largiente Domino Jeſu Chriſto brevi me facturum confido.* Idem eſt, quod etiam in Chronico Hirſaugienſi Parte II. pag. 41. ediſſerit; ac denique, ut alia ſileam, idipſum eſt, quod in laudata *Browero* ad Waſterburgium Epiſtola inculcat, ſubdens ſe ex ejuſmodi librorum lectione firmiorem ſemper in ſancta fide Chriſtiana evaſiſſe; *Quia divino*, inquit, *munere, quæ legeram, ut plurimùm intellexi...* Et continuò exclamans: *O clariſſime! ô bone Deus!* pergit, *quot vana, conficta & ridiculoſa, taceo mendoſa, & abominanda, quæ occultantur in libris Magiæ ſuperſtitioſæ, & in illis, qui de conjurationibus Dæmonum conſcribuntur, quæ nemo melius comprehendere, diſcernere & confutare poteſt, quàm qui intelligit... Sic doctiſſimus ille & inter Sanctos verè Sanctiſſimus* Albertus Magnus... *Magiam naturæ non ignoravit, pravorúmque libros plurimos ſuperſtitioſos inculpatè legit, & intellexit; nec propterea pravus aut ſuperſtitioſus fuit: ſcientia enim mali, non eſt malum, ſed uſus...* Alioquî & Sancti *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Chryſoſtomus*, *Arnobius*, aliíque non minùs vitæ ſanctimoniâ, quàm inſigni eruditione præditi principes Viri, qui in ejuſmodi Goëtiæ & ſuperſtitionum ſordibus eliminandis & evacuandis, tamquam exhauriendo augiæ ſtabulo deſudârunt, uti & *Martinus Delrius*, *Athanaſius Kircherus*, *Gaſpar Schottus* Jeſuitæ; aliíque Dæmonographi pari ratione Necromanticis venirent accenſendi, ut qui fatentur ſe ſuperſtitioſarum artium fundamenta diligenter inveſtigâſſe, eáque ſuis in ſcriptis referunt, quæ Trithemianis longè periculoſiora ac pernicioſiora ſint... *Videſis Propylæum Ædipi Ægypt. Cap.5.*

XIII. At enim operæ pretium fuerit ipſum rursùs perorantem audire *Trithemium*, qui in rerum ſuarum Nepiacho, & hujuſce rei hiſtoriam ſcitè enucleat, & brutas *Bovilli*, *Broweríque* calumnias ignito veritatis gladio penitùs profligat; ita enim habet: *Eo tempore* (1495.) *quo Maximilianus Rex Romanorum magnum illum, diuturnúmque Conventum Principum ſuorum coadunavit in Wormatia, venit ad me in Spanheim ex Francia, nomine meo excitatus, ut dicebat,* Libanius *Gallus*, vir in omni doctrina celebris inſtitutionis, & non minùs fide Chriſtianâ morúmque ſanctitate, quàm eruditione venerabilis *. *Hic aliquamdiu cum Pelagio illo Monacho & Heremita in inſula Majorica converſatus, omnium librorum ejus mortuo illo factus eſt hæres, & multa ab eo didicit arcana in Philoſophia, in fide Chriſtiana, de natura ſpirituum bonorum & malorum, & naturæ myſteriis, & alia multa, quæ non ſunt paſſim vulgaria in ſcholis hominum iſtius tempeſtatis. Iſte*, inquam, *Libanius Vir undecunque doctiſſimus cernens mei diſpoſitionem animi & indefeſſum ſtudiorum affectum, congaudens dicebat mihi:* Trithemium quæſivi & inveni, quem Minerva ſuo eſt dignata cognomine inſigniri, dignúmque facere, quem nihil debeat eorum latere, quæ nos cum labore magno primùm à *Pelagio*, ac deinde à *Joanne Pico* Mirandulano Comite, aliíſque multis per annos xxx. capere potuimus... *Incipiens itaque de majeſtate naturæ, de ſapientia, occultíſque Philoſophiæ, multa diſputavit, multa legit, multáq; interpretatus eſt, quæ mihi priùs erant incognita; quorum principiis utcunque intellectis primùm ſapere mihi viſus ſum, quæ ſit differentia inter Magiam naturalem, quæ docet facere opera mirabilia,* ut Picus ait, *mediantibus virtutibus naturalibus per applicationem earum ad invicem, & ad ſua paſſa naturalia, quam nunquam damnavit*

Trithemius rem ipſe ſuam perorat.

* *Ita eundem celebrat Joachimus Marchio Brandeb. in Epiſt. ad Trithemium de A. 1506.*

navit Eccleſia; & illam, quam ſpirituum malignorum fieri cooperatione dubium non eſt, ſive Necromantia in mortuorum cadaveribus, ſive piromantia, ſive Dæmonum invocatione exorciſtica, ſive Erotica, ſeu quolibet alio nuncupetur vocabulo. ... Omnes iſtæ Dæmonum artes ab Eccleſia ſancta Catholica damnatæ ſunt, & earum uſus omnibus Chriſtianis eſt interdictus... De omnibus Magiæ damnatæ prædictis ſpeciebus multa extant diverſorum volumina, quæ habere & aliquando, cum neceſſe fuerit, pro reprobatione malarum artium legere, ſicut bonis doctiſque viris, & caſtis mentibus non obeſt, ita indoctis & carnalibus hominibus, & habere ea non licet, & legiſſe procul dubio nocet... Ita ibi Trithemius. In ſuo autem *Antipalo Maleficiorum* cap. 3. libri 1. enumeratis libris magicis à ſe perlectis ſubdit: *Omnes præſcripti Necromanticorum libri vani & pleni mendaciis ſub nominibus præſtantium virorum per ignaviſſimos & perditiſſimos nebulones tenebrionésque confecti ſunt, ad deceptionem curioſorum hominum, & nihil continent veritatis, ſed mendacia & Dæmonum retia componunt, quibus animas capiant & perdant incautorum... Hos tamen curſim legere ad arguendum, bonum eſſe & quandoque neceſſarium, quis negaverit? Nemo enim ſtultorum errores valentiùs poteſt redarguere, quàm ille, qui cauſas & arcana errantium ex principiis cujuslibet artis aut facultatis propriis novit in publicum rationabiliter declarare. Alioquin inſcitè facilius eſt reprehendere; quàm emendare.* Libros itaque Necromantiæ ac Magiæ velitatim quandoque legiſſe *Trithemium*, ipſius inducti teſtimonio concedimus, ſed uſum eis ad malum fuiſſe, aut fidem illis adhibuiſſe penitùs negamus. Legit illos, ut ſciret ex ratione ad confutandum, & nullatenus ad imitandum. Quemadmodùm SS.mus Præſul Auguſtinus contra *Fauſtum* Manichæum tres & triginta libros ſcripturus, omnes illius libellos erroréſque legendo priùs diligenter percurrit. *Sic etiam*, inquit noſter, *ſanctus iſte Doctor* Albertus *cum libris Necromanticis & magicis, quos ab Eccleſia damnatos noverat, verſatus eſt; Non enim ut ſciret, vel operaretur, neque ut delectaretur eorum lectione, momentaneam eis diſcuſſionem examinis ſui adhibuit, ſed ut ſtultam perfidiam imperitorum hominum, qui talia ſectantur, poſſet ex fundamento redarguere, eorum confictiones ſine conſcientiæ ſuæ maculâ legendo percurrit...* Hæc & alia in ſui defenſionem Trithemius, ex quibus ſatis adparet hunc integerrimæ fidei virum ab omni malæ artis & Goëtiæ ſuſpicione im̃unem eſſe. Magnæ autem infirmitatis indicium eſt, quando tam citò malè de proximo loquentibus fidem apponimus, & cauſas innocentiæ ab ipſomet accuſato allatas minimè judicamus, immo in pejorem ſenſum detorquemus.

XIV. Sed ecce novum crimen! ipſis etiam proteſtationibus ſuis peccat *Trithemius*, perjurus eſt, impoſtor eſt, præſtigias imperitis offundere, & Dei dona tegendo ſuperſtitionis ſuæ artificio obtendere *Browero* viſus eſt. *Ergo*, inquit novus hic exoletarum mercium propola, *quæ ſe non poſſe docere literis, ſed in arcano tradi oportere contendebat, hæc ut à ſuperſtitione & Goëtiæ calumnia vindicaret, ajebat vir bonus, ſine Dei & fidei Chriſtianæ injuriâ ſe ſcire & operari, nec niſi divino munere in otio, atque ſeceſſu cognoviſſe...* Atrox profectò ſcelus, & non fabuloſâ Ixionis rotâ dignum, niſi hoc ipſum fabuloſum eſſet. Quis enim genius *Browero* ad aurem inſuſurravit TRITHEMIUM ejusmodi proteſtationes in publicum ſparſiſſe, *ut præſtigias imperitis ſecuriùs offunderet?* Ecquis verò tam certas illi prænotiones de internis inſpiravit, ut *Pythia*, *quæ tripode ex Phœbi lauróque profatur*, pronuntiare de iſtis feliciùs confidentiúsque vix potuiſſet? Quis inquam tam lynceos Jeſuitæ oculos dedit, quibus non parietes tantùm, ſed & ipſum penetrare pectus & intima mentis rimari queat? An non hoc eſt, arroganter Dei ſibi vendicare munus? *Ego*, ait Dominus, *ſcrutans renes & corda...* Proteſtatur *Trithemius*, & jurat in animam ſuam, *ſe miranda ſua ſine Dei & fidei Catholicæ injuria ſcire & operari.* An quis evincet aliam illi mentem inſediſſe, quàm vocem? An ipſum recèns invento æquivocationis myſterio uſum fuiſſe quispiam jure exiſtimet? Scimus equidem ævi noſtri politicos in eo ferè ſolo ſapere, quòd ſuis arcanis, technis, dolis, & fraudibus nubem injicere ex pulchræ *Livernæ* inſtituto didicerint: Aſt certè de *Trithemio* ſimile quid ſuſpicari nefas; ut qui paſſim ejusmodi tenebriones vellicat, & naturæ liberioris impulſu, virtutúmque ac operationum & conſcientiæ fiduciâ (*quæ lubricis argutiis longè præponderant*) ſuæ artis genuitatem & animi candorem bonis omnibus affatim probavit. Quis verò tam hebes aut inſanus, ut credat ſapientiſſimos & prudentiſſimos

Aliæ Broweri criminationes diluuntur.

illius ævi Principes, Epiſcopos, reique literariæ Statores, *Maximilianum* Imperatorem, *Philippum* Electorem Palatinum, *Joachimum* Marchionem Brandeburgicum, *Hermannum ab Haſſia* Colonienſem Archiepiſcopum, *Germanum Ganaium* Aurelianenſem Præſulem, *Joannem Waſterburgium* Comitem, aliosque innumeros ejus ætatis celebriores viros, quibus ſuæ artis arcana patefecit *Trithemius*, adeò fuiſſe ſtupidos & imperitos, ut ſibi præſtigias offundi, falſa pro veris, magica pro naturalibus obtrudi, ſéque *prodigioſis effectis & oſtentis coram dementari* impunè ſiverint, ac ſeſe ejusdem criminis reos reddiderint? Id ſanè cui ſe perſuaſurum ſperet *Browerus*, quemadmodùm & hanc ſuæ calumniæ temeritatem ſupremo judici probaturus ſit, viderit ipſe. Miror ego tam emunctæ naris cenſoribus non ſuboluiſſe ſe turpem quoque tot Principibus Viris notam impingere, *Trithemii* famam conſpurcando: Si enim *Trithemius* per ipſos malè olet, an Arabiam, Sodes! exſpectabimus à reliquis ejus Diſcipulis, Fautoribus & Amicis? *Cavete* igitur *poſteri*, quorum animis cenſoriam hanc de *Trithemio* notam *mitiore introitu* infigere niſus eſt *Browerus*, ne aſciam, quam innocenti impingere is voluit, cruribus quoque veſtris ipſimet illiſeritis. Quis enim neſcit *Trithemium* actione primâ in calumniatorem ſuum *Bovillum* ſic omnes aculeos retudiſſe, & criminationes diluiſſe, ut earum ratio haberi non debeat, quæ ſupereſſe forſan aut excogitari ex tanto numero poſſent? Vivit adhuc ille redivivus è cinere phœnix, & ſuos manes vindicaturus occlamitat: *Quare cordium & cogitationum vobis uſurpatis arbitrium, judicatis occulta; damnatis incognita, propagatis mendacia?* Unus eſt legislator & judex, qui poteſt perdere & liberare. Tu verò quis es, qui judicas proximum? An neſcis, quia in quo alterum judicas, teipſum condemnas? *Si quæ novi, ſi quæ ſcio, ſi quæ feci, quæ non capientes mirantur, non Dæmonum ſunt opera, ſed naturæ, ſed induſtriæ, ſed ſpeculationis philoſophicæ... Quisquis aliter de me ſentit, malè ſentit, & injuriam coram Deo, Angelis & hominibus facit, contumeliam ſtruit, mendacium dicit. Reliquum eſt, ut me conſoletur conſcientia mea, quæ horum ſe ſcelerum novit contagione immunem...*

An Trithemius XV. Verùm fortaſſis quis oggeret, *Trithemium* ipſos ſuæ Steganographiæ libros velut pernicioſos tenebris ultrò damnâſſe, proindéque agnoviſſe eos ſcatere dogmatibus ad magiam non ſolùm naturalem, ſed vetitam pertinentibus. Steganographiam ultrò damnaverit? *Ipſa ſanè rei adeò obſtinata occultatio*, inquit Mettaire, *id nobis protendere videtur: Quo enim ſtudioſiùs quid celatur, eò magis creditur ali ſub eo aliquid monſtri: Quinimò ipſe qui Trithemio obortus eſt metus*; ne ſua, ſi innoteſcerent inventa, in uſus malos converterentur, *ſcrupulum injicit, & quamdam dubitationem affert, quin omnia in ea re ſatis rectè ſe habeant*. Ad quid ergò ſynthemata, quæ author ipſe ſuppreſſa voluit, in aures vulgi effundere, vindicare, & hac de re tempeſtates denuò ciere?

At enim *Qui ſermones hi, quæ bleſæ ſtigmata linguæ?* An neſcis *mi bone!* quod *non minus peccat, qui mel commiſcet aceto, quàm qui virtutes inficit opprobrio?* TRITHEMIUS equidem ob ambigua de ſe exorta hominum judicia, anceps aliquamdiu hæſit de ſuæ artis editione, tum ne perverſi eâ abuterentur, tum etiam *ne fieret*, ut loquitur, *Bovillianæ ſocietati mendaci communis, quæ de rebus judicare conſuevit incognitis, & depravare famam boni viri ſolâ libidine pravitatis.* Aſt tantum abeſt ut ipſe *Steganographiam* agnoverit, *opus eſſe plenum pernicioſis dogmatibus*, quin millies repetit & jurat in animam ſuam, *omnia eo in opere eſſe ſincera, pura, naturalia & ab omni ſtudio ſuperſtitionis remota.* Quàm diverſum olim de hac arte ſenſerint Scriptores, ex antedictis liquet. Apud alios benè audiebat, apud quosdam malè; ſecúsne quàm par erat, hi vel illi interpretati ſint, decidant ſagaciores. *Trithemius* ſaltem ſibi non defuit, cúmque eâ laborare inciperet parte, cujus bono viro par cum vita debet eſſe æſtimatio, ſcintillam frigida affusâ reſtinguere conatus eſt, maluítque illud mirabilis adinventionis opus ſupprimere, quàm imperitis occaſionem dare ſuſpicionis malæ. Has ipſe aliásque rationes cur id operis in publicum edere noluerit, ſuſiùs commemorat in ſua ad *Joannem Capellerium* epiſtolâ A. 1507. exaratâ his verbis: *Steganographiam porrò meam, cujus primos duos libros in Colonia vidiſti, neſcio an unquam in lucem editurus ſum, trium intuitu rationum.* Prima ratio, *quæ me ab ejus editione retrahit, eſt futuri conſideratio & timor veriſimilis mali, quod per abuſum pravorum hominum contingere poſſet, cùm noſtris*

inve-

Digitized by Google

inventis mali non minus uterentur ad malum, quàm boni ad bonum. Secunda *eſt maximi laboris intentio & parvæ mercedis retributio. Nam ut vidiſti, opus eſt arduum & acutiſſimæ ſpeculationis, quod ſine labore maximo nequeat conſummari.* Et quæ tanti laboris retributio? niſi auri forſitan pondus modicum, quod tranſitorium eſt, & ob id à Chriſtiano Monacho potiùs contemnendum. Pro mercede temporali nunquam mihi fuit animus laborandi, qui me vocatum in vineam Regis conſpicio ſempiterni. *Tertia verò cauſa eſt, indoctæ plebis æſtimatio, quæ omne quod non intelligunt, malis artibus adſcribunt.* Nihil adhuc ſcripſi, de quo meritò quiſpiam poſſit admirari, nihil feci ſtupendum, & tamen vulgi opinionem patior, dum *Magum* me plerique arbitrantur aſſeverantes, *me ſuſcitâſſe mortuos, evocâſſe ab inferis Dæmones, prædixiſſe futura, furéſque reduxiſſe carminibus, & ligâſſe latrones.* Quæ omnia conficta & ementita nec feci unquam, nec cogitavi quidem. *Quid putas de me opinabitur ſtulta hominum indoctorum futura temeritas, cùm* Steganographiam *in lucem produxero, quæ talia conſinxit de me mendacia, cùm nihil adhuc viderit arcani? Quamvis non magni facio hæc garrulamenta imperitorum conſcientiæ teſtimonio contentus, dare tamen occaſionem ſuſpicionis malæ quantum fuerit poſſibile, non intendo...* Hæc ibi; in alia verò ad *Nicolaum Gerbellium* epiſtolâ eodem anno datâ: *Inter hæc*, inquit, *novo Steganographiæ invento navamus operam, quod in lucem edere necdum pollicemur, nebulonum malignitate deterriti. Dicebat quidam:* Qui facit, quod nemo, mirantur omnes. *Jam verò dicendum:* Qui facit novum, detrahunt omnes. *Maneat ergò ſepultum, quod tempore incongruo culpatur repertum...*

Trithemius relictâ Steganographiâ cudit Glottophoriam & Polygraphiâ.

XVI. Ceterùm præterquam quòd tres ſub hoc titulo procuderit libros, eóſque ſuâ manu exaratos ſummis Principibus, ceu pignora omni æternitate digna, obtulerit, aliud conſimile opus, quod γλωττοφορίαν id eſt, *linguæ fertilitatem* prænotavit, conſcripſiſſe, in ſuo ipſe narrat Nepiacho. Quin & alios ſex libros inflexâ aliquantum voce ſub *Polygraphiæ* rubro vulgavit, in cujus præfatione cunctationis ſuæ in edenda *Steganographia* cauſas repetens ait: *Malle ſe æmulos ſuos placare ſilentio, quàm literis irritare, vel ſcripturis ad inſaniam provocare. Satiùs enim judicavi*, inquit, *omnia mirabiliter inventa perpetuo damnare ſilentio, quàm magicæ vel necromanticæ, pernicioſæque ſuperſtitionis notam, falsò etiam hominum æſtimatione incurrere.* Lateat ergò Steganographia in tenebris, ne fiat Bovillianæ ſocietati mendaci communis, quæ de rebus judicare conſuevit incognitis, & depravare famam boni viri ſolâ libidine pravitatis. *Verumtamen cohortantibus amicis, ut cum* Bovillo *intelligant æmuli noſtri, quam temerariam & ementitam nobis injuriam fecerint (manente in ſuis terminis Steganographiâ) ſubjectum opus, quod* Polygraphiam *nuncupamus, per ſex libros diſtinctum in lucem edere conſentimus.* Legant qui volunt, & ſine ſtomacho legant hoc volumen amici, cujus cùm latentia myſteria intellexerint omnia, ipſi absque invidia ſint judices naturalia ſint, an ſuperſtitioſa? *Scio enim & certus ſum omnia eſſe ſincera, pura, naturalia, & ab omni ſtudio ſuperſtitionis remota.* Quotiens autem ſermo „ procedit obſcurior, eâ fit ratione, „ ne gladio defenſionis veſanus abute- „ retur ad interitum, quem animo & „ mente ſanus ad ſui defert muni- „ mentum. *Nihil tamen propterea in ea continetur mali, cum bonis etiam rebus in malum abutantur perverſi. Quiſquis autem hanc editionem noſtram condemnare præſumpſerit, ipſe ſibi conſcius eſt & teſtis, quod eam nunquam veraciter intellexerit.* Hucusque Trithemius. Quæ quicunque ſincerè & citra corrupti affectûs præjudicium expenderit, intelliget planè, quàm ineptè, ne dicam, malitiosè & iniquè neoterici iſti Cenſores *Bellarminus, Poſſevinus, Browerus &c.* malè afficta Trithemio calumnias, ementitis etiam ac maleconſutis argutiis provehant, & inauditum nec intellectum impiâ ratione *velut confeſſum* damnent. Cujus quidem maleſartæ criminationis atrocitatem non ſine juſta cordis amaritudine pluribus vellicat & explodit R.mus *Sigiſmundus* Seonenſis in Bavaria Monaſterii Abbas & Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ olim Præfectus in ſua pro Trithemio Apologetica Ingolſtadii A. 1616. in 4. editâ his in frontiſpicio præfixis verſibus.

Siccine nec manes requiem captare ſepultos?
Nec patimur cineres molle cubare pios?
Dicitur infauſtas erebi Trithemius artes,
Et quos non liceat percoluiſſe Deos.
Stat tamen egregiis ingens Trithemius armis:
Ac ſeſe ſcriptis vindicat ipſe ſuis.

Petri Brunii de Trithemio judicium

XVII. Et hactenus quidem argumentis haud ſpernendis, iiſque ex hiſtoriarum præceptis, necnon ex circumſtantiis, quibus res connecti debent, repetitis, eviciſſe mihi videor ſermunculos iſtos ſive vulgi ore adversùs *Trithemii Steganographiam* circumferri ſolitos, ſive literarum monumentis proditos, non eſſe fide dignos, ſed ſplene potiùs quàm bile excipiendos; ſupereſt nunc aliud cavilli genus, quo eundem optimum Abbatem nuper impetiit *Petrus le Brun* Oratorii Presbyter Gallus, qui licèt admittat miranda illa, quæ *Trithemius* in ſua ad Boſtium Epiſtola pollicitus eſt, & in Steganographia fuſiùs expoſuit, *eſſe naturalia, pura & ſincera*, Modus tamen, quo ea didicit, videtur eidem valdè ſuſpectus; Nam ut ipſe narrat *Trithemius** cùm quâdam vice cogitaret, quid novi poſſet invenire, quod omnes lateret, & poſt longam phantaſiam de iis, quæ dixit miranda, tamquam de rebus impoſſibilibus deſperaret, adſtitit ipſi nocturnus quidam Genius dicens: *Non ſunt vana ô Trithemi! quæ cogitâſti... & aperiens os ſuum de ſingulis per ordinem eum docuit, quomodo fieri poſſent...* In quem locum *Brunius* digitum intendens; *Quamvis*, inquit, *Abbas Trithemius nullum cum Dæmone pactum contrahere, nec illius aſſiſtentiam requirere voluerit, videtur nihilominus, quod ſi prætenſæ iſtæ revelationes non fuerint quædam perturbatæ imaginationis illuſiones, non poſſint attribui niſi alicui ex illis ſpiritibus*, de quibus Auguſtinus libr. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 24. ait: *Illi enim ſpiritus, qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualiter eum irretitum per ſuſpiciones & conſenſiones ejus viderint.* Ita ille gallico idiomate *Tom. I. Hiſtoriæ praxium ſuperſtitioſarum pag.* 242.

* in Epiſt. ad Boſtium.

refellitur.

Verùm ſi hic ſugillandi modus prævalet, nullus viſionibus colluſtratus, nullus prophetiæ dono præditus, *Nemo Mathematicus genium indemnatus habebit** Quocirca maleſartis hiſce cavillis plura opponere argumenta ſupervacaneum mihi videtur; Qualis námque fuerit genius ille, altioris planè eſt indaginis, ac ſoli illius notitiæ reſervatum, cujus nutibus parent *iſti adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Dubia autem in meliorem partem eſſe interpretanda, *& favores ampliandos, odia reſtringenda*, exploratі juris eſt. Nemo etiam præſumitur malus, donec probetur. *Quisquis verò commiſſorum incertus Conchriſtianum ſuum ex ſola ſuſpicionis vel conjecturæ lubricitate malum aut ſceleris reum temerè judicat, ipſe quòd bonus non ſit Chriſtianus ſuomet judicio manifeſtat*, inquit *Trithemius* in Chron. Hirſaug. *Part. II. pag.* 134. Solidiores igitur adduci debuiſſent rationes, quibus *Bonus Trithemius* à malo genio edoctus convinceretur. In harum tamen penuria *Brunius* adversùs conſervum ſuum inſoleſcens ſe ſolâ ſolatur ſuſpicione, *il me ſemble*; quâ, ut argumento præſtantiſſimo gallicus hic Criticus Germanos vult eſſe contentos, ut ſuæ gentis decus & ornamentum turpiter contaminent. Mallem ego paleam excuti, & triticum ſervari. Scribit enim Auguſtinus libr. XI. de Civit. Dei cap. 3. *Dei ſapientia, per quam facta ſunt omnia, quæque in animas ſe transfert, & amicos Dei & Prophetas conſtituit, eis opera ſua ſine ſtrepitu intùs enarrat.* Atqui hoc modo *Trithemium* ad doctrinam perveniſſe jam ſupra oſtendimus*. *Cùm enim adhuc junior eſſet, priusquàm oberraret, quæſivit ſapientiam palàm in oratione ſua, & data eſt ei.* Iſtud ut propenſiùs credamus, ſuadet ipſa repromiſſio Divina *de futura ſublimiori ſcientiâ* eidem analphabeto facta his verbis: *Ecce Deus orationes tuas exaudivit, dabîtque tibi utrumque, quod poſtulâſti.* Suadent & ſtupenda, divinóque pnevmate plena ejus ingenii monumenta; ſuadent deniq; ipſius vitæ ſanctitas & innumera probatiſſimorum virorum de illius integritate teſtimonia; quibus profectò major adhibenda eſt fides, quàm imberbi Ariolo BRUNIO. *Fuit enim Trithemius*, utì nobis ejus temporis Biographi depictum dedêre, *Antiſtes moribus integerrimus, fide Catholicus, Religione & meritò vitæ ſanctiſſimus, doctrinâ incomparabilis, ac ſemper in Chriſti & beatæ ejus Genitricis amore devotiſſimus.* Quid plura? Is certè Necromantiam magiámque ſuperſtitioſam, & omnes artes diabolicas tam liquidè damnavit, tam invictè confutavit, ut lecto vel ſolo ejus, qui ſupereſt *Maleficiorum Antipalo*, non poſſit, quin ejusmodi hominum ſtultitiæ quem pudeat. *Fruſtrà ergò apud impios & infidos impietatis arceſſitur, cùm fidei ſit magiſter; fruſtrà impugnatur quaſi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur.* Ambr. Pſ. 118.

* Juvenal. Satyr. VI.

* Libr. I. §. III.

Trithemii cum Magiæ Profeſſoribus commercium.

XVIII. At fortaſſe oggeres, *Trithemium* cum *Cornelio Agrippa*, *Libanio Gallo*, *Petro de Apono*, aliíſque magiæ ſuperſtitioſæ profeſſoribus commercium valdè ſuſpectum foviſſe, immò eorum de his vanitatibus libros velut *iſtarum rerum peritiſſimum* pervolviſſe, cenſuiſſe, approbâſſe, compertum eſt: Ita enim *Cornelius Agrippa* in Epiſtola dedicatoria (quâ ſuos *de occulta Philoſophia* libros examini ſubjecit Trithemio) gloriatur multa ſe cum eo *de Magicis & Cabaliſticis*, ceteríſque adhuc in obſcuris deliteſcentibus arcanis ſcientiis & artibus contuliſſe. Viciſſim *Trithemius* in ſuo ad Agrippam reſponſo iisdem libris præfixo, ipſum authorem à Divinitate ingenio donatum eſſe, & amplo ac ſublimi aſſerit, hortatúrque ut lumen veræ ſapientiæ, quo maximè illuſtratur, etiam ignorantibus demonſtraret; Secreta pulchrè & verè ab ipſo in lucem prolata eſſe ait, & opus hoc, *quod nemo doctiſſimorum virorum ſatis laudare ſufficiat*, ſe probare reſcribit... Prolixior eſſe nolo in recitandis Trithemii verbis, ne tales lactucæ malam ipſius labris notam inurant. Sed cùm, aſſerente graviſſimo Cenſore Seneca; *nullum unquam magnum ingenium ſine mixtura dementiæ fuerit*, & ab ea non prorsùs liberi vixerint Philoſophi, facilè *Trithemio* hîc nonnihil indulgendum exiſtimo. Tantum verò abeſt, ut adversùs *occultam Philoſophiam*, *magiámque naturalem* torvis, quod ajunt, feratur oculis, quin potiùs eandem debito celebrat encomio, ſibíque cumprimis adamatam, excultam & comprobatam fuiſſe pluribus ipſe prodit. Teſtimonio erunt verba ſcriptæ ad *Agrippam* Epiſtolæ, cujus tenor ſancitus hic eſt: *Mirabar admodùm neque minus etiam indignabar neminem hactenus extitiſſe, qui tam ſublimem ſacrámque diſciplinam ab impietatis crimine vindicâſſet; aut illam nobis purè ſinceréque tradidiſſet; Siquidem quos ex recentioribus ego vidi*, Rogerum Bachonem, Robertum Anglicum, Petrum Aponum, Albertum Teutonicum, Arnoldum de Villa-nova, Anſelmum Parmenſem, Picatricem Hiſpanum, Cicchum Aſculum Florentinum, *& plerosque alios, ſed obſcuri nominis Scriptores, cum ſe Magiam tradere pollicentur, nonniſi aut deliramenta quædam nulla ratione ſubnixa, aut ſuperſtitiones probis omnibus indignas præſtiterunt.*

Qualis Magia Trithemio culta.

Conferantur jam calculi ex Epiſtola Agrippæ, ex Trithemii Nepiacho, ex *Wiero* & aliis, indéque pronuntietur ſententia qualis fuerit Philoſophia, quam Trithemius coluit, qualéſve fuerint illi quibuscum eidem in cunctis ſepultarum & abſtruſarum rerum opinionibus convenit? *Magiam*, inquit*, *naturalem, quam Picus Mirandula neque damnatam ab Eccleſia unquam fuiſſe, neque poſſe damnari ſcribit, multi Eccleſiaſtici Viri doctiſſimi approbârunt, & ſecuti ſunt; Inter quos magnus ille Albertus noſter, Vir ſuo tempore celeberrimus, atque doctiſſimus usque adeò Magiam naturalem i. e. ſapientiam naturæ proſecutus eſt, ut propter mirandam ſcientiam naturalium occultarúmque virtutum in vulgi ſuſpicionem venerit usque in diem præſentem... Eſt autem hoc vocabulum* Magia *Perſicum, & latinè dicitur* ſapientia; *inde* Magi *dicuntur* ſapientes, *quales fuerunt illi tres viri, qui juxta Evangelium, natum in carne Dei filium ab Oriente venientes in cunabulis adoraverunt. Cum quibus me* Philo-Magum *appellari non pudet, quoniam amator ſum ſapientiæ Divinæ, humanæ ac naturalis. Hæc eſt Magia mea quam ſequor. Alteram verò quæ ſuperſtitioſa, diabolica, & ab Eccleſia ſancta jure damnata, nulli fidelium eſt licita, execro, abhorreo, deſpicio penitùs & cum ſuis authoribus condemno. Quisquis aliter de me ſentit, quisquis alterius mihi crimen Magiæ imponit, quisquis ſuperſtitioſum me, aut malis artibus deditum credit, injuriam mihi coram Deo & Angelis, & hominibus facit contumeliam ſtruit, mendacium dicit &c.*

* *In ſuo Nepiacho.*

Libellus de Sigillis Magicis.

XIX. Prolixior eſſe nolo in recitandis *Trithemii* verbis, cujus qui Manes laceſſunt, aut ſtudia calumniantur, commiſeratione digniores, quàm acriori lixivio aut ſtrigili excipiendos prudens nemo non exiſtimat. Unum tamen, ob quod in Magiæ ſuſpicionem venit Trithemius, hîc minimè prætereundum videtur. Ejus commatis eſt libellus trium quatuórve foliorum ſub ipſius nomine ſeparatim impreſſus anno 1612. ac deinde recuſus in Theatro Rothſcholtziano A. 1732. hoc titulo: *Veterum Sophorum Sigilla & Imagines Magicæ, ſive ſepulturæ lapidum, aut gemmarum ex nomine Tetragrammaton, cum ſignatura planetarum, autoribus Zoroaſtre, Salomone, Raphaële, Chaële, Hermete, Thelete è Johannis Trithemii manuſcripto erutæ.* Id opuſculi cùm primùm detexêre Trithemiani nominis obtrectatores, non ſe reperiſſe exiſtimârunt, quod pueri in faba. Ars enim iſta vaticinandi ex imagini-

ginibus ſculptis, omninò ipſis de pacto cum Dæmone ſuſpecta videtur. Alii tamen ejusmodi imagines, quas *Taliſmannicas* nuncupant, ab omni ſuperſtitione vindicant, quos inter *Jacobus Gaffarellus*, *Kircherus* & alii (g). Verùm hos utut magnæ authoritatis viros ad abſtergendam ex prætenſo Tractatu affictam Trithemio notam ſequi nolo. Exploratum enim eſt dictum opuſculum eſſe ſuppoſititium, cùm nullibi ejus inter Trithemiana fiat mentio, & jam ſæpiùs anteà in aliis authoribus reperiatur exſcriptum. Audiendus hac de re *Gabriel Naudæus*, qui in Apologia Viror. illuſtr. de Magia poſtulatorum cap. XVII. pag. m. 365. ita diſſerit: „ Quant à ce qui eſt du fait de l'Abbé Trithème, je trouve que ceux, qui le veulent faire magicien, ſe peuvent premierement fonder ſur ce petit livre de trois on quatre feuilles imprimé ſous ſon nom l'an 1612, & intitulé: *Veterum Sophorum Sigilla*... ſous l'autorité desquels toutes fois, ſi je ne m'enrolle, c'eſt parce qu'il me ſemble que ceux, qui voudront juger avec plus de verité que de paſſion de cette derniere preuve & de deux precedentes, ſe donneront bien garde de fletrir d'une infamie perpetuelle la memoire d'un homme, & iceluy Eccleſiaſtique, ſous le peu d'apparence de ces legeres conjectures, qui ſont totalement vaines, fauſses & controuvées: Car il eſt vray, que ſans avoir recours aux raiſons deduites dans notre ſixieme chapitre, ce livre des gravûres & caracteres des pierres ſous certaines conſtellations, eſt une pure impoſture & tromperie des libraires, qui ſe ſont aviſez de l'imprimer comme nouvellement ſorti de l'étude de Trithème, combien, qu'il y ait plus de ſix vingt ans, que *Camille Lienard* en a fait le troiſieme livre de ſon miroir des pierres precieuſes, & qu'il a encore été divulgé par *Louis Dulcis* en un traité ſur la même matiere, & par *Rudolphe Gocklen* en plus de quatre ou cinque diverſes impreſſions de ſon livre *de unguento armario*, tant il eſt vray l'axiome d'Ariſtote, que *ad pauca reſpicientes de facili enuntiant*. Et quand bien ce petit traité auroit été veritablement tranſcrit ſur celui de Trithême, qui eſt-ce celui, qui voudroit inferer, qu'un livre d'Aſtrologie ſuperſtitieuſe fût une preuve ſuffiſante pour faire condamner de magie ceux, qui l'ont eû en leur poſſeſſion, veu principalement, que l'on ne peut tirer aucun indice de cinque ou, ſix épitres, qui ſont imprimées ſur la fin de la Polygraphie de Trithême, pour confirmer cette opinion à ſon deſavantage; puis qu'elles le peuvent plûtôt juſtifier, comme l'on peut voir par leur lecture, & que *Gerard Dorn* & *Jacques Gohours* montrent par l'explication de leur ſens enigmatique, qu'elles ne ſe peuvent interpreter, que de la chymie. „ Hæc emunctæ naris vir, quicum facit *Niceronius* ſupra Libr. II. §. LVII. relatus.

XX. Non igitur dubitamus hanc impoſturam eodem habere loco, quo eam habet *Schelhornius*, quam ex Joanne Manlio Tom. V. Amœnit. litt. pag. 302. producit, his verbis (h) expreſſam: *Abbas Trithemius Spanheimenſis fuit magnus Magus; in quodam forte itinere* (ſicut mihi Pirchaimerus narravit) *cùm veniſſet in diverſorium non benè inſtructum, quidam per jocum dixerunt*: Domine Abbas, cura nobis bonum ferculum piſcium. *Iſte tantùm pulſavit feneſtram, & ſtatim venit quidam portans lanceam inſtructam luciis coctis*... Lepida ſanè hiſtoriola, eâque digniſſima, quæ à garrulis nutricibus puerulis plorantibus ad nauſeam usque præcinatur. Quis enim tam madidæ mentis eſt, ut hæc credat, aut ſibi à riſu temperet, ipſum licèt Catonem ac Heraclitum auſterâ vultûs gravitate multùm ſuperans? Nec minùs canoræ ſunt nugæ, quas nonnulli heterodoxi comminiſcuntur (i) *de familiari ejus genio*, *de ſuſcitata à mortuis Maria Maximiliani I. Imperatoris uxore*, & ſimilibus nugacioribus ineptiis, quibus recitandis indulgere nolim, ne tales lactucæ labris noſtris malam notam inurant.

Aliorum de eodem nugæ.

XXI. Sed gravius aliud cavilli genus hîc refellendum ſeſe ingerit, quo novaturientes quidam antiquitatis cenſores eundem paſſim impetunt, dum pro indefeſſa illa, atque inſuperabili prorſus ſedulitate, quâ veterum honori, ac poſterorum commodo conſulturus, neglectas vitio temporis venerandæ Antiquitatis reliquias conſervare, & poſteritati fideliter tranſmittere ſtuduit, non majorem pro tanto

Criminationes circa Historica,

(g) Confer. Cl. Petr. Frid. Arpe de Taliſmanibus cap. IV. pag. 114.
(h) Ex Manlii locor. com. collectaneis pag. 38. edit. A. 1565.
(i) Compilatores Lexici Univerſalis art. *Trithemius*.

tanto labore ac merito ab ejusmodi ſycophantis gratiam retulit, quàm ut turpiſſimam ingenuóque homine, ne dicam, Religioſo & Religioſorum Antiſtite indignam mendacii, impoſturæ, ac ſubleſtæ fidei notam referret, *nimis credulus, falſographus & magivendulus* audiret. Iniquior cumprimis in eum TOLNERUS, dum in ſuæ Hiſtoriæ Palatinæ procemio *Trithemium* tamquam primarium & haud dubium omnium in rebus Palatinis confuſionum authorem proclamat: *ut qui aliis anſam eosdem errores errandi præbuiſſe videatur.* Immodeſtæ Tolneri cenſuræ præfidentiùs, quàm prudentiùs inhæret *Leibnizius* in Collect. Script. rer. Brunſwic. Tom. I. ubi: *Vir inſignis fuit Trithemius*, infit, *ſed ille ut Magi famam in naturali ſcientia quæſivit, ita in Hiſtoria pulchrum putavit Principum ſtudiis illudere per plauſibiles fabulas confićto* HUNIBALDO, *& ſimilibus nugis, genealogiíſque ultra comperta productis.* Grande profectò piaculum! & non ſabuloſâ Ixionis rotâ dignum, niſi & hoc ipſum eſſet fabuloſum. Quis enim æquus & intelligens rerum æſtimator iſtud in animum induxerit, *Trithemium* virum graviſſimum, & ab omni adulatione quàm maximè alienum, in cōminiſcendis novis & incompertis genealogiis bonas horas inſumpſiſſe? Quis inquam mentis adeò plebeiæ fuerit, ut credat *Trithemium* illa, quæ de antiquis Francorum rebus habet, ex proprio cerebro procudiſſe, aut à ſe primitùs conficta in publicum protruſiſſe? Certè

Hæc mihi ſi Delphos, Dodonáque diceret ipſa;
Eſſe videretur vanus uterque locus.

convelluntur. XXII. Sed eſt iſtud Novatoribus & Ariſtarchis cōmune, ut ſibiipſis abſque rubore adblandiantur, & quidquid eorum placitis quantumcunque malè ſuffarcinatis adverſatur, idipſum tamquam fictitium, erroneum, inſipidum traducant; quaſi verò nunc primùm ex novorum hujusmodi hominum cerebro, ceu unâ nocte protuberantes fungi, antiquitas naſceretur. Longè modeſtiùs de *Trithemio*, minimè ceteroquin eorum, quos falſitatis vel minimùm ſuſpectos habuerat, aſſentatur *Gaſpar Scioppius*, qui vindicem tanti Abbatis contra ejusmodi cenſorem agens: *Reliquum eſt*, infit, *ut hic Cato* Trithemium *ingenio ad fingendum, & ſarcinas lectoribus imponendas natum, aut multo ſtudio factum fuiſſe inſimulet. Hoc autem cui ſe perſuaſurum ſperet,* *ipſe viderit; quemadmodùm etiam quomodo hanc judicii ſui temeritatem Chriſto judici probaturus ſit... Non ego quidem quæcunque in Hiſtoria ſcripſit* Trithemius, *vera eſſe aut credo, aut aliis perſuaſum volo; Nam & alicubi eum dormitâſſe, aut oſcitâſſe, aliáſque res egiſſe agnoſco, & in loco alienæ fidei ſimpliciter crediſſe intelligo. Sed hæc humana ſunt, faciléque veniam ſibi ab omnibus bonis inveniunt.* Nemini enim, qui homo ſit, illud privilegium conceſſum eſt, ut quantumcunque pro veritate luctetur, eam, velut in tempeſtate Cynoſuram nautæ amittere nequeat. Jactamur quandoque opinionibus, alienáque fide ludimur, & quæ majori ſpecie adblandita fuerit circumſtantia, ſecretis fallendi cuniculis fidentiores ſæpè corripit, ne confeſtim falſos ſe eſſe deprehendant. *Illud autem nullum excuſationi locum relinquit, falſa ſcientem volentem literis prodere, & auctores, in quibus ea inveneris, comminiſci. Cujus culpæ dicam periculum non eſt, ut quis* Trithemio *impingat, qui hominem ex libris ſuis pernoverit. Plurimos enim Scriptores, quà ſacros, quà profanos ob eo viſos eſſe ac lectos conſtat, quorum hodie nullum uſquàm veſtigium invenitur; poſtquàm ſcilicet agricolarum Lutheri doctrinâ efferatorum tumultibus benè magnam Germaniæ partem turbari, multáque Monaſteria & arces cum Bibliothecis & tabulariis ſuis expilari, cremari, funditúſque everti contigit. Magnæ ergò imperitiæ & iniquitatis eſt, ſi quid ſe* Trithemius *in veteribus & idoneis rerum Scriptoribus legiſſe dicat, quod apud eos non extet, qui hodie ſunt in manibus, id continuò falſum, creperum, commentitium judicare.* Hæc ille.

XXIII. Faceſſat ergò alienæ exiſtimationis depeculator *Tolnerus*, iis fortè adnumerandus de quibus Plautus: Tolneri tela obtunduntur. *Reperiuntur malevoli ſuper lacum, qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam, & ipſi ſat habent, quod ipſis poſſit verè dicier.* Utrobique diſcrimen evadet, quicunque illud ex *Boëtio* de Trinit. obſervabit monitum: *Eruditi hominis eſt unumquodque, ut ipſum eſt, ita de eo fidem capere, & tentore, quo pondus urget nudáque veritas.* Obtigerit *Trithemio*, quod humanum eſt, quod Evæ filiis commune, quod *Juſtino, Irenæo, Clementi Alexandrino, Chryſoſtomo, Hieronymo, Gregorio M.* aliíſque viris maximis frequenter obtigiſſe videmus; erit tamen ſi non *in*

toto ſaltem *in tanto* excuſandus, quòd non ſcienter & volenter, ut plerique noſtræ ætatis Hiſtorici, errores tuendos aſſumpſerit, hac unâ ſatis viâ ſuæ integritati conſulere ratus, ſi rectæ fidei profeſſionem emitteret, & fontes unde ſua hauſit, genuinè indicaret. Certè celebris *Conringius* de Germ. Imp. §. 26. Trithemium omnes ante ſe Germanos haud proletariâ rerum antiquarum peritiâ longo ſuperâſſe intervallo fateri non dubitat. Quamvis itaque liberaliter concedatur *Trithemium* in factis rebúsq; geſtis, aut annis conſignandis minùs accuratè & exactè, quàm fortè par fuerat, verſari, quis tamen apertè non videat, temerè ac impudenter ex paucis erroribus (*quos præſertim temporum obſcuritas, Scriptorúmque penuria, leviores efficiat*) de univerſa illius doctrina judicium ferri; ejúsque authoritatem in contemptum adduci? *Iniqua certè eſt*, inquit Cicero de Leg. III. *prætermiſſis bonis, malorum enumeratio, vitiorúmque ſelectio.* Quòd ſi in hiſtoria ac diſciplinis aliis eos ſolùm ſuſpicere, amplecti, ac venerari debeamus, in quibus nulla erroris labes, atque ſuſpicio reperitur, quis demùm haberi unquam poterit talis? Cùm & ſapientiſſimi ac diligentiſſimi Viri ſubinde erraverint. Neque *Tolnerus* ipſe, ut arbitror, hanc ſibi laudem concedi velit, ut nunquam ceſpitâſſe credatur, ſed divinâ veluti virgulâ ſeu acu rem ſemper tetigerit? *Nos certè*, utì olim Auguſtinus, *ſolis Scripturarum libris, qui* Canonici *appellantur, didicimus hunc honorem deferre, ut nullum authorem eorum in ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſimè credamus. Alios autem ita legimus, ut quantálibet ſanctitate doctrináque præpolleant, non ideò verum putemus, quia ipſi ita ſenſerunt vel ſcripſerunt.* Aug. Ep. 19. ad Hieron.

Peutingeri nota ad incudem revocatur,

XXIV. At inquies, *Pſeudo-Hunibaldi Hiſtoriam ab ipſomet Trithemio confictam* prodit receptæ fidei vir, *Conradus Peutingerus* Auguſtanus eidem ſinchronus. Ita enim, referente *Cl. Felice Oeffelio* Electoralis Bibliothecæ, quæ Monachii eſt, Præfecto, alicubi reſcribit: HUNIBALDI *Hiſtoria nunquam fuit in rerum natura, ſed conficta ab Joanne* TRITHEMIO *quondam Abbate Spanheimenſi, poſteà S. Jacobi Herbipolenſi. Eo enim mortuo à Cæſare* MAXIMILIANO, *me ſupplicante,* JOANNES STABIUS *miſſus fuit Herbipolin ad inquirendum* HUNIBALDUM, *ſed non fuit inventus. Schedas tamen Abbatis comperit, quibus Hunibaldus manu ſuâ ſæpè mutatus fuit. Conrad. Peutinger Mpp.* Hanc ego notam cùm ita quidem interpretarer, ac ſi *Hunibaldi* Opera Trithemius ſuis manibus tenuiſſet, atque ex iis compendium, quod habemus, elicuiſſet, adeóque uſitato Epitomatorum privilegio nonnulla immutâſſet, addidiſſet, reſecâſſet &c. Reponebat doctiſſimus OEFFELIUS: *Viderentur quidem poſtrema* Peutingeri *verba hunc ſenſum recipere, niſi ea quæ initio poſuit, refragarentur. Deinde*, inquiebat, *vide quod latus aperias Adverſariis Trithemii concedendo immutâſſe, addidiſſe, reſecâſſe; quod nemini eſſe licitum in alienis ſcriptis non es neſcius. Adverſatur enim ſtudio veritatis & ingenuitati morum, quæ Literatis bonæ indolis in primis curis eſſe debent. Quid, quod nec hoc tibi concedent, quod ſentis, quàm ſit exiguum, adverſarii? Criminabuntur enim, & ex ingenio ſibi finxiſſe* Hunibaldum ſuum *dicent, quem pro lubitu poſteà, prout res exigeret, mutâret, aptaretque. Habes*, ut ais, *tuæ opinionis Promachum* CONRINGIUM (k) *Virum doctum ſine dubio & authoritatis non exiguæ; ſed in iis duntaxat, quæ ingenio, eloquentiâ & judicio conſtant.* Hunibaldum *tamen à ſe viſum ſine teſtimonio aſſerenti nemo facilè credet, omnium verò minimè ii, qui Gallicanarum partium ſtudio addictiſſimum fuiſſe non omninò ex vano accuſant. Vide ne illud denique audias:*

ſi Pergama dextrâ
Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.

Nolim ergò, Amiciſſime Oliveri! *in Trithemii gratiam, qui aliis & veris laudibus meritíſque abundat, limatiſſimum illud tuum judicium, & quod caput eſt, animi candorem in periculum venire. Et huic & illi quod debes (debes autem omnem operam, omne ſtudium, omnem cuſtodiam) abundè præſtiteris, ſi rem in ſe dubiam, propoſitis utrinque rationibus, in medio reliqueris, nec TE vadem pro* Trithemio *temerè conſtitueris in controverſia venturis ſolibus aut impoſturam, aut Hunibaldum in lucem certò producturis, decidendâ...* Hæc vir eruditiſſimus juxtà ac humaniſſimus, in literis ad me 17. Novembr. A. 1746. datis.

XXV. Verùm tametſi *Trithemium* ab omni culpa haud immunem dixerim, quod *Hunibaldum*, ſeveriori neglectâ criſi, ſecutus fuerit; nunquam tamen patiar, ut quis eum tamquam prima-

& fortiùs eliditur.

(k) Vid. Conring. Opp. Tom. II. pag. 700.

primarium ejusdem hiſtoriæ fabrum ſugillet; cùm eadem penè ſabularum portenta apud complures antiquos Scriptores *Gregorium* Turonenſem, *Reginonem, Fredegarium,* (1) *Sigebertum* Gemblacenſem, & alios magno conſenſu, etſi non eo ordine, nec tanto verborum apparatu inveniantur. Libet hac de re *Cornelii Agrippæ* judicium referre; ita enim in ſua *de vanitate ſcientiarum* declamatione Cap. V. de Hiſt. diſſerit: *Eſt & aliud corruptiſſimum Adulatorum genus, qui cùm Principum ſuorum origines ad antiquiſſimos quosque Reges extendere conentur, cùm in ſuo genere eo nequeant pervenire, ad exteras origines, fabulásque recurrunt, & Reges & locorum nomina confingunt, & nihil non commentiuntur. Hujus generis eſt barbarus ille* Hunibaldus, *qui Francorum Hiſtorias conſcribens, Scythicam, Sicambriam, & Priamum juniorem, aliáque locorum & Regum nomina commentus eſt, quorum nullus unquam priorum meminit Hiſtoricus; atque tamen illius nugas conſimilis ingenii homines ſecuti ſunt, videlicet Gregorius Turonenſis, Rhegino, atque Sigebertus, & plerique alii...* En Tibi quàm apertè *Agrippa* antiquiſſimos etiam Hiſtoricos *Hunibaldo* poſtponit, & ejus ſequaces facit. Sic & *Franciſcus Irenicus* in ſua Exegeſi Germaniæ A. 1518. Norimbergæ typis Kobergii editâ, inter rerum Francicarum Scriptores celebrat *Theocalum Hunibaldum, qui plus XXX. libris eorum geſta complexus ſit.* Et iterùm lib. 2. cap. 35. inter antiquiſſimos Germanorum Hiſtoricos refert *Hunibaldum, Ottonem Friſingenſem, Roſwitam &c...* Hic autem *Hunibaldus*, utì habet *Joſias Simlerus*, ex carminibus & ſcriptis flaminum ſuæ gentis, *Waſthali* hiſtoriam per annos 926. usque ad ultimum Clodovæi annum continuavit libris XVIII. quo factum, ut *Trithemius, Irenicus, Lazius*, & alii ſeculo Eccleſiæ VI. CLODOVÆI *tempore* floruiſſe eum putaverint. Attamen recentiores Critici, *Voſſius, Pontanus, Dupinius, Cavus, Oudinus*, aliíque ſequiores Bibliographi hujus Hiſtoriæ authorem anno 1290. antiquiorem non eſſe contendunt. Nulla igitur cauſa ſubeſt, quæ ſuſpicionem ſuggerat, ipſam Hiſtoriam à Trithemio fuiſſe confictam. Nec relevat, quod obtendit PEUTINGERUS, *Hunibaldum non fuiſſe Herbipoli inventum &c.* Trithemio námque denato, ut refert *Bilibaldus Pirckheimerus*, adeò repentè cuncta, quæ in utraque lingua reliquerat, ſcripta diſparuere, ut ne veſtigia quidem ſupereſſe viderentur. At *ſchedas* dicis *eſſe repertas...* Quid inde? An propterea Hunibaldi fabricator Trithemius? ineptus profectò eſſet λογικώτερος ille, qui ſic colligeret. Fatetur Trithemius ſe eſſe Hunibaldi compendiatorem, non editorem: Ita enim ipſe ad annum 485. *Multa Clodovæus bella commiſit, quæ iſtic brevitatis causâ non ſcripſimus, quoniam latiùs in Hunibaldo continentur libr. XVIII.* Et paullò inferiùs: *Hucusque Hunibaldus continuavit Hiſtoriam Francorum ab excidio Trojanorum per annos mille ſeptingentos. Quæ ſequuntur de geſtis Francorum ex Hoduardo, Richere, & Hermanfredo, aliísque auctoribus ſumpta ſunt.* En tibi fontes unde ſua hauſit Trithemius. Quid ergò ſchedæ? quid volatiles & lubricæ *Peutingeri* notæ? An hæ majori fide dignæ, quàm Trithemianæ? judicent alii.

XXVI. At enim aliam nobis tibiam inflat Eminentiſſimus Annalium Eccl. parens BARONIUS, dum captatâ occaſione *Trithemium* ſæpiusculè in jus rapit, nec rarò in eum ardentiùs invehitur, quòd *S. Benedicti Familiæ* aliquos ſubinde filios impoſuerit ab eo non ſuſceptos. Jámque primam S. Patris noſtri ætatem excipiens, cùm ad A. 494. mirificè extuliſſet viros ſanctitate & doctrinâ præſtantes, quibus Ordo Benedictinus nobilitatur, mox *Cæſarium* ac *Fauſtum* Rhegienſem Epiſcopum ante S. Benedictum floruiſſe; *Eugippium Abbatem*, fuiſſe S. Severini Monachum priusquàm S. Benedictus habitum induiſſet monaſticum; *Gregorium M.* ſancti Equitii legibus, non *Benedicti* addictum fuiſſe contendit. Calore tum præfervido *Trithemii* lapſus augens, nec coloribus Rhetorum, & ſali Italico parcens pro mantiſſa *Caſſiodorum* jactat eâdem temeritate S. Benedicti familiæ ab eo aſſutum. Baronii in Trithemium invectivæ.

Verùm quamvis haud ubique *Trithemium* orbi excuſavero, præſertim ubi monachos Græcos, quos S. Baſilius ſibi veriùs, me judice, vindicaverit, in album Benedictinorum refert; attamen dum Sanctos Eccleſiæ latinæ, quorum meminimus, in numero ponit, exiguam ſubinde culpam admittit, non nunquam etiam culpâ penitùs vacat. *Cæſarium* noſtris addidit ille, nec prorsùs infundatè; ſiquidem *Cæ-*

(1) Vid. Hiſt. Acad. Reg. Pariſ. Tom. I. pag. 374.

ſarius ipſe Serm. 3. ad Monachos, *S. Benedictum Patrem* ſuum appellat, ejus regulam Monachos ſequi ac ſervare juſſit; quæ verba Trithemio anſam præbuêre virum S. Benedicto accenſendi. Cui autem vel maximè oculato hæc verba non impoſuiſſent? Non enim adeò promptum eſt, partus Authorum genuinos à ſuppoſititiis ſecernere. Atqui cùm Hiſtoricum oporteat eſſe *Argum*, qui oculeus totus fuit, cúmque temporum inprimis rationem ducere debeat, in quibus cardo veritatis ut plurimùm verſatur, cauſam *Trithemii* non peroro hîc, ſed potiùs deſero, & candidè fateor pomum è quercu decidiſſe, ac inſcitè cucullum Benedictinum *Cæſario* Arelatenſi, & *Fauſto* Rhegienſi impoſuiſſe. Quàm facilis tamen fuerit lapſus in eâ quâ *Trithemius* ſcribebat ætate, nemo non videt. Hiſtoriis quidem tùm temporis multi ingenia impenderant, at *Chronologia* nondum ſubierat limam, ut hodie accuratam, nec *Critica* adeò fuerat exculta.

Quid de Eugippio, Caſſiodoro, Gregorio M. & aliis.

XXVII. Dum verò Trithemius *Eugippium*, *Caſſiodorum*, *Gregorium M.*, alióſque Ordini noſtro aſſeruit, non omninò mente excidiſſe, nec piſcatum in aëre, neque cenſoriam meruiſſe virgulam à *Baronio* commoto impactam oſtendunt *Yepeſius*, *Bucelinus*, *Mabillonius*, aliíque Ordinis Scriptores haud proletarii. Quibus ego iſtud addam, quòd etiamſi genuinos divi Benedicti filios ab alienis facilè quandoque potuiſſet *Trithemius* diſtinguere, non tamen continuò quoſcunque extraneos aut dubios debuerit eliminare. Sunt enim ex his plerique ita Ordini noſtro affines, tantáque alligati neceſſitudine, ſive quòd in cœnobia ab ipſis condita noſtri proximè ſucceſſerint, ſive quòd eorum diſcipuli in divi Benedicti caſtra immigraverint, ut è re noſtrâ eſſe videatur eorum memoriam conſervare. Atque iſtud etiam in cauſa fuit doctiſſimo *Mabillonio*, ut nonnullos à Benedictino inſtituto alienos in noſtrorum album admiſerit. Licèt ipſe pluribus contendat, nihil attinere ementitos & fictitios Ordini Benedictino, utì quibuſdam aliis affingere honores, cùm ſuo ſatis ſuperque ſplendore illuſtretur, ac potiùs magnitudine & copiâ, quàm penuriâ laboret ſua. Collyrium ergo *Baronii* alteri cuipiam adhibendum fuerit. Quot enim Divos ſuæ telæ intexunt moderni Annalium privatorum conditores, quos ſuperioribus ſeculis Ordini S. Benedicti conjunctiſſimos fuiſſe conſtat? Adeò nempe & amor habendi, & Ordini antiquiſſimo juxtà ac in Sanctis locupletiſſimo detrahendi, etiam Divorum ſepulchra hodie pervadit! An quia ipſi numerum augere non cogitant, ideo veteribus manus injiciendas ac ſuas in partes pertrahendos putant, non expedio; Neque pedem conferimus, quòd familiæ noſtræ aliquid de gloria aut ſanctitate deceſſurum exiſtimemus, ſi Baſilianis, Carmelitis, Canonicis Regularibus, aliíſque aliquos è noſtris cederemus, ſed quòd plumas proinde noſtras à corniculis non injuriâ, ſed jure ac merito vindicemus. Verùm quia de ſanctis Viris in peculium ſibi aſſerendis diſputationes & rixas inter religioſos viros fervere, propudioſum eſt, ac ipſis etiam Beatis ingratum, eas ultro abjicimus, atque ad aliud in Trithemium cavilli genus expediendum pergimus.

Aliorum querelæ removentur.

XXVIII. Conqueruntur ſanè non pauci, nec obeſæ naris viri etiam domeſtici, quòd ipſe *Trithemius* ſummum fere jus in Principum, ſacrorúmque Antiſtitum, Abbatum & Monachorum geſta moréſque ſibi uſurpare ſoleat, & acriorem nonnunquam eorum cenſorem ſeſe exhibeat. Atqui ſi non plus peccavit *Trithemius*, quàm hîc convincitur, nec in Areopago quidem condemnari poteſt. Etenim quantus in corruptos ſui ſeculi mores non inſurgit *Chryſoſtomus*? Quàm aſper & mordax in Gallos ſuos *Salvianus*? quàm ſalitus in libris ad Eccleſiam Timothei nomine inſcriptis? Nemo tamen eam aſperitatem & piam quaſi ſævitiam reprehenſione dignam dixit; quin potiùs ſummopere celebravit *Salviani* zelum quisquis corruptiſſimos illius ætatis mores validè & abſque palpatione defricandos perſpexit. Et quid etiam reprehenſione dignum in Sacerdotibus diſſimulat *Hieronymus*? Quid *Gildas Sapiens* in Britannos non effundit? Nihil legi poteſt durius, aſperius, amarulentius; Tantum verò abeſt, ut ea mordacitas moribus admenſa diſplicuerit viris probis, ut potiùs egregiè ſit collaudata nominatim ab Alcuino, Wilhelmo Malmesburienſi &c. Quis ſancto *Bernardo* Monachorum, Clericorum, immò Epiſcoporum ac Pontificum vitia narrat apertiùs, pungit acriùs, caſtigat ſeveriùs? *Petrus Bleſenſis* quàm non molli pollice in malos mores paſſim invehitur? *Alvarus Pela-*

gius,

gius, quàm non palpat nævos & defe-ctus, qui ſuâ ætate in Eccleſiam irrepſerant, immò qua ſtrigili non defricar cujusvis ordinis fideles præſertim Eccleſiaſticos? Idem de *Joanne Gerſone* Cancellario Pariſienſi dici poteſt, cujus plerique tractatus ſunt admodum amarulenti. Nullus tamen hactenus tantum à rectâ ratione deſcivit, ut tantorum Eccleſiæ ornamentorum lucubrationes ſugillare præſumpſerit, aut in vulgus editas indignè tulerit. Quid igitur cauſæ ſit, cur unius *Trithemii* opuſcula his humani ingenii ſalibus reſperſa ſugillemus? Et verò quid affert *Trithemius* quod apud plures alios veteres Doctores non reperias? Lautiores Eccleſiaſticorum Præſulum menſas, veſtium luxum, otium & ingluviem, pompámque & vitia infeſto calamo perſtringit, & acerbiùs traducit? Nihil eo frequentiùs apud alios legas, qui inclinantem Eccleſiaſticorum diſciplinam ad Apoſtolicam, veterémque inſtitutionem exigi & reſtitui volebant. Sedenim quibus adeò invisa & acerba ſunt *Trithemii* ſcripta, eos obſecramus, ut ſaltem aliquid dent fervido & Apoſtolico piiſſimi viri zelo; dent immenſo divini cultûs amplificandi, diſciplinam inſtaurandi, & bonas artes provehendi ſtudio; dent ſeculi, quo floruit, libertati etiam ſummis viris uſurpatæ; poſtremò dent eruditorum hominum de Trithemii operibus judicio, à quo privatus nemo receſſerit, niſi ſuperbus, arrogans, aut vitiis, quæ carpit, deditus.

Heterodoxorum officiæ XXIX. Nec eſt quòd aures præbeamus iis, qui nodum quærunt in ſcirpo, quique dùm hærent in culice, camelos deglutiunt, Hæreticos inquam, hiſque ſimiles homines in Eccleſiaſticorum Ordinem dicaces, qui ingentia fingunt crimina, abuſus, ſcelera, & nihil uſpiam ſanctitatis reliquum exitiſſe comminiſcuntur, idque credi ab omnibus volunt. Tot enim illuſtres viri, qui eâ ætate in Ordine præſertim monaſtico fulſerunt, argumento ſunt mentiri malevolos, & ſi qua deinceps fuit in ſtatu Eccleſiaſtico fœditas, ab impio & Bipedum ſpurciſſimo *Luthero* profectam eſſe quis ignorat? Quod ſi nonnunquam acriorem ſeſe morum cenſorem exhibeat *Trithemius*, quàm delicatiores noſtrorum temporum aures animíque perferant, culpa hæc eſt noxiorum, non Oratoris aut Hiſtorici, qui graviùs ipſe culpandus foret, ſi malè facta taceret, quibus alii prudentiores fiant, ut qui præceptis moveri non poſſunt, ſaltem rerum malè geſtarum pudore, aut infamiæ metu territi à ſimilibus delictis abſtineant, & ad virtutem revocentur. Hâc libertate uſos Veteres Horatins declarat Lib. 1. Eclogâ IV. his verſibus:

Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus fuerat, aut ſicarius, aut alióqui
Famoſus, multâ cum libertate notabant.

Eâ igitur de cauſa apud alios fide ac famâ laborare non debet vir inſignis, cui totus ferè applaudit orbis, quem etiam *Onuphrius* multa ex eo in ſuos Faſtos derivans, vocat *illuſtrem, clarum, & ubique gentium celebrem.* COCCIUS verò hiſce extollit laudibus in Dagoberto pag. 83. *Johanni* TRITHEMIO *viro pio, docto, & in ſui Ordinis perſcrutanda antiquitate aſſiduo multum debet erudita poſteritas, ut qui reconditam ex omni memoriâ monumentorum gazam primus explicuit, atque ſacrâ doctrinâ neminem ſuo ævo ſuperiorem habuit.* Dignus proinde qui æternùm vivat non in perenni ſolùm Eruditorum memoriâ, ſed vel maximè in Religioſorum omnium pectoribus *Redivivus quotidie*, ut loquitur Bucelinus, *in ſuis exhortationibus, neque redivivus ſolùm, ſed etiam reſuſcitans, & reſuſcitaturus deinceps innumeros ad novam & ſanctam vitæ reformationem.* De quo Præſule & Scriptore ſibi meritò univerſus Ordo Benedictinus gratulatur, ad Zoïlos accinente *Jacobo Syberti* Lacenſis in Euphalia monaſterii Cœnobitâ *Trithemio* æquali hoc epigrammate:

Invide detractor, ſpreter virtutis & beſtis!
Cur in Trithemium *verba canina jacis?*
Deſine baubare, & renchos depone minaces;
Heſtis es Aſtrea, tum Sophia & ἀρετῆς.
Trithemius *cultor Sophiæ & Virtutis amator,*
Flocci facit vulgi ſcommata vana rudis.
Obmuteſce rudens pecus Arcas; inobruta juſto
Fama erit; hanc ſi vis lædere, læſus eris.
Gloria Trithemii *te tabeſcente manebit,*
Quam temerare tuâ garrulitate nequis...

XXX. Sed ut remotis nubeculis clariùs pateſcat, quàm maleſartæ & frivolæ ſint omnes æmulorum criminationes, nunc quibus potiſſimùm ſtudiis deditus fuerit *Trithemius*, quámque dextro Apolline in ſingulis verſatus fuerit, & quæ inde magnorum Virorum tulerit elogia, vel deſultorio, quod ajunt, oculo diſpicere lubet. *Erat enim* (uti eum depingit *Andreas Thevetus* Engoliſmenſis Coſmographus regius) *græcis hebraicíſque literis probè* Trithemii ſtudia,

probè inſtructus, *Poëta celebris*, *Orator elaquentiſſimus*, *ſubtilis Philoſophus*, *ingenioſus Mathematicus*, *Hiſtaricus gravis*, *Theolagus inſignis*, *Juriſconſultus irrefragabilis*, *ac quoddam velut omnis eruditionis compendium*, *totiúsque arca ſapientiæ*. Cujus rei argumento ſunt ipſa quæ in omni diſciplinæ & ſcientiæ genere protulit ingenii monumenta; idque paſſim perhibent tum ſapientiſſimus Marchio Brandeburgicus *Joachimus*, cùm alii in ſuis ad Trithemium epiſtolis; quos inter *Nicalaus Gerbellius* Phorcenſis, in eâ, quæ inter familiares XXXII. eſt libri II. ita ſcribit: *Gratulor mibi ipſi ſæpiuſculè R.me Pater! me feliciſſimo boc ſeculo pragenitum, quo tat illuſtres viri nec ignobilis famæ in Germaniâ paſſim prodiêre, quas inter tu unus es, qui cum literis latinis & hebræas & græcas apud Germanos feciſti locupletiores, inter quos tantum polles & eniteſcis, ut an cuiquam te comparem, an præferam cunctis, in trivio ſim, fluctuémque Chremetis inſtar Terentiani. Verùm non inconſideratò dubito, cùm non trivium in TE, ſed diſciplinarum omnium theatrum ſpacioſum, exuberans, nitidiſſimum conſpiciamus; non in TE virtutem unam, aut tres, ſed eas omnes tenaciter, & agminatim caagulatas, perindè ac ſpectacula decentiſſimo ſpectamus.* Hæc ille & plura alii, quæ hîc accumulare ſuperſedemus, alienis eum laudibus haud indigere perſuaſi, qui tot ſcriptis in cujusvis doctrinæ genere editis omnium cordatorum calculo præſtantiſſimis has dudum ſupergreſſus æternatura in templo Minervæ moonumenta ſibimet erexit, eâ felicitate & copiâ, ut vel genios ipſos ſuperâſſe videatur, id quod eleganter *Paulus Meliſſus* Francus Comes Palatinus & Eques Aur. Civ. Rom. his expreſſit verſibus:

& parta inde elogia.

Humanos ſupra captus, mentéſque Sopborum,
Et mentes Genúm, cui fuit ingenium.
Num querit diâ ſuperare Trithrmius arte,
Quidquid humo ſummum, quidquid in axe poli!
Deſine mirari, vir tantus ad omnia doctus,
Natura inſtinctu totus acumen erat.

Edendorum Trithemii Operum Ichnographia.

XXXI. Cùm itaque ſummi hujus viri ſcripta, ceu bonæ frugis ſucco pleniſſima à plerisque deſiderentur, eáque variis in locis, diverſis temporibus & formis ſparſim impreſſa, temetè & vagè per officinas & Bibliothecas peregrinentur, pleraque etiam deliteſcant anecdota, ac editorum quædam ſeſe oculis manibúsque hominum ita ſubduxerint, ut vix ac ne vix quidem prece aut pretio comparari queaot; ne quicquam de tanti viri momumentis tempus edax rerum, proborúmque nomini inimica invidia deinceps conficiat, rem orbi erudito non minùs gratam ac perutilem, ſumméque librariis lucroſam fore credimús, ſi ea novis atque elegantioribus, ut par eſt, exſcripta formis, ordinatiori digeſta ſerie, ſuis ditata auctariis, ac velut poſtliminio ſuæ reſtituta integritati in lucem proferri curaremus hoc ſchemate.

TOMO I. præfigetur vera Trithemii effigies ex Archetypo A. 1513. ſignato, & in Herbipolenſi S. Jacobi Monaſterio hodiéque adſervato depicta, cum hac epigraphe:

Pauſophiæ ſplendor magnus Trithemius Abbas,
Hoc vero vultu conſpiciendus erat:
Aſt animi dotes, curas, vaſtósque labores,
Quæ porrò ſcripſit, Te monumenta docent.

Sequetur ejus vita paulò diductiùs, quàm hæc elaborata. Hanc excipiet ejus *Nepiachus*, tnm *Pinax* lucubrationum; cui ſubnectentur *Jaannis Bautzbachii Piemontani* Prioris Lacenſis, *Jacobi Syberti* ejusdem loci Cœnobitæ, *Walfgangi Treſleri* S. Jacobi Moguntiæ Profeſſi, *Pauli Langii* & aliorum coætaoeorum de ipſo elogia hactenos inedita. Addentur ea, quæ *Calerus* de ipſo diſſerit in ſua Anthologia Tom. I. Faſc. I. pag. 4. & Faſc. IV. pag. 390. Quæ *Tileman* in diſcurſu peculiari de magicis ejus inſidiis effutiit, malleo ad incudem revocabimus. Si qui Eruditorum quidpiam ad vitam, famam & judicia de illo faciens ſuggeſſeriot, ſuo ioſeretur loco. Et quia epiſtolaris hiſtoria omnium certiſſima eſt (*ſiquidem*, utì præclarè Lipſius in Præf. epiſt. miſcell. *detegimur in epiſtolis & ſubjicimur oculis penè nudi*) poſt præſata illicò ſequentur Trithemianæ Epiſtolæ ordine chronologico digeſtæ, in quibus ejus ingenii, affectûs, judicii, ac totius propè vitæ non vaoa relucet imago.

TOMUS II. continebit Opera aſcetica, videlicet: 1. De vanitate & miſeria humanæ vitæ. 2. Commeotarii in Regulam S. Benedicti librum primum, nam ſecuodus deſideratur, cujus defectum ſupplebimus ex alio Scriptore Anonymo, qui ſub initium Congregationis Burſfeldenſis edidit *Expoſitionem Regulæ continuam*, hoc exotdio: *Quod minus attentos fugit*... 3. Exhortationum ad Monachos Libr. II.

4. Ora-

4. Orationes in annuo Abbatum congreſſu habitas, quibus inrerſeremus aliorum Parænefes pariter in comitiis effuſas. 5. De triplici regione Clauſtralium. 6. Modum & formam quotidiani Monachorum exercitii. 7. Tractatum de Religioſorum tentationibus. 8. De vitio proprietaris. 9. De peculio Monialium. 10. Speculum vitæ hominis religioſi. 11. De miſeria Clauſtralium Prælatorum. 12. De vitæ ſacerdotalis inſtitutione. 13. De Continentia & Virginitate. 14. Librum Penthicum ſeu lugubrem de ſtatu & ruina Ordinis Monaſtici. 15. Modum & formam celebrandi Capitulum cùm Annale, tum Provinciale. 16. Conſtitutiones Provincialium Capitulorum. 17. Tractatum de Viſitatione Monachorum. 18. Hiſtoriam Congregationis Burſfeldenſis cùm Bullis & privilegiis.

TOMUS III. repræſentabit ea, quæ edidit pro gloria Sanctorum, aut Religionis defenſione & utilitate Eccleſiæ, ut ſunt: 1. Liber octo Quæſtionum Maximiliani Imperatoris. 2. Antipalus maleficiorum. 3. Vitæ Sanctorum Maximi, Maximini, Rabani, Irminæ Monialis, Ruperti Tuirienſis &c. 4. Laudes Sanctorũm Joſephi, Petri, Andreæ, Joannis, Magdalenæ, Marthæ &c. 5. De Laudibus S. Annæ. 6. Tractatus de imaculata Conceptione. 7. De miraculis B. M. V. in Dittelbach, & in Urticeto. 8. Proſæ, preces, Epigrammata, aliáque opuſcula huc ſpectantia. 9. Chronologia Myſtica ſeu Libellus de ſeptem ſecundeis moventibus orbem. 10. Compendium Annalium de origine & Regibus Francurum. 11. Breviariũ ex *Humbaldo* decerptum. 12. Chronicon Bavariæ Ducum & Comitum Palatinorum. 13. Res geſtæ *Friderici Victorioſi* cum notis Freheri. 14. Chronicon Spanheimenſe ad noſtra usque tempora perductum. 15. Chronicon Munaſterii S. Jacobi Herbipoli pariter ad hanc ætatem continuatum. 16. Chronicon Ducum & Epiſcoporum Wirtzeburgenſium ex *Ludewigii* & *Gropii* collectionibus. 17. Alia Hiſtorica, quæ nanciſci contigerit.

TOMUS IV. exhibebir Chronicon Hirſaugienſe curâ San-Gallenſium anno 1690. in fol. editum & cum autographo in Electorali Bibliotheca Munachii adſervato collatum, noſque illuſtratum.

TOMO V. inſerentur ea, quæ pro Rei Literariæ augmento protulit. 1. Laudes ſtudii Divinarum Scripturarum. 2. De Laude Scriptorum Manualium. 3. Liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis cum ſuis auctariis. 4. De Germaniæ Luminaribus. 5. De Viris illuſtribus Ord. S. Benedicti. 6. De Laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum, & de Viris illuſtribus ejusdem Familiæ, aliáque bibliographica.

TOMUS VI. dabit ſtudia curioſa, quibus præmittentur *Sigiſmundi* Abbatis in Seon, *Joannis* Caramuelis, &c. apologetica. 2. Steganographiæ libri tres cum enodatione *Guſtavi Seleni*, & *Wolfgangi Heidelii*. 3. Polygraphiæ libri VI. cum clave & obſervationibus variorum. 4. De Arte Trithemiana ſcribendi per ignem diſſertationes duæ per *Georg. Wallin*... 5. *Tractatus* Chimici & dubii §. LVII. libri II. fuſiùs recenſiti. Si quæ alia propitiori fortuna nanciſci potuerimus inedita ſuis inſeremus locis.

Atqui hæc Operum Trithemianorum ſumma ſunt capita, hæc editionis noſtræ œconomia, quam delibandam ac velut prægustandam publico propinare viſum eſt, non modò, ut de Eruditorum placito periculum faceremus, ſed ut eos ad reliqua in ſcriniis adhuc latentia nobiſcum benevolè communicanda invitaremus, honorificam ubique benefactorum facturi mentionem.

XXXII.

JOANNES DE MARRE, † 1521, Epiſcopus Condomienſis.

Naſcitur Simmoræ A. 1436.

JOANNES *de Marre* Aquitanus, Simmorræ in agro Auxirano, ſeu, ut aliis placet, Eluzæ in pago Armaniacenſi, humili loco, patre *Dominico* natus anno 1436. liberaliter inſtitutus eſt, magnúmque in literis progreſſum fecit.

Monaſticen profeſſus Juris U. Doctor, ac Prior renuntiatur.

Mox religioſam vitam in Simorenſi cœnobio ſecundùm D. Benedicti inſtitura profeſſus eſt: ex hinc Juris Utriusque Licentiatus, ac Prior S. Luperci de Eliſona efficitur; cujus cœnobii Baſilicam cultam elegantémque à fundamentis erexit. Poſteà ſanctitatis & ſapientiæ fama ubique clarus, à *Johanne Borbonio* Anicienſi Epiſcopo, & Abbate Cluniacenſi, Vicarius generalis per univerſam Aquitaniam inſtituitur ad inſtauranda & reformanda monaſteria: quo in munere verbo & exemplo pro Dei gloria plurimùm laboravit; imò & in componendis Procerum ac Regum diſſidiis ſpeciali prudentiæ dono valuit.

pro gloria Dei ſtrenuè laborat.

Electus Eccleſiæ Condomienſis Epiſcopus

valuit. A Principe *Alano de Albreto* Neiracum vocatus; *Johannis* Auſcienſis Archiepiſcopi negotia compoſuit, totíque familiæ *Alani*, invitus licèt præficitur. Ac tandem Epiſcopus Condomienſis, poſt obitum *Antonii de Pompadour* à Monachis Benedictinis acclamatur anno 1495. Sciendum enim, quòd *Condomii*, quæ eſt urbs ad Baliſam fluvium, *Baiſe*, in Vaſtonia, ſedem Epiſcopalem ſub Burdigalenſi Metropoli conſtituerit JOANNES Papa XXII. antiquam S. Petri eccleſiam abbatialé erigens in cathedralem, Abbatem in Epiſcopum mutans, & Monachos in Canonicos; minimè tamen abjecto monaſtico inſtituto. Nihil igitur primis illis temporibus, de ordine fuit immutatum: Monachi habitum, vitámque regularem conſervantes, Canonicorum munia obibant. Verùm ſucceſſu temporis omnia commutata, cucullæ in almutias, Monachi in ſeculares Canonicos, Epiſcopi aliunde aſſumpti; quod pluribus hìc referre à noſtro alienum eſt inſtituto.

Sacerdotium cum laude ſuſtinet,

Joannes poſſeſſionem adeptus eſt 23. Jan. an. 1497. quod ſacerdotium ſummâ laude & munificentia ſuſtinuit; nam & Epiſcopatui complura bona largitus eſt: regularia ædificia ſarta tecta fecit: Baſilicæ majoris, cùm anguſtior eſſet, amplioris & ornatiſſimæ ſtructuræ fundamenta jecit an. 1505. Eodem tempore ædem *de Franceſcas* in Diœceſi, Minorúmque oppidi Neyracenſis Conventum exſtruxit: veſtibula eccleſiarum Carmelitarum & Franciſcanorum Condomienſium item erexit; Cathedralem eccleſiam exquiſito ac divite ornamentorum apparatu, aliáſque diœceſis, nec non cathedrales Auxitanam, Aginnenſem, & Lactorenſem ditavit: denique ſuis beneficiis omnium, ac pauperum præcipuè, pater meruit nuncupari. His verò nequicquam obſtantibus, dum commiſſi ſibi gregis curam ſedulò gerere ſatagit, à plebe Condomienſi diu multúmque exagitatur, donec Regis placito, ſub graviſſimarum pœnarum mulcta, Præſuli plebs obedire coacta eſt, quam vir manſuetus, injuriarum immemor, ſummo deinceps affectu proſecutus eſt. Anno 1518. *Rogero de Barta* Simorræ Abbati defuncto, vel abdicante, *Herardum de Groſſoles* ſubſtitui curavit. Eodem an. 8. Jul. providit rectoriæ Eccleſiæ de Saintrailles *Achillem d'Albret* S. Sedis Protonotarium. Ex Albreti tabulario.

ædes ſacras erigit.

pauperes paſcit,

injurias remittit.

Carolo VIII. Rege defuncto, cùm *Anna* ejus vidua tantam jacturam ferre non poſſet, *Guillelmus Briſſonetus*, Cardinalis, ſumma rerum ſub defuncto Rege potitus, MARRAM advocavit, ut tanto vulneri remedium afferret. Ab eo habitam hac de re Orationem retulit *Arnoldus Ferronus* Burdigalenſis, in Opere de rebus geſtis Francorum ſub Carolo VIII. ubi & Præſulis noſtri inſeruit elogium, quod hìc adjicere non pigebit.

Arnoldi Ferroni de eo teſtimoniũ.

„ *Joannes Marra*, Condomienſium Pontifex, homo & ſapiens, & ſanctus, & eruditus, *Briſſoneti* operâ, adnitente etiam *Alano Albreto*, Pontificatum Condomienſium adeptus fuerat. Is *Briſſonetum* veluti cliens obſervabat, neque ab ejus latere eo ſanè tempore diſcedebat. Sed in *Johanne Marra* elucebant præclara virtutis, eruditionis, religionis, liberalitatis in egenos, in Deum ſingularis pietatis ornamenta, ex quibus totum ſe expendebat, mortalia cætera, & caduca cenſeus. Ille veluti cœleſtem civitatem incoleret, in omnibus ſuis factis, dictis, cogitationibus, nihil præter præcepta divina intuebatur. Perfectus in literis, ſacrarúmque rerum jam ab adoleſcentia traditam tenuit diſciplinam; ſumma orationis & elegantia, & acrimonia. Atque hæc omnia vitæ decorabat modeſtia & integritas.

ejus dotes & virtutes,

Tractatus duos, alterum *de Trinitate*, alterum *de Pœnitentia* ſcriptis mandavit *Marra* noſter, ac præterea Inſigne *Enchiridium Sacerdotale*, Pariſiis anno 1519. typis excuſum Aſcenſianis. In eo autem hæc ſunt capita:

ingenii monumenta.

Quæ ſint de Deo, & de ſancta Trinitate credenda.
Symboli Apoſtolici explanatio.
Quinque verborum, ſcilicet quæ ſint credenda, agenda, vitanda, timenda, & ſperanda, explicatio.
Orationis Dominicæ declaratio: cum virtutum præcipuarum enucleatione.
De Pœnitentia XVIII. capitum libellus, Decalogum Dominicum latè elucidans.
Regulæ Morales M. Joannis Gerſon.
Symboli, ſeu Cantici Athanaſiani explicatio.

In hujus Enchiridii planè aurei commendationem lectorem ſic affatur Idocus *Badius Aſcenſius* Typotheta.

Suſcipe

eorumque commendatio.

Suſcipe Joannis Marrei dogma probatum
Lector, & heroo pectora dede viro.
Qui ſuperintendens & verus epiſcopus, unus
E multis, curam fert gregis egregiam.
Nam credenda illi, ſperanda, & amanda libello
Hoc monſtrat ſolis lampade lucidius.
Proin ſancta tribus, genus ô regale, ſacerdos:
Hoc tibi præ cunctis fac redimatur opus.

Sed & Epiſtolam, quam idem Typographus ad Authorem dedit, quámque Enchiridio præfixit, legere neminem pœniteat. Sic verò habet:

Badii typographi ad eum epiſtola.

Plurimùm ſuis meritis obſervando, & longè Reverendo Condomienſi Præſuli, Domino JOANNI MARRE: *Jodocus Badius Aſcenſius* cum omni obſervantia ſalutem.

LEgi, perlegi, & relegi, ídque non ſemel, cum ſingulari interioris hujus bominis alacritate, & pene exultatione tuum (ſic enim inſcribendum mihi viſum, nam ipſe (quæ tua eſt modeſtia) nomen non indidiſti) ſacerdotale enchiridion, non ſacerdotibus modò, verùm omnibus Chriſtianis ſemper in manibus, imò in præcordiis, atque intimis animi viſceribus habendum. In quo tam graphicè, tam compendiosè, tam doctè, támque penitùs divinè, ex optimis quibúsque & laudatiſſimis auctoribus collegiſti, quæ ſint amanda, credenda, ſperanda. Qua ratione Deus optimus maximus cognoſcendus, obſervandus, amandus, ut nihil ſupra. Nihil etenim prætermittis, quod ad divinæ ſubſtantiæ, ſimpliciſſimæ unitatis, aut perſonarum divinarum admirandæ Trinitatis, aut animorum noſtrorum, aut articulorum fidei, aut divinorum præceptorum cognitionem ſcitu ſit neceſſarium. Quin adeò omnia tanto delectu collegiſti, ut planè neſciam, quid in iſtis collectaneis demirer primùm, ſententiarúmne pondera, an dicendi breviter citra obſcuritatem felicitatem, an deligendi quæ colligeres & diceres judicium: an demum divini ingenii tui modeſtiam & acúmen. Modeſtiam quidem, qua ſic quæ collegiſti, magnorum auctorum nominibus præmunis, ut nihil tuum eſſe videatur: acumen autem, quod ita omnia ſtyli temperamento & cenſura argutiſſima commiſces, ut tuum unius opus omnibus comprobetur. Quocirca ſtatim aptavi præla, & in compluria impreſſi exempla: ut quàm plurimis eorum habendi facultas fiat. Quam audaciam (uti ſoles quæ non iniquo nec penitus inconſulto fiunt animo) in partem accipias bonam rogamus. Vale Eccleſiæ catholicæ decus & præſidium ſanè quàm amplum. Ex chalcographia noſtra apud Parrhiſiorum Lutetiam ad octavum kalendas Decemb. MDXIX.

Tandem vir pius ad cœleſtem patriam migravit anno 1521. ſepultúſque eſt in æde primaria in ſacello S. Johannis Baptiſtæ. Anno trigeſimo ab ejus obitu, tumulo ejus aperto, ſanum & integrum corpus, ac ſi recens expirâſſet, repertum eſt, ut memorant documenta Simorrenſis monaſterii: *Ejus vitam contexuit anonymus Condomienſis monachus*, inquit Claudius Eſtiennot è Congr. S. Mauri, *ut ex ſchedis D. Joſephi de la Gutelle Condomienſis medici didici: at eam in tabulario tum D. Epiſcopi Condomienſis, tum Capituli diu, ſed fruſtra quæſivi.* Ex Dionyſii Samarthani Gallia Chriſt. Tom. II. in Epiſc. Condom. p. 966.

Vivere deſiit A. 1521.

XXXIII.

JOANNES PIEMONTANUS Cognomento BOUZBACHIUS.

† 1526.

MOnaſterii B. V. M. & S. Nicolai ad Lacum Euphalicum in agro Trevetico, altero ferè milliari ab *Antenaco* celebri ad Rhenum oppido, vulgò *Andernach*, diſſiti Congr. Burſfeldenſis PRIOR, utì religionis merito & virtutis laude, ita perpetuis lucubrationum vigiliis Eruditorum ſuæ ætatis cœnobitarum princeps habitus, natale ſolum babuit ſuperioris Germaniæ oppidum *Mildenberg* inde *Piemontani* cognomen ſortitus, in lucem editus anno 1476. parentibus tenuioris quidem fortunæ, ſed honeſtis ac timoratis; à quibus Materteræ educationi traditus, ab eâdem ad omnem virtutis pulchritudinem allectus, primíſque literarum elementis imbutus fuit. Eâ verò fatis functâ cùm ad parentes rediiſſet, inſtillata artium rudimenta domi aliquamdiu excoluit, dùm ſubinde impoſtoris cujuſdam ſuaſu ad remotiores ſcholas ſpe majoris profectûs abductus, Pragam ſe contulit, novercantis deinceps fortunæ factus ludibrium. Quùm enim congruis deſtitueretur ſubſidiis, facto cum Muſis divortio, ſeſe primùm nobili Bohemo in ſervum tradidit; tum verò gravioribus maceratus moleſtiis ad opificium perdiſcendum declinavit. Francofurtum poſtea indéque Moguntiam exercendæ artis ſuæ gratiâ profectus ex frequenti cum viris religioſis conver-

Natus A. 1476.

Pragam Studiorum causâ ſe contulit.

ſatione arctioris vitæ deſiderium imbibit. Supplex itaque S. Joannis in Rhingaviâ monaſterium acceſſit, ubi poſt aliquot impenſiores inſtantias à *Rev.mo D. Joanne de Seyn* recèns electo Abbate ſuſceptus, *Converſorum*, ut vocant, habitu donatus fuit. Sed occultis quibusdam naturæ illiciis erga literas cùm æſtuaret fervidiùs, crebríſque ſuſpiriis ſuum ob dimiſſa ſtudia proderet dolorem, ejus loci cœnobitæ auctores illi ſuerunt, ut ea denuò repeteret. Acceptis igitur à præſtabili doctiſſimóque viro *Petro Schlarpio* ſacri illius cœtûs Decano commendatitiis, ad Cl. V. *Alexandrum Hegium* Daventrienſem Gymnaſiarcbam ſe contulit, ejúſque diſciplinæ ſeſe erudiendum tradidit, ubi tandem, pluribus licèt premeretur anguſtiis, tam ſelices in bonarum artium trivio ſecit progreſſus, ut quùm Ven. *D. Simon de Petra* Lacenſium Antiſtes aliquos bonæ ſpei adoleſcentes in religionis ſubſidium à Daventrienſium Scholarum Præfectis ſibi ſubmitti rogâſſet, hic unus præ reliquis dignus ſit habitus, qui egregio meritorum Cenſori commendaretur. Miſſo itaque ſcholis nuntio Lacenſe cœnobium petiit, ubi à præfato Abbate ſuſceptus, peracto probationis tyrocinio ſeverioris vitæ conſilia ſolemnibus ex Benedictinâ Regulâ votis A. 1497. roboravit, ibique deinceps omnes ingenii nervos ad manſuetiores Muſas, & ſolidiora ſtudia adeo ſtrenuè intendit, ut doctrinæ ſamâ inclareſcens, apud eruditiſſimos illius ætatis viros præclarâ æſtimatione frueretur. Quin & tantam ſibi apud ſuos concellitas rarâ eruditione & pietate eximiâ auctoritatem conciliavit, ut eum Ven. *Simon de Petra* loci Abbas in ſui Conventûs *Priorem* paulò pòſt deligeret; quod ille munus ſummâ moderatione, ſolertiâ, exactóque diſciplinæ ordine domi ſoríſque ſpectatus annis pluribus ſuſtinuit. Cunctorum verò amorem amore erga cunctos ſibi conciliabat. Nihil illo demiſſius aut manſuetius, ſed nec illo diligentior quisquam ant vigilantior. Cùm alii dormirent, ipſe preces ſundere, legere, ſeligere, excerpere, ſcribere ſolemne habebat. Nec ſibi ſolùm Muſíſque cecinit, ſed & literarum ſtudia inter ſuos maximè excitavit, pluréſque diſcipulos melioribus artibus inſtituit, græcæ linguæ peritiâ cumprimis celeber. Quare procedente tempore boni nominis tam longè latéque ſparſit odorem, ſuíſque cœnobii ſamam aliàs obſcuram ſìc porrò extulit, ut ſacilè non vicinorum modò, ſed etiam remotiorum ad ſe ſtudia converterit. Cujus rei teſtis lócuples eſt *Hermannus Buſchius* ejus temporis Poëta & Orator nominatiſſimus, qui *Piemontani* virtutem & doctrinam ſubinde demiratus, in quâdam ad *Jacobum Syberti* ejusdem cœnobii aſcetam benè doctum epiſtola ita reſcribit: *At vos Lacenſes, Chriſti Philoſophi! quale obtuliſtis beneficium? certè tale, quo nullum majus mihi offerri poteſt. Quod enim majus aut pulchrius beneficium dari poteſt homini ſtudioſo, quàm honeſti ingenii, ac non pœnitendæ alicujus literaturæ teſtimonium? præſertim cùm ab eo datur, qui ipſe non modò variâ doctrinâ, ſed etiam probitatis & religionis laude conſpicuus refulgeat, cujusmodi eſt* PRIOR *iſte veſter, vir ut ſtudia ejus declarant, excellentiſſimus, excellentiſſimíſque virtutibus præditus.* Hæc ille. Quod autem Piemontanus ſtudiis literarum conjunxerit perfectioris vitæ exemplum, & laborem indeſeſſum, teſtatur *Trithemius* in Auctario ad viros illuſtres Germaniæ inedito; ídqne etiam perhibet *Paulus Langius* ſcriptor ſynchronus in eo, quem adverſus *Wimphelingii* deliramenta conſcripſit, libello; atque idipſum memoriæ poſterórum literis prodiderunt *Auguſtinus* loci Abbas in ſuo Rituali, *Joannes Schæfferus* ejusdem cœnobii Chronographus, & *Riswichius* Gladbacenſis cœnobita in eo, quem poſt Trithemium conſcripſit, libro *de Viris illuſtribus O. S. B.* Sed & eundem *Joannes Buſæus* S. J. ſcriba, aliíque plures non infimæ notæ ſcriptores privatis publicíſque encomiis proſecuti ceu *ſpectatæ virtutis & doctrinæ virum* ſeræ poſteritati, ad nominis ejus inocciduum decns, commendârunt. Vitæ periodum clauſit anno 1526.

In S. Joannis Rhingaviæ monaſterio converſorum habitum induit,

quo dimiſſo ſtudia proſequitur,

& apud Lacenſes Monachus an. 1497.

ac paulò pòſt Prior efficitur.

Studia ſolerter promovet.

Buſchii, Trithemii & aliorũ de ipſo judicia.

Ejus obitus & opera.

Scripſit utroque ſtylo, metro & proſâ, ſtudióque indeſeſſo libros quàmplurimos, è quibus in codice membranaceo Bibliothecæ Lacenſis hoc rubro notato: *Opus pulcherrimum Joannis Piemontani*, ſuperant ſequentia.

1. *Epiſtola ad R.mum D. Simonem de Petrâ Abbatem ſuum de commendatione Poëſeos...*
2. Ad eundem contra ignavos Monachos *Satyrarum carmine elegiaco libri tres.*
3. *Apologia hujus operis ad eundem metricè Lib.* 1.

4. Pro-

4. *Protrepticon ad Novitium me'ricè lib. 1.*
5. *Panegyricon ad Jacobum Syberti metricè.*
6. *Panegyris ad Aleydem monialem in Inſula Rolandi ſupra Bonnam...*
7. *Carmen Staurosticbon cum epiſtola Philippi Hauſtuli.*
8. *Ode Sopphica de ſuis Caſibus.*
9. *Carmen elegiacum ad Jacobum Syberti.*
10. *Panegyris Sapphica de laudibus monaſterii Lacenſis.*
11. *Sappbicon de S. Anna ad Valerium Meyenenſem.*
12. *Epithoma metricum in Regulam S. Benedicti.*
13. *Epithoma aliud de Viris illuſtribus ſui cœnobii.*
14. *Elegia ad Zoilos & contemptores Poëtarum.*
15. *Epiſtola ad quemdam in ſuum Micrоſtroma.*
16. *Microſtroma de laudibus Tritbemii.*
17. *Apologia ejusdem ad Jacobum Syberti, cum hujus epiſtola.*
18. *Prima pars Microſtromatum ad eundem de laudibus Tritbemianis lib. VII.*
19. *Clypeus, qui & elogium ejusdem Tritbemii* ad Gerhardum Baldevin *adverſus ſugillationes Jacobi Wimphelingii...*

quorum ipſe mentionem facit.

De his verò aliíſque lucubrationibus agit ipſe Piemontanus variis in locis; & quidem in aliquâ ad *Flaminginm* epiſtolâ, *jam pridem*, inſit, *in Tritbemii laudem duo opera vel ex alienis conſtruxi impenſis; majus quidem proſâ in* xvi. *diſtinctum libros* Jacobo noſtro; *minus verò elegiaco metro compoſitum Doctori* Kinzingio *gentili meo nuncupavi.* Macro-*primum, alterum* Micro- *intitulavimus*- Stroma, *quantitatem utriusque deſignante vocabulo, quòd illud* majus, *hoc* minus *habeatur...* Et in Apologia, quam ad Joan. Trithemium ſcripſit pro lucubrationibus ſuis, brevem quemdam operum ſuorum pertexuit catalogum his verbis: *Scripſi igitur inprimis elegiaco metro, more eorum, qui per pulpita ad concionem declamant, ad Dom. meum Abbatem ingenii noſtri pericula facientem contra ignaviæ cultores,* de malis, quæ ex ea proveniunt in religione, *carmen clauſtrale trimcriſticum; in tres etenim libros illud ob prolixitatem ſuam diviſimus, in quorum primo de erroribus inſtudioſorum & illiteratorum, carnaliúmque officialium fratrum poſt aliqualem prius poſitam commendationem ſcientiæ & virtutis, quas in antiquis patribus magnoperè admiramur & laudamus, oliquid digeſſimus... In ſecundo autem quæ ex privotis fratribus otio & ignaviæ jugiter in cella deditis oriuntur mala pariformi Satyrâ prodidimus. In tertio utrosque obiter blandè demulcendo de priſtinis ſuis errotibus & ignaviis ad ſacratioris Philoſophiæ ſtudium rurſus in Ordine exemplo veterum excolendum, conatu, quo potui, revocavi, ſimúlque metro pro Novitio in religione proficere cupiente* de bonis moribus *adjeci libellum unum... Ultra hæc ſcripſi carmina quædam panegyrica, è quibus extat* ad Jacobum noſtrum *liber unus, nec non ad* Aleydem *ſanctimonialem in Inſula Rolandi doctiſſimam liber unus... Scripſimus præterea ad eandem de* ſtudioſis Mulieribus *libros duos, quos pro conſolatione & confortatione illius in ſtudiorum palæſtra laborantis, contra detrahentium ignaviam ex* Philippo *Bergomenſi Hiſtoriographo, & aliis paſſim collectas breviuſculo ſermone comportavimus. Potiſſimùm tamen hujus conſcriptionis provinciam prius ad petitionem Virgunculæ cujusdam Nobiliſſ. viri, quem vulgo* Divitem *nominant* Franconem *Domini ſcilicet ſororii noſtri filiæ in ſuperiori Inſulâ tam bonarum literarum, quàm Virtutum ſtudio ſub religionis habitu Deo incipientis famulari, aggreſſi fueramus, quam dum matura admodum mors ante è medio tuliſſet, quàm opuſculum illi miſiſſemus, placuit huic noſtræ ſorori in Chriſto amantiſſimæ poſtea dedicare... Item ſimili compilationis ſtudio compoſui ad* Gertrudem *præfatæ* Aleydis *conſororem pictricem nobiliſſimam* de claris Pictricibus libellum unum. *Edidi etiam de quibusdam geſtis* ſynchronicon *libro uno comprehenſum.* Hodeporicon *quoq; meum ſeu* Intinerarium vitæ *ad germanum fratrem meum* Philippum *tribus deſcripſi libellis...* Hæc ipſe Piemontanus.

& argumenta indicat.

Ejus verò diſcipulus Jacobus Syberti in epiſtolâ ad Trithemium: *Mittimus*, inquit, *carmina noſtra contra Zoilos tuos laudiſona, jam pridem per Priorem noſtrum* Joannem Piemontanum *indefeſſo ſtudio compilata... Edidit præterea grande volumen multâ operâ comportatum ad tui nominis laudem, mihíque dicatum, in quo videtur omnes ingenii ſui nervos excitaſſe, tantúmque tibi tribuere citra omnem ſimulationem, ut me (quem dudum tenuit ſuper TE rebúsque tuis magna admiratio, tùm propter omnium rerum*

Jacobi Syberti ejus diſcipuli,

notitiam, *tùm propter animi tui magnitudinem*, *quâ omnes caſus glorioſè ſuperaſti*) *nunc ſtupor & extaſis quædam raperet... Eſt inſuper opus ejusdem ſub incude*, *quod* Protaſin *vocat*, Additio *videlicet* libri tui de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *tuo*, *ut auguror*, *nomini ditandum*, *imitatus in hoc* Jacobum Wimphelingum; *opus certè pergrande atque magnificum*, *quod dùm perfectum fuerit*, *ſollicitabimus*, *ut ad TE perveniat...* De eodem *Paulus Langius* Poſavienſis monachus in ſuo adverſus Wimphelingi deliramenta libello hæc reſcribit: *Joannes Piemontanus Prior B.V.M. in Lacu metro exercitatus & proſâ*, *ſcripſit ad Joan. Kinzingium artium & medicinæ Doctorem librum unum metricè de laudibus prælaudati* Trithemii *noſtri*, *quem intitulavit*, Deuteroſtroma chiliaſtichon. *Edidit etiam grande volumen* de ſeptem ſcientiis liberalibus, *revera laborioſum & utile opus*, *quod ego ipſe meis vidi biſce oculis. Incepit & nuper librum de viris illuſtribus conſcribere &c.*

Pauli Langii,

Addit porrò *Joannes Schæfferus* ejus loci Chronographus ineunte ſeculo XVII. clarus, Piemontanum ſcripſiſſe inſuper *Tractatum quemdam egregiis inſperſum documentis & inſtructionibus ad R. D.* FRIDERICUM *novellum Abbatem S. Joannis in Rhingaviâ*, *de regimine ſeu cura clauſtrali*; cujus exordium: *Cùm nonnullos ad regimen clauſtrale...* Laudavit præterea oratione eruditâ & fraternæ dilectionis odore fragrante *P. Jacobus de Vredis* monaſterii Lacenſis Ven. ſenem, in quâ pulcherrima ſeverioris diſciplinæ hortamenta & exempla interſerit, quæ poſtmodùm libello uno collegit *Fr. Valerius de Meyen* hoc exordio: *Sacerdotes ejus induam ſalutari...* Edidit ad hæc Tractatum, quem vocavit *Clypeum in deliramenta Jacobi Wimphelingi*, qui fidem & exiſtimationem *Joan. Trithemii* in dubium vocare evulgatis literis conabatur: cujus opuſculi exordium ſic habet: *Qui jam dudum amantiſſime Gerharde! lucubrationum mearum....* Collegit etiam uno volumine omnes omnium operum Joannis Trithemii graviores digniorésque ſententias non inutili labore hoc initio: *Superioribus libellis hujus operis Jacobe ſtudioſiſſime granatophile... Sed & immenſo*, inquit, *vaſtóq; laudum Trithemianarum complexu*, *fœcundiſſimi ingenii merito neſcias*, *utrum illi plus laudis & gloriæ*, *rerum variarum*, *ſcientiarum & encomiorum Trithemio ornando accumulata copia*, *an ſibi inexhauſtæ mentis admirabilitas adjecerit..* Tantis itaque lucubrationum contentionibus cùm *Piemontanus* ſeram poſteritatem devicerit, hactenus verò latuerit Bibliographis incognitus, hoc elogio ad nunquam intermorituram ejus nominis famam & ſequiorum excitamentum merito ornandus nobis viſus eſt, quo & Lacenſibus ſtimulum ſimul & animos adderemus, ut opuſcula ejus omnia, quæ reperiri poterunt, ſtudioſè colligant, & in publicum emittant... *Ex ſymbolis Cl. V. P. Oliverii Legipont.*

Joannis Schœfferi & aliorum de eodem teſtimonia.

XXXIV.
NICOLAUS ELLENBOGIUS.

† 1543. 3. Junii.

OTtoburani in Suevia Monaſterii Cœnobita doctiſſimus, natus eſt in Biberach anno 1481. die 18. Martii Patre *Udalrico Ellenbog de Veldkirck* Medicinæ Doctore, Matre *Margareta Weberin.* Adoleſcens Heidelbergæ ſtuduit; inde in Poloniam digreſſus Mathematicis ſcientiis, ac præſertim Aſtronomiæ operam dedit. Hinc in Sueviam reverſus amicorum conſilio Galliam petiit, & in celebri eo tempore Montiſpeſſulani ſtudio Medicos audivit cupiens paternæ artis hæres fieri. Ibidem dum ſubſiſteret, rogatus à quodam Doctore comitem ſe junxit itineris quatuor dierum ad montana Scaſconiæ, ubi in arce moratus tandem ad Monaſterium quoddam Monialium devenit, in quo dies manſit ferè quindecim, ibíque Deo inſpirante mundi laqueos cogitare cœpit, quos ut evaderet, religionis ingreſſum vovit, & in patriam regreſſus Ottoburanū celebre tum temporis à bonarum literarum cultu Monaſterium ingreſſus eſt anno 1504. Bibliothecæ ſubinde Præfectus, eam in meliorem redegit ordinem; œconomum quoque egit decem annis; tum precibus, ut quietè in cella ſtudiis vacare liceret, tandèm obtinuit. Novitiorum præterea Magiſter extitit, quin & juniorum in artibus inſtitutionem in ſe recepit, ac denique ſervando Gregi *Prioris* nomine præfectus fuit, quo in munere plurimùm collaboravit, ut ſcholæ pro religioſa Monaſteriorum Sueviæ juventute in ſolidioribus diſciplinis inſtruendâ per confœderatos Abbates Campidonenſem, Zwifaltenſem, Weingartenſem, Wiblingenſem, Ochſenhuſanum, Elchingenſem, Donawerda-

Ejus Natales & ſtudia.

Religionis ingreſſus, & munia.

werdanum, Urſinenſem &c. Ottoburæ erigerentur. Tanto autem diſcendi flagrabat ſtudio, ut jam Sexagenarius linguarum Orientalium publicam lectionem cum aliis audire voluerit; quā obrem petitā ab Abbate ſuo licentiā, repulſam cùm tuliſſet, graviter conqueſtus eſt in quibusdam epiſtolis. Artem tornatoriam, dum vacaret à ſtudiis, præ cæteris exercuit; Vacabat autem ſubinde, quòd capite eſſet debiliori, ut ipſe frequenter meminit ſuis in epiſtolis. Librorum quos habere poterat, verus helluo, perpetuæ eorum lectioni incubabat. Paralyſi ad extremum correptus vivere deſiit anno 1544. die 3. nonas Junii ætatis LXIII.

obitus & epitaphium.

Ejus porrò epitaphium tale ſuperat à F. Bartholomæo Stellā Wiblingenſi Monacho poſitum:

Filius hic docti Patris Ellenbogius alto
More hominum ſomno rite ſepultus adeſt.
Vir pius atque bonus, Muſarum fidus amicus,
Nurſinique Ducis Religione nitens.
Vivus & inſignes artes prudenter amabat,
Mortuus huic mundo gaudia ſumma tenet.

Virum egregiè doctum fuiſſe non ſolùm in latinis, græcis, hebraicisque literis, ſed etiam in Theologicis, Philoſophicis, Medicis, Mathematicis, aliisque melioribus diſciplinis demonſtrant reliqua ejus ingenii monumenta hinc inde diſperſa, quorum collectionem luculentam, quemadmodùm Em. Card. QUIRINUS vocat, haud ita pridem adornaverat Cl. P. *Michaël Reichbeckius* Ottoburanæ Bibliothecæ Præfectus, *Montefalconio* dicandam ſub tit: *Conſpectus vitæ & Scriptorum Ellenbogii*, ſive *Anecdota Bibliothecæ Ottoburanæ* &c. quam tamen collector ipſe poſteà Superiorum exaſperatus duritie Vulcano tradidit. Superant verò in manuſcriptis nonnulla omninò digna,

Ingenii partus.

quæ in lucem publicam proferantur, videlicet 1. *Commentarius in Regulam S. Benedicti.* 2. Tractatus quidam Polemici contra Lutheranorum errores *de bonis operibus; de Religioſis & vita monaſtica, de dolis & machinis heterodoxorum; de Sanctorum cultu, Reliquiis, imaginibus; de purgatorio & mortuorum ſuffragiis.* 3. Miſcellanea quædam ſecundùm ordinem librorum & Capitulorum Bibliæ. 4. Volumen epiſtolarum ad *Vitum Bildium* Acropolitanum Ss. Udalrici & Afræ apud Auguſtam Monachum. Et alia quædam nobis incognita. *Ex ſymbolis P. Oliverii.*

XXXV.

GREGORIUS CORTESIUS S. R. E. Cardinalis.

†1548. 21. Oct.

CUjus Purpurati Patris vitam literariam hic damus, ex nobiliſſima *Corteſiorum* familia originem duxit: quæ quidem, teſte *Planuſio Campano*, in libro de Familiis Italicis, à tempore Caroli Magni, Mutinam novam ab eodem ex ruinis antiquæ Mutinæ, à Gothis Longobardisque deſtructæ, reædificatam, habitare cœpit. Hæc enim *Corteſiorum* familia à quodam Imperiali Vicario nomine *Ludovicus Cortes* inter Gallos nobiliſſimo ortum ſuum habuit, qui cùm eſſet à conſiliis *Pipini* Regis Italiæ, Caroli filii, civitatem illam inhabitavit.

Ejus Natales,

Ex ea igitur *Gregorius* hic noſter natus, ab ineunte ætate præceptore uſus eſt *Severo Varino* Familiæ Ciſtercienſis Monacho, viro id temporis longè doctiſſimo. In hujus ſchola ita profecit, ut præter Etruſcam, *Latinam* & *Græcam* linguas apprimè perceptas haberet, Philoſophorum & Theologorum arcana perdiſceret, atque acerrima vi ingenii divinæ paginæ myſteria perveſtigaret.

in linguis, moribus, & ſcientiis, à Severo Varino inſtruitur.

Hujus præclaræ inſtitutionis laudes ipſe *Gregorius* texit in epiſtola ad *Severum* his verbis. „ Nemo te mihi eſt amicus antiquior, nemo magis conjunctus, nemo cui æquè omnes ſtudiorum meorum qualescunque fructus acceptos referre debeam. Non enim memoria nobis excidit, nec excidet profectò aliquando, cùm tu jam tum princeps Ordinis tui, atque adeò maxima dignitate prædirus, me adoleſcentulum, & adhuc in literis balbutientem, tantum aberat, ut ſperneres, ut ultrò etiam facilitate comitatéque tua ad continuum contubernium ſemper provocâris. Cùm noctes diésque me quietem ſtudiorum tuorum interpellantem, non modò non repellebas, ſed ne vultu quidem ſubtriſtiore moleſtè id ferre unquam mihi viſus fueris. Reſonant adhuc in auribus meis ſanctiſſimæ illæ adhortationes, & graviſſima præcepta, quibus me aſſiduè & ad bonarum literarum ſtudia, & ad Chriſtianam pietatem hortabare. Cùm ea Ordinis gravitate, quā tunc eras, etiam circa incunabula mea cùm latinarum tum græcarum literarum, mecum, ut ita dicam, repueraſcere non gravareris, ut ad ea,

„ ad quæ verbis me hortabare, te
„ ipſum ducem, & prævium nobis
„ exhiberes. „

Juri Civili & Canonico Bononiæ & Patavii operam navat.

His verò literis, quarum cognitione à *Severo Varino* GREGORIUS imbutus erat, non contentus, Juri Civili atque Canonico Bononiæ primùm, poſteà Patavii inſignem operam per annos quinque navavit, nullúmque ſeu elegantioris ſeu ſublimioris doctrinæ genus fuit, quod ille non ad unguem calleret. Etſi verò ad ſtudia juridica ſe contuliſſet, æquo tamen animo pati non potuit, ſermonis nitorem atque elegantiam, quam tanto ſibi labore & ſtudio comparavit, barbarorum ſordibus maculari. Seu Græcè, ſeu Latinè ſcriberet, mirè elegans erat, ita ut *Gualterius Corbetta*, vir multiplici literarum eruditione optimè præditus, ad *Joannem Moronum* Cardinalem dicere ſolitus ſit, ſe multos quidem literarum græcarum & latinarum ſtudioſos vidiſſe, in utroque autem genere conſummatum æquè, ac *Gregorius Corteſius* eſſet, inveniſſe neminem. Quamobrem apud *Joannem Cardinalem Medicæum* tanto in honore & pretio fuit, ut eum ſibi ab epiſtolis, negotiíſque domeſticis eſſe voluerit. Quo munere ita præclarè functus eſt, ut etiam Cardinalis (qui ad ſummi Pontificatûs faſtigium, aſſumpto *Leonis Decimi* nomine poſteà evectus fuit) *Cauſarum Auditorem*, ut vocant, eum ſibi delegerit. Suſceptâ provinciâ non ita diu illam adminiſtravit; cùm enim oneris litigiorum ac laborum eſſet plena, ipſe verò ad ſacrarum Literarum ſtudium, vitámque in quiete tranſigendam divino inſtinctu pertraheretur, ea ultrò ſe abdicavit. Sibi redditus, in religioſam Divi Benedicti familiam ſe ſolemniter dicavit in cœnobio, quod in agro Mantuano ab eodem ſancto Legiſlatore nomen ſortitum eſt.

Sermonis nitore & græcâ linguâ eminet.

ex Auditore Cauſarum

fit Monachus.

Ab inſtituto Monaſtico retrahitur.

Quæ res cùm Cardinalem non minimâ moleſtiâ afficeret, ſcripta ad *Gregorium* epiſtola, petiit certior ab eo fieri, quibus rationibus adductus, id conſilium ſecutus fuerit. Poſtremò plus amori quàm religioni concedens, perſuadere nitebatur, ut immutato conſilio ad priſtinum vivendi genus & ad conſuetudinem ſuam omninò reverteretur. Cui verò *Gregorius* in hæc verba reſcripſit: „ Ego verò pro ejus-
„ modi amore, immortales tibi gra-
„ tias ago, video enim adhortatio-
„ nem iſtam tuam ab amiciſſimo ani-
„ mo proficiſci, eóque te decipi, quòd
„ hoc vivendi genus, ut plerique om-
„ nes, omnino improbandum eſſe du-
„ cis. Quòd ſi & animi mei indolem
„ memoria teneres, & ea quæ tecum
„ ſæpiùs locutus ſum, nequaquam
„ me novum hoc genus vitæ ſequi vel-
„ le, tantoperè admirareris: magis
„ autem nunc demùm id me arripuiſ-
„ ſe tibi eſſet admirandum. Satis
„ enim, ex quo me in numero dome-
„ ſticorum tuorum aſcripſiſti, à te
„ cognoſci potuit, nihil adeò animo
„ meo impreſſum, inſculptúmque eſ-
„ ſe, quàm ut omninò ex Chriſtiana
„ pietate vitam agens, iis potiſſimùm
„ ſtudiis operam darem, quibus &
„ animus excoli poſſet, & ea, quam
„ tantoperè deſiderabam, vera religio
„ intelligeretur, ad quam in poſterum
„ tanquam ad certum deſtinatúmque
„ locum, omnes cogitatus meos di-
„ rigere poſſem. Id verò cùm perſua-
„ ſum mihi eſſet, inter hominum tur-
„ bas & fori jurgia me aſſequi non
„ poſſe, in religionis portum me con-
„ tuli. Non quòd in communi hac
„ omnium hominum vita ſalutem in-
„ veniri poſſe non ſuſpicer, ſed quòd
„ jam inde ab ineunte pueritia, pra-
„ vis admodùm conſultoribus uſus,
„ ambitione ſcilicet & quærendi cupi-
„ ditate, quæ quicunque mihi erant
„ à latere, ut animo meo altiùs infi-
„ gerent, ſummoperè laborârant, ejus-
„ modi laqueis me impeditum eſſe
„ ſentiebam, ut niſi omninò immu-
„ tato vitæ genere, non ſtudiorum,
„ non Chriſtianæ pietatis, non liber-
„ tatis denique ratio aliqua à me ha-
„ beri poſſet, vixdum enim decimum
„ & ſeptimum ætatis annum attige-
„ ram, cùm me fratres inſigniis ejus
„ dignitatis ornari fecerunt, cui à do-
„ cendo vulgò nomen inditum eſt;
„ cùm jam quinquennium Juriscon-
„ ſultis operam dediſſem, ſtatímque
„ inter domeſticos tuos adſcriptus,
„ curam abs te accepi audiendarum
„ litium. Hic verò nemo melius te
„ ipſo teſtatam animi mei moleſtiam
„ poteſt deprehendere: ſcis enim
„ quantoperè angi conſueverim, cùm
„ ab honeſtioribus diſciplinis & ſacra-
„ rum præcipuè literarum ſtudiis, ob
„ lites & jurgia retrahebar, bis dein-
„ de, intra menſes ſeptem, graviſſima
„ vi morbi afflictatus, cùm omnes Ro-
„ manum cœlum nobis aufugiendum
„ eſſe clamarent, Mutinam me con-
„ tuli: ibi verò cùm ocij ſpes aliqua
„ ſe mihi primo obtuliſſet, repente
„ gentilis quidam meus, qui pro Mu-
„ tinenſi

Quod ipſe tamen conſtanti animo retinet.

ſua in ſeculo fata commemorat.

„ tinenſi Epiſcopo jurisdictionis ſacrorúmque procurationem habuerat, è medio ſublatus eſt, tum verò me invitum & reluctantem propinqui neceſſariíque idem munus obire coegerunt. In quo cùm non corporis ſolùm mentisque laborem, ſed maximum etiam animi periculum experirer, omni ſtudio diligentiáque cogitare cœpi, ſi qua ratione difficillimis illis laqueis me expedire poſſem, nulláque mihi viſa eſt opportunior, quàm ſi ex ejusmodi tempeſtate in cœnobii alicujus portum effugiſſem, ſtatímque ſe mihi obtulit collegium hoc Divi Benedicti Mantuani, in quo jam menſes quatuor ſolutus omnibus curis, quæ anteà animum meum exedebant, totus in ſacrarum Literarum ſtudiis, & in ſacrificiis divinarum laudum conquieſco, fruórque literato, & gratiſſimo ocio, à quo ſi me tevocare iterùm tentaveris, ſponſæ verbis ex Salomonis Epithalamio tibi ſum reſponſurus: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Et ut finem aliquando faciam, libenter omnes Romanos faſtus, libentiùs delicias, libentiſſimè animi corporísque pericula vobis derelinquo, qui & generoſiore indóle, & excelſiore animo præditi, per ejusmodi ſenticeta illæſi poteſtis incedere. Ego verò in minima cellula deliteſcens, præclarè mecum agi putabo, ſi prioribus vitæ vulneribus cicatrices à me obduci potuerint. Vale. „

Quæ ut effugeret, in cœnobio ſe abdidit.

Perſtitit igitur *Gregorius* in vita monaſtica, quàm prudenter cœpta, tam religioſè à ſe excultâ. Literis verò, quorum ſtudio mirum quantum afficiebatur, eam operam dedit, ut nomen boni Religioſi potiùs quàm docti appeteret. *Nunquam*, inquit in Epiſtola ad Chriſtophorum Longolium, *nunquam ita docti inane nomen appetii, ut non longè magis deſideroverim non haberi modò, ſed etiam bonum virum eſſe. Ut etiam ſi alterutrius facienda eſſet jactura, næ ego haud paulò malim id propter quod potiſſimùm cupimus docti eſſe, quàm non vanam modò & inutilem, ſed etiam eo pacto pernicioſam doctrinam.*

Ejus animi modeſtia.

Per ea tempora Lerinenſe in Gallia Monaſterium in com̃endam habebat *Auguſtinus de Grimaldis*, Graſſenſis Epiſcopus, generis proſapiâ, doctrinæ copiâ, ac virtutum ornamentis ſummè conſpicuus; qui cùm pro comperto haberet, in Congregatione Caſinenſi bonas literas cum diſciplinæ monaſticæ obſervantia majorem in modum florere, Lerinenſe Aſceterium eidem ſubjecit & univit. Quò factum, ut *Gregorius Corteſius* cum aliis quibusdam, piiſſimis juxtà ac doctiſſimis Monachis eò mitteretur. Tum verò otio literario, quod quidem in legendo ſacro codice aut pervolutandis ſanctorum Patrum ſcriptis conterebat, nihil beatius optabiliúsque ſibi contingere poſſe exiſtimavit. Sæpiùs verò eum Monœci apud Graſſenſem Epiſcopum, quo ſummo Mæcenate utebatur, dies complures oportebat eſſe; unde cùm aliquando ſe licèt difficillimè explicâſſet, ad ſtudia ſua reverſus, totum ſe in literis abdidit, & cum ſodalibus, qui pari amore tenebantur, otio honeſtiſſimo perfruebatur. Ex ſtudiis verò ſuis hunc etiam fructum præclariſſimum percepit, quòd virorum cùm doctrina tum dignitate ſummorum gratiam eruditionis opinione collegerit; qui univerſi ex ejus literarum elegantia ita de ipſo ſentiebant, ut doctorum omnium ſine controverſia ordinem ipſum ducere exiſtimarent, principémque Corteſium in ore haberent, quotiescunque de hominibus eruditiſſimis inferebatur mentio. Nec pauci fuerunt, qui ut ejus alloquio coràm fruerentur, in Inſulam Lerinenſem, ſuſceptis magnis itineribus, ſe contulerunt. Ex his referre licet *Stephanum Saulium*, *Chriſtophorum Longolium*, *Benedictum Theocrenum*, quem philoſophicis doctrinis inſtituit, quíque deinde Regis Galliarum filii juventutis moderator fuit. Subinde *Corteſio* in mentem venit, collegium doctorum virorum in Inſula Lerinenſi excitare; ſed huic conſilio, quod doctiſſimis quibusque mirificè probatum fuerat, captivitas Regis *Franciſci* ad urbem Ticini interceſſit. Poſteà *Corteſio*, licèt invito, ex Lerina ſolvendum fuit. Cauſa profectionis fuit parùm proſpera valetudo, qua graviter laborare cœpit ex diſtillationis aſſiduæ à capite in pectus acerbiſſima moleſtia; quæ infirmitas non procul abeſſe putatur à vitæ periculo, præſertim cùm accedit ſtudiorum labor, & vocis in ſacro odæo penè aſſidua contentio. Ita verò, tametſi ægrotaret, virtutibus ac regulari obſervantia enituit, ut recuperata valetudine unus communi ſuffragio dignus ſit judicatus, qui omnibus præficeretur. Cùm verò *Vitalis* Monachus ei per literas ſignificâſſet, ſe, ut

Ad Lerinenſes accerſitur.

Summorum Virorum gratiam colligit,

pluréſque ad ſe diſcipulos allicit.

ſiniſtrâ valetudine afficitur.

Corte-

Corteſius hujus dignitatis culmen aſſequeretur, omnem operam & ſtudium adhibuiſſe, illi quidem pro tali voluntate gratias habuit, hoc tamen ipſum etiam ſcire voluit, nihil unquam ſibi acerbius accidiſſe, nihilque poſthac accidere poſſe, quod gravius ferat, quàm moleſtiſſimum ejusmodi adminiſtrationis onus. Epiſtolam ſanè digniſſimam, quæ ab ambitioſis Prælaturarum & Magiſtratuum candidatis térque quatérque legatur. Abbatis igitur infulis decoratus, primùm S. Petri Peruſini cœnobium, deinde S. Benedicti Mantuani, tum varia Monaſteria eâ prudentiâ & diſcretione gubernavit, ut non modò omnibus admirationi & incitamento ad virtutem eſſet, ſed & vulgari elogio *dulcis & ſapiens Abbas* nuncuparetur. Cum *Reginaldo Polo*, quo tempore Abbas erat S. Georgii Majoris Venetiis, magna ipſi neceſſitudo interceſſit, de qua plura habet Em. Card. Quirinus in Diatriba ad Card. Poli Epiſtolas.

Abbas invitus renuntiatur.

Rei Bibliothecariæ,

Per annos ſui regiminis de re bibliotbecaria haud parùm ſollicitus fuit. Præſtantiſſimos quosque libros quà Græcos quà Latinos pro inſtruendis monaſteriorum Bibliothecis undique magnis ſumptibus comparavit. „*Sunt jam apud nos*, inquit in Epiſto„la ad Dionyſium Faucherium, *ferè* „*omnes antiquorum in ſacros libros com*„*mentarii, in quibus legendis eâ ratio*„*ne afficior, ut tandem videar mihi oc*„*cultiſſima myſteria, atque ut ita dicam* „*adyta penitùs ingredi poſſe, & nunc* „*demùm intelligo, quàm nihil ſcire poſ*„*ſint in ſacris Literis, qui græcæ lin*„*guæ ſunt omninò ignari.*„

& ſermonis nitori conſulit.

Illud etiam *Corteſio* in acceptis referri debet, quòd tersè, purè, & nitidè ſcribendo operam adhibuerit, ut Theologiæ & Philoſophiæ venuſtas orationis, tanquam duabus matronis debitus cultus & decor reſtitueretur, quo per injuriam exſpoliatæ, ſquallentes diu obſoletæque jacuerant.

Ut ſibi magiſtratu abire liceret, quo reliquum ætatis in optimis & artibus & ſtudiis collocare poſſet, haud ſemel à Superioribus petiit; ſed cùm his ſecùs videretur, eorum voluntati acquievit.

Doctrinæ igitur, prudentiæ, probitatis, cæterarúmque ejus virtutum fama longè latéque pervadente, cùm S. Georgii Majoris Venetiarum Abbas eſſet, à *Paulo III.* acerrimi judicii Pontifice, Romam eſt accerſitus, ut unà cum aliis doctiſſimis & integerrimis Viris, quæ ad Dei gloriam, & Eccleſiæ reformationem magis conducere viderentur, ſibi proponeret, & optimis conſiliis adeſſet, in arduis illis Catholicæ Eccleſiæ anfractibus, ut refert *Antonius Caracciolus*, Clericus Regularis, in vita (m) Mſs. Pauli IV. qui tunc *Cardinalis Caraffa* vocabatur. Ejusdem Cardinalis Caraffa operâ haud ita multò pòſt ab eodem Paulo III. *Corteſius* Viſitator Apoſtolicus per totam Italiam conſtitutus fuit, indéque in Germaniam miſſus; eos inter Theologos *Thomæ Campeſio* Apoſtolico Nuntio comites datos, qui rebus fidei conſulerent, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſolemníque Colloquio Wormatienſi, à Catholicis & Heterodoxis celebrando, præſentes eſſent, anno 1540. In ea regione graviſſimis laboribus pro Religione perfunctus, cùm in Italiam rediiſſet, ac Monaſterio S. Benedicti propè Mantuam adhuc præeſſet, ab eodem *Paulo III*, ſacro Senatu miro conſenſu approbante, anno 1542. die ultima Maji Pontificatûs ſui octavo Cardinalis tituli S. Cyriaci in Thermis fuit renuntiatus, creatúsque Epiſcopus Urbinas (conceſſo quoque privilegio, ut purpureo uteretur amictu, quod etiam idem *Paulus* Cardinali *Philippo à Camera*, Gallo, paritérque Benedictino anteà indulſerat, *ne colore differrent, qui dignitate ſunt pares*) Cæterùm miris eum laudibus cohoneſtavit *Paulus* literis ad eum datis; cui *Corteſius* binis aliis epiſtolis elegantiſſimè ſcriptis reſpondit, ac gratias egit.

Romam à Paulo III. accerſitꝰ, variis legationibus fungitur.

A. 1542. Cardinalis & Epiſcopus creatus,

Gregorio ad purpuram aſſumpto humaniſſimis literis gratulati ſunt viri graviſſimi, *Petrus Bembus, Jacobus Sadoletus, Joannes Moronus, Rodulphus Pius, Guido Aſcanius Sfortia, Joannes de Salviatis*, Cardinales, Collegium Mutinenſium Canonicorum, *Dionyſius Faucherius*, aliíque plures Prælati & Abbates. Ipſe verò *Gregorius*, Alphonſo Ciaccono (n) teſte, nihil ob novam dignitatem candoris, nihil probitatis, nihilque antiquæ comitatis amiſit; ſed potiùs omnibus gratus, in ſacrarum Literarum ſtudiis innocenter ac piè noctes diésque tranſegit. Cum doctiſſimis viris per totam ferè Europam familiaritatem, & frequens per epiſtolas colloquium habuit; à *Bembo* & *Sadoleto* Cardinalibus celebratus ob ingenium

Nihil candoris & ſtudii in dignitate remiſit.

(m) Tom. I. pag. 55. apud Aimell. part. 1. p. 134. & Card. Quir. in laudata Diatriba.
(n) Tom. 2. col. 653. & ſeq. edit. Rom. 1677.

nium propè divinum, atque excellentem doctrinam; ab aliis etiam Cardinalibus, ut à *Joanne Mediceo*, & *Joanne Morono*, aliiſqne doctrinâ illuſtribus Viris, *Chriſtophoro Longolio* ſcilicet, *Benedicto Theocreno*, *Federico Fregoſio*, *Stephano Saulio*, *Pamphilo Saxo*, *Dionyſio Faucherio*, aliiſque compluribus literas amoris, & optimæ de ejus virtute opinionis teſtes accepit.

Vivere deſiit A. 1548. In eo culmine annos ſex omninò verſatus, quo tempore nunquam carni & ſanguini ut acquieſceret, perſuaderi potuit (erat enim vir integerrimus) ad Superos evolavit Romæ an. Domini 1548. 12. kalendas Novembris, & in Baſilica duodecim Apoſtolorum, conditus fuit, ante altare S. Eugeniæ. Morti proximus familiari ſuo adſtanti dixiſſe fertur: *Ecce jam pluribus annis Cardinalis fuimus; quid autem nunc supereſt de hoc honore? quando ſatius fuerat in Religione mori, ubi minus erat animæ periculum.* Quæ ſanè verba ad eliminandam ambitionis peſtem utinam Regularium omnium imis cordibus inſigerentur. Plures clariſſimi ac doctiſſimi Cardinalis lucubrationes temporum injuriâ, vel majorum negligentiâ perierunt, haud parva equidem ReipublicæLiterariæ jactura. Quæ verò ſuperſunt, hæc ſunt.

Ejus ingenii partus. 1.) *Tractatus adverſùs negantem, Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe.* Inſcriptus eſt *Adriano VI.* Pont. Max. impreſſus verò poſteà Venetiis apud Franciſcum Franciſcium Senenſem A. 1537. in 4. Hunc Tractatum *Ludovicus Ellies Dupin* Novæ Bibl. Eccleſ. Tom. XIV. p. 587. diligenter ac ſummatim recenſet, & eximiè commendat: nihil elegantius, & venuſtius hac ſcriptione legi poſſe dicens: *Erat enim*, inquit, *ſapiens, moderatus, æquus, omnibúſque prærogativis, quæ boneſtum virum, optimúmque Scriptorem decent, perquàm ornatus.*

2.) *Epiſtolarum Familiarium Latinarum Lib. I.* Venetiis apud eundem eodem anno in 4. Uterque liber operâ Herſiliæ Corteſiæ de Monte, cui Gregorius fuerat patruus, Gregorio XIII. ab ea dicatus, prodiit. Vix ullas à viris doctis ſeculo XVI. ſcriptas epiſtolas reperias, quæ priſcâ illâ elegantiâ, nitore, candore, humanitate & judicio Corteſii epiſtolis anteponi debere videantur. Unde eaſdem plurimi ab eruditis fieri, ex vero teſtatur Pet. Ricord. in Hiſt. Monaſt. & Em. Card. Quirinus in Diatriba ad Regin. Poli Epiſtolas.

3.) *Poëmata* ad imitationem Catulli, Venetiis ex officina Aldi, ſimul cum opere Sannazarii de Partu Virginis; de quibus Jo. Mathæus Toſcanus in *Peplo Italiæ* ita cecinit:

Quis neget hoc magnum, tot ubi poſt ſecula primus
Tractas Catulli Barbiton!
Sed nimium laſciva tui quod plectra Catulli
Ad digniorem uſum vocas,
Cœlicolûmque dicas regi, debere fatetur
Tibi Catulli barbitos.

4.) *Quàm plurima Carmina in laudem D. Petri Apoſtoli*, quæ impreſſa reperiri autumat Plac. Rom. in Supplem. de Vir. Illuſtr. Caſin. cap. 31.

5.) *Carmen Saphicum de Vita S. Honorati Arelatenſis Epiſcopi.* Incipit: *Unde reſplendet jubar hoc coruſcâ luce?*

6.) *Lerinenſis Inſulæ & Cœnobii laudes* eodem carmine. Incipit: *Parva ſed felix meritis Lerina.* Inſeruit Corteſius hoc Poëma epiſtolæ ſuæ ad Heliſeum Monachum; unde depromptum fuit à *Vincentio Barrali Salerna*, qui illud initio Chronologiæ Lerinenſis exhibet Lugduni 1614. Hanc editionem præceſſit ea, quam Angelus Griſelli è Congr. Caſin. accuravit Venetiis apud Vincentium Accolti anno 1575. ad calcem Hiſtoriæ Monaſticæ. vid. Armell. part. 1. pag. 30.

7.) *In Deiparam Virginem Hymnus carmine Glyconico Pherecratio*, qui impreſſus fuit in Tom. 3. Operum *Titi Proſperi Martinengi.* Eſt carmen in Annuntiationem Deiparæ. Incipit: *Suave dicite Virgines Carmen.*

8.) *Novum Teſtamentum Vulgatæ editionis correctum & reſtitutum.* Impreſſum Venetiis apud Juntas teſte Petro Ricordato, loco ſuprà dicto.

9.) *De Theologica inſtitutione.*

10.) *De Theologia & Philoſophia Tractatus.*

11.) *De Peccato originali Commentarius.*

12.) *De Poteſtate Eccleſiaſtica Tractatus.* Iſta aliáque refert Marus in annot. ad Supplem. Placidi Diaconi Caſin.

13.) *Hymnorum diverſometro lib. I.* impreſſ. teſte Ant. Teiſſerio, in additionibus ad Elogia deſumpta ex libris Hiſtoriarum Jacobi Auguſti Thuani.

14.) *De direptione Urbis Genuenſis*, impreſſ. teſte eodem ibidem.

15.) *De Viris Illuſtr. Ord. Monaſtici Lib. I.* qui ſublatus fuit ex Bibl. S. Benedicti de Mantua, in qua viridi panno vel corio coopertus aſſervabatur,

ut refert *Wion* Lign. Vit. l. 2. c. 9. pag. 216. Hic etiam impreſſus teſte eodem *Teiſſerio*, penes quem tamen ſit fides. Tranſtulit quoque ex Græco in Latinum Sermonem XVI. S. Baſilii de virginitate, impreſſum teſte eodem.

Ipſi etiam inſignes illos 4. libros in *Magiſtrum Sententiarum* aliqui attribuerunt, nt Oldolnus in Athen. Rom. pag. 287. Torrigius lib. de Scriptor. S. R. E. Cardinalibus, Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſ. ſeculi 15. & 16. cap. 5. art. 2. n. 25. ubi de eo agit, Graveſon Hiſt. Eccl. tom. 7. Colloq. 5. p. 429. Eggſius Purp. Doct. Lib. IV. pag. 590. *ſed non rectè* (inquit Marus loco eodem pag. 36.) *nam eorum verus author fuit* PAULUS CORTESIUS *Protonotarius Apoſtolicus.*

In Epiſtola ad Stephanum Saulium meminit *Corteſius* vaſti cujusdam Operis, cui lucubrando ſe manum admoviſſe, ejúsque caput unum pro ſpecimine ad eundem ſe mittere dicit: *Opus eſt*, inquit, *ut ſcis, cujus non modò coronidem, ſed nec adhuc penè dicam fundamenta poſuimus. Et ſi aliquibus longior in hoc proœmio videbor fuiſſe, debebunt illi ex hoc membro, laxitatis totius corporis conjecturam facere. Excreſcet enim, quod adhuc conjicere poſſumus, in ſex & triginta libros; qui deinceps in ſex tomos, ut faſtidio lectorum proſpiciamus, dividentur. Fortaſſe etiam, ut ſunt mutabilia hominum ingenia, nihil perfecto opere remanebit &c.* Credibile eſt, quod *Corteſius* aliis præpeditus negotiis hoc Opus ad faſtigium non perduxerit.

Quàm plurimi Scriptores *Corteſii* noſtri ſumma cum laude meminerunt. Henricus Spondanus *Græcis Latiniſque literis excultiſſimum* vocat, *Juris quoque conſultiſſimum.* Vide plures apud Eggſium in Purpura Docta, & Armellinum in Bibl. Caſin. part. 1. p. 185. ac noviſſimè Em. Card. Quirini Diatribam ad Epiſtol. Regin. Poli ubi p. 368. ipſi Launoius, magnus ille Polyhiſtor, qui nihil ignorare videri volebat, meritò admirationem movet, dum dicit, *ſe ignorare, an aliquid Corteſius ſcripſerit.* Ejus Opera à Jacobo Thuano diſcere potuiſſet ad an. 1548. ubi ejus laudes ob pietatem, & doctrinam celebrat.

† 1555. 28. Maji.

XXXVI.
ISIDORUS CLARIUS
Fulginei Epiſcopus.

Natus Clarii A. 1495.

ISIDORUS CLARIUS clariſſimum Congreg. Caſinenſis lumen, *Clarii*, quod Oppidum eſt Agri Brixiani, modicis, humilibúsque parentibus natus anno 1495. Parmæ in Monaſterio S. Joannis Evangeliſtæ inter Benedictinos admiſſus anno 1517. die 24. Junii, ſapientià, ac virtute non modò Patriam & Parentes, ſed etiam Italiam, imò Catholicam Eccleſiam illuſtravit; ut enim erat mirabili, celeríque ingenio præditus, adeò profecit in literis; ut præter ſeveriores diſciplinas, Hebraicè, Græcéque doctus, ſub *Paulo III.* toti Romanæ Aulæ admirationi eſſet, ut de eo Ferdinandus Ughellus Ital. Sac. tom. 1. pag. 770. Evectus quidem jam fuerat à Patribus Congr. Caſin. ad Abbatis dignitatem (*ejus enim merita tum in ſcientiis nobilioribus, tum in morum inſigni ſanctimonia perpenderant*) jámque Monaſterium S. Jacobi de Pontida in Diœceſi Bergomenſi adminiſtraverat; quo tempore Concilio Tridentino tanquam Abbas, & Theologus unà cum *Luciano* Mantuano item Abbate Pompoſiano interfuerat; regebátque tunc magnâ cum integritate, ac regularis obſervantiæ laude, Cœnobium S. Mariæ Cæſen. cùm à modò laudato Pontifice *Paulo III.* Epiſcopus Fulginei creatus fuit, qui, ut lucerna ſupra candelabrum poſita, populo ſibi commiſſo, totíque Eccleſiæ doctrinâ ac ſanctitate præluxit.

monaſticen induit 1517.

Hebraicè & Græcè doctus, curiæ Romanæ admirationi fuit.

ex Abbate fit Epiſcopus.

Gregem námque adeò accuratè verbo, & exemplo pavit, eximiâ in pauperes charitate, ac in omnes manſuetudine atque patientià, ut Paſtorem planè Apoſtolicum ſibi à Deo donatum Fulginates venerarentur, ac ſibi ipſis de eo gratularentur, nunquam mirari ac laudare deſinentes eleemoſynarum copiam, quibus pingues Epiſcopatûs redditus ferè omnes in egenos impendebat, minimâ eorum parte ſuis, familiæque (*exigua illa quidem*) neceſſariis uſibus attributâ; nec his contentus piiſſimus Antiſtes, duodecim etiam nobiles Viros inſtituit, quibus curæ eſſet, vel ex proprio cenſu, vel ex alienis eleemoſynis, pauperum neceſſitatibus ſubvenire, quæ ſodalitas ſub invocatione D. Martini, etiamnum ibidem perſeverat, ac floret, cùm interim carni, & ſanguini minimè acquieſcens, propinquis, & affinibus nihil omninò elargiri vellet, nec eorum quemquam apud ſe ſubſtentari pateretur; nam fratris filium, qui Fulgineum advenerat eum rogatum penſionem aliquam in exiguæ ſortis levamen, vacuum dimiſit, tenui tantùm ad rede-

Verbo potens & opere.

proventus in pauperes diſtribuit.

undum

undum in patriam viatico donatum, auream illam ſententiam ſubinde proferens, *Non Affinibus ditandis, ſed Pauperibus alendis Eccleſiaſticos cenſus ſibi fuiſſe concreditos.*

Gregem ſollicitè paſcit.

Haud minori diligentiâ Ovium ſuarum animas Chriſtianis virtutibus inſtruendas, quàm infirma eorum corpora miſericordiæ officiis fovenda aſſiduè curabat. Totam idcirco perluſtrans Diœceſim, celebratâque Synodo, ſapientiſſimis eam reformavit inſtitutis, ac ſaluberrimis, quæ inſtituerat, corroboravit decretis; concionabatur quàm frequentiſſimè, & Chriſtianæ, Catholicæq; doctrinæ capita adverſùs ejus temporis Novatores, ut ab eorum peſtilentiâ populum ſuum præſervaret, facundiſſimè explicabat, confirmabátque. In vitia acerrimè invehebatur, ad virtutum ac perfectioris vitæ amorem ferventiſſimè excitabat. Nihil denique prætermittebat, ut Optimi Paſtoris, tum Divini verbi prædicatione, tum ſanctiſſ. operum exemplo, numeros omnes impleret.

Ejus patientiæ ſpecimen.

Inſignis, atque heroicæ ejus patientiæ hoc referunt exemplum plures Authores de eo agentes, quòd cùm improbus quidam, quem ad pacem & concordiam cum proximo ineundam exhortabatur, eum alapâ percuſſiſſet, vir Dei, ne verbum quidem rependit, ſed corde, ac vultu omninò immotus, quâ cœperat via, ire perrexit.

Quantum doctrinâ præſtiterit.

Quantùm autem doctrinâ, ac omnigenâ eruditione præſtiterit, & quàm meritò Sapientiſſimi Viri famam apud doctos omnes obtinuerit, ex librorum ejus lectione facillimè cognoſci poteſt. Orationes utique, quibus populum in Chriſtianâ inſtituit Philoſophiâ, quo animarum zelo, quo ſpiritùs ardore, quâ ſermonis eloquentiâ, elegantiâ & candore, qua denique ſacræ Scripturæ profundâ admodum intelligentiâ præditus fuerit, perſpicuè indicant, magna utique cum legentium utilitate. Hebraicæ namque, Græcæque linguæ ſubſidio, Divinas ſcripturas in ipſo fonte altiùs potavit, puriúſque hauſit, adeò ut antiquis illis, ſanctiſſimis, doctiſſimíſque Eccleſiæ Patribus, ob ſtyli ſimilitudinem, ſermonis gravitatem, majeſtatem denique ſententiarum, meritò conferri poſſit.

Ad Concil. Tridentin. miſſus,

Quapropter miſſus à *Paulo III.* Tridentum (inquit prælaudatus *Ughellus*) ut Concilium ſuo interventû juvaret, *tanta plerumque linguæ facunditate, flumineque ſcientiarum, fidei cauſas peroravit, ut quidquid dixiſſet, à Patribus Concilii pro oraculo haberetur.*

pro oraculo habetur.

His addendum, *Iſidorum* non ſolùm proſâ, verùm etiam ſacra poëſi plurimùm valuiſſe, Græcóſque ac Latinos Poëtas diligenter verſaſſe, quod cùm antea paſſim omnibus notum eſſet, ex nuperâ Epiſtolarum ejus editione, operâ *Benedicti Bacchini*, Mutinæ celebratâ, in quibus identidem egregia quædam ejus Poëſeos ſpecimina proferuntur, liquidò cunctis apparuit. Cæterùm *Iſidorus* ſapientiâ, ac meritis plenus, geſtis quoque præclariſſimis ubique celeberrimus, laborum, ac virtutum præmia in Cœlo recepturus, terras reliquit anno 1555. V. kal. Junii, ætatis ſuæ 60. ſub *Marcello II.* Pont. Max. & *Carolo V.* Cæſare, *cujus ſanctitatis odorem* (ut cum Ughello concludam) *nulla ætas, nulla vis unquam extinguet.* Ei Fulginates inſcriptionem ſepulchralem hujuſcemodi poſuêre.

Mortales deſeruit an. 1555. 28. Maji,

hoc Epitaphium confecutus.

Iſidorus Clarius Brixienſis, Fulgineæ jam ſeptem annis Epiſcopus, vitâ & moribus integerrimus, exemplo, & verbis admirabilis, doctrinâ clariſſimus, Chriſtiana, Græcâque, Hebraica, Latinâ, mira in pauperes charitate ignitus, annum ſuæ ætatis circiter ſexageſimum agens, acutiſſimâ correptus febre, patientiſſime, placidéque obdormivit, ac quadraginta poſt mortem horis, poſt aſſiduam populi deoſculationem, maximis cum lacrymis ejuſdem, non fœtens, certe proh mirum! ſed redolens hìc ſitus eſt die XXVIII. Maji MDLV.

SCRIPTA.

Adhortatio ad concordiam.

1.) *Ad eos, qui à communi Eccleſiæ ſententiâ diſceſſerunt, adhortatio ad concordiam.* Mediolani apud Calvum 1540. in 4. Pariſiis per Nicolaum Divitem; Mutinæ typis Antonii Capponi 1705. accurante doctiſſimo Benedicto Bacchino, qui auro gemmiſque pretioſiorem vocat lucubrationem. In hac verò Adhortatione Iſidorus ab Heterodoxis controverſa diverſo quodam atque inuſitato hactenus modo tractavit, eo ſanè dicendi genere, quod *ab optimo quoque, & amari intelligebat, & profectò eſſe amandum*

exiſtimabat, ut ſcilicet Adverſarii redarguantur quidem, *ſed ita, ut ſemper de reconciliatione & pace cogitetur.*

De modo divitiis adhibendo. 2.) *De modo divitiis adhibendo homini Chriſtiano* ad Concives ſuos Brixianos, ſalutaris *Oratio.* Mediolani apud F. Minicium Calvum anno 1540. in 4. & iterum Mutinæ apud Antonium Capponum anno 1705. in 4.

V. & N. Teſtamenti editio. 3.) *Vulgata editio Novi, ac Veteris Teſtamenti, quorum alterum ad Hebraicam, alterum ad Græcam veritatem emendatum eſt diligentiſſimè, ut nova editio non facilè deſideretur, & vetus tamen hic agnoſcatur, adjunctis ex eruditis Scriptoribus Scholiis &c.* Venetiis apud Petrum Scheffer Moguntinum Germanum anno 1542. in fol. & iterum cum hoc titulo:

4.) *Biblia Sacroſancta Veteris ac Novi Teſtamenti, adjectis ex eruditis Scriptoribus Scholiis, ita, uti eſt, locupletibus, ut pro Commentariis ſint; multis enim certè locorum millibus præſertim difficilioribus lucem afferunt, ex ſecunda Authoris recognitione, Deputatorum Conc. Trid. ſervatâ Cenſurâ* (id eſt præciſis Procemio, ac Prolegomenis) Venetiis an. 1564. apud Juntas in fol. De hoc Opere ſic Ughellus Ital. Sac. Tom. I. pag. 770. „ Bibliam Sa„ cram tranſtulit (nempe ex Hebrai„ co & Græco) additis doctiſſimis „ Scholiis, quæ tametſi per aliquot „ annos Eccleſiaſticam Cenſuram ſen„ ſerint graviorem, authoritate ta„ men deinde Trid. Concilii, dem„ ptis Procemio, ac Prolegomenis, ſtu„ dioſorum deſiderio reſtituta ſunt, „ ut ſcribit Sixtus Senenſis in Biblia. „ Plura vid. apud *Calmet* in Dictionario Hiſtorico-Critico &c. Riccardum Simonium in Hiſtoriâ Criticâ præcipuorum Commentatorum Nov. Teſtam. & alibi; *Hyacinth Graveſon* Hiſt. Eccl. Tom. VII. *Danielem Huet.* libro de Claris Interpretibus, ubi Iſidori partes tuetur contra *Melchioris Cani* cenſuram; denique *Criticos Sacros,* Joan. & Richard. Pearſon, &c.

Scholia in Cantica. 5.) *In Cantica Canticorum Scholia ex Arcanis Hebræorum eruta.* Venetiis apud Ziletum, ſive Jolitos anno 1544.

Orationes variæ. 6.) *Orationes* quatuor habitæ in Concilio Tridentino, nempe Prima *de Juſtificatione hominis.* Secunda *de imputatione Juſtitiæ, & certitudine Gratiæ,* & duæ *de Gloria.* Venetiis an. 1548. in 8. & Lovanii in fol.

7.) Super *Miſſus eſt*, h. e. in cap. I. Lucæ, & ſuper *Canticum Magnificat*, Orationes variæ de Beatâ Virgine, verborum elegantiâ & ſententiarum gravitate, undique refertæ, Venetiis apud Franciſcū Franciſcium 1565.

In Evangelium Lucæ. 8.) *In Evangelium Lucæ Orationes quinquaginta quatuor*, in quibus præter verborum elegantiam & ſententiarum gravitatem, innumeros ferè, tum Novi, tum Veteris Teſtamenti obſtruſiores locos illuſtratos (quod maximum, & præcipuum eſt) Pietas Chriſtiana in primis elucefcit; in publicum prodiere, Venetiis apud Dominicum Nicolinum operâ Benedicti Guidii, &item apud Franciſcum Franciſcium anno 1565. in 4.

In Sermonem Domini. 9.) *In Sermonem Domini in Monte habitum ſecundùm Mathæum, Orationes ſexaginta novem ad Populum*, quibus cuncta Chriſtianæ vitæ præcepta traduntur, Dominica oratio uberrimè explicatur, Clerus accuratè admodùm inſtituitur, ac perverſæ Prædeſtinantium opiniones redarguuntur. Eas, ſicut & alia pleraque *Iſidori* opera *Benedictus Guidius* Monachus Caſin. imprimendas curavit poſt Iſidori obitum Venetiis apud Dominicum Nicolinum an. 1566. in 4. Quo eodem anno ibidem impreſſæ iterum ſunt per Franciſcum Franciſcium Senenſem, & denuo ibidem 1567. At verò *Dupinius* impreſſas eas antea etiam Venetiis fuiſſe tradit an. 1556. imò Poſſevin. infrà citandus duas alias earundem editiones pariter Venetiis celebratas affert, nempe an. 1546. & 1565.

Orationes extraordinariæ. 10.) *Orationum extraordinariarum Volumen primum ad S. Pium. V. Pont. Max.* in quibus utriusque Sacri Teſtamenti inſigniores quique loci eruditâ facundiâ ſcitè ac luculenter illuſtrantur, omnibus, qui Chriſtianâ Philoſophiâ delectantur, ſed Concionatoribus præſertim opus ſummoperè neceſſarium Venetiis apud Domin. Nicolinum an. 1567. in 4. *Dupin* & *Poſſevin.* hoc ejus opus Venetiis anno 1569. & 1577. publicâ luce donatum teſtantur.

11.) Earundem *Orationum extraordinariarum Volumen ſecundum*, Venetiis apud eundem eodem anno, & iterum uterque Tomus excuſus fuit Venetiis anno 1577. teſte Arnold. Wione.

In Epiſt. ad Rom. 12.) *In Caput IX. Epiſtolæ ad Romanos Orationes duæ ad Chryſoſtomum Caſin. Congregationis Præſidem*, quarum Præfatio ſic incipit. „ Etſi per„ ſuaſum mihi ſemper fuit „ *Oratio prima* „ Qui locus jam diu „ &c. *Oratio ſecunda* „ Quamquàm ego oratione

ne heſterna. Has *Orationes* Arnold. Wion, & ex eo Poſſev. teſtantur mſs. extitiſſe apud D. Archangelum Fantoni Monachum S. Nicolai de Littore Venetiarum, Item ſcripſit

Ad Corinth.

13.) *In Caput XV. primæ Epiſtolæ D. Pauli ad Corinthios libros tres ad Baſilium Fratrem ſuum*, qui ubinam reperirentur, Arn. Wionem, & Poſſev. latuerunt, ego autem, inquit Armellinus, illos mſs. in Bibl. Sapientiæ Romanæ in ſecundo Tomo Miſcell. Sact. Conſtant. Cajet. pag. 140. optimo charactere exaratos, inſpexi, in quorum fine hæc obſervavi. „ Has ego Baſili frater Turclarenſes triduanas Commentationes ad te ſcripſi, ut &c. Item in Cathalogo mſs. Bibliothecæ Collegii Gregoriani de Urbe in ſerie Interpretum S. Scripturæ hæc adnotantur: *In Epiſtolam ad Corinthios Iſidori Clarii*; ſignat. R. 1. 40. & etiam in eodem Catal. legitur alia Iſidori Clarii lucubratio cum hoc titulo: *Carmina Iſidori Clarii*; ſign. R. 4. 61. qui Catal. extat mſs. Romæ apud S. Caliſtum in Archivo Procuratoris Generalis Caſin. Sctipſit etiam Iſidorus & publicavit anno 1548.

Conſtitutiones Synodales.

14.) *Conſtitutiones Synodales* pto ſuâ Urbe, & Diœceſi, ut aſſerit Ludovicus Moreri in Magn. Diction. Hiſt. Tom. 2. pag. 533. col. 1. editionis Amſtelod. anno 1692. verbo *Foligno.* Item

Epiſtolæ ad diverſos.

15.) *Epiſtolas ad Amicos*; Opus poſthumum per *Benedictum Bacchinum*, ut ſuprà dictum eſt, publicâ luce donatum, Mutinæ anno 1705. apud Capponum conſtat pag. 146. Ex his verò epiſtolis Latino ſermone nitidiſſimo conſcriptis apparet, *Iſidorum* alias etiam lucubrationes exarâſſe e. g. de *Libertate hominum*, *&* *Prædeſtinatione.*

XXII. volumina in S. Scripturam inedita.

Certè *Iſidorus*, præter Biblia translata, viginti duo volumina reliquit in Sacram Scripturam, quorum pars tantùm ſunt Sermones typis jam evulgati, & reliquæ lucubrationes ſuprà recenſitæ; nam plura alia ejus Opera Fulginei adhuc aſſervantur mſs. originalia, luce digniſſima, penes nobiles Viros Cæſarem, & Joſephum *Gigli* Equites Hieroſolymitanos, eorúmque Fratres, nempe duodecim volumina in 4. quæ infraſcriptas res continent.

1.) *Orationum in Epiſcopatû habitarum* Volumen ſecundum, tertium, quartum, quintum: nam primum deeſt: quia nimirum impreſſum fuit; éſtque illud, quod nos ſuprà retulimus num. 9.

2.) *Orationum, quas extraordinarias* vocant, Volumen tertium, (nam primum, & ſecundum typis traditum fuit, ut paulò antè diximus num. 10. & 11.) Volumen quartum, quintum, ſextum. Sunt autem omnes, tum impreſſæ, tum mſs. Orationes 86.

3.) *Orationum in Evangelium ſecundùm Lucam*, Volumen ſecundum (nam primum deeſt) tertium, quartum. Súntque omnes Orationes num. 50. quas omnes exiſtimo impreſſas eſſe, eaſdémque, quas ſuprà retulimus num. 8.

4.) *Orationes Synodales* num. 5. quarum prima habita ſuit Fulginei in Synodo anno 1549. pridie Idus Octobris.

Celebratur *Iſidorus* ſummis laudibus ab omnibus ferè Authoribus, qui de Divinis paginis, Rebus ſacris, ac Viris Illuſt. ſcripſerunt, præcipuè ab Arn. Wion. Lign. Vit. lib. 2. cap. 42. pag. 315. A Dinoyſio Faucherio Monacho Lirinenſi doctrina & virtute conſpicuo: A Joanne Mabillonio in Itinere Italico, & aliis ſuis Operibus. Ab Henrico Spondano Annal. Eccl. Tom. 2. ad an. 1555. pag. 651. n. 23. A Petr. Soave Polano, id eſt, Fr. Paulo Servita Hiſt. Conc. Trid. l. 2. pag. 161. editionis anni 1629. A Lud. Moreri *Grand Dictionaire Hiſtorique* pag. 187. col. 1. edit. Amſtelodam. 1692. A Jac. Aug. Thuano in Elogiis Hiſtoricis. Ant. Poſſev. Apparat. Sac. Tom. 2. pag. 291. edit. Venet. 1506. Auberto Miræo in Opere poſthumo de Scriptor. Eccl. ab Auberto Van der Fede edito Antuerpiæ 1649. Ludovico Jacobilli *in Vitis Epiſcoporum Fulginei*, ibidem impreſſ. an. 1626. pag. 152. & ſeqq. A Julio Ambroſ. Lucenti in libro, cui titulus: *Fulgor Fulginei* pag. 106. & ſeq. Ab Andrea Raynerio Abbate Parmenſi Hiſt. Paneg. S. Anſelmi Tom. I. in præfatione, ubi refert, anno Domini 1690. inventam fuiſſe arcam in Eccleſia Cathedrali Fulginei, dum paries Sacelli, in quo Tabernaculum SS. Euchariſtiæ aſſervatur, foderetur, ut ſacra Sanctorum Lypſana decentiùs ibi collocarentur., in eáque arca Corpus ejuſdem Ven. Servi Dei *Iſidori Clarii*, ſupráque ipſum folium his verbis exaratum: „ Adì 11. Gen. 1601. Jo Gio: „ Debar Franceſe Agente di Monſig- „ nor R.mo Marco Bizzoni Veſcovo

Authores qui de eo agunt.

Ipſius exuviæ A. 1790. detectæ.

„ di Foligno, fecì aprire queſta ſe-
„ poltura di Monſignor Iſidoro Cla-
„ rio ſanta memoria con la preſenza
„ di M. Antonio Maria Patriane Sa-
„ greſtano di S. Feliciano, M. Gio:
„ di Bartolomeo da Colmani mura-
„ tore, e Gio: Pietro Arculano d'
„ Aſſiſi Fornaro, e trovaſſimo, che
„ il corpo di detto Monſignore era
„ intiero, e buttava un odore ſoa-
„ viſſimo„ coſa degna di tener me-
„ moria, e con pregarlo, ſi degni pre-
„ gare il Signore per tutti noi. Amen.
„ *Jo Gio: Debar mano propria.*

XXXVII.

JOACHIMUS PERIONIUS Theologus Univerſitatis Pariſienſis.

† 1559.

Breve ipſius elogium.

JOACHIMUS *Perionius* Academiæ Pariſienſis ex Familia D. Benedicti ineunte ſeculo XVI. clariſſimum Sydus, elegantioris literaturæ inſtaurator non poſtremus, ac propè unicus ſuo ævo partium Ariſtotelicarum adversùs novatores hyperaſpiſta. Natus is Cormeriaci in Turonibus, vulgò *Cormery en Touraine*, in ejusdem loci Abbatiâ S. Pauli de Cormarico nuncupatâ, cui ſtatim à pueris dicatus fuerat, & 1517. die XXII. Auguſti nuncupatis Deo votis Religioni Benedictinæ ſeſe ſolenniter mancipavit. Ibi ad altiora formatus, primas in reformandis ac expoliendis liberalibus diſciplinis, & Philoſophiâ Scholaſticâ à congenitâ ſtribiligine & barbarie liberandâ curas appulit, perennique ſtudio Græcis atque Latinis Muſis ſacra faciens, *Strobæum* pari æmulatione conſpicuum glorioſo certamine ſuperare contendit. Tum verò in Theologicis adeò excelluit, ut paucos ſui ſimiles haberet. Sed ſummâ cumprimis, prout illa ferebant tempora, tam in loquendo, quàm in ſcribendo ſtyli uſus puritate & elegantiâ, *Platonem* & *Ariſtotelem* Latino ſermone à ſe donatos Ciceronis ore loquentes induxit. Sed ecce! quàm verum vulgare illud: *Quot capita, tot ſententiæ*: dum ſeculi ſui ſciolis & politulis, ſancto & laudabili zelo accomodare omnia etiam aliena conatur *Perionius*, iis haud placuit, qui ipſiſſima veterum verba, quamvis inculta, & ſtrigillantia audire malunt, quàm ceruſsâ & pigmentis incruſtata. Iniquiores cumprimis in eum fuére *Gruchius*, tum *Guilielmus Guerentæus*, ac *Ludovicus Strobæus*, quibus acceſſit poſteà *Joſephus Scaliger* ſcribere auſus: *Perionium Ariſtotelem omninò pervertiſſe ad Ciceronianum ſtylum vocabula accomodando.* Tantum nempe his Orbiliis ſcelus fuit, barbariem abſterſiſſe! Sed rem aliam ab ovo accipe. Magnos ea ætate in Galliâ tumultus ſtrepitúsque excitârat *Petrus Ramus* Profeſſor Regius, in plurimis ſciolus & cavillator, qui elatâ neſcio qua innovandi prurigine abreptus, veteribus quibusq; Auctoribus, iisq; optimis bellum indicere, eos è ſcholis eliminare, ſuas nugas ſubſtituere volupe habebat, ídque tanto ſupercilio, ut nec *Cicero* ipſe, eloquentiæ Romanæ princeps, nec *Ariſtoteles*, cujus ille nec umbram refert, dentes ipſius effugere potuerint. Læſit hæc δοκησισοφία Pariſienſem Academiam, quæ *Perionio* hanc decreto publico demandavit provinciam, ut in ſavorem Ariſtotelis calamum ſtringeret. Manum is operi illicò admovit non infeliciter, atque fanaticos *Rami* ſungos geminâ Oratione Pariſiis anno 1543. editâ egregiè depexuit.

Natales & Profeſſio monaſtica.

Græcis latiisque literis eminet.

Platonem & Ariſtotelem vertit.

Ejus æmuli.

Petrum Ramum convellit.

Theologiam *Perionius* ſacrámque Scripturam Pariſiis diu ſummâ cum laude & nominis ſamâ docuit, atque ſuos inter auditores, omnes ferè ejus urbis primores numerabat. Quin coram *Henrico II.* Rege parænefes è ſuggeſto frequenter declamabat, quibus Rex adeò afficiebatur, ut *Perionium* ad ſe crebriùs acciret, eruditis ejus colloquiis plurimùm delectatus. Erat verò *Perionii* homiletice tot illiciis exornata, ut nulla gratior effingi poſſet. Oſtentator ſui modeſtus alios pro dignitate ſic venerari didicerat, ut nulli vel verbis vel factis moleſtus eſſet; officioſus, affabilis, à curioſitate alienus, in judicando maturus, ſic porrò linguam moréſque cum mente temperabat, ut nemo honeſtatis paulò cupidior eſſet, qui eum videre, adire, alloqui, ſibi ſamiliarem habere non diſcuperet. Sed & popularis linguæ nitorem adeò deperibat, ut idioma Gallicum ad ſupremum, quô ea temporum barbarie evehi poterat, facundiæ gradum ſuſtulerit, editis dialogis *de origine linguæ Gallicæ ejúſque cognatione cum Græca.* Quibus deinceps, qui è recentioribus magno ſupercilio multóque orationis fuco rerum argumenta incruſtant, ſua illa commenta ornare didicerunt, præſertim *Amiotus* & *Vaugelaſius*, ſcriptores de eodem argumento principes.

Theologiam docet Pariſiis.

Ejus converſandi ratio.

Idioma Gallicum elimat.

In-

Digitized by Google

ad extremum totus in vitis Apoſtolorum conſcribendis occupatur.

Inclinante ætate totus fuit *Perionius* in vitis Apoſtolorum conſcribendis, ad quod ſtudium Cardinalis *Guiſius* eum provocârat. Eſt opus iſtud ſummè curioſum, ac facta non pauca continet, quæ alibi fruſtrà quæſieris. Multa quoque ex Patribus Græcis pari elegantiâ in Latinum tranſtulit. Præter

Aliæ ejus lucubrationes.

hæc ſcripſit I. *de Dialectica libros tres.* II. *Hiſtoriam Abdiæ Babylonii.* III. *Orationem in Petrum Aretinum.* item *de laudibus S. Jo. Baptiſtæ, & pro defenſione Monaſtices* alteram, quæ concionibus *Floriani Treſleri* Colon. 1565. editis annexæ ſunt. IV. *Topicorum Theologicorum* libros II. V. *Sermonem de laudibus Dionyſii Briconneti Epiſcopi Maclovienſis.* VI. *Vitas veterum Patrum.* VII. *Tractatum de Græcis & Romanis Magiſtratibus*, quem ejus nepos poſthumum luci aſſeruit. VIII. Alia id genus plura hactenus anecdota, quorum ubertate *Perionium* inter illuſtriores Polygraphos meritò numeramus.

Moritur A. 1559.

Annus emortualis ei fuit 1559. ut Thuanus habet lib. 23. Hiſt ſui temp. hoc elogium apud poſteros promeritus:

Prædicat ALGERUM *meritò Florentia*, DANTEM
Italia, & numeros tota PETRARCHA *tuos.*
Gallia ſed docti veneratur ſcripta PERIONII,
Cui Veneres debet patria lingua ſuas.

Hanc *Perionii* vitam, ſeu vitæ potiùs ſynopſin mecum Cl. *Oliverius Legipont* communicavit; cui non paria modò aliorum encomia, ſed diverſas quandoque cenſuras & judicia ſubjicere non pigeat.

Auberti Miræi de eo judicium.

Joachimus Perionius omne ſuum ſtudium in ſacrarum Literarum lectione ſummo cum fructu poſuit, & abundè docuit, non eſſe, quod ab Hiſtoricis profanis prudentiæ, fortitudinis, juſtitiæ, conſtantiæ, pudicitiæ, cæterarúmque virtutum exempla petenda arbitremur. Nam cùm vitæ rectè fortitérque degendæ ratio in duobus ferè conſiſtat; in præceptis, quibus parendum eſt, & exemplis eorum, qui illis paruerunt; nec benè beatéque vivendi præcepta rectiùs ab illis traduntur, nec virtutes ipſorum noſtris illuſtriores, aut numero potiores memorantur. Laudant, ſcio, *Lucretiæ & Scipionis* pudicitiam; *Codri & Deciorum* charitatem in patriam prædicant; *Hannibalis, Scipionum, Pompeii, Julii Cæſaris* fortitudinem bellicam in cœlum efferunt, alias denique aliorum virtutes celebrant, & admirantur. Sed ſi illis omnibus ii ſoli, qui ex una gente Judæa poſteris eximia omnium virtutum exempla reliquerunt, æquâ judicii lance opponantur; nec genere, nec animi magnitudine, nec ſtudio, aut numero cum eis comparandi videbuntur. Id *Perionius*, ſi quis alius ſolidè commonſtravit; *Patriarcharum, Prophetarum, ſanctarúmque veteris legis mulierum vitis elegantiſſimo ſtylo conſcriptis.*

Perionii eruditio inſignis.

Fuit enim homo longè diſertiſſimus, & Græcarum, itémque Hebraicarum literarum peritiſſimus, earúmque Regius Lutetiæ ſuo merito Interpres: ſic ut priſcorum Monachorum Benedictinorum doctrina omnigena in ipſo revixiſſe videretur. Fuit & Philoſophus inſignis, multáque ex *Platone & Ariſtotele* Latina tradidit: etſi majore elegantiâ quàm fide nonnulli ab eo id præſtitum judicent. *Ariſtotelis* certè ac *Ciceronis*, in ſcholis regnantium, cauſam adversùs *Petri Rami* calumnias, ex Academiæ Pariſienſis decreto, diſertè ac fortiter propugnavit. Quanta porrò antiquarum rerum in iſto viro fuerit notitia,

poſthuma ejus opera de Magiſtratibus.

clamant poſthumi *de Romanorum Græcorúmque Magiſtratibus* libri, à *Franciſco*, fratris filio, evulgati. Ad ſacra ſtudia quod attinet, idem *Topica Theologica* conſcripſit, ut quæ in ſcholis minùs eleganter tractabantur, rectiore deinceps methodo, & politâ magis dictione traderentur. Veterum adhæc Theologorum *Dionyſii, Juſtini, Origenis, Baſilii, Joannis Damaſceni* & aliorum Opera varia Latino ſermone elegantiſſimè expreſſit.

** Monoteſſaron & alia de Apoſtolis.*

Monoteſſaron * denique ex IV. Evangeliis de vita Chriſti concinnavit: Virginis item Matris, Jo. Baptiſtæ, atque Apoſtolorum XII. geſta pari dicendi felicitate complexus eſt. His vigiliis notiſſimus ſenex, paulò ante *Henrici II.* Francorum Regis obitum, Cormæriaci, quod Turonum eſt oppidum, ſuo in cœnobio ac natali ſolo 1559. exſpiravit: universâ Galliâ ingemiſcente, quòd optimum atque eruditiſſimum civem amiſiſſet. Nam ut patriæ *Joachimus* apprimè ſtudioſum ſe oſtenderet, Gallici ſermonis originem, & cum Græco affinitatem dialogis aliquot Latinè ſcriptis explicarât. Cujus quidem auctoritate motus *Jacobus Amiotus*, neſcio majore felicitate an gloriâ, *Plutarchum* Gallicè loquentem ſuis popularibus repræſentavit. *Aubert. Miræus Bibliothecæ Eccleſ. part. 2. cap. 75. pag. 65.*

Bulæi de eodem teſtimonium.

Joachimus Perionius Benedictinus Doctor Theologus Philoſophiæ Ariſtotelicæ curriculum ita Latinè & Ciceronianè

(o) Opus iſtud nuper refudit R.mus D. *Godefridus Khröll* Abbas S. Petri Saliſburgi.

nianè primus vertit, inquit *Genebrardus* in Chronico, ut deinceps Philoſophi Latinè loqui cœperint, qui anteà erant Infantes, & paulatim dediſcere barbariem, quâ eorum diſciplinæ & libri erant fœdati. Repudiatis veterum verſionibus, & formulis hoc divinum beneficium manavit longiùs. Nam & Theologi, Medici, Juriſconſulti certatim ſeſe ad ejus imitationem componentes antiquam *Cypriani*, *Arnobii*, *Lactantii*, *Hieronymi*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Cornelii Celſi*, *Ulpiani* & ſimilium elegantiam revocârunt velut poſtliminiò, impunitatem loquendi è ſuis ſcholis & libris depulerunt, ſuúmque ſeculum adeò facundum reddiderunt, ut cum qnovis de ea laude facilè poſſit contendere. Obiit an. 1559. *Cæſar Egaſſius Bulæus Hiſtor. Univerſ. Pariſ. Tom. VI. pag. 946.*

Thuani & Huetii cenſuræ.

Joachimus Perionius cùm Ariſtotelem hactenus à *Joanne Argyropylo* fideliter potiùs, quàm ornatè verſum auribus Latinis proponendum ſtatuiſſet, dum elegantioris ſtyli potiùs, quàm veri rationem plerumque Ciceroni ſuo addictus habet, in contrariam ab *Argyropylo* reprehenſionem incidit, & *Nicolai Gruchii*, viri doctiſſimi, & poſteà *Gulielmi Guerenthæi* cenſuram expertus eſt, & cum *Ludovico Strebæo* literariis velitationibus ob eandem cauſam ſe exercuit: & me quidem judice, inſeliciter; nam in ea aſſequenda Ciceronis elegantia *Strebæo*, ſi fortè, ſcriptore & ipſo non impuro ſuperior, caſti & fidi interpretis laude, & Græcæ linguæ peritiâ longè inferior habitus eſt: neque verò hoc illum fugiſſe puto, ſed verborum magnificentiâ & ſermonis volubilitate eſt delectatus. *Ita cum Thuano Petrus Daniel Huetius de Claris Interpretibus pag. mihi* 212.

Antonii Poſſevini Criteriũ, & ejusdem Operum index.

Joachimus Perionius, patriâ Cormeriacenus, & Monachus Monaſterii Divi Pauli propè Cormeriacum, Ord. D. Benedicti Congregationis Cluniacenſis, qui obiit an. 1570. (p) præter Ariſtotelis plures libros, Ethicos, Politicos, Logicos, Parva Naturalia, Meteorologica, Platonis (ſive quicunque is fuerit) Axiochum, Latinè redditos è Græco, & alia ſpectantia ad humaniores literas edidit Topicorum Theologicorum libros duos, Pariſiis apud Thomam Richardum an. 1549. De Vitis & rebus geſtis Apoſtolorũ, ibidem apod Carolum Perier an. 1551. Orationes varias, unam de laudibus B. Joannis Baptiſtæ. Alteram ad Henricum ſecundum Galliæ Regem, cæteróſque Chriſtianæ religionis Principes adverſùs Petrum Aretinum. Aliam de laudibus Dionyſii Briconeti Epiſcopi Maclovienſis. Ibid. an. 1551. De Prophetis & Patriarchis Coloniæ apud Hæredes Birckmanni an. 1557. De vita Domini noſtri Jeſu Chriſti & Beatiſſimæ Virginis, ibidem apud Theodorum Baumium anno 1569. Vertit autem è Græco in Latinum Origenis, ſive pervetuſti cujusdam, ac pereruditi viri commentarios in Job. Quam tamen verſionem collatam cum eo ipſo libro Regiæ Bibliothecæ, quo ipſe Perionius eſt uſus, expendit poſteà Jacobus Billius Prunæus, lapſúsque Perionii indicavit in libris ſacrarum Obſervationum. Vertit item Dionyſii Areopagitæ Opera omnia, quæ extant, cum ejusdem vita, & ſcholiis, incerti Auctoris, in Librum de Eccleſiaſtica Hierarchia. Quæ Coloniæ prodierunt apud Hæredes Birckmanni an. 1557. Juſtini quoque Martyris Opera unà cum hujus vita à ſe conſcripta, & D. Baſilii Hexaemeron Latinitate donavit. Quam Baſilii verſionem à nobis expenſam vide in verbo *Baſilius Magnus. Ant. Poſſev. in Apparatu ſacro.*

Joachimus Perionius vir alioquì doctus & Catholicus, ſed & ſui ſtyli tenacior, & minùs aliquando Græcæ (Atticæ præſertim) linguæ vim aſſecutus, vereor, quin magis avertat, quàm alliciat lectorem *Baſilii*, ad hunc deguſtandum: cùm intereà mihi Joannis Argyropyli verſio in Hexaemeron magis probetur. *Poſſevinus.*

Quid Bilius de verſionibus à Perionio factis cenſuerit.

At ſummatim de omnibus optimi hujus viri verſionibus malo alienum potiùs, quàm meum afferre judicium. Quippe, ut conſtans penè omnium ea ſententia eſt virorum præſtantium; plus elegantiæ, atque Latinitatis, quàm veritatis in iis reperiri; ſic unus ipſe *Jacobus Billius* Græcis diſciplinis & linguâ eruditiſſimus: *Multò plus* (inquit de Perionio) *ipſi deberemus; ſi ad eximiam quandam ac ſingularem vertendi elegantiam, eam quoque, quam par erat, Græcæ linguæ cognitionem, majorémque etiam aliquantò diligentiam adjunxiſſet. Quorum alterum, cùm ſemper, alterum nimis frequenter in eo à plerisque viris ſummâ doctrinâ præditis deſideratum ſit, hinc factum eſt, ut longè plures graviorèſque quàm vellem errores in ipſius Interpretationibus inveniantur.* Hæc & alia de illo *Billius* tom. 2. p. 104.

(p) Corrige 1559.

Joachi-

Gene-brardi pronuntiatum.

Joachimus Perionius, noſtri loci & Ordinis Theologus, patris tui primus Regius interpres nos labore interpretandi Origenis commentaria in Job, ex eodem tuo theſauro deprompta, & diſputationem de fide cum aliquot ethnicis liberavit, quando ut ſuæ regiæ interpretationis muneri ſatisfaceret, neque gratis regia ſtipendia devoraret, ea elegantiſſimè more ſuo verſa nobis paulò ante mortem exhibuit. *Gilbertus Genebrardus in Dedic. Opp. Origenis ad Carolum IX. Franciæ Regem.*

Opera Perionio tributa.

In Catalogo Voluminum impreſſorum Regiæ Bibliothecæ Pariſienſis Part I. Theologiæ ſequentia Opera Perionio attribuuntur.

DIONYSII, AREOPAGITÆ, Opera, quæ extant: ejusdem vita, & incerti auctoris ſcholia in librum de Eccleſiaſtica Hierarchia: omnia Latinè, ex interpretatione JOACHIMI PERIONII. *Lutetiæ, Mich. Vaſcoſanus.* 1556. *in fol. Item Coloniæ, Maternus Cholinus* 1557. *in* 8. Cui poſteriori editioni acceſsere D. Ignatii atque Polycarpi epiſtolæ. Iterùm *Pariſiis* operâ *Michaëlis Vaſcoſani* 1565. in fol. habet hæc editio indices duos, item ſcholia quædam ad marginem, & multorũ locorum emendationes.

B. CLEMENTIS, Rom. Pont. Epitome, ſive compendium de rebus geſtis, peregrinationibus & prædicationibus B. Petri ejusdem Clementis vita, ſicut in Eccleſia Catholica recitatur; Latinè, ex interpretatione JOACHIMI PERIONII. *Pariſiis, Guillielm. Morelius.* 1555. in 4.to

S. JUSTINI Philoſophi & Martyris Opera, quæ extant omnia; Latinè, ex interpretatione & cum obſervationibus JOACHIMI PERIONII. *Lutetiæ Pariſiorum, Jacobus Dupuys.* 1554. *in fol.* 2. *tom.* 1. *vol.*

ORIGENIS, Adamantii, Tomi IX, commentariorum in B. Joannis Evangelium, ex XXXIX. quos eum ſcripſiſſe ait B. Hieronymus; Latinè, ex interpretatione JOACHIMI PERIONII. *Pariſiis Carolus Guillard &c.* 1555. *in fol.*

B. NECTARII, Archiepiſcopi Conſtantin. Oratio una; B. Joannis Chryſoſtomi Orationes VI. & homiliæ duæ; Græcè, nunc primùm editæ; cum verſione Latina JOACHIMI PERIONII. *Pariſiis Carol. Guillard &c.* 1554. *in* 8.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI concio de Publicano & Phariſæo, déque humilitate & oratione; Græcè, cum verſione Latina JOACHIMI PERIONII. *Lutetiæ, Feder. Morellus.* 1595. *in* 8.

S. JOANNIS DAMASCENI, Liber de hæreſibus; Græcè, & Latinè ex interpretatione JOACHIMI PERIONII, cum notis Frontonis Ducæi *in fol.*

XXXVIII.
DIONYSIUS FAUCHERIUS † 1562.
Prior Lerinenſis.

REverendus Pater *Dionyſius* cognomento *Faucherius* ex honeſta ſatis & honorabili familia *Faucheriorum* civitatis Arelatenſis, Narbonenſis Galliæ, vir apprimè in cunctis tam humanis, quàm theologicis literis eruditus, in artéque pictoria excellenter edoctus fuit; qui adhuc juvenis ferventi Religionis deſiderio flagrans ad percelebre Ordinis almi Patris Benedicti in agro Mantuano cœnobium ſe contulit, inibíque à Patribus pergratè receptus habitum induit monachicum, peractóq; probationis tempore profeſſionem emiſit, ipſo die ſolemnitatis inventionis ſalvificæ Crucis V. Non. Maji anno peractæ redemptionis octavo ſupra quingenteſimum milleſimum. Reverendiſſimo Domino *Grimaldo*, Epiſcopo Graſſæ, procurante ſacrum Monaſterium Lerinenſe fuit reformatum, & unitum ſacræ Congregationi Caſſinenſi, aliàs *Sanctæ Juſtinæ de Padua* per diplomata Summi Pontificis *Leonis X.* & Chriſtianiſſimi *Franciſci I.* Francorum Regis. Quo tempore ipſe *Dionyſius* translatus fuit à primo ſuo Monaſterio Mantuano ad ſacrum illud marinum ſtadium cœnobii Inſulæ Lerinenſis, inibíque perpetuò nomen dedit, aſſiduéque divinis ſtudiis & prælectionibus ſacræ paginæ, maximè Epiſtolarum Divi Pauli Apoſtoli operam ſtrenuè navavit, reformationíque, ſumma quâ pollebat ſolertia & pietate inſudavit. Tum variis ſudoribus non omnem non movit lapidem, ut ad melioris frugis ſpem per reformationis laborem monaſterium Monialium tituli ſancti *Honorati*, vel ſancti *Nicolai* Taraſcone ſitum (quod juris eſt Cœnobii Lerinenſis) juſſu illuſtriſſimi Cardinalis *Belay* reduceret; diúque pingui divini verbi pabulo, ſuíſque ſacris prædicationibus, tum exemplo ſanctæ converſationis pavit. Illud certè *Dionyſio* præcipuæ vertit laudi, quòd multo ſtudio ac labore Benedictinas Veſtales Latinis imbuerit literis, non alio fine, quàm ut quas divinas laudes in ſacro decantarent odæo, intelligentiâ aſſequerentur, nempe ut mens concordaret voci. Quod cùm feliciter ſucceſſiſſet,

Arelati natus A. 1492.

in agro Mantuano Monachum induit A. 1508.

Lerinam translatus,

pro inſtauranda diſciplina laborat.

Taraſconenſes Moniales latinis literis imbuit.

hæc inſtitutio per alios etiam Ord. Benedictini Parthenones propagata fuit. Ut verò Regni Nobilitas advertit, eam informationem Galliarum Regi majorem in modum probari, nobiliſſimæ quæque domicellæ Taraſcum miſſæ fuerunt, ut iisdem Latinis erudirentur literis. Quod tanto etiam, támque felici ſucceſſu factum, ut ab eo tempore in hodiernum usque diem cum virgines tum nobiles matronæ non minimo ſint numero, quæ liberalium artium excellant diſciplinis.

ejus ſtudia & officia. Otium *Dionyſius* ut lethalem animæ peſtem declinans, multa variato themate compoſuit, decoratúsque fuit in ultima ſenecta, ipſo diu renitente, titulo Prioris clauſtralis Lerini; qui tandem ſeptuageſimo ſuæ ætatis anno, monachatûs quinquageſimo quarto, vel circiter, plenus bonorum operum ſolutus carnis ergaſtulo diem ſuum clauſit extremum in illo ſacerrimo promptuario Sanctorum Lerinenſis Eremi, anno videlicet *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo*, vel circà, pallentémque accepit ſepulturam in ſua dilecta Lerina in capitulo veteri Capellæ olim ſancti *Leonardi* Confeſſoris, nunc ſancti Patris noſtri *Benedicti*; qui ante pauculos dies ſui exitûs è vivis, cùm graviter ægrotaret, lecto decumbens hæc bina ſequentia epitaphia meditatus eſt.

Moritur 1562.

cœnotaphium ab eo compoſitum.

Tantiſper tibi ſi libet viator
Donec pauca loquar loco, reſiſte:
Non enim volo te diu morari.
Hic ego Dionyſius, reatûs
Quem pondus magis aggravat jacentem,
Quàm congeſtus humi tumens acervus.
Siqua in te eſt pietas, rogo, obſecróque
Hac me mole gravi levare cures,
Pro me toto animo Deum precando
Ne peccata mihi imputet, pia ſed
Conſuetâque ſua benignitate,
Is me ſublevet, & mei miſertus
Optatam tribuat mihi quietem:
Hæc ſunt, quæ memor ut mei viator
Sis, bis te volui monere verbis.

Sequitur & alterum ante pauculas horas ſui felicis tranſitûs editum.

Alterum ab eodem concinnatum.

Obſecro qui tranſis hac, greſſum ſiſte Viator,
Et pro defuncto hæc dic bona verba, precor.
Hic Dionyſius hoc incluſus marmore juſſit
Ut ſua tantiſper mortua membra cubent,
Dum clangente tuba & Chriſto veniente reſurgent
Corpora, quæ in tumulis morte ſepulta jacent.

Lucubrationes ipſius. Porrò monumenta piorum laborum ac vigiliarum ejus à nobis diu inveſtigata tandem in variis ſubſelliis ſuperſtita reperta hæc ſunt: nempe inter prima egregia picturæ opera prædicti *Faucherii*, quæ Lerini alibíque curioſè aſſervantur, numeranda hæc ſunt: *Horariæ preces* manu propria ipſius Dionyſii ſcriptæ & miris figuris penicillo ſubtiliter adornatæ, ita concinnè, ut quæ in lectionibus & pſalmis intus leguntur in margine expreſſa videantur, quas *Joanni Faucherio* fratri ſuo tunc dono dedit, ſub quadam ſpecie ſubſtitutionis, & fideicomiſſi, ut patet in fine ſupradictarum precum his verbis: *Has Horarios preces Dionyſius Faucherius dono dedit Joanni Faucherio fratri ſuo hac conditione & lege, ut alienari aut transferri non poſſint, ſed ſemper apud Faucherios maneant, ſintque mei in ſanguineos amoris perpetuum ſymbolum, ut mei apud Deum meminerint. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, menſis Aprilis die nona. Signatus Dionyſius Faucherius Monachus Lerinenſis Caſſinenſis Ordinis.* Conſervantur hodie curioſè ſupradictæ preces à Domino *Franciſco Faucherio* Juriſconſulto, & in ſede Arelatenſi Advocato, dictíque *Joannis Faucherii* pronepote. Tum

Libellus de reformatione mentis.
De meditatione paſſionis Chriſti.
Parænesis ad monachos de cruce poſt Chriſtum tollenda.
Sermo in natali Salvatoris noſtri JEſu Chriſti.
Sermo de cœleſti deſiderio & amore.
Sermo de Sacerdotii dignitate ad Clerum Arelatenſem.
Sermo funebris habitus Taraſcone.
Alius funebris in civitate Viennenſi.
Epiſtolæ diverſæ ad diverſos plus numero centum quinquaginta.
Paſſio Sanctorum Aygulphi Abbatis & Sociorum martyrum.
Ecloga de laudibus ſacræ Lerinenſis Inſulæ.
Ecloga de cœleſti & divino amore perdocta.
Ecloga de lapſu monaſtici Ordinis.
Ecloga, cui titulus: *Religio perjucunda.*
Ecloga de deſolatione monaſterii Lerinenſis.
Ode variíque generis verſus de variis ſubjectis penè infiniti.
Prælectiones in omnes epiſtolas divi Pauli, ſunt Lerini manuſcriptæ.
Diverſa epitaphia virorum illuſtrium.

Hymni

Hymni aliqui in honorem aliquorum Sanctorum.

Epithalamia ad diverſos nobiles.

Demum in Latinum transtulit ſatis eleganter Speculum interioris hominis, è vulgari Italico Reverendi Patris Stephani Fermenſis.

Tum ejusdem libellum de diſcretione, & tractatum de oratione interiore, ſive mentali.

Variáque alia, quæ ad noſtras manus non pervenere; vir certè pius ſcripſit & fecit, cujus memoria ſemper cum laude in ſacra Lerina erit.

Hanc Vitæ Synopſin *Vincentius Barralis* Salernus Operibus *Dionyſii Faucherii* conjunctim à ſe editis Lugduni anno 1513. præmiſit. Uberiorem de eo notitiam tradit Abbas *Armellinus* in Bibliotheca Scriptorum è Congreg. Caſin.

† 1565. 8 Maji.

XXXIX. FLORIANUS TREFLERUS.

BEnedicto-Burani in Bavariâ monaſterii cœnobita percelebris, de quo *Carolus Meichelbeck* in ejus loci Chronico ſemel, iterúmque mentionem facit, atque hæc inter alia de eo reſcribit: *Vir fuit ſuâ ætate longè doctiſſimus, Græci etiam ſermonis optimè gnarus, ac ſacræ Religionis cultu celeberrimus, otii hoſtis juratus, mortificationi corporis perpetuò intentus, totus in laudibus divinis, totus in evolvendis libris ſacris ac SS. Patrum ſcriptis, in ſacris meditationibus aſſiduus, Abbatis ſui, qui antehac cum multis aliis ejus fuerat diſcipulus, cultor ſtudioſiſſimus.* Nec ſibi ſoli Musíſque cecinit, ſed etiam ad proximorum quorumlibet tum animæ, tum corporis ſalutem ſe impendit; domi enim docendo Sodalibus ſuis doctrinas optimas inſtillavit, foris exhortationibus ſacris, etiam in vicinis Monaſteriis plurimum præſtitit, ac cumprimis in confutandis novatorum erroribus utiliſſimam operam collocavit. Rei quoque *Botanicæ* ſubſecivis morulis intentus, ægrotantibus inſignia pharmaca præparavit, & lubens abſque pretio diſpenſavit. Anno 1500. * cùm *Maximilianus* Imperator Benedicto-Buranum inviſiſſet Monaſterium, *Florianus* coram eo panegyrin *de S. Anaſtaſiâ* dixit, eámque literis ad poſteros conſignavit. Varias deinceps habuit declamationes, quæ tertiùm impreſſæ prodierunt anno 1550. Auguſtæ Rheticæ typis *Philippi Ulhardi.* Eas ſcri-

Ejus animi dotes & eruditio.

Charitas & cura erga proximos.

** Videſis Chronicon cit. p. 212.*

ptor *Ludovico* Abbati ſuo nuncupavit, cujus ſingularem animi propenſionem ac perpetuum ſtudium erga pietatem & bonas literas, nec non deſiderium imò certum propoſitum ædificandæ, & optimis authoribus implendæ novæ Bibliothecæ vehementer collaudat, quòd ſpes eſſet alios etiam Antiſtites eo exemplo excitandos eſſe, ut ſalubria hujusmodi ſtudia foveant, & promoveant, ſtudioſos ament, & adjuvent, è ſuo quisque cœnobio illiteratum otium propulſent. Quod idem prolixiùs ſummis quibusque viris perſuaſit in libello ab ipſo A. 1560. typis ejusdem Ulhardi Auguſtæ Vindelicorum edito hâc epigraphâ: *Methodus exhibens varios indices, & claſſes, ſubinde quorumlibet librorum cujusvis Bibliothecæ, brevem, facilem, imitabilem ordinationem, quâ ſanè percommodè, & ſine multa inquiſitione occurrat ſtudioſis optata inventio; & lectio eorundem.* Quod opuſculum R.^mo D. OTTONI S. R. E. Cardinali, Epiſcopo Auguſtano ac Domino Elvacenſi inſcripſit. De eo *Struvius* Introd. ad Hiſt. litt. pag. 75. plura præclari ingenii monumenta reliquit, quæ intercidiſſe creduntur. Ita verò omnibus omnia factus ætatem usque ad annum vitæ 83. piiſſimè produxit, denatus an. 1565. die 8. Maji. Acta ipſius Carmine elegiaco complexus eſt *J. Caſtner*, cujus verſus in parte alterâ Chronici Benedictoburani N. 337. recitantur. Piis ejus manibus alii quoque graviſſimi viri parentârunt, eúmque publicis encomiis in lucem datis condecorârunt. Extat hodiedum inſignis pictura, coloribus viviſſimis expreſſa, in qua viſitur effigies *Trefleri* divinis rebus intenti. Eam fuiſſe olim ſuſpenſam propè ipſius tumulum, ex eo diſcimus, quòd ejus Epitaphium ibidem exprimatur, in eum, qui ſequitur, modum:

Rem librariam egregiè promovet.

Methodum adornandæ Bibliothecæ evulgat.

Acta ipſius carmine complexa.

Conditus hoc tumulo TREFLERUS *dormit opaco,*
Vir pius & ſanctæ Religionis amans...
Spiritus ætheres Regis conſcendit ad aſtra,
Illius at ſemper fama ſuperſtes erit.

Vid. Chron. Benedicto-Buran. Part. I. p. 249. Ex ſymbolis P. Oliverii.

† 1581. 25 Decembris ætatis 46.

XL. JACOBUS BILLIUS Abbas S. Michaëlis in Eremo.

HUjus doctiſſimi Præſulis natale ſolum fuit *Guiſia* oppidum in Belgio ab Atrebatum & Hannonum finibus non ita procul remotum. Hic in auras

In Belgio natus 1535.

elatus eſt vitales anno MDXXXV. Parentes habuit *Ludovicum Billium* & *Mariam de Brichanteau*, conjuges illuſtri loco natos. Et pater quidem homo magni animi, & ſpectatæ in bello virtutis, urbem Guiſiam Ftanciſci primi nomine id temporis moderabatur. Is verò cùm in filio à primis ſtatim pueritiæ initiis indolem à Martis arena omninò abhorrentem deprehenderet, literarum ſtudiis eum addicere conſtituit.

Pariſiis literarum ſtudiis addicitur.

Itaque peradoleſcentem Pariſios miſit, ut quibus diſciplinis ætas juvenilis ad humanitatem inſtitui conſuevit, in eo ſcientiarum omnium domicilio erudiretur. Utramque linguam, Latinam & Græcam addidicit; ſed cùm prioris ſtudio longè magis tum exardeſceret, atque poſterioris, nil mirum, quòd majores etiam in eadem ſecerit progreſſus. Tersè, nitidè, eleganter & ſcribebat, & loquebatur Latinè; ſed ab hac laude in Græca lingua longè abſuit, cùm illius tenuem ſatis & quaſi ſuperficiariam tantùm cognitionem ſibi comparârit. Decurio Philoſophiæ ac Theologiæ ſtadio domum anno ætatis decimo octavo revocatus eſt.

Aurelianenſem tum Pictavienſem Academias adire jubetur.

Non multò pòſt Academiam primùm Aurelianenſem, tum Pictavienſem adire jubetur, ut Jurisprudentiæ navet operam. Sed huc illum natura ſua planè non ducebat. Unde cùm invità Minervâ ad eam incumberet ſcientiam, nihil admodùm ferè in eadem profecit. Quid? quòd omne tempus, quod in illa perdiſcenda collocare credebatur, aliis liberalibus ſtudiis contriverit, uti ipſe poſteà faſſus eſt.

Inde Lugdunum, poſteà Avenionem conceſſit.

Ab obitu utriusque parentis cùm ſibi facultatem eſſe factam videret, quâ naturæ ſuæ ſemina liberiùs ſequi poſſet, literis politioribus excolendis ſe totum addixit. Quia verò pertimeſcebat, domi non defuturos, qui ab illarum cultura eum abducere molirentur, eò ſe conferre decrevit, ubi ejus forma ac perſona nemini notæ eſſent. Itaque Lugdunum primùm conceſſit, deinde Avenionem commigravit.

Ubi Græcam & Hebraicam linguam addiſcit.

Hic noctes atque dies quibusdam quaſi ſtimulis incitatus eâ ſolertiâ animíque contentione ad linguæ Græcæ intelligentiam incubuit, ut tempore non multo perfectam aſſecutus fuerit. Prætereà linguam addidicit *Hebraicam*, præceptore uſus Judæo Avenionenſi; verùm nulla ſe præbuit occaſio, quâ hujus poſterioris cognitio tanto uſui ipſi foret, quanto prioris fuit.

Duas Abbatias ſibi à fratre oblatas ægrè acceptat.

Jámque duos annos Avenione exegerat, totus in libris ac literis Græcis abditus, cùm ei epiſtola à *Johanne* natu majore fratre reddita fuit. Ejus ſumma hæc erat. *Johannem* rerum humanarum tædio affectum, ejusdem vanitatibus nuntium mittere, ac in receſſu Carthuſiano ſeverioris vitæ telam ordiri ſecum conſtituiſſe; in gratiam verò *Jacobi* fratris duas Abbatias, quibus peropulentis in orâ Santonicâ potiretur, abdicare. Quis non exiſtimaret, juvenem propenſiſſimo animo acceptaturum, quod alii omnibus votis expetunt, deſiderant, nec conſequuntur? at ille, quâ erat animi moderatione, ægrè admodùm ſe perſuaderi eſt paſſus, ut duo iſthæc acceptaret ſacerdotia: neque enim iisdem egere ſibi videbatur; ut qui ex Abbatia *Ferrarienſi* in Andegavenſi agro, & Prioratu de *Tauſſignyen* in Turonibus eos perciperet proventus, quibus literato in otio commodè, honeſtè, & cum dignitate vitam tolerare poſſet. Tandem fratris & amicorum precibus expugnatus acceptavit. Plus tamen inde incommodi quàm emolumenti ad ipſum rediit, ut brevì audituri ſumus.

Sacro Ordini Benedictino ſe mancipat.

Ut ne verò profanus S. Benedicti patrimonium abliguriret, ejus ſacro Ordini nomen dedit. De diſciplinæ monaſticæ obſervantia ſollicitus *Bertrandi de Mouſſy*, Abbatis & Anteceſſoris ſui innovavit ſtatuta anno 1566. die 5. Martii.

Supervenerunt deinde tempora bellis civilibus infeſta, quibus tes ntriusqne Abbatiæ nimium quantum acciſæ fuerunt. Monaſterio S. Michaëlis à *Petro Villates* Domino *de Champagne* deſtructo, militaris furor, avaritia, & tapacitas nihil intactum reliquerat.

Sæviente bello Nannetum primò tum huc illuc commeat.

Abbas *Billius* cùm in tutiora ſecedendi neceſſitatem ſibi impoſitam videret, Nannetum ſetecepit, quò afflictæ cœnobii fortunæ è propinquo meliùs conſulere poſſet. Ingraveſcente autem inteſtino bello inde diſcedere coactus non uno loco manſit, ſed huc illuc per Galliam commeavit, atque adeò vagum quodam modo per aliquantum tempus domicilium habuit.

Germanos Fratres amittit.

Nec parùm doloris jam anteà conceperat ex morte quatuor fratrum; *Claudii*, qui in prælio Jarniacenſi occubuit; *Ludovici*, qui in propugnatione Pictavienſi graviter ſauciatus ex vulnere interiit, atque aliorum duorum, qui in pugoa Durocaſſenſi 19. Decemb. an. 1562. interfecti fuerunt; ut nihil dicatur de duobus avunculis, quorum alter in

eodem

eodem conflictu internecioni datus, alter lethali vulnere accepto paulò pòſt animam emiſit.

ad Prioratum de Tauſigny ſe recipit.

Abbatis *Billii* perfugium erat primùm Urbs Laudunenſis, tum Lutetia Pariſiorum. Ubi verò omnia in dies pacatiora fieri advertir, Nannetum diſceſſit, atque interjectis non ita multis diebus ad Prioratum de Tauſſigny, quò propior eſſet Abbatiæ S. Michaëlis, quam viſitare conſtituerat, ſe contulit. Verùm hoc animi propoſitum Galli inter ſe denuò digladiantes diſcuſſerunt.

In literas quà licuit, incumbit.

Cæterùm pro amore, quô incredibili in literas ferebatur, quodcunque tempus in hac rerum omnium perturbatione comparcere potuit, iisdem nunc meditando, nunc legendo, nunc ſcribendo impendit. Et tametſi vitam adverſitatibus & incommoditatibus, quæ ſolum vertenti neceſſariò perferendæ ſunt, haud parùm agitatam transegerit, diémque ſupremum nondum adfectâ ætate obierit, ſat multas tamen, in opere aſſiduus, lucubrationes, velut totidem præclari ſui ingenii atque indefeſſæ induſtriæ teſtes poſt ſe reliquit.

Fatis ceſſit Pariſiis A. 1581. 25. Decemb.

Morbis plus quàm tempeſtivè tentari cœpit. Ad quos ſtudiorum aſſiduitas, itinerum frequentia, corporis teneritudo, bilis redundantia, atque jejunii cùm eccleſiaſtici tum monaſtici rigida obſervantia multum conferebant. His ægrotationibus paulatim iter ſibi ad ſepulchrum ſternebat. Deceſſit poſt longa morborum tædia ex phtiſi non adhuc ſenex anno ætatis 46. Pariſiis in ædibus *Gilberti Genebrardi*, viri doctiſſimi, amici, & Ordinis ſui ſodalis anno 1581. ipſa feſta luce Nati Salvatoris. Terræ mandatus eſt ad S. Severini fanum in choro, ubi viſitur ejus ſepulchrum cum piis eruditorum epitaphiis.

SCRIPTA.

Conſolationes.

1. *Conſolationes & Inſtructiones ſalutares Animæ fidelis excerptæ ex Commentario S. Auguſtini ſuper Pſalmos. Gallicè. Pariſiis apud Claudium Fremy anno* 1570. *in* 8.

Recreationes.

2.) *Recreationes Spirituales, collectæ ex Libris Moralibus S. Gregorii ſuper Jobum, utiles futuræ legentibus ad res terrenas in contemptu ponendas. Gallicè. Pariſiis apud Guillelmum Chaudiere an.* 1573. *in* 16.

Epigrammata.

3.) *Epigrammata Gallica* ſub epigraphe *Sonnets Spirituels*, maximam partem ex antiquis Theologis cùm Græcis tum Latinis deprompta, addito ad loca difficiliora commentario. Quibus nonnulli alii parvi tractatus haud abſimilis argumenti acceſſerunt. *Pariſiis apud Nicolaum Cheſneau an.* 1575. *in* 8. *&* in 16. Iſthæc Epigrammata numero CIX. translata fuerunt ex totidem Epigrammatibus Latinis per Jacobum Billium. Lucem verò publicam aſpexerunt Pariſiis ſub titulo *Anthologia Sacra.* Anno ſequenti 1576. prodiit ibidem liber ſecundus in 16. quo epigrammata C. ex Latino in Gallicum Sermonem translata continentur.

4.) *Sex libri Carminum de ſecundo adventu Domini noſtri*; unà cum tractatu S. Baſilii de Judicio Divino, qui valde accommodatus eſt tum ad incutiendum odium omnium diſſenſionum atque diſcordiarum, tum ad concipiendum ſalutarem Dei timorem; poteſtque eſſe locò præfationis. Carmina.

5.) *Anthologiæ Sacræ ex probatiſſimis utriusque linguæ Patribus collectæ, atque Octaſtichis comprehenſæ, ac brevi commentario illuſtratæ libri duo; adjectis adcalcem aliquot Octaſtichis Græcis. Pariſiis* 1576. *in* 16. Item in alia quadam Collectione, cui titulus: *Anthologiæ Sacræ Libri IV. Genevæ an.* 1591. *in* 16. Epigrammata Billii explent duos priores libros; tertius continet Epigrammata *S. Proſperi*; & quartus diverſos Hymnos complectitur. Anthologiæ.

6.) *Locutionum Græcarum in communes locos per Alphabeti ordinem digeſtorum volumen.* Pariſiis 1578. in 8. Item Lugduni 1588. in 8. Item Duaci 1599. in 12. Item Genevæ 1609. & 1615. in 8. Locutiones.

7.) *Sacrarum Obſervationum libri duo Pariſ.* 1585. *in fol. unà cum Epiſtolis S. Iſidori*, de quibus poſtea. Qui haſce Obſervationes adhibiro judicio legit, Billium inter præcipuos ætatis ſuæ Criticos non numerare non poteſt. Illas verò adornavit, ut Chriſtiano Lectori facilem ad percurrenda ſanctorum Patrum Opera complanaret viam, in quibus multæ occurrebant ſalebræ, multi ſcrupuli, multa errata vel typographotum negligentia, vel amanuenſium inſcitia, vel ipſorum interpretum incuria & oſcitantia. Illuſtrandis profanis Scriptoribus nullam unquam operam vir pius impendere dignatus eſt. Obſervationes.

8.) *S. Gregorii Nazianzeni Epiſcopi Opuſcula quædam Cyri Dadybrenſis* Verſione Operum SS. PP.

Epiſco-

Epiſcopi Commentariis illuſtrata, Latinè; interprete Jacobo Billio. Pariſiis 1575. in 8.

Gregorii Nazianz. 9.) *S. Gregorii Nazianzeni Opera Omnia, quæ quidem, unà cum Nicetæ Seronii Commentariis in 16. Panegyricæ Orationes. Intextis etiam quibusdam Pſelli enarrationibus in obſcuriora loca ſecundæ Orationis de Paſchate.* Hæc omnia Latinè facta per Jacobum Billium, ſcholiiſque ejusdem illuſtrata. Pariſ. 1569. in fol. Sed cùm prima hæc editio numeris omnibus non eſſet abſoluta, alteri eíque perfectiori adornandæ Billius ſe accinxit; & licèt multum temporis in eadem collocârit, ad faſtigium tamen, morte præventus, perducere haud potuit: ab ipſius obitu Gilbertus Genebrardus & Joannes Chatardus ſupremam eidem manum impoſuerunt, & ſub hac epigraphe in publicam lucem emiſerunt: *Sancti Gregorii Nazianzeni Opera omnia, quæ extant, nunc primùm propter novam plurimorum librorum acceſſionem in duos tomos diſtincta; cum doctiſſimis Græcorum, Nicetæ, Serroni, Pſelli, Nonni, & Eliæ Cretenſis Commentariis. Pariſiis 1583. in fol. Tomi II.* Verſiones Billianæ ex Græco, & præcipuè illa S. Gregorii Nazianzeni, quem ipſe ob ſummam ejus pietatem & elegantiam inprimis coluit, & in quo caſtigando, convertendo, & illuſtrando diu multúmque ſe torſit, magno pretio, utì debent, apud doctos habentur. Teſte Petro Daniele Huetio, Clarorum Interpretum acerrimo judice, *Jacobus Billius Brunæus verbis paribus ſententias aptè & fideliter comprehendit; ſtilo certè nonnunquam excurrit. Verùm ipſe ſe intra metas continuò revocat & coercet.* Quia tamen labi proclive eſt, & nullus eſt adeò lynceus & perſpicax, qui aliquando non cœcutiat, aut hallucinetur; nullus tam prudens, qui interdum non fallatur, nullus adeò vigil, qui aliquando non oſcitet, fatendum eſt, quòd in verſionibus *Billii* aliquando menda cubent. Cujus rei cauſam fuiſſe dicunt, quòd argumenta operum, quæ convertenda ſuſcepit, non ſatis aliquando intellexerit. Animum appulit ad Græca ſancti Gregorii Nazianzeni Carmina Latinis verſibus exprimenda; quæ tamen verſio textui S. Patris non usquequaque conſonat.

Interpretationes Irenæi. 10.) *Interpretatio Latina* XVIII. *priorum Capitum libri I. S. Irenæi adverſùs Hæreſes cum ſcholiis Jacobi B. Billii.* Extat in editione Operum S. hujus Patris accuratâ per Franciſcum Fevardentium Pariſiis an. 1575. in fol.

11.) *Iſidori Peluſiotæ Epiſtolæ Græcè & Latinè operâ & ſtudio Jacobi Billii. Pariſiis an. 1585. in fol.* Iſidori Peluſiotæ. In hac editione haud plures atque tres libri exhibentur, quibus deinde duo alii adjecti fuerunt. Verſio Billii in omnibus editionibus, quæ hanc exceperunt, ſervata fuit; licèt eidem ultimam manum non addiderit; & ſi Bonaventuræ Vulcanii in Notis ad Opera S. Cyrilli Alexandrini judicio ſtandum eſt, admodùm imperfecta eſt.

12.) *S. Joannis Damaſceni Opera partim Latinè partim Græcè & Latinè;* Joannis Damaſc. *interprete Jacobo Billio. Pariſiis 1577. in fol.*

13.) Latinè etiam è Græco vertit Chryſoſt. nonnulla Opuſcula *S. Joannis Chryſoſtomi*; ejúsque verſio habetur in quapiam editione Operum hujus S. Patris Pariſiis an. 1581. in fol. 5. vol. atque aliis, quæ poſt hanc accuratæ fuerunt.

14.) D. *Joannes Launonius* tres Billii epiſtolæ. *Billii* epiſtolas, quia elegantes ſunt, necdum editas edendas cenſuit in libro I. Hiſtoriæ Regii Navarræ Gymnaſii. Prima pag. 335. data fuit 18. Januarii anno 1567. ad *Joannem Laſſereum*, qui olim ex Sodali prædicti Collegii Carthuſianus factus fuerat. Aliæ duæ pag. 360. & 362. exaratæ ſunt ad *Jacobum Pelletarium* Joannis Pelletarii Navarræ Archididaſcali fratrem: Notæ autem temporis à vero abſunt. Altera ſignata fuit 23. Januarii an. 1582. & altera inſequenti Februario ejusdem anni; id quod fieri haud potuit, *Billio* rebus humanis jam anno præcedente exempto. Aut igitur Launoius ad notam chronicam non attendit, aut Hiſtoriæ Gallicæ incurioſus fuit. Cæterùm ex reſponſoria *Pelletarii* epiſtola perſpicuum fit, *Billium* pecuniis haud malè uſum fuiſſe, ſed maximum exiſtimâſſe quæſtum, ſi viris eruditis ac doctis, ſed inopiâ laborantibus, haud rogatus opem ferre poſſet; id quod non ſemel ab eo præſtitum fuit.

Ex Nizronii Memoriis Gallicè ſcri- ejus elogium. ptis Tomo 22. pag. 187. & ſeqq. *Billii* encomium etiam texuit *Scævola Sammarthanus Elog. lib. II.* quô teſte „ tametſi totus in ſcribendi labore ſemper fuerit, tamen, quæ fuit ejus verè Chriſtiana modeſtia, nullum unquam argumentum attigit, ne tum quidem, cùm verſibus Gallicis animi cauſa luderet; quin ad pie-

tatem

„ tatem & religionem pertineret. Cætera omnia tanquam fluxa & caduca, generoſo quodam animi vigore contemnebat. „ Ut enim prophani prophanis, & obſcœni obſcœnis delectantur, & quisque ſimilibus gaudet: *ita noſter* BILLIUS, inquit Joannes Chatardus, *totus Deo rebúsque ſacris deditus omne ſtudium circa ſacros, & orthodoxos illos Græcæ Eccleſiæ facilè principes Scriptores collocavit.* Hi ſunt, *D. Ignatius, Irenæus, Epiphanius, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Euſebius, Theodoretus, Evagrius, Damaſcenus, Nicephorus* & alii, quorum ſcripta & monumenta vel ex Græco Latinè reddidit, vel ab innumeris mendis, quibus ſcatebant, vindicavit. Is ipſe *Chatardus*, vir doctiſſimus, breve elogium Abbatis *Billii*, poſt ipſius obitum, in lucem edidit, quod cùm in promptu non habeam, ex epiſtola, quâ *Billii* noſtri ſacrarum Obſervationum libros duos *Ludovico Baro* nuncupavit, laudes ipſius, fratríſque ejus *Joannis* majoris natu, Carthuſiani, de quo nobis ſuprà ſermo fuit, in medium proferam. Ambos verò cum *Cœlites* vocâſſet, dicti ſui his verbis reddit rationem: „ *Cœlites* dico, nec mea me fallit opinio; non enim dubito, quin duo illi, qui jam hinc emigrârunt, & quorum antè animus, vitæque ratio tota cœleſtis erat, modò in cœlis non ſint. Qui quamdiu hîc egerunt, fuêre duo candelabra aurea (ex auro quidem illo ignito & locupletante conflata) quæ in domo Domini ſupra modium poſita, omnibus fidei domeſticis illuxerunt. Duæ etiam olivæ, quæ (*ſicut oliva fructifera in domo Domini*) oleum illud expreſſerunt, quo piarum animarum lampades urnantur & accenduntur, ad excipiendum ſponſum, eúmque ſequendum in cœleſtem illam aulam, in qua nuptiæ agni cum choreis & perenni exultatione celebrantur. Veræ etiam duæ quædam myſticæ vaccæ, quæ recto tramite, & non declinantes, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, à ſemitis mandatorum Dei, portârunt arcam Domini, vel duo etiam juvenci ad portandum Chriſti jugum ſuave, conjunctiſſimi, & ad ejus agrum Crucis aratro proſcindendum & excolendum aptiſſimi. Quos duos *Billios* fratres, *Jacobum* & *Joannem*, auſim etiam duobus aliis fratribus agnominibus Jacobo & Joanni (quos Dominus à prædicationis & Theologiæ excellentia, filios Tonitrui nominavit) comparare, ut veros eorum re & nomine imitatores. Neſcio, an Gallia noſtra alioqui frequens, & tot hominum millibus abundans par aliquod fratrum huic ſimile hodie alat, aliquandóve protulerit: ſive generis nobilitatem, ſive virtutis ſtudium, ſive ſingularem pietatem, & vitæ ſanctimoniam, ſive multiplicem eruditionem, ſive ſancta & erudita eorum ſcripta & monumenta, ſive alia ejusmodi omnia, unde vera laus peti poteſt, & quibus inſigniter ornati fuerunt, ſpectemus. „ Hæc *Chatardus*, cujus de laudibus *Jacobi Billii* altera epiſtola legenda eſt, quâ S. Iſidori Peluſiotæ Epiſtolas à *Billio* Latinè redditas ejus fratri *Godefredo Billio* S. Vincentii Laodunenſi Cœnobiarchæ inſcripſit.

Patres quibus operas commodavit.

Chatardus Billios Cœlitum elogio mactat.

Agunt de *Jocobo Billio* inter alios complures *Natalis Alexander*, & *Hyacinthus Graveſon*. Prioris verba ſunt: *Jacobus Billius Brunæus* Abbas S. Michaelis in Eremo, Guſiæ natus, proximo Hannoniorum finibus oppido, quod Ludovicus ejus pater Franciſci I. Francorum Regis nomine tum regebat, vir Græcè ac Latinè doctiſſimus, plurima ex SS. Gregorio Nazianzeno, Baſilio, Chryſoſtomo, Johanne Damaſceno doctiſſimè fideliſſiméque transtulit. Plurima ipſe ſuo ingenio meditatus eſt. Obiit Pariſiis anno 1581. ætatis 46. & ad S. Severini ſepultus eſt. Ita ille Hiſt. Eccl. ſec. XVI. Tom. 8. pag. 198. col. 2.

Authores qui fuſiùs de Billio agunt.

Hiacynthus Graveſon in continuatione Tabularum Chronologicarum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam neceſſariarum edit. in 4. Venet. 1726. pag. 181. *Alter*, inquit, *Scriptor Benedictinus*, JACOBUS BILLIUS *Brunæus*, *natione Belga & Abbas S. Michaelis in Eremo*, *Monachus Græcè & Latinè doctiſſimus multa Patrum Græcorum Opera Latinè reddidit*... Ex Symbulis P. Oliverii Legipont.

XLI.

JOANNES FECKENAMUS Abbas ultimus Weſtmonaſterienſis in Anglia.

† 1585.

IS parentibus pauperibus natus in agro Wigornienſi prope Foreſtam, ſive ſaltum *Feckenhamiæ*, inde cognomen accepit: quo cognomine ſubſcriptus

Ejus natales, patria, parentes.

ptus invenitur in regiſtro penſionum, quas diſtribuit Rex *Henricus* Monachis ex Monaſterio ejectis, quod in curia augmentationum conſervatur folio 208. Monaſterium autem Feckenami, Eviſhamia, fuit ſuppreſſum 17. Novembris anno Henrici VIII. 31. qui fuit Chriſti Domini annus 1536. Studuit primò Oxonii.

Studia,

Cæterùm non liquet, utrùm ante monachatum, an verò poſtquàm habitum induiſſet, ibi, nempe Oxonii operam literis dederit: Eviſhamiæ monachum fuiſſe, & inter commonachos ſubſcripſiſſe, quando monaſterium reſignârunt coacti in manus regias, ex ipſo dicto regiſtro certum eſt, ex quo etiam patet centum florenos añuæ penſionis habuiſſe.

Monachus,

Monaſterio ſuo ſuppreſſo, adhæſit *Joanni Bello* Epiſcopo Wigornienſi Sacellanus, eóque mortuo ad annum Domini 1539. contulit ſe ad *Edmundum Bonnerum*, Epiſcopum Londinenſem, cum quo perſeveravit usque ad annum 1549.

Officia, Aſyla, fata,

Bonnero Epiſcopalibus infulis exuto tempore Eduardi VI. *Feckenhamus* noſter in turrim Londinenſem conjectus eſt: cauſam *Hornus* Pſeudoepiſcopus Wintonienſis (apud *Stapletonum*, in libro ſcripto contra eundem Hornum pro *Feckenamo*) fuiſſe ajebat promiſſam priùs & poſteà recuſatam adminiſtrationem Sacramentorum, ritu proteſtantico: *Stapletonus* ait, propugnationem jejunii quadrageſimalis, & ſoliſidianæ inſtitianæ impugnationem; eáſque cauſas dicit allatas in regiſtro Cantuarienſis Crammeri, qui propterea *Feckenamum* Lumbethæ coram multis commiſſariis convenit, & in fide conſtantem carceri addixit, de cujus rei veritate, ad ipſum regiſtrum appellat *Stapletonus*.

Londini incluſio, & hujus cauſæ.

Ex carcere iſto fuit illi permiſſum, ut exiret, diſputandi cauſa, agente Domino *Philippo Hobbio*, qui eum ex turri pro aliquanto tempore, ut ipſius *Feckenami* verbis utamur, quaſi mutuatum accepit. Itaque hoc fine eductus ex carcere ſeptem ſolemnes habuit diſputationes (quarum ſpecialem mentionem dicto jam libro facit Stapletonus circa præcipuos fidei articulos:) *primam* in ædibus Comitis Bedfordiæ in hoſpitio Sabaudico Londini; *alteram* in ædibus D. *Guilielmi Cecilii*, in vico, quem vocant, Canonicorum; *tertiam* in ædibus D. *Joannis Checi*, in domo, quæ fuerat olim Carmelitarum; & in tribus colloquiis habitis de religione, propter nobilium virorum, in quorum ædibus habebantur, reverentiam, fatis benigniter habitus fuit.

è cuſtodia ad diſputationes de fide mittitur.

Sed diſputationem hanc Londini inchoatam finire coactus fuit in agro Wigornienſi, ubi beneficio Eccleſiaſtico adhuc potiebatur: ibi igitur *D. Philippo Hobbio*, ut dictum eſt, ſatagente comparuit in diſputatione *Feckenamus*, ubi *Hooperus* Pſeudoepiſcopus Wigornienſis quatuor diverſis diſputationibus ſolemniter habitis, quarum prima fuit in viſitatione *Hooperi* Perſhorenſi (*fuit olim Abbatia percelebris Congregationis Benedictino-Anglicanæ*) ultima in cathedrali Eccleſia Wigornienſi fuerat celebrata; opponente inter alios *Joanne Ivellio* Sariſburienſi, ita ſolidè reſpondit Hoopero *Feckenamus* (inquit Stapletonus) ut non immeritò *Hooperus* ſibi ſatisfactum eſſe fateri cogeretur, & *Feckenamus* inde dimiſſus ad carcerem ſuum in turrim Londinenſem reductus fuerit, in quo perſeveravit usque ad primum annum Reginæ MARIÆ.

Hooperum fatigat, carceri retruditur,

Illâ enim ad regni thronum exaltatâ, eductus eſt ejus juſſu *Feckenamus* de carcere turris, & aſcitus in clientelam regiam, eique à ſacris factus: deinde ad decanatum Eccleſiæ cathedralis S. Pauli Londinenſis promotus: ac tandem, ut diximus, Abbas Weſtmonaſterii factus.

& iterùm liberatur.

Ita cùm valeret magnâ apud Reginam gratiâ, multis officiis pietatis & humanitatis conatos eſt devincere tum alios nobiles, tum ipſam *Eliſabetham*, adhuc privatam; quorum officiorum teſtes appellat *Stapletonus* Comites Leiceſtriæ, Warwici & Bedfordiæ, inter quos & Reginam Mariam ſæpiùs mediator & ſequeſter fuerat: *Guilielmum* etiam *Cæcilium*, qui potuerit atteſtari, factum operâ & interceſſione *Feckenami*, quod D. Joannes Checus & non ignobilis proteſtantium ſectator vita fortuníſque privatus non fuerit; quin aliquoties coram ipſa *Maria* Regina pro concione interceſſiſſe pro *Eliſabetha* ſorore Reginæ, unde ipſius *Mariæ* non mediocrem indignationem incurrerit: ídque ab eo factum fuit, & antequam eadem *Eliſabetha* in cuſtodiam fuit conjecta, & poſtquàm cuſtodiæ mandata fuiſſet: cujus officii memor ipſa, antequàm coronaretur, *Feckenamo* gratias egit. *Atque utinam* (inquit Stapletonus iſta narrans) *poſt 7. annos carceris tantùm inveniat* Feckenamus *humanitatis & favoris, quantum cùm rebus ſecundis floreret, ipſe aliis exhibuerat*; quæ cum Stapletonus anno 1567. ſcripſerit, ſit *Feckenamum* noſtrum carceri torris man-

Abbas Weſtm. factus, pro Eliſabetha interpellat.

mancipatum fuiſſe anno 1560. qui erat ſecundus annus regni *Eliſabethæ.*

Ad eam poſtea accitus,

Maria ad ſuperos per immaturam Catholicis mortem evocata, *Feckenamus* in comitiis regni pro Abbatiali dignitate locum poſſidens & ſuffragium, conſtanti gravique oratione mutationem aut innovationem religionis, quantum in ipſo fuit, fortiter diſſuaſit, quam citat *Bronythonus* vir doctus, in apologia innocentium Catholicorum. Accerſivit eum ad colloquium ſuum *Eliſabetha* Princeps non longè antequam coronâ regni foret inſignienda; nuntius, qui primò eò miſſus fuerat, inveniſſe eum dicitur occupatum in plantandis Ulmis, quæ nunc adhuc in Collegii Weſtmonaſterienſis horto creſcunt; nec ullo modo voluit nuntium ſequi, antequam cœptum opus plantationis finiviſſet; fortè tunc intentus meditationi, & orationi, ut quemadmodum ipſe eas arbores collocâſſet; ita Deus replantatam nuper religionem conſervaret; aut monachos, quos prævidebat ab hac Regina ejiciendos, Deus ſuo tempore iterum reducerer. Quid tunc cum Regina colloquii habuerit, tametſi aliqua feruntur, quia tamen incerta, non aſcribimus; credibile, tunc egiſſe Reginam inſtantiùs, ut aliquousque *Fecknamus* & monachi, ſe Reginæ votis conformarent, atque ita in monachatu ac poſſeſſione Abbatiæ perſeverarent. Nam & illud vehementer optâſſe Reginam narrat *Sanderus*, nimirum ut in illa religionis ſuæ innovatione, novum genus monachotum ſibi conſentiens haberet. Sed fruſtra optavit, quia vir ſanctus in Deo firmiter ſtabilitus nullis blanditiis aut terroribus ab Eccleſiæ communi fide potuit dimoveri, quamvis etiam ei Archiepiſcopatum Cantuariæ ea conditione Regina obtulerit.

Religionis cauſam perorat.

Pro fide diſputare affectat.

Convocato primo Parlamento ſub *Eliſabetha*, & diſputatione inſtitutâ de articulis fidei inter veteres Epiſcopos, & novos prædicatores, etiam *Fecknamus* magno zelo obtulit ſe, ut inter primos pro fide diſputaret, ſed admiſſus non fuit, Regina nolente ipſum in numerum collatorum venire, unde factum, ut cùm aliqui Epiſcoporum propter illam diſputationem fuerint in carceralem cuſtodiam conjecti, *Feckenamus* adhuc liber fuerit: ſed non diu liber perſeveravit; anno enim ſequenti, hoc eſt 2. ut diximus regni Eliſabethæ, etiam ille turrim habuit pro carcere. Ibi anno 1563. cùm juramentum ſuprematûs regii fuiſſet edicto parlamenti propoſitum, *Feckenamus* quædam collegit argumenta, quibus illud oſtendit illicitum fuiſſe; ſequenti hyeme domo *Horni* pſeudo-epiſcopi, pro carcere, uti juſſus eſt, à quo inciviliter & perfidè, more miniſtrorum novi Evangelii tractatus fuit, & in turrim Londinenſem iterum retruſus. *Interea Hornus* librum impium, plenúmque mendaciis contra rationes *Feckenami* edidit: cui libro doctiſſimam oppoſuit *Stapletonus* reſponſionem; aut potiùs *Harpsfeldius*, ita enim conſtanter aſſertum à multis audivimus, illum librum contra *Hornum*, quem *Stapletonus* edidit, revera ab *Harpsfeldio* fuiſſe conſcriptum, qui cùm ipſe in carcere teneretur, voluit latere, & ſub amici umbra, hoſtem hunc communem impugnare, ſicut ſub *Alani Copi* nomine dialogos ſuos contra Centuriatores Magdeburgicos evulgavit. Hoc reſponſo pudefacti hæretici, quòd hominem tot officiis de ipſis benè meritum, tam inhumaniter tractâſſent, iterum ex turri Londinenſi liberatus eſt *Feckenamus*, & ad carcerem Mareſchalli, ut vocant, aliquanto liberiorem, carcerem tamen, translatus fuit; paulò pòſt permiſſa eſt illi poteſtas in privato hoſpitio in ſuburbio Londinenſi, quod *Holburn* vocant, habitare, ubi aquæductum inſignem condidit. Inde ad caſtrum Wisbicenſe translatus, ibidem crucem, quæ adhuc viſitur, ædificavit, & inter alios Chriſti confeſſores ibidem in cuſtodiâ detentos, ipſe diu vivens, poſt vigeſimum tertium carceris ſui annum glorioſam confeſſionem felici morte in ipſo carcere conſummavit anno 1585. Vir fuit mediocris ſtaturæ, craſſiuſculo corpore, facie rotunda, pulchra, & jucundo ſemper vultu, converſatione & colloquio amabilis, & familiaris. Camdenus in Eliſabethæ ſuæ Annalibus ad annum 1559. vocat eum, *Virum doctum & bonum, qui longo tempore vixit, & publicè bene de pauperibus merendo, animos adverſariorum ad benevolentiam allexit.*

In cuſtodiam iteratò conjicitur.

Ipſius contra Hornum defenſores.

Vivere deſiit 1585.

Ejus animi & corporis dotes.

Elogium ex Pitſeo.

Nec erit abs re Pitſii elogium apponere. *Joannes Feckennamus* (inquit) *Ordinis S. Benedicti monachus Anglus, & tandem Abbas Weſtmonaſterienſis creatus eo tempore, quo in Anglia regnârunt* Philippus & Maria *Reges Catholici, Vir, cui Deus largas benedictiones, natura egregias contulerat dotes.* Erat

in eo pietas in Deum inſignis, in proximos mira charitas, in majores ſingularis obſervantia, in æquales atque etiam inferiores mitis quædam affabilitas, in omnes dulcis humanitas:

Virtutes & doctrina.

Multiplex doctrina, redundans in concionibus facundia, incredibilis religionis catholicæ zelus. Cùm jam non obſcuris indiciis cerneret, omnia vergere ad ruinam, & fidem avitam omninò periclitari, hoſtibus Eccleſiæ ſtrenuè ſe oppoſuit, & habitis frequentibus concionibus, nonnunquam etiam publicis diſputationibus, libris denique ſcriptis Eccleſiam Dei & Catholicam fidem, quantum potuit, propugnavit.

Zelus pro avitâ fide.

Cùm denique regnante *Eliſabetha* in comitiis (*Parlamentum vulgò vocant*) ageretur de fide catholica extirpanda, & hæreſi plantanda: intrepidus publicè prodiit, & apud ſolemnem illum Principum, Procerum, & populi cœtum Anglicâ linguâ eloquentiſſimam & valde nervoſam habuit orationem de veteri patrum religione retinenda, de nova non excogitanda, nec introducenda. Cùm autem res jam plenè collapſa eſſet, & prævaluiſſet iniquitas; ille confeſtim carceribus mancipatus eſt, primùm Londini in carcere Equitis Martii, deinde in caſtro Wisbicenſi (*Turris cuſtodiam carceralem hic omiſit Pitſius, ſed non tacuit Stapletonus*) in univerſum continuis plusminus viginti ſex annis.

Incarceratio.

Quo toto tempore à catholicis dogmatibus propugnandis, & ab aliis charitatis operibus exercendis quoad fieri potuit, nunquam ceſſavit. Inter cætera, quæ præſtitit charitatis officia, Joanni Storæo legum Doctori propter fidem Catholicam capitis condemnato, per totam noctem adfuit, & ad mortem in craſtinum pro Chriſto fortiter perferendam animavit. Sed ad ea, quæ ſunt eruditionis, veniamus.

Lucubrationes.

Multas quidem, eáſque eruditas exaravit lucubrationes, quæ pleræque propter temporum iniquitatem & authoris incarcerationem etiam usque ad mortem, unà cum eo interciderunt. Servârunt tamen boni viri quædam ejus opuſcula, vel operum reliquias: imprimis ſermonem quemdam, cujus thema quaſi ſpiritu prophetico ſumptum fuit ex Eccleſiaſtici cap. 4. *Laudavi magis mortuos, quàm viventes*; cui titulum fecit: *Sermo funebris in exequiis Reginæ Mariæ*. Orationem habitam in comitiis Angliæ. Contra juramentum ſupremæ authoritatis regiæ in Eccleſiaſticis librum unum. Contra quod opus ſcripſit *Hornus* pſeudoepiſcopus Wintonienſis, eúmque refutavit *Thomas Stapletonus*. De Euchariſtia contra Hooperum. Scripſit etiam commentarios in Pſalmos Davidis, quod opus Londini in manibus auctoris ſe vidiſſe mihi ſanctè affirmavit *Richardus Stanihurſtius*. Sed & illud periit, & ejusmodi alia. In vinculis confeſſor obiit anno Chriſti 1585. ſub duro in Anglia *Eliſabethæ* Regno. Hæc Doctor *Pitſius*. Sed & orationem funebrem habuit valde laudatam in exequiis Duciſſæ Parmenſis Caroli Quinti filiæ, & Belgii Gubernatricis.

XLII.
NINIANUS WINZETUS.

† 1592. 21. Sep.

Natus in Scotiâ A. 1518.

PAtriâ Renfrous, *Monaſterii Scotorum ad S. Jacobum Ratisbonæ Abbas & SS. Theologiæ Doctor, vir meliori apud ſuos memoriâ dignus, religionis orthodoxæ propugnator eximius, editisque præclari ingenii monumentis, ſummæ eruditionis laude inclytus.* Natus is in *Renfrew* Scotiæ oppido anno 1518. atque à teneris in pietate & bonis literis enutritus, abſolutis ſtudiis Presbyter ſecularis in diœceſi Glasguenſi ordinatus eſt, ac ob præclaras animi dotes publicis primùm apud Lithgoam Scholis, dein Eccleſiæ Collegiatæ ibidem præpoſitus.

Fit Presbyter ſecularis,

Emergente in Scotia hæreſi Calvinianâ, unus is fuit, qui ſe *Joanni Knoxio* & *Thomæ Spotswodio* Calvini diſcipulis & rebellionis coryphæis ſtrenuè oppoſuit, eósque diſputationibus quà publicis, quà privatis adeò convicit, ut victoriæ palmam *Niniano* boni omnes adſcriberent.

Calviniſtas impugnat,

Mariæ Stuartæ Reginæ ex Galliis reduci à confeſſionibus tamdiu fuit, quamdiu illa libertate fruebatur. Reginâ in Anglia detentâ, & prævalentibus ſenſim hæreticis *Ninianus* ſudes in oculis malignantium exulare cogitur.

exulare cogitur.

In Gallias igitur ſecedens Pariſiis doctoralem lauream in Theologia adipiſci promeruit. Inde Romam à *Gregorio XIII.* accitus, ibi degebat anno 1577. dùm obitus *Thomæ Anderſonii* Scotorum Ratisbonenſium Antiſtitis nunciabatur.

Romam accitus Abbas deſignatur.

Pontifex meritorum cenſor egregius opportunam nactus occaſionem, quâ *Niniano* benefaceret, viduatam hanc Abbatiam ſine medio Sedi Apoſtolicæ obnoxiam eidem nondum Monacho XIV. Julii contulit, eúmque unâ eadémque

démque die Dominica vi. poſt Pentecoſten habitum religionis induere, ſolemnia vota emittere, ac denique Benedictionem Abbatialem, ſacris operante *Thoma Goldwellio* Epiſcopo Anglo exule, ſuſcipere juſſit. Ita per ſaltum ordinatus Ratisbonam appulit die 9. Auguſti ejusdem anni 1577. manúque clavo admotâ prudeſſe magis, quàm præeſſe ſtuduit; diſciplinam monaſticam nonnihil collapſam ſolerter inſtauravit; laudabilem Scotorum per Germaniam conſuetudinem tenendi ſcholas publicas, reduxit; altiora ipſe ſtudia docuit, humaniora fratribus ſuis commiſit, multóſque ac ſtrenuos pro Eccleſia, pro Patria & Cœnobio labores exantlavit. Juvat hîc referre, quæ de eo reſcribit *Weſſenbergius* Scriptor Germanus in ſua Ratisbona Religioſa Msc. ita enim habet pag. 174: *Hic Abbas* NINIANUS, *gratus, honoratus & deſideratus omnibus, non ſine Sanctitatis opinione, cùm eidem antea Dei Mater vitæ terminum prænunciaſſet, X. kal. Octob. naturæ tandem conceſſit MDXCII. cui ſequens Epitaphium poſuêre ſucceſſores:*

Optimè præfuit & profuit,

Denatus A. 1592. 21. Sept.

Ejus Epitaphium hodiedũ exſtans.

Ninianus SS. Theol. Doctor, Vir pius & zeloſus, Monaſticam hic diſciplinam inſtauravit, multáque verbo, Scripto, & vita exemplo, ad ædificationem proximorum præſtitit. Qui poſtquam huic Monaſterio ſexdecim annos ſummâ cum laude præfuiſſet, ac ſucceſſorem canonicè & legitimè ſibi proſpexiſſet, tandem XXI. Septemb. an. Chriſti MDXCII. ætatis verò ſuæ LXXIV. piè & placidè obdormivit in Domino.

Ingenii partus.

Multa ſolida ingenii monumenta poſteris reliquit, cùm vernaculo, tum latio ſermone conſcripta, quorum catalogum contexuit *Georgius Mackenzius* inſignis Bibliographus, Tomo III. Scriptorum Scotiæ celebriorum p. 155.

1. Tractatus tres populari idiomate exarati, quibus exhortatur Reginam Scotiæ & Epiſcopos ad reformandos Clericorum mores, & doctrinam catholicam publicè explicandam contra nova & falſa proteſtantium dogmata. *Edinburgi* 1562. in 8.

2. Tractatus de celebratione Paſchatis & aliorum Feſtorum Domini complectens tres declamationes ad Prætores & cives Edinburgenſes. *ibidem* 1563. in 8. Vernaculè.

3. Libellus ad Reginam & Proceres Scotiæ, de illegitima vocatione *Joannis Knoxii* & aliorum proteſtantium ad prædicandum Evangelium. *Edinburgi* 1563. in 8.

4. Quæſtiones LXXX. circa doctrinam, ordines & mores proteſtantium in Scotia. *Antuerpiæ* an. 1563. in 4. Hos omnes Tractatus nuper typis reddidit vir ingenuus *Robertus Keith* in Appendice ad Hiſtoriam mutatæ in Scotiâ religionis.

5. Flagellum Sectariorum, qui Religionis prætextu ſeditiones in Cæſarem, aut in alios orthodoxos Principes excitare ſtudent. *Ingolſtadii* 1582. in 4.

6. Velitatio in *Georgium Buchananum* de jure Regni apud Scotos. *Ingolſtadii* 1582. in 4.

7. VINCENTII LIRINENSIS *Commonitorium adverſus hæreticos* in popularem linguam converſum, cum doctiſſima Parænesi ad Reginam & Nobilitatem Scotiæ. Antuerpiæ 1563. in 8.

8. RENATI BENEDICTI *Tractatus de componendis diſſidiis circa Religionem exortis*, anglico idiomate donatus cum inſigni præfatione ad Epiſcopos & Clerum Scotiæ. Pariſiis 1565. in 8.

Extabant etiam alia plura hujus viri manuſcripta opuſcula, præſertim res Scoticas in Germania & Gallia concernentia, quæ tamen vel latent incognita, aut planè interciderunt. *Ex ſymbolis* BERNARDI BAILLIE *Abbatis Scotorum Ratisbonæ, aliſque notitiis, addidit P. Oliverius.*

XLIII.
GILBERTUS GENEBRARDUS
Archiepiſcopus Aquenſis.

† 1597. 14. Martii.

PRognatus eſt Ricomagi in Arvernia ſub annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum ſeptimum. Admodùm adoleſcens ſolemnibus votis in Manſacenſi Claromontanæ Diœceſis Monaſterio ſe Religioni Benedictinæ addixit. Cùm bonarum literarum amantiſſimus eſſet, neceſſariis tamen ad eas addiſcendas præſidiis eò loci ac regionis deſtitueretur, Lutetiam Pariſiorum profectus eſt. Hîc Mæcenatem nactus eſt *Guillielmum du Prat* Epiſcopum Claromontanum, cujus opibus ac liberalitate ſuſtentatus fuit. Optimis uſus eſt Præceptoribus, primùm quidem in Græcis literis celeberrimi viri *Adriani Turnebi*, regii Profeſſoris auditor fuit, in philoſophicis *Jacobi Car-*

Naſcitur 1537.

Fit Monach9.

Pariſiis ſtudet

Optimis uſus præceptoribus.

pentarii, in Theologia *Claudii Sanctæi*. In Abbatia S. Illidii literarum, rerúmque Hebraicarum cognitione imbutus fuit. Poſtquàm anno 1563. die decima Junii Theologiæ Doctor Facultatis Pariſienſis creatus ſuit, ſacræ linguæ regius Profeſſor & Interpres in Academia Pariſienſi renuntiari meruit. Quod munus magna cum laude ac nominis ſui celebritate plures annos adminiſtravit. Ad hæc in eadem Urbe Pariſienſi Priorem S. Dionyſii de Carcere multo tempore egit.

Theologiæ Doctor creatur 1563.

Romam petit.

SIXTO V. Summo Pontifice Romam venit: cujus non minùs benevolentiam, quàm S. R. E. Cardinalium, quibus præſtans ejus doctrina ex operibus in lucem emiſſis cognita erat, amorem ac humanitatem expertus eſt. Pariſios reverſus Unioni Henoticæ & Hiſpanicæ factioni nomen dedit, adeò quidem animosè, ut earum partes acri ac perenni ſtudio præ multis aliis tueretur. Quod abundè in ſuis ad populum concionibus oſtendit, in quibus Catholicæ Religionis zelo abreptus non ſatis in poteſtate os & linguam habuiſſe dicitur: neque enim à verbis acerbioribus atque adeò contumelioſis in Regem *Henricum IV.* abſtinuit. Quo concionandi genere tantam à ſupremis Unionis capitibus gratiam inivit, ut cùm à GREGORIO XIV. Pontifice Max. an. 1591. VI. idus Martii Archiepiſcopum Aquenſem creandum curârint. Conſecratus autem fuit 1592. Aprilis 10. Lutetiæ in æde S. Genovefæ-Montis, à *Jacobo de Beton*, Archiepiſcopo Glaſcuenſi in regno Scotiæ, aſſiſtentibus *Aymaro Hennequin* Redonenſi, & *Gulielmo Roſe* Silvanectenſi Epiſcopis. Aquenſem urbem ſolemniter ingreſſus 19. Septembris 1593. quinque annis hanc metropolim rexit. Licèt verò tantæ dignitatis meritiſſimus eſſet, criminis tamen læſæ majeſtatis poſtulatus fuit, maximè quòd voce & ſcriptis fœderatorum cauſam adjuvaret, ac populorum animos à Regis obſeqoio alienos in rebellione confirmaret. Cùm verò pleræque regni provinciæ ad obſequium Regis redirent, ipſe Avenionem ſecedens Archiepiſcopatu privatus eſt Senatuſconſulto Aquenſis Parlamenti 1595. die Jan. 26. Compoſuit verò eâ in urbe librum *de ſacrarum Electionum Jure*, quem idem Parlamentum Regis juſſu flammis addixit, *Genebrardo* ſolum totius regni vertere juſſo, capite, ſi rediret, pluituro. Subinde tamen facta eſt ipſi poteſtas, ut Semurium in Æduis, Prioratum Conventualem Abbatiæ Flaviniacenſi ſubjectum, ſuæque poſſeſſionis locum, diſcedere poſſet. Hîc ſexagenario major 16. Febr. non verò, ut quidam tradunt, 14. Martii, in vivis eſſe deſiit, ibíque humili ſepulturâ donatus, ut inſcriptio monumenti ejus in dextera parte chori Eccleſiæ beatæ Mariæ habet: *Gilbertus Genebrardus, Archiepiſcopus Aquenſis, Prior hujus cœnobii obiit anno 1597. 14. Martii*

redux avitam religionem propugnat.

Aquenſis Archiep. creatur.

Quinquennio poſt deponitur.

evulgat librum de jure ſacrarum electionum.

ejus obitus & epitaphium.

Urna capit cineres, nomen non orbe tenetur.

Henrici Regis averſus in eum animus.

Rex *Henricus* nunquam illum pro Archiepiſcopo habuit, eam per cauſam, quòd ſine regia ſua auctoritate Aquenſibus Antiſtes datus fuiſſet. Anno autem 1595. cùm Aquenſem civitatem in ſuam redegiſſet poteſtatem, *Paulum Huraltum*, magni Hoſpitalii nepotem hac dignitate ornavit, quam priùs tamen non adiit, quàm poſt mortem *Genebrardi*, anno nempe 1597. die 23. Decembris.

Amici & fautores,

Amicos familiares habuit, *Petrum Danſium*, Epiſcopum Vaurenſem, *Arnaldum Pontacum* Vaſatenſem, *Jacobum Billium Prunæum*, Abbatem S. Michaëlis in Eremo, *Joannem Savaronem* Arvernum Præſidem Claromont. alióſque eruditos Galliæ viros. At inter cæteros, *Cæſarem Baronium* Annalium Eccleſiæ ſcriptorem eximium, *Fabricium Caraffam*, *Paleotum*, *Faſchinetum*, *Valerium* Veronenſem, *Cajetanum*, *Alanum*, *Colmnuam*, & *Boromæum* juniorem, omnes quidem Rom. Eccl. Cardinales.

ejúſque encomiaſtes.

Nec pauciores viri doctrina & eruditione præſtantes fuerunt, qui encomiis eum extulerunt. *Marcus Antonius Muretus*, ætatis ſuæ clariſſimus Orator, in epiſtola ad Jac. Aug. Thuanum, ſatis multos viros doctos ex Sorbonico Collegio amicos ſe habere ſcribit: inter cæteros GENEBRARDUM, *qui unus*, inquit, *mihi pro millibus*. Ipſe *Thuanus* Hiſtor. tom. V. lib. 119. *Diu*, inquit, *Genebrardus literas Hebraicas magna frequentia in regio auditorio Lutetiæ docuit, & per has turbas, non interveniente regii nominis auctoritate, Archiepiſcopus Aquenſis creatus eſt, ob idque dignitate ea, rebus per pacem ordinatis, ſtatim exutus, in cauſa regni & ſcriptis ſuis, quæ complura & multijugæ eruditionis plena evulgavit, iniquior & acerbior, & vita quàm ſtylo temperatior creditus.* Legendi etiam ſunt *Poſſevinus* in Apparatu ſacro, *Wion* in Ligno vitæ, *Hilarion de Coſte*, Ordi-

Ordinis Minimorum, unus ex Franciſci à Paula nepotibus, eruditione & pietate commendandus, in elogiis clarorum Galliæ Virorúm; ſanctus item *Franciſcus de Sales*, Epiſcopus & Princeps Gebennenſis l. 2. Theologiæ, & de amore Dei lib. 2. cap. 11. *Gullelmus du Vair*, Galliarum Procancellarius, & Antiſtes Lexovienſis, primæ notæ Scriptor erudítiſſimus in Oratione ad Ludovicum XIII. Regem Chriſtianiſſimúm. Demùm *Scævola Sammarthanus* in elogiis Gallorum doctrinâ illuſtrium, qui noſtrâ Patrúmque memoriâ floruerunt lib. 4. cujus verba referre libet *Genebrardo* noſtro planè honorifica: *Arvernia bonis ingeniis fœcunda; cujus è gremio prodiére togati ordinis tot illuſtres viri, hunc etiam edidit ſacrati Ordinis eruditum virum (utinam pari conſilio fuiſſet) qui ſanctæ linguæ regius apud Pariſios interpres, Hebraicæ antiquitatis arcana plurima, ea maximè, quæ ad rationes temporum ſubducendas pertinent, adhibito perſpicacis ingenii lumine perquiſivit, ac in lucem protulit. Hoc enim ex fonte ortum eſt chronologicum illud opus, & alii, qui nunc ſunt in manibus hominum, ſimiles induſtriæ fœtus, maximis ab eo vigiliis & laboribus elucubrati. Multa ille ex Hæbræis & Græcis accuratè tranſtulit, multa recognovit, multa commentatus eſt. Noviſſiméque Muſarum penetralia ingreſſus amatorium Salomonis Latinè tentavit poëma, molle illud quidem ac tenerum, ſed pium; quo Servatoris piiſſimos in Eccleſiam ſuam amores intelligi ſapientiſſimi homines tradidêre. Nec eum ab inſtituta verſione deterruit, quod alii ſummæ doctrinæ viri & hujus ætatis facilè principes Poëtæ, lepores omnes & gratias in eodem carmine transferendo feliciſſimè jam impendiſſent. His ſtudiis inſeneſcentem, partâque præſtantis eruditionis opinione latè celebrem, Gregorius XIV. eorum commendatione, qui à regio nomine deſciverant, Aquenſi archiepiſcopatu donavit; Sed magnanimo Rege rerum potito, impetratam his authoribus à Pontifice dignitatem diu ſervare ac tueri non potuit. Hanc enim Paulo Huralto, magni Hoſpitalii nepoti, ſumma eruditione, ſummáque facundia viro, ſua in Principem & Rempublicam fides meritò reſervabat. Fato functus eſt Semuri Burgundionum, quò in oppido non ignobile ſacerdotium poſſidebat, anno ſalutis MDXCVII. circiter ætatis annum ſexageſimum.*

Scævolæ Sammarthani de eo teſtimonium.

Nec lectu indigna ſunt, quæ *Bulæus* in Hiſtoria Univerſitatis (q) Pariſienſis ex Boteræo refert. „ Hic annus „ (1597.) Eccleſiæ literatorúmque „ lucidiſſimum Sidus extinxit *Gilbertum Genebrardum*, gente Arvernum, „ Regulâ Benedictinum, profeſſione „ Theologum, regium & publicum „ Hebraicæ, Syriacæ, cæterarúmque Exoticarum Linguarum, quas „ Orientales vocant, Profeſſorem. Vir „ ſuâ famâ tam notus, ut commendatione non indigeat, præcipuè „ Chronologico Opere, Pſalmorum „ recenſione, editione veteris Liturgiæ, aliarúmque lucubrationum, „ quas non niſi ab uno *Genebrardo* noſtra vel poſtera ætas exſpectare debuit. Pontifex Maximus civili bello Mainii Ducis elogio commendatum, ſed veriùs propria virtute Inſulis Aquenſibus inſigniverat, quas „ retinere potuiſſe veriſimile eſt, ſi à „ fœderatis, quibus tenaciùs adhæſit, „ defeciſſet. Aquenſes optimo & literato Præſule plurimùm recreabantur, ſed mortui deſiderium lenivit „ Huraltius Hoſpitalarius ſuffectus, qui „ proximè & paſſibus æquis defunctum in Concionibus, Theologicisque Diſſertationibus inſequitur. Obiit Semuri in Burgundia, ubi ſacerdotium habebat ſatis pingue anno „ 1597. ætatis circiter 60. „

Bulæi de eodem elogium.

Genebrardi meminit etiam Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre, quem jure merito, inquit, *Sorbonæ lumen magnum, & Galliarum decus* appellat Stephanus Dechamps lib. 3. de hæreſi Janſeniana diſp. 1. cap. 3. cujus Chronicon ſcriptum uſque ad annum MDXXIV. continuavit quiſpiam vir doctus, addens aliquot paginas, & in ea, quæ eſt 541. editionis Lugduni apud Joannem de Phuletote an. MDXCIX. ſcribens; *Anno* 1597. *Martii* 10. *horâ* 5. *manè Gilbertus Genebrardus Theologiæ Doctor in Academia Pariſienſi, & Aquarum Sextiarum, ſive Aquenſis Archiepiſcopus, hujus Chronologiæ auctor, uſque ad annum* 1584. *Operis profectò immenſi laboris & induſtriæ admirabilis, de Catholica Religione, & de literis Hebraicis benè meritus, magno bonis omnibus deſiderio ſui relicto placidè in Chriſto obdormivit* &c. Sed quoniam magni illius viri memoria hoc loci ſe obtulit, accipe verba Raynaudi Tom. XI. Part. I. Erotemate X. pag. 264. ubi inter alia, quæ profert contra ſuperbiam *Joſephi Scaligeri* debacchantis

Quid de eo Cardinalis d'Aguirre & alii.

(q) Tom. VI. pag. 936.

adversùs quoſdam Scriptores Catholicos, inquit: GILBERTUM GENEBRARDUM *eximium omninò Scriptorem è ſacra D. Benedicti Familia, & Aquenſem Archiepiſcopum, cui Hebræa lingua adeò familiaris erat, quàm vernacula, peritia verò ſacræ & humanæ literaturæ, omninò multis ſcriptionibus apud doctos vulgatiſſimus eſt teſtata, auſus eſt (Scaliger ille, cymbalum mundi) pecus maledicentiſſimum, beſtiam inſolentiſſimam nominare.*

Oudini judicium.

Caſimirus Oudinus Genebrardum vocat, *non vulgare Gallicanæ Eccleſiæ ornamentum.* Hic præter innumera, inquit, quæ ſeculo præcedente ſcripſit volumina, quorum vel recenſere titulos prolixum eſſet, ſcripſit vitam Origenis, novâque & ampliori editione omnia illius Opera Caroli IX. Francorum Regi dicata edidit Pariſiis in ſolio duobus magnæ molis voluminibus.

Styli ejus criteriũ.

Opera igitur tot, tantóque numero in lucem emiſſa indefeſſæ induſtriæ, laboris, ac vigiliarum indubium præſtant argumentum. Latino ſcribendi genere uſus eſt facili, ac tolerabili, ſed nonnihil duro, ac ſynonimis & epithetis turgido. Annos integros tredecim, horis quatuor ſupra decem indies ſtuduiſſe fertur. Catellum etiam aluit, qui ita inſtitutus erat, ut ſi quando heri oculis inter ſtudendum ſomnus obrepſiſſet, eum excitaret.

Operum Index.

Operum catalogus Pariſiis anno 1591. prodiit ex officina Sebaſtiani Nivellii, quem Poſſevinus auxit, & expendit: nos, quem Nizronius texuit, præferendum duximus.

Iſagoge Rabbinica.

1. *Iſagoge Rabbinica ad legenda & intelligenda Hebræorum & Orientalium ſine punctis ſcripta, cum Tabulis Artium & Scientiarum vocabula exhibentibus. ad Sixtum V. Pont. Max. Pariſ. apud Petrum Beinerium* 1563. & 1587. *in* 4. Item in Adriani Relandi collectione, cui titulus: *Analecta Rabbinica.* Ultrajecti 1702. in 8. Genebrardus tantùm ſtudii addiſcendæ linguæ Hebraicæ impendit, ut ad eam alios edocendam idoneus fuerit habitus. Ejus elocutionem Hebraicam præ Latina commendat *Du Verdier Proſographiæ tom.* 3. *pag.* 2596. multò enim meliùs, magiſque ſcitè literas Hebraicas, maximè gutturales, pronunciabat, quàm Latinas, quarum nonnullas ex imo quaſi gutture extrahere ſolitus erat. In *Colomeſii* etiam *Gallia Orientali* complurium virorum doctorum teſtimonia coacervantur, quibûs inſignis linguæ Hebraicæ cognitio Genebrardo tribuitur. Quòd ſi *Joſephum Scaligerum*, odii tamen erga Genebrardum non expertem, audire placet, majori is conatu, quàm linguæ peritia, ſtylum in explicandis rebus Rabbinicis exercuit. Eandem ſententiam tulit *Richardus Simon* in Critica ſua Veteris Teſtamenti Hiſtoria; cujus teſtimonio Genebrardi Opera longè pluribus referta ſunt erraris, quàm ut eius videri poſſint, qui omnes linguæ Hebraicæ theſauros poſſediſſe vulgò exiſtimatus fuit. Verùm hoc Richardi teſtimonium tantùm valeat, quantùm ejus Hiſtoria.

2. *De Metris Hebræorum ex libro R. David Jechiæ*, cui titulus: *Leshon Lemudin.* Pariſiis in 16. apud Guillielmum Morellum, & Martinum Juvenem. De Metris Hebræor.

3. *Eldad Danius Hebræus Hiſtoricus de Judæis clauſis, eorúmque in Æthiopia beatiſſimo imperio.* G. Genebrardo Interprete. Pariſ. Frideric. Morellus 1563. in 8. Eldad Danius.

4. *Joël Propheta cum Chaldæa Paraphraſi, & Comentariis Salomonis Jarhii, Abrahami Aben-Ezra, & Davidis Kirahi, Latinè; Interprete G. Genebrardo, cum ejus enarratione. Pariſ. apud Martinum Juvenem* 1563. *in* 4. Joël Propheta.

5. *Alphabetum Hebraicum, & indicati Pſalmorum primi & ſecundi Lyrica, ad formam Pindari, Strophe, Antiſtrophe, & Epodo.* Pariſ. 1564. in 4.to Typis poſteà iteratis excuſum nempe an. 1572. 1584. in 8. & 4. Alphabetum Hebraicum.

6. *Tabella & Summaria deſcriptio temporum. Pariſ.* 1564.

7. *Scholia & Tractatus IV. ad Grammaticam Hebræam Clenardi; ad abſolutiorem linguæ ſanctæ inſtitutionem. Pariſ. apud Mart. Juv. in* 8. & 4. *an.* 1564. *in* 8. & 1582.

8. *Rabbi Joſephi Albonis, Davidis Kimhi, & Anonymi Judæi argumenta contra Chriſtianos, ex Hebræo Latinè, Interprete G. Genebrardo; cum ipſius refutatione eorundem argumentorum adversùs recens Trinitariorum Dogma. Pariſ.* 1566. Daniel Huetius in libro ſuo *de Claris Interpretibus* GENEBRARDO id laudis tribuit, quòd ſatis feliciter, nec minus fideliter Rabbinorum Opera tranſtulerit, in eo tamen illius verſionem reprehendit, quòd neglectis phraſis Hebraicæ diſtinctionibus, linguam, quæ naturâ ſua brevis & conciſa habetur, plus æquo amplificârit. Rabbi Joſephi interpretatio.

9. *De S. Trinitate libri tres contra hujus ævi Trinitarios, & Antotheanos. Pariſ.* 1569. & 1585. *in* 8. His præ- De Trinitate.

poſita

poſita eſt ſumma ſeſſionum ſynodi, quam miniſtri Poloni cum Trinitariis Petricoviæ habuerunt ex amici Poloni Epiſtola. Porrò in tertio libro horum trium exponitur Athanaſii ſymbolum, atque à contumeliis Valentini Gentilis vindicatur: Quid verò in his libris obſervandum ſit, docebit Poſſevin. l. c. p. 547.

Symbolum Judæorum. 10. *Symbolum fidei Judæorum è Rabbi Moſe Ægyptio. Precationes eorundem pro Defunctis. Commemoratio Divorum, & ritus Nuptiarum, è libro Mahzor. Interprete G. Genebrardo.* Pariſ. *1569.* in 8.

Chronologia. 11. *Chronologiæ ſacræ liber.* Lovanii 1570. *in 12.* Item Coloniæ *1571.* in 8.

Comentaria in Canticũ. 12. *Trium Rabbinorum, Salomonis Jabrii, Abrahami Ben-Eſræ, & Anonymi Commentaria in Canticum Canticorum in Latinam linguam converſa à G. Genebrardo cum ejus Commentariis.* Pariſ. 1570. in 4.

Chronicon Hebræorum. 13. *Seder Olam Zuta, ſive Hebræorum breve Chronicon de Mundi ordine, & temporibus ab Orbe condito, usque ad annum Domini 1112. Capita R. Moſe Ben-Maimon de rebus Chriſti Regis. Collectanea Eliæ Levitæ, & R. Jacob Salomonis filii de eodem, quibus ſummatim explicatur, quidquid Judæi de Chriſto ſapiunt. Interprete G. Genebrardo.* Pariſ. 1573. in 8.

De Evchariſtia. 14. *Claudii Eſpencæi de Euchariſtia, ejúsque adoratione libri V. nec non Tractatus de utraque Miſſa, publicâ & privatâ.* Edente *G. Genebrardo.* Pariſ. 1573. in 8. Hoc opus ad preces Claudii Eſpencæi, poſt ejus obitum, à Genebrardo juris publici factum eſt.

Origenis Opera. 15. *Origenis Adamantii Opera, quæ quidem proferri potuerunt omnia; doctiſſimorum virorum ſtudio jam olim tranſlata & recognita; nunc poſtremò à Gilberto Genebrardo partim cum Græca veritate collata, partim libris recens verſis, & è Regia Bibliotheca deprómptis aucta. Pariſ.* 1574. *in fol. apud. Mich. Sonn.* Eſt hæc prima editio per Genebrardum accurata, quam duæ aliæ exceperunt. Pariſiis an. 1604. & *1619.* quibus acceſſit quarta Baſileæ anno 1620.

Liturgia. 16. *Opuſcula è Græcis converſa, nempe Liturgia Myſteriorum ante conſecratorum, è Codice Cretenſi; Liturgia pro Dormientibus, ſive Defunctis; Officium de Angelis, & Sanctis; Canon, ſive Bulla contra hæreſes præcipuas; Menologium, ſive Calendarium totius anni, Tituli capitum 122. Euckologii; Zacharias Epiſcopus Mytilenſis contra æternitatem Mundi à Philoſophis conſtitutam, è Bibliotheca Regia. Baſilii & Gregorii Nazianzeni breviſſimus Dialogus de inviſibili Dei eſſentia.* Pariſ. 1575. in fol. apud Mich. Sonnium.

17. *Varia Opuſcula è Rabbinis tranſlata. Pariſ.* 1575. & 1584. In poſtrema Varia Opuſcula.
hac editione Opuſcula iſthæc ita inſcribuntur: *Chronologia Hebræorum Major, quæ Seder Olam Rabba inſcribitur, & Minor, quæ Seder Olam Zuta, de Mundi ordine & temporibus ab orbe condito usque ad annum Domini 1112. cum aliis opuſculis ad res Synagogæ pertinentibus.* Sunt verò hæc ipſa Opuſcula, quæ N. 3, 10. & 13. indicata fuerunt.

18. *Ad Jacobum Schegkium, Schorndorffenſem Philoſophum, & Medicum, aſſertionibus ſacris de Deo ſeſe temerè immiſcentem, ac tribus ipſius de S. Trinitate libris, modò pro Sabellianis, modò pro Trinitariis, inconſtantiſſimè obtrectantem, Reſponſio. Pariſiis apud Ægidium Gorbinum an.* 1575. Schegkii confutatio.

19. *Oratio in funere Petri Daneſii, Epiſcopi Vaurenſis ac Græcæ linguæ primaris Profeſſoris,* Gallico ſermone dicta in *Eccleſia S. Germani à Pratis die Sabbathi 27. April. an. 1577. Pariſiis* 1577. *in 4.* Accedunt Poëmata quæpiam Hebraica, Græca, Latina, & Gallica. Pagina verò 38. hæc leguntur verba, ex quibus, quàm de rebus ſolidum ferre judicium, Genebrardi proprium fuerit, facilè quis conjiciet. „ Verba, „ inquit, publicè feci contra illos, qui „ noctu & ad facem terræ mandari „ præferunt; cùm ſit res una omnium „ maximè deteſtabilis plenáque infidelitatis. Quis hìc juſtum Dei judi„ cium non agnoſcat, quô palàm fit, „ quòd qui hunc in modum tumulo „ inferuntur, in vita ſua laqueo digna „ geſſerint? Id genus enim ſepulturæ „ furciferis, patibulariis, criminoſis, „ infamibus, extremo ſupplicio affe„ ctis vel afficiendis mortisque publi„ cæ pœnam commeritis propriè de„ betur. Funebris Oratio.

20. *Pſalmi Davidis vulgata editione, Calendario Hebræo, Syro, Græco, Latino, Hymnis, Argumentis, & Commentariis genuinum & primævum ſenſum Hebraiſmósque breviter aperientibus à G. Genebrardo inſtructi.* Pariſ. apud Dionyſ. Du Val 1577. & 1582. in 8. Item tertia Editio auctior Pariſ. 1587. in 8. quam poſteà plures aliæ ſubſequutæ fuerunt. In Catalogo Biblio- Pſalterium.

thecæ

thecæ Regiæ Pariſinæ memoratur editio in fol. an. 1588. *Petr. l' Huillier.*

Flavii Joſephi verſio.

21. *Flavii Jaſephi Opera Gallicè è Græco repræſentata, libris ex Hebræo aucta, Chronologiis, figuris, annotationibus, indicibus illuminata. Pariſiis apud Mich. Sonn.* 1578. *& in* 8. *apud Carol. Rogerum* 1588.

Orationes.

22. *Orationes tres è Lerinenſi Bibliotheca in publicum productæ, videlicet una funebris D. Hilarii Arelatenſis de S. Honorato; altera D. Eucherii Lugdunenſis de laudibus Eremi; tertia Fauſti Regienſis de inſtructione Monachorum. Pariſ.* 1578. *in* 8. *apud Ægid. Gorbinum in* 8.

Chronographia.

23. *Chronographiæ libri IV. Priores duo ſunt de rebus veteris papuli, & præcipuis quatuor millium annorum geſtis. Poſteriares, è D. Arnaldi Pontaci Vaſſatenſis Epiſcopi Chronographia aucti, recentes hiſtorias reliquorum annorum complectuntur. Univerſæ Hiſtoriæ ſpeculum, in Eccleſiæ præſertim ſeculo, à mendaciis, maculis, impoſturis Centuriatorum, aliorúmque hæreticorum deterſum. In reliquis contra Judæos, Paganos, Saracenos Chriſtianæ Religionis antiquam veritatem perennitaténque repræſentans. Subjuncti ſunt libri Hebræorum Chronologici, eodem Interprete.* Pariſ. 1580. in fol. apud Ægidium Gorbinum & Michaelem Sonnium. It. ibid. 1585. in fol. It. unà cum Appendice Petri Victorii Palma Cayet, quæ usque ad annum 16:0. pertingit. *Pariſiis* in fol. an. 1600. It. *Lugduni* 1609. in fol.

Diatribe de Trinitate.

24. *Ad Lambertum Danæum, Sabellianiſmô doctrinam de S. Trinitate inficientem, cum libello Franciſci Jordani Thealogi Pariſienſis adversùs eundem.* Ibidem apud eundem Gorbinum anno 1581.

Notæ Chronicæ.

25. *Notæ Chronicæ, ſive ad Chronologiam & Hiſtoriam univerſam Methodus.* Pariſ. apud Petrum Huillerium, Ægidium Gorbinum, & Michaelem Sonnium. 1584. in 8.

Cantici Canticor.

26. *Canticum Canticorum verſibus jambicis & commentariis explicatum adversùs trochaicam Theodori Bezæ Pharaphraſin.* Pariſ. 1585. in 8. apud Ægidium Gorbinum. Subjuncti ſunt trium Rabbinorum Salomonis Jarhii, Abrah. Abben Ezræ, & innominati cujusdam commentarii, eodem interprete.

De Clericis.

27. *De Clericis, præſertim Epiſcopis, qui participarunt in divinis ſcienter, & ſponte cum Henrico Valeſio, poſt Cardinalitiam cædem T. P.* (Theologi Pariſienſis) *Aſſertio, ejúsque illuſtratio.* Pariſ. 1589. in 8. Theologus iſte haud alius eſt, atque Genebrardus. Prodiit ſub generali nomine Theologi Pariſienſis. It. Gallicè hoc titulo: *Excommunication des Eccleſiaſtiques, qui ont aſſiſté au ſervice divin avec Henri de Valois, aprés le maſſacre du Cardinal de Guiſe* 1589. *in* 8. Eſt opuſculum, de quo Poſſevino eſt ſermo ſub titulo *Opuſcula aliquot, præſertim contra noſtræ tempeſtatis Politicos.*

28. *De Sacrarum Electionum jure & neceſſitate ad Eccleſiæ Gallicanæ redintegrationem.* Pariſ. 1593. in 12. It. Leodii 1601. in 8. Inter complures libros, qui contra Concordatum procuſi fuerant, primum meretur locum; in cauſa etiam fuit, quòd ejus Author à Parlamento Aquenſi proſcriptus fuerit. De SS. electionum jure.

29. *Tractatus de Liturgia, & ſacra Miſſa ſecundùm uſum & normam SS. Apoſtolorum & S. Dionyſii.* Gallicè Lugduni 1597. & Pariſ. 1602. in 8. 2. Tom. De Liturgia.

30. *De Sibyllis.* Opuſculum intextum eſt libro Joachimi Perionii noſtri *De vita Sanctarum Mulierum veteris Teſtamenti.* Pariſ. apud Federicum Morellum 1565. in 8. De Sibyllis.

31. *Epiſtola ad Benedictum Arium Montanum de puritate fontis Hebræi.* Hæc epiſtola Pariſiis data 25. Novemb. an. 1574. extat etiam ad calcem Annotationum *Antonii Hulſii* ſuper Pſalmos, excuſarum Lugduni 1650. in 12. De puritate fontis Hebræi.

Hiſce Genebrardi lucubrationibus ex *Nizronio* enumeratis adjungendum ex Poſſevini Apparatu Sacro Tom. II.

Vetus Teſtamentum vulgata editione cum Commentariis ad recentiorum omnium hæreticorum Biblia & annotationes abolendas. Item Vetus Teſtam.

Novum Teſtamentum vulgata editione cum Commentariis, eâdem, quâ Vetus, methodo & ratione. & novum.

Genebrardi vitam ſcripſit conſultiſſimus *Filibertus de Marra*, ut Mabillonius in Itinerario Burgundico pag. 11. teſtatur. Agunt etiam de eo Poſſevinus in Apparatu Sacro, Colomeſius in Galliâ Orientali, Dupinius in Bibliotheca Authorum Eccleſiaſticorum, aliíque, quos allegat Nizronius Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire des Hommes illuſtres dans la Republique des lèttres Tom 22. p. 1. - 18. Bucelinus in Benedicto Redivivo ad an. 1557. pag. 142. ubi plura Genebrardi Epitaphia in medium affert. Ejus vitæ Scriptores.

JOAN-

†1599. 18. Oct.

XLIV. JOANNES DE CASTANNIZA.

Ejus virtutes & munia.

ORdinem Benedictinum in monaſterio antiquiſſimo S. Salvatoris de Onna veteris Caſtellæ profeſſus, vir fuit ſuos inter ſodales pietate inſignis ac literis; quarum commendatione, cùm Ordinis ſui, hoc eſt, Hiſpanæ Congregationis, *Concionator*, ut vocant, *generalis*, deindéque & regius *Philippi II.* Eccleſiaſtes, tum etiam Cenſor Theologus apud Apoſtolicos Fidei judices, qui in ſupremo Senatu ſedent, creari dignus apparuit; *vir ob amabilem vitæ ſuæ Sanctitatem honori & decori omnibus.* Ab ipſo ſequentia extare Opera novimus.

Lucubrationes.

1.) *De la Perfectione de la vida Chriſtiana.* Quod opus vernaculè apud Hiſpanos editum Latinè tranſtulit *Jodocus Lorechius*, Pariſiiſque edidit apud Petrum de Breſche an. 1644. in 8. recuſum poſtea Francofurti cum titulo *Pugnæ ſpiritualis, ſive de Perfectione*, anno 1662.(r) Viennæ Auſtriæ 1732. Alii in Italicam & Germanicam linguam verterunt.

Vita S. P. Benedicti.

2.) LA VIDA *de San Benito, que S. Gregorio Magno dexò eſcrita en Latin, traducida en vulgar con las vidas de ſus dos Diſcipulos San Mauro y S. Placido.* Salmanticæ 1583. 8. i. e. *Vita S. Benedicti à S. Gregorio M. Latinè ſcripta in patrium converſa ſermonem unà cum vita ipſius duorum diſcipulorum S. Mauri & Placidi. Salmanticæ* 1583. 8.

Approbatio regulæ S. Bened.

3.) APPROBACION *de la Regla y Orden de S. Benito en algunos Concilios, lugares del Derecho, y letras Apoſtolicas; con un Catalogo de Principes y Doctores Ortodoxos y Santos, que an florecido en ella en todo genere de virtudes y ciencia*, id eſt, *Approbatio Regulæ & Ordinis S. Benedicti in quibusdam Conciliis, Sacris Canonibus, & Literis Apoſtolicis, unà cum Catalogo Principum & Doctorum Orthodoxorum, atque Sanctorum, qui omni virtutum & ſcientiarum genere in eo floruerunt.*

De S. Romualdo.

4.) HISTORIA *de S. Romualdo Padre y Fundador del Orden Camaldulenſe, que es una idea y forma perfecta de la vida ſolitaria.* Matriti an. 1597. in 4. i. e. *Hiſtoria S. Romualdi Patris & Fundatoris Ordinis Camaldulenſis, quæ eſt idea & forma perfecta Vitæ ſolitariæ.* Hanc in Italicum convertit *Timotheus à Balneo* Eremita Camaldulenſis, atque edidit Venetiis apud Dominicum Imbertum. 1605. 4.

Pugna ſpiritualis.

5.) BATALLA ESPIRITUAL. Hoc Opus ideò hîc ſiſtimus, quia Belgicè editum *Gerardo Zoes* interprete novimus *Pugnam ſpiritualem*, ſive hujus tituli librum ex *Joannis Caſtannizæ* Benedictini opere. Sed idem hoc videtur cum libro *de Perfectione*, ut annotavimus. Tribui quoque huic eidem ſolet.

Expoſitio orationis Domin.

6.) *Declaracion del Padre nueſtro*, id eſt, *Expoſitio Orationis Dominicæ* anno 1604. Itémque

Vita Brunonis.

7.) *Vida de San Bruno.....* Vita S. Brunonis. Sed cujus? Carthuſiani, an Signienſis? credo, neutrius. Illam certè *Caſtanniza* è ſitu ac tenebris cujusdam Bibliothecæ in lucem vindicans aſſeruit.

Scholia in libros S. Gertrudis.

8.) *Inſinuationum divinæ pietatis libros quinque*, jam olim ex Theutonico in Latinum ſermonem converſos, in quibus Vita & ſcripta S. Gertrudis M. Monialis Ordinis S. Benedicti continentur; nova auctoris operâ correctos & ſcholiis illuſtratos, unà cum *Vita* ejusdem *S. Gertrudis* ex variis authoribus collecta. Cui accedunt *Nonnulla ejusdem Sanctæ Virginis exercitia.* Matriti an. 1599. in 4.

Ejus obitus 1599.

Vitâ ceſſit vir eximius Salmanticæ, in cujus urbis monaſterio Vincentii Martyris nomine appellato diu vixit, anno ſeculi decimi ſexti XCVIIII. Meminit ejus non ſine ingentis cujusdam laudis ſignificatione *Antonius de Jepez* Benedictinorum Chronographus Tomo VI. Hiſtoriæ ad annum MDXCVIII. fol. 337. & Tomo VII. ad annum MDCXLIII. fol. 346. quo loco inſcriptionem ſepulturæ ejus adducit.

Epitaphium.

Venerabili Magiſtro F. Joanni de Caſtanniza Benedictino, ſermone aureo, ore facundo, in dicendo ſuavi, in perſuadendo miro, Apoſtolo Paulo prædicatione ſimillimo, ob amabilem vitæ ſuæ ſanctitatem honori & decori omnibus: poſt oblatas ſibi à Philippo II. præclaras dignitates, ac magnificè ſpretas, chariſſimi ſui D. M. Ildefonſi Curiel petitione, prope ipſum tumulato, obiit XVIII. Octobr. Anno M. D. LXXXXVIIII.

Quanti eum fecerit Alfonſus Curiel.

Joannem Caſtannizam tanti ob ſingularem vitæ ſanctimoniam, doctrinæque præſtantiam fecit *Alfonſus Curiel* in Salmanticenſi Univerſitate primarius ac celeberrimus SS. Theologiæ Pro-

(r) Vide ſuprà Part. II. pag. 216.

Profeſſor, ut ad pedes ejus terræ mandari efflictim petierit. Monachi Vicentini illi ſequens poſuerunt Epitaphium:

Domino Joanni Alfonſo Curiel V. C. Theologorum ſui temporis nullo toto orbe ſecundo, Salmanticæ primo: Benedictini Monachi, quibus moriens corpus, quod hoc à ſe humili, ab illo excelſo tegitur lapide, dimidiúmque animæ, id eſt, univerſam literarum ſupellectilem legavit, Magiſtro incomparabili, ſui Ordinis devotiſſimo cultori, tanquam uni ex ſuis C. P. Obiit XXVIII. Septembris. Anno M. DC. IX.

Vid. Ant. Yep. l. c. & Nicol. Ant. Bibl. Scriptor. Hiſp. Tom. I. pag. 512.
Bucelinus in Benedicto Redivivo ad an. 1599.

CAPUT IV.

VITÆ VIRORUM ILLUSTRIUM RECENTIORIS ÆVI.

§. I.

† 1609. idib. Oct.

LEONARDUS RUBENUS Abbas Abdinckofenſis.

LEonardus Rubenus ad S. Martinum Coloniæ Ordinem D. Benedicti profeſſus, ſacroſanctæ Theologiæ in Almâ Ubiorum Univerſitate Licentiatus, nec non Abdinckofenſis propè Paderbornam Abbas, & Sacræ Congregationis Bursfeldenſis Præſidens principalis; *vir ſanè & inſigniter eruditus, & rerum benè geſtarum ſplendore illuſtriſſimus.*

Ejus natales & educatio apud PP. Societ. J.

Eſſendiæ haud procul Duisburgo ad Rhenum in lucem editus ſub annum 1550. prima Religionis fundamenta poſuit apud Patres Societatis Jeſu Coloniæ, in quorum albo adſcriptus fuerat; tum verò pro dilatanda fide Catholica Superiorum juſſu in Livoniam,

Miſſus ad exteros,

Lithuaniam, Tranſylvaniam, aliáſque exteras regiones digreſſus, illis populis adhuc quibusdam in locis turpi idolomaniæ, ut ipſe alicubi indicat, immerſis, Chriſti Evangelium prædicavit. In Tranſylvania agens Theſes

Theſes edit de idololatria.

edidit *de Idololatriâ* ſub auſpiciis illuſtriſſimi Principis *Sigismundi Battori* publicè propugnandas; quas tamen nullus impugnare auſus fuit. Anno 1691. cùm Regens eſſet Seminârii Olo-

Olomucii Seminario præficitur.

mucenſis, in Synodo, quam *Stanislaus Pawlosky* Epiſcopus Olomuc. celebravit, Orationem de officio paſtorum Eccleſiæ habuit. Hoc Regentis munere per aliquod tempus functus ſpiritû neſcio quo Fuldam abiit, ubi aliquamdiu ſubſtitit, Celſiſſimi Principis & Abbatis Fuldenſis *Balthaſaris à Dernbach* amplis ſavoribus cum primis cumulatus. Tum verò de mutando vitæ inſtituto ipſi mens, motu

De mutando ſtatu cogitat.

neſcio quô, ſubiit; Moguntiam hinc profectus, Carthuſianum ibidem monachum induere voluit: ſed cùm iis præditus eſſet dotibus, quæ activæ magis, quàm contemplativæ vitæ genus ſaperent, loci Prior eidem auctor fuit, ut Benedictinum ſibi deligeret inſtitutum. Coloniam inde digreſſus, Nuntii Apoſtolici armatus præſidiis in Abbatia S. Martini receptus fuit; ubi ſuæ probationis tempore libellum *de idololatria* abs ſe in Tranſylvania editum, ad incudem revocavit, & novo auctario amplificatum ſub auſpiciis R.mi D.ni *Balthaſaris à Brée* loci Abba-

Coloniæ Benedictinum induit.

tis denuò edidit anno 1596. id quod hoc Chronographico in fronte præfixo indicare voluit:

RVbenVs Leges BeneDICtI CepIt ab aLto
IVLIo Vt VnDeCIes LVx erat orta poLo.

Utriusque rei monumentum eſt carmen illud, quod *Rubeno* Arnoldus Mylius *A. F. Birckmanno* eâ die inſcripſit:

Carmen gratulatorium.

Quis te duxit amor RUBENE*? quis impulit auctor?*
Quis tibi divino perſuaſit nuntius ore?
Magne vir exactis ut mille laboribus ad nos
Per varios caſus, per mille pericla redires
Ad dudum non viſam urbem Rhenúmque bicornem?

Qui

Qui tum ſudores Lotavûm, Livoniǽque ſaluti
Extremis oris, magnâ virtute locâſſes,
Inter Sauromatas, Tranſylvanóſque feroci
Jam primùm accepere geni, gratúſque recedis,
Italiam viſens, poſt, hic non multa moratus,
Urbe in Agrippinâ vitæ genus incipis, in quo
Tutus agas, tranquillus agas, revocéſque, quod errat.
Et frater fratrum Benedicti aſcriptus in album.
Quantus amor fidei! Chriſti dilectio quanta!
Ille νάρδος *verò, ſtomachi illo nocivos*
Compeſcit morſus, rancos, capitiſque catharros
Deſiccat, POPULO *verè gratiſſima* NARDUS!
Hoc ſatis en ſcriptis deſumpta ſacra omnia ſacris,
Demonſtrant hæc ſcripta, labor teſtatur, ubique
Quem grege pro Chriſti gratis fert, arguit illud,
Vera Romanæ fidei defenſio vera.
Gaudeat ô igitur te térque quatérque beata
Agrippina, diu verbi præcone beati.
In cœlum ſerus redeas, & ſuaviter olim
Corripiet lethi greſſus cùm tarda ſenectus.

Theologiam junioribus prælegit.

Poſt hæc Theologiæ junioribus prælegendæ addictus, ejuſdem *Licentiatus* ex almæ Univerſitatis decreto ſolenniter renuntiatus fuit. Curſu finito in negotiis Sacræ Congregationis Burſfeldenſis apud ſacram Nuntiaturam procurandis, operam dedit: Horis verò ab aliis rebus vacuis, in condendo *Dictionario quodam Biblico* totus deinceps fuit. Quam in rem conflato quodam ex Concellitis, qui ſibi ſuppetias ferrent, ſodalitio, ingentem materiarum copiam comportârat; jámque ad literam P. opus perduxerat, cum ad illuſtris Abbatiæ Abdinckhofenſis regimen accitus, illud intermittere debuit. Hujos verò Operis ſpecimen in publicum derivavit, edito articulo *de Chriſto patiente* Coloniæ in 8. Protulit & aliud Opuſculum *de falſis prophetis & lupis rapacibus*, Padernornæ anno 1606. in 8. excuſum. Quod *Ant. Poſſevinus* dignum exiſtimat, quod legatur. Cùm illud tamen Roſtochienſes arroſiſſent, apologiam ipſe diſſimulato nomine, in ſui defenſionem edidit ibidem, in quâ de ejus vitæ curriculo plura comperias. Deſignatus an. 1601. ſacræ Congregationis Burſfeldenſis *Præſidens principalis* inſignem pro veteris diſciplinæ inſtauratione, ac etiam Monaſteriorum ab hæreticis occupatorum recuperatione, navavit operam. *Breviarium Burſfeldenſe* juxtà Concilii Tridentini decretum abs ſe emendatum, & inſigni præfatione illuſtratum Lovanii anno 1608. typis excudi curavit. Scripſit etiam libellum quemdam *de bono Taciturnitatis.* Conciones item Latinas quàm plures reliquit in manuſcriptis. Edidit inſuper *Parænesin* quandam ad Abbates Venetos in cauſa Interdicti à Paulo V.

Lexico Biblico inſudat.

ejus ſpecimen edit.

Congreg. Burſfeld. Præſes efficitur.

Scribit de bono Taciturnitatis, & alia.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

in Rempublicam lati. Veterum quoque chartarum ex Archivis Monaſteriorum inſignem congeſſit farraginem. Reliquit etiam *Secreta Monita Patrum Societatis Jeſu*, quæ manuſcripta in Archivo S. Martini adſervantur, atque poſt ejus mortem Paderbornæ reperta, prodit auctor libelli, cui titulus: *Le Cabinet des Jeſuites.* Ea verò ſæpiùs excuſa Patres Societatis, execrantur, & damnant, negántque ſua eſſe; Paucis tamen ante annis, dùm Boruſſus miles in Sileſiæ Collegia graſſaretur, id genus *Monita* in Glacenſi Patrum Societatis Jeſu Collegio reperta, indéque eruta, & idiomate teutonico donata, typis in officinâ acatholicâ *Francofurti & Lipſiæ* anno 1747. in 8. excuſa ſunt, variíſque Notis & Animadverſionibus illuſtrata. Num verò reipsâ ſint Patrum Societatis *arcana*, ut vocant, *Monita*, aut *Praxis Jeſuitica*, penes alios peritiores eſto judicium. Obiit *Rubenus* anno 1609. idibus Octobris. Ejus porrò meminêre *Poſſevinus* in Apparatu, *Königius* in Bibliothecâ, *Bucelinus* in Benedicto redivivo, *Bayle* in Dict. Hiſt. crit. *Hartzheim* in Bibl. Scriptor. Colonienſium &c. De eodem Cl. V. *Oliverius Legipont* in Faſtis Abbatiæ S. Martini, Periodo IX. art. 9. ſub *Balthaſare à Brée* ita cecinit:

Secreta PP. S. J. monita.

Rubeni obitus.

Tum verò laceri maleſida gubernia clauſtri
Balthaſar *aſſumpſit, clarâ de ſtirpe* Breánâ
Nobilis, aſt multò geſtis illuſtrior Abbas:
Vindice quo Virtus, quo ſacra Palladis artes
Regnant, atque ſuo rursùs ſe lumine produnt.
Quin hic credideris ſedem fixiſſe Minervam;
Uſque Patrum ſtudioſa cohors, patiénsque laborum
Inſiſtit ſtudiis, ipſo dicente Magiſtro:
Eſt Monachus ſtertens ſine libris, Miles inermis.
Nullas deſidias, aut molli marcida luxu
Otia, non ſomnos, ludóſve frequentat inanes,
Sed ſua per ſacros exercens membra labores,
Quiſque ſuum feſtinat opus, mandata faceſſit,
Pars electa legit, ſtudet altera pangere textus,
His graphio ſignat, notat alter verba tabellis;
Unus præ reliquis ſolers analecta Rubenus
Floribus exornat, multâ vir Pallade clarus,
Qui cùm ſudores Lotavûm, Livoniǽque ſaluti,
Extremis oris, magnâ virtute locâſſet,
Balthaſaris *nutu noſtrum conſcriptus in album,*
Compoſuit libros divino Pneumate plenos;
Abdinghofenſis Præſul, de Præſule Præſes
Ordinis effectus; Quo ſicut Caſtore Pollux,
Balthaſar *adjutus, majores acer in auſus*
Pro grege, pro Patriâ, pro Religione Parentûm
Conſtanti lentâque fori pugnavit arenâ;
Donec in effœto langueſcens corpore
Tandem æthera mente ſuperas rurſus remeavit in aulas.

Balthaſaris à Brée elogium.

Studiorū cultus in S. Martini monaſterio.

præeunte Rubeno.

Obiit Balthaſar Abbas A. 1621. 12. Junii.

Ex ſymbolis P. Oliverii Legipont.

II.

† 1614. 17. Julii.

JACOBUS BREULIUS
Prior S. Germani à Pratis.

Natus Pariſiis 1528.

LUtetia Pariſiorum *Jacobum Breulium* in parochia S. Severini protulit anno MDXXVIII. die XVII. Septembris. Poſtquàm optimarum artium ac diſciplinarum ſtadium in Univerſitate decurrit, annos unum & viginti natus Benedictina profeſſus eſt inſtituta in Monaſterio S. Germani à Pratis, quod annis abhinc quindecim reformationem Congregationis Caſalis Benedicti ſuſceperat. Spectata virtus, prudentia, agendique dexteritas Superiorum animos adeò ei conciliârunt, ut quum nihil prorsùs ambiret, vel appeteret, primariis eum officiis admoverint, quæ ille perpetua cum laude adminiſtravit. Anno MDLXXII. effectus eſt PRIOR Abbatiæ Brantoſomi in agro Petracorienſi, quam ſex annis gubernavit, Poſteà Prioratu deceſſit, atque cùm vi conſtitutionum ſuæ Congregationis nullum ei magiſtratum gerere licuiſſet, privatus per aliquot annos vixit: poſt quorum intercapedinem primùm in Abbatem S. Illidii Claromontenſis, ac tum in Priorem Aſceterii S. Germani à Pratis, ſemel, iterùm, atque tertiò electus fuit. Quâ occaſione multa tulit inſigni cum laude ſingularis modeſtiæ, atque animi demiſſionis; neque enim amplas & ſublimes de ſe ipſe fovens unquam cogitationes ad dignitatum gradus contendebat; quin potiùs de ſe ipſe nunquam non demiſsè ſentiens ab iis adminiſtrandis provinciis refugiebat, quibus æquales ſuos antecedere, viriſque Congregationis ſuæ præcipuis æquari poſſet. Eſt ſanè, quod miremur, virum muneris ſui functionibus curiſque aſſiduò diſtentum, tantum & ſtudere & lucubrare potuiſſe. Ab ipſo habemus novam Operum S. *Iſidori* Hiſpalenſis editionem, Pariſiis anno 1601. cum notis vulgatam. Anno ſequente luci publicæ exhibuit *Hiſtoriam Francorum*, authore *Aimoino* Monacho Cœnobii Floriacenſis, quem cum Aimoino tamen, Monacho S. Germani à Pratis confudit. Cui editioni in folio adjecit *Hiſtoriam obſidionis Pariſiorum* à Normannis Daniſque factæ, ab *Abbone* verò *Cernuo*, ſive *humili*, Monacho S. Germani à Pratis, carmine ſcriptam libris duobus; Chronicon Monaſterii Caſinenſis à *Leone Oſtienſi* conditum; Hiſtoriam de inventione & translatione corporis S. Vincentii Levitæ & Martyris ex Valentia Hiſpaniæ ad Monaſterium Caſtrum Diœceſis Albingenſis in Gallia, verſibus concinnatam hexametris ab *Aimoino* San-Germanenſi Monacho; nec non alia quædam vetera ſed minoris momenti monumenta. Anno 1604. typis exſcribendas dedit Conſtitutiones Congregationis S. Juſtinæ, ſeu Caſinenſis ſuper Regulam S. Benedicti unà cum Bullis Pontificiis, quæ ad reformationem Benedictinorum attinent. Prælo etiam Pariſienſi ſubjecit Regulam S. Benedicti, unà cum veteri Cæremoniali Benedictino, & prædictis Bullis Papalibus ad uſum Sodalium noſtrorum Congregationis Burſfeldenſis in Germania. Quæ editio an. 1616. iterata fuit. Author etiam habetur præclari Operis anno 1612. Pariſiis excuſi ſub titulo *Antiquitatum Pariſienſium*, quibus an. 1614. Supplementum addidit, quo etiam continetur Hiſtoria de inventione S. Vincentii, & SS. Martyrum Cordubenſium, Georgii Monachi, Aurelii & Nataliæ per eundem Aimoinum cœnobitam San-Germanenſem compoſita; vitæ SS. Leutfredi & Baboleni &c. Quod Supplementum eſt ſupremum Opus *Jacobi Breulii*, qui eodem anno è vita exceſſit. Terræ mandatus eſt in eccleſia S. Germani, ubi breve epitaphium, quò ejus in fungendis ſanctioris vitæ muniis ſollicitudo, rei antiquariæ peritia, operúmque lucubratio poſterorum memoriæ commendatur, ſepulchro affixum fuit. En illud ſic habet:

fit Monachus,

variiſque primariis addicitur officiis.

Singulares ejus virtutes.

Opera ab eo vulgata.

Antiquitates Pariſienſes.

Obitus & epitaphium.

Hic jacet R. P. D. Jacobus du Breul olim Abbas S. Illidii Clarom. demùm Prior hujus Monaſterii, Regulæ obſervantia, antiquitatis peritia, & operibus editis celebris. Qui obiit die 17. Julii an. Dom. MDCXIV. ætatis LXXXVI. Monach. LXVI. Requieſcat in pace.

Vid. Jac. Bouillart dans ſon Hiſtoire de l' Abbaye Royale de S. Germain de Prez Pariſ. 1724. fol. lib. V. p. 219.

Nec lectori fore ingratum exiſtimo, ſi quam vitæ ſuæ telam ipſe *Jacobus du Breul* contexuit, hìc ſubjiciam. Illam verò inſeruit Epiſtolæ, quâ *Aimoini* Hiſtoriam de Geſtis Francorum Sodalibus in Monaſterio D. Germani à Pratis nuncupavit. Sic verò orditur.

Vitæ ipſius lynopſis ex ejus epiſtola.

Lutetiæ in limite parochiæ ſancti Severini, quondam Abbatis Agaunenſis, ad medium Parvi Pontis, anno Redemptionis 1528, die 17. Septembris, ex probis quidem, ſed mediocris fortu-

næ

næ parentibus ortus, ſola pedalis denſitas parietis obſtaculo fuit, quò minùs parœciæ noſtri Germani, Veteris propter annoſam ætatem cognominati, civis exiſterem. Sed in ipſa D. Severini Æde, Univerſitatis primaria & Archipresbyterali, ſacro fonte tinctus, mox ad ſuburbium S. Germani Pratenſis lactandus deportor. Anno deinde ætatis meæ 16. aut 17. parochia ruralis ejusdem D. Germani à Liciis cognominata, in Diœceſi Pariſienſi, & Archidiaconatu Jozaii ſita, nec multum à Corboillo (al. *Corbolio*) diſtans mihi à patruo decrepito & capulari confertur. Quam injuſtè, fateor, utpote in cura animarum defectum ætatis patiens, & ſacro Ordine carens, usque ad meam profeſſionem monaſticam retinui. Quæ cùm, expleto probationis anno, die undecima Julii ob feſtum venerationis D. Benedicti nobis ſolenni fieri debuiſſet: voluntas tamen Dei fuit, ut differretur in diem 25. ejusdem menſis, quo translatio corporis B. Germani celebratur. Nimirùm ut ipſe Sanctus ſortes meas jugiter comitaretur ac dirigeret. Sed cùm meæ profeſſionis ſyngrapha obedire tenerer decretis Congregationis Caſalis Benedicti: illa jure ſuo utens, in ſuis comitiis anni 1572. me, qui hîc jugiter morari percupiebam, Priorem Brantholmianum conſtituit, ibíque triennio expleto, ad regimen Illidianæ Arvernorum Abbatiæ transmeare compulit. Nunc regimine vacuus, & annis 74. gravatus, ut aliò unquam migrandi ſublatus ſit timor, vobiſcum ultrà quàm dici valet, lætor, meámque ſenectutem aſſiduis ſtudiis ſolor & jocundam reddo: perrarò è Muſæo, niſi divini Officii penſum aut neceſſaria corporis cura urgeat, egrediens, atque eo modo monachi etymon perfectius opere complens. Ad quod faciendum cùm hujus domùs curam gererem (hoc enim usque tertiò diverſis temporibus mihi obtigiſſe nôſtis) juniores adhortari ſolebam; pericula diſcurſuum, & è converſo fructus ſolitudinis ob oculos eis ponens, quos *Plinius junior* Epiſtola 9. Lib. 1. ad Minutium Fundanum eleganter deſcribit: *Poſtquàm* (inquit) *in Laurentino meo aut lego aliquid, aut ſcribo, nihil audio, quod audiſſe, nihil dico, quod dixiſſe pœniteat. Nemo apud me quenquam ſiniſtris ſermonibus carpit: neminem ipſe reprehendo, niſi tantùm me, quem parum commodè ſcribo. Nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantùm & cum libellis loquor.* Hæc ſolitudo tempus mihi exhibuit emendandi & majore ex parte augendi, undique conquiſitis codicibus chyrographis, Opera *S. Iſidori Hiſpalenſis* Epiſcopi, quæ nunc venalia proſtant. Eadem quoque effecit, ut *Aimoino* noſtro extremam manum adderem: & optimis auctoribus quaſi ſatellitio ſtipatum in lucem prodire facerem. Valete amantiſſimi Fratres, & mei in orationibus memores eſtote: ut Deus Opt. Max. usque in ſenectam & ſenium non me derelinquat, ſed fœlici exitu ſortes vitæ meæ in medio veſtrûm quum libuerit terminari faciat. E Cellula noſtra die prima menſis Auguſti.

ex Parocho fit Monachus.

& Prior clauſtralis renuntiatur.

Notanda Plinii ſententia.

ſolitudinis fructus.

III.

JACOBUS BOSSUTIUS Conſultor Congregationis de Auxiliis.

† 1626. 7. Junii.

Jacobus Boſſutius Doctor in Facultate Theologiæ Pariſienſis, antehac Prior Clauſtralis & rei pannariæ præfectus regiæ Abbatiæ S. Dionyſii in Francia, in lucem ſuſceptus eſt anno 1545. Fuit moderator atque inſtitutor Cardinalis *Guiſii*, qui Bleſſis hoſtium manu occubuit. Equidem Galliam, in qua magno cum plauſu conciones ad populum habuit, jam ejus nomen pervaſerat; ſed ab eo tempore, quo *Clemens VIII.* & *Paulus V.* Summi Pontifices ejus virtutem ac doctrinam in pretio habere cœperant, multò celebrius eſt redditum. Romam miſſus fuit circa annum 1591. Gallicorum Principum fœdere adhuc obtinente. Primis ſtatim annis; quos ea in urbe degit, ejus eruditio ita perſpecta fuit, ut illum *Clemens VIII.* Theologis Conſultoribus celeberrimæ Congregationis *de Auxiliis* aggregârit. Hæc verò Congregatio cœpta fuit an. 1598. occaſione concertationum, quæ ſigillatim in Belgio & Hiſpania circa materiam de Gratia inter Patres Prædicatores Ordinis S. Dominici, & Patres Jeſuitas exortæ fuerant.

Varia ejus munia.

Romam accitus Congregationi de Auxiliis ſociatur.

Poſteaquàm verò *Paulus V.* Congregationi finem impoſuit, Doctor *Boſſutius* ad reditum in Galliam ſuum ad Monaſterium ſe accinxerat, cùm ſubitò juſſu Sumi Pontificis, qui ejus operâ impoſterùm uti ſtatuit, in urbe retinetur. Addit *Doubletius*, quòd ab eodem Pontifice Inſulæ Epiſcopales ei collatæ fuerint, quas verò dimittere coa-

II.

† 1614. 17. Julii.

JACOBUS BREULIUS
Prior S. Germani à Pratis.

Natus Pariſiis 1528.

LUtetia Pariſiorum *Jacobum Breulium* in parochia S. Severini protulit anno MDXXVIII. die XVII. Septembris. Poſtquàm optimarum artium ac diſciplinarum ſtadium in Univerſitate decurrit, annos unum & viginti natus Benedictina profeſſus eſt inſtituta in Monaſterio S. Germani à Pratis, quod annis abhinc quindecim reformationem Congregationis Caſalis Benedicti ſuſceperat. Spectata virtus, prudentia, agendíque dexteritas Superiorum animos adeò ei conciliârunt, ut quum nihil prorsùs ambiret, vel appeteret, primariis eum officiis admoverint, quæ ille perpetua cum laude adminiſtravit. Anno MDLXXII. effectus eſt PRIOR Abbatiæ Brantoſomi in agro Petracorienſi, quam ſex annis gubernavit, Poſteà Prioratu deceſſit, atque cùm vi conſtitutionum ſuæ Congregationis nullum ei magiſtratum gerere licuiſſet, privatus per aliqnot annos vixit: poſt quorum intercapedinem primùm in Abbatem S. Illidii Claromontenſis, ac tum in Priorem Aſceterii S. Germani à Pratis, ſemel, iterùm, atque tertiò electus fuit. Quâ occaſione multa tulit inſigni cum laude ſingularis modeſtiæ, atque animi demiſſionis; neque enim amplas & ſublimes de ſe ipſe ſovens unquam cogitationes ad dignitatum gradus contendebat; quin potiùs de ſe ipſe nunquam non demiſsè ſentiens ab iis adminiſtrandis provinciis refugiebat, quibus æquales ſuos antecedere, viríſque Congregationis ſuæ præcipuis æquari poſſet. Eſt ſanè, quod miremur, virum muneris ſui functionibus curíſque aſſiduò diſtentum, tantum & ſtudere & lucubrare potuiſſe. Ab ipſo habemus novam Operum *S. Iſidori* Hiſpalenſis editionem, Pariſiis anno 1601. cum notis vulgatam. Anno ſequente luci publicæ exhibuit *Hiſtoriam Francorum*, authore *Aimoino* Monacho Cœnobii Floriacenſis, quem cum Aimoino tamen, Monacho S. Germani à Pratis confudit. Cui editioni in folio adjecit *Hiſtoriam obſidionis Pariſiorum* à Normannis Daniſque factæ, ab *Abbone* verò *Cernuo*, ſive *humili*, Monacho S. Germani à Pratis, carmine ſcriptam libris duobus; Chronicon Monaſterii Caſinenſis à *Leone Oſtienſi* conditum; Hiſtoriam de inventione & translatione corporis S. Vincentii Levitæ & Martyris ex Valentia Hiſpaniæ ad Monaſterium Caſtrum Diœceſis Albingenſis in Gallia, verſibus concinnatam hexametris ab *Aimoino* San-Germanenſi Monacho; nec non alia quædam vetera ſed minoris momenti monumenta. Anno 1604. typis exſcribendas dedit Conſtitutiones Congregationis S. Juſtinæ, ſeu Caſinenſis ſuper Regulam S. Benedicti unà cum Bullis Pontificiis, quæ ad reformationem Benedictinorum attinent. Prælo etiam Pariſienſi ſubjecit Regulam S. Benedicti, unà cum veteri Cæremoniali Benedictino, & prædictis Bullis Papalibus ad uſum Sodalium noſtrorum Congregationis Burſfeldenſis in Germania. Quæ editio an. 1616. iterata fuit. Author etiam habetur præclari Operis anno 1612. Pariſiis excuſi ſub titulo *Antiquitatum Pariſienſium*, quibus an. 1614. Supplementum addidit, quo etiam continetur Hiſtoria de inventione S. Vincentii, & SS. Martyrum Cordubenſium, Georgii Monachi, Aurelii & Nataliæ per eundem Aimoinum cœnobitam San-Germanenſem compoſita; vitæ SS. Leutfredi & Baboleni &c. Quod Supplementum eſt ſupremum Opus *Jacobi Breulii*, qui eodem anno è vita exceſſit. Terræ mandatus eſt in eccleſia S. Germani, ubi breve epitaphium, quò ejus in fungendis ſanctioris vitæ muniis ſollicitudo, rei antiquariæ peritia, operúmque lucubratio poſterorum memoriæ commendatur, ſepulchro affixum fuit. En illud ſic habet:

fit Monachus,

variíſque addicitur officiis.

Singulares ejus virtutes.

Opera ab eo vulgata.

Antiquitates Pariſienſes.

Obitus & epitaphium.

Hic jacet R. P. D. Jacobus du Breul olim Abbas S. Illidii Clarom. deinde Prior hujus Monaſterii, Regulæ obſervantia, antiquitatis peritia, & operibus editis celebris. Qui obiit die 17. Julii an. Dom. MDCXIV. ætatis LXXXVI. Monach. LXVI. Requieſcat in pace.

Vid. Jac. Bouillart dans ſon Hiſtoire de l' Abbaye Royale de S. Germain de Prez Par. 1724. fol. lib. v. p. 219.

Nec lectori fore ingratum exiſtimo, ſi quam vitæ ſuæ telam ipſe *Jacobus du Breul* contexuit, hìc ſubjiciam. Illam verò inſeruit Epiſtolæ, quâ *Aimoini* Hiſtoriam de Geſtis Francorum Sodalibus in Monaſterio D. Germani à Pratis nuncupavit. Sic verò orditur.

Lutetiæ in limite parochiæ ſancti Severini, quondam Abbatis Agaunenſis, ad medium Parvi Pontis, anno Redemptionis 1528, die 17. Septembris, ex probis quidem, ſed mediocris fortunæ

vitæ ipſius ſynopſis ex ejus epiſtola.

næ parentibus ortus, ſola pedalis denſitas parietis obſtaculo fuit, quò minùs parœciæ noſtri Germani, Veteris propter annoſam ætatem cognominati, civis exiſterem. Sed in ipſa D. Severini *Æde*, Univerſitatis primaria & Archipresbyterali, ſacro fonte tinctus, mox ad ſuburbium S. Germani Pratenſis lactandus deportor. Anno deinde ætatis meæ 16. aut 17. parochia ruralis ejusdem D. Germani à Liciis cognominata, in Diœceſi Pariſienſi, & Archidiaconatu Jozaii ſita, nec multum à Corboillo (al. *Corbolio*) diſtans mihi à patruo decrepito & capulari confertur. Quam injuſtè, fateor, utpote in cura animarum defectum ætatis patiens, & ſacro Ordine carens, usque ad meam profeſſionem monaſticam retinui. Quæ cùm, expleto probationis anno, die undecima Julii ob feſtum venerationis D. Benedicti nobis ſolenni fieri debuiſſet: voluntas tamen Dei fuit, ut differretur in diem 25. ejusdem menſis, quo translatio corporis B. Germani celebratur. Nimirùm ut ipſe Sanctus ſortes meas jugiter comitaretur ac dirigeret. Sed cùm meæ profeſſionis ſyngrapha obedire tenerer decretis Congregationis Caſalis Benedicti: illa jure ſuo utens, in ſuis comitiis anni 1572. me, qui hîc jugiter morari percupiebam, Priorem Brantholmianum conſtituit, ibíque triennio expleto, ad regimen Illidianæ Arvernorum Abbatiæ transmeare compulit. Nunc regimine vacuus, & annis 74. gravatus, ut aliò unquam migrandi ſublatus ſit timor, vobiſcum ultrà quàm dici valet, lætor, meámque ſenectutem aſſiduis ſtudiis ſolor & jocundam reddo: perrarò è Muſæo, niſi divini Officii penſum aut neceſſaria corporis cura urgeat, egrediens, atque eo modo monachi etymon perfectius opere complens. Ad quod faciendum cùm hujus domùs curam gererem (hoc enim usque tertiò diverſis temporibus mihi obtigiſſe nôſtis) juniores adhortari ſolebam: pericula diſcurſuum, & è converſo fructus ſolitudinis ob oculos eis ponens, quos *Plinius junior* Epiſtola 9. Lib. 1. ad Minutium Fundanum eleganter deſcribit: *Poſtquàm* (inquit) *in Laurentino meo aut lego aliquid, aut ſcribo, nihil audio, quod audiſſe, nihil dico, quod dixiſſe pœniteat. Nemo apud me quenquam ſiniſtris ſermonibus carpit: neminem ipſe reprehendo, niſi tantùm me, quum parum commodè ſcribo. Nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantùm & cum libellis loquor.* Hæc ſolitudo tempus mihi exhibuit emendandi & majore ex parte augendi, undique conquiſitis codicibus chyrographis, Opera *S. Iſidori Hiſpalenſis* Epiſcopi, quæ nunc venalia proſtant. Eadem quoque effecit, ut *Aimoino* noſtro extremam manum adderem: & optimis auctoribus quaſi ſatellitio ſtipatum in lucem prodire facerem. Valete amantiſſimi Fratres, & mei in orationibus memores eſtote: ut Deus Opt. Max. usque in ſenectam & ſenium non me derelinquat, ſed fœlici exitu ſortes vitæ meæ in medio veſtrûm quum libuerit terminari faciat. E Cellula noſtra die prima menſis Auguſti.

ex Parocho ſit Monachus.

& Prior clauſtralis renuntiatur.

Notanda Plinii ſententia.

ſolitudinis fructus.

III.

JACOBUS BOSSUTIUS Conſultor Congregationis de Auxiliis.

† 1626. 7. Junii.

JAcobus Boſſutius Doctor in Facultate Theologiæ Pariſienſis, antehac Prior Clauſtralis & rei panariæ præfectus regiæ Abbatiæ S. Dionyſii in Francia, in lucem ſuſceptus eſt anno 1545. Fuit moderator atque inſtitutor Cardinalis *Guiſii*, qui Bleſſis hoſtium manu occubuit. Equidem Galliam, in qua magno cum plauſu conciones ad populum habuit, jam ejus nomen pervaſerat; ſed ab eo tempore, quo *Clemens VIII.* & *Paulus V.* Summi Pontifices ejus virtutem ac doctrinam in pretio habere cœperant, multò celebrius eſt redditum. Romam miſſus fuit circa annum 1591. Gallicorum Principum fœdere adhuc obtinente. Primis ſtatim annis; quos ea in urbe degit, ejus eruditio ita perſpecta fuit, ut illum *Clemens VIII.* Theologis Conſultoribus celeberrimæ Congregationis *de Auxiliis* aggregârit. Hæc verò Congregatio cœpta fuit an. 1598. occaſione concertationum, quæ ſigillatim in Belgio & Hiſpania circa materiam de Gratia inter Patres Prædicatores Ordinis S. Dominici, & Patres Jeſuitas èxortæ fuerant.

Varia ejus munia.

Romam accitus Congregationi de Auxiliis ſociatur.

Poſteaquàm verò *Paulus V.* Congregationi finem impoſuit, Doctor *Boſſutius* ad reditum in Galliam ſuum ad Monaſterium ſe accinxerat, cùm ſubitò juſſu Sum̃i Pontificis, qui ejus operâ impoſterùm uti ſtatuit, in urbe retinetur. Addit *Doubletius*, quòd ab eodem Pontifice Inſulæ Epiſcopales ei collatæ fuerint, quas verò dimittere coa-

ctus ſit, quòd facultatem Urbe excedendi à ſua Sanctitate impetrare haud potuerit. Romæ igitur ſuum figens domicilium, ad varias Congregationes advocatus fuit, in quibus ut Eccleſiæ bonum conſilio & opera promoveret, pro virili laboravit. Ab ejus obitu Venerabilis Domnus *Sancius à S. Catharina* ex Congregatione Fulienſi, peculiaris ſuus amicus, elogium ipſius contexuit, atque Operi adjecit, quod *Boſſutius* de Auxiliis Gratiæ divinæ à ſe conſcriptum ipſi reliquit. Cùm verò in hoc elogio peculiaria quædam, non omnibus cognita, de vita celebris hujus Doctoris contineantur, non abs re facturus mihi videor, ſi ea hîc adſcribam.

in Urbe domicilium figit & laborat pro Eccleſia.

Dominus *le Boſſu*, Monachus Ordinis S. Benedicti in celeberrima S. Dionyſii Abbatia (propè Pariſios) & Doctor Sorbonicus, poſtquàm in Gallia Chriſtianæ Eccleſiæ res mirum in modum promoviſſet, cùm verbi divini prædicatione, tum omnigenis aliis pietatis charitatíſque operibus, Romam ſe contulit *Clemente VIII.* ad Eccleſiæ Romanæ clavum ſedente, illícque commoratus eſt annos circiter triginta quinque, hoc eſt, usque ad obitum, qui illi contigit ante hos duos & ampliùs annos.

Ejus ex Sancio elogium hiſtoricū.

Cùm *Clementi VIII.* ejus doctrina, animus, ac præclara merita innotuiſſent, illum in Conſultorum Congregationis de Auxiliis numerum adſcivit. Is ſemper Dominicanorum de Gratia ſententiam ſecutus eſt, ac ſtrenuè adversùs Jeſuitas propugnavit. Pro eâdem ſtetit pariter *D. de Creil* Conſultorum ejusdem Congregationis & ipſe unus.

Mortuo *Clemente* Pontifice, de repetenda patria & ſuæ Profeſſionis domo ſeriò cogitavit *Boſſutius*: at Romæ ſubſiſtere juſſus eſt à Clementis ſucceſſore *Paulo V.* cui benè notus fuerat & magno in pretio habitus in iisdem illis Congregationibus: eúmque ab omni Monaſterium ſuum repetendi debito abſolutum voluit Pontifex. Mox in eundem modicas penſiones contulit ex Beneficiorum nonnullis proventibus decerpendas, & ad vitæ neceſſaria uſui futuras; indultâ inſuper facultate de bonis omnibus teſtamento pro nutu & arbitrio ſtatuendi.

Romæ jubetur ſubſiſtere.

Quidquid verè bonum eſt, id omne habebat ille in deliciis. De fide ac de Eccleſiæ veritate altè & magnificè ſentiebat. . . . . .

Ejus animi dotes, & officia.

Romanis Congregationibus nonnullis ex officio interetat, in Conſultorum numerum adlectus. Per multos annos ſpiritualem Monaſterii ſanctæ Suzannæ adminiſtrationem geſſit.

Ab omnibus, qui illum intùs noverant, ejúsque frequenti uſi fuerant conſortio, ſingularis pietatis ac ſanctimoniæ Vir habitus eſt.

Tam intimo religionis ac pietatis ſenſu in rerum divinarum contemplatione afficiebatur, ut plerumque dum in ſacris templis preces fundebat, totus ille in lacrymas effunderetur.

Licèt octuageſimum ætatis annum attigiſſet, Quadrageſimale tamen jejunium, aliáque ex Eccleſiæ vel Regulæ Monaſticæ præſcripto indicta religiosè ac rigidè obſervabat, non ſecùs ac olim juvenis ac vegetus fecerat. Poſtremis etiam vitæ ſuæ annis Romanarum Stationum ſeptem ſtadium decurrere ſolebat, etſi quinque leucarum iter iſtud cenſeatur.

Jejunii rigidus ſervator,

Quotidie ad duodecimam noctis horam è lectulo ſurgebat, ut nocturno Breviarii officio defungeretur. Cilicio carnem domabat, ſæpe non exutus veſtes nocturnum ſomnum capiebat: nonnunquam carnis ovorúmque uſu ſibi interdicebat, & plures alias carnis macerationes octogenarius aſſumebat, quibus ex Monaſterii ejúsque vitæ communis legibus immunem ſe habere poterat.

& carnis maceratot acerbus.

Paucis ante mortem annis Opus de Gratia, hortante me ac ſuadente elucubrandum ſuſcepit, cui morte præventus coronidem imponere non potuit: & quia hujus Operis concinandi Autor illi fueram, iſtud mihi cum cæteris ſuis ſchedis chartíſque teſtamento legavit, ſignificavítque ſibi huic ſcriptioni incumbenti animum fuiſſe, illam Sorbonicæ Domûs Nomini inſcribere ac nuncupare.

Opus de gratia elucubrandum ſuſcipit,

Quidquid ſibi bonorum temporalium morienti ſuperfuit, id omne in pauperum jus uſúmque tranſcripſit ultimæ ſuæ voluntatis tabulis.

Opes ſuas in pauperes diſtribuit.

Denique ut ſanctè vixerat, ita ſanctè diem ultimum Sacramentis Eccleſiæ munitus obiit die VII. Junii anno 1626. Priusquàm ſacro Eucharіſtiæ viatico ad grandem æternitatis viam percurrendam reficeretur, Latino ſermone ipſum Dominum in Sacramento præſentem allocutus eſt, tam ardenti pietatis charitatíſque affectu, tantóque fidei ſuæ de hujus myſterii veritate ac ſanctitate ſenſu, ut ipſe largiter fleret, præſentíque cœtui copioſas exciret lacrymas.

piiſſimè diem ſanum explevit 1626. 7. Junii.

Dom-

Domnus *Sancius* memoriæ non prodit, ubi corpus ejus terræ mandatum ſit; ex epitaphio tamen, quod *Hiſtoriæ de Auxiliis* intextum eſt, liquet, quòd tumulo illatum ſit Romæ in eccleſia Minimorum Gallorum ad Montem Pincium, extra cancellos Aræ principis. Sic verò marmori inciſum habet.

D. O. M.

Cœnotaphium. *Hic jacet Fr. Jacobus le Boſſu, origine Pariſinus, Religioſus S. Benedicti, ex Cœnobio S. Dionyſii in Francia, dignitate Sacerdos, gradu Doctor Sorbonæ, omnibus Pontificibus, ſub quibus Romæ degit, carus, ſed præſertim Clementi VIII. & Paulo V. propter munus Conſultoris, ab eis illi impoſitum in illa venerabili Congregatione, quæ de Auxiliis dicta eſt. Vixit annos* 80. *Menſes quatuor, dies duodecim. Obiit* 7. *Idus Junii anno D.* 1625.

Is ab alio cognomine Monacho diſtinguendus, S. Dionyſii tertiò Priore, qui anno 1570. mundo ſublatus, Epitaphium in Clauſtro San-Dionyſiano, ac ſepulturam habuit.

De Scriptis illius conſulendus Serry. De Scriptis Jacobi Boſſutii nemo meliùs diſſerit, atque *Jacobus Hyacinthus Serry*, ſeu perſonato nomine *Auguſtinus le Blanc*, in Hiſt. Congr. *de Auxiliis Divinæ Gratiæ* Præfat. §.IX. pag. XVII. edit. Antverp. ubi ita loquitur:

Diarium ejus in Gallias relatum. „Scripſiſſe creditur *Boſſutius* DIARIUM, cujus Autographum Romæ apud Fulienſes ſervatum fuerit, donec illud hujus Ordinis Præpoſitus Generalis R. P. *Goulu* in Gallias deportavit. Incidit in invidas manus Patris à S. Joſeph, Viri medullitùs Moliniani, à quo poſteritati ereptum eſt. Hoc tamen de illo teſtimonium tulit in *Suavi Concordia* diſp. 4. ſect. 4. num. 4. *Apertè favet Dominicanis*: eáque idcircò ratione publicæ luci ſublatum voluit, ne Schola Thomiſtica, cui is admodùm adversùs erat, Teſtis adeò locupletis ſuffragio frueretur.

„Nonnulla ex eo Boſſutii Diario petiiſſe videtur Autor *Quæſtionis Theologicæ, Hiſtoricæ, & Juris Pontificii: Quæ fuerit mens Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem & ſcientiam mediam?* Quæ Venetiis primùm anno 1607. fertur edita, tum poſteà Tholoſæ 1644. procurante R. P. *Antonino Reginoldo*: cui propterea à nonnullis adſcripta eſt; niſi fortè ille ipſe Quæſtionis hujus verus eſt Autor; qui eam nihilominus, uti jam pridem Venetiis editam, non ut à ſe primùm elucubra„tam, certis de cauſis vulgari voluerit. Et quidem Quæſtionem illam, ab *Henao* primùm in Mantiſſa ad Tractatum de Scientia-Media, tum deinde à *Franciſco Annato* ad calcem operis de Scientia-Media impugnatam, novis Apologeticis Theſibus defendit *Reginaldus*.

„Exſtant etiamnum ejusdem *Boſſutii* Animadverſiones in viginti quinque Propoſitiones *Ludovici Molinæ*, quas ille à Domno *Sancio à S. Catharina* Fulienſi, quo familiariter utebatur, rogatus elaboraverat; eidémque dono dedit moriens. Et illas quidem in Appendicem noſtram conjicere animus tunc fuerat, cùm primùm earum exemplar nanciſcendi ſpem fecit amicorum unus. At conſilium, quod intenderam, abjicere coëgit ſpiſſior ſcripti moles. Hujus tamen particulam ad promulſidem exhibemus in Appendice, integrum Opus olim redditur, cùm opportuna ſe dederit occaſio. Quamquam nec integrum Opus vocare liceat, cùm è viginti quinque *Molinæ* propoſitionibus, in quas Auctor animadvertere propoſuerat, ſexdecim ſolummodò diſcuſſerit, reliquas morte præventus intactas dimittere coactus. In Indice, qui primus occurrit, totius ferè Operis conſpectus habetur. Tum viginti quinque propoſitiones *Molinæ*, ex ejus libro decerptæ repræſentantur: ac conſequenter duo prima Animadverſionum Capita, quæ Hiſtoriam Congregationum propiùs attingunt.„ Hæc Cl. Serry. de Scriptis Boſſutii. — Animadverſiones in Molinam.

Quòd ſi verò integerrimi Romani judices *ſtupidi, ignorantes, partiales, præcipites*, pro Controverſia illa *impares, ſtipendiarii* &c. fuerunt, prout à Moliniſtis in Hiſtoria ſua de *Auxiliis* depinguntur, profectò bove Bœotico ſtupidior fuit Jacobus Boſſutius; huic enim Clemens VIII. varia ſibi à Jeſuitis oblata Scripta examinanda dedit; qui autem plures in illis ſcriptis contentos detexit errores, & Authores *fraudis, fallaciæ, & falſitatis* reos eſſe oſtendit. Vid. Ricard. à S. Auguſtino in Laqueo Contrito cap. 4. §. VIII. pag. 268. & §. IX. pag. 281.

IV.
GULIELMUS GIFFORD Archiepiſcopus Remenſis.

† 1629. XI. April.

Ex Giffordiorum ſtemmate natus. EX illuſtriſſima & antiquiſſima familia *Comitum Giffordiorum* paternum genus, maternum ex nobiliſſimis Thocmortoniis duxit, verùm ubi, incertum eſt, utrùm in agro *Buckinghamenſi*, an in agro *Staffordienſi*, ubi

terras

terras hæreditario jure jam olim poſſedit hæc familia, & ubi *Giffordiorum* nomen poſt hominum memoriam, magnâ ſemper famâ floruit. Ætatis ſuæ anno quaſi xv. Dom. CIↃDLXIX. à matre piiſſima (*defuncto in flore juventutis ſuæ patre*) ad Univerſitatem Oxonienſem miſſus eſt. Ubi cum multis aliis Romano - Catholicæ Religioni faventibus educatus eſt, ſub Rectore *Aquapontano* vulgo *Bridgmater*, qui ipſe in animo totus erat Pontificius. Poſt quatuor, aut amplius, annos in Logicis & Grammaticalibus illic & in domo *Georgii Edryci* Medici aſtos, *Lovanium*, ut liberiùs fidem Catholicam, quam ab incunabulis imbiberat, profiteri poſſet, unà cum Præceptore ſuo, à ſuis mittitur, ubi tandem Magiſtri Gradum iniit. Deinde in Theologicis maxima ex parte ſub *Roberto Bellarmino*, qui primus è Soc. Jeſu ſacram doctrinam Lovanii exorſus eſt, quadriennium inſumpſit, & Sac. Theologiæ Baccalaureus factus eſt. Ingruentibus autem civilibus bellis, & Univerſitate Lovanienſi penè deſolata, Pariſios petiit, ne bene inceptum in Theologia curſum interrumpere cogeretur. Nec longo poſt tempore *Guilhelmus Alanus* Remenſis Anglorum Collegii tum Præſes eum ad ſe vocavit, & Romam ad Anglorum Collegium miſit. Ubi finivit Theologica ſtudia, & ab eodem *Alano* Remos revocatus Theologiam publicu. Profeſſor docuit per annos undecim continuos. Interea in Academia Pontamuſſana in Lotharingia ſacræ Theologiæ Doctor creatus eſt. Illum in magno pretio habuerunt Illuſtriſſimus *Henricus* Guiſiæ Dux, & frater ejus *Ludovicus* Cardinalis Archiepiſcopus Remenſis. A quibus pro penſione honoraria ducentos aureos annuatim accepit, quamdiu vixerunt. Poſtquam autem è medio ſublati ſunt, & bellis civilibus ardere cœperat Gallia, *Giffordius* Romam profectus, & Illuſtriſſimo Cardinali *Alano* Theologus factus eſt, dein ope ejusdem Cardinalis à Papa *Clemente* octavo Decanatum inſignis Eccleſiæ Inſulenſis Divi Petri obtinuit, & ad annos decem cum honore poſſedit. Quo toto tempore in omnes præſertim exules Anglos mirè liberalis fuit, ædéſque ſuas omnibus bonis viris hoſpitales exhibuit. Inde relicto Decanatu in Gallias ad Remenſem Univerſitatem remeare debuit. Ubi Rector Academiæ electus, cum laude & honore Magiſtratum il-

Oxonii literis addicitur.

Inde Lovanium migrat.

ubi Bellarminum docentem audit.

Pariſios poſtea, deinde Romam petit,

in Pontamuſſana Academia Doctor creatur.

Romam iterum proficiſcitur.

Inde ad Remenſes redux, monaſticen induit.

lum geſſit. Tandem poſt annum ætatis ſuæ quinquageſimum mundo & mundanis honoribus valedixit, & apud Delawariam in Lothagringia S. Benedicti habitum induit, & ſeipſum ſuáque omnia ſub illa regula divinis obſequiis mancipavit, mutatóque, ut moris eſt, nomine, illud *Gabrielis de S. Maria* aſſumpſit; poſtea doctrinâ clarus, nec non admirabili in concionando eloquio, Prior de *S. Macclovio* factus eſt in Galliâ, & Congregationis Anglicanæ Benedictinorum Præſes. Coram multis Principibus frequenter habuit orationes Latinas. Inſulis in inauguratione Alberti & Iſabellæ. Remis in Gallia coram Cardinalibus Borbonio, Vandomio, Guiſio, Vaudemontio, & coram Ducibus Guiſio, d'Aumulio, & aliis. Itaque inter itinera laborioſa, & frequentes tum loci, tum conditionis mutationes, aliáſque non leves moleſtias, nunquam labores literarios intermiſit. Demum à *Ludovico de Lotharingia*, qui & *Guiſius* Cardinalis & Archiepiſcopus Remenſis fuit, iſtius Sedis Suffraganeus factus eſt, & poſt Cardinalis obitum à Rege Galliarum circa annum CIↃDCXXII. ipſe Archiepiſcopus eſt nominatus; & mox conſecratus, in eâ ſeptem annos ſedit. Sic Ducatûs honore ex hâc promotione auctus eſt, & primus Par Franciæ, ſedis ſuæ jure evaſit, in hoc faſtigio, adeò excelſi & publici animi, ut licèt exul & extraneus, duo in Gallia cœnobia fundaverit, quæ *Anglis* ſuis, Ordinis S. Benedicti monachis recipiendis aſſignavit. Obiit xi. Aprilis anno CIↃDCXXIX. & in Eccleſ. Cathedrali *Remenſi* (ni fallor) ſepelitur. Scripſit, & tranſtulit multa; quorum tituli aliqui apud Pitſeum leguntur, videlicet

Prior Maclovienſis & Congr. Anglicanæ Præſes eligitur.

Fit Remenſis Suffraganeus.

dein Archiepiſcopus.

Vivere deſiit an. 1629. relictis variis ingenii monumentis.

Orationum Liber unus. Ex quibus aliquæ extant Duaci.

Calvinoturciſmum, quem Auctor imperfectum reliquit, abſolvit.

Scripſit etiam Latinè librum quendam ad inſtantiam Ducis Guiſii.

Vertit ex Gallico ſermone in Anglicum Frontonem contra Pleſſæum de Mornay Librum unum. Plures libros præ manibus habet. Vivit enim & ſcribit hoc anno Domini 1611. Ita Pitſeus de Ill. Angl. Scriptor. æt, 17. p. 810. qui cùm anno 1616. è vivis exceſſerit, non omnes libros literis conſignare potuit, quos Giffordus uſque ad anno 1629. quo humana abſolvit, indefeſſo ſtudio lucubravit.

Vide

Vide etiam Antonium à Wood in Hiſtoria Univerſ. Oxon. lib. 2. pag. 164. col. 2.

V.

† 1637. 1. Maji. **ANTONIUS PEREZIUS**

Archiepiſcopus Tarraconenſis.

Ejus Natales, profeſſio, officia, ORiundus ex oppido S. Dominici de Silos, atque ejusdem cœnobii Benedictinorum Sodalium alumnus, pluribus adminiſtratis domi, & inter ſuos muneribus, in Salmantinóque ſancti Vincentii Martyris collegio moderatis aliquot annis egregiè ſtudiis, Præfectus Generalis Benedictinæ Congregationis per Hiſpaniam fuit renuntiatus. Epiſcopus tandem promeruit Vigellenſibus dari in Cathaloniæ Principatu: unde ad Ilerdenſem, indéque ad Tarraconenſem metropolitanam Eccleſiam fuit translatus. Summoperè autem deſiderans in patriam reverti, obtinuit calidis precibus, ubi opus erat, interpoſitis, ut Abulenſis in Caſtella ſedes viduata per hoc tempus Antiſtite curæ ejus committeretur: proceſſiſſétque etiam ultra ad ampliorum Eccleſiarum regimen, niſi mors eum Matriti Pontificias exſpectantem adhuc adſumtionis ſuæ ad prædictam Eccleſiam ſolennes literas, juſſiſſet debitum illud perſolvere, quod inter ſe mutuum habent nativitas & mortalitas. elogium Vir fuit memoria noſtra inter paucos celebris, ſive eam Theologiæ partem ſpectare velimus, quæ ab ſcholis cognominata eſt, ſive eam, quæ mores hominum informat, ſive tandem illam, quæ in debellandis Fidei hoſtibus, componendáque ad pietatis ſenſus Chriſtiana republica ſacrarum literarum, & omne genus ſtudiorum rationem exercet. Cujus in teſtimonium laudis clariſſima reliquit editorum librorum monumenta, ſcilicet

Ingenii partus, *Lauream Salmantinam*; ſive certamina ſcholaſtica & expoſitiva pro acquirenda laurea Salmantinæ Academiæ, ſive Magiſterii gradu, & pileo ejus inſigni. Salmanticæ apud Tabernier 1604. fol.

Commentaria in Regulam S. Benedicti: duobus tomis Lugduni 1624. in 4. apud Ludovicum Proſt. Barcinone 1632.

Pentateuchum Fidei, ſive Volumina V. De Eccleſiâ: De Conciliis: De Scriptura ſacra: De Traditionibus ſacris: De Romano Pontifice. Matriti 1620. fol.

Authenticam fidem Pauli ſupet primam & ſecundam Corinthiorum, controverſiis Catholicis agitatam, pariterque diſcuſſam. Barcinone 1632. folio.

Authenticam fidem Mathæi controverſiis agitatam & diſcuſſam. Barcinone eodem anno: tum deinde Authenticam fidem IV. Evangeliſtarum. Lugduni 1624. 4. Adverſùs fidem IV. Evangeliſtarum. Lugduni 1624. 4. Adverſus omnes hæreticos, Ethnicósque Philoſophos, ſimúlque

Authenticam fidem Actuum Apoſtolorum & Epiſtolæ ad Romanos.

Familiæ ſuæ cùm præeſſet Generalis Præfectus, vulgari lingua publicari fecit ad Concionatorum uſum

Apuntamientos Quadrageſimales, i. e. Annotationes Quadrageſimales tribus tomis Barcinone 1608. apud Sebaſt. Cormellas in 4. Pinciæque 1610. 4. Præceſſerat ſimilis argumenti aliud, nempe *Apuntamientos de todos los Sermones Dominicales y Santorales desde primero de Deziembre, y de Adviento haſta principio de Quareſma* i. e. Annotationes pro omnibus Concionibus tum in Dominicis rum Feſtis Sanctorum à prima Decembris & Adventus usque ad Quadrageſimam Medinæ Campi 1603. apud Chriſtophorum Laſſu.

Obiit Matriti kalendis Maji anno Redemptoris nati inter homines MDCXXXVII. ætatis ſuæ LXXVIII. *Nicol. Ant. in Bibl. Hiſp. p.* 117.

VI.

DAVID GREGORIUS CORNERUS † 1640. 9. Jan.

Gottvvicenſis in Auſtria Monaſterii Abbas.

MUndum ingreſſus eſt Hirſchbergæ in Sileſia ſeculi decimi ſexti anno ſupra octogeſimum ſeptimo: manſuetioribus literis, quas per omnem dein vitam excoluit, magna ſui commendatione abſolutis, ad ſeveriores animum adjecit, & ſuprema Philoſophiæ laurea Pragæ donatus, Græcium ad excipiendas Theologicas diſciplinas ſe contulit. Sacris initiatus, Rörzenſi primùm Auſtriæ, quà Moraviam attingit, urbi Parochus decennium præfuit: inde Theologicam in Univerſitate Viennenſi purpuram adeptus, Parœciæ in *Mautern* vicina Gottwicenſi Aſceterio Civitate, præficitur, & Catholicorum gregem afflictis illis temporibus contra hæreticorum inſultus ſtrenuè tuetur. Naſcitur in Sileſia A. 1587. Pragæ & Græcii ſtudet. Parochi munere fungitur.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III. Bbb Verùm

Ex Parocho fit monachus,

Verùm non multò pòſt, cùm in *Georgii Falbii*, Gottwicenſis Monaſterii tum Abbatis Ampliſſimi, amicitiam ſe inſinuâſſet, miro Sacri ejus Ordinis captus deſiderio, quod enixè oraverat, anno ætatis ſuæ primo & quadrageſimo obtinuit, ut inter Celeberrimi illius Cœnobii Tyrones adlegeretur. Neque tamen ita ſolitudinem coluit, ut egregium Catholicæ fidei proferendæ ardorem imminui pateretur; cùm enim ab Abbate ſuo, quem diximus, *Georgio Falbio*, ob ſingulare religionis ſtudium, & rerum gerendarum peritiam à Cæſare in Auſtriam Superiorem domeſticis tum ab hæreſi diſcordiis miſerè diſtractam miſſo, in itineris ſocium etiamnum Tyro aſſumeretur, Abbate res Lincii componente, ipſe per omnem viciniam Catholica Sacra proferre conabatur;

rem Catholicam promovet:

multorum ea cauſa amorem, plurium, qui hæreſi innutriti erant, odia lucratus, adeò, ut diras, & contumelias, minas etiam, quin & fuſtes ab ea hominum colluvie non rarò auferret: neque tamen ea cauſa ab incepto vel latum unguem ſe paſſus eſt dimoveri. Freyſtadii, Auſtriæ Superioris, quà Bohemiam reſpicit, urbe cùm ſacris his laboribus intentus degeret, hæreticorum & perduellium ruſticorum globus urbe potitus, *Cornerum* cum quinque Capucinis Patribus in arcis Sacello deprehenſum, pugnis ac calcibus impetitum, inverſo ſclopo ferociter adeò ceciderunt, ut humi proſtratum, ſemianimem reliquerint, interfeciſſéntque penitùs, niſi ſociorum Patrum quiſpiam lapſu ſuo jacentis corpus contexiſſet, excepiſſétque ictus, qui *Cornero* parabantur: quam luctuoſam ſanè ſcenam *Cornerus* ipſe in epiſtola ad Abbatem ſuum datâ, quæ etiamnum Gottwici aſſervatur, deſcribit:

à perduellibus hæreticis malè habetur,

plebe inde ad arcis direptionem converſa, ipſe paulum ad ſe rediit, verùm mox à reduce furentium manu veſtibus ſpoliatus in carcerem conjectus eſt, nec antè dimiſſus, quàm à Cæſareo milite Freyſtadium denuò caperetur.

& in carcerem conjicitur.

Tam glorioſa ex arena ad Monaſterium redux ſolennia Deo vota nuncupavit, & quinquennio poſt *Georgio Falbio* defuncto in Abbatis dignitate omnium votis ſuffectus eſt.

Redux ad monaſterium Abbas eligitur.

Quo in munere quæ, quantáque pro Deo, religione, patria præſtiterit, longum foret recenſere; illud ſatis, ab inſigni doctrina, animi candore & modeſtia, rei Catholicæ promovendæ ſtudio Auſtriæ toti notiſſimum, Auguſtiſſimis verò Cæſaribus, FERDINANDO II. ac III. qui ejus conſiliis, in rebus præcipuè, quæ ad Religionem ſpectant, ſæpiſſimè uſi ſunt, impensè charum, ac pretioſum extitiſſe, Statuum Inferioris Auſtriæ Deputatus, Sacri Cæſarei Palatii Comes, Univerſitatis denique Viennenſis anno 1638. Rector fuiſſe legitur, & à *Paulo de Sorbaith* inter Univerſitatis Mecænates, & viros in Theologia celebres refertur.

Conſiliarius Cæſareus, S. Palatii Comes, & Rector Univerſ. Vienn. re unciatur.

Ita nempe Gottwicenſi Monaſterio nullo non tempore viri à virtute & doctrina ſpectatiſſimi præfuerunt. Ultimos vitæ annos, exhauſto jam laboribus corpore, ſcribendis libris impendit, quibus immortuus eſt Viennæ in aula Gottwicenſi v. Idus Januar. an. 1648.

Vivere deſiit an. 1648.

Ut cæteras ejus virtutes taceam, quàm abjectè de ſemetipſo ſenſerit, epiſtola teſtatut, quam ad ſuum Monaſterium, cùm extremùm decumberet, exaravit, cujúſque partem, quam hîc referam, à Clariſſimo quopiam ejus loci viro, cui hanc de *Corueri* geſtis notitiam debeo, communicatam acce i: ea ſic habet: *quandoquidem juſtiſſimo Deo ita viſum eſt, ut ob virium imbecillitatem ad Monaſterium (quod multis, & frequentibus ſuſpiriis, & gemitibus inclamo) pervenire nequeam, ac propterea extra illud mori debeam: volo, ut quamprimùm exanime corpus meum ſine ullis ceremoniis vel in curru detecto, vel in aqua Gottwigium devehatur, & tempore nocturno, etiam per manus lictoris, abſque concione ſepeliatur. quodque taliter, & non aliter fieri exigam, teſtor coram SS. Trinitate, S. Maria Virgine, S. P. N. Benedicto, & omnibus Sanctis.*

Ejus modeſtia.

Libri ab eo ſcripti, qui ad notitiam noſtram pervenêre, hi ſunt:

Libri ab eo ſcripti,

Promptuarium Catholicæ devotionis, ſelectiſſimas orandi formulas continens. Monaſterii Weſtphaliæ typis Michaelis Datii 1625. in 8.

Fragmentum, quod continet tres reſponſiones ad 8. Quæſtiones ab Auguſt. Imp. Maximiliano Joanni Trithemio propoſitas. Typis Criſpini Vogtlander Lincenſis 1633. in. 4.

Nucleus Catholicæ Devotionis. Monachii apud Melchiorem Segen. 1638. in 8.

Feriæ Paſchales, ſive Commentarii aſcetici de deſcenſu ad inferos, & Reſurrectione D. N. J. C. libri 2. Viennæ typis Gregorii Gelbhaar 1639.

Vita D. N. JESU Chriſti Divino-Humana, ejúſque Virgineæ Matris Mariæ, ſeu Theologia Dogmatico-Myſtica Com-

Commentariis aſceticis ex SS. PP. & Doctoribus Eccleſiaſticis elucidata. Extat Gottwici in MS. & typis Gregorii Gelbhaar Viennæ 1642. Tom. 2. in 8.

Gemitus devotarum mentium. Viennæ ex Officina Gregorii Gelbhaar 1645. in 8.

De ignorantia fidei, & rerum ſpiritualium libri duo. Typis & ſumptibus Davidis Hautti Bibliopolæ Viennenſis & Lincenſis 1650. in 8. Item Norimbergæ typis Georgii Endteri.

Vid. Scriptores Univerſ. Vienn. Parr. 2. pag. 43.

VII.

† 1648. 31. Julii.

BENEDICTUS HÆFTENUS Præpoſitus Affligenienſis.

Ejus natales, ſtudia, Profeſſio, officia.

ULtrajecti copioſis & Catholicis parentibus natus, Philoſophicis & Theologicis diſciplinis Lovanii egregiè exculrus, Monachum in Abbaria Affligenienſi induit, tantúmque brevi tempore ſocios virtute & eruditione anteivit, ut annos vix natus triginta Prior, & inde Præpoſitus ab Ill.mo Domino *Mathia Hovio* Archiepiſcopo Mechlinienſi conſtitutus fuerit, primus hîc ſtrictioris obſervantiæ auſpex. Ejus elogium Domnus *Odo Cambierius* (s) his ferè verbis contexuit:

elogium.

Erant in illo ſimul omnia, quæ ſparſim & ſolitaria laudantur in ſingulis. Ingenii tanta vis, ut quæcunque ſunt in liberalibus diſciplinis poſita, non modò intelligentiâ comprehenderet, verùm etiam calamo & voce eleganter exprimeret. Memoria tam felix, ut quæcunque audiviſſet, legiſſet, tanquam clavis, ne exciderent, in ea defixa relinqueret. Judicium tam acre & perſpicax, ut aciem ejus nihil fugeret. Dicendum aliquid erat, aut ſcribendum? ſuis quæque locis aptè diſponebat. Diſtinguenda variarum rerum materies & argumenta? prudenti partitione cuncta complectebatur. Arbitrandum erat de dictis & ſcriptis aliorum? ſententiam ferebat accuratè, poterátque egregiè *cornicum oculos*, quod dicitur, *configere*, ſi criticum agere libuiſſet.

Linguarum peritia.

Linguarum Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ potiſſimùm, peritiam haud vulgarem habuit. Verſus ſcribere vel puero luſus fuit, quam felicitatem ſi ſtudia & arte per reliquam ætatem excoluiſſet, ad ſummam poëticæ facultatis laudem haud dubium perventurus fuerat. Verùm ad majora factus in poſtremis hæc habuit, totúmque ſe ad evolvenda veterum Eccleſiæ Patrum ſcripta convertit. Quorum aſſidua lectione non tantùm inſignem divinarum rerum cognitionem conſecutus eſt, ſed etiam animum ipſe ſuum ad omnem virtutem ipſe formavit, & firmavit, ut vivum ac ſpirans probitatis & doctrinæ ſimul exſtiterit ſimulacrum. Pulchrum quidem, ſed difficile utroque, hoc eſt, virtute & eruditione clareſcere. Atque duas res plurimùm diſſitas ita conjungere, ut una ab altera pretium accipiat. Nam quis neſciat multam ſcientiam magnorum fluminum inſtar, ſuum quoque limum non rarò permiſtum invehere in animos, ut qui illa præditi ſunt, digito monſtrari velint, & alios infra ſe poſitos ſublato aſpernentur ſupercilio? At noſter *Benedictus* ita ſe ſtudiis dedit, ut ea nunquam à morum ſanctitate ſejunxerit: tantúmque abeſt, ut noxius ille doctrinæ vapor in ejus pectore, quod ſæpe ſolet, extinxerit ſenſum quendam intimum pietatis, ut ne afflaverit quidem. Mirum eſt, quàm piè doctéque ad Aſcetas diceret, quàm ſolidè & acriter de virtutibus & vitiis diſſereret; quàm aſſiduè divinorum operum meditationi & potiſſimùm recolendis Incarnationis Dominicæ myſteriis vacaret. Durus ſui cenſor inquirebat in ſe perquàm accuratè, latebras omnes & angulos conſcientiæ ita ſcrutari & excutere ſolitus, ut ne debita quidem minima quæ cum Deo contraxerat, impunita ſineret. Ad honores evectus, magna ſubditorum cum approbatione, ſummáque æquitatis, & prudentiæ laude, Præpoſiti munus ad XXX. annos geſſit. Tantam verò in excipiendis hoſpitio Prælatis, aliíſque præſtantibus viris, humanitatem, amorem, comitatem, benevolentiam, & amœnitatem oſtendit, ut plurimi cùm ab eo diſcederent, palàm pronuntiarent, *non inveniſſe ſe quemquam, cujus mores & verba magis ad virtutem, ſapientiam, & venuſtatem valerent.* Et ſanè candor hominis, ad hæc modeſtia, manſuetudo, benignitas, & ſingularis humanitas, gratum, carúmque omnibus ipſum fecerant. Accedebat mira in colloquiis ſuavitas, inſignis ad demulcendos animos facundia, ſententiis & verborum acumini-

erudition.

Animi demiſſio.

Aſceſeos cultus.

Hoſpitalitas.

facundia.

(s) Apud Ant. Sander. in Chronograph. Sac. Brabant. Tom. I. p. 47.

minibus, quaſi ſtellis quibusdam & ſtricturis ornata ſimul & armata. In ferendis autem vel referendis aptè ſalibus æquales paucos habuit, ſuperiorem fortaſſe neminem. Sed eam hic adhibebat moderationem, ut ex mente S. Bernardi *jocus eſſet jucunditate gratus & ſerius gravitate*, quódque de S. Epiphanio vitæ ejus auctor tradidit: *gratioſus erat & urbanus, & habens ſermonem divino quodam ſale conditum.* amœnitas,

Clariſſimorum ex Germania, Italia, Gallia, Belgio virorum epiſtolis ſalvere juſſus, eorundémque encomiis & laudibus cumulatus, ſui ſemper ſimilis inventus eſt. Nullam ſanè virtutem ejus magis, quàm hanc animi demiſſionem laudaverim. Nam tametſi multijugæ doctrinæ copia multos antecelleret, adeóque apud nonnullos *animata Bibliotheca* audiret, tamen commentationes ipſe ſuas parvi faciebat, & ſi quæ publico deſtinâſſet, doctiorum cenſuram anxiè ſollicitéque exquirebat. Hinc illa R.mi juxtáque doctiſſimi viri, *Marci Antonii Scipionis* Abbatis S. Chriſti Placentiæ expoſtulatio: modeſtia,

„ Si quam mihi juris in te atque au-
„ thoritatis partem, quibus te profe-
„ quor, amor & obſervantia peculia-
„ ris concederent, non rogarem ſolùm
„ te, atque obteſtarer, ſed urgerem
„ etiam, atque adeò juberem iſtarum
„ editionem lucubrationum matura-
„ res. Quàm enim iſthæc animi tui
„ modeſtia, ac rerum tuarum negle-
„ ctus, vel æquo certè longè minor
„ æſtimatio in publicum bonum pec-
„ cet, cùm reliqui omnes, qui te nô-
„ runt, tum ego inprimis, multò cla-
„ riùs quàm tu, ac meliùs agnoſcimus,
„ eóque non poſſumus in evulgandis
„ tuis ſcriptionibus moram ac tardita-
„ tem non moleſtè ferre & accuſare. „

Hactenus ille. Illud etiam non reticendum, quòd diſparem animo vultum nunquam tulerit, fraudis tam incapax & neſciens, ut de illo dici potuerit: *Ecce verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* In pauca ut omnia conferam: candor &c.

Caſtus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.

Tanto fuit apud eruditos & probos in pretio, ut dicerent de BENEDICTO HÆFTENO:

Nil exactius, eruditiúsve
Sed nec candidius, benigniúsque.

Ut mirum nequaquam ſit, tantos támque præclaros ab illo ingenio prodiiſſe fœtus, quorum aliqui in publicam hominum lucem educti, alii adhuc privatis ſcriniis concluſi in auras evadere geſtiunt. Inter editos numerantur

Viridarium Catechiſticum, Antuerpiæ apud Verduſſium anno MDCXXIX. in 8. Opera edita.

Schola Cordis, ibidem apud eundem anno MDCXXIX. in 8. Item Germanicè Ingolſtadii A. 1652. in 8.

Propugnaculum monaſticæ reformationis.

Via regia Crucis, Iconibus illuſtrata. Plant. 1635. in 8.

Panis quotidianus, ſeu meditationes ſacræ in ſingulos anni dies diſtributæ, Antverpiæ apud Verduſſium anno MDCXXXIV. in 12.

Diſquiſitiones Monaſticæ, Opus eruditionis immenſæ, nec ſatis unquam laudatum, in fol. Antverpiæ apud Petrum Bellerum an. 1644.

Ex diſquiſitione porrò factus Dei divinorúmque Operum Venator *Hæftenus* in amœniſſimis S. Scripturæ Patrúmque viridariis & pratis, nobilem prædam ingenioſè atque ſagaciter inſectatus eſt

Ut canis occultos agitat quum Belgicus apros,
Errantéſque feræ ſolers per devia merſo
Nare legit, tacitóque premens veſtigia roſtro
Luſtrat inacceſſos venantûm indagine ſaltus,
Nec ſiſtit niſi conceptum ſectatus odorem
Deprendat ſpiſſis arcana cubilia damis.

Ita nimirùm quæſivit noſter *Benedictus*, ut feliciter invenerit, dignúſque fortè cenſeri poſſit, qui vocem illam ſummi Numinis audiret, *Venationem ejus benedicens benedicam.* Quaſi diceret: *Cùm dederit operam* HÆFTENUS, *ut artem me quærendi ſtudioſè, ac induſtriè mortalibus panderet; hinc conatibus iſtis favebo, operi manuum mearum porrigam dexteram.* Venationem ejus ſacram gratiis multis proſequar, faciámque, ut is, qui alios *de omni monte, & de omni colle, & cavernis petrarum* venatus eſt, capturam optimam & copioſam faciat, adeóque ipſe capiatur vinculis verborum ſuorum. Quod factum dixerit aliquis, quando in ipſo venationis curſu, & jam prehenſurus prædam, ab illo, quem quærebat, inventus, captus, & perductus eſt in regionem vivorum. Nam quum curandæ valetudini acidulas in *Spa* de Medicorum præſcripto potaret, atque intereà ſuaviſſimos de Chriſto JESU Crucifixo funderet verſus, paucorum dierum morbo extenuatus, inter Religioſorum non unius Ordinis preces & Venatio Sacra, à Deo benedicta.

ſuſpi-

ſuſpiria vivis exemptus eſt pridie kal. Aug. MDCXLVIII. cùm annum ageret ætatis LX. Ivit ergò & introivit, uti piè ſperamus, in potentias Domini noſter Benedictus, relictis hic aliquot ingenii ſui fœtibus nondum planè affectis & expoſitis. Quos inter primas obtinet *Venatio Sacra*, ſive ars quærendi Deum, quæ nuper 1650. in folio Antverpiæ typis Jacobi Meurſii in lucem prodiit. Sunt præter hæc & alia ejuſdem Hæfteni Opuſcula mſs. quæ Affligenii aſſervantur, ut *Bibliomnena*, ſive memoriale ſacræ Scripturæ; *Paradiſus malorum Punicorum*, ſeu idea vitæ religioſæ emblematibus expreſſa. *Columba meditans*, ſive praxis Orationis mentalis emblemate adumbrata. *Opera poëtica*, in quibus Epigrammata, Ænigmata, & alia varia de variis carmina.

Cœnotaphium Hæfteno hoc poſuit *Odo Cambierius*.

D. O. M.

Æternæ memoriæ Reverendi admodùm Domini

D. BENEDICTI HÆFTENI,

Hujus Monaſterii Præpoſiti

Morum integritate, Candore, Modeſtia, Eruditione, Scriptis Clariſſimi,

Qui poſtquàm ſuis ad ſuſcipiendam hic Caſſinenſem Obſervantiam præiviſſet,

Rebus multis domi foriſque præclarè geſtis Migravit ad Chriſtum añoMDCXLVIII. Pridie Kal. Auguſti

Ætatis anno LX. Dignitatis XXXII.

Hæc quicunq; legis moriturus & ipſe precare, Mortuus æternâ pace quieſcat, Amen.

VIII.

† 1650. 17. Sept. CONSTANTINUS CAJETANUS Abbas S. Baronti.

Ejus patria, genus, parentes. NObilis Syracuſanus, Benedictinus Congregationis Caſſinenſis, vir literarum, & eruditionis gloriâ celeberrimus, *Octavii*, & *Alphonſi Caëtani* Societatis Jeſu frater ex Marchionibus Sortini, & Principibus Caſſari, parentibus *Barnaba Caëtano*, & *Hieronyma Perno* natus, lucis uſuram accepit anno 1580. Religionem amplexus eſt in Monaſterio S. Nicolai de Arenis Catanæ, ubi ſolemnia edidit vota 29. Octobris 1586. Studiis & gravioribus Philoſophiæ, ac Theologiæ diſciplinis addictus, doctrinâ claruit. Inde ad perſcrutanda antiquitatis monumenta, eâ animi contentione adhæſit, ut profeſſio religioſa & ſtudia. pervolutis ferè omnibus Italiæ Archivis, ab Eccleſiaſtica, recondita, inſigníque eruditione celeberrimum ſibi nomen comparaverit. Hinc ubique ejus famâ diffuſa, *Clemens VIII.* Pont. Max. Romam acceſivit *Conſtantinum*, ut ex Bulla Pauli V. in Operibus B. Petri Damiani primæ editionis patet, ut ibi veluti in ampliori Orbis theatro ipſius doctrinæ & eruditionis præſtantia effulgeret. Romæ indefeſſo labore antiquitatum ſtudia ſecutus, totum vitæ curſum in pulverulentis Archiviorum angulis impendit, & è tineatum injuriis memorabilia, & illuſtriora Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta laudabiliter liberavit. Ideóque ex antiquitatis tenebris maximum nomini ſuo ſplendorem conciliavit, & ampliſſima ejus eruditio in admirationem viros ſanè egregios traxit. Hac ex cauſa Clariſſ. *Cæſar Baronius* CONSTANTINI eruditionem veneratus, in ſuorum Annalium lucubrationibus ipſum ſibi adjutorem delegit. Hinc pluries *Conſtantinum* laudat, ac multis in locis lumen à *Conſtantini* ſcientia accepiſſe fatetur. Ita *Tom. XI. an.* 1002. *num.* 4. ſcribit: *Legimus ejuſdem duo donationum diplomata nobis oſtenſa à Domino* CONSTANTINO CAJETANO, *Monacho Congregationis Caſſinenſis, Archiviorum perveſtigatore diligentiſſimo, An.* 1065. *num.* 16. *an.* 1072. *num.* 34. *& tom.* 12. *an.* 1119. *num.* 3. alia de eo honorificè protulit teſtimonia. Ipſemet *Baronius* curavit, ut à *Paulo V.* Pont. Max. in Bibliotheca Vaticana cuſtos præficeretur: & ob ſingularem meritorum præſtantiam eodem in munere ipſum confirmârunt *Greg. XV. Urbanus VIII.* & *Innocentius X.* apud quos magnâ valuit opinione: ac ipſis ob ſacras eruditionis opes gratiſſimus vixit, quibus à ſacris literarum monumentis fuit: ideóque à nonullis Scriptoribus *Romani Pontificis Hiſtoriographus* appellatur. Nec ambigitur, quòd in ſacrum Cardinalium Senatum adjunxiſſent *Conſtantinum*, ni invidiæ æſtus acriter obſtitiſſent. A Paulo V. Abbas titularis S. Baronti fuit electus, & ab Urbano VIII. Prioratus S. Nicolai de Latina in Sicilia donatus, ut teſtatur Abbas Pirrus *not. Eccl. Agrig. pag.* 334. Apud Proceres S. R. E. Cardinales, Regéſque plurimùm æſtimatione valuit, qui *Conſtantinum* Inſtituti Benedictini ſplendorem ſæpiùs dixerunt. Immortalem nominis famam aſſequutus eſt, cùm propriis ſumptibus an. 1621. Apoſtol. Collegium Gregoria-

Romam accitus antiquis monumentis operas dicat.

Baronio ſymbolas communicat.

Bibliothecæ Vaticanæ præficitur.

Abbas S. Baronti eligitur.

gorianum de Propaganda Fide Romæ excitare meditaretur, eâ lege, ut ibi S. Benedicti alumni adversùs Catholicæ veritatis hoſtes prodirent in aciem doctrinâ muniti, quarto propterea voto adſtricti ad hoc Opus aggrediendum, ac de hoc Collegio primus electus fuit PRÆSES. Sed hoc egregium opus perficere haud potuit, ex magna ſupra vires mole: at oblata à *Conſtantino* occaſione, & ex jactis jam ab ipſo fundamentis GREGORII XV. Pontificis Maximi juſſu, ac operâ *Collegium de Propaganda Fide* fuit excitatum, non ſine maximo Catholicæ Fidei bono; ac conſtitutâ Cardinalium Congregatione, ejusdem Conſultor electus eſt *Conſtantinus*: ac eidem Collegio poſt mortem omnia ſua reliquit bona.

Collegiū Romæ de propaganda fide,

Celeberrimam etiam *Anicianam Bibliothecam* excitavit, in qua ingenti pecuniarum ſumptu rariores antiquitatis, ac eruditionis theſauros collegit. Literis, ſtudiſque ſemper pietatis, ac regularium virtutum ornamenta ſociavit: ideóque inculpatos tanti viri mores, ac vitæ integritatem non ſine veneratione intuebantur omnes.

& Anicianam Bibliothecam excitat.

Tandem magno Literatorum dolore vivere deſiit Romæ 17. Septembris 1650. æt. ſuæ an. 90. & in eccleſia S. Benedicti ſepultus eſt.

Vivere deſiit A. 16ro. 17. Sept.

Ob ſingularem doctrinam, eruditionémque innumeri Scriptores laudibus extulère *Conſtantinum*, ut Antonius Poſſevinus *in Appar. ſacro.* Arnoldus Wion *in Ligno vitæ*, Bellarminus *de Script. Eccl.* ubi de *B. Petro Damiano* p. 280. Clemens Rainerius Anglus *in lib. de Apoſtolatu Benedictino*, Franciſcus Bivarius *in Comment. ad Luc. Dextrum.* Barth. Gavantus *in Rubric. Brev. Roman.* Franciſcus Avantinus *in Manuali Simplicium*, Jacobus Gretſerus *adversùs Replicatorem Calvinianum*, Jo. Salas in r. 2. D. Thom. Andreas Salazar *in not. ad Regul. S. Benedicti*, Lucas Wadingus *in not. ad opuſc. S. Franciſci*, Chriſtophorus Beſoldus *in Spicilegio politico & juridico*, Maximilianus Sanderus *Academic. comment. lib.* 1. Michaël Ghislerius *tom.* 1. *in Hierem.* Oct. Caetanus *in vitis Sanct. Sicul.* Andreas Victorellus *in Addit. ad Ciacconium*, Ughellus *in Addit. ad Ciacconium*, Bzovius *in Compend. Annal. Baronii*, Conſtantinus Bellotus *de Inſtituto Gregorii Magni*, Martinus Martinez *in Apolog. de Patronatu Hiſpaniæ S. Æmiliani*, Carolus Stengelius *in lucida corona Religionis Benedictinæ*, & *Monaſteriologia*, quam ipſi inſcripſit, Jo. Bapt. Laurus *in Orcheſtra Thea. Rom. pag.* 50. & Dominus Marſigliac, omnes à Leone Allatio adducti in libro *Apes Urbanæ* pag. 73. qui, ut eruditè perpendit, à doctis Scriptoribus paſſim vocatur: *Archiviorum perveſtigator diligentiſſimus, & de antiquitate eccleſiaſtica benè merens, & planè doctus, doctiſſimus, & de antiquitate merendi cupidiſſimus, eruditiſſimus Pater, & pius, & gravis, & eloquens, & elegans.*

Authores qui de eo cum laude agunt.

Quibus ego, inquit *Antonius Mongitore*, addo nonnullos alios graviſſimos Scriptores, qui meritò *Conſtantinum* laudibus ornant, ut Maraccius *in Bibl. Mariana part.* 1. *p.* 294. & *pag.* 2. *ſqq.* Michael Juſtinianus *in Epiſtolis memorabilibus part.* 2. *pag.* 114. Aloyſius Novarini *opuſc. tom.* 1. *pag.* 61. Abb. Pirrus *not. Eccl. Syracuſanæ pag.* 213. & *lib.* 4. *de Abbatiis* pag. 152. Joſeph Silos *in Hiſt. Cler. Reg.* tom. 1. lib. 1. p. 14. Petrus Ant. Tornamira *in reſponſ. ad claritatem clarificatam pag.* 19. & *ſeq.* & *in Scriptoribus Marinis Benedictinis pag.* 48. Ludovicus à S. Carolo *in Bibl. Pontificia l.* 2. *p.* 293. Jo. Philippus Thomaſius *Elog. t.* 2. *p.* 77. Philadelph. Mugnòs *in Theatr. Geneal. p.* 1. *p.* 202. Petrus Carera *in mem. Caetan. vol.* 2. *p.* 242. Jo. Bapt. de Groſſis *in Decac. Catan. t.* 1. *cord.* 2. *p.* 47. Jacobus Grimaldi m. ſ. apud Philippum Bonannum *in numiſmatibus Sum. Pontif. cap.* 10. *pag.* 58. Caſim. Oudin. *in Supplemento ad Bellarmin. de Script. Eccleſ. p.* 377. Philippus Labbè *in Bibl. nummaria p.* 249. & *de Script. Eccl. to.* 2. *p.* 201. & 202. & *tom.* 1. *p.* 42. & Sirmondus apud ipſum pag. 692. Abb. Piccinelli *in vita Hugonis Principis Etruriæ à p.* 69. & *ſeq.* Bernardus Clavellus *in Hiſt. Arpinate lib.* 6. *p.* 239. Jo. Thomas de Roccaberti *in Bibliotheca Maxima Pontificia* tom. 7. pag. 27. & alii. Noviſſimè *Marianus Armellini* Abbas S. Petri de Aſſiſio in Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi part. 1. pag. 123. ubi præter illos Autores, quos Antonius Mongitore allegat, alios magno numero adducit, qui cum laude *Conſtantini Cajetani* meminerunt. Inter hoſce verò non eſt *Janus Nicius Erithræus*, id eſt, *Jo. Victorius de Rubeis*, qui in quadam epiſtola ad *Fabium Chiſium*, tunc Romanæ Curiæ Prælatum poſteà *Alexandrum VII.* Pont. Max. acriter *Conſtantinum* carpit & irridet, tanquam immodico in Ordinem ſuum æſtuantem zelo, & inconſulto animi fervore in ejusdem Ord. gloria vindicanda abreptum. Hoc tamen nihil prorsùs *Conſtantini* virtuti

Erithræus in eum iniquior.

ac

ac ſapientiæ debet officere. Eſto enim in aliquibus nimius fuerit, vel deceptus (*quis enim ab omni errato immunis?*) nunquid proinde nævos hoſce, quicunque demùm hi fuerint, tot præclara Opera, tótque inſignes lucubrationes, veluti Sol tenùem quandam caliginem ſplendore ſuo, minimè diſſipabunt, ne abolebunt? Quid mirum verò, quòd *Eritbræus* Cajetanum perſtrinxerit, cùm in *Alexandrum* etiam *Taſſonum*, quòd Baronium alicujus errati notare auſus fuiſſet, tam acriter excanduerit. Ut hæc *Armellino* concedamus, optandum tamen fuiſſet, ut quemadmodùm *Cajetanus* aſſumpto *Vindicis Benedictini* titulo plurimùm gloriatus fuit, ita etiam tritum illud *Nequid nimis*, memori mente recondidiſſet. Certe Cardinalis *Cobellutius* de Abbate *Cajetano* dicere conſueverat, *ſe in metu eſſe, ne is ad extremum S. Petrum in album Benedictinorum referat.* Id quod etiamnum, inquit *Cl. Guillelmus Fillatre* in epiſtola ad Mabillonium, de nonnullis dici poteſt, quorum zelus debitæ eruditionis ac doctrinæ luce nondum ſatis colluſtrari cœpit.

ejus ingenii & laboris fructus.

Quæ edidit Caetanus, partim proprii ingenii monumenta, partim aliorum, ejus operâ & ſtudio collecta, & illuſtrata, hæc ſunt:

S. Petri Damiani Monachi Ord. S. Benedicti S. R. E. Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis, & Doctoris ſanctiſſ. ac diſertiſſimi Operum Tomus Primus continens Epiſtolarum libros octo, multis ex Bibliothecis & argumentis, notíſque illuſtratos, atque nunc primùm excuſos operâ & ſtudio D. Conſtantini Cajetani. Romæ ex typographia Aloyſii Zannetti 1606. in fol.

Tomus Secundus continens ſermones & hiſtorias. Romæ typis Guillelmi Gacciotti 1608. in fol.

Tomus Tertius continens opuſcula, Romæ ex typographia Jacobi Maſcardi 1615. in fol. recuſi ſimul Lugduni ſumptibus Claudii Landri 1623. in fol.

Tomus Quartus continens Orationes, Carmina, & Rythmos cum notis ejuſdem Conſtantini Cajetani in eundem, & in Regulam Clericorum Petri de Honeſtis. Romæ 1640. in fol. Hi quatuor tomi ſimul prodiêre Pariſiis ſumptibus Caroli Chaſtellain 1642. & 1663. in fol. Epiſtolæ ſeorſim editæ ſunt cum notis noſtri Conſtantini Pariſiis 1610. in 4. ex Guilelmo Cave *in Script. Eccleſ. hiſt. liter. p.* 427. & Dupin *in Bibl. Script. Eccleſ. tom.* 8. *ſecul.* 11. *cap.* 8. *pag.* 98. Noſter Caetanus indefeſſo labore ac ſtudio collegit, ac mendis purgavit Opera B. Petri juſſu *Clementis VIII.* ut teſtatur Baronius *tom. XI. Annal. an.* 1065. *n.* 16. *& an.* 1072. *num.* 38.

B. Amalarii Fortunati Ordinis S. Benedicti Cardinalis & Archiepiſcopi Trevirenſis Vita. Romæ typis Jacobi Maſcardi 1612. in 4.

Joannis Gerſenii vindiciæ.

Ven. Viri Joannis Gerſen Abbatis Ord. S. Benedicti de Imitatione Chriſti libri quatuor recenſiti; ac permultis in locis, ex veteri m. ſ. Codice reſtituti. Acceſſit ejuſdem D. Conſtantini Abbatis Caetani defenſio pro hoc ipſo librorum Auctore. Nec non eorundem librorum methodus practica, & brevis epitome ex eodemmet opere depromptæ, in quibus vitæ perfectæ forma deſcribitur. Romæ ex typographia Jacobi Maſcardi 1616. in. 12. Huic opinioni, quòd libri de Imitatione Chriſti ſint Abbatis Joannis Gerſen, ſe oppoſuit Heribertus Roſweydus, cui reſpondit Conſtantinus recuſo ſupradicto opere, & addito libello inſcripto

Concertatio priori editione auctior, cui acceſſit Apologetica Reſponſio pro hoc ipſo librorum Auctore Joanne Gerſen adversùs Heribertum Roſweydum Soc. Jeſu. Romæ 1618. in 8. Edidit etiam de hac re *Apologeticum libellum pro Joanne Gerſen de Imitatione Chriſti.* Romæ 1644. in 8. Cùm autem *Roſweydi* defenſionem etiam ſuſcepiſſent *Joannes Frontonus* & *Zerlinus* Canonici Regulares, quos ſequuti ſunt *Georgius Heſſerus*, *Joannes Bollandus*, & *Theophilus Raynaudus* Soc. Jeſu, *Henricus Sommalius*, *Gabriel Naudæus*, *Chifletius*, *Caneus*, Abbas Barlenſis, aliíque; tandem contra hos omnes in arenam deſcendit *P. Franciſcus Delfau*, Benedictinus Congregationis S. Mauri, qui edito libro an. 1674. Caetani opinionem propugnavit; at adverſarium expertus eſt quendam Canonicum Regularem, ut legere eſt apud Diarium Literatorum Romæ an. 1678. pag. 30. & 31. Joannem Mollerum *de Script. Homonymis cap. 6. n.* 43. *p.* 567. Henricum Wharton *in append. ad hiſt. liter. Guilielmi* Cave *pag.* 90. alióſque qui hanc Kempenſem pugnam latè narrant.

Antagoniſtæ & Hiperaſpiſtæ.

Pro Joanne Diacono S. R. E. Cardinali de S. Gregorii M. ejúſque Diſcipulorum *Monachatu Benedictino libri duo* Salzburgi 1620. in 4. Auguſtæ apud Joannem Kruger 1621. & Ro-

mæ

mæ 1620. in 8. ex Bibliotheca Claſſica Draudii pag. 38.

Sanctarum **Trium Epiſcoporum Religionis Benedictinæ luminum, Iſidori Hiſpalenſis, Ildephonſi Taletani, & Gregorii S. R. E. Cardinalis Epiſc. Hoſtienſis Vitæ, & Actianes ſcholiis illuſtratæ. Acceſſerunt apuſcula quædam ejusdem Iſidori nondum edita.* Romæ 1616. in 4.

Animadverſiones in Vitam S. Anſelmi Epiſcopi Lucenſis. Leguntur inter monumenta contra Schiſmaticos à Jacobo Gretſero Soc. Jeſu edita Ingolſtadii 1613. in 4.

S. Columbanum Abbatem Bobienſem, & Lucenſem cum ſuis fuiſſe Ordinis S. Benedicti Aſſertio. Inter ſcholia in vitam S. Atagni à Martino Abbate Farfenſi ſcripta. Auguſtæ Vindelicorum 1627. in 8.

De erectione Collegii Gregoriani in Urbe Epiſtola Encyclica. Romæ ex typograph. Cam. Apoſt. 1622. in 4.

Vita & Paſſio S. Eraſmi Antiachiæ Epiſcopi, & Martyris Caetæ Urbis Patroni ſcripta à Jaanne Caetana Caſinenſis Monaſterii Monacho, qui & Gelaſius Papa II. edita verò & ſcholiis illuſtrata à D. Conſtantino Abbate Caetano ejus Gentili. Romæ ex Officina typographica Caballina 1638. in 4.

De inſtitutione S. Ignatii S. J.

De Religiaſa S. Ignatii, ſive S. Enneconis Fundatoris Soc. Jeſu per Benedictinas inſtitutione, déque libello exercitiorum ejusdem ab Exercitaria Ciſneri deſumpta. Venetiis 1641. in 8.

Hunc librum oppugnavit *P. Joannes Rhò* Soc. Jeſu edito opere *Achates* ad D. Conſtantinum Caetanum, ſed utrumque prohibuit Sacra Congregatio Indicis, ut ex Indice librorum prohibitorum conſtat. Vide quæ libro præcedenti diximus.

De ſingulari Primatu S. Petri ſolius Commentarius ad Innocentium X. P. M. Item de Romano ejusdem S. Petri Domicilio & Pantificatu Concertatio. In Bibliotheca Maxima Pontificia P. F. Joannis Thomæ de Rocaberti Tomo VII. Romæ ex typographia Joannis Franciſci Buagni 1698. in fol. Italicè.

Guidicia ſopra la Vita del Re David ſcritta dal Sign. Ranuccio Pichi Secretario del Altezza di Parma. Romæ 1631.

Lettera ſapra il Crocifiſſa eſiſtente nella Baſilica di ſan Paula di Roma. In Epiſtolis memorabilibus Abbatis Michaelis Juſtiniani Tom. 3. Epiſt. 39. p. 233. Romæ apud Tinaſſium 1675. in 12.

Innumera alia ſcripſit *Conſtantinus*, quæ ipſo adhuc ſuperſtite, Plagiariorum nonnullorum manus effugere haud valuere: hinc vel ſuppreſſa, vel aliò fuerunt translata; ſed ope Oratoris Hiſpani Romæ degentis partim recuperavit, partim in multis Bibliothecis diſperſa aſſervantur MSs. ut legimus in ejus elogio apud Biblioth. Pontif. Rocaberti *Tom. 7. pag. 27.* Ipſorum operum multa extant in Bibliotheca Monaſterii S. Georgii Venetiis ex P. Petro Antonio Tornamira *in Epiſt. ad lectarem ſcriptorum Marianorum.* Horum nonnullorum nomina retulit Allatius in libro inſcripto: *Apes Urbanæ*, nempe

Alia per Plagiarios direpta.

Vita S. Benedicti.

Acta S. Schalaſticæ Virginis ejusdem Sororis.

Reliqua in MSs. aſſervata.

Acta S. Placidi, Abbatis & Martyris.

Acta S. Gregorii Magni. de his etiam Ludovicus à S. Carolo in Biblioth. Pontif. pag. 293.

Acta S. Petri Cæleſtini, & ex Ludov. cit.

Acta S. Thomæ Aquinatis.

De Sanctitate Luciferi Epiſcopi Calaritani libri II. Apologetici.

Vita Bonifacii VIII. Papæ è familia Caetanorum cum Apolagia pra ejusdem Bonifacii ingreſſu ad Pontificatum legitimo, prudenti regimine, & gloriaſa morte. De hac etiam Ludovicus cit. in *Bibliotheca Pontif.*

De Nummis & Numiſmatibus in honorem Beatæ Mariæ Virginis cuſis libri dua. De his etiam Maraccius *in Biblioth. Mariana* Par. I. pag. 295. & ex eo Philippus Labbè in *Bibliotheca nummaria* in calce Catalog. librorum Ant. Teiſſerii p. 440.

De Veneratione Sanctorum libri duo.

De Sacroſancta Baſilica Vaticana.

De Antiquitate Regulæ S. Auguſtini, & Canonicorum, quos vocant Regulares.

De Præſtantia Religionis Benedictinæ, ſeu de quatuar cauſis ejusdem Regulæ, materiali, formali, finali, & efficiente libri IV. Commentaria Encyclica, Partenica, Apologetica.

Opuſcula quædam Ambraſii Authperti Magiſtri in humanioribus Caroli Magni, & Abbatis S. Vincentii de Vulturno prapè Capuam fluvio.

Opuſcula S. Bertharii Abbatis Montis Caſini, & Mart. è ſanguine Regum Gallorum.

Opera S. Brunonis Epiſcapi Signini Tomis quatuor camprehenſa, & ſchaliis & argumentis illuſtrata.

Variæ

Variarum concertationum volumen.

CCC. de Vitis Sanctorum Hiſtoriæ adbuc ineditæ, cum notis & ſcholiis.

Opuſcula diverſa veterum Patrum Tom. III.

Opuſcula & Epiſtolæ S. Columbani Abbatis Bobienſis, cum notis & argumentis.

Sermones & alia Opuſcula Joannis Gerſen Benedictini Abbatis S. Stephani Vercellarum cum Apologia pleniori & auctiori, illum fuiſſe legitimum Autorem librorum de Imitatione Chriſti.

Opera Thomæ Galli Benedictini Abbatis S. Andreæ Vercellarum.

De Caetana familia commentaria ab anno Chriſti DCC. ad noſtra tempora.

Maraccius *in Bibliotb. Mariana* pag. 295. & Tornamira *in Script. Mar.* p. 48. addunt hæc alia

De Sancta Clave ſacræ Domus Lauretanæ, quæ extat in Sacrario Monaſterii S. Mariæ Farfenſis in Sabinis Tractatus.

De divino cultu Genitrici Dei Mariæ à Magno Patriarcha Benedicto, ejusque Alumnis ſingulariter exhibito, ac propagato commentarium, in quo primordia deſcribuntur, progreſſus, atque incrementa Virgineæ hujus venerationis à S. P. Benedicto, ejúsque filiis doctoribus præſtita, atque inſtituta.

His addit Tornamira in Reſponſ. ad Claritatem clarificatam

De Ordinis S. Benedicti

Calendarium Benedictinum

Annale Benedictinum.

Hæc ex *Antonii Mongitore Bibliotheca Sicula* Tom. I. pag. 143. & ſeqq.

IX.

† 1651. 17. Mart.

CLEMENS REYNERUS
Abbas Lamſpringenſis.

Natione Anglus, in Lotharingia O. S. B. profeſſus, Duaci publicè docet, variáque gerit officia.

PArentibus Catholicis & nobilibus ex antiqua familia in Comitatu Eboracenſi in Anglia natus, cùm ad annos diſcretionis venit, Monachus Ord. S. Benedicti *Dei Cuſtodiæ* in Lotharingia factus, & in Academia Duacena, Philoſophicis, Theologicis, Canonicis, aliiſque bonarum literarum diſciplinis apprimè inſtructus, ejusdem Academiæ Profeſſor publicus, ac tandem Doctor egregius evaſit, varia in Congregatione Anglicana officia (ſicut & extra eam) & bina vice ſupremum in eadem Congregatione Præſidis officium ſumma induſtria & fidelitate geſſit: multis annis Congregationis Anglo-Benedictinæ Procurator Generalis in Germania, ad ſeſqui annum præfuit monaſterio Rintelienſi, ubi contigit celebris diſputatio inter ipſum & Doctorem *Steckmannum*, Haſſiæ Superintendentem, Virum à ſuis Calviniſtis pro doctiſſimo habitum, qui adeò confundebatur, ut intra paucos dies præ triſtitia mortuus ſit, usque ad ultimam vitæ horam clamans: *O Clemens, tu occidiſti me!* & ita exſpiravit.

Hæreticos profligat.

Nec minori admiratione digna fuit altera diſputatio ejusdem cum Præſide *Doctore Giſenio*, Superintendente Brunsvicenſium Lutheranorum; durabat tribus diebus continuis, adeóque coarctatus fuit acatholicus iſte, ut vix haberet verbum, quod amplius reſponderet; unde cum ſummo dedecore herbam porrigere coactus fuiſſet, niſi per adventum hoſtis, qui ipſo die civitatem in ſuam redegit poteſtatem, diſputatio interrupta fuiſſet.

Sed tandem *Reynerus* cum ſuis Anglis *Rintelio* pulſus, à Capitulo Duaci habito Præſes electus eſt, & eodem tempore oblata eſt ei Mitra monaſterii S. Petri de Monte Blandinio juxtà Gandavum in Flandria valoris 80000. Imperialium annuatim, quam propter zelum animarum & amorem Germaniæ recuſavit; unde in Germaniam reverſus eſt, ubi longè antè, cùm Monaſterium Lambspringenſe Anglis daretur, Abbas ejusdem nominatus fuerat. Hoc verò monaſterium erat primitùs Partheno O. S. B. à Riddago Comite à Winzenburg an. 847. fundatum, cui filiam ſuam *Richburgam* præfecit primam Abbatiſſam. Huic aliæ in regimine ſucceſſerunt ad annum usq; 1521. quo labente in bello Hildesheimenſi ſub Joanne Epiſcopo præter alias multas ditiones Duces Brunsvicenſes etiam hunc occupârunt Parthenonem, atque ſecularizari, ut vocant, curârunt. In bello autem tricennali ſeculi proximè elapſi *Ferdinandus* Archiepiſcopus Colonienſis & Adminiſtrator Hildesheimenſis Virgineum hoc monaſterium præter alias injuſtè ereptas dynaſtias Epiſcopatui vindicavit, & Benedictinis Anglis incolendum conceſſit. *Reynerus* igitur ab Archiepiſcopo Abbas nominatus, & à Præſide Congregationis, deinde à toto Capitulo confirmatus, tandem pacificâ poſſeſſione obtentâ benedictionem ſibi impendi eſt paſſus, & ab an. 1643. ad diem 17. Martii anno 1651. incredibili induſtriâ, prudentiâ & zelo præfuit: in proximo Capitulo Generali poſt ejus denominationem

Recuſatâ pinguiori Abbatia Lambspringenſem ſuſcipit.

habito Duaci die 24. Auguſti, auctoritate Capitulari ſtatutum fuit, quòd Abbas Lambſpringenſis cederet, durante in Anglia ſchiſmate, ſoli Præſidi, idque tam in Actis Capitularibus, quàm ubique.

Ejus pro religione & patriâ labores.

Hic Abbas *Clemens* religionis & doctrinæ promovendæ ſtudioſiſſimus, ne hæreſis Lutherana augmentum, vel ſaltem ſtabilimentum per erectionem Conſiſtorii Lutherani acciperet, verbo & ſcripto ſtrenuè laboravit; in rebus gerendis adeò prudens fuit, ut à multis in negotiis arduis conſuleretur: imò ipſum Regimen Hildeſienſe eundem ad publica Comitia, ut ejus conſilio uteretur, anno Domini 1644. die 2. Jan. citavit, ut ſcilicet ibidem cum aliis tractaret de conſervatione Patriæ: pro bonarum literarum augmento, publicarum ſcholarum in civitate *Bodens* erectionem meditabatur: plurima dixit, fecit, ſcripſit ſummâ laude digniſſima; unde eodem, quô ex hac vita migravit die R.mus D.nus *Joannes* Abbas S. Michaëlis meritò dixiſſe fertur, *illo die magnum Ordinis Lumen extinctum.* Studiis, curis, laboribus pro Dei gloria, animarum ſalute & S. Ordinis decore exhauſtus in monaſterio S. Michaëlis intra Hildeſium, quô Lambſpringa de more ſuo pedes profectus fuerat, die 17. Martii anno 1651. piè obiit & ibidem ſepultus. Ejus oſſa translata Lambſpringam, & in navi eccleſiæ ante gradus, quibus ad chorum aſcenditur, juxtà ſucceſſores ſuos recondita jacent in parvulo ſarcophago quercino, intra quem in lamina plumbea hæc inſcriptio habetur:

Obitus 1651. 17. Mart.

Epitaphium.

Clemens Reyner, natione Anglus, SS. Theol. Dr. Hujus Lambſpringenſis Monaſterii Abbas I.mus obiit Anno 1651. die 17.ma Martii, ætatis 62. Regiminis 8. in Monaſterio S. Mich. Hildeſii, ibidémque ſepultus, eodémque ejusdem menſis die Anno 1692. huc Lambſpringam translata pia oſſa requieſcunt.

SCRIPTA.

1.) *Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia, ſive diſceptatio hiſtorica, de antiquitate Ordinis, Congregationiſque Monachorum Nigrorum S. Benedicti, in Regno Angliæ: in qua demonſtratur S. Gregorium, ejus Nationis Apoſtolum fuiſſe Benedictinum; oſtenditur etiam obiter, quanto numero, quibúsque temporibus alii Ordines Religioſorum in eodem Regno cœperint agnoſci. Cum appendice copioſa Inſtrumentorum venerandæ vetuſtatis, è quibus fides Antiquitatum Benedictinarum demonſtratur: in iis præcipuè inveniet lector religioſus Concordiam Regularem S. Dunſtani, & Statuta Monaſtica D. Lanfranci; & aliquot acta Priſcorum Capitulorum Generalium Congregationis, Ordiniſque ejusdem in Anglia antehac nunquam typis excuſa. fol. min. Duaci, ex Officina Laurentii Kellami Typographi jurati, ſub ſigno Agni Paſchalis 1626.*

2.) *Dialogiſmus, in quo Paulus Catholicus, & Joannes Acatholicus amicè & nervosè diſcutiunt hanc quæſtionem: Utrum hoc rerum ſtatu in Diœceſi Hildeſienſi poſſit erigi Conſiſtorium Auguſtanæ Confeſſionis, ad Populum Hildeſienſem Confeſſioni Auguſtanæ addictum, ex ſincero Veritatis (qui Chriſtus eſt) amore pro inſtructione directus.*

3.) *Epiſtolæ tres ad R. R. P. P. Provinciales, & ad Definitores Congregationis Anglicanæ, Ordinis S. B. in Apoſtolica Miſſione laborantes, in quibus fusè ac ſolidè Regularium privilegia vindicantur. in 8. Duaci ex Officina Baltazaris Belleri.* Deeſt annus editionis.

Hæc ex Literis V. C. M. Weſtbruuk Prioris Lambſpringenſis Anno 1739. die 29. Junii. Vide etiam Leuckfeldii Antiquitates Burſfeldenſes de Monaſterio Lambſpring. p. 108.

X.
PLACIDUS VIGELLIUS Abbas Majoris Augiæ Brigantinæ.

† 1651. 4. Febr.

IN Algoia ex Acatholicis parentibus natus, ſed Veldkirchii in Rhætia, ac Tettnangæ in Suevia educatus in fide catholica, ob eminentem virtutis & doctrinæ famam anno 1616. die 22. Septemb. à Prioris officio ad abbatiale munus promovetur. Diu quidem reſtitit, imo ſolùm adhuc Prior in Ordinem Patrum Capucinorum, iteratis ad Patrem Provincialem literis, enixè rogavit ſuſcipi, ſed obſtiterunt, qui eum ſibi Abbatem deſignaverant. Collum ergo impoſito jugo ſupponere coactus, viriliter & glorioſè ſuſtinuit onus, uti geſta ipſius probant. Nempe *Gregorium* Ottoburanum in Suevia Abbatem, primùm florentiſſimi hodie in Germania ſtudii Salisburgenſis inſtitutorem inſigniter juvit, datis ſucceſſivè ad docendum tribus admodùm literatis monaſte-

Ob virtutis & doctrinæ famam ad dignitatem Abb. provectus.

Studii Salisburgenſis inſtitutionem egregiè juvat.

naſterii ſui viris, *Franciſco Seiler*, *Jacobo Grueſs*, & *Johanne Mayer*. Eodem quoque agente, ac prætet fundum potiora pro ædificando monaſterio materialia liberaliter ſuppeditante, Fratres Minores Capucini in urbem Brigantinam introducti ſunt, & hæreſis Anabaptiſtarum, quæ in Jaghauſen, perantiquo ſylvæ Brigantinæ pago invaluerat, per antè dictum *Jacobum Grueſſe* labore per novem annos continuato exſtincta fuit. Annis 1629. & 1635. ubi peſtifera lues finitimis in locis, & præcipuè in patochiis Brigantina, Lingenavienſi, Gruenenbacenſi, & Geſtracenſi monaſterio ſuo plenè annexis, graſſabatur, miſit hic piiſſimus Præſul è ſuis monachis quoſdam, magis cordatos, ſéq; ſponte offerentes, qui de vita periclitantes ad ſupremā luctam præmunirent; quos inter animarum zelo præ reliquis eminebant *Maurus Guott* Præpoſitus in *Lingenau*, Michael Borner parochus in Bregenz, *Bernardus Ritter* parochus in Gruenenbach, & *Joſephus Gloggler* parochus in Geſtrart, quorum duo priores anno 1635. in obſequio peſtiferorum mortui ad ſocietatem eorum abierunt, quos, ut cum martyrologio Romano die 18. Febr. loquamur, *velut martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit.* Peſte verò & ipſe correptus, ſed divina opitulante gratia ſanitati teſtitutus, regularem diſciplinam ferventiùs promovere perrexit, & ut majora in dies incrementa ſumetet, eandem quotidianis litterarum ſtudiis ſuffulcire perquam ſollicitè adlaboravit; quem in finem non modò è junioribus monachis pene omnes vel Romam in collegium S. Apollinaris Hungarico-Germanicum, vel Diliogam ad illam celebrem diœceſis Auguſtanæ Academiam dimiſit, verùm etiam in ſuo monaſterio præter inferiores, ſuperiores quoque ſcientias tradi voluit, qui mos magna cum laude & doctrinæ flore etiamnum obtinet. Pro munimentis ac fortalitiis hinc inde, quà reparandis, quà à fundamento excitandis integras prope ſylvas, ac nominatim pro novo, ut ajunt, vallo, ipſum fundum, ſubverſis ibidem domibus, molendinis, pomariis, atque arboribus usque ad lapideam Crucifixi imaginem pulchro in ordine ſtantibus, non attento graviſſimo monaſterii ſui detrimento, in devotiſſimum Archiducalis Domûs Auſtriacæ obſequium, atque amorem patriæ anno

Graſſante peſte periclitantibus per ſe ſuósque ſuccurrit.

Studia ſtrenuè promovet.

Público conſulit.

1642. lubens conceſſit; pro alendis quoque militibus maximam tunc pecuniæ, frumenti ac vini, tum aliarum copiam rerum, minùs etiam felicibus præfecturæ ſuæ annis nunquam non amanter expendit. Inſuper etiam exſules utriusque ſexus Regulares, qui è ſuis Franconiæ ac Sueviæ monaſteriis à Sueco milite pulſi ab anno 1632. usque ad annum 1647. ſingulis ferme diebus plurimi, & non una duntaxat vice nonaginta, quos inter, ſex, ſeptem & plures tum Abbates, tum Principes ſimul advenerant, omnes ſingulari cum amoris & commiſerationis affectu ſuſcepit, & pro virili hoſpitaliter habuit, donec an. 1647. die 4. Jan. occupatâ per *Urangelium* Suecici exercitûs imperatorem patriâ, atque monaſterio funditus expoliato, ipſe cum ſuis exſulare ſimiliter coactus, ſingularem vice verſa ubique charitatem meruit experiri, eóque in ſtatu hanc, Deo in ipſum miſericorditer agente, conſolationem habuit, ut ceteris pene omnibus eccleſiis turpiſſimè profanatis ſola Major-Augienſis cum ſacello ſuo illæſa permaneret. Familiarem & amicum habuit Sanctum *Fidelem* à Sigmaringa Capucinum, & MiſſionariumApoſtolicum, quem etiam pro fide Chriſti ab hæreticis crudeliter occiſum 24. Aprilis an. 1622. proxima poſt martyrium nocte eidem apparuiſſe volunt. Denique Præſul religioſiſſimus, & Religioſorum omnium cultor ſingularis, ut ipſum vocat Bucelinus, Ordiníſque ſui ſautor eximius, uti Bollandus ſcribit ad diem 30. Januarii, ſenio tandem & laboribus confectus Abbatiam reſignavit an. 1650. & ſequenti vivere deſiit, 1651. eâdem, qua ante 66. annos lucem aſpexerat, die 4. Februarii, cujus piiſſimos manes hoc Epitaphio grata poſteritas honorare voluit:

Exules Monachos hoſpitio excipit.

Ipſe in exilium actus.

Obiit 1651. ſequens conſecutus Epitaphium.

Optime Viator
Non obſtupeſcis, non miraris?
Heu! Jacet hic & tacet
Antiſtes Placidus
Sui ævi in pietate & doctrinâ
Miraculum,
Breve virtutum omnium compendium.
Tranſi & ſi potes ſequere. 4. *Febr* 1651.

Scripſit vir doctiſſimus non pauca tam Opera, aſcetica, quàm Theologica, ex quibus omnibus ſola ſuperſunt ſequentia MS.ta in Bibliotheca monaſterii Brigantini aſſervata: *Tractatus Theologicus de Sacramento Matrimonii. Com-*

mentarius in Regulam S.P.Benedicti. Exercitia quotidiana hominis religioſi. Expoſitio Vocabulorum peregrinorum in eadem Regula. Meditationes; Tractatus de votis, & alia pauca MS. Typis excuſa fuit Vita B. Fidelis ex ſacro Capucinorum Ordine Miſſionarii Apoſtolici, & primi Martyris, Molshemii, Lugduni, & Conſtantiæ.

Symbola V. C. Aproniani Hueber Prioris Augiæ Brigantinæ, quam ſecum communicatam R.R. PP. Congr. S. Mauri Tom. V. Galliæ Chriſtianæ col. 976. inſeruerunt. Item Bern. Pezius Præfationi ad Tom. X. Bibliothecæ Aſceticæ Antiquo-Novæ.

† 1663. 27. Jan.

XI.
CAROLUS STENGELIUS
Abbas Anhuſanus.

Ortu Auguſtanus, in SS. Udalrici & Afræ monaſterio profeſſus, Abbas fit Anhuſanus.

CAROLUS STENGELIUS Auguſtanus die 29. Januarii 1581. natus; S. Ordinem D. Benedicti in Libero & Imperiali Monaſterio ad SS. Udalricum & Afram Auguſtæ Profeſſus 1596. die 12. Martij, Cantor Chori, Rector Muſices, Scholarum Magiſter 1602. die 20. Auguſt. Primam incruentam victimam litavit 1605. die 18. Aprilis. Profeſſor Caſuum Conſcientiæ 1610. Subprior 1615. die 10. Aprilis: Oeconomus 1622. die 24. Novembr. evocatus ad Abbatiam Anhuſanam, & confirmatus 1630. die 16. Decembr. Conſecratus in templo PP. Societatis Jeſu Dilingæ ab ipſomet Reverendiſſ. & Celſiſſimo Principe & Epiſcopo *Henrico* &c. eodem anno die 29. Decemb. Vir laborioſæ induſtriæ, otii acerrimus hoſtis, eruditiſſimus, atque ex editis libris, à Summis Pontificibus, Purpuratis Patribus, aliíſque Principibus, ac magnis Viris voce ac calamo commendatis, notiſſimus.

Ejus animi dotes, & ſtudia.

Capaciſſimum ingenium variis doctrinis & artibus excoluit, quà ſolertiſſimus *Muſarum*, & *Muſices* Præfectus.

Septem Comœdias proprio marte elucubratas in ſcenam produxit præclarus *Comicus*.

Diſciplinam Monaſticam verbo & exemplo egregiè fovit & promovit *Subprior* religioſiſſimus.

Manibus innoxiis picea tractare negotia probè doctus, rem domeſticam gnaviter adminiſtravit ſedulus *Oeconomus*.

Illuſtrium Virorum Geſta, Sanctorum Elogia, Monaſteriorum, Urbium & Provinciarum monumenta, longa ſeculorum caligine ſepulta, in lucem revocavit indefeſſus *Chronologus*.

Miram in adverſis conſtantiam, durantibus exiliis, & injuriis militaribus, luculenter probavit *Abbas patientiſſimus*.

Libris undecentum de diverſo argumento (*in Mantiſſa ad Commentarium Auguſtanum expreſſo*) prælo ſubjectis, immortale ſibi nomen calamo paravit, perdius & pernox vel oratione, vel lectione, vel ſcriptione gnaviter occupatus, *Polybiſtor literatiſſimus*.

Summa in Jeſum & Mariam devotio.

Erga Sanctiſſima Nomina JESUS MARIA devotiſſimus, eorúmque honoris privati & publici ſtudioſiſſimus, juxta ſuum Breviarium, aliáſque quotidianas preces, planè multas, quinque Pſalmos cum Literis I. E. S. U. S. initialibus, & alios quinque ſancti noſtri *Joſcionis* cum Literis M. A. R. I. A. initialibus devotè ſingulis diebus perſolvit.

Ex licentia Reverendiſſimi & Celſiſſimi Epiſcopi &c. &c. Henrici Eccleſiam ſuam Anhuſanam ad Brentium in honorem SS. Nominum JESUS MARIA 1642. die 2. Auguſti conſecravit.

Atrocibus olim doloribus ex occulto affectu proveoientibus per 15. dies exagitatus, voto nuncuparo de conſcribendo libellum Sacratiſſimi Nominis JESU, & legendis tribus Sacris, in tertio & ultimo Sacro ad S. Sympertum de prædicto SS. Nomine celebrato, confeſtim convaluit.

In Sacello B. Virginis Parochiæ Hauſtetten cum permiſſione ſui Reverendiſſ. DD. Abbatis adhuc Oeconomus aram erexit, omnibus ad Miſſam neceſſariis ornamentis inſtructam, & additis ſacris Miſſæ veſtibus Conſolatrici Afflictorum dedicavit.

Laudabiliſſimam conſuetudinem Anhuſii ſub *Henrico de Werde* Abbate anno 1636. cœptam, ot ſingulis per annum diebus, paucis exceptis, in honorem Deiparæ ſacrum diceretur, poſtliminiò reſtituit. S. D. Urbano VIII. pium factum per Bullam approbante.

A. 1632. actus in exilium.

Anno 1632. Monaſterium ſuum Anhuſanum deſerere compulſus, & in Tyrolin, Salisburgum, ac in Auſtriam interim profectus, octava die ante kalendas Decembris coram Thavmaturga ſtatua B. Virginis Oetinganæ, ſecuritatis cauſa Salisburgum delatâ, antequam denuò reſtituebatur, ultimum officium ſolenne in Cathedrali Eccleſia Salisburgenſi mitratus cantavit; ultimò Eam in propinquum ſacrarium (præſente penè innumera devotorum

B.V.

B. V. Mariæ clientum multitudine) ſuma veneratione reportavit: demùm Eandem cum Celſiſſimo & Reverendiſſimo Archiepiſcopo (potiores & primarias pietatis functiones exhibente) aliísque Reverendiſſimis DD. Prælatis comitantibus maxima celebritare, & affluentium populorum gratulatione Oetingam deduxit.

Tempore ſui exilii in Suevia, Tyroli, Auſtria &c. ad ducenta Officia actu Pontificali ſolenniſſimè peregit: frequentiſſimas ſupplicantium ſeries ſplendido apparatu inſtitutas aut duxit, aut ſua præſentia condecoravit; Auguſtæ ſolummodò in feſto Corporis Chriſti ad Generalem, ut ipſe vocat, Proceſſionem decem ſibi invicem ſuccedentibus (ab 1645. usque 1655.) nunquam interruptis annis invitatus comparuit mitratus. Anno 1635. die 14. Auguſti ex Auſtria ad pennates redux invenit Monaſterium ſuum penè devaſtatum inſtar laceræ lucernæ perforatum, perfractum. Anno 1638. die 14. Maji è ſuo Monaſterio Anhuſano, à ſe per triennium reſtaurato, altera vice migrare coactus, in via à 24. militibus ſpoliatus, & iterùm biennio exul revertitur ad ſuam Abbatiam an. 1640. die 1. Auguſti.

acerbas ſuſtinet moleſtias.

Anno 1641. die 27. Februarii poſtliminiò fugatus, jam Auguſtæ, jam Heidenhemii, jam alibi hoſpes, jam Anhuſium reviſens, denique an. 1647. die 20. Februarii perveniens Auguſtam, permanſit in D. Udalrici ſuæ Profeſſionis Monaſterio usque ad peregrinationis, & totius vitæ curſûs terminum. Ubi traductis inter continua pietatis & literarum exercitia 16. annis, ad cœleſtem Patriam animum intendens, divino Viatico, piísque deſideriis inſtructus, & ſacro oleo roboratus, viam ingreſſus eſt univerſæ carnis, Sacerdos Jubilæus, Abbas literatiſſimus, tot duratura ſui Nominis monumenta relinquens, quot libri ab ipſo conſcripti manibus teruntur, & pluteos ſtipant. Funus in ambitu ad D. Udalricum ſepulturæ locum accepit cum hoc Epitaphio, marmori inciſo, & ad parietem infixo.

Auguſtâ regreſſus mortales poſuit exuvias A. 1663. 27. Jan.

D. O. M.
Dies mei ſicut umbra
declinaverunt,
& ego
CAROLUS STENGELIUS
Abbas. Anhuſanus
ſicut fœnum arui
Die XXVII. Menſis Januarii
A. C. MDCLXIII.
Ætatis LXXXII.
Religionis LXVII.
Abbatial. Dignit. XXXIII.
Vixi, & quem dederas Curſum
Deus alme peregi.

Scripta.

CAROLUS STENGELIUS
ABBAS ANHUSANUS
Lectori ſuo benevolo Pacem & Veritatem.

Quoniam nonnunquam contingit temporum lapſu, aliis aliorum lucubrationes falsò adſcribi; ut *D. Hieronymo* quædam, quæ ſunt *Sophronii, D. Auguſtino*, quæ ſunt *Bedæ* aut alterius &c. Egóque ipſe, tantulus inter Scriptores, non ita pridem injuriâ affectus à quodam, qui ſcriptum quoddã (*de quo ſcribendo ipſe nunquam cogitaveram*) mihi affingere auſus eſt, verſo per Anagramatiſmum meo nomine in *Lacorum Geneſlium*, operæ pretium magnum mihi fore viſum eſt, ſi hîc nomina librorum, quos jam edidit gratia Dei mecum, & quos pro meis agnoſco, quósque deinceps in lucem Deo benè favente ſum daturus, recenſerem, & quibus quisque locis editus eſt, indicarem. Sic enim & Ordinis mei Honori, & rerum Veritati, & juſtitiæ optimè conſuluero, faciens ſcilicet, ut deinceps nemo bonus in ſuſpicionem plagii falsò apud poſteros veniat, neminem innocentem & doctum, mearum ſiquæ ſunt, nugarum immeritò pudeat. Mea igitur ſunt, quæ ſequuntur, LATINA, GERMANICA.

Ejus Operum Catalogus ab eodem conſcriptus.

LATINA.

1.) Vita S. Wicterpi Epiſcopi Auguſtani in 8. An. 1607.
2.) Vitæ SS. Wilhelmi Abbatis Hirſaugienſis, & Wilhelmi Gellonenſis cum commentario. Auguſtæ. in 4. an. 1611.
3.) Vita S. Wunibaldi Abbatis. Auguſtæ in 4. 1612.
4.) SS. Nominis JESU cultus & miracula. Auguſtæ in 8. 1613.
5.) Ἀλεξητήριον, id eſt, hiſtoria peſtis. Auguſtæ in 8. 1614.
6.) Virginale Nomen MARIA &c. cum fig. æneis. Auguſtæ in 8. 1619.
7.) Catalogus plusquam 1000. Monaſt. Ord. S. Ben.
8.) Vita S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.
9.) Chronologica deſcriptio Monaſt. SS. Udalrici & Afræ. Auguſtæ in fol. patenti.

10.) Vita S. Symperti Epiſcopi Aug. Auguſtæ in 8. 1615.
11.) Vita S. Joſephi cum fig. Sadelerianis Monachii in 12. 1616.
12.) S. Michaëlis
13.) S. Gabrielis } Hiſtoria Ingolſtadii in 12. 1619.
14.) S. Gabrielis cum fig. æneis.
15.) De Familiaribus Chriſti.
16.) De VII. Machabæis.
17.) Monaſteriologia cum fig. æneis. Auguſtæ in fol. 1620.
18.) De S. Petro. Auguſtæ in 4. 1620.
19.) Officium parvum S. Caroli Borromæi, Aug. in 18. 1621.
20.) Vita S. Benedicti cum explicatione Regulæ cum figuris æneis. Auguſtæ in 18. 1621.
21.) Corona lucida de propagatione Ord. S. B. cum fig. æneis. Auguſtæ in 8. 1621.
22.) Vita S. Mariæ Magdalenæ cum fig. æneis. Auguſtæ in 8. 1621.
23.) Hiſtoria Paſſionis D.N.J.C. Auguſtæ in 4. 1622.
24.) Vita SS. Joachimi & Annæ cum fig. æneis in 12. 1617.
25.) Idea Chriſtianæ pietatis, cum fig. Auguſtæ in 8. 1622.
26.) Thuribulum aureum, cum fig. Aug. in 8. 1624.
27.) Vindiciæ S. Udalrico &c. datæ Aug. in 8. 1614.
28.) SS. Reliquiarum cultus & miracula &c. Ingolſtadii in 8. 1624.
29.) Imagines SS. Ord. S. Bened. cum Eulogiis. Aug. in 4. 1625.
30.) Meditationes in Reg. S. Ben. à Lotharingo ſcriptæ. Aug. in 12. 1623.
31.) Rer. Eccleſ. Aug. Vind. lib. 15. furto ſublatus eſt.
32.) Monaſteriologiæ pars 2. cum fig. Aug. in fol. 1638.
33.) Protheus gratulatorius. Monachii in 8. 1639.
34.) Cæremoniale Benedictinum. Dilingæ in 8. 1641.
35.) Brevis Index SS. Ord. S. Benedicti. Ingolſtadii in 12. 1645. apud Wilhelmum Ederum.
36.) Gazophylacium ſacrarum cogitationum in feſtis totius anni, in 12. 1645. apud Gregorium Hænlinum.
37.) De ſtatu animarum poſt mortem, earundémque ſatisfactione in Purgatorio in 12. Aug. Vindel. 1645. apud Andream Apergerum.
38.) Præſentium calamitatum origo, cauſæ, & medicinæ in 12. Ingolſtadii apud Gregorium Hænlinum. 1646.
39.) Artes feliciter & innocenter bellandi ac debellandi cum Martyrologio caſtrenſi. Ingolſtadii apud Greg. Hænlinum an. 1646. in 12.
40.) Hortenſius & Dea Flora cum Pomona in 12. Auguſtæ 1647. apud Andream Apergerum.
41.) Laudes S. P. Benedicti in 4. ibidem apud eundem. 1647.
42.) Oeconomia Regulæ S. P. N. Benedicti in 4. ibid. 1648. apud eundem.
43.) Rer. Aug. Vind. Commentarius. Ingolſtadii in 4. an. 1647.
44.) Mantiſſa ad Commentarium Rerum Auguſtan. Vindelic. in 4. typis Andreæ Apergeri Aug. Vindel. an. 1650.
45.) Thaumaſia Benedictina in 4. Auguſtæ 1650. apud eundem.

Prælum proximè exſpectant.

46.) Optica Paſtorum & Prælatorum.
47.) Chriſtologia in duos tomos diſtincta: in qua primùm Genealogia Chriſti fusè deſcribitur; deinde Hiſtoria Patriarcharum hujus Genealogiæ ab Adamo usque ad Chriſtum ſine interruptione continuatur: tertiò ab Incarnatione Chriſti, ejus infantia, pueritia, usque ad Baptiſmum continetur; Tomo ſecundo verò, vita ejusdem prædicantis, miracula patrantis, morientis, reſurgentis, & in cœlum aſcendentis in capita diſtincta refertur.
48.) Hierologia, ſive Templorum Hiſtoria &c.
49.) Vitæ hiſtoria S. Jacobi majoris Apoſtoli.
50.) Numerorum allegoriæ & myſteria.
51.) Coronæ Lucidæ pars ſecunda de Scriptoribus Ord. S. B.
52.) Julii Nigroni Aſceticorum compendium.

GERMANICA.

1.) Dialogus de Paſſione Domini. Auguſtæ in 8. 1606.
2.) VII. Caſus Domini patientis cum fig. Auguſtæ in 8. 1608.
3.) VII. Opera Miſericordiæ corporalia cum fig. Aug. in 8. 1608.
4.) VII. Horæ Canonicæ cum fig. Auguſtæ in 8. 1608.
5.) VII. Urbis Romanæ Eccleſiæ cum fig. Auguſtæ in 8. 1608.
6.) Calendarium ex Martyrologio cum fig. Aug. in 8. 1608.

7.) Vi-

7.) Vita B. Mariæ V. cum fig. Auguſtæ in 8. 1609.
8.) Vita S. Bened. cum figur. & Regula. Aug. in 8. maj. 1610.
9.) Salutationes ad B. M. Virg. cum fig. Aug. in 8. 1610.
10.) Remedia contra 7. Peccata mort. cum fig. Aug. in 8. 1610.
11.) Miracula SS. Roſarii cum fig. Aug. in 8. 1620.
12.) De VII. Angelis Principibus cum fig. Aug. in 8. 1611.
13.) Peccati fomes, vincula, pœna, medela, cum fig. Aug. in 8. 1611.
14.) Vita S. Dominici, cum fig. Auguſtæ in 8. 1612.
15.) Vita Chriſti in forma orationis cum fig. in 8. 1612.
16. XIV. Ord. Fundatores cum fig. Aug. in 16. 1613.
17.) Vita S. Caroli Borromæi cum fig. Aug. in 8. 1614.
18.) Vita S. Bernardi cum fig. Auguſtæ in 8. 1614.
19.) Infantia Salvatoris myſticè cum fig. Auguſtæ in 8. 1614.
20.) Vita S. Symperti Ep. Aug. in 8. Auguſtæ. 1615.
21.) Monaſteriologia cum fig. Auguſtæ in 4. 1620.
22.) Chronicon Eccleſ. Auguſt. cum fig. Aug. in fol. 1620.
23.) De XIV. Auxiliatoribus. Aug. in 16. 1621.
24.) Stemma D. N. J. C. in 2. part. Monachii in 8. 1648
25.) In laudem Mathematices.
26.) Contra Aſtrologos fortilegos.

E Latino Sermone in Germanicam linguam translata Opera.

1.) Lignum vitæ Arnoldi Wion in 2. Tomis cum fig. æn. Auguſtæ in 4. 1607.
2.) Alphonſi Palæoti de SS. Sindone cum fig. Aug. in 4. 1607.
3.) Alphonſi Ciacconii de CC. Mart. Ord. S. B. Auguſtæ in 8. 1606.
4.) Meditationes Joan. à Turrecremata cum fig. Aug. in 8. 1608.
5.) Triumphus JESU Chriſti crucifixi Bartholomæi Riccii cum fig. Auguſtæ in maj. 8. 1609.
6.) De cruce tranſeunte Jacobi Gretſeri, Ingolſtadii in 4. 1610.
7.) Viridarium SS. Mathæi Raderi. Auguſtæ in 8. 1611.
8.) Miracula S. Caroli Borromæi & Canonizatio. Auguſtæ in 8. 1611.
9.) Paradiſus Sponſi & Sponſæ, P. Joannis David cum 100. fig. æneis. Aug. in 8. 1610. ter impreſſus.

10.) Pia Deſideria Hermanni Hugonis cum fig. Aug. in 12. 1626.
11.) Teſtamentum hominis Chriſtiani Ant. Sucquet. Aug. in 12. 1625.
12.) Via vitæ æternæ Ant. Sucquet cum fig. Aug. in 8. 1624.
13.) Eadem in duabus partibus, aucta Monachii in 8. 1627.
14.) Manifeſtum pro Agonizantibus Cavetani. Auguſtæ in 12. 1628.
15.) Cor Deo ſacrum P. Caroli Muſart. Aug. in 12. cum fig. 1630.
16.) Schola Cordis Benedicti Hæfteni cum fig. Auguſtæ in 8.
17.) Franciſci Bourginei Litaniæ Lauretanæ cum fig. Ingolſt. in 8. 1636.
18.) Ejusdem Meditationes de Adventu.
19.) P. Georgii Stengelii de SS. Nomine Jeſu. Monachii in 8. 1638.
20.) Menologium Ciſterciense.
21.) P. Caroli Muſarti Peregrinus Calvariæ.

XII.

ADAMUS ADAMI, Epiſcopus Hierapolitanus, & Hildeſienſis Suffraganeus.

† Anno 1663. 19. Febr.

EXimii hujus, & ſanè quàm illuſtris viri memoria propemodùm omnis interiiſſet, niſi V. C. *Jo. Godefredus de Meiren* illam ab oblivione vindicâſſet, vitâ ADAMI ex idoneis documentis ſingulari ſtudio ac induſtria à ſe concinnatâ, quam etiam præfationi ſuæ ad ejusdem ADAMI *Relationem hiſtoricam de Pacificatione Weſtphalica* noviſſimè inſeruit: ex quâ illam hîc exhibemus.

Natus eſt ADAMUS ADAMI, quod verum ipſi nomen eſt, in oppido *Mulheim*, cis Rhenum, ubi rivulus dictus *Strunderbach*, huic jungitur, ſito ſolem verſus occidentem, quâ parte territorium Ducatûs Bergenſis attingit fines agri Colonienſis, haud procul ab ipſa metropoli Colonia & Divitenſi munimento, ob antiquitatem ſatis celebri. Non eſt oppidum illud exquiſitis operibus hodie munitum; fuère tamen ei aliqua olim, poſteà disjecta, Vinarienſi exercitu Colonienſem agrum, ſuperiori ſeculo invadente, demùm anno MDCXLII. reſtituta, neque ulla re memorabili inſigne, jam verò quòd ortum ADAMO dedit, in Annalibus utique commemorandum. Patentes habuit ADAMUS non quidem generis antiquitate vel natalium ſplendore claros, vitæ tamen integritate, morumque probi-

Adami Patria. Parentes.

probitate honeſtos, ex ingenuorum numero civium, qui opes ſibi, ex regionis more, parare ſolent tum agricultura, tum negotiis, inter ſe aut cum vicinis contrahendis. Ipſum natalem diem indicare quidem non valemus, quòd nulla ejus mentio reperitur in monumentis, quæ ſuperſunt, libris, in quibus nomen & diem annotatam fuiſſe oportuit, diu deperditis. Annum verò natalium in decimum ſuperioris ſeculi certò incidere, inde colligi poteſt, quòd ADAMUS vivendo ætatis annos LIII. explevit, vitæque finem fecit anno MDCLXIII.

Educatio.

Puerum parentes inde ab incunabulis DEO devoverant, quare eundem à pueritia cultui divino aptum reddendum curaverunt. Quo in loco, aut cujus potiſſimùm operâ, primis artium elementis fuerit innutritus, de eo quidem non conſtat: ſi tamen conjecturæ locus, dubitandum non eſt, quin Coloneinſium magiſtrorum inſtitutioni fuerit traditus, cùm in vicinia, Coloniæ Agrippinæ, ubi literarum ludi ſemper floruerunt, curam filioli habere ſolliciti parentes potuerint. ADAMUM ſanè, ex quo ſtudiis ſe mancipaverat, non mediocris doctrinæ præceptores nactum fuiſſe oportet, quandoquidem brevi temporis ſpatio tam inſignes in omni ferè diſciplinarum genere progreſſiones fecit, tantámque ephebus de ſe opinionem commovit, ut aliis docendis idoneus haberetur, ipſique adhuc minorenni Colonienſis ſeminarii cura & directio committeretur, ubi tum in diſcipulis, quibus ipſe rector præerat, multos numerabat, quorum alii doctorem ætate æquabant, alii planè ſuperabant. Exactis ita cum fructu, aliquot annis in ea ſtudiorum palæſtra, ADAMUS ad pleniorem ingenii cultum ſuſcipiendum, & quaſi mercarum doctrinæ uberiorem, anno ætatis duodevicesimo, in *Brauweilerаnam* conceſſit Abbatiam, quæ à S. *Nicolao* Epiſcopo nomen gerit, ibidémque ordini clericorum, qui ad S. *Benedicti* regulam vitæ rationes componunt, ſeſe adjunxit. Dici non poteſt, quo ſtudio, qua induſtria, non modò ſuperiorum favorem & ſodalium amorem ſibi conciliârit, ſed cæterorum quoq;, qui cum ipſo unà erant in illo pietatis conventu, animos ad bonas literas artésque, majori, quàm antea ſolebant, aſſiduitate colendas, exemplo ſuo excitârit. Tanta quippe veneratione regulas excipiebat, à

Progreſſus in ſtudiis.

Religioſa profeſſio.

S. Benedicto ſectatoribus ſuis olim datas, ut ſua manu integras easdem deſcribendas ſibi proponeret. Præterea conſtitutum apud ſe habebat, diligentem & accuratam BURSFELDENSIS, quam vocant, *Congregationis* narrationem hiſtoricam componere, atque omnia Ordinis, cui ſe addixerat, privilegia ex ipſis autographis exhibere; at plurima, eáque non parvi momenti negotia, quibus cùm ob ingenii alacritatem, tum conſiliorum promtitudinem, civilis etiam prudentiæ, in qua excellebat, habitum, à ſuperioribus ſuis admovebatur ADAMUS, eum ab inſtituto maximè laudabili perficiendo avocabant, ut hujus gloria divinum MABILLONIUM, primum ac feliciſſimum *Artis Diplomaticæ* doctorem, omnis ſolùm aliquando maneret. Nec ſine ratione ADAMUS in familiam, quæ S. *Benedicti* regulam obſervat, præ cæteris adoptari voluit, iſtique Ordini ſacro ſe addixit, qui tales ſemper ſodales in gremio fovit, quorum eruditio & ſcientia orbem literatum & olim illuſtravit, & hodiéque exornat mirificè. Certè incomparabilia, quibus eruditiſſimi Ordinis illius homines rempublicam ſubinde donârunt, à Benedictinis proſtant opera, atque in his notiſſimum, ſed reliquorum facilè primum, de quo omnis Germania meritò gloriatur, *Chronicon Gottwicenſe*, æternitatem latuum opus, quo illuſtris ac reverendiſſimus auctor, *Godefredus de Beſſel*, ipſum *Mabillonium* (quid verò majus, quid illuſtrius nominari poteſt?) planè ſuperavit, multiſque paſſibus poſt ſe reliquit. Erat in *Adamo* ingenii vis, is diſcendi ardor, ut nullius rei cognitionem non attingendam putaret, & proinde undique ſcientiæ & philoſophiæ poſſeſſionem quaſi occuparet. Quam ſermonis, Romani præcipuè, facultatem ſibi comparaverit, ſcripta viri abunde teſtantur. Legum prætereà & jurium, eorum maximè, quæ Imperii Germanici ſtatum propiùs attingunt, cognitionem minimè vulgarem ſibi acquiſivit: quibus tam vaſtam hiſtoriarum junxit notitiam, ut dubios relinquat, utrum præſtantior fuerit ſtatus publici adminiſter, an hiſtoricus excellentior? Quamvis autem in his emineret, tamen ad Theologiæ ſacrarúmque literarum ſtudium maximè propenſa ipſius erat voluntas, quare Theologiæ ſe potiſſimùm conſecrabat: ideóque anno MDCXXXIII. in ſacer-

Regulæ obſervantia.

Meſrenii de Religione Benedictina encomium.

Chronici Gottwicenſis deprædicatio.

Adamus legum Imperii & Hiſtoriæ apprimè peritus.

Theologus eximius.

cerdotium intrare idoneus eſt judicatus, & dignus, qui Ordines, quos vocant, majores aſſumeret. Dum ita à commercio hominum quaſi remotus, ſibi viveret ac Deo, latere tamen ipſius virtus non potuit: nunquam enim publica ſuper graviſſimis controverſiis inſtituebatur velitatio, in qua ingenium ipſe non probaret ac doctrinam, adeò ut nulli, non modò, qui pari cum ipſo ætare eſſet, ſed ex provectioribus quoque ac ſeneſcentibus cederet nemini. Hinc meruit, ut anno proximè inſequente, *Seminario*, quod appellant, *Benedictino* in urbe Colonienſi Rector præficeretur, nováque dignitatis acceſſione cohoneſtaretur.

Seminario Benedictino præficitur.

Hanc, quæ non niſi graviſſimis & præſtantiſſimis ab anriquo demandari ſolebat, provinciam eâ quidem fide, gravitate ac eruditione ornavit, tantámque ſcientiæ atque eloquentiæ facultatem ubique monſtravit, ut ex locis longè diſſitis auditores alliceret. Tanram de ſe expectationem apud omnes excitaverat, cùm ipſemet annos viginti quatuor vix integros habuiſſet. Nil deerat doctori noſtro, munere iſthoc publico, univerſis mirificè adplaudentibus, fungenti, præter ipſum *Doctoris* titulum ac nomen, quo etiam, magno ſuo merito, in Academia Colonienſi tandem inſigniebatur.

& Ss. Theol. Doctor renuntiatur.

Quo virtutis præmio condecoratus exteris non poterat non innoteſcere, ſama ubique nomen ipſius celebrante: nec ſolius terræ Colonienſis finibus gloria ejus ſe continebat, ſed *Moguntiam* quoque, omnium Germaniæ Metropoleon caput ac principem, penetrabat, quæ ADAMUM in ſinum recipere ſuum honori ſibi ducebat. Montem occupat in celebrariſſima illa urbe ſamilia *Benedictinorum*, qui à S. *Jacobo* nomen indeptus eſt, ibique celebrem ſui Ordinis habet Convenrum. Huic ADAMUS ſub Prioris titulo, ſecundum à Prælato locum tenens, anno ſuperioris ſeculi, ſeptimo ſupra triceſimum adjungebatur, Colonienſibus deſiderium & memoriam ſui præclaram relinquens.

Fit Prior in S. Jacobi Moguntiæ Cœnobio.

Moguntiam ubi venit, celeriter ſeſe inſinuavit in favorem omnium; quandoquidem ætate ſuperiores ſtudioſè obſervabat, ac colebat, æqualibus officia in ſuaviſſimo familiaritatis uſu præſtabat, cæteros beneficiis & multiplici opera ſibi adjungebat, ut amantes ſui, ſuæque conſuetudinis cupidos ſacilè experiretur univerſos. Hinc famā nominis ad Suevicam pariter gentem propagavit, quæ dum ſibi haberè cupiebat utilem conſiliis, opportunam ipſi procurabat occaſionem, ad ultimum honoris ac celebritatis gradum pertingendi. Prælio enim ad Nordlingam cruentiſſimo an MDCXXXIV. confecto, in quo Auguſtiſſimi Cæſaris arma evaſerant ſuperiora, res ſtatim omnes Catholicorum in meliorem ſtatum reponebantur, maximè in Suevia & Ducatu Wurtembergico.

Status rei Catholicæ in Suevia & Ducatu Wurtembergico.

Victor glorioſiſſimus, *Ferdinandus III.* Rex tunc Hungariæ, qui ipſemet imperator & dux interfuerat conflictui ſæviſſimo, aciémque præſens inſtruxerat, publicum ſacrorum Pontificiorum cultum plurimis in locis introducebat, ac veteres, qui Religionis cauſa olim migraverant, colonos in ditiſſima Wurtembergici Ducatus monaſteria, non minori religionis quàm clementiæ affectu reſtitutos, repetere lares gratioſè jubebat. Graviſſimo autem bello adhucdum ardente, Suecíſque brevì pòſt, lacertos denuò moventibus, & novum robur recipientibus, novi monaſteriorum poſſeſſores non admodùm tutas credebant, quas modò recuperaverant poſſeſſiones, utpote armis partas, niſi literatus adeſſet defenſor, qui dubiis, ac difficilibus negotiis, turbidóque laborantis patriæ ſtatu, dum alii easdem vi deſenderent, & calamum ſtringeret, rationibúſque poſſeſſionis joſtitiam, ſi poſſet, doceret. Talem denique, multâ inquirendi ſollicitudine fruſtrà conſumptâ, in ADAMO ſe reperiſſe ſatebantur omnes, quos cauſa propiùs tangebat, illúmque proinde in *Mobatenſem* (t) mox accerſebant Abbatiam, non quidem majori titulorum, quos ipſemet modeſtè recuſabat, elogio mactatum, ſed aliis, quàm quidem adhuc geſſerat, curationibus deſtinatum, nempe ut Prælatorum ac monaſteriorum jura & libertates opulentámque ex *Ferdinandi* Victoris clementia, poſtliminiò quaſi recuperatam hæreditatem, calamo & ore defenderet.

Adamus Murhartenſi monaſterio præfectus.

Quam provinciam ſuſtinuit ille adeò laudabiliter, ut viam ſua ſibi induſtria pararet ad eam pertingendi metam, qua ulterior nulla erat, ac ubi non præclaram ſolùm arque invidioſam operam ſuorum cœtui fideliter navare, ſed univerſam Romanam Eccleſiam ingentibus

Res Ordinis ore & calamo tuetur.

(t) Murhardenſem.

bus planè officiis ſibi poſſet devincire. Cogitaverant Europæ Principes de bello tandem aliquando penitus ſopiendo, quo bello funeſtius, durius, atque crudelius nullum afflixerat unquam, quamdiu ſtetit, Germaniam, & de pace orbi reducenda; ſed conſilia in unum alterúmque annum ſunt extracta; donec præliminaribus pacis capitibus anno demum MDCXLI. Hamburgi feliciter ordinatis, ſplendidiſſimus ille omníque ævo commemorandus Chriſtiani Orbis ſenatus in Weſtphalia coiret, qui non de unius regni, neque de generis unius cauſis, ſed de Europæ, qua Chriſtianum nomen patet, atque de utraque republica, ſacra & civili, ſtatueret, ac pro tot populorum ſalute una propugnaret. In quorum pacificatorum numero fuit ADAMUS, quod unum ac ſolum ad laudem immortalitatémque conſequendam ſufficeret, ſi vel maximè non aliud quidquam, præter nomen, ad noſtram memoriam perveniſſet. Non autem in numero tantùm fuit Oratorum, qui pacis conſtituendæ ergo convenerant; ſed longè plurimis eorum excellere credebatur, in quos auctoritatem quandam tenebat, imo pænè imperium, licèt plerique gradibus ipſi anteſtiterint eminentiæ & dignitatis. Qualem ſe geſſerit ADAMUS in maxima illa maximorum, quos ulla unquam ætas ita conjunctos vidit, hominum congregatione, qua facundia, qua prudentia, qua animi & conſilii magnitudine cauſas tractaverit, qua ingenii præſtantia & dexteritate, pro religione, pro patria, pro domo dixerit, de iis multa in præſenti recenſere, inſtituti rationes nec requirunt, nec ferunt: adſunt enim ipſa rerum teſtimonia ſufficientiſſima, & hic ipſe liber, quem omnium uſui denuo offero, uberrimam bene geſtorum complectitur narrationem, è qua quantus fuerit ADAMUS, cognitu haud eſt difficile. Ceterùm ſilentio prætermittendum non eſt, quum primùm nomine ac vice Prælatorum atque Adminiſtratorum Wurtembergenſium monaſteriorum inter ceteros Statuum Imperii legatos, in collegio Principum, Monaſterii locum, quem ſibi Oratoris charactere munito, deberi exiſtimabat, occupare, & ſuffragium, ordine ipſum tangente, ferre volebat, controverſiam ipſi fuiſſe motam, quæ moram injiciebat, ne per aliquod temporis intervallum charactere publico uti potuerit. Licèt enim ſufficienti inſtructus mandato Monaſterium ſe contuliſſet, non tam ipſi tamen, quàm Superioribus ac mittentibus, quæſtionem, quam vocant, ſtatus movebat Wurtembergiæ Dux, juribus ſuis & Superioritati Territoriali inſigne præjudicium illatum iri ratus, ſi antiſtitibus, monaſteriorúmque in Ducatu ſuo ſitorum adminiſtratoribus, & ſuffragii jus & locus in Principum collegio concederetur, ipſorúmque deputati ad publicas de Imperii ſalute conſultationes admitterentur. ADAMUS igitur, ne infecta prorſus re diſcedere ipſum oporteret, quum una porta non poſſet ingredi ſenatum, aliâ ſubire quæſivit, & qua pollebat ingenii felicitate, viam facilè invenit. Nam ab Imperii Principum, qui omni procul dubio, immediatum corporis Germanici membrum eſſent, favorem ambiebat, ut ab uno illorum Legatus conſtitueretur: id quod ab ARNOLDO Præſule tunc Corbeienſi, S. R. I. Principe, ſine mora impetravit. Callida hac ratione quum in Imperii Principum ſenatum penetrâſſet, & locum, aliis nequidquam obnitentibus, in eodem occupâſſet, facile ipſi fuit, & Præſulum Suevicorum, quibus de ſtatu lis mota fuerat, cauſas orare, & ſuffragium ferre ipſorum nomine, quoties res exigebat: quamvis non ſine contradictione. Ut taceam, haud raro & aliorum Imperii Ordinum nomine ſententias mira ingenii abundantia dixiſſe. Tanta exiſtimatione florebat noſter, ut omnes ingenuè faterentur; *ſi pacis compoſitio non niſi à ſuffragiorum numero penderet*, ADAMUM *ſolum atque unicum fore pacis arbitrum, qui tanta copia & multitudine inſtructus accedat ſenatum, ut ceteros legatos omnes & numero & pondere vincat, ſuperetve.*

Ad pacis Weſtphalicæ congreſſum legatus,

Quâ prudentiâ & dexteritate rem egerit.

Controverſia ipſi mota ratione ſuffragii, à Duce Wurtembergiæ,

Aliâ viâ in ſenatum penetrat orator à Pr. Corbeienſi deſignatus,

Quum igitur de pace anno MDCXLVIII. in Annalium Germanicorum monumentis æternùm commemorando, feliciter transactum eſſet, Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, *Maximilianus Henricus*, Bavariæ Dux, ADAMUM Romam ablegavit, qui pallium pro ipſo Archiepiſcopale Pontificem Maximum INNOCENTIUM X. poſceret. Decere enim autumabat, eum legatione ad ſummum Eccleſiæ Caput fungi, qoi totius Chriſtiani orbis pacificationi tanta cum gloria interfuiſſet. Mirificè ADAMUM excipiebat, quum in æternam urbem veniſſet, FABIUS CHISIUS, Pontificis Maxi-

Pace firmatâ Romam à Colonienſi Archiep. miſſus,

atque à Fabio Chiſio comiter exceptus

Maximi nuper in congreſſu pacificatorio Nuncius, poſteà ALEXANDRI VII. nomine, Pontifex creatus, ob innumera in orbem ſacrum, civilem & literarium merita, æternitate dignus, cujus potiſſimùm moderationi & prudentiæ Germania hodiéque tribuit, graviſſimum illud difficillimúmque *Gravaminum Eccleſiaſticorum* caput, quod univerſum Imperii corpus olim concuſſerat, nec poſtremum belli funeſtiſſimi cauſam præbuerat, eo modo conditum fuiſſe tandem atque expoſitum, quo deſcriptum legitur in *Articulo V. Inſtrumenti Pacis*, immotâ atque immovendâ publicæ ſecuritatis lege. Vehementer lætabatur incomparabilis CHISIUS, virum in Italiæ oris rurſus amplecti, quem amicum anteà cognoverat in Germania defenſorem publicæ cauſæ, ac ſtrenuum religionis ſacrorúmque propugnatorem.

hujus interventu negotia feliciter conficit.

Atque CHISII commendatione factum eſt, ut laudatiſſimus Pontifex Maximus, *Innocentius X.* ADAMUM tot meritis illuſtrem nova *Epiſcopi Hierapolitani* dignitate ornaret, atque ornatum in patriam remitteret. Re ita bene, & ex voto *Maximiliani Henrici* geſta, ex Urbe redux factus cum pallio Archiepiſcopali, non tantummodò gratia, quantam ab felici commiſſi negotii expeditione revertens exſpectare poterat, exceptus eſt ab Hero ſuo; ſed, ut amoris ac benevolentiæ pignus haberet perpetuum, *Vicarius in Pontificalibus per Diæceſin Hildeſienſem* conſtitutus, totius Epiſcopatus ſatis ampli cura eidem primo loco demandata.

Inde Epiſcopus Hierapolitanus & Hildeſienſis Suffraganeus renuntiatus

Summam enim viri in rebus tractandis dexteritatem probè jam perſpectam habuerat Archiepiſcopus, apti atque idonei, qui principatuum non minùs gubernationi, quàm ſaluti animarum invigilaret. Perſona igitur ADAMO poſthac ſuſtinenda erat regentis, quam adeò dextrè, adeò bellè egit, ut dulciſſimi pacis fructus ex leni & paterno ejus imperio copioſiſſimè redundarint in univerſos. Sed qui adſuetus erat laboribus, quiete ſibi conceſſâ frui non potuit, quin otium cum nova dignitate indultum, novo negotio ſponte ſuâ conſumeret, atque ſic univerſo olim orbi perutilis foret.

laboribus litterariis ſe totum reddit,

Immenſa enim in iſto receſſu Tractatuum Pacis volumina, animo recolere, eáque in compendium contrahere apud ſe conſtituebat, à quo labore ipſum nec commodum abſtrahebat ullum, nec voluptas avocabat, nec ſomnus retardabat; plus ea ratione ad communem adferri poſſe fructum ratus, quàm ſi cum aliis, quibus jure ſuccenſeas, vel feſtis ludorum diebus celebrandis, vel intempeſtivis conviviis aut aliis voluptatibus tempus tribueret, aut popinas percurſitans honeſtiorum famam ſugillaret, & conviciis proſcinderet: cui hominum generi injuriam fieri negabat, ſi quis *inutilia terræ pondera* vocaret, ſibi ipſis gravia, bonis moleſta & nociva.

& acta pacis Weſtph. in compendium redigit.

Compilavit igitur hoc, quod ſupereſt, ampliſſimorum Pacis Actorum compendium elegantiſſimum, non jactandi ingenii cauſâ, ſed, ut brevi haberet ſub elencho, quod ipſemet in epiſtola dedicatoria indicavit, ex quo undecim annorum pia recoleret molimina. Idque ea mentis integritate exſecutus eſt, ut profiteri nullus dubitaverit, falſitates planè quæſituros eſſe, qui perſuaſum ſibi habeant, impoſturas ſemetipſum ſibi facere voluiſſe. Neque enim, ut publicè, quæ ſcribebat, & à pluribus legerentur, qua erat modeſtia, volebat, ſed ut vel unico ſibi vel certè pauciſſimis iiſq; fidiſſimis amicis inſervirent. Verùm cùm brevì pòſt conventus Imperii ſolemnis, Ratisbonæ agendus, indiceretur, ut negotia, quæ in ipſo pacis congreſſu, cùm ob materiarum amplitudinem, tum ob temporis penuriam, expediri nequiverant, terminarentur, ADAMUS, ad juvandam rem communem natus, pro amore, quo dominum proſequebatur ſuum, eidem narratione brevi de Weſtphalica pacificatione prodeſſe, literíſque conſignare voluit ſcitu neceſſaria, quibus, quæ in comitiis tractanda erant, velut baſi ac fundamento innitebantur. Eáque cauſa fuit, quare librum manu exaratum auctor cum Principe ſuo communicaret: is verò librum illum non ita ſibi ſoli ſervare poterat, quin in aliorum manus veniret, ac poſt plurium annorum intervallum, in lucem publicam emitteretur.

Adami extrema.

Ducit autem nos dicendorum ordo ad metam finémque tum benè geſtorum, ac dignitatum & honorum, tum vitæ ipſius tanta celebritate transactæ. Piè ac religioſè qui vixerat, tot commoditatum auctor, tot bonorum conciliator, qui, quoad vixit, ingentia & in Republica & in Eccleſia onera ſuſtinuerat, omnibúſque religione, induſtriâ, ſtudio, laboribus inſignem ubique, & *magnum virum* ſeſe probaverat, piè ac religioſè quoque mortem

obiit. Die decimo nono Februarii, ſtil. vet. anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimi & tertii, opprimebat otii quietiſque expertem, medios inter labores in curia, cujus ipſe lumen fuerat, paſſio cholica, quæ adeò invaluit, ut eodem adhuc die, ſub veſperam, ingenti bonorum dolore ac luctu, auferretur, quem usque ad ſenectutem vixiſſe optabant boni omnes, ætatis ſuæ LIII. Epiſcopatûs autem x. anno. Neque verò inopinatus planè aut de morte non cogitaos orbi ereptus eſt, quin diu antè, quod teſtamenti tabulæ teſtantur, anno ante obitum integro ſignatæ, ſtudioſè piéque illam meditatus ſibi reddiderat familiarem. Particulam Teſtamenti adſcribo.

Ejus teſtamentum.

MEMENTO MORI. JESU PRÆCEPTOR MISERERE MEI.

„ In lectulo infirmitatis conſtitutus, „ ante omnia deſidero exactam facere „ peccatorum meorum Confeſſionem, „ & mox refici Viatico S. Corporis „ noſtri Jeſu Chriſti, atque etiam Sa„ cramento extremæ unctionis recrea„ ri. Quòd ſi vires permittunt, cupio „ indui veſte nigra, longa, & ſuper„ pelliceo, & ſtola, & reverenter ge„ nuflexus, ore vel mente facere pro„ feſſionem fidei coram Venerabili Sa„ cramento, priusquam illud accipiam, „ vivere enim & mori cupio in ſanctà „ fide, & obedientia Romanæ Eccle„ ſiæ.

„ Opto etiam, adeſſe mihi, dum „ communico, ſacerdotes aliquot & „ honeſtos laicos, profeſſionis meæ „ teſtes, & precatores pro me, apud „ divinam Majeſtatem, qui nomine „ meo veniam petant.

„ De temporalibus bonis ac rebus „ diſponere volo, de licentia Summi „ Pontificis mihi conceſſa, vivæ vocis „ oraculo, quòd ſi non diſpoſuero, „ *Cœnobium Eſcherdenſe* ſit heres.

„ Poſtquàm fuero Sacramentis Ec„ cleſiæ præmunitus, gratum mihi „ erit conſortium ſacerdotum & pio„ rum hominum, qui mecum Deo ſup„ plicent pro remiſſione peccatorum „ meorum, & pro felici tranſitu ani„ mæ. Vehementer opto, ut ſequen„ tes preces & proteſtationes frequen„ ter coram me dicantur, quas ore vel „ mente, tractim & paulatim, inter„ media meditatiuncula proſequar, „ videlicet; „ *Hic ſubjunxit omnigenarum virtutum ferventiſſimos actus, qui hic brevitatis cauſa omittuntur.*

Heredem ſibi ſcripſit *Cœnobium Eſcherdenſe*, propè Hildeſiam, cujus adminiſtrationem ea fide geſſerat per plures annos, ejúsque commoda, cùm in ruinis ferè ſepultum eſſet, ita promoverat, ut hodiedum *fundatoris ſecundi* nomine ac laude Moniales celebrent.

Heredem ſibi ſcribit Eſcherdenſe Monaſteriû.

Sed quis, quæſo, unquam crediderit, tanti ac talis viri memoriam, qui ipſemet à Principe ſecundum in principatu locum habuerat, qui in metropoli diem obiit, qui ibidem terræ eſt mandatus, tam citò ex animis hominum excidere potuiſſe, ut ipſum quoque nomen ejus, anteqnam dimidium ſeculi effluxerit, inter ficta referretur, ipſéque ADAMUS, ſeculi ſui ornamentum & decus, Scriptor celebris, & glorioſus, perſonatis Scriptoribus annumeraretur. Deſinamus mirari, & R. P. *Gabrielem Bucelinum*, non indiligentem auctorem BENEDICTI REDIVIVI, quo libro inter alios etiam collaudat eos, qui ex iſto Ordine viri ſalutis pnblicæ amantiſſimi, regnorum negotia procurârunt, noſtri ADAMI prorsùs dememiniſſe. Ita lethum & oblivio hominum obruerat virum, qui factis ſempiternis gradum ſibi ipſi ad immortalitatem paraverat, dignus omninò æternitate. Gaudeo proin atque lætor, id mihi contigiſſe felicitatis in edendis Pacis Weſtphalicæ actis occupato, ut *Adamum* ab oblivione vindicatum, in hominum memoriam revocandi occaſionem commodam nanciſcerer. Monumentum ipſius honori ſacratum, & è regiooe altaris poſitum, extat Hildeſiæ, in ſacello, quod S. Laurentio Martyri dicatum eſt, prope templum primarium, ubi & effigies artificio inſigni metallo fuſa oculis cernitur, Cl. G. J. *Arenbold*, mathematicarum ſcientiarum peritiſſimus, ea ratione præſens adumbravit, qua in æs inciſa ſubjicitur. Hanc ADAMI noſtri Anaſtaſin celebrârunt *Germaniæ Sappho*, illuſtris ævi noſtri fœmina, elegantiſſimis nitidiſſimiſque ſcriptis clariſſima, laude noſtra ſuperior, *Mariana Chriſtiana à Ziegler* gente *Romana*, & ill. G. C. *Heumannus* in Regia Gottingenſi, ad aliarum inſtar. vidiam magnificentiſſimè adſurgente Academiâ, Theologus percelebris, & magno ſuo merito jam dudum à ſecretis & epiſtolis omnis orbis literati; quorum terſiſſima doctiſſimáque legiſſe poëmata, neminem pœnitebit. Tantum illuſtris *de Meieren* de ADAMI vita, cujus memoria omnibus virtutis amato-

Ejus memoriam propè obliteratam excitat Godefrid. Meieren.

alii ejus encomiaſtæ.

amatoribus eſt venerabilis, & ad poſteritatem commendabilis quàm maximè.

Frequens ejus mentio in receſſibus Congreg. Bursfeld.

Ceterùm, ut hoc obiter moneam, *Adami* noſtri mentio frequens, nec ingloria recurrit in *Receſſibus Capitularibus* Congregationis Bursfeldenſis, utì in ſuis ad me literis reſcripſit Cl. P. *Oliverius Legipont*, qui etiam perhibet ipſum eſſe authorem, *Vindiciarum pro Monaſteriis Wurtembergiæ* editarum; quo ex opere egregiè profecit *Beſoldus*. Ipſus quoque eſt, qui *Caramuelis* libro pro Pace Weſtphalica oppoſuit *Anti-Caramuelem* ſub nomine *Humani Erdmanni*; quod etymologia ſatis indicat: *Adam* enim ex humo factus, rite dicitur *Humanus*. Adhæc *Breviarium Bursfeldenſe* & nova ſtatuta reformavit, pluráque alia ſcripſit hactenus in manuſcriptis deliteſcentia, atque hinc inde ſummo Rei literariæ damno diſperſa; quibus colligendis, ut Brauweilerenſes noſtri operas ſuas diligentiùs impendant obteſtamur; præſertim verò quia Meieriana Adami editio Lipſienſis adeò ab ipſo Auctoris autographo diſſidet, ut nova omninò ejus Operis editio ab omnibus deſideretur. *Vide Emblemata Meieri Ratisbonæ A. 1739. in 4. edita.*

† 1676. 13. Oct.

XIII.
D. FRANCISCUS DELFAU.

Natus A. 1637.

NAtale ſolum *D. Franciſci Delfavii* fuit *Montetum*, qui vicus eſt in Alvernia Claramontenſis Diœceſis, ubi in vitam hanc ingreſſus eſt anno milleſimo ſexceteſimo trigeſimo ſeptimo. Ætatis verò annum decimum ſeptimum egreſſus in Claromontenſi S. Illidii (vulgò *Saint Allire*) monaſterio Benedictina inſtituta amplexus fuit. Poſt nuncupata vota vitæque ſanctioris jacta fundamenta totum ſe ad præclara, univerſæque Eccleſiæ Catholicæ, ſi per vitam liceret, profutura ſtudia convertit, animum veterum Conciliorum Patrúmque monumentis penitùs affigendo. Brevì factum, ut ſummam in Orbe literario laudis & gloriæ celebritatem conſequeretur. Hanc ei attulit acutiſſima ingenii acies, firmiſſima quædam vis judicii, atque incredibilis doctrinæ varietas. Acceſſit, quòd eximias haſce dotes haud aliò retulerit, quàm quò Eccleſiæ Catholicæ commoda, ſuíque Ordinis gloria & exiſtimatio eas referri poſtulârunt.

profeſſus 1656.

Ejus ſtudia, & ingenii acies.

Quo tempore igitur Patres Benedictini Congregationis S. Mauri adornandæ novæ editionis *Operum S. Auguſtini* conſilium ſuſceperunt, unus omnium aptiſſimus iis viſus eſt *Delfavius*, cujus induſtriæ Opus committeretur, Opus, inquam, quòd non minorem delectum, ordinem, eruditionem, atque criticam judicii & perſpicuitatis plenam cum profundiſſima ſimul rerum divinarum intelligentia, atque ſingulari in iis diſcernendi ſagacitate expoſceret. Et *Delfavius* quidem ſua ex parte nihil deſiderari paſſus, eo inflammatus eſt ardore, quo animum ejus tum amor veritatis & ſinceræ doctrinæ, tum ingens deſiderium Maximi Eccleſiæ Doctoris Opera in primævam puritatem reſtituendi ſuccendi potuit. Quapropter eâ cœpit voluptate affici, quæ ex ejusmodi cœpto, cui haud alius finis atque gloria Dei præſtituitur, promanare nata eſt. Quæ rectiſſima intentio cum facilitate atque ingenii acumine conjuncta hoc commodi ei attulit, ut quæ difficultates plerisque aliis multum negotii exhibituræ fuiſſent, ipſe nullo ferè negotio diſſolverit.

edendis Auguſtini operibus admovetur.

Operis totius *Proſpectum* an. 1671. publicaverat, ſuo in labore jam multùm provectus, cùm ecce! liber ſub titulo *Abbas Commendatarius* in publico comparuit. (u) Vitio, atque adeò crimini *P. Delfavio* datum fuit, quòd pravum uſum, quo complures Religioſi proventus ſui monaſterii conſumunt, vivis ac genuinis coloribus depictum orbi ab oculos ſtatuerit. Atque hoc unicum in cauſa fuit, quòd ſolum vertere juſſo ad Landvenecenſe inferioris Britañiæ monaſterium abeundum fuerit: ubi, poſteaquàm aliquamdiu exul egit, in viam ſe aliquando dedit, Breſti apud RR. PP. Carmelitas S. Thereſiam pro concione laudaturus: ſed everſo per repentinam procellam navigio fluctibus hauſtus interiit. Atque hunc in modum Eccleſia virum, cujus operâ uti potuiſſet, amiſit, Congregatio autem San-Mauriana præcipui cujusdam ſui ornamenti paſſa eſt jacturam.

Adornandæ editionis conſpectum publicat. A. 1671.

Solum vertere coactus mari Armorico mergitur. 13. Oct. 1676.

Eruditi homines (x) cladem, ac mortem deflevere omnes, quibus præſtantiſſimum *Franciſci* ingenium, vigor animi, ætásque laborum patiens, cæteræque virtutes ac dotes perſpecta fuerant. Certè comperta Pariſiis morte, fuit ex Sorbonico Athenæo, qui

Eruditorum ob ejus fata planctus.

(u) Pars I. A. 1673. Secunda 1674.
(x) Pezius Bibl. Maur Lib. I. cap. VIII.

proclamaret: *Heu quantam Eccleſia jacturam accepit!* Circumlata etiam vulgò Epitaphia, quibus conlachrymantes ſodales, & amici acerbam *Delfavii* ſortem miſerati ſunt. Quædam ſic habent.

Epitaphia

Epitaphium.

Incautus rapidum tentans Delfavius æquor,
Prô dolor! Armorico mergitur ecce mari!
Ignea mens poterat ſolis extinguier undis,
Et tantus tantâ ſcilicet ignis aquâ.

D. R. G. B.

Aliud.

Dum perit Armoricis hauſtus Delfavius undis
Mergitur occiduis ſol velut alter aquis.

D. L. D. B.

Libellus de Abbate commendatario,

Lectore de his præmonito ſermo inſtituendus nunc eſt de epiſtola cujusdam Abbatis Commendatarii, qui Theologum in conſilium adhibens, ab illo petit, ut quos ſcrupulos ratione Monaſterii à ſe in commendam accepti patiatur, ſuis declarationibus ex ipſius animo evellat; huic epiſtolæ reſponſio Theologi ſubjungitur, qui Abbatem certum eſſe jubet, non tam ſcrupulum, quàm juſtum eſſe metum, quô mens ejus conturbetur; ſe ex animo precari, ut timor iſte principium ſalutis ipſius exiſtat. Subinde quid in his circumſtantiis ipſi faciendum ſit, pluribus præſcribit. Verùm cùm ejus rationum momenta haud ſint ab iis diverſa, quibus utitur Auctor *Abbatis Commendatarii*, de quo narratio mihi texenda eſt, ſatis futurum eſſe opinor, quò vera hujus reſponſi idea animo concipi poſſit, ſi quæ argumenta Patris *Delfavii* fuerint, ſingulatim ego recenſeam. Initium facit ab aſſignanda *Abbatis* definitione, obſervans, quòd nomen iſthoc ex ſacris mutuatum paginis Patrem ſignificet, propriéque nemini uni conveniat, atque Deo ſupremo, quem ita compellamus, quò ipſum ſolum eſſe noſtrum Patrem gratâ mente cognoſcamus. Quemadmodùm verò divino Numini volupe eſt, ſi virtutum ſuarum exempla in hominibus intueatur, ita haud iniquo fert animo, quòd iisdem ſuum attribuatur nomen. Atque hæc fuit ratio, quòd in Occidente, primis Eccleſiæ ſeculis, nomen Abbatis iis, qui vitam agebant ſolitariam, honoris causâ fuerit impoſitum.

ejùsque argumenta.

Unde Comendatarii Abbates dicti

Obſervat deinde *Delfavius*, nomen *Abbatis Commendatarii* exinde fuiſſe ortum, quòd ſi aliquando vel rem, vel provinciam aut negotium alicujus curæ committimus, hæc nos ejus fidei, diligentiæ ac induſtriæ *commendare* ſoleamus; atque in hoc ſenſu nomen *Commenda* in Jure uſurpari cœpit, ubi nil aliud præter Depoſitum ſignificat, veluti Canoniſtæ advertunt, qui omnem *Commendam* pro *commiſſione*, & non pro *titulo* accipiunt. Itaque Abbas Commendatarius eſt ille, cui aliquod monaſterium procurationis ſeu comiſſionis cauſa concreditum atque commiſſum eſt, ſive pro tota ipſius vita, ſeu ad definiti temporis ſpatium. Poſt accuratam hanc *Abbatis Comendatarii* definitionem, auctor comonſtrat, quòd Commendæ primam ſuam originem in Eccleſiis Cathedralibus habuiſſe videantur, quæ cùm Paſtoribus deſtitutæ eſſent, Prælatis Commendatariis, qui eas adminiſtrarent, fuerunt commiſſæ. Ejus rei exempla in Eccleſia Græca non pauca ſuppetunt. S. Athanaſius de ſe ipſe perhibet, quòd Eccleſia, ab illa Alexandrina, cujus erat Epiſcopus, diverſa, in commendam fuerit ipſi conceſſa. Conſuetudo hæc ante Concilium Carthaginenſe in Africa obtinuiſſe videtur. Qua in re Eccleſiæ, cùm Romæ, tum Mediolani, Africanas preſſo veſtigio ſunt ſecutæ; hoc tamen cum diſcrimine, quòd quibus in Africa Eccleſiarum cura committebatur, *Interceſſorum* ſeu *Interventorum* nomen tulerint, cùm Romæ & Mediolani *Viſitatores* & *Commendatarii* appellati fuerint. *Delfavius* ad probandam ſuam theſim authores magno numero allegat: ego verò ſolius *S. Ambroſii* teſtimonio utar, qui in epiſtola ad Epiſcopum *Conſtantium* ſcriptâ, illi velut Metropolitano, adminiſtrationem Eccleſiæ à Mediolano longiùs diſſitæ, ac Paſtore orbatæ committit: *Commendo tibi fili, Eccleſiam, quæ eſt ad forum Cornelii.* Leo IV. circa annum 844. declaravit, quòd duæ Eccleſiæ in titulum haberi haud queant, benè verò quòd una in titulum & altera in Commendam retineri poſſit. Hæc conſuetudo tenuiſſe videtur usque ad Concilium Lugdunenſe ſub *Innocentio IV.* anno 1245. celebratum, à quo prohibitum fuit, ne deinceps Eccleſiæ cathedrales in commendam darentur; quia quod ab initio ſanctè fuit conſtitutum, progreſſu temporis in abominationem evaſit, ut huic malo ab Eccleſia medendum fuerit. Ejus Decreta Summi Pontifices *Clemens V. Benedictus XII.* & *Innocentius IV.* confirmârunt: quorum poſtremus abuſum id genus commendarum funditùs ſuſtulit, qui jam ad usque parochiales eccleſias pervaſerat, qua-

Comendarum origo.

Ambroſii &c. de iis ſententia.

Pontifices earum abuſum tollere ſtudent.

rum

rum Archidiaconi in Anglia ſeculo duodecimo contendebant, quòd earum adminiſtratio ad ipſos pertineat: Atque iſtæ parœciarum adminiſtrationes (velut Delfavius advertit) quas Archiepiſcopi ab illo tempore Archidiaconis commiſeruut, factâ poteſtate, percipiendorum ex iis fructuum, fuerunt primæ Commendæ Eccleſiarum parochialium, ad imitationem Viſitationum aut Commendarum Eccleſiarum Cathedralium inſtitutæ.

Sunt ſacrilegæ uſurpationes bonorum Eccleſiaſt.

Quæ hactenùs DELFAVIUS de *Cathedralium* & *Parochialium* Eccleſiarum Commendis diſſeruit, haud alium in finem ab eo dicta fuerunt, quàm ut iis præludat, quæ de *Abbatibus Commendatariis* ipſi pertractanda veniunt. Ac verò non obſcure declarat, quòd hominum improbitas & cupiditas ipſis in vicem prætextûs fuerint, ut quæ bona cùm Principum tum populorum pietas in monaſteria contulit, ſuam in poteſtatem redigerent. Sunt itaque Commendæ nihil aliud, atque *ſacrilega uſurpatio*, vi cujus à ſecularibus proventus monaſteriorum, ſub Regum & Pontificum authoritate occupantur. In hujus abusûs incunabula inquirens ad ſeculum V. illa refert, quô labente bona Eccleſiæ in Gallia & in Italia hujusmodi criminoſis uſurpationibus obnoxia fuiſſe videntur. Huic rerum perturbationi finem afferre Concilium primum Pariſienſe laboravit. Papa *Symmachus* non minori zelo in eos, qui Monaſteriorum bona uſurpant, in Concilio plurium quàm octoginta Epiſcoporum, invectus eſt: quin anathemate illos perculit, qui ejuscemodi bona ſive deinde per indulgentiam Principum, ſeu per uſurpationem, aut tyrannicam authoritatem occuparent. Rex *Theodericus*, tametſi hæreſi Arrianâ infectus, æquitate tamen hujus decreti permotus, ſéque Eccleſiarum protectorem declarans ſancivit, ut omnia bona Eccleſiæ Narbonenſis, injuſte à nonnullis poſſeſſa, reſtituerentur. Clotarius hujus nominis primus, Princeps aliàs Chriſtianiſſimus, cæca cupiditate usque eò impulſus eſt, ut contrariâ edita conſtitutione tertiam partem proventuum Eccleſiarum ſui Regni exigeret. *Theodericus* filius *Clodovæi*, hæres avaritiæ *Clotarii* fuit: unde factum, ut ſub ejus imperio de bonis eccleſiaſticis negotiationes exercerentur. Concilia Alverniæ, Pariſiis & Aureliani celebrata omnem lapidem moverunt, ut eden-

Symachi Papæ contra eas decreta.

Concilia easdem damnant.

dis ſalutaribus decretis modum huic rerum perverſioni ſtatuerent; verùm Regis Chariberti avaritia in cauſa fuit, ut quæ providè ſtatuta fuerunt, vana atque irrita evaderent. Princeps hic eccleſiam divino Numini ſub nomine *S. Martini* conſecraram occupans eò usque impietatis prolapſus eſt, ut eam in ſtabulum equorum commutari juſſerit. Non tulit hanc injuriam Deus, ex cujus vindictâ equi ad unum omnes, qui pedem eò intulerant, mortui conciderunt. Concilium II. Turonenſe in hoſce libertinos, qui veſtigia impietatis *Chariberti* premendo in monaſteriorum bona invaderent, anathemata omnium maximè terribilia protulit, ita ut Deum etiam conceptis verbis precaretur, quò maledictione Judæ illos oppreſſum iret. Qui abuſus illo ſeculo ita invaluit, ut *Delfavius* originem hujuscemodi injuſtarum uſurpationum à regno *Chariberti* repetens, ejus veſtigia in Concilio II. Turonenſi deprehendere ſibi viſus fuerit. *Dagobertus*, Clodovæus II. & *Childebertus* monaſteria non in priſtinas modò poſſeſſiones reſtituerunt, ſed eorum complura etiam de novo condiderunt, quæ ſuum omne decus ac ornamentum quà pietati quà munificentiæ horum Principum in acceptis referre debent. *Carolus Martellus* in culpam trahendus eſt, quòd ſub ipſius regimine ſacrilegus hic furor uſurpandi monaſteriorum bona denuò caput extulerit. Princeps hic, quem ſua non minùs impietas, quàm bellica fortitudo celebrem fecerunt, quantuscunque demùm belli dux diſſoluta vitæ diſciplina eſſet, pro gloria ſua contra inimicos Dei arma tulit, ipſíque Deo ſua bona ereptum ivit, militibus in prædam objiciendo eccleſias & monaſteria, quorum proventus eorum ſtipendia erant: hic ipſus etiam erat, qui Nobilibus decimas, quæ à Gallis *inféodées* appellantur, attribuit. *Delfavius* refellit in hoc Opere *Dupleſſii* ſententiam, qui contendit, quod *Clerus ipſe fuerit, qui Gallicæ Nobilitati hanc portionem fructuum decimalium conceſſerit.*

Dagobertus & Childebertus monaſteria in libertatem reſtituunt, quæ Carolus Martellus iterùm premit.

PIPINUS Caroli Martelli ſucceſſor monaſteria ſuam in tutelam recepit, & CAROLUS M. bona iis reſtituit, quæ fidelium pietas conſecraverat, Laicorum verò aviditas diripuerat. LUDOVICUS PIUS ejus filius his etiam profanationibus ſe opponens, eas ſecundùm rigorem Legum pœnis mulctari voluit. Intereà hi Principes, quas demumcunque pias ac chriſtianas foverint inten-

Pipinus & Carolus M. eadem relevant.

tiones

tiones, ipſiſſimi fuerunt, qui monaſteria Laicis in titulum Beneficiorum conceſſerunt. Et quidem *Ludovicus Pius* cuidam ex nothis ſuis fratribus, *Hugoni* dicto, complura monaſteria conceſſit: is etiam *Ebroino* Epiſcopo Pictavienſi monaſterium ſancti Germani à Pratis, Comiti autem *Warino* monaſteria Matiſconenſe & Gabillonenſe conceſſit, qui ſpiritu Dei tactus in monaſterio Cluniacenſi, quod ædificandum curavit, habitum monaſticum induit. Cùm verò *Ludovicus Pius* ad extremum adverteret, quòd libertas, quam ſibi ſumpſerat, pernicioſa eſſet, palàm declarare non dubitavit, quòd, *qui ejusmodi deſignaret facinora, ſit prædo, ſit ſacrilegus, ſit latro pauperum, ac lupus diabolicus.* At enim quemadmodum quæ ab hominum voluntate dependent, firma & ſtabilia non ſunt, ita hæc corruptela, regnante *Carolo Calvo*, renata fuit. Patres Concilii tum apud Theodonis-Villam, tum Vernenſis, ea propter apud hunc Principem conqueſti fuerunt. Concilia Bellovacenſe, Meldenſe, Pariſienſe, Conventus Ticinenſis, Concilium Sueſſionenſe ſimilem in modum rei hujus iniquitatem *Lothario* Imperatori clarè exhibuerunt. Ad ultimum *Carolus Calvus* tot tantíſque obteſtationibus locum reliquit, fide data, ſe perverſionibus adeò manifeſtis authoritate ſua nihil roboris deinceps additurum, nullâ habitâ ratione, quidquid Epiſcopi aut Abbates contrà eſſent dicturi. Hæc ſua promiſſa in Concilio Vermerienſi anno 853. confirmavit.

Ludov. Pius Affectantes bona monaſtica prædones eſſe declarat.

Quid ſub Carolo Calvo actum.

Non melior monaſteriorum fortuna fuit ſub regno *Ludovici Balbi*, atque *Caroli Calvi* parentis ipſius. Regnante *Ludovico tertio* GOSLINUS Epiſcopus Pariſienſis fuit S. Germani Pratenſis, & S. Dionyſii Abbas Commendatarius. Animum hujus Principis adulatores eâ opinione imbuere ſatagerunt, ut exiſtimaret, pleniſſimam poteſtatem circa bona eccleſiaſtica penes Regem eſſe, ſéque de iis pro arbitrio diſponere poſſe. Rex *Odo* monaſterium S. Germani à Pratis, fratri ſuo *Roberto*, Comiti Pariſienſi attribuit, qui ab ipſo præterea monaſteria S. Crucis & S. Audoëni conſecutus eſt. Rebus ita perversè conſtitutis, quæ tamen ut æqui boníque fiant, conſuetudo facit, nulli planè portento ſimile eſt, quòd Monaſteriorum uſurpatores ſub regno *Caroli Simplicis* æque parùm rapaces ſuas manus ab iis abſtinuerint. Hujus Principis facilitas eò usque progreſſa dicitur, quòd matri ſuæ monaſterium S. Mariæ in urbe Lauduni donârit; à cujus tamen poſſeſſione per filium ſuum deturbata fuit, qui ut rem gratam uxori ſuæ faceret, monaſterium ei conceſſit, ſic ulturus offenſam, qua divexabatur, quòd mater ipſius Comiti *Heriberto* in matrimonium fuerit collocata.

Goſlinus Pariſien. Epiſcop. Abbas commendatarius.

Galliæ igitur Monaſteria ſub Abbatum mercenariorum tyrannico jugo gemitus ciebant, usque dum *Hugo Capetus* rerum potitus fuit. Is conſtantia ſua Laicorum cupiditati fræhum injiciens, eos prohibuit, ne Galliæ Eccleſias & Monaſteria uſurparent: quæ pretioſa hac libertate, in quam à religioſo Principe vindicata fuerant, usque in ſeculum decimum quartum gaviſa fuerunt. Quâ tempeſtate *Clemens V.* aures æquo faciliores importunis precibus dedit, quibus Reges juxtà & Magnates ipſum urgebant, ut Eccleſias & Monaſteria in Commendam iis daret, quos ipſi præſentaturi eſſent. Illud à vero non abeſt, quòd ſubinde Commendas, quæ ab ipſo conceſſæ fuerant, ad unum omnes revocaverit: verùm poſſeſſores iis ſe abdicare recusârunt. Conſtantia *Benedicti XII.* plus evicit, qui ſolùm Beneficia Cardinalibus & Patriarchis in commendam data iis reliquit, metu adductus, ne bene cœptis, quæ moliebatur, obicem ponerent: *Clemens VI.* non æquali zelo in S. Petri patrimonio defendendo ſe armatum oſtendit: ſuis enimverò propinquis multa ex illo largitus conſtitutionem edidit, quâ dignitates Eccleſiarum tum cathedralium tum collegiatarum & regularium Cardinalibus reſervantur. Hoc Decretum ab *Innocentio IV.* ejus ſucceſſore revocatum fuit, ut quod ei viſum eſt, Eccleſiæ minùs eſſe honorificum. *Urbanus V.* & *Gregorius XI.* illius ſucceſſores officii ſui eſſe crediderunt, ut ab ejus ſententia non diſcederent, cujus ſummo in Pontificatu forent ſucceſſores.

Galliæ cœnobia ſub mercenariorum jugo preſſa, tandem liberantur.

Pontificis nutu iterum in commendas cedunt.

Schiſma, quo Eccleſia divexata fuit, novam iis ſpem oſtendit, qui eccleſiaſticis dignitatibus inhiabant. *Urbanus VI.* è re ſua facturus ſibi non videbatur, ſi id genus dignitates illis denegaret, à quibus multùm contribui poſſet, ut in ſuâ confirmaretur. *Bonifacius IX.* & *Clemens VII.* quò quisque ſuâ in ſede ſe confirmaret, eundem ſibi fi-

Quid poſtremò circa hæc ſtatutum.

nem

nem præſtituerunt. Infelicia tempora! quibus beneficia eccleſiaſtica ad eundem fermè modum, quo bona terreſtria diſpenſabantur. Concilium Baſileenſe hiſce vulneribus remedium adhibuit, Eccleſiis & Monaſteriis jure eligendi reſtituto; tum reſervationibus & annatis prohibitis. Decreta tam ſancta, quæ Eccleſia Gallicana tantâ cum veneratione recepit, ut eâ causâ legem totius regni ſub titulo *Sanctio Pragmatica* condiderit, ſubſecutis temporibus abolita fuerunt, quò ſatis ambitioni & avaritiæ Romanæ Curiæ fieret, *per Concordata*, quæ *Leo X.* & *Franciſcus I.* anno 1517. condiderunt.

Quo fine monaſteria in commendas data.

Poſteaquàm *Delfavius* originem & progreſſum Commendarum ſat copioſis cum circumſtantiis expoſuit, abeo oſtenditur, quænam earum extiterint cauſæ. Ac inprimis ſententiam Canoniſtarum & Juriſconſultorum revincit, qui contendunt, monaſteria in commendam fuiſſe data, ex metû, ne ſi longo tempore deſtituta Superiore forent, non minimam bonorum jacturam paterentur, cùm ex Religioſis nemo eſſet, qui ad clavum ſederet: deinde, quòd iſte modus monaſteriis per commendam providendi à Pontificibus ſit introductus, ut qui per ætatem, aut alterius cujuſdam qualitatis defectu in titulum habere non poteſt beneficium, illud in commendam poſſidere queat: aut potiùs, ex Cardinalis Papienſis ſententiâ, Pontifices non alio ex fine commendas permiſerunt, quàm ut laicis bona monaſteriorum è manibus extorquerent. *Delfavius* contrà oſtendit, vero eſſe proximius, commendas à Papis eâ potiſſimùm causâ fuiſſe introductas, quò majori cum auctoritate de beneficiis diſponendo clientes ſibi crearent, ſub ſpecioſo titulo *Commendæ*, veriùs cujuſdam *Polygamiæ*, aut, ut cum magni nominis Epiſcopo loquamur, *concubitûs ſpiritualis* Eccleſiæ usque adeò injurioſi.

Veriores cauſas pandit Delfav. quarum præcipuæ cenſentur,

ambitio & cupiditas.

Secundò declarat, ambitionem & avaritiá duos extitiſſe illos fontes, unde comendæ profluxerint: hanc veritatem à *Carolo VII.* in Conventu, quem Bituricæ pro reformandis regni ſui monaſteriis inſtituit, agnitam fuiſſe.

Oſtenditur commendatariorum inhabilitas,

Tertiò: Cùm neceſſariò requiratur, ut qui ſtatum amplecti velit, ad eum ſit vocatus, fieri non poſſe, ut Abbates Commendatarii cum animi quiete ſuo in ſtatu perſiſtant: ſiquidem eorum vocationem non aliam eſſe, atque vocationem cupiditatis, quæ nec ambiat, nec quærat aliud, atque utilitatem ſuam: eſſe vocationem peccati, quæ non niſi ad injuſtitiam provocat; eſſe vocationem reproborum, quæ non niſi ad impietatem trahit, cùm in eo ſtatu adversùs divinam ordinationem perſiſtant.

& repugnantia cum ſtatu monaſtico.

Quartò: Quòd eorum electio Religioſorum ſuffragiis tamquam baſi ac fundamento, inniti deberet, ut qui ſoli de animi dotibus, quæ iis neceſſariæ ſunt, qui Religioſis gubernandis præponuntur, æquum ferre judicium poſſunt. Quarum prima habetur, ut regulam profeſſi ſint, ad cujus obſervantiam alios compellere tenentur. Aliæ qualitates Abbati pro Religioſorum regimine neceſſariæ ſunt pietas adversùs Deum, ſcientia rerum eccleſiaſticarum, charitas erga Religioſos, & zelus regularis obſervantiæ. Vero equidem conſentaneum eſt, quòd Abbates reperire ſit, qui à pietatis Chriſtianæ exercitiis non abhorreant; verùm hæc juſta ſolidáque eſſe non poteſt, cùm ipſius pietatis jugulum petat. Quod ad illorum ſcientiam attinet, negari non poteſt, quin ex iis omni liberali doctrinâ politiſſimi exiſtant; verùm non eâ ſcientiâ ſunt exculti, quâ ad animas in Regulæ ſanctæ obſervantiâ dirigendas opus eſt. Amor ipſorum erga Religioſos in eo verſatur, ut carnem & ſanguinem liberorum ſuorum enutriant, eósque contrà, quibus alimenta præbere ab aliâ matre coguntur, fame ac media poſſe ſuffocare in optatis habeant. Abbates haud alium in finem primitùs conſtituti fuerunt, quàm ut conſervandæ monaſticæ diſciplinæ invigilarent; quis jam ſanæ mentis à Commendatariis Abbatibus exſpectet, ut quem nunquam receperunt, ſpiritum conſervent?

Commendarum poſſeſſionem injuſtam eſſe demonſtratur.

Solida ſunt rationum momenta, quibus *Delfavius* evincit, eorum poſſeſſionem haud eſſe poſſe juſtam, cùm nec præſcriptione fulciatur, nec juſto titulo nitatur. Præſciptio bonæ fidei non poteſt Commendis quidquam juris conferre, nec Abbatibus, qui eas recipiunt, nec Regi, qui eos nominat, nec Pontificibus, qui eas diſtribuunt; quia bonâ fide præſcribi non poteſt contra veritatem notoriam, contráque jus ſancitum. Jam verò Monaſteriorum Commendæ adverſantur veritatibus ut cùm maximè manifeſtis, reguliſque omnium ſententiâ receptis; quemadmodum illi: *Quod noſtrum*

noſtrum non eſt, alteri donare non poſſumus. Jus Abbatum, inquiunt Commendarum Patroni, eſt fundatum in titulo legitimo. Reſpondetur, quòd ut titulus ſit juſtus, tria requirantur, authoritas ſeu poteſtas in eo, qui illum concedit; qualitas in eo, qui illum recipit, natura bonorum, de quibus titulus allegatur. Authoritas Regum non habet quidquam poteſtatis in bona ſpiritualia, quæ fidelium pietas Deo conſecravit, nec illis etiam competit poteſtas ſuis ſubditis auferendi proprietatem & uſum bonorum; tametſi ſupremum in eos dominium habeant. Authoritas Pontificis eorum titulum legitimare non poteſt, cùm ad eum dominium proventuum Eccleſiarum & Communitatum non ſpectet, eorúmque ſolùm ſit primus diſpenſator. Quòd Abbatibus neceſſariæ deſint dotes, ſatis jam oſtenſum eſt. Quod ad natoram fundi attinet, evidens eſt, quòd Abbates ſuper iſtâ ratione fundare ſe non poſſint; cùm utriuſque juris dogma ſit, quòd Commendæ haud aliud ſint ex naturâ ſuâ, atque depoſitum, & quòd fructus ad depoſitarium nequidquam pertineant.

Sunt contra jus naturæ, divinum & Eccl. Ad hæc oſtendit, quòd *Commendæ* ſint contra jus naturæ, contra jus divinum, contra Eccleſiæ regulas. Quæ tria puncta inconcuſſa manent ex eo, quod jam dictum fuit, Commendas pugnare cum ratione Statûs, cúmque decretis & placitis Galliæ Regum; quia veris Politicæ regulis adverſatur, quòd uni ſoli Rex illud indulgeat, quô plures meliorum ſubditorum remunerari poſſet; quòd tertia pars bonorum Eccleſiæ in ſumptibus atque expenſis, quæ quàm regno inutiles, tam univerſo fidelium cœtui ſcandaloſæ ſunt, conſumatur; quòd denique id genus Maximæ viam muniant ad religionem, quæ Statum ſuffulcit, deperdendam. Delfavius hanc veritatem adſtruit ex Capitularibus Caroli M, ex primo Legum Francicarum codice, ex Conſtitutione Philippi Pulchri confirmatâ per illam Ludovici Hutini, qui ei in regno ſucceſſit, ex Conſtitutione Regis Joannis anno 1351. atque ex aliis authenticis, quas ſingulas referre non licet, cùm vel hic extractus æquo prolixior ſit.

Nec nominatio Regum nec conſuetudo Ad extremum oſtendit, quòd nec nominatio Regum, nec Bullæ ac diſpenſationes Pontificum, nec communis conſuetudo Commendas legitiment. Non id contenditur, ut Regi jus nominandi dubium reddatur; verùm jus hoc nullo roboratur fundamento, niſi in Concordatis, quæ nullam ipſi poteſtatem faciunt nominandi Abbates pro Monaſteriis, atque Religioſos ejusdem Ordinis ſub pœnâ nullitatis. Bullæ Pontificiæ, quibus electio confirmatur, vanus non minùs eſt prætextus, quô illi utuntur. Papa reverà eſt caput viſibile Eccleſiæ ſub Jeſu Chriſto, & ſæpiùs diſpenſare certis in legibus poteſt; verùm ſupremum illi dominium in bona eccleſiaſtica non competit, neque conceſſum ipſi eſt, ſanctiſſima Conciliorum & Patrum Decreta ſubvertere, atque ſecularibus contra voluntatem Fundatorum bona dare, quæ ad ipſos non ſpectant. Ad ultimum communis conſuetudo parùm roboris habet, quò injuſtitiæ crimen à Commendatariis Abbatibus depellat, qui credere in animum inducunt, quòd publica conſuetudo crimini haud poſſit eſſe obnoxia: *Cœpit eſſe licitum, quod publicum eſt*; at enim conſuetudo homines non facit juſtos, neque ex vulgari uſu, ſed ex obligatione noſtrarum actionum regula dependet. *eas legitimant.*

Recenſetur liber de Abbate Commendatario. *Liber de Abbate Commendatario* in duas diſtribuitur partes, quarum prima anno 1673. altera 1674. Coloniæ apud Nicolaum Schouten impreſſa eſt. Communi fama atque ſermone traditum eſt, librum hunc à *P. Delfavio* fuiſſe compoſitum, in adverſariis tamen Patris *Gerberonii* manu exaratis legitur, quòd is operis illius auctorem ſe perhibeat. Forſitan ejuſcemodi opiniones inter ſe conciliari poſſunt, dicendo, quòd P. *Delfavius* primæ, P. Gerberonius ſecundæ partis ſit auctor, cùm re ipſa ſub diverſis nominibus in publicum prodierint; *prima* quidem ſub nomine *Boisfranc*, altera ſub nomine *Fromond*. Quæ tamen authoris libri incertitudo, ponderi veritatum, quæ in eo demonſtrandæ aſſumuntur, nihil detrahit: illarum fundamenta, quibus innituntur, ſunt ſolidiſſimæ Politicæ rationes ex regni totius jurisprudentiâ depromptæ, authoritas SS. Patrum, ſummorum Pontificum, & Conciliorum. Liber usque adeò vehemens, qui ad tranquillandam Abbatum Commendatariorum conſcientiam planè nihil faciebat, non poterat non iis commovere dolorem. Non defuerunt tamen iis perquàm humani Patroni, quorum opinio erat, quòd rationum momentis ante ſint habenda verba decretoria. *D.nus Daucour*

Ejus fundamenta licet ſoliſſima

Daucour evertere nititur,

cour eorum ex numero fuit, qui hac in re plus aliis præſtitiſſe videtur. Verùm *Criton* animi ſui ſenſa proferendo de colloquio cujusdam Abbatis de

Criton ex adverſo ea ſtatuminat.

commendis haud paſſus eſt, ut victoriæ lætitiâ, quam reportâſſe ſibi videbatur, multo tempore frueretur. Alius quidam Auctor, quin Abbatum Commendatariorum Patronus videri vellet, ab iis nihilominus ſtetit, prætendens, quòd quæ majoris momenti contra ipſos dicantur, ad primi Chriſtiani ævi parochos attineant. Quid?

Capucini pro commendis etiam pugnant.

quòd *Patres* etiam *Capucinos* zelus verè Seraphicus inflammârit, ut partes Abbatum defendendas ſuſciperent: ita nempè, *& muſcis ſua bilis ineſt*, ubi de ſugendo divi Benedicti patrimonio agitur.

Delfavii diſſertatio de authore lib. de Imit. Chriſti.

Præter librum de Abbatibus Commendatariis, *P. Delfavius* in lucem emiſit *Diſſertationem de Autore Libri de Imitatione Chriſti*, *Apologiam Cardinalis Furſtenbergii*, *Epitaphium Caſimiri Regis Poloniæ*, de quibus ſuo loco. Rebus humanis exemptus eſt 13. Octob. an. 1676. En verſus, quos Domnus *Robertus Guerard* ad perpetuam ejus memoriam concinnavit:

Præciſa eſt velut à texente vita mea; dum adbuc ordirer, ſuccidit me. Iſa. 38. v. 12.

Paraphraſis in ejus fata.

Aurelii reparo laceri dum fragmina textûs,
Exorſum Textor fraude retexit opus.
Ne tamen ipſe nihil texat, mihi texere fraudes
Pergit, ad Armoricos texit & exilium.
Interea immorior cœptis, mediòque labori,
Aurelii vitam texere dum ſatago.
Aureliique, meaq; ſimul ſic ſtamina vitæ
Abrupit Textor, tum malè Victor ovat.

Elucidatio.

Quò carminis hujus ſenſus meliùs intelligatur, obſervatû neceſſarium eſt, quòd *Domnus Victor Tixier* illâ tempeſtate Prior fuerit in Monaſterio S. Germani à Pratis. Hujus Religioſi inſignia erant merita, ut primarias in Congregatione obtinere dignitates, inque iisdem præcipua adminiſtrare negotia pro ſuâ authoritate potuiſſet. Quemadmodum illius notitiam nihil effugit, ita ſagacitate ſuâ detexit, quòd D. Franciſcus Delfau *Abbatem Commendatarium* non imprimi modò curaverit, ſed ejus etiam eſſet autor. Rem verò eo aggreſſus eſt artificio, ut Delfavium per litteras ſigillo munitas in exilium jecerit. Unde occaſio componendi hujus Epitaphii arrepta fuit; quia verbum latinum *Texere* connexionem ſeu affinitatem quandam habet cum τῷ *Tixier*. Acta hæc P. *Tixier*, quæ parùm ex illius exiſtimatione fuerunt, proprium ipſius excepit infortunium. Pariſios deſerere coactus, Rhemis in monaſterio S. Melanii conſtitutus fuit Prior: ferax illius ingenium in excogitandis rationibus, queis damnum acceptum reſarciri poteſt, non ita diu pòſt, cujusdam participem illum fecit, impetratâ protectione, quam ei Princeps Condæus pollicitus erat. Huic enim vitam dederat durante bello S. Dionyſii, brachium militis, qui gladio cervicem Principis adpetierat, fortiter inhibendo. Per illius authoritatem D. Abbatis de Longueville vitæ ac juventutis moderator conſtitutus fuit; quò è vivis erepto an. 1694. commorari cœpit in monaſterio S. Audoëni Rothomagi, ubi vitæ pariter ſuæ telam abſolvit an. 1701. Vid. *Philippi le Cerf Bibliotheque Hiſtorique & Critique des Auteurs de la Congregation de S. Maur pag. 80. & ſeqq.*

XIV.

LUDOVICUS ENGEL SS. Canonum Doctor & Profeſſor.

†1674. 22. April.

MEllicium, princeps inferioris Auſtriæ Monaſterium, ſi non fœcunda Virorum eruditione & doctrina præſtantium parens eſſet, vel ſolus *Ludovicus Engel* numerum penſare poſſet. Procreatus is eſt in Wagramenſi Auſtriæ Superioris arce Illuſtribus parentibus, *Stephano* id nominis *tertio*, & *Anna Sophia de Kriechpaumb.* Poſtquàm ſacratioris vitæ propoſitum interpoſitis ſolemnibus vutis octavo die Septembris anno 1654. in Mellicenſi Monaſterio firmavit, ſuo merito, egregiis quippe animi dotibus, ingeniique acrimonia præditus, ex iis eſſe meruit, qui à D. VALENTINO Abbate ſuo literarum fautore maximo Juvaviam cùm ob celebritatem illius Univerſitatis excellentis in omni diſciplina magiſtris, tum ob Benedictinos, quibus ea eſſet concredita, fuêre miſſi, juris utriusque ſtudiis operam daturi.

Illuſtri loco natus, Mellicii monachum induit 1654.

Ubi inter primos ſub *P. Gregorio Kimpfler* Schyrenſi, & D. *Hermanno Hermete* ſic excelluit, ut paulò pòſt propugnatis publicè de jure & juſtitia theſibus, Juris utriusque Doctoris Lauream in ipſa Salisburgenſi Academia die 14. Novembris 1657. ſit conſecutus.

Juris utriusque doctor Salisburgi renuntiatur 1657.

Sacerdotali deinde charactere initiatus, die prima Maji 1658. primas Divinæ Majeſtati hoſtias immolavit,

interpretandis Canonibus adhibetur A. 1659.

Anno proximè ſequenti 1659. die 12. Decembris, inter Academiæ Salisburgenſis proceres, ad interpretandos SS. Canones eſt cooptatus. Quo quidem in munere, quantam in exiſtimationem ubique locorum venerit, vel ex eo facilè cenſeri poteſt, quòd ultra decennii curriculum ad uſque ſuum Salisburgo diſceſſum, & quidem aliquot annis primus Canonum Profeſſor extiterit. Quo etiam factum, ut eximii viri magnâ frequentiâ undique confluentes ipſius academiam frequentarent.

Evulgat Manuale Parochorum.

Anno *1661.* primum Jurisprudentiæ partum, ceu primum hac in ſcientia peritiæ ſuæ ſpecimen, in lucem emiſit libellum, cui titulus: *Manuale Parochorum.* Quâ ſine dubio opellâ viam ſibi ad majorem honoris gradum aperuit. Inſequenti namque anno decima die Martii *Guidobaldus* Salisburgenſis Archiepiſcopus perſpecta *Ludovici* noſtri eruditione, eum in numerum, ut vocant, *Conſiſtorialium*, ampliſſimúmque eorum, qui ſibi eſſent à conſiliis, collegium ſua nominatione cooptavit, cujus poſteà exemplum in deligendo ſibi *Ludovicum Conſiliarium* Epiſcopus Viennenſis, aliíque inclyti Germaniæ Principes ſunt ſecuti. Ut autem publicam quandam pro tanta gratia ſibi collata, grati animi teſtificationem faceret, *Manuale Parochorum*, altera vice auctius, limatiúſque hoc ipſo anno edidit, *Guidobaldóque* in nuncupatione inter alia hoc modo gratias egit. . . . . Profiteor, mihi ma-

inde fit Conſiliarius Archiepiſc. Salisburg.

eique ſuum inſcribit opuſculum limatiùs elaboratum.

„ gnam à Te *Celſiſſime Princeps!* gra-
„ tiam factam eſſe, cùm me in Tuo-
„ rum *Conſiliariorum* tranſcripſiſti nu-
„ merum, ac ſeſſionem in Tuo Con-
„ ſiſtorio aſſignâſti. Cedit hic honor
„ in Academiæ Tuæ, Ordinis, & Mo-
„ naſterii Decus, & exinde magnitu-
„ do Gratiæ agnoſcenda. Magni æſti-
„ mat hoc beneficium meus D. Abbas,
„ ſtatímque imperavit, ut publico
„ qualiquali teſtimonio gratus eſſem.
„ Accepiſti jam voluntatem, nunc
„ etiam grati animi teſſeram cape, par-
„ vum libellum ſub Tuo Celſiſſimo
„ Nomine & Patrocinio publican-
„ dum.

quod avidè exceptum, ſæpiùs eſt recuſum.

Atque hoc quidem Opus tantis omnium laudibus, tantóque deſiderio erat exceptum, ut ab ipſo adhuc vivente *Ludovico* 1667. in duos libellos diſtributum, tertiò, & longè quàm antehac auctius in lucem fuerit emiſſum, ac poſt ipſius mortem an. 1688. quintùm jam typis excuſum: nec facilè aut Jurisperitum, aut ferventem animarum Paſtorem, cui non ſit ad manus, invenies.

Ejusdem Libellus de privilegiis monaſticis,

Anno 1664. prelo eluctatus eſt libellus de *Privilegiis Monaſteriorum*, quem Statibus Auſtriæ, ac inprimis Domino ſuo Abbati *Valentino* nuncupatum voluit.

Anno 1665. Seminario Alumnorum Archiepiſcopalium Præfectus, illud quadriennio ſum̃a cùm laude vitæque integritate adeò dextè, ſanctéque rexit, ut inde avocatus, totius Academiæ Procancellarius anno *1669.* com̃unibus ſuffragiis nominatus fuerit. Quam provinciam rectè & quemadmodùm decet, adminiſtravit ad usque annum milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimum quartum, quo, poſtquàm celeberrimum Opus, *Collegium univerſi Juris Canonici tripartitum*, cujus pars prima jam 1670. prodiit, typis evulgavit, à Domino *Valentino* Abbate ſuo ætate jam confecto, ideò domum vocatus, ut eum ſibi propediem Abbatis munere ſe abdicaturo, facilem redderet, & expeditum ad ſuccedendum.

& Collegiũ Juris Can. laudantur.

Parochus effectus moritur 1674. 22 April.

Quare in Parœcia Mellicenſium Grillenbergenſi intereà loci *Ludovico* liberioris cœli captandi gratia, de habitatione eſt accom̃odatum. Verùm tetrico illo loco, eodem anno 1674. die 22. Aprilis profluvio ſanguinis interiit, ibidémque ſepultus longiori ſanè vitâ dignus.

Elogium ipſius,

„ Erat vir, ut verbis Epiſtolæ en-
„ cyclicæ Mellicenſium de ejus obitu
„ utar, cæterà; (de publicis namque
„ virtutum ejus, ingeniique monu-
„ mentis, quibus Eccleſiam, Religio-
„ nem, Eccleſiaſtica tribunalia, ſub-
„ limiora ſcientiarum ſtudia egregiè
„ illuſtravit, cùm orbis literarius uni-
„ verſus loquatur, nos devotè ſilere,
„ quàm minùs diſertè loqui malu-
„ mus). . . dum erat in vita, ob pru-
„ dentiam, conſilium, ingenium om-
„ nibus mirabilis: ob modeſtiam, man-
„ ſuetudinem, animi ſubmiſſionem,
„ cum nobili genere, multis hono-
„ rum titulis aucto conjunctam, om-
„ nibus charus: ob religionem, pie-
„ tatem, fidem dilectus Deo, homi-
„ nibus reverendus, cœlo dignus, ve-
„ rè Pacis, ac Lucis Angelus. „

Quæ exteri, præſertim Librorum ejus Cenſores, in eum laudum ornamenta congeſſerunt, referre longum eſſet.

OPERA.

& ingenii partus,

Manuale Parochorum, quod de Parochorum obligatione, eorúmque juribus in

in Alma & Archiep. Univerſitate Salisburgenſi ſub præſidio P. Ludovici Engel publica diſputatione verſandum expoſuit P. Joſephus Mezger &c. *an.* 1661. *Typis Jo. Bapt. Mayr Typographi Aulici & Academici in* 12.

Manuale Parochorum de obligationibus, functionibus, & juribus parochialibus, quod nuper diſputationi publicæ exhibitum, nunc rebus quamplurimis auctum denuò in lucem edit &c. Salisburgi ſumptibus & typis Joan. Bapt. Mayr Typographi Aulici & Academici Anno 1662. *in* 12.

Manuale Parochorum in duos libellos partitum de plerisque Juribus, Functionibus & Obligationibus ad Parochias, Parochos, & Parochianos attinentibus, quod Deo adjuvante nunc tertiò & longè quàm antehac auctius in lucem edit &c.

Manualis Parochorum libellus II. de Decimis, oblationibus, ſepulturis, bonis Parochorum, aliîsque ſcitu utiliſſimis materiis. Ibidem apud eundem anno 1668. Editionis quartæ annus me præterit. Anno autem 1688. hoc titulo prodiit: *Manuale Parochorum de plerisque functionibus, & obligationibus, ad Parochos, & Parochianos attinentibus: ut de adminiſtratione Sacramentorum, de Decimis, Oblationibus, Sepulturis, & Bonis Parochorum: item de Votis, Juramentis, & Uſuris, materiis ſcitu utiliſſimis, non tam curam exercentibus, quàm Juris Canon. & Civ. Cultoribus, ſimul & omnibus in foro verſantibus Advocatis, & Conſultoribus apprimè neceſſarium. Editio quinta.*

Forum competens, ſeu Tractatus Juridicus de competentia Fori in 4. Ibidem apud eundem 1663.

Privilegia Monaſteriorum ex jure communi deducta. Ibidem apud eundem. in 12.mo anno 1664.

Collegium univerſi Juris Canonici juxta triplex juris objectum, perſonas, res, & actiones partitum. Servatis Rubricis V. Decretalium, ſed juxta Materiæ exigentiam tranſpoſitis. Ibidem apud eundem anno 1670. in 8.

Collegii Juris Canonici &c. Pars II. de rebus. Ibidem apud eundem anno 1674. in 4.

Pars III. & Ultima de Actionibus. Ibidem apud eundem anno 1674.

Item ibidem apud eundem anno 1688. in 4. *Editio tertia. Cui acceſſit ejusdem Tractatus de Privilegiis Monaſteriorum cum gratia & Privilegio ſpeciali Sac. Cæſ. Majeſt. tertia vice renovato.*

In decima Editione Typographus Salisburgenſis, Aulico-Academicus Lectorem ita affatur: *Novam, nunc decima vice recuſam. . . editionem vides. . . . .* Encomium laudatiſſimi Authoris præterea nullum require; quia toties repetita recuſio pretium Operis, in eóque Magiſtrum abundantiſſimè laudat: & Tu quoque laudabis, poſtquàm nuclei dulcedinem guſtaveris &c. Agunt de *Ludovico Engel* P. Anſelmus Schramb Chron. Mellic. p. 855. Stanislaus Wilberts in Hiſtoria Univerſ. Salzburg. l. 2. p. 383. Martinus Kropff in Bibliotheca Benedictino-Mellicenſi cap. ci. p. 504. ſeqq. cujus Recenſione nos uſi ſumus.

XV.

GEORGIUS GEISSERUS † 1690. Abbas ad S. Georgium in Sylva Nigra.

SI vel virtutum ac doctrinæ radios, quibus inclytus iſte Abbas coruſcavit, vel egregia in Reipublicæ Benedictinæ rem literariam merita, quæ quaquaverſus diſſeminavit, animo mecum perpendam, iis ex dignitate deprædicandis longè me imparem & ſentio & profiteor.

Natus A. 1639.

Natus eſt anno 1639. die 18. Jan. *Ingoltingæ*, qui Sueviæ vicus eſt à *Bibraco*, urbe Imperiali, iter unius milliarii diſſitus. Etſi verò ruri exortus eſſet, nulli tamen in eo agreſtes & ruſtici mores, ſed ſuaves, limati, elegantes. Elucebat in eo à teneris ingenium ad præclara quæque comparatum. Et quia Chriſtianæ vitæ documenta in ſacra Catecheſi facillimè imbiberat, Parocho loci viſus eſt idoneus, qui literis diſcendis admoveretur. Quare ex hujus conſilio parentes eum mittunt Ochſenhuſium, percelebre, nec procul diſſitum Imperiale Monaſterium. Hic ſub Magiſtris Benedictinis mox præclari ingenii ſpecimina dedit, brevíque in literarum palæſtra cæteros ſodales longè antevertit. Jam tum etiam in *Geiſſero* ſingularis morum integritas ac pietatis ſtudium elucebant. De vita verò ſanctiùs traducenda cùm feriò cogitâſſet, monachum induit Villingæ apud Patres Benedictinos ex monaſterio in Sylva Hercynia. Cùm enim inclytum hoc, Imperiale, ac præ multis aliis in Suevia celebre Aſceterium, quod anterioribus ſeculis haud pauci Monachi ac Abbates præclaris virtutum ac doctrinæ meritis mirum in

& Ochſenhuſii literis imbutus, præclara vivacis ingenii ſpecimina edit.

modum illuſtrârunt, Dux Würtembergenſis cum multis aliis occupâſſet, Cœnobitæ ex eo Villingam duabus leucis inde remotam confugerunt, ac intra ejusdem mœnia religioſas ædes excitârunt. Hîc *Geiſſerus* Regulæ Benedictinæ ſolennibus votis ſe obſtrinxit quarto Idus Januarii anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto.

Villingæ monaſticen profitetur.

Exacto religioſæ vitæ tyrocinio doctrinam virtuti ſociare juſſus, primùm ad S. Gallum, literarum gloriâ inclytum Monaſterium, tum Friburgenſem in Brisgoia Academiam abivit. Utrobique tantos in bonis artibus ac diſciplinis fecit progreſſus, ut omnium in ſe converteret condiſcipulorum oculos, moveret Doctorum, ac Profeſſorum admirationem. Relata ab Univerſitate teſtimonia diſcipulum ſupra magiſtrum deprædicant. Perceptis ſic maxima cum laude ſcientiarum diſciplinis idoneus haberi cœpit, qui aliis eas traderet. Quare Sacerdotio priùs initiatus anno MDCLXII. per annos complures quà inferiores quà ſuperiores literas docuit. Et quia juventutis inſtitutionem Eccleſiæ & Reipublicæ perinde ac Familiæ Benedictinæ plurimùm intereſſe ſciebat, juvenes cùm Religioſos tum ſeculares magno labore & induſtriâ in omni doctrina & patientia inſtituebat. Nec officiebat is, quô in tradendis bonis artibus diſtinebatur, labor ac occupatio, quò minùs Chorum in Eccleſia frequentaret, à cujus divinis officiis non unquam abeſſe voluit. Hoc erat *portare pondus diei & æſtûs*: quòd verò noctes prætereà quà ſcribendis literis, quà componendis libris, quà fundendis precibus penè totas duceret inſomnes, vix in hominem cadere poſſe tanti támque aſſidui labores videbantur.

perceptis cum laude ſcientiis, alios inſtruit,

Parochum annis non paucis agere juſſus, quàm paſtorali officio intentus, quantúmque de animarum ſalute ſollicitus fuerit, tum certiſſima dedit indicia, cùm graſſante malignæ febris lue non perhorruit in præſentiſſima vitæ pericula ſe conjicere, è quibus etiam haud illæſus evaſit: morbo enim infectus contagioſo parùm abfuit, quin ultimæ lineæ admotus victima caderit charitatis cœlo digniſſima.

Parochũ agit, de cura ſalutis maximè ſollicitus.

Ad Prioris officium pro meritis evectus, ſuaviſſimo illi ac leniſſimo Patris nomini verè reſpondit: non illi pro virtute ſeveritas, pro ſtudio regularis diſciplinæ furor ac impetus; etſi enim ejus conſervandæ ſtudioſiſſimus eſſet, nunquam tamen aſperiori verbo in quemcunque invehebatur, nec pro erratis pœnam imponebat, niſi quam omnes ex intimo paterni amoris ſinu proficiſci intelligerent, proſcriptâ penitus omni effervescentis ac præcipitantis animi perturbatione. Ejus teſſera erat: *Non in commotione Dominus*.

Villingæ ſervando gregi primùm Prioris,

Sic porrò varia illa munia, *Profeſſoris*, *Parochi*, ac *Prioris* implebat *Geyſſerus*, ut aliquoties officio etiam *Magiſtri Novitiorum* functus fuerit. Religioſos autem tyrones non verbis tantùm & præceptis, ſed quod efficacius eſt, exemplo ad humilitatem, paupertatem, obedientiam, cæteráſque monaſticæ vitæ virtutes animavit.

Nemo unquam Abbatialem infulam tanto ſtudio ambivit, quanto ille ſuo à capite repellere allaboravit. Nullis penè precibus, vel rationum momentis adduci poterat, ut eâ ſe exornari pateretur, voce Capitulari, ut ajunt, tam activâ quàm paſſivâ, ſi per cæteros licuiſſet, ſponte animi ceſſurus.

tum Abbatis nomine præfectus,

Abbas *Georgius*, ceu lucerna ſupra candelabrum poſita virtutis ac ſapientiæ lucem quaquaverſus diffudit. Præcipue humilitatis, quæ fundamentum eſt ac mater virtutum omnium, exercitio oblectabatur. Quò ſublimior dignitate inter ſuos, eo erat animo demiſſior. Nulla unquam ex Abbatialis honoris acceſſione mentis elatio in eo animadverſa fuit. Miniſtrari ſibi magis refugiebat, quàm miniſtrare aliis; qui nihil in majoribus habuerat votis, atque Chriſto in fratrum perſona ſua addicere poſſe obſequia; quibuscum velut infimi ſubſellii eſſet frater laicus, ſuaviſſimè agebat. Cunctis ejus prudentiam, doctrinam, ac pietatem ſuſpicientibus non ſeipſe in oculis ferebat; ſed potiùs magis ac magis ſibi vileſcere, ſeque ſuáque deſpicere, oblatóſque honores devitare ſtudebat. Fuit ſibi adeò vilis, ut velut non Abbas, ſed mediaſtinus ſui monaſterii ageret omnia. In itinere uno ſervulo comite, & vili jumento contentus veſtes non alias tulit, quàm quas domi, *ad talos defluas, ſimplices, & ad populi ſibilum nonnunquam detritas*. Narravit mihi vir Religioſus, qui familiariter eum novit, quòd jumento inſidens pedibus quidem ocreas induxerit, ſed quibus pœnitentiæ ſtudio nudis pedibus inſiſtebat. Carnem, longè maximum hoſtem ut edomaret,

Virtutis & ſapientiæ radios latiùs diffundit.

Summa ejus animi demiſſio,

aliæque virtutes.

cilicio

cilicio ex equinis pilis contexto, veriùs loricâ, cinxit, quod nec in extremo morbo exuit. Ad epulas *Tantalus eſſe videbatur*: nunquam à communi menſa aberat, niſi eum aut infirmitas corporis, aut hoſpitum ratio prohiberet. Quos ſibi cibos apponi patiebatur, haud lautiores erant, quàm quibus alii veſcebantur: ex his verò majorem partem in pauperes ac famelicos erogandam ſepoſuit. Temperantiæ & abſtinentiæ tantæ erat, ut cum D. Baſilio vix oſſibus hærens, ſolo ſpiritû vivere videretur. Hæc verò vitæ auſteritas utì non officiebat hilaritati, quæ ex ejus vultu elucebat, ita nec jejunia, vigiliæ aliæque corporis afflictationes.

Severa vivendi ratio.

Illius vivendi ratio, tametſi ſevera, nihil triſte tamen habebat in oculis, nihil tetricum in fronte, nihil moroſum in verbis; ſed omnibus erat grata, accepta, ac cujuslibet prompta obſequio. Ad nocturnas vigilias, queîs ſemper intererat, ipſe fratres excitabat, iiſque ad finem perductis, animum quot diebus ſacrâ purgare exhomologeſi pro more habebat. Utì ipſe verò integer vitæ, labiſque omnis eſſe purus ſtudebat, ita ſi qui conſcientiam apud ipſum ſacrâ confeſſione expiare volebant, aures iis facillimè præbuit. Eò ſalutis alienæ procurandæ ſtudio inflammatus, quandóque itinera 24. horarum, uno tantùm Religioſo comite ſibi adjuncto, pedibus confecit, quò ſibi obviàm factos in fide ac virtutibus inſtruendi faciliorem haberet copiam.

Singularis ejus in agendis prudentia.

In dandis conſiliis prudentiæ erat ſingularis; quo hæc in pretio haberentur, teſtari poteſt vel unus *Cœleſtinus Sfondrati* Princeps San-Gallenſis, & S. R. E. Cardinalis; qui licèt ipſe inſigni prudentiâ, atque ſummâ utriusque Juris peritiâ polleret, ejus tamen conſilio non ſemel in graviſſimis maximíque momenti negotiis eſt uſus. Nec à *Sfondrato* ſolùm, ſed à multis aliis viris primariis, Magnatibus, ac Principibus haud rarò conſultus fuit, quibus omnibus ſine adulatione aut acceptione perſonarum reſponſa ſanè quàm luculenta dabat. Ab omni ſiquidem rerum cupiditate immunis, non quid hominibus placeret, ſed quid Deo acceptum, legibúsque eſſet conforme, perpendebat.

A diverſis Magnatibus conſulitur.

Aſſervantur in monaſterii archivo literæ propemodùm innumeræ, quibus ad illas, quæ conſilii petendi causâ ad eum directæ fuerant, prolixè reſpondit. Eam apud omnes adeptus erat prudentiæ, doctrinæ ac integritatis opinionem. Quo loco *Geyſſerum*, quámque inſignem de ejus prudentia & doctrinâ exiſtimationem haberent Abbates Congregationis Benedictino-Suevicæ, teſtatum imprimis fecerunt, cùm ad Aulam Electoralem Heidelbergenſem eum ablegârunt, quò *Philippo Wilhelmo* Comiti Palatino ad adeptam Septemviri dignitatem ejusdem Congregationis nomine gratularetur, ſimúlque cum eo de monaſteriorum reſtitutione pertractaret.

Orator ad Electorem Palatinum pro recuperandis monaſteriis ablegatur.

Quâ in provinciâ partes prudentis ac diſerti Oratoris ita implevit, ſícque urbanum ſimul & humilem ſe geſſit, ut Elector in illum non ſine admiratione & ſtupore intuitus, in hæc verba, teſte Illuſtriſſimo Principe *Frobenio* ex Landgraviis Furſtenbergicis de Möskirck, proruperit: *Quàm magnus & mirabilis Deus in creaturis ſuis, qui in parvum adeò corpuſculum tantam eloquentiam & doctrinam cum ſumma humilitate & pietate conjunctam infudit!*

Technæ à Dæmone ipſius cœnobitis ſtructæ.

Soperis juxtà ac hominibus charus ſolius orci odio laborabat. Ubi hunc verò *Georgio* nocendi ſpes deſtituit, technas in ejus monachos commolitus eſt; quibus ut nocturnam quietem interturbaret, inſolitos in Dormitorio, ùt vocant, ſtrepitus non ſine gravi eorum horrore excitavit. Sed gravior, plenáque periculi erat machina illa, quam in horto eccleſiam inter atque ædes religioſas interjecto, inſtruxit. Hîc veneficarum agmen cogere, quæ laſcivo ſaltû terram quaterent, ac monachos nominibus ſuis compellatos ad tripudia ſecum agenda invitarent. At nunquàm magìs, quàm id temporis vigilantiſſimus Abbas in excubiis ſtetit. Quin cœlitùs de inſidiis à ſtyge adornandis edoctus, monachos per famulum à cubiculis commoneri juſſit, ut nemo id noctis ſeu per feneſtras proſpiceret, ſeu caput per illas proferret. Paruêre omnes, ſi unum excipias; ſed qui mox pœnas curioſitatis dedit. A venefica enim manû in capite tactus, momento temporis crines ſibi evulſos ſenſit; quos nunquam etiam recuperaturus fuiſſet, niſi *Georgius* Abbas veneficio medicinam feciſſet.

Veneficiorum cura.

Quæ tamen alia haud fuit, quàm quòd in aquam benedictam Divi Benedicti crucem immiſerit, quâ cùm ille caput laviſſet, crines denuò ſuccreverunt.

Eâdem

Eâdem medicinâ uſus fuit, cùm fœminam veneficiô membris omnibus captam, atque per integros ſexdecim annos acerbis doloribus oppreſſam priſtinæ ſanitati reſtituit.

Mortis ſuæ diem prænuntiat, Mortis ſuæ diem præſciviſſe ex iis, quæ mox dicturus ſum, abundè perſpicuum fiet. In Parthenone Amptenhuſano tyrocinium vitæ Benedictinæ ponebat virgo eximiæ pietatis, cui nomen *Mariæ Joſephæ Bollandinæ*. Ex hac ultimo vitæ anno Abbas *Georgius* ſciſcitatus eſt, quid rerum actura eſſet, ſi nonnemo, de ſalute animæ ipſius ſummoperè ſollicitus, ex numero mortalium exturbandus, ipſa verò ejus precibus ac ſuffragiis deſtituenda foret? Cui illa: *Acquieſcerem ſupremo vitæ ac mortis arbitro, méque ad divinam ejus conformarem voluntatem*: Tum Georgius: *Benè reſpondiſti filia! age verò, incumbe in preces, Deúmque exora, ut felicem vitæ exitum ei indulgeat, cui animæ tuæ ſalus ſummæ eſt curæ. Quisnam ille verò hominum ſit, literæ emortuales quatuor abhinc ſeptimanis te edocebunt.* Non plures effluxerant, cùm Amptenhuſium perferuntur literæ, quibus Abbatis & denaſcitur anno 1690. *Georgii* obitus denuntiatur. Huic addi poteſt, quòd quâ die animam egit, in ejus *Diario*, ut vocant, hæc verba: *Ex morte vita*, fuerint ab eo inſcripta. Deo autem naturæque conceſſit anno 1690. Dominicâ infra Nativitatem B. Virginis.

SCRIPTA.

Oculus Extaticus S. P. Benedicti: in quo authoritate Theologorum ex omnibus Religioſis Ordinibus, nec non multiplici ratione aſſertum ivit, SS. Legislatorem noſtrum Deum intuitivè in vita vidiſſe. Conſtantiæ 1675. Item *de Sacramentis in genere*, ibidem.

Privilegia Ordinis S. Benedicti. Quæſtionibus Theologico-Juridicis illuſtrata. Pars I. in 8. Conſtantiæ 1677. & Crembſii in infer. Auſtria recuſa 1692. Pars altera vel nunquam ab eo elaborata, vel certè quidem ad umbilicum minimè perducta fuit.

Deipara Cauſa noſtræ Lætitiæ, in ſpeculo cauſarum naturalium conſiderata. Ubi non ingenioſè minùs, quàm piè oſtendit, B. V. Mariam omnis lætitiæ in hominem derivatæ cauſam eſſe in omni genere. Conſtantiæ 1676. Aliæ Theſes Philoſophicæ: *De principiis rerum naturalium*.

De Elementis. Ibidem, ſed quâ forma, quo anno, & cujus typis, mihi incompertum.

Opus *de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ*; ubi demonſtratum ibat, totum terrarum orbem, ſingulos hominum ſtatus, univerſarum denique creaturarum claſſes, ac ipſa etiam elementa ſtare, certare, triumphare pro illibato Virgineæ Parentis Conceptu: an verò lucem publicam unquam viderit, me præterit.

Opera duo Muſica typis data, ac inſcripta: *Alauda cæleſtis*.

Plures lucobrationes magnam quidem partem affectas, ſed nondum tamen ad calcem perductas in manuſcriptis reliquit v. g. 1. *Suevia Sancta*, i. e. Vita & Acta Sanctorum, qui in Suevia vel nati ſunt, vel vitam duxerunt. Operis hujus copiam fecit *Georgii* ſucceſſor Cl. *Felici Egger* Peterhuſani monaſterii Aſcetæ, qui eo ſtrenuè uſus eſt. 2. *Ortus, Progreſſus, & Occaſus Monaſteriorum Ordinis noſtri*. 3. *Cultus Parthenicus in Monaſteriis Benedictinis Virgini Deiparæ exhibitus*. 4. *Hiſtoria de Familiis præſtantioribus Germaniæ*. 5. Volumen magnum *Conſultationum*, quibus ad varios & difficiles Caſus undique ipſi propoſitos ex utroque Jure & Theologia reſpondit.

Agunt de eo magna cum laude *Arſenius Sulger* in Annalibus Zwifaltenſibus part. 2. ſect. VI. period. VI. *Joannes Mabillonius* in Itinere ſuo Germanico ſibi de tanti Viri amicitia gratulatur, eúmque paſſim virum doctum, eruditum, verè pium, amicum ſuum longè integerrimum, & familiarem, ſtudiorum ſuorum fautorem ſingularem compellat. In Annalibus verò Benedictinis Tom. I. præfat. fatetur, primas ei deberi inter eos, à quibus in condendis Annalibus adjutus ſit, Theodericus Ruinartus in vita Mabillonii eum cum Magno Mabillonio (quæ laus eſt maxima) in comparatione conjungit. „ *Ambo*, inquit, Mabillonius & Geiſſerus, *ut amore ita ingenio pares erant*. Nemo in colligendis Documentis ad Ordinis Hiſtoriam, Sanctorúmque Acta adornanda neceſſariis Geiſſero diligentior, ac Benedictinæ gloriæ ſtudioſior extitit. Unde cùm ejusdem illuſtrandæ atque amplificandæ peritiorem Mabillonio nôſſet neminem; nullam promovendis ejus ſtudiis ac levandis laboribus operam non impendit. Et certè cùm eſſet is Benedictinæ Suevienſis Congregationis

„ Apo-

„ Apocriſiarius; ac proinde facilis ad „ omnes Monaſteriorum Bibliothecas „ ei pateret aditus; eximiis monumentis „ Mabillonium locupletavit. Is „ ſubinde obiit Abbas S. Georgii de „ Villingen, virtutis ſplendore totâ „ Germaniâ clarus, déque noſtra Congregatione, „ perinde ac toto Ordi„ ne præclarè meritus. „

XVI.

† 1691. 8. Julii.

ANGELUS DE NUCE
Archiepiſcopus Roſſanenſis.

Ejus natales, profeſſio, & ſtudia.

D. ANgelus de Nuce in ſeculo *Joſeph*, Neapoli natus ex patre *Agnello*, cive Maſſæ Lubrenſis, Epiſcopalis prope Surrentum Civitatis, monaſticum habitum in cœnobio Caſſinenſi ſumpſit die 2. Julii anno 1621. adeóque amœnioribus ſeverioribúſque ſtudiis egregiam operam navavit, ut tribus & viginti annis, & in Aſceterio Caſſinenſi, & in aliis, atque in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ Philoſophiam, Theologiámque ſumma cum laude docuerit; cujus rei teſtes ſunt locupletes plures ex Auditoribus ſuis viri doctiſſimi. Tot laboribus perfunctus, Abbas tandem inauguratur; quo in munere cum Cœnobium Cajetanum regeret, operâ *Dominici de Queſada* Abbas S. Severini renunciatur, ut hac epiſtola conſtat, quâ magno ſe in pretio *Angelum* habuiſſe Cardinalis *Franciſcus Barbarinus* teſtatur. *Admodùm Reverende Pater. Gaudio ac voluptati mihi fuit, cùm ad me allatum eſt, merita Patris D. Angeli à Neapoli Cajetæ Abbatis eodem loco apud Paternitatem tuam eſſe, quó apud me exiſtunt, digniúmque à te cenſeri, ut is, quemadmodùm ego in optatis habeo, ad clavum Abbatiæ S. Severini in urbe Neapolitana in proxima diæta admoveatur. Pro certo itaque habeas velim, nullum non officiorum genus à me impendendum eſſe, ac ea ratione quidem, quæ neque infra tuum in ipſum affectum, neque infra ejusdemmet P. D. Angeli virtutes, neque tandem infra voluptatem, quam dum illas debito honore affici video, maximam percipio, conſiſtat. Paternitati tuæ, ejusdémque Cœnobitis gratias habeo, quòd in precibus veſtris mei memoriam conſervetis, Deúmque ac Dominum precor, ut divinam ſuam gratiam vobis largiri dignetur. Romæ 31. Novembris 1651. Paternitatis tuæ veluti Frater Franciſcus Cardinalis Barberinus.*

Abbas inauguratus

Diſciplinam &

Eo in munere præclarè adeò ſe geſſit, ut magnam nomini ſuo apud Monachos, Laicóſve exiſtimationem reliquerit. Ejusdem demùm Cardinalis *Franciſci Barberini* operâ Abbas Caſſinenſis electus exemplo atque eloquentiâ Monachos ad ſeverioris diſciplinæ monaſticæ leges incitabat, atque ad amœna, ſeverioráque ſtudia, aſſiduis inſtitutis diſputarionibus Philoſophicis, Theologicis, ac Moralibus, & Academiis, quibus ipſe ſemper aderat, diſputabátque magna doctrina, & eloquentia. Hinc in perluſtranda diœceſi Caſſinenſi eruditiſſimas, efficaciſſimáſque conciones ad populum habebat. A. 1658. Synodum diœceſanam die 1. Octobris habuit in cathedrali baſilica Caſſinenſi poſt delatam illi de more ab univerſis presbyteris obedientiam. Anno 1695. videre meruit corpora SS. Benedicti & Scholaſticæ, quæ in nobiliori decentioríque areâ repoſuit. Acerrimum jurium Caſſinenſium defenſorem ſeſe exhibuit, cùm anno 1665. quo ſecundùm Abbas Caſſinenſis erat, Neapolim pergens duas eáſque graviſſimas in Cœnobium Caſſinenſe excitatas lites eloquentia ſua doctrináque compreſſit. Jurisdictionem quæſtionum Capitalium à pluribus ſeculis violentiâ *Caroli I.* Andegavenſis Caſſinenſi Monaſterio ademptam, emit: quod Abbates alii incaſſum tentaverant, à D. *Franciſco Tuttavilla* ejus poſſeſſore; quare factum, ut pacatiores deinceps Caſſinatium res evaſerint. A. 1666. magnâ ſolemnitate ad ſacellum variegatis marmoribus decentiſſimè ornatum, dedicatúmque in honorem S. Bertharii Martyris operâ D. Hippolyti Saltarelli à Caſtello Forti, tum Congregationis Caſſinenſis Cancellarii, ejusdem Sancti corpus tranſtulit, atque illa S. Apollinaris Abbatis, & S. Victoris III. Papæ, quæ ab an. 1650. in ſacrario eccleſiæ Caſſinenſis repoſita fuerant, ut inſtrumento conſtat ſtipulato die 3. Februarii an. 1666. à Notario Franciſco Pagliaro San-Germanenſi.

ſtudia egregiè promovet.

Synodum A. 1658. Caſini celebrat.

Jura Caſſinenſium vindicat.

Quò gratum animum Caſſinatium erga munificos Principes teſtatum omnibus faceret, in xyſto ante eccleſiam ſtatuas Pontificum, Imperatorum, Regum, Principúmque plaſtico opere excitavit, qui de cœnobio Caſſinenſi meriti optimè fuiſſent, ornavítque elegantiſſimâ inſcriptione, quam in deſcriptione cœnobii, & eccleſiæ Caſſinenſis dedit R.mus Abbas *Eraſmus Gattula*, quemadmodùm & alias in ara maxima, ſub qua corpora Sanctorum Benedicti & Scholaſticæ reconduntur,

Fundatorum ſtatuas excitat.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III. Fff in

in ingreſſu majoris Portæ cœnobii poſitas, atque in vinea curâ ſuâ repaſtinata, quam vulgus S. Rachiſii Regis ac Monachi manibus ſatam credit, & in qua ſacellum excitavit. Aliis etiam in locis cœnobium Caſſinenſe ornavit. Nunquam ferè niſi de rebus ad ſcientias pertinentibus ſermones cum Monachis ſerebat, poſt prandium potiſſimùm, quô tempore dubium ſemper aliquod à Monachis ſolvendum excitabat. Imò ſive publicè ſive privatim diſputatio iniretur, ſi quis contra ejus ſententiam aliquid protuliſſet, modò à veritate haud abluderet, in ejus partes ſponte, lubentérque concedebat, gratiis quoque illi peractis. Quam quidem raram in Superioribus potiſſimùm doctis virtutem, *ego ipſe*, inquit paulò antè laudatus Abbas Gattula, *non ſemel expertus ſum cum* ANGELO *jam Archiepiſcopo Romæ in palatio Cancellariæ Apoſtolicæ an.* 1689. *amica colloquia ferens.*

frequens illi ſermo de rebus ad ſcientias ſpectantibus.

in ſumma apud Cardinales dignatione fuit.

Longum eſſet ac nimium, Eruditorum de illo judicia proferre, magni certè ſemper eſt habitus à Cardinalibus *Johanne de Lugo*, *Sfortia Pallavicino*, *Franciſco Barberino*, *Joſepho de Aguirre*, *Johanne Franciſco Albano*, deinde *Clemente XI. Hieronymo Caſanata*, *Joanne Caramuele*, aliiſque. Ab anno 1670. à *Clemente X.* Epiſcoporum Examinator eſt conſtitutus, atque ſacræ Indicis Congregationis Conſultor & Theologus Cardinalis Barberini edidit *Chronica ſacri Monaſterii Caſſinenſis auctore Leone Cardinali, Epiſcopo Oſtienſi, continuatore Petro Diacono, ejuſdem Cœnobii Monachis ex manuſcriptis codicibus ſumma cum cura & fide quarta hac editione notis illuſtrata primus evulgat D. Angelus de Nuce Neapolitanus, Abbas Caſini centeſimus trigeſimus ſextus. Præmittitur in vitam ſanctiſſimi Patriarchæ Benedicti Spicilegium. Lutetiæ Pariſiorum ex Officina Ludovici Billaine in palatio Regio cum licentia* 1668. in ſolio ex ſoliis 577. præter epiſtolam nuncupatoriam ad Clementem IX. præſationem ad Lectorem, deſcriptionem Sac. Cœnobii Caſſinenſis, appendicem plurium anecdotorum & indicem. Infinitis propemodum mendis Chronicon Caſſinenſe expurgavit, ornavítque eruditiſſimis Notis, quod & in vita S. Benedicti præſtitit.

Chronica Caſinenſis Monaſterii typis reddit cum notis.

unde aucta ejus doctrinæ fama.

Magna certe authori ex editione hujus Operis aucta apud Eruditos fama. Adnexa poſtmodum ab eo eſt eidem Chronico *Appendix altera addendorum*, in qua præcipuè continetur *Excurſus Hiſtoricus*, *quod ſanctiſſ. Patriarchæ Benedicti exuviæ Caſſini quieſcant, contra Cl. Hugonem Menardum.* Deinde *Appendix* 3. *ad Chronicon Caſſinenſe Pariſiis editum an.* 1668. hoc eſt: *iterata reſponſio pro Caſſinatibus adversùs nuperum aſſertorem translationis ſanctiſſimi Patris Benedicti Angeli de Nuce jam Abbatis montis Caſini, & Examinatoris Epiſcoporum, nunc Archiepiſcopi Roſſanenſis* adversùs ea, quæ contra protulerunt *Cl. Johannes Mabillonius* Sec. II. Tom. II. Act. Sanctorum Ord. ſanctiſſimi Benedicti.

Circa notas variant Criticorum judicia.

Nolim hîc diſſimulare, duos doctrina & eruditione præſtantes Criticos non eſſe in eadem ſententia, quantùm ad *Angeli Nucei* Notas in Chronicon Caſinenſe attinet. Sunt verò duo illi Critici *Nicolaus Antonius*, & *Ludovicus Antonius Muratorius.* Et prior quidem Bibliothecæ Veteris Hiſpanæ lib. 5. cap. 2. num. 57. Nuceum *Virum in paucis doctum, ac prudentem, ejúſque notas ad Caſinenſem Hiſtoriam eruditiſſimas* vocat; contra verò poſterior etſi poſtremam Chronici Caſinenſis editionem ab Angelo de Nuce Commentario, ſive Annotationibus adornatam, tanquam reliquis præcedentibus præſtantiorem laudet, in qua eruditus *Homo complura quidem utilia adnotavit, & loca non pauca illuſtravit*: ſed ſtatim criterium nimis acre ſubjungit, veluti *inutilia etiam multa ex intemperanti ſcribendi prurigine commentatus ſit*; quódque adhuc aculeatius eſt, non fuiſſe aſſerit ANGELO DE NUCE *eam reconditæ, minimèque vulgaris eruditionis copiam, quam Leonis Marſicani egregius liber expoſcebat &c.* En duo multùm inter ſe diverſa judicia! Qui *Nicolai Antonii* ſententiæ accedant, ſunt viri complures doctiſſimi; qui à *Ludovici Muratorii* cenſura diſſentiant, eſt Abbas *Marianus Armellinus*, author Bibliothecæ Benedictino-Caſinenſis, in qua *Nucei* cauſam agens, ſi ipſius, inquit, etiam Cenſoris, alioquin doctiſſimi, opera eadem trutina expendantur, nónne inutilia multa, & præter rem ex ſcribendi prurigine exarata alicubi in eis inveniantur? Quis enim liber præter divinos codices omni propemodùm nævo carens? *Angeli* verò *de Nuce* ad Caſinenſe Chronicon Notæ à celeberrimis & clariſſimis Viris, quos ſuprà laudavimus, maximo ſemper in pretio hactenus ſunt habitæ. Certè ipſe *Angelus de Nuce* in Epiſtola ad Lectorem,

Armellinus Nucei cauſam agit.

quam

Quid ipſe de ſuis notulis ſentiat.

quam Chronico Caſinenſi præmiſit, hæc de iisdem ſuis notis proteſtatus eſt: *Quod ottinet ad notulas meas, hæſi diu anceps, on multas præſtaret miſſas fieri, expungíque velut è manipulo, etiam centuriatas exauctorori, ſed Caſinates mei, quibus præcipuè hanc operam navo, auctores mihi fuerunt, aleam ut jacerem, eam afferentes cauſam, quòd cùm non omnes Muſis litaverint, & Minervæ, ea ratio conſultiſſima eſt, quæ prodeſſe poſſit univerſis.* Quæ verba ſi *Muratorius* perpendere voluiſſet, ab ea in *Angelum* adeò illiberali cenſurâ animum forſitan & calamum temperâſſet, ut æquioris Critices canones perſanctè expoſcunt * à *Lamindo Pritanio* traditi.

* *Buon Guſto cap.* 2. & 3. &c.

Refellendis Cleri Gallicani Propoſitionibus adhibitus,

Inter alios doctiſſimos viros, qui ab *Innocentio XI.* ad quatuor refellendas Cleri Gallicani propoſitiones adlecti ſunt, adſcriptus etiam *Angelus Nuceus*, qui tum temporis Romæ verſabatur. Tanta verò vi, doctrináque Eccleſiæ partes aſſeruit *Nuceus*, ut omnium judicio ejus concertatio & brevior & validior ſit habita. Ea apud Caſinates aſſervatur hoc titulo: *Cenſura Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi* ANGELI DE NUCE, *Archiepiſcopi Roſſanenſis ſuper quatuor Propoſitiones Cleri Gallicani in Conventu Pariſienſi anno* 1682. *pro Congregatione Em.*[orum] *Cardinalium & novem Theologorum à ſanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XI. ſpecialiter deputato eodem anno, menſe Auguſti.* Falſus quidam Archiepiſcopi *Nucei* amicus, qui pluribus titulis obſtrictus illi eſſe debuerat, aliquot propoſitis politicis rationum momentis ſuadere eidem conabatur, cenſuram emolliret. Haud tamen adduci ad id potuit, quippe qui ad conſcientiæ ſuæ regulas eam exegiſſet, ùt non ſemel Abbati *Gattulæ* teſtatus eſt; ſparſerat tamen ille in vulgus emollitam ab Archiepiſcopo cenſuram, quò conceptam de eo à Romano Pontifice opinionem minueret; nam ferunt conſtanter apud ſe ſtatuiſſe, in Cardinalium album recenſere *Nuceum.* Dum hæc laudato Abbati magnâ conſtantiâ ipſe referret, addebat, quosdam etiam Pontifici repræſentâſſe ſenem jam eſſe decrepitum, ac proinde nullis Romanæ Eccleſiæ uſibus profuturum. Quam in rem hæc verba S. Leonis Papæ ſerm. 2. de Paſſ. Dom. uſurpabat: *Admiſit in ſe impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt redemptori*: quò oſtenderet, juvamini ſibi fuiſſe ad quietè beatéque vivendum, hoc ſe honore dejectum.

illarum cenſuram procudit,

quæ aliquibus acerbior viſa.

Ejus de S. Thomæ Aquin. monachatu diſſertatio.

Elucubrata etiam ab eo eſt *Diſſertatio de Monachatu S. Thomæ Aquinatis, priusquàm Prædicatorum caſtro ingrederetur, in ſacro Archicœnobio montis Caſſini*: cujus cum laude meminit Author libri, cui titulus: *De Monachatu Benedictino D. Thomæ Aquinatis apud Caſſinenſes, antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem ſe transferret, Hiſtorica Diſquiſitio. Lugduni in* 12. *anno* 1725. Author iſte Anonymus (qui eſt *Hyocinthus Serry* Ordinis Prædicatorum in Patav. Univerſitate publicus Theologiæ Profeſſor) pag. 59. ſic loquitur: „ Sed & „ *D. Angelus de Nuce*, cujus ſunt No- „ tæ eruditiſſimæ ad Chronicon Caſi- „ nenſe, Archiepiſcopus Roſſanenſ. „ Thomam Aquinatem, religioſa Pro- „ feſſione Monachum, è Benedictinis „ Caſinenſibus ad Dominicanos trans- „ iiſſe, in Academica collatione Ro- „ mæ defendit in Aula Auguſtiſſimæ „ Chriſtinæ Suecorum Reginæ, quò „ eruditorum omnium natio conveni- „ re conſueverat: Quod cùm monſtri „ penè inſtar ab adſtantibus exce- „ ptum eſſet, eorúmque ſupercilia, „ mentéſque admiratione ſuſpendiſ- „ ſet, is ad redimendam dictorum fi- „ dem, diſſertationem ſcripto con- „ ſignavit, cui titulum dedit *D. Thomam Monachum fuiſſe Benedictinum oſtenditur*; & ſæpè in operis decurſu *Virum ſummum* appellat.

de Caroli M. icone.

Diſſertatio de Caroli Magni effigie depicta in fronte Codicis ſacrorum Bibliorum, qui extat in Sacrario Baſilicæ S. Pauli de Urbe, de qua mentionem facit Joannes Mabillonius in Muſæo Italico pag. 7. fuit Mſ. lingua Italica apud Abbatem Armellinum; continet paginas integras 16. in fol.

Notæ in Reg. S.B.

Variæ lectiones, & notæ eruditiſſimæ in Regulam ſanctiſſimi Patris Benedicti dudum ſub nomine Pauli Auguſtini de Ferrariis Neapolitanis typis excuſæ.

Elogium Fusci Abb.

Ejus etiam compoſitio eſt elegantiſſimum Elogium P. D. *Severino Fuſco* Abbatiæ Caſinenſis, ejúſque diœceſis Regimen tunc primùm adeunti dictum. Extat ad calcem elogiorum Abbatum Caſinenſium authore M. Ant. Scipione pag. 280. & ſeq.

Coment. in Philoſ. & Theologiam.

Commentorio in univerſam Philoſophiam Ariſtotelis & S. Theologiam ad mentem D. Thomæ; quæ cum memoratis

ratis diſſertationibus apud Caſinates aſſervantur manuſcripta, atque magno etiam in pretio à ſe habita ſervabat in bibliotheca ſua privata Sanctiſſimus *Pontifex* CLEMENS XI. cum aliis quibusdam *Nucei* operibus, teſte eruditiſſimo *Johanne Maria Creſcimbenio* P. I. Vitarum Arcadum Illuſtrium in vitâ *Angeli Nucei* pag. 24. hiſce verbis: *Neque hæc dumtaxat ſtudia ab ipſo exculta fuere, ſed amœniora etiam, & elegantiora, inter quæ vulgaris Poëſis principem in ejus genio locum obtinuit, ac licèt in ſuo ſcribendi genere decurrentis tunc ſeculi barbarie abripi ſe aliquantulùm permiſerit, nihilo tamen minùs ejusdem cantiones, quarum autographum volumen penes prædictum Baronium vidimus, ſuas habent veneres, gravibúsque ac præclaris illigatæ ſunt ſententiis.* Dixerat idem Creſcimbenius pag. 18. *Verùm præ cæteris in bonore illum habuerunt Cardinalis* ALBANUS, *nunc* CLEMENS XI. *Pontifex Maximus, atque* CHRISTINA ALEXANDRA *Sueciæ Regina, cujus animo de* NUCEI *doctrina & eruditione ea inſederat opinio, ut inter Regiæ ſuæ Acodemiæ Fundatores, viros totius Romanæ Urbis doctiſſimos, ac vulgarium numero exemptos, adlectum, in edito atque eminenti ſtatuerit loco: atque in hoc etiam theatro, ubi politiora ſtudia, quibus tantopere ipſe indulſerat, reſumendi campus ſe ipſi aperuit, excellentiſſimi ingenii ſui vim patefecit: argumento ſunt varii generis Orationes quas manu exaratas Bibliotheca Othoboniana aſſervat, & nos apud ſupradictum Baronium Soranum vidimus.* Refert deinde, quot quantísque gratiis Regina illum cumulaverit.

De quibus Creſcimbenius.

Diſſertatio, an S. Ignatius verè fuerit primus Auctor Libelli Exercitiorum, dum apud Manreſam degeret: qui Libellus Garſiæ de Ciſneros Abbati, qui S. Ignatio antiquior fuit, tribuitur; ejus Libelli vetus exemplar, nomen Ciſnerii deſerens, Barcinone ante S. Ignatium impreſſum, Nuceus ipſe Abbati Armellino oſtendit, cujus tamen hic cum Libello Exercitiorum S. Ignatii collationem tunc minimè ſe feciſſe, non diffitetur. Daniel autem Bartholus in Vitâ S. Ignatii Italicè ſcripta, plurimum diſcriminis inter librum utrumque intereſſe contendit. Hanc diſſertationem ipſe Angelus miſit Patri Pallavicino Jeſuitæ, qui librum ſuum *Defenſionis Eccleſiæ* &c. Angelo emendandum dederat.

An ſanct. Ignatius auctor ſit libelli exercitiorum.

Volumen Epiſtolarum Familiarium, quod erat penes Ducem Turris Philomarinum, qui easdem publici juris facere jam parabat, niſi Auctor tunc vivens ſeriò id prohibuiſſet.

Epiſtolæ familiares.

Duo alia Epiſtolarum ejus ad Familiares volumina apud Caſſinates aſſervantur à D. *Honorio Sautillo* Cajetano, Monacho Caſſinate, *Nuceo* à Secretis, dum Abbas eſſet Caſinenſis, cum pluribus aliis ſparſim in monaſterii archivo ad negotia ſui temporis pertinentibus. Quas tamen magnis faciebant eruditi, nullo ipſe habebat in pretio, ut ad Abbatem *Gattulam* hiſce verbis ſcripſit, cùm alias apud eum ſervatas repeteret: „ Mearum „ Epiſtolarum volumen poſſem exhi„ bere; ut verò id ſaciam, haud qua„ quam eſt animus; quas à te pluri„ mi fieri video, ego nihili facio, cùm „ mihi, vitiis eas ſcatere, haud ſit in„ compertum: quæ verò apud me „ extant, ad rerum, quæ mihi per„ tractandæ fuerunt, conſervandam „ memoriam cuſtodio, non quòd, ut „ cuſtodiantur, dignas exiſtimem. At „ ſi tamen aliquas videre tibi collu„ beat, volumen tibi procures redden„ dum à P. D. Honorio, qui earundem „ quandam adornavit collectionem. „ Nunquam, ut typis vulgarentur, à „ me ſunt exaratæ, neque unquam ta„ lis me cepit cacoëthes: ac ſi quis „ mearum epiſtolarum rationem ali„ quam habendam, eáſque non ne„ gligendas eſſe putavit, non id Au„ thoris meritum, ſed eorum, quibus „ gratæ acciderunt, genius expe„ tiit. „

Quas ipſe parvi pendebat.

Cùm anno 1636. hoc Decretum S. Indicis Congregatio edidiſſet: *Sacro Congregatio Indicis ad extinguendos inter ſacros Religioſorum Ordines quæſtionum fomites, & ob non ſervata ſacri Concilii Tridentini præcepta, decrevit, & mandavit ſub pœnis in ſacro Romano Indice librorum prohibitorum, & ſacris canonibus contentis de medio tollendam eſſe, & à fidelium oculis amovendam effigiem S. Baſilii M. cucullato habitu prorſus Benedictino, Regularum ſuarum codicem ſiniſtra manu tradentis quatuor S. Patribus Religioſorum Ordinum fundatoribus coram ſe genu flexis, déque dextero latere ſeſe præbentibus in conſpectum cæterorum Ordinum etiam militantium Fundatoribus, additis ſub effigie verbis ad revocandam vitæ communis cœnobiticæ originem in ejusdem S. Patris inſtitutionem typis æneis expreſſam à Johanne Noort an. 1634.*

S. Cong. Indicis decretum de S. Baſilii effigie.

Ac

Ac proinde diſtrictè inhibet omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ne dictam effigiem impreſſam, pictam, ſeu inſculptam apud ſe detineant, illámque, ſi quomodolibet apud eos extiterit, locorum Ordinariis, aut Inquiſitoribus ſtatim exhiberi jubet. Impreſſaribus verò, Inciſoribus, Pictoribus, & Sculptoribus ſub pœnis eisdem, aliíſque arbitrio S. Congregationis prohibet omnino, ne hujusmodi effigiem moliantur impoſterùm, nec non formas quaſcunque ſtatim à præſentis Decreti notitia infringi præcepit ac deleri; atque ita ubique locorum ab omnibus, & quibuscunque ſervari decrevit. In quorum fidem manu & ſigillo Reverendiſſimi Domini Cardinalis Pii præſens Decretum ſignatum & munitum fuit 12. *Decemb. an.* 1636. C. *Cardinalis Pius. Locus* ✝ *Sigilli. Fr. Joannes Baptiſta Marinus Ordinis Prædicatorum.*

Unde nata Nucei diatribe de Baſiliana S. Benedicti inſtitutione.

Cúmque inter quatuor ex Patriarchis, quibus S. Baſilius Regulam ſuam erogabat, numeraretur S. BENEDICTUS, *Nuceus* eam imaginem Diſſertatione in Archivo Caſſinenſi aſſervata impugnavit, quæ ſic incipit: *Provocant nos ad litigandum Baſiliani, antiquam illam, ſive potiùs antiquatam de* BASILIANA BENEDICTI INSTITUTIONE *querelam è ſepulchri cineribus in judicium revocantes. Quin imò ſibi judices, & actores veluti de parta victoria triumphale vexillum explicuerunt, ſimulachrum nempe phantaſticum, quò ſibi imaginariè blandiuntur. Quapropter ſupervacaneum omnino videri potuit eruditionis hanc litem ſeriò conteſtari, quam nobis jam diu univerſa Scriptorum non eblandita ſuffragia adjudicârunt. Verùm ne noſtro ſilentio in Baſilianam ſententiam abeant imperiti, quibus quoque debitores ſumus, integris utrinque antiquis partium juribus remanentibus quædam ad manus nunc occurrentia in medium pro veritate adducere non gravabimur.*

Duo ſunt præcipuè, de quibus cauſa jam deperdita ad æquiora judicia appellant BASILIANI: *An ſcilicet SS.*[mus] BENEDICTUS *fuerit Monachus ex Inſtituto S. Baſilii, & an regula, quam ſuis ipſe Monachis tradidit, à Baſilia ſumpta fuerit. Utrumque aſſerunt adverſarii; utrumque nos arguimus falſitatis. Utri rationabilius, ac verius, dubitatur &c.* Fusè eandem imaginem oppugnat doctiſſimus *Franciſcus Bivarius* in libro *De veteri Monachatu, & Regulis Monaſticis* lib. VI. cap. 1. à pag. 212. ad 227.

Ejusdem cenſura in Queſnel.

Juſſû Cardinalis *Franciſci Barberini* ſcripſit Cenſuram in Commentaria & Diſſertationes Paſchaſii Queſnel, Presbyteri Oratorii D. N. Jeſu Chriſti in Opera S. Leonis M. duobus tomis in 4. Pariſiis edita, anno 1675. quam cùm Cardinalis ad Queſnellium miſiſſet, hæc ille reſpondit: *His annexus erat viri eruditi ac ingenioſi commonitorius libellus pleraque momenta complectens, queis ad procudendam cenſuram Romanorum Theologorum ſuccenſi ſunt animi.*

Nucei elogium ex Creſcimbenia.

Hæc de *Niceo* proſequitur *Creſcimbenius* p. 26. ſcribere: „Tot itaque „ac tam præclaræ noſtri Archiepiſcopi dotes meritò quidem ac jure Romam, imo Italiam, atque adeò univerſam Europam excitârunt, ut illum inter celeberrimos literarum heroes & connumerarent, & deprædicarent, ac quantum fas erat, honoribus afficerent. Talem ex Italis noſtris inter cæteros duo Aulæ Romanæ Prælati habuerunt, *Joannes* nimirum *Ciampini*, ac *Marcellus Geveroli*, quorum primus ſuis in operibus ampliſſimam illius mentionem facit, ejusdémque merito noſtrô in Conventû alter memoriæ Lapidem promiſit: atque inter Ultramontanos talem ibidem eum agnoverunt præfatus *P. Mabillon*, qui variis ſuis in operibus de ipſius merito præclariſſimum edit teſtimonium; ac *Virginius Alviset* in Tractatû *de Murenulis S. Velus Sponſæ Regis Æterni* eò usque progreditur, ut dicat, ſe à viris fide quàm maxime dignis excepiſſe, *nullum tunc temporis Romæ extitiſſe, qui Archiepiſcopo doctior cenſeri poſſet ac dici.* „Quorum ſententiæ mirum dictû quantum auctoritatis accedat ex verbis illis, quæ ſummi Pontificis juſſu circa hujusmet vitæ conſcriptionem Tu mihi Illuſtriſſime Domine ſignificare dignatus es, quibúſque narrationem hanc concludam & abſolvam, tanquam Archiepiſcopi virtutum encomio quodam, quo nec majus quidem, nec dignius poteſt excogitari: *Sanctiſſimus Dominus Noſter vitam D. Archiepiſcopi Roſſanenſis publici juris fieri gaudet, cùm illum ſemper tanquam unum ex primis Aulæ Romanæ Luminaribus habuerit.*

Ejus animi demiſſia & modeſtia.

Demiſſiſſimè tamen de ſe ipſo, doctrináque ſua ſentiebat *Nuceus*, ut ex his ad R.[mum] *Gattulam* epiſtolis conſtat: „Admodùm Reverende Pater

 „Ob-

„Obſervandiſſime. Quàm gratæ, „quámque mihi acceptæ literæ tuæ „fuerint, haud facilè explicare poſ„ſum; non per eam quidem cauſam, „quòd plurimas, eáſque immenſas in „me congeras laudes, ſed quòd præ„conia, quibus me cumulas, nobiliſ„ſimi animi tui in veram virtutem „quàm maximè propenſi indubiam fi„dem faciunt; eà cauſa fuit, ut nec „umbram virtutis, quæ in me con„ſpicitur, ſine cultu ac honore arbi„re permittas. Majorem itaque in „modum lætor, ac planè futurum „ſpero, ut Deus generoſam iſtam pro„penſionem in animo tuo nedum nu„triat, atque magnis acceſſionibus „adaugeat, verùm etiam rationem „tibi modúmque aperiat, quibus non „minùs auctoritate quàm exemplo „inter cæteros etiam diffundere ac „propagare valeas, ita quidem, ut „in te ampliſſimum iſtud Sanctuarium „priſtino ſplendori ac venerationi ſit „reſtituendum: hic verò literarum „amor proprius character ac pænè in„dex eſt, quo Caſinates legitimi ab „adulterinis ac ſpuriis ſecernuntur. „Romæ 18. Junii 1689.

aliáque geſta, Eruditiſſimus Creſcimbenius hæc ulteriùs in Angeli vita de illo memoriæ prodidit: „Verùm paulò pòſt „Romam ſe contulit, ut prædicta Opera ſua Clementi IX. tunc temporis ad clavum Eccleſiæ ſedenti, cui erant inſcripta, exhiberet: is verò, ut qui viros inſigni quâdam doctrina præditos magno haberet in pretio, benignè illum excepit, atque adeò eruditiſſimi illius laboris munus gratum habuit, ut cùm ſuo ſavore digoum quàm maximè cognoſceret, pro meriti ratione gratiam authori quò referret, eum in Purpuratorum Patrum Senatum adlegere animo ſecum deſtinârit; idque perfeciſſet profectò, ſi aut diuturnior fuiſſet ejusdem Pontificatus, aut fauſtior Angelo fors arriſiſſet. Nihilo tamen ſeciùs Cardinalitiæ dignitatis velut quoddam pignus fuerunt munera *Examinatoris Epiſcoporum*, & *Congregationis Indicis Conſultoris* à CLEMENTE collata, à quo etiam Eccleſiæ *Calienſi præficiendus fuiſſet, niſi regimen illius ſuſcipere juſtis de cauſis *Nuccius* recuſâſſet: eà cauſâ factum eſt, ut Pontifex ipſum utut invitum *Archiepiſcopum Roſſanenſem* nominârit, cui honori ſe ſubducere ipſi haud licuit. Doctrina minimè vulgaris cum morum elegantia & ſuavitate conjun„ctæ cæteræque eximiæ animi dotes

labores, officia.

* *La chieſa di Cagli.*

& virtutes.

„omnium in Aula Romana affectum illi conciliàrunt. Præprimis gratiâ valuit apud Cardinalem *Barberinum*, qui ſuos inter Theologos primo loco illum collocavit. Ejus verò ad Archiepiſcopatum diſceſſum ita ægrè tulit, ut priùs ſibi haud acquieſcendum exiſtimârit, quàm Romam reverti juberetur. Neque enim Cardinalis æquum cenſebat, *Angeli* virtutes minori quàm Romæ theatro collucere, ejúſque merita inferiori quàm Purpuræ honore eſſe condecorandas. Quatuor annos quibus Roſſani in illo honoris ac dignitatis ſedit faſtigio, gregés ſibi commiſſos, è veteri laudatiſſimóque ſuo inſtituto nedum ſpiritualibus verùm etiam temporalibus cumulavit beneficiis; Eccleſiam ſuam divite ſupellectile inſtruxit, viros bene meritos omni benevolentiæ genere complexus eſt, pro retinenda eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia ſtrenuè laboravit, morúmque ſanctitatem omni quâ potuit curâ ac diligentiâ provexit. Primum ipſe lapidem novi Patrum Dominicanorum Cœnobii hìc jecit, literáſque nemo unquam amavit ardentiùs, fovit, ac protexit, præſertim Academiam vulgò dictam *degli Spenſierati*, quæ modò eruditiſſimi Canonici Hyacinthi Gemma operâ magnum celebritatis nomen eſt conſecuta; cui ad conventus habendos Annuntiationis, vulgò *della Nuntiata*, Oratorium conceſſit. At cùm Roſſanenſes majora præſtolarentur emolumenta, Archiepiſcopus Romam repetere coactus fuit. Cardinalis quippe *Barberinus*, cui, ut jam diximus, tam illuſtris viri dignitatis incrementa plurimùm cordi erant, eò remadduxit, ut ad aulam illi redeundum fuerit: imò verò ne iterum diſcedendi occaſio ipſi præberetur, voluit etiam, ut Archiepiſcopatum miſſum faceret. Fecit, ac reſignavit Fratri *Hieronymo Urſacia* ſub penſione octogentorum ſcutorum annuatim ſibi perſolvenda: ſiquidem certus eſſe à *Barbermo* juſſus fuerat, futurum, ut quemadmodum ipſe purpureo galero illum ornari animitus cupiebat, ita ex ejus in aulâ præſentia adjuvanda eſſet ſua intentio. Romæ itaque commorantem Archiepiſcopum apud ſe manere juſſit Cardinalis, aptum commodúmque ipſi domicilium ſuo in palatio Apoſtolicæ Cancellariæ concedens: ſed cùm vitâ jam functus eſſet *Clemens X.* apud quem Cardinalis operâ ad tam „ſublimem æſtimationis gradum fuerat

Cura paſtoralis.

Beneficia Roſſanenſibus præſtita.

Reſignat Archiepiſcopatû.

„evectus

„ evectus, ſpes haud vana quidem, nunquam tamen ambitioſè quæſita iterùm interiit „ Vid. Jul. Ambroſ. Lucentius Ital. Sac.reſt. Auct.à Col. 1657. ad 1666. & Ughell. Tom. IX. in deſcriptione Archiep. Roſſanenſium col. 314. n. 17. & in addend. & corrig. Ital. Sac. Tom. X. col. 325. & ſeq. Edit. Venet.

Obitûs ipſius & funeris deſcriptio. Ejus mortem ſic deſcribit Creſcimbenius: „ Aliquot annos hiſce „ rerum ac ſanitatis anguſtiis fuit op„ preſſus: verùmDeus,qui tantò majus „ præmium illi præparaverat, quantò „ longior fuerat ejuſdem tolerantia, „ tandem ad octavam Julii diem anni „ 1691. ad cœli regiam illum evoca„ vit, annis quidem gravem, ſed glo„ riâ multò illuſtriorem. Funus ela„ tum in Baſilicam S. Laurentii in Da„ maſo, ubi plurium Cardinalium, „ qui ad expenſas confluxerunt, pieta„ te ſatis honeſtè illi parentatum fuit: „ in tanta rerum temporalium inopia „ è vivis ſublatus, in Canonicorum „ ſepulchrum illatus fuit, quamvis „ nullum non lapidem moverint Or„ dinis ſui Monachi, ut apud ipſos „ ſepulchro donaretur. V. Lucen„ tius loc. cit.

Honores ab Arcadum academia eidem exhibiti. Inclyta etiam Academia Arcadum, in quam ipſo fundationis anno 1691. omnium Academicorum votis cooptatus fuit, attributo nomine *Hiſmenii Langiani*, demortuo ſolemniter parentavit, erecto ſcilicet, publico decreto, in ejus honorem lapide à Cl. Prælato *Marcello Severoli*, & in nemore Palatino (quò convenire ad literarias exercitationes tunc ſolebant) pulcherrimâ ecloga à *Leonardo Gerardo* in ejus laudem recitata, in qua plurimùm commendatur, non ſolùm à doctrinâ, & eruditione, ſed etiam à pietate in Deum, cultu Religionis, exactâ cuſtodiâ Monaſtici Inſtituti, amore Evangelicæ paupertatis, charitate erga egenos, aliisque virtutibus regulari Præſule, & Epiſcopo dignis. Sanè laudatus *Creſcimbenius* effuſiſſimam Angeli in pauperes liberalitatem literis conſignavit in ejus vita, adeò quidem ferventem, ut neceſſaria etiam penè ſibi ſubtraheret ad eorum inopiam ſublevandam, quod heroicæ & verè Chriſtianæ charitatis indicium eſt.

Extrema illius fata. Quàm intrepidè verò ærumnas ſuas ferret, ex quibusdam ad R. Abbatem *Gattulam* ſcriptis epiſtolis conſtat, è quibus aliquas duntaxat periodos damus. „ Admodùm Reverende „ P. Obſervandiſſime! De meæ ſalutis „ ſtatu certior fieri Paternitas tua deſi„ derat; verùm quin prolixam ego in„ ſtituam narrationem, cognoſcere per „ ſe ipſam poteſt, ad meam octoginta „ annorum ætatem animum adver„ tens; extrema quippe hæc ſenectus „ non ipſa tantùm eſt morbus, ſed „ ſentina etiam, in quam vitæ noſtræ „ miſeriæ omnes confluunt: quare „ tot calamitatibus oppreſſus in lecto „ ſemper decumbere cogor, cùm pedibus inſiſtere nequaquā valeam. Con„ ſtanti tamen atque intrepido animo „ hæc incommoda ſuſtineo, divinâ „ fretus miſericordia, fore, ut in par„ tem purgatorii pro peccatis meis à „ Deo ſint acceptanda. Tuam admo„ dùm Rev. Paternitatem oro quæſo„ que, ut precibus ſuis id mihi à Divi„ na Majeſtate impetret &c. Romæ „ 22. Julii 1690. Hoc (nempe litera„ rum ſtudium) unicum eſt levamen, „ quod in tanta annorum ac infirmi„ tatum oppreſſione experior, quas „ tamen animi præſentia & con„ ſtantia fero, ut divinæ providen„ tiæ, quæ dat nivem ſicut lanam, con„ ſiliis acquieſcam. Romæ 13. Nov. „ 1690. Ut valeam, Paternitas tua „ ex ſenio, tótque ærumnarum, quæ „ illud divexant ſocietate, haud diffi„ culter conjicere poteſt. Tot tamen „ inter afflictiones animi fortitudinem „ non deſero, quoniam ut effatus eſt „ Poëta: *Fortiter ille facit, qui miſer „ eſſe poteſt* &c. Romæ 31. Maji 1691.

Animi conſtantia.

Cæterùm hallucinantur *Lucentius* & *Creſcimbenius*, cùm electum aſſerunt Archiepiſcopum à *Clemente IX.* nam ad eam dignitatem beneficentiâ *ClementisX.* eſt evectus die 18. Martii an. 1671. Quæ nos verò de *Nuceo* literis conſignavimus, maximam partem ex *Eraſmi Gattola* Hiſtoria Caſinenſi, tum etiam ex *Mariani Armellini* Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi deprompta fuerunt.

XVII.

VITALIS TERRA RUBRA †1691. è Congreg. Caſinenſi.

Parmæ elogium.

PArma Galliæ Ciſalpinæ urbs celebris viris cùm literis tum armis præclariſſimis nunquam non clatuit: Quare illam eximiis laudibus Jul. Cæſ. Scaliger tam diſertè deprædicat:

In-

an. MDCLXXXI. humaniſſimis literis invitârunt: Ipſe autem ne ſuum in Ser. Rempubl. Venetam obſequiū læderet, ſummâ modeſtiâ recuſavit.

Mirabitur nemo tot dotibus ornatum ſummorum Principum gratiâ valuiſſe, inter quos præcipuè deſignandus venit *Alexander II.* Picus Mirandulæ Dux, doctrinâ non minùs,quàm natalibus orbi toti clarus, cui continuò percharus fuit D. VITALIS TERRA RUBEA.

Abbas creatus, Nec in Congregatione Caſinenſi ſupremi ei honores defuerunt; creatus Abbas Monaſterium Parmenſe adminiſtravit, quo expleto regimine, Patavium rediit, ibique haud multò pòſt diem ſuū explevit A. 1692. in Monaſterio ſanctæ Juſtinæ admodùm piè diem clauſit extremum anno 1692. ætatis ſuæ 71. cui Fr. *Thomas Maria Minorelli* ex Ordine Prædicatorum Magiſter, Vir doctrina conſpicuus, funebri, eáque facunda Oratione parentavit. Sed & Parmenſes Monachi grati animi ergò ejus exequias inſigni pompa celebrârunt, in qua eruditiſſimam Orationem D.Odoardus Vicentinus recitavit, impreſſam Parmæ eodem anno apud Albertum Pazzonum, & Paulum Monti. In ea Oratione illud inter cætera aſſeritur pag. 15. *Vitalem oſtendiſſe, quàm neceſſariò Philoſophia ſolida Encyclopedia exornata, cum reliquis ſcientiis conjungi debeat.*

Ejus ingenii partus. Quod ad hujus Opera ſpectat, multiplicia ſunt & varia, quorum Vitalis ipſe,dum in vivis ageret, à Mariano Armellino, Bibliothecæ Benedictino-Caſinenſis Auctore, rogatus elenchum Romam ipſi tranſmiſit: Alia verò ſunt impreſſa, alia Manuſcripta; quæ ultima numero priora longè excedunt, è quibus pauca recenſere juvat:

1.) *Diſputationum ſacræ & ſpeculativæ Theologiæ curſus duplex*, quorum prior in 10. poſterior in 6. Tractatus diſtinguuntur.

2.) *Diſputationum ſacræ Theologiæ Moralis Scholaſticæ* Tractatus novem.

3.) *Epitome* Aſcanii Tamburini *de jure Abbatiſſarum & Monialium* variis cum additionibus.

4.) *Epitome Theologiæ Myſticæ Balthaſſaris à S. Catharina* Carmelitæ Diſcalceati ad uſum Patrum Spiritualium, & *Directorium Animarum Contemplationi vacantium.*

5.) *Enthuſiaſmi Morales.*

6.) *Vita interna* S.P.N.Benedicti.

7.) *Catalogus complurium Sancto-*

rum,qui fuerunt Familiæ Benedictinæ, & alterius cenſentur.

8.) *Lexicon Rhetoricum*, utriusque Orationis tum ſolutæ, tum metricæ regulas complectens.

9.) *Fragmenta Rhetorica*, i. e. Panegyrici, Conciones, & Diſcurſus habiti variis in occaſionibus.

10.) *Album nigerrimum*, ſive Lexicon hæreticorum, & alia &c.

Ex his Mſs. quædam in Bibliotheca S. Juſtinæ, quædam Parmæ in Monaſterio, ubi Profeſſus & Abbas fuit, exiſtunt. Vide Armell. Bibl. Caſin. part. II. lit. v. pag. 33. & præ illo Carolum Patinum in Lycæo Patavino pag. 117. ubi, quæ de Vitali Terra Rubra in medium attulimus, expreſſa habes cum ejusdem Iconiſmo.

XVIII.

AUGUSTINUS RHEDING † 1692. Abbas & Princeps Einſidlenſis.

Celebres Theologos Scholaſticos ignorat, quisquis *Auguſtinum* neſcit: juraſſes in ejus cerebro Hyponenſium Antiſtitem revixiſſe. Aut enim viva virtus & doctrina fuit *Auguſtinus*, aut ex virtute & doctrina totus. Patria illi erat *Suitia* in Helvetia Cantonis *Suitienſis* princeps civitas; Familia DD. Rhedingiorum à *Biberegg*, quâ tamen maturè neglecta ſuavi Chriſti jugo colla ſubdidit in Cœnobio Einſidlenſi anno MDCXLI, die XXI. Decembris. Adepta poſtmodùm in Academia Friburgenſi Doctorali Laurea, Salisburgi *SS. Theologiæ* cathedram conſcendit anno MDCLV. tanta ſcientiæ opinione, ut ad eum velut oraculum omnes confugerint, viríque ſcientiâ aliàs clari in difficilioribus quæſtionibus ejus ſententiam expetierint. Anno verò MDCLVIII. ab Einſidlenſi Principe *D. Placido* ad Eremum D.Virginis remeare juſſus ægrè ab Univerſitatis Patribus dimiſſus fuit: ſed obedientia ac Superiorum mandata cunctorum votis prævaluerunt, ſeu potiùs gloria, ut altiori eum loco collocaret. Decanus ab eodem Illuſtriſſimo Principe anno MDCLIX. conſtitutus anno ſequente in dignitate abbatiali eidem ſucceſſit, mitrâ omnium ore & calculo digniſſimus, utpote in cujus pectore ſapientia & pietas ſedem fixerant. Cultui divino præprimis deditus ornatam illam omni lapide pretioſo, ut vocant, Monſtrantiam, ſeu oſten-

[Marginalia, right column: ejus eloquium, — patria, — profeſſio, — promotio, — doctrina. — ſit Decanus Einſidlenſis, deinde Abbas.]

oſtenſorium nullis parcendo ſumptibus conſummavit: Chorum quoque Monaſterii & Sacellum S. Magdalenæ funditus erexit, Sanctorúmque Reliquias non paucas Româ aſportavit. A ſacris ad œconomica & literas converſus S. Nuntiaturæ Lucernenſis, ac aliorum Catholicorum Procerum impulſu & hortatu Dynaſtiam Sonnenbergenſem, ne Acatholicorum uſui ſerviret, ſuo Monaſterio magno ære adſcivit anno MDCLXXX. nec non Gymnaſium

Bellizonenſe Gymnaſium inſtaurat.

Bellizonenſe anno MDCLXXV. à Patribus Societatis Jeſu derelictum per ſuos Monachos reſtauravit III. Nonas Septembris anni ejusdem. Princeps ob ſingularem zelum tum propagandæ Catholicæ fidei, tum defendendæ Summæ Sedis Authoritatis ab Ipſo Ss. D. N. *Innocentio XI.* ter amatus annum 1692. habuit ſupremum.

Obitus ejus & ſcripta.

SCRIPTA.

1.) *De Dominio Clericorum & Religioſorum* Salisburgi in 8. an. 1656.

2.) *De injuriis & reſtitutione pro iis debita.* Salisburgi in 8. anno 1657.

3.) *Controverſiæ Scholaſticæ ex univerſa Theologia ſelectæ.* Salisburgi in 4. anno 1657.

4.) *Theologia Scholaſtica univerſa* Tomis XIII. in fol. comprehenſa. Typis Monaſterii Einſidlenſis an. 1687.

5.) *Vindex Veritas Centuriæ I.ma Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Baronii S. R. E. Cardinalis contra Jo. Henricum Ottium.* Typis Monaſterii Einſidlenſis in fol. anno 1680.

6.) *Veritas inextincta Concilii Tridentini* Tomi V. in fol. Typis Monaſterii Einſidlenſis anno 1684.

7.) *Diſſertationes controverſiſticæ, in quibus plerique fidei articuli ab hodierno prætenſæ Reformationis Miniſterio in controverſiam deducti, ad verum Romanæ Eccleſiæ ſenſum exponuntur, occaſione Libellorum à Joanne Heinrico Heiddegero Tigurino Profeſſore editorum.* Typis Monaſterii Einſidlenſis in 4.to An. 1684. quæ fuit ſecunda editio, prioris annus nobis incompertus.

8.) *Diſſertationes controverſiſticæ contra Vidroſium* Typis Monaſterii Einſidl. in 4. anno 1684.

9.) *Oecumenicæ cathedræ Apoſtolicæ authoritas.* Typis Einſidlenſibus in fol. anno 1689.

10.) *Explanationes & exhortationes in S. Regulam S. P. Bened.* MS. Fol.

Vide Hiſtoriam Univerſitatis Salisburgenſis lib. 2. cap. VII. n. CCXXXVIII. pag. 300.

XIX.

COELESTINUS SFONDRATUS Princeps & Abbas San-Gallenſis, S.R.E. Cardinalis.

† 1696. 4. Sept.

MEdiolani ex antiquiſſima *Sfondratorum* Familia, unde etiam *Gregorius XIV.* Pontifex Maximus originem duxerat, in lucem prodiit anno MDCXLIV. tenerósque annos in paterna domo ſub optimis Magiſtris transegit, ea jam tum ingenii maturitate, ut univerſi de puero maxima quæque præſagirent. Eam ob cauſam à piiſſimis Parentibus anno ætatis duodecimo *Roſachium* ad Lacum Podamicum, ubi PP. San-Gallenſes celebrem ſcholam aperuerant, ad literarum ſtudia, ac germanam linguam addiſcendam dimiſſus, ingenii acumine & ſolertia coævos facilè adæquavit, moribus verò ac indole ferventi generoſáque cunctis emicuit. Cúmque adoleſcentes nonnullos, condiſcipulos ſuos, ad S. Benedicti Ordinem in D. Galli Monaſterio ſuſcipiendum animos applicuiſſe cerneret, Ipſe, qui nulli uti ſcientiâ ita & virtute ſecundus videri volebat, pari converſionis ſpiritu ductus eidem S. Ordini collum ſubmittere ſtatuit, expletóque probationis anno *Cæleſtini* nomen ſortitus eſt. Vix annum ætatis vigeſimum ſecundum attigerat, cùm jam ob ingentem ſcientiarum cumulum primò in Ducali Aſceterio Campidonenſi Theologiæ, domi dein per plures annos Philoſophiæ, Theologiæ, ac Juris Canonici Profeſſor inaudiit. Magiſter quoque Novitiorum conſtitutus pietate ac morum decore multos præclarè imbuit, ex quibus ſucceſſu temporis plures in diverſis locis abbatiali dignitate inſigniti, pietatem atque ſcientiam *Cæleſtini* ore hauſtam maximo Ordinis noſtri flore in alios etiam transfuderunt.

Mediolani natus 1644.

& Roſachium ad ſtudia miſſus,

in San-Gallenſi cœnobio O. S. Ben. amplectitur.

in Campidonenſi archiſterio & domi ſeveriores tradit diſciplinas.

Percrebeſcente hoc modo doctrinæ ejus fama Salisburgenſis Univerſitas hanc ſibi gemmam concredi repetitis obtinuit precibus, triplicíque priùs laurea doctorali, Theologiæ nimirum & utriusque Juris redimitum, in celebri *Juris Canonici* cathedra *Sfondratum* collocavit an. MDCLXXIX. Quantis radiis ſupra candelabrum Academicum poſitus Facultatem Juridicam illuſtrârit, peregrinus ſit, qui ignorat. Nemo ſcire creditus eſt, quod ille ignorabat: Erat enim in eo ingenium, quod nulli cedebat; judi-

Salisburgum accitus Juris Canonici cathedræ imponitur.

cium

cium, quod omnes ſuperabat; doctrina, qua quidquid ſciri poterat, infinita propemodùm lectione complectebatur. Tantus proin ad publica ejusdem collegia & prælectiones diſcentium concurſus fiebat, ut penè ſolus docere poſſe videretur, ac unus omnium eſſet dolor, cùm ſermoni finem imponeret, utpote, qui nullum paragraphum dictavit, aut explicavit unquam, quin ex ſingulis ſciſcitaretur, an benè intellexiſſent omnia; neque ullum dubium præterlabi patiebatur, quod non iteratò præclarè expoſuiſſet, volebátque, ut omni tempore eundem adirent diſcipuli, ac exorta dubia proponerent, & ni feciſſent, duriùs arguebat. Verbo: *Idea Profeſſoris optimi, atque diſcipulorum animus* SFONDRATUS *erat.*

ubi edit Regale Sacerdotium.

Maximum autem, quod Salisburgi perficiendum ſuſcepit, illud fuit, quòd quatuor illarum propoſitionum Cleri Gallicani, quibus infallibilitas & authoritas Chriſti in terris Vicarii graviter arguebatur, diſcuſſionem ab Univerſitatis Senatu ſibi oblatam admiſerit, atque inſigni volumine, cui titulus *Regale Sacerdotium*, Pontificiàm authoritatem à calumnia liberâſrit. Reverſus eſt inde anno MDCLXXXII. ad Monaſterium S. Galli ſub Principe & Abbate ejusdem loci GALLO II. Viro antiqui moris & avitæ diſciplinæ ſtudioſiſſimo. Hic, cùm *Cœleſtinum* humanis laudibus ac favoribus ubique efferri cerneret, veritus; ne is inter continua omnium encomia humanum quid pateretur, eum deprimere & humiliare ſtatuit, ſimúlque Sacelli ruſtici, quod horario itinere *Roſachio* diſtat, curam eidem commiſit, ut pedes illuc, aut fortè, ſi aëris intemperies prohiberet, obvio equo delatus rudi plebeculæ vernacula lingua Dei verbum annuntiaret. Paruit emeritus Doctor jubentis imperio; Cùm tamen ſatiandæ ejus ſolertiæ cura hæc impar eſſet, Philoſophiam interim conſcripſit, eámque typis San-Gallenſibus in publicum emiſit. Quin & ipſe GALLUS Abbas *Cœleſtini* patientiam humilitatémque ſatis expertus eundem ad Monaſterium è Parœcia revocavit, ac ſuum in Spiritualibus *Vicarium Generalem* conſtituit. At neque iſtud officium ſolicitudinis licèt plenum *Sfondrati* noſtri diligentiam, laborum aliàs aſſuetam, retinuit, ne *Regali Sacerdotio* aliud volumen ceu prioris completivum ſub titulo *Galliæ Vindicatæ* adjungeret, in quo luculentis argumentis demonſtrat, Galliæ Doctores & Præſules non ſolùm ab omni ævo pro libertate Eccleſiæ Romanæ conſtanter ſtetiſſe, verùm etiam quatuor Cleri Gallicani propoſitiones nullibi magis ac majoribus exemplis, quàm in ipſa Gallia damnatas eſſe.

inde redux ruſticanæ parochiæ præficitur.

paulò pòſt Vicarius Generalis San-Gall. renuntiatus, evulgat *Galliæ Vindicatæ* opuſculum.

Novarinum Epiſcopatum ſibi à S. Pontifice delatum

Non leviter hæc *Cœleſtini* Opera Propoſitionum Auctoribus bilem moverunt, cùm & veritati tam luculentæ ſeſe opponere, & eloquentiæ diſſerentis reſpondere formidarent. Arriſerunt econtrà Curiæ Romanæ docti adeò pro Eccleſia ſuſcepti labores: hos ut *Innocentius XI. P. M.* digno remuneraret præmio, Epiſcopatum Novarinum, quem Ipſemet olim ante Summum Pontificatum tenuerat, eidem obtulit anno MDCLXXXVI. Invitô planè animô inſperatos Epiſcopalis dignitatis honores viri modeſtia tulit, quin humili potiùs generoſéque conatu eos à ſe amoliri adorſus, Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem *Cybo* ſæpiùs literis convenit, ut apud Sanctiſſimum Patrem preces ſuas interponeret, ne ex humili & quieta Monaſterii cellula ad publicas curas raperetur. Verùm rejectis precibus Pontificia voluntas prævaluit, delatúmque onus ſuſcipere coëgit. Haud inflavit novus hic dignitatis apex religioſam *Cœleſtini* mentem, ſed, cùm hyemis intemperies iter præpediret, ſeu potiùs cœlum alia de eodem diſponeret, inter Confratres ſuos ſimplicis Monachi mores præſetulit communi vitâ, diſciplinâ, & ordine contentus.

ægrè ſuſcipit,

eóque dimiſſo Abbatiæ San-Gall. humeros ſubmiſit.

Clauſerat intereà San-Gallenſium Princeps & Abbas D. GALLUS diem ſupremum IV. Nonas Martii anno MDCLXXXVII; Huic, ut ſupparem Succeſſorem deſignarent Capitulares San-Gallenſes, Juniorum præcipuè ſuffragiis Abbas ſubrogatus eſt *Cœleſtinus* noſter XVI. Calendas Maji. Dimiſſo itaque Epiſcopatu abbatiali oneri humeros ſubmiſit, ſéque talem prudentia, juſtitia, & gravitate exhibuit, ut nihil in eo deſiderari poſſe videretur. Præprimis verò piëtate in pauperes, & pupillos enituit, quos, ingruente anno MDCXCIII. fame, annonâ & facultatibus pro viribus adjuvare nunquam deſtitit. Ut enim eo ſecuriùs ſubveniret omnibus, Eleemoſynarium ſuum totius ditionis San-Gallenſis pagos & vicos obire, inopum, ægrotum, ſenum ac infantum numerum inire, atque in ſingula capita quâvis ſeptimanâ certam panis ac farinæ menſuram decernere juſſit; quin ingraveſcente

ejus in ægros & inopes munificentia,

cente hyeme veſtitu lignîſque eisdem ſubvenit, ne frigore perirent. Quantam pecuniæ vim effuſa iſthæc charitas, quæ integro triennio *Sfondratum* occupatum habuit, conſumpſerit, quivis æquus rerum æſtimator facilè dijudicabit. Soli *Cœleſtino* noſtro minora hæc videbantur, ni ipſe ex eo tempore, quo fames graſſabatur, altero panis fruſto in menſa ſibi offerri ſolito deinceps abſtinuiſſet; indecorum nimirum ratus, ſi binis fruſtis frueretur, dum Chriſti pauperes vel uno ſubinde carerent. Nec id miramur, ſi frugalem Principis menſam in mentem revocemus. Vinum aquâ ſemper diluit, illúdque tam modicè ſumpſit, ut plus guſtare quàm bibere crederetur. Cibos etiam, quibus ſe affici ſentiebat, quandoque parari juſſit, at menſæ illatis planè abſtinuit, neque unquam frugum primitias guſtare voluit, ſed Deo per abſtinentiam obtulit. Menſam porrò abbatialem ſic ſacra lectione ac ſenſatis colloquiis condire noverat, ut illuc tum Regulares tum Seculares plus ad animi quàm corporis refectionem accedere ambirent. A prandio horam recreationi dabat, eáque compleraa, totum reliquum tempus publicis monaſterii negotiis, lectioni, aut ſcriptioni impendit tam avarus temporis uſurarius, ut omnia horarum momenta, ceu pretioſiſſimos uniones collegerit.

Menſæ frugalitas,

Ut autem parvam à tumultu ſeculari quietem capere poſſet, noctu in privata Monaſterii cellula dormiebat, ubi aliorum more ad matutinas laudes excitatus pſallentium choro intererat, nec rarò finitis Matutinis, cùm cæteri cubitum ſeſe recepiſſent, iteratò in eccleſiam deſcendit, orationémque coram venerabili Euchariſtiæ Sacramento ad lucis exortum usque produxit. Hæc publica erant, interna novit Deus, qui ſolus ſcrutator eſt cordium. Zelum ſanè pro Fide Catholica libri contra Heideggerum & alios editi; Cultum immaculatæ Virginis *Innocentia Vindicata*; Miſericordiam in pauperes largæ eleemoſynæ; Humilitatem & in reprehendendo ſuavitatem, quotquot ejus imperio ſuberant; corporis denique, quod ſedulò in ſervitutem redigere ſatagebat, occultas caſtigationes poſt obitum inventa flagra, & cilicia abunde teſtantur.

Chori frequentatio,

Zelus pro avitâ religione.

Tot tantîſque *Cœleſtini* dotibus illectus ſummus Pontifex *Innocentius* *XI.* eum digniſſimum cenſuit, quem anno MDCXCV. ſacra Purpura exornatum pro communi Eccleſiæ utilitate Romam avocaret. Coactis proin Helvetiæ Abbatibus, ut Benedictinæ Congregationis neceſſitatibus conſuleret, proprióque Abbate San-Gallenſibus dato, anno MDCXCVI. Romanum iter aggreſſus eſt. Incredibile, quantus dolor in optimi Patris diſceſſu omnium corda occupârit, cùm ipſe populus acatholicus Civitatem S. Galli pertranſeunti non ſolùm inter lacrymas ſupremum vale dixerit, verùm etiam Primores urbis *Roſachium* usque comitati ſint. Haud abſimilis per Rhœtiam & Italiam notabatur populorum accurſus, eædémque erant Abbatum, Principum, Epiſcoporum ſalutationes, quas nihilominus arreptis itinerum ambagibus paſſim evitare conatus eſt. Egit id quoque Romæ, alia ipſo via, alia ejus comitatu ingreſſis.

Sacra purpurâ exornatur.

Verùm quàm brevis hæc gloria fuit. Vix ſex menſes Romæ peregerat, & jam, quem plurimi Apoſtolicæ Sedi imponendum ſperaverant, inſcrutabilia Dei judicia ad tumbam vocabant. Quamprimùm ergo mortem vicinam agnovit, ſacroſanctis Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis agonem muniit. Exin antiquorum Patrum exemplo Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Nicænum tractim ac moroſè ſibi prælegi juſſit, ſæpiúsque Angelico Epulo refectus lætam operiebatur mortem: *Duæ enim ſunt cauſæ*, inquiebat, *quare mors mihi grata accidat; prima eſt, quòd iſta mors eum in ſtatum me ponat, in quo Deum ampliùs offendere non poſſim: & hanc gratiam, Deum ampliùs non offendendi, pluris æſtimo, quàm omnia bona ſpiritualia & temporalia, quæ per omnem vitam facere potuiſſem. Altera eſt: quòd, cùm Deo infinitis titulis obſtrictus ſim, nihilque habeam, quo meam erga Deum gratitudinem profitear, hanc ipſam mortem eidem in ſignum ſupremi in me dominii offerre poſſim.* Tandem pridie Nonas Septembris, poſtquam deficiente propemodum lingua ter Sanctiſſima *Jeſus & Mariæ* Nomina invocâſſet, defixis in Crucifixi imaginem oculis ſubridenti ſimilis animam efflavit an. MDCXCVI. ætatis quinquageſimo ſecundo. Vulgatam jam antea in populo famam, *Cœleſtinum* noſtrum inculpatam egiſſe vitam, auxerunt reperta poſt mortem gemina cilicia

Sed eâ paulò pòſt, cum vitâ exutus eſt,

Vivis ereptus 4. Sept. A. 1696.

Reperta in eo mortificationis ſigna.

cilicia totidémque flagella, intextis argenteis ſtellulis aſpera ac multo cruore tincta. Ex ciliciis alterum equino crine hiſpidum in modum ſcapnlaris, quo Monachi Benedictini nocturno tempore utuntur, contextum pectus dorſúmque infeſtabat: alterum è filo ferreo auctis cuſpidibus horrebat. Flagellorum unum Monialibus S. Cæciliæ, alterum ſacratis Benedictinæ Familiæ Virginibus in Campo Martio ceſſit. Cilicium ferreum eburneæ pixidi incluſum vendicavit ſibi Orator Cæſareus *D. Comes Martinizius*, qui vivente adhuc *Cæleſtino*, ſed conclamata jam valetudine, ejus ſibi copiam fieri frequenter expetierat. Cilicium denique ſetoſum in plurimas partes diſtractum, multorum devotioni ſatisfecit.

Corpus Romæ,

Corpus exanime ære & luctu publico elatum in eccleſia S. Cæciliæ tumul m habet hac ſepulchrali Inſcriptione inſignitum.

CÆLESTINUS *Tit.* S. *Cæciliæ* S. R. E PRESBYTER
Cardinalis SFONDRATUS; *miſerrimus peccator,*
Atque ejusdem Virginis humilis ſervus,
Ad cujus pedes hic humiliter requieſcit.
Vixit Annis LII. Obiit pridie Nonas Septembris
Anno MDCXCVI.
Orate Deum pro Eo.

Cor in San-Gallenſi Baſilica ſepelitur,

Communis eſt hæc inſcriptio cum illa, quam in eadem eccleſia poſuerunt *Paulo Æmilio Sfondrato S. R. E. Cardinali* ibidem ſepulto. Ut autem & Monaſterio S. Galli perpetua eſſet *Cæleſtini* noſtri memoria, cor ejus ad S. Gallum translatum, atque in ingreſſu chori ad latus dexterum collocatum eſt, ubi ſequens monumentum eidem erexit Succeſſor *Leodegarius* Abbas;

additâ hâc epigraphe.

Hic requieſcit
COR
Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis, quondam Illuſtriſſimi
S. R. I. PRINCIPIS, S. GALLI ABBATIS,
COELESTINI SFONDRATI.
Cui pro Deo, Eccleſia, Patria, maximis curis, laboribus, meritis defuncto, æterna apud Poſteros memoria, virtute, & gloria victuro, Anno MDCXCVII. hoc gratitudinis monumentum ſibi, mœſtiſque Filiis in ſolatium Succeſſor erexit.

Bene ſperate
EGO dormio, ſed COR meum vigilat.
VIGILATE.

Ejus Opera.

Multa cedro digna lucubravit Sfondratus, non omnibus tamen, vel negotiis præpeditus, vel morte præventus, ſupremam impoſuit manum. Sunt verò

1.) *Diſputatio de Lege in præſumptione fundata.* Salisburgi. fol. an. 1681. Hanc diſpntationem in 8. recuſam vidi, legi multis ante annis, ſed ad typos, locúmque editionis non attendi.

2.) *Curſus Philoſophicus San-Gallenſis.* Tom. III. in 4. typis Monaſterii S. Galli anno 1695.

3.) *Nodus Prædeſtinationis ex ſacris Literis, doctrináque SS. Auguſtini & Thomæ, quantùm homini licet, diſſolutus.* Romæ typis Jo. Jacobi Komareck Boëmi prope SS. Vincentium & Anaſtaſinm in Trivio, an. 1697. Opus poſthumum.

4.) *Regale Sacerdotium Romano Pontifici aſſertum, & quatuor propoſitionibus explicatum.* 4. an. 1684.

5.) *Gallia Vindicata*, in quâ teſtimoniis exemplíſque Gallicanæ præſertim Eccleſiæ, quæ pro Regalia & quatuor propoſitionibus à Ludovico Maimburgo, aliíſque producta ſunt, refutantur. Anno 1688. in 4.

6.) *Legatio Marchionis Lavardini Romam, ejúſque cum Romano Pontifice Innocentio XI. diſſidium; ubi agitur de jure, origine, progreſſû & abuſu Quarterium Franchitiarum, ſeu Aſyli &c. & refutantur rationes à Lavardini Advocato productæ in Libello, cui initium Si l' Auteur.* Anno 1688. in 12.

7.) *Nepotiſmus Theologicè expenſus.* in 12. an. 1692. Cui ſi bene recordor, his verbis coronidem imponit: *Si Roma non eſſet, jam dudum totus orbis catbolicus foret.*

8.) *De Baptiſmo infantium.* in 4.

9.) *Innocentia Vindicata*, in qua graviſſimis argumentis è S. Thoma petitis oſtenditur, Angelicum Doctorem pro immaculato Conceptu Deiparæ ſenſiſſe & ſcripſiſſe; typis monaſterii S. Galli, an. 1695. in fol.

10.) *Tractatus de Probabilitate contra morum corruptelas & nimiam ſententiarum laxitatem.* Opus nondum publicâ luce, quod ſciam, donatum.

11.) *Hiſtoria Atheiſmi.* Opus, cui ſuprema deeſt manus.

12.) *Diſſertationes contra peſtilentem librum Heideggeri Tigurini.* MS.

13.) *Conſtitutiones pro Clero San-Gallenſi*, quas ſcripſit, cùm eſſet Principis & Abbatis ſui Vicarius in Spiritualibus Generalis.

14.) *Commentaria in Jus Canonicum* MS. Tom. III. quæ Clemens XI. Pont. Max. è Bibliotheca Vaticana cum mo-

naſterio S. Galli anno 1720. communicata eſſe voluit.

Auctores qui de eo ſcripſerunt.

Quam Sfondrati vitam hîc dedimus, conſcripta fuit à *P. Deicola à Ligriz*, Cœnobita San - Gallenſi. Eam etiam leges in Hiſtoria Univerſitatis Salisburgenſis Lib. 2. cap. 7. pag. 323. Videri de eo etiam poſſunt *Joſephus Eggſius* in Purpura Docta, *Petrus Bælius* in Dictionario, aliíque. Nos pro coronide verba Cardinalis *de Aguirre* ex literis ad D. *Jo. Mabillonium* an. 1696. die 25. Sept. Româ ſcriptis, appendemus. „ Doleo de„ fectum temporis, ut ſcriberem, poſt„ quàm piiſſimus Cardinalis *Sfondra„ tus* diem objit, communi deſiderio „ ſui relicto, imò & invidiâ tam feli„ cis obitûs, tota urbe deplorante, & „ dolente gemmam abſciſſam, & lu„ minare magnum ſacri Collegii ex„ ſtinctum nobis, licèt translatum in „ cœlum. Credo Stephanotium no„ ſtrum hac de re antea & poſtea ſa„ tis ſcripſiſſe, nec vacat mihi plura „ dicere è multis, quæ occurrebant, „ & vix ſine lacrymis inculcari poſ„ ſunt. Defecit corona Ordinis no„ ſtri, quam non ſatis merebamur, & „ quâ (auſim dicere) dignus non „ erat mundus &c. *Vid. Mabillonii* „ *Opp. poſth. Tom. I. lib. 5. pag.* 430.

XX.

† 1699. 19. Aug.

JOSEPHUS SAENZ DE AGUIRRE S.R.E. Cardinalis.

Ejus natales, educatio, profeſſio, & munia.

NAtione Hiſpanus, patriâ Lucronenſis, Philoſophus, Juriſta, ac Theologus magni nominis, natus proditur anno ſalutis 1630. die 24. Martii. Honeſtè educatus nomen dedit Monachis S. Benedicti, inter quos gradu virtutis munera attigit, quæ præmium eſſe ſolent Religionis, Obſervantiæ, Modeſtiæ, & Scientiæ non inflatæ. Abbas aſſumptus S. Vincentii, in civitate Salamancæ, bis præfuit ea lege, *ut imperium exordiretur primo contra ſe ipſum.*

Studiis præficitu, & docet Salmanticæ.

Annos quindecim ſtudiorum Præfectus in Collegio dicti monaſterii, in literarum fruge juventutem ita habuit obſequentem, atque plaudentem, ut inde ad Salmanticenſem cathedram evocatus, Theologiam primò ſpeculativam, tum ſacram Scripturam incredibili plauſu atque auditorum frequentia explanaret: magni ac eruditi famam Theologi ex eo nomine aſſecutus.

fit Præſidens ſuæ Congreg.

Exactis hoc modo pluribus annis diffuſâque quaquaverſùm virtutis ejus ac doctrinæ fama, Præſidens Generalis Hiſpanæ Congregationis S. Benedicti creatus eſt: Qua occaſione nihil omiſit, quod ad promovendam vitam monaſticam, privilegia Ordinis vindicanda, ac manutenenda, latifundia redimenda, cultúmque divinum provehendum ſpectare videbatur. Tantis implicitus negotiis eruditum ſuum calamum non modò non abjecit, quin potiùs perpolivit, exeruítque, exaratis quinque præclari argumenti voluminibus, aliíſque ingenii monumentis, ut mox ſignanter viſuri ſumus, ubi, quæ ad vitæ ejus ſeriem pertinent, enarraverimus.

Cathedram Petri defendit, & purpurâ donatur.

Inter memorandas ejus Elucubrationes extat Opus ſingulare, cui titulum *De Cathedra Petri* præfixit: quo uno favorem ac gratiam *Innocentii XI.* Pontificis Max. adeò ſibi conciliavit, ut die 2. Septembris anni 1686. inter Presbyteros Cardinales adlegi, Titulúmque S. Mariæ ſuper Minervam (non improbante ſacro Senatu) obtinere meruerit. Exinde variis Patrum cœtibus, Concilii nimirum Tridentini, Indicis librorum prohibitorum, ſancti Officii, adſcriptus, eruditione, juſtitia, ac dicendi libertate refulſit. Cùm enim ab *Alexandro VIII.* ſub annum 1689. propoſita eſſet in Conſiſtorio promotio Tuſſiani Fourbini, hominis Galli, eáque certis de cauſis, conſcientiam, ut videbatur, onerantibus, impugnaretur à Leandro Cardinale Colloredo, cæteris obmuteſcentibus, ſolus de Aguirre conſurgens, Colloredum ſuffulſit objicientem.

Quietiſtarum coryphæum proterit.

Quin & hoc ſpectat ad glorioſam Cardinalis noſtri memoriam; quòd is gliſcente *Quietiſtarum* Romæ hæreſi, Innocentio XI. Pontifici Max. cum aliis quibusdam purpurâ & eruditione conſpicuis viris (incitante eos *Paulo Segneri* Soc. Jeſu clariſſimo ea ætate Theologo & Oratore) præcipuus Author fuerit inquirendi in fœdiſſimos *Michaëlis Ludovici Molinos* errores, eóſque cum hæreſiarcha ſuo damnandi.

mortem oppetit 19. Aug. 1699.

Denique legationibus, doctrina, ac pietate inſignis, quum annos tredecim magno Eccleſiæ emolumento exegiſſet in purpura, lethali tactus apoplexia mortem oppetiit Romæ die 19. Auguſti anno ſeculi decimi ſeptimi poſtremo, ſepultus ibidem in eccleſia S. Jacobi nationis Hiſpanicæ,

Qualis

Qualis autem videri voluerit vir humilis & religioſus, ex Epitaphio, quod ſibi vivens præſcripſerat, diſces. Eſt autem hujus tenoris:

Modeſta ſepulchralis inſcriptio.

JOSEPH SAENZ DE AGVIRRE, *Natione Hiſpanus, Patria Lucronenſis, Vita Peccator, Appellatione Monachus S.Benedicti, Studio Theologus, Miſeratione Divina*
S. R. E. Cardinalis Tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Protector Regni Siciliæ.
Orate Deum pro Eo.
Obiit die XIX. *Auguſti Anno Domini MDCXCIX.*
Miſerere Mei Domine, Quia Peccavi Super Numerum Arenæ Maris.

Huic Epitaphio ab aliis ſuperadditum, quod ſequitur:

Mirare, qui legis, eruditiſſimi Viri pietatem, & virtutem, diſcéque de te humiliter ſentire.
Tranſcribendus cælo, inſcribi terram ſic vivens voluit, & tumulari.
Imitare modeſtiam, ſequere vitam, ut parem cum eo conſequare
CORONAM.

Ejus ex Brietio elogium.

De eo *Brietius* in Annalibus brevi ſed nervoſo Elogio hæc ſubjungit: *Tantam victoriam expugnatæ Budæ* INNOCENTIUS XI. *quaſi divina inſpiratione edoctus, Chriſtiani Orbis lætitiam XXVII. Purpuratorum creatione cumulavit: inter quos vario meritorum genere inſignes pietatis æquè ac doctrinæ fama commendavit Stephanum Camuſium Gratianopolitanum Epiſcopum, & Joſephum de Agvirre in Salmanticenſi Collegio jam ab annis ampliùs viginti ſacræ Theologiæ Lectorem, & variorum, ſacra eruditione refertorum librorum editorem.*

SCRIPTA.

Horum Syllabum ipſe Eminentiſſimus Auctor hiſce verbis texit.

Opera in Folio edita Salmanticæ.

Ludi Salmanticenſes;

Ludi Salmanticenſes, ſive *Theologia Florulenta.* Tomus I. editus an. 1668. Conſtat Diſſertationibus iis, quas præmiſi anno 1666. juxtà morem celeberrimæ Academiæ Salmanticenſis, antequam acciperem eo anno Lauream Doctoris in ſacra Theologia. Porrò in eo libro nihil invenies eorum, quæ ad ſubtilitatem ſcholaſticam ſpectant. Deprehendes ſolùm amœnas & floridas Diſſertationes, ſacra & profana eruditione refertas, circa SS. Angelos, præſertim Tutelares & Genios, ſive dœmones ipſorum antiſtrophos.

Quamvis verò is liber ſingulari honore ubique receptus fuerit, propter multiplicem & amœnam rerum varietatem, quam continet, ideóque brevi temporis ſpatio exemplaria omnia diſtracta fuerint, adhuc nonnulla in eo habentur, quæ nullatenus probare auſim. Imprimis quosdam tunc viventes plus juſto laudavi. Præterea quamvis ibidem *Ludo V.* obiter reprehenderim laxitatem opinandi in rebus morum; adhuc fortaſſe opinioni privatæ alicujus valde docti, & pii Scriptoris, plus conceſſi auctoritatis, quàm deberem. Deinde nonnulla minùs graviter, quàm oporteret, ſcripſi. Inſuper more aliorum, ſæpe fidem detuli pſeudo- hiſtoricis illis in Hiſpania primùm evulgatis circa finem ſeculi præcedentis, & planè confictis nomine *Dextri, Maximi, Luitprandi, Juliani Perez* &c. Nihil enim aliud continent quàm *Folia Fitus*, ut parcam nomini, atque inſtituto Auctoris illorum, apud eos, qui neſciunt. Nam aliis, præſertim doctis & eruditis, notus ſatis eſt, & multipliciter ab iis reprehenſus. Ac meritò quidem vapulat, & tam male audit apud omnes viros præſtantis doctrinæ, quòd fictionibus ſuis majorem plagam intulerit hiſtoriæ Hiſpaniarum, quàm eæ olim à Sarracenis paſſæ fuerint. Denique in Græcis auctoritatibus, quæ ibidem paſſim allegantur, plurima menda ſunt ex incuria correctoris, quo tunc utebar, & typographi parùm aut nihil eatenus in iis characteribus, ſeu typis verſati.

quos ipſe vilipendit.

Philoſophia Nov-Antiqua, Rationalis, Phyſica, & Metaphyſica, quæcunque in ſcholis tractari ſolet, tribus tomis in folio comprehenſa, ad mentem Ariſtotelis, & Divi Thomæ, adversùs recentes utriusque impugnatores. Salmanticæ annis 1671. 1672. & 1675. Philoſophia,

Philoſophia Morum, ſive Libri decem Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum, Commentariis illuſtrati. Tomus unicus in folio. Salmanticæ anno 1675. Ethica,

In iis quatuor Tomis diſplicent mihi nonnullæ aliquorum laudes juſto majores, & quarum aliquæ fortaſſis jure notari poſſint, veluti adulatoriæ.

De

Defenſio cathedræ Petri,

Defenſio Cathedræ S. Petri, adverſùs Declarationem Illuſtriſſimi Cleri Gallicani editam anna MDCLXXII. Die XIX. Martii. Tomus unicus in folio. Salmanticæ 1683.

Nullum hactenus Volumen ita feſtinanter à me ſcriptum, & prælo datum fuit, ac prædictum; neque ratione adeò urgenti ad deproperandam editionem: ut proinde ſiqua in eo peccavi, mihi faciliùs condonentur.

Cùm enim Declaratio illa prodiiſſet inclinante Martio, & quoddam illius exemplar caſu Salmanticam perveniſſet menſe Julii, aut circiter, vix legi illam, cùm viſa mihi fuit alieniſſima à ſenſu Antiquitatis Chriſtianæ, & nominatim Venerabilis Eccleſiæ Gallicanæ, cujus nomine illa proferebatur. Cœpi itaque ſtatim evolvere ſacra monumenta Pontificum, Conciliorum, Patrum & Hiſtoricorum, præſertim Galliæ ipſius, per ſingula ſæcula, nulli parcens labori (*præter illum, quem ab adoleſcentia in eo ſtudii genere adhibueram*) ac ſex ferè menſium ſpatio librum illum ſcripſi, & totidem aliis Salmanticæ palam edidi apud Typographum Univerſitatis. Conſtat id ex approbationibus Cenſorum, & facultatibus, tum Ordinarii, tum Religionis meæ, quæ initio ejus voluminis habentur datæ menſe Decembri ejusdem anni milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi ſecundi, quo Declaratio illa Lutetiæ prodierat,

Qua occaſione editus iſte libellus.

Itaque nullus liber à me adeò feſtinanter editus fuit, nec urgentiori ex cauſa. Imminebat enim periculum, ne doctrina illa ubique locorum absque contradictione diffunderetur, præſertim cùm nemo tot doctorum hominum Salmanticæ in ſe reciperet illius impugnationem, immò & fortaſſe nec cogitaret de illa. Unde riſu aut contemptu, quàm refutatione, dignior eſt fabula, & calumnia quorundam. Cùm enim tranſactis quinque annis ab editione ejus libri, nuper Romæ ægrotarem penè usque ad mortem, cœperunt aliquot invidi (utì teſtati ſunt ſæpè mihi viri graves) diſſeminare in conventiculis, eo ipſo anno, quo prodiit Declaratio illa Gallicana, aut paulò pòſt, quendam alium Salmanticæ eam impugnâſſe, méque plurimùm ex illius ſcriptis profeciſſe. Riſi ad hæc audita; ridebit credo, & ipſe, cui is fœtus adoptatur (vir certè probitate & doctrina excellens) Nimirùm, ipſi, & toti Salmanticenſi Academiæ, ſtatim narratio iſthæc ſplendidiſſimum mendacium apparebit, quod rideant, aut contemnant.

Moneo autem inventores, ac propagatores ejus fabellæ, ut deſiſtant ab ea ulteriùs diſſeminanda, & revocent, quæ anteà ſparſerunt. Alioquì in nova ejusdem Operis editione detegam illos, & ſole meridiano clariùs oſtendam, tum veritatem facti, tum præterea putidum & illiberalem genium, ac finem, quo eam turpiſſimi plagii notam mihi inurere non eruberunt. Nec certè ego tanti lucubrationes illas habui, ut cogitarem à quopiam alio ſibi, vel alicui ſuorum adſcribendas. Porrò ſi contigerit novam editionem fieri, prodibit multis locis correcta, & plurimùm aucta, qualis jam apud me eſt. Quemadmodùm verò in priore illa nemo Illuſtriſſimorum Galliæ Præſulum, nemo eruditorum ejusdem florentiſſimæ Nationis, invenit aliquod inciviliter dictum, aut in quo modeſtia vel comitas deſideraretur; ita etiam ſpero eventurum, ſi Opus ipſum recudatur.

Authoris monitū.

Tomi in Folio nondum editi.

Opera poſthuma & inedita.

Theologiæ S. Anſelmi Tomus Quartus: in quo dabimus Commentarium Menologii à cap. 66. usque ad finem, & Diſputationes, tum Dogmaticas, tum Scholaſticas, eodem ſpectantes.

Concilia Hiſpaniæ, & plurima alia illius Monumenta ſacra, hactenus inedita cum Notis & Diſſertationibus ad Hiſtoriam, Chronologiam, & Diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus. Tomi V. in folio.

Hujus vaſti & laborioſiſſimi Operis Notitiam Compendiariam edidi Salmanticæ in octavo, ut ajunt, anno 1686. eo animo, ut viri eruditi, ad quorum manus perveniret, mitterent ad me quodlibet aliud monumentum ſacrum Hiſpaniæ hactenus ineditum, ſi fortè haberent, aut exquirere poſſent. Verùm vix illius exemplaria diſtracta fuerant, cùm menſe Septembri ejusdem anni, evectus ad ſacram Purpuram, & curarum molem, neceſſe habui intercipere Opus illud, multum otii requirens.

Præterea ex eo tempore plurima ſacra monumenta ad me miſſa ſunt, præſertim à Clariſſimis Viris & eruditiſſimis, D. Joſepho de Exea Deſcartin, Scholaſtico Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, ac Primario Canonum Profeſſore, *D. Joſepho de la Torre Orumbella*, Canoni-

co Eccleſiæ Metropolitanæ Valentinæ, & D. Joſepho Dormes Chronographo Regni Arragoniæ: quæ nequeunt ordine debito collocari, nec notis illuſtrari, niſi in receſſu & otio. Mitto alia ſpectantia ad eundem ſcopum, quæ adhuc affecta ſunt, quoniam iis extremam manum adhibere non potui. Studebo autem id facere ſucciſivis horis, quoties licuerit.

Ludi Salmanticenſes, ſive *Theologiæ Florulentæ* Tomus ſecundus in folio. Scriptum illum habeo à viginti ferè annis,& fortaſſe ſimul cum primo jam anteà edito, eóque valdè aucto & correcto, evulgabitur.

Epiſtolæ Miſcellaneæ ad diverſos Principes, & illuſtres aut eruditos Viros, Tomus unicns in folio.

Opuſcula varia Theologica, *Ethica*, *Aſcetica* &c. Tomi duo in folio.

Prælectiones extemporaneæ. Mitto prælectiones extemporaneas, unius diei ſpatio conceptas, & declamatas de more in Salmanticenſi Academia, ad Cathedras promerendas, quas obtinui à Regio Senatu, in florido illo Petitorum certamine. Statim enim ac declamatæ fuerant, illas publicæ luci committebam, quales prodierant ſorte præmiſſa. Mitto etiam quoſdam alios libros exiguos à me editos, quorum non auctor, ſed exſcriptor fui; veluti Meditationum ſelectarum S. Anſelmi, itémque Orationum ejuſdem cum quibuſdam obſervationibus meis; ac prætereà libros quatuor de Imitatione Chriſti, ſivè de Contemptu Mundi; quibus præmiſi Apologiam pro Joanne Gerſen Abbate, veluti germano illorum auctore, contra Recentiores quoſdam.

Hactenùs de lucubrationibus noſtris tam editis, quàm edendis ... : ut prætereamus alias in reliqua *Opuſcula Didactica S. Anſelmi*, olim promiſſas, & jam diu inchoatas; quarum proſecutionem, & perfectionem, præſertim devexâ, & multis ægritudinibus vexata ætate, potiùs nobis optare, quàm ſperare licet.

Hæc ſunt Chriſtiane Lector, de quibus te monere viſum. Rogo autem, ut lapſus & errata, quæ inveneris, benignè corrigas, aut patienter feras; & hanc vigiliarum mercedem reddas, tum ſuperſtiti, tum vita functo, ut me nimis peccatorem orationibus tuis Deo commendes. Ita Eminentiſſimus ille S. R. E. Card.

XXI.
CLAUDIUS STEPHANOTIUS

†1699. 20. Junii.

VUlgò *Etiennot de la Serre*, Congregationis S. Mauri, & univerſi propè Ordinis Benedictini decus ſingulare, natus Varennis, urbeculâ Galliæ in agro Borbonienſi & diœceſi Auguſtodunenſi ad Elavorem Alverniæ inferioris fluvium ſitâ, ætatis ſuæ anno XIX, Chriſti 1658. die XIII. Maji ſolemnibus ſeſe votis Deo dicavit, in inclyto Ss. Trinitatis apud Vindocinenſes O.S.B. Monaſterio. Poſt abſoluta ibidem Theologiæ ſtudia, ſeminario Pontiloniaco *Rectoris* munere addictus fuit; aſt diu ſparta hæc ſolidius quid reſpiranti non placuit. Bonâ igitur ſuorum Superiorum veniâ, ac potiſſimùm præſtantiſſimi viri *Lucæ Acherii* auſpiciis in S. Martini Pontiſaræ (y) ad Oëſiam cœnobium anno 1670. tranſlatus fuit, ubi primùm ſuarum virium in condenda hujuſce obſcuri aliàs nominis Abbatiæ hiſtoriâ, periculum fecit. Quam in rem tantam monumentorum veterum congeriem comportavit, ut ejus collectio univerſi potiùs Galliæ Regni, quàm S. Martini Abbatiæ hiſtoriam referat. Opus iſtud tribus juſtæ molis voluminibus conſtans, adſervatur MS. non in S. Germani, quemadmodùm *le Long* erroneè inſinuat, ſed *Pontiſaræ* in S. Martini chartophylacio. Primum hoc tentamen ſummoperè Superioribus probatum fuit. Egregia illa animi proclivitas, quam ejus auctor in eruderandas veterum mamorias oſtentabat; talentum in deſcribendis difficilioribus ſcripturis haud trivium; prudens fragmentorum ſelectus, acre de iis judicium, materiarum appoſita digeſtio, facilis & nativa ſcribendi methodus, diſſerendi ratio didactica, utì & inuſitata, ac penè infatigabilis in labore conſtantia, aliæque præſtantes ingenii dotes effecêre, ut tanquam ſubjectum maximè neceſſarium reſpiceretur, eo præſertim tempore, quô San-Mauriana Congregatio ſuos filios in concinnandis Ordinis D. Benedicti Annalibus occupare intendens, nil magis in vôtis habebat, quàm ut viros comportandis ad tanti moliminis & ponderis opus monumentis idoneos nanciſceretur.

Varennis natus, A. 1639.

Monaſticen profitetur A. 1658.

condit Hiſtoriã S. Martini Pontiſaræ.

Ejus adſcribendũ promptitudo, & animi dotes.

Perpauca iis diebus Monaſteriorum in meridionali parte regni ſitorum documen-

(y) Vernaculè *Saint Martin-de-Pontoiſe*.

vetera colligit monumenta,

cumenta lucem viderant; illuc proinde in ſegetem miſſus *Stephanotius*; qui meſſem conflavit planè prodigioſam, non ingenti modò collectaneorum copiâ, ſed magis brevitate temporis, quod in iis exſcribendis, & in uſum digerendis inſumpſit. Quippe à Biturigibus facto initio, biennii ſpatio, anno videlicet 1673. & 74. omnes, quotquot reperiri potuêre, antiquitates, (z) ad res Benedictinas facientes, in unum contulit. Farrago hæc tribus conſtat voluminibus in folio; quorum priora duo inſcripta ſunt *Domno Vincentio Marſollio*, uni ſanè ex ſanctioribus, & ad regimen aptioribus, atque in bonas literas propenſioribus, quos Mauriana aluerit Congregatio. Indicat in ſua dedicatoria *Stephanotius*, ſe cumprimis Majorum exemplis ad ſectanda Hiſtoriæ ſtudia concitatum; quod ſi ſuperioribus id probatum foret, velle ſe excutiendis archivis, indéque eruendis monumentis, quæ ſibi poſteríſque utilia viſa fuerint, immorando immori. Suum verò, quô flagrabat in ſtudia ſtudium hoc nonnihil immutato Horatii verſu inſinuat:

In Bituricenſi diœceſi, & archiſterio Cazalenſi,

Immorior ſtudiis, & amore ſeneſco ſciendi.

aliiſque provinciis

Alius ex ſtudioſæ hujus cupidinis æſtu eodem tempore ſubnatus eſt fructus, ampla nempe in Pictonum tractu Benedictinarum antiquitatum collectio quatuor voluminibus conſtans: Secuto inde anno prodiêre alia duo, quæ Inculismenſium & Sanctorum monumenta exhibent. Sex itidem volumina in folio A. 1676. ex Lemovicum, Anicienſium, Petrocoriorum, Sarlatenſium, & Claromontenſium diœceſibus conflavit. Poſtero anno tria ex Floriopolenſi, Lugdunenſi, & Bellicenſi in Baugeſia congeſſit. Año 1679. & 1680. alia quinque ex Occitania, Vaſconia, & Condomo comportavit. Ultimum ex Aurelianenſi agro nobis anno 1682. protulit, quæ omnia ad XXIX. volumina in folio ſeſe exporrigunt.

Aquitaniæ documenta hiſtorica congerit.

Etſi verò haud aliud quidpiam præter hæc literis conſignâſſet, ejus ſanè labor nobis meritò im̃anis quantus videretur; aſt quod propè viribus humanis majus apparet, congeſſit prætereà totius Aquitaniæ fragmenta hiſtorica, quæ in prioribus locum habere non potuerant. Quæ quidem collectio anno 1684. completa, ſexdecim implet volumina in folio. Adeò ut undecim annorum intercapedine quadraginta quinque volumina conſcripſerit, omnia ferè manu propriâ, ſi pauca excipias, in quibus ipſi ſuppetias tulit Domnus *Renatus du Cher* ejusdem Sodalitii monachus. Tantæ molis opus, prodigioſum iis præſertim videbitur, qui probè nôrunt, quid ſint archiva, quid veteres chartæ: At enim incredibili ad ejusmodi ſtudium talento præditus erat *Stephanotius*. Ut paucis nunc ediſſeram, in quo conſiſtat operoſa hæc compilatio; hîc nempe comperias fundationum titulos; chronica monaſteriorum integra, aut in compendium redacta; elogia item virorum illuſtrium, variáque opuſcula, vel operum ineditorum fragmenta; Bullas quoque & Reſcripta Pontificum, acta Conciliorum, Regum diplomata, præſtarias, veteréſque notitias, librorum indices, Genealogias, privatáſque hiſtorias, ac quicquid demùm alicujus conſiderationis, vel momenti circa regnum in genere, aut circa illuſtres familias, vel monaſteria, obviàm fuit.

quæ omnia 45. volumina complét.

argumenta iis contenta.

Neque verò hîc nuda comperias apographa, ſæpiùs offendas etiam notas, ſed notas cumprimis judicioſas, quæ certè ſupponunt guſtum exquiſitum, magnam ingenii concinnitatem, eruditionem conſummatam, aliáſque haud triviales polyhiſtoris dotes. Adeò, ut ſi Annales Benedictini unquam prodeant completi, domnus *Etiennot* unus ſit ex omnibus, cui quantum ad Galliæ regnum orbis eruditus maximè erit obnoxius. Tanto autem cum fervore incubabat operi, ut ſui ipſius ſubinde oblivisceretur, quò ſe magis utilem redderet. Prodit ipſe, ſibi crebriùs ſuis in itineribus accidiſſe, ut non ante ſeram epulum ſumeret, quò reliquas diei horas labori continuo impendere poſſet.

Notæ ejus haud triviæ.

His omnibus viri literati ornamentis eas quoque junxerat qualitates, quæ cum illis penè videntur incompatibiles. Mirâ enim in rebus gerendis dexteritate pollebat; audax erat cum prudentia, in arcanis religioſus ſine affectatione; callidus abſque oſtentatione, firmus & acer abſque pertinacia. Vix ulla emergebant rerum conjuncturæ, quantumvis implicitæ, è quibus ſeſe cum decore non extricaret. Idipſum in cauſa fuit, cur anno 1684. Generalis ſuæ Congregationis negotiorum in Curia Romana Procurator deligeretur. Illuc eodem anno profectus eſt, ſed ita ut in itinere vir literatus comitaretur ubique virum negotiorum

ſumma ejus in rebus gerendis dexteritas,

Congregationis ſuæ Procurator conſtitutus,

(z) vide *Le Cerf* Bibl. Hiſt. Crit. pag. 99.

tiorum. Romam vix appulerat, cùm illicò Adverſaria, quæ ſuo in itinere congeſſerat, domno *Mabillonio* ſubmiſit, Actis Sanctorum, aut Annalibus Benedictinis inſerenda.

Romæ ſubſtitit 15. annis.

Quindecim annorum intervallo, quo Romæ ſubſtitit, nunquam ab officiis, in ſuos Abbatiæ S. Germani concellitas in re literariâ diſtentos, effundendis deſtitit. Eruditiſſimus *Mabillonius* pro ſua parte innumera propè ſubſidia tam quoad res Romanas, quàm quoad reliquas Italiæ Abbatias ab eo recepit.

Omnes ferè Bibliothecas excuſſit.

Omnes Bibliothecæ patebant perviæ huic literarum negotiorúmque Statori. Adeò compertam habebat artem vincendi ipſam Italis innatam diffidentiam, ut cordatus quiſque ſibi merito ac gloriæ duceret, ſi ſuis monumentis ipſi inſervire, ac publicum uſum hoc modo promovere poſſet.

Quia hîc agitur duntaxat de vitâ literaria domni *Stephanotii*, ad ea ſigillatim enarranda, quæ Romæ quà Procurator geſſit, utut præclara ſanè omnia, digredi nolim; iſtud inſinuâſſe ſufficiat, quòd hac in urbe cultus, utì erat, non potuerit non feliciter, quidquid moliebatur, perficere.

Summâ in dignatione habetur.

Summa in dignatione fuit, ſub tribus illis Pontificibus, quorum diebus Romæ ſubſtitit. Nullus erat Cardinalium, qui non ejus familiaribus colloquiis oblectaretur. Plerumque in eos accerſebatur congreſſus, in quibus de Regularium rebus agebatur. Eminentiſſ. Cardinalis *ab Eſtrées* & R.mus *Tellier* Pariſienſis Archiepiſcopus eum ſuis commiſſionibus perſæpe dignabantur.

Frequens illi cum Prælatis literarum commercium.

Frequens illi cum ſummis hiſce Prælatis literarum commercium interceſſerat. Tantæ auctoritatis & exiſtimationis, quâ in hac orbis metropoli valebat, æmuli quidam ut ipſi ignominiam conflarent, ejus hoſpitium eſſe Janſeniſtarum receptaculum blaterare cœperunt; verùm brevì retecta eſt calumnia. Cardinalis *Sluſius* Secretarius Brevium Papalium tantam in eo poſuerat fiduciam, ut illum ſibi à ſecretis in rebus Gallicis ſtatueret. *Alexander VIII.* Pontifex Max. eo ipſum afficiebat honore, ut ad ſuam eum audientiam ſecretiori aditu non raro acciret, familiaréſque cum eo miſceret ſermones *de ſtudiis & laboribus Patrum Congregationis ſancti Mauri*, quam ipſe, ut loqui amabat, velut Academiam pietatis & doctrinæ *come una Academia di pietà e doctrina* reſpectabat.

Alexandri VIII. P. M. de Congr. S. Mauri pronuntiatum.

Elogium profectò haud vulgare; quod hîc eo fine repeto, ut dilectiſſimos Confratres meos excitem, ad nunquam ab his geminis diſcedendum articulis, qui reipſa ſoli ſunt, quibus ſolitarii ſeſe coram Deo & hominibus commendabiles reddere poſſunt.

Congregationi ſuper diſciplinâ regularium admotus

INNOCENTIUS quoque XII. gratum ſui animi erga *Stephanotium* affectum teſtari dignatus eſt, dum ipſum Congregationi *ſuper diſciplinâ Regularium* admovit. *Honor*, inquit noſter, *quem nec merueram, nec exſpectabam....* En ejus verba: *Honneur que je ne meritois pas & que je n' attendois pas, ſi cela eu dû avoir des envieux & des ennemis. Cor comme je ſuis un de ceux, qui tiennent le plus ferme ſur la neceſſité du retabliſſement de la communauté, les intereſſez m'en voudront du mol. Mais il faut faire ce qu'on doit, quand on eſt dans l'occoſion & dans l' obligation de le faire.* Quibus ſanè verbis ultrò ipſe prodit, ſe non minùs ſtudioſum fuiſſe regularum ac ſtatûs ſui obſervantiarum, quàm literarum & negotiorum ſtatorem. Apoplexiâ tactus extremis admotus eſt die xx. Junii anno 1699. Sepulturæ traditus in eccleſiâ Minimorum SS. Trinitatis de Monte, ingenti apud omnes ſui deſiderio relicto.

vivere deſiit 1699. 20. Junii.

Eminentiſſimus Cardinalis *d'Agvirre* acerbo caſu adeò percitus fuit; ut vix non præ mœrore pari facto ſuccubuerit. Dum Benedictini eum inviſebant, illicò lugubris de domno *Eſtiennot* ſermo irrepebat. Sed nullus magis, majoríque de causâ conſternatus extitit, quàm D. *Mabillonius*, qui jam ab annis pluribus *Stephanotio* tenerrimis ac ſinceriſſimis amicitiæ vinculis jungebatur, eíque infinitam propè præſtantiſſimorum monnmentorum, è quibus præcipuum ſuis Annalibus, & Diplomaticæ decus adſperſit, multitudinem referre debebat in acceptis; quémque ſub Latino *Stephanotii* nomine ſæpiùs cum honore laudat. Quo quidem ritû cum aliquando noſter ſuum nomen Romæ expreſſiſſet, delatus fuit ab æmulis ad ſummum Pontificem, quaſi nomen ſuum ad impoſturam mutâſſet; aſt ineptias facilè diluit *Stephanotius*, dicens, hoc ſibi à Mabillonio nomen impoſitum.

Ejus circa publicandas lucubrationes modeſtia.

Etſi porrò vir tantus in Republicâ literaria hactenus parùm cognitus fuerit, paucos tamen reperias, qui magis meruerint celebrari. Fatemur equidem ipſum nunquam operis ullius ſeparatim editi auctorem fuiſſe, ſed ut eſſet, nemo unquam dignior fuit. Et

certè

certè vehementem dolendi cauſam haberemus, ipſum adeò fuiſſe modeſtum, ut nihil in publicum derivârit, niſi alii ejus memoriæ vindices, immenſos ipſius labores poſteris commendâſſent. Annales Benedictini tantum ipſi præ cæteris debent, ut qui his continuandis, atque ad umbilicum perducendis diſtenti ſunt, non poſſint abſque gravi ingratitudinis nota non usquequaque eum meritis laudibus exornare; utpote cujus vel ſola Adverſaria, quidquid alicujus exactitudinis vel ponderis, quoad Galliæ regnum, occurrit, abundè ſuppeditant. *Symbola V. C. Oliverii Legipont. Conferatur ejus elogium Gallicè editum Tomo I. Opp. Poſth. Mabillonii & Ruinarti pag. 338. Philippi le Cerf Bibliotheque Hiſtorique & Critique pag. 98.*

XXII.

IGNATIUS CLAVENAU.

† 1701. 2. Febr.

Græcii in Styria natus A. 1653.

NAtus eſt anno poſt Chriſtum natum MDCLIII. menſe Martio Græcii in Styria, genere antiquo & nobili, patre Styriæ Provinciali, & rei tormentariæ Præfecto, matre ex familia Liberorum Baronum *de Putterer.* Septimum ætatis annum ubi exegerat, primis literarum elementis ſub parentum oculis inſtitui cœpit: cùm verò uterque parens eum ſcientiarum perinde ac virtutum diſciplinis excultum vehementer cuperet, Admontium, nominatiſſimum Benedictinorum in ſuperiore Styria Aſceterium miſerunt.

Admontii literis imbuitur.

Hîc in Gymnaſio non præclari tantùm ingenii, ſed raræ virtutis etiam ſpecimina dedit. Ut enim nihil dicam de ſingulari pietate in Superos, animi moderatione, vitæque caſtimonia, integrum annum pede læſus, ejúſque uſu deſtitutus lectô invictâ patientiâ decubuit. Nec minori in Deum fide ac fiduciâ fuit. Huc pertinet, quod illi tempore incendii terribilis non ſine opinione miraculi deflagrantis accidit.

Quo tempore

Anno 1667. vigeſimâ quinta florentis Maji, ſub horam octavam veſpertinam, exortâ ſubitò gravi tempeſtate, cœlum omne atris derepente nubibus obductum, denſiſſimis noctem tenebris eatenus anticipavit, ut nihil aliud ſupereſſet crepuſculi, præter eam lucem, quæ ex iteratis aſſiduè coruſcationibus, junctiſque tonitruis accenſa, terrificum aliquid portendebat. Nec frequentes adhuc præceſſerant ſine damno repetiti fulguris terrores, cùm inopinatò, delapſum è cœlo ingenti fragore fulmen, turrim illam occupat, quæ magni ponderis numeroſa vaſa pulveris nitrati plena concluſerat, conceptóque igne, neceſſarium toti Monaſterio ex tam copioſo flammæ fomento excidium minabatur: adeò, ut Religioſis pleriſque ſe cum benedictione ſuperiorum in tutiora recipientibus, dilapſis etiam pari fuga cum ſuis Inſtructoribus Gymnaſii Alumnis & famulitio univerſo; ſolus in lectuli ſui miſerabili ergaſtulo ad certum interitum relinqueretur *Ignatius*: qui tamen nunquam tutiùs, quàm tunc in protectione Dei cœli commorabatur.

conflagratio monaſterii accidit,

Nam poſtquàm voto ad Virginem in Monte *Culm* prope Admontium Thaumaturgam ab univerſo Religioſorum Cœtu, eorúmque Superioribus unitim factô, vaſa omnia pulveris pyrii eodem ſemel inſtanti conflagraverant, & uno unico impetu molem turris ſolo æquaverant, ſic ut nec lapis ſuper lapidem maneret reliquus, ſed totum cæmentum in minutiſſimos pulveres reſolveretur, & porta ferrea, quæ turrim clauſerat, plurium centenariorum pondus æquans, per aëra ultra mille paſſus ſublata, intra interiora monaſterii ſepta ponè Dormitorium more ſpiculi defigeretur: poſtquàm, ajo, ſuperato derepentè periculô, & gratiis Deo Deiparæque actis, priſtinam quiſque ſtationem repetierat; rogatus *Ignatius*, ecquid ipſe interim terroris exantlâſſet, aut formidinis? quidve invaleſcente ex ſuppoſito, ac monaſterium depaſcente flamma conſilii præcepiſſet? nihil aliud ſe timuiſſe, aut præcepiſſe reſpondit, quàm ut Deus cum ſua creatura diſponeret, prout decreviſſet, neque enim alibi ſe tutiùs quàm in Divinæ Providentiæ ſinu conquieſcere potuiſſe.

in quâ illæſus ſervatur Ignatius.

Iis animi dotibus, quibus omnium ad ſe ſtudia animóſque convertebat, ornatus adoleſcens *Ignatius* facile habitû monaſtico ab Admontenſibus donatus, atque an. 1668. decima quinta Auguſti Novitiis accenſus fuit. Quæcunque in Religioſæ vitæ tyronibus illuſtria ſunt, iis omnibus non modò excelluit, ſed cæteris ſodalibus longè antecelluit. Exacto probationis anno admiſſus ad Profeſſionem magnis paſſibus in ſtadio virtutis decurrere perrexit. Ut ſtudiis altioribus erudiretur, Græcium in patriam miſſus fuit, ubi tantos in iiſdem progreſſus fecit, ut condiſcipulis facilè omnibus pal-

& ibidem monachum induit an. 1668.

mam præripuerit, & primos ſibi honoris gradus vindicârit. Quotieſcunque vel ſententiam propriam publicè deſendendam, vel adverſariam oppugnandam ſuſcepit, tam raram docilitati ſuæ conjunxit modeſtiam, ut qui præſentes aderant, in dubium meritò revocarent, utram *Ignatio* potiùs Virtutis an Doctrinæ palmam gratulari deberent? Iſtud omnino veriſſimum eſt, ex utraque magnum tuliſſe nomen, & tam Profeſſorum, quàm Studioſorum amorem ſibi, & venerationem conciliâſſe.

Lycæi moderatoribus adjunctus,

Sub finem ſtudiorum Sacerdotio initiatus fuit. Domum verò redux, Admontenſis Gymnaſii alumnis primùm in literis, pòſt etiam in moribus Moderator adjunctus eſt. Illum diſcipuli ut parentem venerabantur, à quo etiam ut filii diligebantur. Quò factum, ut eorum complures non bonarum duntaxat artium ſtudiis imbuti, ſed de vita ſanctiùs, ac magis piè traducenda ſeriò cogitare edocti variis Religioſorum ſodalitiis ſeſe aggregârint, ſuóque Inſtitutori virtutis & doctrinæ laudem paſſim conciliârint.

dein excolendis religioſis tyronibus præfectus,

Imbutis igitur per annos aliquot, & ad inſignem virtutem ac eruditionem inſtitutis diſcipulorum animis, Religioſæ vitæ tyronibus excolendis Magiſter deſignatus fuit. Tam peritum verò ſe præbuit Aſceſeos magiſtrum, ut ſama viri in diſſitas etiam Provincias vulgata, ex aliis Monaſteriis Novitii monaſticæ vitæ præceptis ab ipſo imbuendi fuerint ſubmiſſi. Præfuit operoſæ huic ſpartæ ſanctiſſimè, ac licèt ſimul Bibliothecæ inſpectionem, Exercitantium directionem, conſcientiarum arbitrium &c. communis pene omnium de Conventû Pater Spiritualis in ſe ſuſcipere cogeretur: ita tamen ſe omnibus impendit, nt nulli unquam deeſſe videretur.

omnium in ſe animos pellicit.

Göſſenſi parthenoni confeſſarius præficitur.

Tantæ virtutis famâ commotæ Illuſtriſſimi Parthenonis Göſſenſis in Styria Benedictinæ Veſtales, ſuo tunc Confeſſario orbatæ, *Ignatium* ſibi *Supremum* (hoc equidem titulo delectum ſibi Confeſſarium honorant) & animi moderatorem poſtulârunt, ac non ſine magna ejus renitentia impetrârunt. Quantô autem ipſarum fructu, quantâ ſui opinione, vel inde conjice, quòd Reverendiſſima, & à ſingulari prudentia ſummè commendata Domina Abbatiſſa, Domina *Maria Benedicta*, ex Illuſtriſſima Familia Liberorum Baronum de Stirch, expreſſe conteſtata ſit, ſe pro certo credere, quòd in Parthenone ſuo non habuerint, nec habituræ ſint unquam Confeſſarium Ignatio æquiparandum.

mira ejus frugalitas, & abſtinentia.

Commodùm hìc & lautè vivere potuiſſet, niſi veterem ſuam ac continuam ſui diſcruciandi conſuetudinem retinere maluiſſet. Cibus enim illi ſemper jejunium fuit, nec facilè aliquid melioris edulii admiſit, delicias ſuas in cocto ut plurimùm pulmentario, ſortè quòd Sanctus Pater in ſua Regula id denominaret; aut, ſi quod tale diebus extra jejunium non apponeretur, in pane ordinario quærens, hôc modô: dividebat ſibi de pane appoſito bolos duos majores, quos tamen orbis ſuppoſitus ſacilè caperet; his cibos reliquos per vices omnes admovit, ſuccum expreſſit, negotiosè obvertit, gyravit, regyravit, ut qui minùs curiosè accumberent, crederent dapſiliter comeſſe; donec ſepoſitis ſucceſſivè cibis reliquis, præter jurulenta, integris, hunc panem ſuum ex mixto tam diverſi ſaporis condimento prorsùs inſipidum, transmitteret in ſtomachum, & famem tantisper pelleret, nunquam guſtum aut gulam expleret. Vinum aquâ eatenus temperavit, ut colorem ſimul & ſaporem amiſiſſe crederetur: ídque tam parcè bibit, ut non ſacilè ultra ſextarium, ſeu quartam menſuræ partem naturæ indulſiſſe comperiretur.

aſſidua chori frequentatio.

Ad Matutinas laudes quousque vires, & valetudo permiſerant, conſtanter ſurrexit: Tyrones diſcipulos per ſe ipſe quotidie excitavit, infirmis ſuâ mann ſervivit, ulcera lavit, ſaniem exterſit, ſomenta præbuit, finitóque veſpertino examine decumbentibus, obitis pede laneo ſingulorum cellis, deforis benedixit, ſuásque inde lucubrationes, ſtationes nocturnas & vigilias in ſeram ſæpe noctem continuavit; ita cautè tamen, ut certius aliquid in hanc usque horam nemo unquam potuerit experiri. Non deſunt tamen, qui tam horis antelucanis, quàm in ſeram noctem abeuntibus, ſive ad ægros evocatum, ſive aliâ urgente cauſa conventum, ſemper extra lectum, veſtitum & vigilem ſunt demirati.

Gabrielis Böckii elogium.

Pro coronide, aut potiùs pro inſigni mortificationum ipſius corona, præteriri non debet res ſummi ponderis, & dignum ſecuturi temporis monimentum. Deceſſerat pridem piiſſimô ſatô ex Congregatione Admontenſi Sacerdos Religioſus R. P. *Gabriel Böck*, mitiſſimi vir animi, & patien-

tiæ

tiæ prorſus admirabilis, ex doloribus calculi intra veſicam eatenus invaleſcentis, ut poſt mortem exciſus, groſſitudine ſuâ & figurâ, pyrum, quod à pondere, ſeu veriùs à pondo nomen habet, vulgò *ein Pfund-Birn*, examuſſim repræſentaret; gravitate ponderis autem octodecim uncias cum dimidia æquaret, ac pro rei memoria circulo argenteo inſeptus poſterorum ædificationi ſervaretur. Vidit hunc *Ignatius*, tum ætate adhuc juvenis, ſed vitæ merito jam veteranus, & diviniore œſtro percitus: *Oſi & me Deus tali dignaretur lapillo!* Dixit, & calculum, quem optavit, à Deo meruit, nullum poſthac diem à doloribus immunem numerans.

Ignatii patientia in calculi doloribg. Etſi verò à tortore calculo indies graviter diſcruciaretur, nihil tamen pro ſublevandis tanti temporis acutiſſimis doloribus fomenti mollioris adhibuit: nihil de quotidianis Chori, Reſectorii, aliíſque communitatis exercitiis & miniſteriis remiſit: nihil de privatis abſtinentiæ, orationis ferè perpetuæ, lectionis & ſcriptionis occupationibus abbreviavit: nihil de vultûs ſerenitate dim'nuit, ſemper hilaris, ſemper uniformis, ac præſtò in omnibus, quæ ad muneris ſui officium, aut virtutis exercitium pertinebant.

Extremi ejus cruciatus & obitus die 2. Feb. A. 1701. In ultimo morbo ex doloris acerbitate oculorum alter ſede ſuâ expulſus usque in genam ad ſummam inſpectantium commiſerationem ſimul & horrorem decubuit. *Credat mihi Chariſſime,* ajebat ipſe ad Confratrem, *niſi me fides doceret, non crederem tormenta inferni meis per plures annos doloribus, niſi ſola duratione graviora:* adeò crucis mortificationem jugiter in ſuo corpore pro Divini nominis honore portavit. Nec fefellit Divinum Oraculum, quô, ſecundùm multitudinem dolorum & conſolationes efferuntur. Nam paulò antequam felicem ſpiritum Creatori ſuo transmitteret, totus lætabundus & laudans, ac quaſi extra ſenſum Divina patiens, *ô quàm bonum eſt*, ait, *in vitâ tenuiſſe Deum.* Nec diu provixit, ſed quaſi præcognitæ jam gloriæ certus placidiſſimè in Domino expiravit Anno 1701. ſecundâ Februarii, cùm vixiſſet annos Homo 48. Religioſus 31. Sacerdos 24.

Multa in eo præter naturæ ordinem notata. Notabantur in illo, etiam dum viveret, complura, quæ conſuetum naturæ ordinem exceſſiſſe, ſpeciémque miraculi prætuliſſe videbantur; è quibus unum in medium adduxiſſe me non pigeat. Cùm aliquando aliquem ex ſuis olim Novitiis, Fratrem *Joſephum*, tum Philoſophiæ ſtudioſum, à literis & moribus ſuis præſertim Moderatoribus meritò commendatum, adverteret viribus & valetudine periclitari, ſecum in ſocietate reliquorum ipſius contubernalium, ad Montem B. V. Thaumaturgæ Culmenſis abductum, ad aram ejusdem Virginis celebrans, eôdem ipſo uſus Miniſtrô, Deo enixè recommendavit. Et ecce! dum ſacris operatur, & pro dilecto ſibi Confratre, atque tum Altaris Miniſtro, deprecatur; candelarum altera ex latere Miniſtri pellucidè ardens, neque ullum ex deſlua fortè cera vitium paſſa, ſubitò ad inſtans deletur. Finitô ſacrô, poſt depoſitam gratiarum actionem ſacer Myſtes domum redux ad familiares ſuos: *Celebravi hodie pro bono Confratre ad aram Thaumaturgæ Virginis, eô fine mecum peregrè abducto, ut valetudinem ipſius Deo ac Deiparæ commendarem, ſed ex candelarum altera ſub Memento in momento exſpirante facilè intellexi, ſic eſſe Deo probatum, ut hæc lux è vivis ſublata, deinceps inter beata Cœli ſidera colluceret.* Vix effluxit trimeſtre, & piiſſimus Frater Græcii ſanctò fine deceſſit, virtutis ſuæ meritò id conſecutus, ut defunctis è Societate Jeſu Religioſis, inuſitato hactenus exemplo, intra eandem, ſolis ipſis aliàs communem cryptam conſepeliretur.

Quæ complura Opera elucubravit, & manuſcripta reliquit, licèt poſthuma, inſignem tamen Authoris ſui peritiam & doctrinam cultiſſimæ Virtuti ac Prudentiæ arctiſſimè fœderatam, vivaciſſimè conteſtantur. Opera ejus poſthuma, pietatis & doctrinæ teſtes. Quidquid enim ex Superiorum imperio, nutu aut conſilio gubernandum quomodolibet ſuſcepit, id non ſolùm accuratâ ſollicitudine dexterrimè adminiſtravit, ſed adjunctis inſuper ſolerti calamo utiliſſimis præceptionibus in poſterorum etiam uſum & utilitatem revocavit. Teſtatur hoc concinnata per ipſum Eloquentiæ Profeſſorem *Rhetorica Scholaſtica*: teſtatur *Doctrina Catechetica*: Sanctiſſimi Legiſlatoris *Vita moraliter expoſita*: *ſacra Regula elucidata*: *Exercitia Spiritualia* tum pro menſtrua, tum pro annua Recollectione ab *Ignatio* Novitiorum Magiſtro Religioſis tyronibus accommodata & præſcripta: teſtantur *Meditationes aliæ, Conſiderationes, Actus Anagogici:* *Tra-*

Tractatus de Sacrificio Miſſæ: titulíque complures aſcetici, ab eodem, Patre ſpirituali, Directore animarum, & Conventualium Confeſſario operosè conſcripti, & Exercitantibus ſubinde in ſacra Recollectione propoſiti, præter illa, quæ peculiari poſtmodùm ſingularum penè Sanctimonialium indigentiæ, confirmatus illarum in Illuſtriſſimo Parthenone Goſſenſi Supremus, & Confeſſarius ſeorſim deſtinavit.

Poſt annos undeviginti hæc Opera juſſu Superiorum à deſtinatis ad hoc Collectoribus reviſa, concinnum in ordinem diſtributa, locupletiſſimo Indice adaucta, & luci publicæ data fuerunt Salisburgi in 4.to Typis & ſumptibus Joannis Joſephi Mayr, Aulico-Academici Typographi anno MDCCXX. Titulum præferunt:

ASCESIS POSTHUMA Reverendi, Religioſi ac Doctiſſimi Patris IGNATII CLAVENAU in Monaſterio Admontenſi ad Divum Blaſium Profeſſi, vitæ ſpiritualis Magiſtri peritiſſimi.

PARS PRIMA
Quæ continet ſequentes Tractatus:

Vitam Sanctiſſimi Patris Benedicti moraliter expoſitam.
Elucidarium in Regulam ejusdem, & in formulam Profeſſionis Benedictinæ.
Tractatum de Obligatione Religioſorum tendendi ad Perfectionem.

PARS SECUNDA
Quæ continet ſequentes Tractatus:

Tractatum de Sacrificio Miſſæ.
Tractatum de Doctrina Chriſtiana.
Tractat. ſeu Inſtructionem de Humilitate conſequenda.
Tractat. ſeu Faſciculum Documentorum ſpiritualium pro Tyrone Religioſo.
Tractat. de Regendo Homine exteriore.
Tractat. ſeu Excitationem ad ſingularem & continuam devotionem erga Chriſtum & Beatiſſimam ejus Virginem Matrem.
Tractat. de Triplici modo Orandi cum Exercitio pro Recollectione Menſtrua.

Varias item Conſiderationes practicas & Actus Anagogicos.

Tandem Tractatum de Arte Rhetorica cum Appendice de Eloquentia ſacra pro Concionatoribus.

Atque horum Operum & Tractatuum Parti I.mæ præmiſſa eſt Vita *Venerabilis* IGNATII CLAVENAU pientiſſimi Authoris ab uno aliquo doctiſſimo Admontenſ. concinnata, quam nos compendiaria brevitate contractam hîc exhibuimus.

XXIII. ODERISIUS PIERIUS.

† 1702. 18. Dec.

ODeriſius Maria Pierius, natione Græcus, ortus eſt in urbe & inſula Chio. E ſacro foute nomen *Georgii* tulit die 18. Sept. anno 1639. Parentes domi ſuæ cumprimis honeſti & nobiles ſacra colebant Romana. Et quia in orthodoxa fide præcipuam felicitatis partem vel totam potiùs filii felicitatem ſitam eſſe ſciebant, illum Romam in Græcorum Collegium miſerunt. Hîc Latinas juxtà ac Græcas literas eo progreſſu didicit, ut deinde aliorúm juvenum in utraque lingua Præceptor conſtitueretur. Mutato poſteà ritu ex Pontificia diſpenſatione, *Franciſci Cardinalis Barberini* operâ, apud Caſinum inter Monachos admiſſus eſt, anno 1670. ut *Gattola*, vel 1671. ut *Armellinus* ſcribit, die 21. Novembris, annum ætatis triceſimum primum egreſſus. Pius admodùm monachus erat Græcè & Latinè doctus, atque in utriusque Eccleſiæ ritibus verſatus, potiſſimùm in ſacra Theologia ſcholaſtica, dogmatica, & morali. Quæ cauſa fuit, ut illum ſacra Congregatio de propaganda Fide, Clementis X. annutu, *Viſitatorem* Apoſtolicum in Tuſciæ primùm maritimas oras, deinde in Corſicam inſulam miſerit, ut Græcos illos, qui ex Peloponenſi tractu, olim Laconia, nunc *Braccio di Maina*, ab Italis dicto, Turcarum tyrannidem declinantes, eò aufugerant, ad Catholicæ Eccleſiæ gremium (*erant quippe ferè omnes Schiſmatici*) reducendos curaret. Conſtat id ex hiſce literis:

In Græcia natus Romam ad ſtudia mittitur.

Caſinum petit, & Monachū induit A. 1670.

Viſitator Apoſtolicus ad Mainotas miſſus.

„ Reverende Pater! Sacra Congregatio ut de Mainotarum, aliorúmque Græci ritûs, qui Suanam & Bibbonam, vel aliam Magni Ducis Heturiæ ditionem incolunt, vero ſtatu certior fieri poſſit, à viro utriusque ritûs perito viſitandos eſſe decrevit: cúmque Domini Cardinales Barberinus & Raſponius Reverentiæ Veſtræ integritatem, zelum ac fidei ardorem Eminentiſſimis Dominis meis propoſuiſſent, eas ob dotes, quibus Dominatio Veſtra prædita eſt, neminem alium huic muneri majori induſtriâ ſatisfacere, rebúsque

reducendis ad fidē Schiſmaticis inſudat.

„ que illorum Græcorum meliùs proſpicere poſſe judicârunt. Proinde „ cum Viſitationis Brevi annexæ hîc „ Dominationi Veſtræ inſtructiones „ neceſſariæ exhibentur; à quarum „ præſcripto ut ne latum unguem diſcedat, omnem datura eſt operam. „ Reliquum eſt, ut qua in exiſtimatione Reverentia Veſtra apud illos ſit, „ ex his dignoſcat, eorumque de ſe „ exſpectationi reſpondeat. Ego ſanctis ejus precibus me commendo. „ Romæ 27. Maji. Cardinalis Altierius „ Propræfectus. V. Cerri Secretarius.

Clemens X.

Breve Apoſtolicum Clementis Papæ X. „ Dilecte Fili! Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes „ ad animarum ſalutem, divinumque „ cultum promovendum Chriſti fideles, quos *Mainotas* vocant, alióſque „ ritûs Græci in civitate, ſeu diœceſi „ Suanenſi, ac in oppido Bibbonæ, „ aliſque locis temporalis dominii dilecti filii nobilis viri Coſmi, Hetruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis, commorantes, auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ viſitari, ac de tua fide, prudentia, doctrina, pietate, charitate, integritate, & catholicæ religionis zelo plurimùm in Domino „ confiſi, téque à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, „ aliſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine „ quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi „ quibus quomodolibet inodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie „ abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, de Venerabilium Fratrum „ noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis ptopagandæ fidei præpoſitorum, conſilio, Te eorundem Chriſti fidelium ritûs Græci in dominio „ temporali dicti *Coſmæ* Magni Ducis „ commorantium viſitatorem cum facultate quaſcunque eorum eccleſias, monaſteria, tam virorum quàm „ mulierum conventus, domos, hoſpitia, collegia, reſidentias, & alia „ pia, & religioſa loca quæcunque, „ illorúmque prælatos, conventus, „ ſuperiores, & alias perſonas tam „ laicas quàm eccleſiaſticas, ſeculares, & regulares, cujusvis ſtatûs, „ gradûs, ordinis, præeminentiæ, & „ dignitatis exiſtant, tam in capite, „ quàm in membris, ſemel tantùm „ auctoritate noſtra viſitandi, ac in „ illorum ſtatum, vitam, mores, ritus, „ & diſciplinam diligenter inquirendi, „ nec non Evangelicæ, & Apoſtolicæ „ doctrinæ, ſacrorúmque Canonum, „ & Generalium Conciliorum decretis, & ſanctorum Patrum traditionibus regularibúsque eorum reſpectivè inſtitutis inhærendo, quacunque „ mutatione, correctione, emendatione, revocatione, & renovatione „ indigere cognoveris, reformandi, „ mutandi, corrigendi, revocandi, „ renovandi, ac etiam de novo condendi, condita ſacris Canonibus, & „ Concilii Tridentini decretis, & conſtitutionibus, & ordinationibus „ apoſtolicis, regularibúsque inſtitutis præfatis non repugnantia confirmandi, abuſus quoſcunque tollendi, regulas, inſtitutiones, ac eccleſiaſticam, regularémque diſciplinam, ubicunque exciderint, modis congruis reſtituendi, & reintegrandi, dicti Concilii Tridentini „ decreta cuſtodiri præcipiendi, ac „ perſonas præfatas ad debitum & honeſtum vitæ modum revocandi, & „ quidquid ſtatueris, & ordinaveris „ obſervari faciendi, inobedientes „ per cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliáque opportuna juris & facti remedia compeſcendi, aliáque „ omnia, & ſingula in præmiſſis, & „ circa ea, ac pro hujusmodi munere „ ritè & rectè explendo neceſſaria „ quomodolibet, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, mandandi, & exequendi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium conſtituimus, & deputamus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum „ Cardinalium. Mandantes &c. Volumus autem, ut ſi quæ graviora „ in hujusmodi viſitatione repereris, „ illa, nec non informationes omnes „ in eadem Viſitatione ſumendas ſub „ tuo ſigillo clauſas ad nos, vel memoratam Cardinalium Congregationem quamprimùm diligenter „ transmittas, ut quæ deſuper ſtatuenda fuerint, maturâ conſultatione adhibita decernamus. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud „ S. Mariam Majorem ſub annulo „ Piſcatoris die 5. Junii MDCLXXV. „ Pontificatûs Noſtri anno ſexto L. S. „ Sluſius. Foris: *Dilecto Filio Oderiſio* „ *Pierio Monacho expreſsè profeſſo Or-*

„ *dinis ſancti Benedicti* ; Locus ✝ Sigilli impreſſi in cera rubea cum annulo piſcatorio.

Pierii apud Mainotas geſta.

Ut morem gereret, Caſſino abſceſſit die 12. Julii 1675. atque Florentiam pervenit, à Magno Duce, à Cardinali *Leopoldo Mediceo*, & Nuntio Apoſtolico honorificè exceptus, quemadmodùm à Suanæ Epiſcopo, quem ad Pitilianum die 24. Julii adiit, ab eóque optimæ Mainotarum indolis, promptæque eorum voluntatis in excipiendis Catholicæ fidei dogmatibus certior factus. Quod verum eſſe experimento didicit, cùm Mainotas convenit in palatio Collislupi duobus, & ſeſqui milliaribus à Marſiliana, & decem à maritimis Senarum tractibus diſſito. Pauperrimam eſſe gentem comperit, atque ab unico Græci ritûs presbytero, qui Catholicus evaſerat, Domno *Cyrioco à Cirigo* inſtructam. Inter alia monita præcepit, ne *Cyriacus* matrimonia diſſolveret, quod apud Græcos uſuvenit, néve in gradu prohibito contrahi permitteret, aut diceret Sirianorum Xantapuli, aut mentionem faceret Photii & Palamæ, vetavítque, ne orationes quædam Euchologii pro parturientibus dicerentur, aut pro animantibus, ſi in puteum vel foveam cecidiſſent. Ipſo Sanctorum Petri & Pauli feſto hortationibus Oderiſii permota potior Mainotarum pars fidem Catholicam amplexa eſt, ſequentíque die reliquos Mainotas etiam inviſit, qui Caſalpim & Bibbonam incolebant, eorúmque presbyteros: atque à Magno Duce obtinuit, ut omnes Suanam convenirent, quod ægrè præſtitêre. Fidei Catholicæ rudimentis ita omnes inſtruxit potiſſimùm quod ad Primatem Conſtantinopolitanum, ut & pueros octennes in hebdomada ſancta peccata ſua illi confeſſi ſint, atque kalendarium Gregoriannm exceperint; quamquàm anteà in ritibus ſuis retinendis pertinaces admodùm erant. Rudes maximè populi, eorúmque presbyteri perfectionis Chriſtianæ ſummam in jejuniis reponebant, ita ut etiam infirmi ad plurès dies, imò ad triginta, quod incredibile penè eſt, unico aquæ hauſtu viverent. Venditabant Mainotæ, ſe ideò ita abſtinere, quòd medicis in patria ſua carerent, ubi ſine lege & duce vivebant, puerósque non niſi poſt quadraginta dies baptizabant. Síque ante illud tempus mors immineret, oleo tantùm frontem, pectúsque infantis linebant, quòd baptiſmi loco eſſe crederent; eorúmque Confeſſarii ſibi peccata aſſumebant, ſi nummos illi ſolviſſent pro tot quadragenis celebratis.

Bibbonenſes ab erroribus revocat.

Mainotæ, qui Bibbonæ verſabantur, avidi maximè nummorum erant, feri, indomiti, indolis ſervilis, Latinósque Antichriſtianos cenſebant. Acatholicos libros, qui penes eorum presbyteros erant, penitùs eliminavit, in quibus præter errores alios legebatur, *Damnatos orationibus ab inferis liberari, decedentéſque in lethali peccato non ſtatim damnari, ſed ſejuncto loco à juſtis extremum judicii diem expectare.* Aliquot tamen annis piâ *Oderiſii* ſedulitate ad fidem Catholicam converſa univerſa gens eſt. Anno deinde 1679. *Innocentii XI.* juſſu Mainotas, qui recens Corſicam loco dicto Pacomia diœceſis Sagonenſis adiverant, convenit, ut conſtat Brevi ſub *Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 4. Januarii 1679. Pontificatûs noſtri anno tertio.* Quantum apud eos etiam profecerit *Oderiſius Pierius*, conſtat Cardinalis Altieri ad eum datis literis die 2. Octobris 1679. quibus *Oderiſii* ſtudium, laboréſque laudat, quòd Mainotas ſancti Spiritûs proceſſionem à Patre & Filio docuiſſet, eodémque ſancto auxiliante Spiritu eosdem ad S. R. E. gremium reducere laboràſſet. Antonius Martinus Sagonenſis Epiſcopus hæc inter cætera ad eum ſcripſit die 20. Julii 1679. *Quod in lucrandis iſtius ſui gregis animabus extra modum obſtinatis felici adeò progreſſu operam ſuam collocârit, magnoperè gratulamur. Majorem hujus gratulationis noſtræ expreſſionem ad id temporis reſervamus, quo illam profiteri opus fuerit, nóſque iſtuc contulerimus. Antonius Epiſcopus Sagonenſis.*

Labores ejus Apoſtolicos laudat Cardinalis Altieri.

Idem faciit Corſicæ Magiſtratus.

Idem teſtatur Magiſtratus Corſicæ hiſce literis: *Magiſtratus Corſicæ Sereniſſimæ Januenſi Reipublicæ &c. Cùm* Poter ODERISIUS PIERIUS, *Coſinas Monachus, annis quatuor, & quod excurrit, eâ curâ & charitate, quæ muneri correſpondent, ac virum præclaris dotibus ornatum, vitæque integritate ſpectatum decent, ſe totum impenderit, ut Græcorum animos Pacomiæ Chriſto lucrifaceret, nos eo nomine zelum & virtutem illius commendantes, ut de veritate conſtet, ſuffragiis omnibus favorabilibus præſentem atteſtationem expedi eadem decrevimus, quam & ob inſra ſcripto Cancellario noſtro firmari & ſolito noſtro impreſſo ſigillo muniri volumus. Datum &c. Januæ in Regali Palatio*

die

die 17. *Maji anno* 1683. *Michaël Gattus Cancellarius.* Ad hæc *Nicolaus* Centurio, Director Pacomiæ, nedum magnam *Oderiſii* in Græcis inſtruendis diligentiam teſtatus eſt, ſed in Latinis etiam.

Redux ad Caſinenſes paulò pòſt iterùm ad miſſioné revocatur.

Poſt quatuor & ampliùs annos ad Cœnobium Caſinenſe rediit, in quo vix uno anno erat moratus, cùm iterùm literis Cardinalis *Altieri* die 22. an. 1684. ad Mainotarum, qui Suanam incolebant, inſtructionem vocatus eſt nomine Sacræ Congregationis de propaganda Fide. Quod tamen onus juſtis de cauſis renuit. Verùm anno 16 ·5. ineunte, mortuo Prælaro *Partennio*, qui Mainotarum Corſicæ inſtructioni præfuerat, juſſu Sereniſſimæ Gennenſium Reipublicæ Abbas *Jo. Bapriſta Bollo* ejus Procurator Romæ à Sacra Congregatione S. Officii petiit, ut *Oderiſio* id munus committeretur. Hinc Prælatus *Piaza*, Aſſeſſor Cardinalium ejus Congregationis mandato *Oderiſium* accerſiri juſſit, ut memoratus *Bollo* ad eum ſcripſit die 26. Februarii 1685. ac præ cæteris in Epiſtola ſua hæc habet: *Animus mibi nequaquam eſt, ut Reverentiæ Veſtræ perſuadeam, ut opus usque adeò ſanctum ſuſcipiat, quò animas illas ad ſanctæ fidei perfectionem adducat; cùm ab eadem Sereniſſima Republica certior jam fuerim redditus, quâ charitote & zelo in Dei ſervitio promovendo ſit ſuccenſa. Quare boc minimè neceſſarium exiſtimans penitus prætermitto, idque eò magìs, quò certius eſt, quòd ratione temporis, quo munere Miſſionorii eò loci functa eſt, potiſſimam ſibi partem vindicet, ubi ſua prædicatione ac doctrina animas illas ito excoluit, ut meritò dici poſſint, primum noſtræ ſanctæ fidei pabulum à Reverentio Veſtra ſuſcepiſſe.* Cùm annuiſſet Oderiſius, decretum ſacra Officii Congregatio edidit, quo Vicarius Apoſtolicus iis in locis creabatur, ut ex Brevi conſtat Innocentii XI. *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die* 21. *Maji* 1685. *Pontificatûs noſtri anno nono. C. J. Sluſius.*

Mainotarum ritus, & errores.

In Pacomiæ colonia præter Latinos quosdam, quos inter Director Patritius quidam Genuenſis, erant quatuor centum ſexaginta Mainotæ, eósque inter tres Presbyteri, quorum duo uxorem virginem duxerant, à cujus uſu tribus ſaltem ante celebrandam miſſam diebus abſtinebant; atque cœnobium, in quo duodecim Monachi tribus ſolemnibus votis obſtricti ſub regula S. Baſilii, nempe tres presbyteri, novémque laici, qui agrorum culturâ victum ſibi, pauperibúsque, atque eccleſiæ ornamenta comparabant, ſeptémque in die vicibus choro, recitandis canonicis horis, orationi mentali, aliísque piis operibus operam dabant, ſuperiorémque ſibi conſtituebant poſt triennium. Cum iis habitabant tres memorati ſeculares Presbyteri. Mainotæ pueros per immerſionem baptizabant. Vetitum tamen illis ab *Oderiſio* eſt, ne totum infantis corpus, ſed frontem duntaxat chriſmate linirent, omiſſis etiam quibusdam Ritualis Græci verbis. Poſt quadrageſimum à nativitate diem infantibus ſacratiſſimam Euchariſtiam ſub utraq; ſpecie miniſtrabant, ut patet ex literis Cardinalis Cybo die 30. Aprilis 1689. ad Oderiſium datis. Cúmque Mainotæ ſeſe kalendario Gregoriano ſubjicere renuerent, ſcripſit iterùm Cardinalis Cybo die 13. Junii 1694. ad *Oderiſium*, ut blandè eos ad id alliceret.

Epiſcopus Græcus Oderiſio infeſtus.

Plurimum tamen ibi negotium faceſſerat Græcus Epiſcopus, hypocrita & hæreticus, qui teſte *Athanaſio Cavalli* Pàrocho Græcorum apud Liburnum in epiſtola ad *Oderiſium* die 17. Januarii 1695. inter cætera venditabat, credendum à Chriſtianis *Deum Trinum*, ſed non *proceſſionem Spiritûs ſancti à Patre*; Purgatorium meram eſſe fabulam, Eccleſiam Romanam novitatibus ſuis orbem univerſum peſſumdediſſe, aliáque hujuscemodi. Eliminatus itaque Superiorum juſſu Epiſcopus literas ad Mainotas quosdam dedit, quibus ſub excomunicationis pœna vetabat, ne paternum ſchiſma deponerent.

Oderiſii zelum commendat Corſicæ Gubernator.

Oderiſii erga fidem Catholicam ſtudium plurimùm commendavit *Auguſtinus de Franchis*, Gubernator Generalis Corſicæ literis Baſtiæ datis die 14. Maji 1688. in quibus hæc præ cæteris leguntur: *Duæ Dominationis Suæ mibi redduntur* &c. *quibus nobis elucet zelus ille, quem ad Romanæ fidei ſacra in illo natione promovenda in omnibus ejus actionibus ſemper ſumus admirati* &c. (& inferiùs) *Dubio procul ſoncti ſunt impulſus, ac religioſiſſimus fervor, quo agitur, ut morti potiùs occumbere, quàm ſanctæ Fidei Catholicæ promotionem deſerere præferat* &c. *Scripſimus, iterúmque ſcribimus mognifico Locumtenenti Vici, ut iſtuc ſe conferat, atque prudentiæ ac ſapientiæ plenis monitis, quæ ipſi à Dominotione Veſtro ſuggerentur*

rentur, auſcultans, pro viribus allaboret, ut Coloniæ, ſublatis perturbationibus, quies reddatur.

Caſinenſes repetit.

Tandem *Oderiſius* permiſſû Congregationis S. Officii ad ſuos Caſinenſes rediit, ut hiſce literis Cardinalis *Cybo* conſtat: Foris: *Reverendo Patri D. Oderiſio Pierio, Vicario Apoſtolico Græcorum: Pacomiæ.* Intus verò: *Reverende Pater! Cùm Domini Noſtri Sanctitas Vicarii Apoſtolici Grææ iſtius Coloniæ Pacomiæ, quo in munere laudabiliter ſe geſſit, factam à Reverentia Veſtra abdicationem admiſerit, ejusque in locum ſucceſſorem Sacerdotem Dominum* Raphaelem Justinianum à Chio *Sanctitas ſua ſubrogârit, hiſce meis certiorem ipſam facio, ut de hoc ſibi conſtet. Atque cùm is ad munus ſuſcipiendum & exercendum iſtuc pervenerit, Reverentia veſtra de rerum ſtatu illum inſtruat, ut bonum ejusdem regimen facilitet. Deus R. V. incolumem ſervet. Romæ 16. Novemb. 1696. ad placitum Card. Cibo Pacomiæ in Corſica. P. D. Oderiſio Pierio Vicario Apoſtolico.*

præclaris cumulatus elogiis.

Præclara ſunt teſtimonia, quæ tres pro Sereniſſima Genuenſi Republica Directores Pacomiæ de *Oderiſii* virtute, doctrinâ, zelo, fidei Catholicæ ardore, ejúsque propagandæ indefeſſo ſtudio tulerunt. Ut enim *Bartholomæi de Franchis* literas teſtimoniales anno 1692. datas non afferam, *Paulus Baptiſta Fliſcus* die 23. Martii 1696. inter cætera teſtatus eſt, nedum doctrinam Chriſtianam ab *Oderiſio* edoctos pueros, ſed etiam literas Græcas, Latinásque, atque diligentia ſua omne prorſus Schiſma à Mainotarum mentibus elimináſſe. Eadem fatebatur *Octavianus Giove* ejusdem Pacomiæ Director die 28. Maji 1697.

Vivere deſiit A. 1702. die 18. Decemb.

Vix Caſinum *Oderiſius* pervenerat, cùm Magiſter Novitiorum eſt renuntiatus, atque deinde ad Monaſterium S. Liberatoris miſſus. Demum iterum ad Caſinenſes, quod ſummoperè optaverat, die 22. Octobris 1702. redux ſtatim febre correptus die 18. Decembris ejusdem anni piè obiit, non verò anno 1704. ut *Armellinus* ſcribit. Magno Deiparam veneratione proſequebatur, ſuaviſſimíſque moribus præfulgebat.

Ejus ingenii partus.

Plura elucubravit *Oderiſius*, è quibus hæc duntaxat Abbas *Gattola* ſibi innotuiſſe ſcribit ex literis *Angeli Nucei* ad eundem datis die 19. Auguſti an. 1684. in quibus hæc leguntur: *Ut cùm maximè grata mihi accidit Paternitatis Veſtræ admodùm Reverendæ viſitatio, nec minùs jucunda fuit ejusdem de Victoria Viennæ lucubratio. In priori ſui erga me affectus humanitatem, in poſteriori literarias ejusdem occupationes cognoſco; ac quemadmodum de utrisque gratulor, ita utrorumque nova mihi argumenta impoſterùm exhiberi deſidero. Quàm acceptiſſima proinde mihi erunt S. P. Benedicti Elogia. Quò in ſcribendi genere imprimis advertendum, ne argutiæ ac figuræ ſplendorem obſcurent.* Ejusdem lucubrationis meminit D. Archiepiſcopus Seleuciæ in epiſtola die 6. Novemb. 1683. ad Oderiſium.

Elogia S. P. Benedicti.

Elogia in S. Patris Benedicti miracula, Jordanis peritiſſimi pictoris penicillo in baſilica Sacri Montis Caſini expreſſa, quorum altera inter binas virtutes, alia in medio templi fornice ſunt depicta, exaravit calamo D. Oderiſius Maria à Chio Caſinas ejusdem Monaſterii Profeſſus. Armellinus, in Græca lingua Oderiſii diſcipulus librum vocat eruditum, variíſque ingenii acuminibus undique conſperſum. Morte præventus publici juris, utì deſtinaverat, facere non potuit. Aſſervatur in Archivo Caſinenſi.

Hortulus conciliorum.

Hortulus Conciliorum, quorum flores ſeligebat D. Oderiſius Maria à Chio Monachus Caſinenſis anno à partu Virginis 1680. Hoc opus, quod à Monacho quodam Caſinenſi aſſervari ſcribit Gattola, Cardinali, incertum cui, nuncupare in animo habuerat Oderiſius, quem propterea exorabat, efficeret, ut typis ſacræ Congregationis de propaganda Fide ederetur. Conſtat id informi ſchedulâ ejusdem Oderiſii manu conſcripta.

Scripta Græca.

Scripta Græca quædam ejus nomine Cardinalis *Carolus Barberinus* Clementi XI. obtulit, ut ejusdem Cardinalis literis conſtat die 15. Januarii 1701. ad *Oderiſium* datis.

Orationes.

Orationes etiam quasdam Græcè, Latinéque de Deiparæ laudibus compoſuit, quæ in Archivo Caſinenſi extant, quemadmodùm etiam Brevia, aliæque ſcripturæ, quæ ad res & Miſſionem ad Mainotas attinent. *Ex R.mi Gottolæ Hiſtoria Caſinenſi Sec. XIII. pag. 856. & ſeq.*

XXIV.

XXIV.

OTTO AICHERUS

† 1705. 18. Jan.

Profeſſor Univerſitatis Salisburgenſis.

Educatus inter academica ſubſellia 48. annis Profeſſorem egit.

ELoquentem eum eſſe oportet, qui *Ottonem* dignis encomiis proſequi poſſit: Is enim eſt, in cujus ore ſuada ſeſſitavit, in cujus pectore Poëtarum figmenta domicilium habuerunt. Natus quaſi & educatus inter Academica ſubſellia quadraginta octo annis glorioſum Profeſſoris titulum circumtulit, quódque laudis argumentum, ſcriptis & factis mirum in modum adauxit. Deum bonum! quàm Latinus & elegans, planéque Romanus illi ſermo? mirè Poëtarum omnium fabulas tenebat. Oratorum & Hiſtoricorum libros excuſſerat omnes, Rhetor, Poëta, Comicus ſui temporis clariſſimus; dignus proin, qui inter manſuetiores Muſas æternam duceret vitam; abſtulit tamen eum mors, bonis libris & ſtudiis non antè quàm mundo denatum, anno MDCCV. decimo quinto calend. Februarii, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo, vitæ monaſticæ quinquageſimo octavo. Tumulum habet in nova crypta Academica, gratam verò memoriam ab omnibus, illis præſertim, qui Bibliothecam aulicam vel academicam viſere ſolent, cùm pulcherrimum librorum ordinem, eorúmque catalogos *Ottonis* noſtri induſtriæ & laboribus debeant. Ut autem ad obita ſcholaſtica munia nos convertamus, egit Profeſſorem *Syntaxeos* an. MDCLVII. *Poëſeas* anno MDCLIX. *Rhetoricæ* anno MDCLXVIII. *Ethices & Hiſtoriæ* ab anno MDCLXXV. usque MDCCV. *Præfectum Scholarum* ab anno MDCLXIV. usque MDCLXXVI. *Comicum* annis plurimis.

Vivis ſublatus A. 1705. 18. Jan.

Bibliothecam Academicam in ordinem digeſſit.

SCRIPTA.

Variæ ejus lucubrationes.

1.) *Theatrum funebre.* Partes IV. in 4. Salisburgi an. 1673. & auctius 1675.

2.) *Iter Oratorium.* in 12. Salisburgi an. 1673.

3.) *Iter Poëticum.* 12. Salisburgi 1674.

4.) *Hortus variarum Inſcriptionum veterum & novarum, in duas partes diviſus.* 8. maj. Salisburgi 1676.

5.) *Brevis inſtitutia de Comitiis veterum Romanorum libellis tribus camprehenſa, quibus acceſſit Liber IV. de Comitiis Imperii Romano-Germanici.* 12. Salisburgi. 1678.

6.) *De Principiis Caſmographiæ.* ibidem in 12. A. 1678.

7.) *M. T. Ciceronis Orationes Philippicæ Natis Hiſtoricis, Ethicis, Paliticis, Philoſophicis & Rhetaricis illuſtratæ.* Partes duæ in 8. Salisburgi. 1678.

8.) *Epitome Chronologica Hiſtariæ Univerſalis ſacræ & prafanæ ab Orbe condito usque ad artum Chriſti.* in 8. Salisburgi. 1689.

9.) *Inſtitutiones œconàmicæ ſive diſcurſus morales in duas libros œconomicorum Ariſtatelis Lib. III.* in 8. Salisburgi. 1690.

10.) *Flarilegium inſignium ſententiarum ex Poëtis.* in 8. Salisburgi. 1690.

11.) *Hiſtoria Quartæ Monarchiæ ſacra & prafana, exhibens geſta, dicta, & ſymbola Principum Romanorum unà cum obſervationibus & inſtitutionibus paliticis.* Partes II. 8. typis S. Galli. 1691.

12.) *Infantia & adoleſcentia Romæ: ſive ortus & progreſſus Romani Imperii, annexis legibus Regiis, Conſularibus, ac decemviralibus, unà cum faſtis Romanorum antiquis.* 12. Salisburgi. 1693.

13.) *Titi Livii Decas prima, cum Natis Hiſtaricis, Ethicis & Paliticis.* 8. Salisburgi. 1694.

14.) *Flarilegium ſententiarum Oratoricarum, Ethicarum, Paliticarum, ex prabatiſſimis Auctoribus callectum, & in locos communes digeſtum.* 8. Norimbergæ 1695.

15.) *Inſtitutianes Ethicæ, ſive diſcurſus morales in decem libras Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum. Quibus acceſſit liber de honore & nobilitate.* 8. Salisburgi. 1696.

16.) *Juventus & maturitas Romæ:* ſive *Romani Imperii incrementum & potentia tribus libris comprehenſa; annexa ſerie Regum & Dictatarum.* Lib. III. in 12. Herbipoli. 1700.

17.) *Tacitus enucleatus:* ſive *Aphoriſmi & axiomata palitica ex amnibus Cornelii Taciti Operibus.* 12. Auguſtæ Vindelicorum. 1701.

18.) *Supplementum Taciti enucleati, ex Julii Agricolæ vita & moribus Germanorum.* Eodem anno & loco.

19.) Zodiacus *vitæ, continens ſymbola moralia de hominis vita, ſtudio, maribus optimè inſtituendis.* 12. Salisburgi ...

20.) *Ephemerides Eccleſiaſticæ, Aſtronomicæ, Hiſtaricæ, Ethico-politicæ ab anno* 1687. *usque ad annum* 1699. 8. Salisburgi.

21.) *Epitome Chronologica Hiſtariæ Univerſalis ſacræ & prafanæ ab Orbe* con-

condito uſque ad an. MDCCII. Tomi III. 4. Coloniæ 1706.

22.) *Annotationes in Regulam S. P. N. Benedicti ex diverſis ejuſdem Regulæ Commentatoribus deductæ.* Fol. MS.

23.) *Palatium Heroum.* in 4. MS.

24.) *Notæ in* XII. *Libros Virgilii, & Senecæ Medeam*, in 8. MS.

25.) *Annus ſacer Poëticus in ſingulos anni dies divos Cœlites variis Poëmatibus celebrans.* 8. MS.

26.) *Poëtæ Itali recentiores ordine alphabetico.* 8. MS.

27.) *Poëtæ Galli, Hiſpani, Britanni, Poloni, Dani, Germani & Belgæ recentiores ordine alphabetico.* 8. MS.

28.) *Excerpta ex Poëtis Græcis, quorum opera vel fragmenta ſuperſunt.* 8. MS.

29.) *Q. Curtii Rufi Libri omnes Notis Hiſtoricis, Ethicis, Poëticis, Philologicis & Rhetoricis illuſtrati.* 8. MS.

30.) *Collectio Auctorum, qui in S. Scripturam ligato ſtylo ſcripſerunt.* 8. MS.

31.) *Manipulus affixionum, Poëmatum &c. à PP. Profeſſoribus Rhetorices & Poëſeos Salisburgi adornatus.* 4. MS.

32.) *Leges ad excerpendum.* 4. MS.

33.) *Varia Dramata, Comœdiæ, Poëmata, Orationes &c. quas ipſe Salisburgi exhibuit.* 4. MS.

34.) *Et alia, quorum aliqua MS. anno 1708. flamma conſumpſit.* Vide Hiſtoriam Univerſitatis Salisburgenſis Lib. II. Cap. VII. pag. 399.

† 1707. 27. Decembr.

XXV.
JOANNES MABILLONIUS.

MAGNI nomen promeritus.

BReve, ſed elogiorum omnium meritò luculentiſſimum eſt *Magni* cognomen. Hoc in literis nemini antehac conceſſum, *B. Alberto*, S. Ordinis Patrum Prædicatorum Doctori, omnium primò obveniſſe, *Paulus Jovius* (a) teſtatur. Noſtrâ ætate illud *Joannes Mabillonius*, quem tanquam aquilam in nubibus, & rei literariæ Benedictinæ imperatorem, ac eruditionis principem jure ſuſpicimus, ac deveneramur, à viris doctiſſimis conſequutus eſt (b)

Naſcitur A. 1632.

Natus is eſt honeſtis parentibus die XXIII. Novemb. anni MDCXXXII. in vico Sancti Petri de Monte Remenſis diœceſis, duabus circiter Gallicis leucis à Muſſiponte. Ruri primis Grammatices elementis, duce potiſſimùm ac magiſtro avunculo, cujusdam vicinæ eccleſiæ Parocho, primùm inſtitutus, poſtea Remos maturè miſſus, liberalibus artibus in Academiæ gymnaſio operam navavit. Expleto Philoſophiæ curſu, frequentatísque per annum ſacræ Theologiæ ſcholis monaſticam vitam in celebri S. Remigii Archicœnobio, quod extat in urbe Remenſi, anno MDCLIII. amplexus eſt. Poſtquàm anno ſequenti ſolenni votorum nuncupatione ſe Deo dicâſſet, non ita diu pòſt ex nimio pietatis ac diligentiæ fervore in graviſſimum, eúmque continuum capitis dolorem incidit, ſicq; defecit, ut qui aliis rectè ſtudendi methodum traditurus erat, nullum ipſe ſtudii genus, ne divini quidem recitationem officii ferre poſſet. Unde à Superioribus primùm ad monaſterium B. Mariæ de Novigento, deinde Corbeiam veterem, inſigne agri Ambianenſis cœnobium miſſus fuit. Saluti reſtitutus, ac ſacerdotio anno MDCLX. initiatus *Cellerarii* munus aliquamdiu geſſit. Quod officium longè licèt honorificum, quanto cæteris acceptius, tanto illi moleſtius accidit. Ejus igitur impatiens, ab eodem abſolvi petiit. Voti compos factus in regalem S. Dionyſii Abbatiam propè Pariſios anno MDCLXIII. miſſus fuit. Hìc Cimeliarchæ munus ſic implevit, ut ſtrenuam literis operam navaret. Anno MDCLIV. Pariſios veniens *Lucæ Acherii*, Bibliothecæ San-Germanenſis Præfecto in edendo Spicilegio, celebri opere, non parùm ſubſidii contulit. Eiſdem temporibus Superiores Congregationis S. Mauri animum ad Sanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum editiones ad antiquorum exemplarium fidem expurgandas adjecerunt. *Mabillonio* nova Operum S. Bernardi editio obtigerat, quæ anno MDCLXVII. tum duobus voluminibus in folio, tum novem minoribus in octavo prodiit. Opus eruditis omnibus acceptiſſimum celebritatem, & nomen tota Europa fecit Auctori. Cùm hæc prima ſui ſpecimina dediſſet, ad condendam Reipublicæ Benedictinæ hiſtoriam, quam Superiores Congregationis jamdiu integram, omnibusque numeris abſolutam meditabantur, delectus eſt. Manu tantæ molis operi admota ab Actis Sanctorum Ordinis noſtri rem auſpicatus eſt. Primum tomum vulgavit anno MDCLXVIII. quem

monaſticam vitam init A. 1653.

Siniſtra valetudine premitur.

Cellarii munus gerit.

Acherio ſocius adjungitur.

Bernardi Opera recenſet & illuſtrat.

Actis Sanctorum O.S. B. manum admovet.

(a) In Elog. Vir. Doct. pag. mihi 15.
(b) Lege R. P. Joſephi Pichler S.J. Hiſtoriam de S. Carolis. Palignesi Monita Genealogica p. 47.

quem paulatim ſecuti ſunt alii octo: unus duntaxat ſupereſt ad complendum opus, ísque ferè typis paratus. Pretium Operis augent quàm maximè eruditiſſimæ illæ præfationes, ſingulis Tomis præmiſſæ, tanti viſæ, ut eæ ſeparatim Tridenti an. 1724. apud *Jo. Bapt. Paronum* typis vulgatæ fuerint.

quæ eruditis notis & præfationibus exornat.

Cùm verò adornandis Sanctorum noſtrorum Actis animum intenderet, eóque conſilio Galliarum Belgiíque Bibliothecas diligentiſſimè perluſtraret *Mabillonius*; multa eáque ad rem literariam, nedum monaſticam peropportuna, forulos excutienti occurrerunt veterum Scriptorum monumenta: ex quibus ea, quæ rerum antiquarum illuſtrationi profutura viſa ſunt, accuratè ſelecta, ſubindéque quatuor in octavo tomis miro delectu collecta ſub *veterum Analectorum* titulo annu 1675. in lucem emiſit.

Vetera edit Analecta.

Aſſiduum verò ſtudium, quod elaborandæ Ordinis hiſtoriæ impendit, alii præclaro Operi de *Re Diplomatica* edendo non parùm contulit. Cùm enim hujus cauſa rimandis forulis, Archiviis ſcrutandis, revolvendíſque chartis ac diplomatibus totus aſſiduè verſaretur; tantam ex earum rerum uſu ac ſtudio propè ſingulari, potiſſimùm verò ex iñata animi ſagacitate peritiam aſſecutus eſt, ut omnium in ſe moverit literatorum admirationem, nedum utilem ubique applauſum. Opus publicam lucem anno 1681. aſpexit. Ut verò ſupplementum ad libros de Re Diplomatica an. 1704. typis mandaretur, *Bartholomæus Germonius* in cauſa fuit, qui edito ſcripto poſt viginti, & ampliùs annos, poſtquàm *Mabillonii* Opus prodierat, illud imminuere conatus eſt.

Rem Diplomaticam illuſtrat.

Sed hujus Operis præſtantiam ac dignitatem longè meliùs agnovit Illuſtriſſ. *Joannes Colbert*, generalis ærarii moderator, ſummúſque ædificiorum Præfectus. Is *Mabillonium*, cujus operam non ita pridem tractandis graviſſimis pro Rege negotiis adhibuerat, inter beneficiarios Regis deſcribi voluit. Quo non ſemel, nec ſine incredibili laudati Regii Miniſtri ſtupore recuſato, id unum duntaxar ab eo beneficii efflagitavit, ut Congregationem S. Mauri, quæ nullis hactenus in rebus ipſi defuerat, nec Deo juvante ſibi impoſterùm defuturam ſperabat, patrocinio dignari ſuo pergeret. Exinde verò tanti eum æſtimavit, ut in publicum ſui in illum ſtudii, atque exiſtimationis argumentum, juſſu ac ſumptibus Regiis in Germaniam miſerit, quò totius Imperii Germanici Bibliothecas, Archiva, & forulos ſcrutaretur.

Ejus operis præſtantia & utilitas.

Nec ſucceſſu infelici; multa enim & exquiſita quidem ex itinere Germanico monumenta retulit; quorum pars edita legitur in quarto Analectorum Tomo, in cujus fronte exhibetur Germanici itineris haud contemnenda deſcriptio; quam egregiæ dein excipiunt Antiquarum Inſcriptionum collectiones; ſelecta ex variis exaratis manu codicibus haud exigui pretii monumenta, unà cum diverſarum, in quas diſtributa olim Roma fuerat, regionum deſcriptionibus: calcem operis occupant in MSs. Germaniæ codices animadverſiones; in quibus diſertis paucíſque verbis quisque addiſcat, quæ longo & operoſo aliorum minoris pretii documentorum ſtudio vix percipere queat. Iis ſanè optimis Germaniæ documentis uſus potiſſimùm eſt Mabillonius ad multa ſua Opera, maximè verò ad adornandos Ordinis Annales.

Mabillonii iter per Germaniam.

Nati inde fruct9.

Intereà temporis, quo *Mabillonius* in Germania verſabatur, *Colbertus* naturæ conceſſit; à cujus obitu tora apud Regem literariæ rei cura Illuſtriſſ. Remorum Archiepiſcopo *Carolo Mauritio le Tellier* commiſſa fuit. Hujus ſuaſu & conſilio Rex Chriſtianiſſimus *Mabillonio* mandavit, ut iter Italicum, quemadmodùm & Germanicum ſuis non ſumptibus modò, ſed auſpiciis etiam ſuſciperet; ſimul ut conquiſitis Regiâ Bibliotheca libris ac Manuſcriptis fieret longè locupletior, ſimul ut aliquid Eccleſiæ, reíque literariæ inde accederet. Mandata regia exſequutus Pariſiis anno MDCLXXXV. prima die Aprilis diſceſſit, illúcque die 11. Julii anni inſequentis reverſus eſt. Quas verò urbes, bibliothecas, eccleſias, monaſteria &c. inviſerit, quídve in ſingulis obſervatione dignum invenerit, enucleatè docet *Iter Italicum* Tomo primo Muſæi Italici præmiſſum.

Ejusdem peregrinatio per Italiam.

Haud ita multò poſt ſuum ex Italia reditum, hortantibus Præpoſitis, viríſque undequaque graviſſimis, ad totius Reipublicæ Monaſticæ commodum *Tractatum de Studiis Monaſticis* elucubravit. Quod eximium opus omnium licèt ſilentio, ne dicam, elogio exceptum iniquè tulit, unúsque impugnavit *Cl. Armandus Buthilerius* Abbas de Trappa ex ſtrictiori Obſervantia Ciſtercienſi, cui Mabillonius edito tractatu ſub epigraphe, *Animad-*

Tractatus de ſtudiis monaſticis.

madverſiones in Reſponſionem Abbatis de Trappa ad Tractatum de Studiis Monaſticis reſpondit, quo ſuam de iisdem ſententiam egregiè vindicavit.

Annales Benedictini.

Anno MDCCI. Regiæ Inſcriptionum Academiæ titulo honoris, iñuente, quæ ſumma laus eſt, Rege Chriſtianiſſimo, adſcriptus fuit. Ultimis vitæ annis, *Ruinarti* rationibus, ac clariſſimorum præſertim Virorum *Renodotii* & *Baluzii* precibus, ſuaſionibúsque adductus, Annales Benedictinos, integrámque totius Ordinis hiſtoriam adornandam ſuſcepit. Cui arduo operi poſt quatuor tomos in lucem emiſſos, quintúmque typis jam paratum, piiſſimè, uti vixerat, anno MDCCVII. die xxvii. Decemb. urinæ ſuppreſſione iñortuus eſt. Eximias ejus dotes, virtutes, opera, vaſtiſſimámque ejus eruditionem in Regia Inſcriptionum Academia elegantiſſimè, cunctíſque plaudentibus expoſuit ornatiſſimus D. *le Boze* perpetuus laudatæ Academiæ Secretarius; nihílque ſanè hac in re, ſi præſcriptum Academiæ legibus tempus exeurrere licuiſſet, deſiderandum reliquiſſet.

extrema vitæ periodus.

ejus virtus & eruditio

Et verò in *Joannem Mabillonium* attentiùs intueri ſi ſit animus, tanta ejus doctrina fuit, tanta virtus, ut neminem non rapiat in ſui non dico amorem, ſed & admirationem. Excelluit *Magnus ille Vir*, ac demirandus fuit in omni ſcriptionis genere, ſeu Hymnos in laudem ſanctorum Cœlitum pangeret; ſeu Opera Melliflui Doctoris ederet; ſen Acta Sanctorum Ordinis Benedictini notis ac obſervationibus illuſtraret; ſeu vetera Analecta colligeret; ſeu de re Diplomatica tractaret; ſeu Itinera ſua literis mandaret; ſeu ſtudia Monaſtica propugnaret, ſeu de cultu Sanctorum diſputaret; ſeu de veteribus Reliquiis diſcernendis examen inſtitueret; ſeu Mortem Chriſtianam deſcriberet; ſeu in laudem Reginæ Annæ Auſtriacæ peroraret; ſeu de Pane Azymo & ſermentato diſſereret; ſeu vetuſtum ritûs Gallicani lectionarium elucídaret; ſeu librum de Imitatione Chriſti ſuis, Auctori & Ordini reſtitueret; ſeu Annales Benedictinos conderet: quidquid denique quoquomodo literis mandaret, elegans erat, politum, eruditum, omnibus numeris abſolutum.

in ſingulis lucubrationibus relucent.

Biographi.

Vitam Mabillonii dedit *Theodericus Ruinart*; vitæ ſynopſin *Renatus Maſſuet*, funebre elogium *Claudius de Vic* omnes tres ex Congr. S. Mauri Presbyteri. Omitto exteros Scriptores, qui ipſius perquàm honorificè meminerunt.

SCRIPTA.

Sancti Bernardi Opera omnia. Pariſiis ann. 1667. *tom.* 2. *in fol.*

Eadem eodem anno tom. 8. *in* 8.

Eadem ſecundis curis edita Pariſiis an. 1690. *tom.* 2. *in fol.*

Acta SS. Ordinis S. Benedicti per Sæculorum claſſes diſtributa. Pariſiis anno 1668. *& ſeqq. tom.* 9. *in fol.*

De Re Diplomatica cum figuris &c. Pariſiis an. 1681. *in fol. majori.*

Editio ſecunda ab ipſo Autore recognita, emendata, & aucta. Pariſiis 1709. *in fol. maj.*

Supplementum ad libros de Re Diplomatica cum figuris &c. Pariſiis an. 1704. *in fol. majori.*

Annales Ordinis S. Benedicti cum variis Inſtrumentis, & antiquis Monumentis in appendicibus relatis in fol. Pariſiis an. 1703. *& ſeqq. to.* 4. *in fol.*

Volumen quintum opus poſthumum. Pariſiis an. 1713. *in fol.*

Volumen ſextum opus poſthumum. Pariſiis an. 1739. *in fol.*

Liturgia Gallicana &c. cum diſquiſitione de Curſu Gallicano &c. Pariſiis anno 1685. *in* 4.

Muſeum Italicum, ſen Collectio veterum Scriptorum ex Bibliothecis Italicis. in primo tomo præmittitur Iter Italicum literarium; in ſecundo Coñentarius in Ordinem Romanum. Pariſiis anno 1687. *&* 1689. *to.* 2. *in* 4.

Duo Scripta de Jure præcedentiæ Benedictinorum ſupra Canonicos Regulares in Comitiis Burgundiæ. 1687. *in* 4.

Eadem Scripta in Latinum translata à D. Hermanno Schenck.

Epiſtola de primario Romarici-montis Inſtituto, Pariſiis an. 1684. *in* 4.

Tractatus de Studiis Monaſticis. Pariſiis anno 1691. *in* 4.

Idem. Pariſiis tom. 2. *in* 4.

Idem in 12. *Bruxellis anno* 1692.

Idem Italicè verſus ſub hoc titulo: SCUOLA MABILLONIANA &c. *dal P. Maeſtro Nicola Girolamo Ceppi Agoſtiniano. In Roma an.* 1701. *in* 12.

Idem in Latinum translatus à R. P. Udalrico Staudigel. Campoduni an. 1702. *in* 12.

Idem in Latinum translatus à P. D. Joſepho Porta. Venetus in 4. *an.* 1705. *& iterùm* 1729.

Idem ex eodem tractatu, Dubia Hiſtorica &c. Latinitate donata à D. Hermanno

manno Schenck, *typis San-Gallenſibus in* 4.

*Animadverſiones ad Tractatum de Studiis Monaſticis. Pariſiis an.*1692. *in* 4. *Eædem, Pariſiis* 1693. *in* 12.

Epiſtola encyclica de obitu Mariæ de Blemur Sanctimonialis Benedictinæ in 4.

Euſebii Romani epiſtola de Cultu Sanctorum ignotorum. Pariſiis 1698. *in* 4. *& eodem anno ibidem in* 12. *Eadem à variis autoribus in Gallicum idioma converſa. Pariſiis, Bruxellis, Turone, Gratianopoli &c. in* 12. *Altera item editio typis edita Trajecti. Eadem in Gallicum ſermonem translata ab Abbate le Roy. Pariſiis* 1705. *in* 12.

*De Azymo & Fermentato ad Eminent. Card. Boni. Pariſiis an.*1674. *in* 8.

Vetera Analecta, Pariſ. an. 1675. & ſeqq. to. 4. in 8. Ibidem in fol. an 1723.

Diſſertatio de Monachatu S. Gregorii M. ad eruditum Valeſium ex primo tomo Analectorum ſeorſim edita in 8. *Eadem recognita, in appendice tom. I. Annalium.*

Iter Germanicum in tomo 4. *Analectorum, & Hamburgi ex editione Jo. Alberti Fabricii an.* 1717.

Animadverſiones in Vindicias Kempenſes Pariſiis 1677. *in* 4. *& ibid. in* 16. *anno* 1712.

Epiſtola Bleſenſi Epiſcopo inſcripta de Lacbryma, ut vocant, Vindocinenſi, 1700. *in* 8.

S. Bernardi de Conſideratione juſſu Clementis XI. Pontificis Maximi. Pariſiis an. 1701. *in* 4.

Mors Chriſtiana, Reginæ Majoris Britanniæ nuncupata. Pariſiis in 12. *Gallicè.*

Tractatus de vocibus MISSÆ *&* COMMUNIONIS, *in Regula S. Benedicti adhibitis. Pariſiis anno* 1689. *in* 12. *Gallicè.*

Regula S. Benedicti, & Conſtitutiones Stephani Poncher Gallica verſio in gratiam uſúmque Sanctimonialium Calamenſium vulgò de Cheller. Pariſiis 1697. *in* 18.

Mabillonii effigiem æri inciſam hi duo verſus adornant:

Noſtra Mabillonem viderunt ſecla modeſtum,
Perpetua deinceps laude ſuperbus erit.

XXVI.

CLAUDIUS DE VERT Prior S.Petri Abbatis-Villæ.

† 1708. 1. Maji.

Natus A. 1645.

CLaudium de Vert Lutetia Pariſiorum in lucem edidit quarto nonas Octobris anno 1645. Humaniorum literarum ſtudiis à Nanterre apud Canonicos Regulares defunctus, Cluniacenſem Congregationem delegit, in ejúsque Prioratu *de Libou* Diœceſis Ambianenſis, exacto tyrocinio, Ordini Divi Benedicti tranſcriptus eſt decimo ſeptimo Cal. Novemb. an. 1662. Ordinem S. Benedicti amplectitur 1662.

Avenionem ſubinde miſſus eſt, Philoſophiæ ac Theologiæ curſum in Collegio Patrum Societatis peracturus. Abſolutis hiſce ſtudiis cùm Superiores acre ingenium, doctrinæ copiam, atque agendi dexteritatem perſpicerent, præclaris hiſce dotibus ad Ordinis decus & emolumentum uti ſtatuerunt. Magnum attulit adjumentum, ut Comitia Generalia inſtaurata ſint, eíſque, quæ anno 1676. celebrata fuerunt, Oratione Latinâ proluſit. Non minora virtutis ac prudentiæ ſpecimina dedit in Comitiis, quæ proximè ſequuta fuerunt. In his ad primarias Congregationis dignitates evehi promeruit. (instaurandis regularibus Comitiis plurimùm contulit,) Anno igitur 1676. Theſaurarius Abbatiæ Cluniacenſis, anno 1678. Viſitator Congregationis, & anno 1694. Vicarius Generalis renuntiatus fuit. Anno inſequenti Prioratui S.Petri Abbatis-Villæ regendo præpoſitus fuit. (variis admotus officiis, vivere deſiit 1708. 1. Maji.) Plures annos ejus regimen tenuerat, cùm Calendis Maji anno 1708. morbi colici doloribus affligi cœpit, quibus ſex horis eâ acerbitate diſcrutiatus fuit, ut eis ferendis diutiùs impar ceſſerit è vita ætatis ſuæ anno ſexageſimo tertio.

Munia, quibus à Congregatione ſua admotus fuit, argumento ſunt ſingularis prudentiæ ac virtutis. Præſtantiam ingenii, morúmque ſuavitatem amicitiæ fœdera declarant, quæ cum pleriſque ævi ſui viris doctis ſancivit. (Mira ejus ſuavitas, prudentia, affabilitas,) Nihil torvum habebat in oculis, nihil tetricum & auſterum in fronte, quemadmodùm non pauci eorum habent, quibus cura conſervandæ diſciplinæ regularis demandata eſt. Serena facies, ſuavíſque agendi modus id effecerant, ut apud eos etiam, quos objurgare ex officio eum oportebat, in cultu & amore eſſet. Ex doctrinarum ſtudiis, variáque ſcientia & eruditione, non ille, ut haud pauci ſolent literati, intumeſcere, elata ferre ſupercilia, alióſque faſtidire, atque iterùm ab iis faſtidiri. Sublimi eum fuiſſe ingenio nemo alius facilè advertit, præterquàm qui ejus ſcriptis evolvendis operam dedit, quæ ſanè ſingularia ſunt, atque ferè unica, quæ in hoc ſcribendi genere habentur. Nunquam

& animi modeſtia. quam ille in familiari congreſſu eò abripi ſe eſt paſſus, ut in alios magiſterium affectaret; potiùs aliorum placita auſcultare, ab iiſque etiam ceu diſcipulus erudiri non dedignabatur. Quam raram ejus modeſtiam nec ſemel nec ſine admiratione plures obſervârunt, eámque non minoris, quàm inſignem ejusdem doctrinam jure ac merito fecerunt.

SCRIPTA.

1.) In Breviario Cluniacenſi reformando Paoli Rabuſſonii adjutor fuit, nec plura tamen, quàm *Rubricas* concinnavit.

2.) *Verſio Gallica Regulæ S. Benedicti Pariſiis* 1698. *in* 12. Non author, ſed editor hujus verſionis *Claudius de Vert* habendus eſt, cui animadverſiones & notas adjecit, quæ illum cum doctiſſimo Johanne Mabillonio commiſerunt. Iis enim in obſervationibus non modò diſceſſit in ſententiam Abbatis ſancti Cyri, & Domni Lancelloti de explicatione quarundam vocum Regulæ S. Benedicti, ubi mentio fit de *Miſſa* & *Communione*, ſed pro ea etiam, quemadmodùm illi, decertavit, dum per vocem *Miſſa* divinorum Officiorum concluſionem, per *Communionem* verò *ſanctam* aliquid aliud, quàm realem Corporis Jeſu Chriſti perceptionem ſignificari contendit. Hanc novam opinionem, ne latiùs ſerperet, Mabillonius coërcendam putavit, tractatu in lucem emiſſo, cui noſter *Claudius de Vert* aliud opuſculum, de quo paulò pòſt, oppoſuit.

3.) *Eclairciſſement ſur la Reformation du Breviaire de Cluny, Paris.* 1690. *in* 12. i. e. *Declaratio ſuper Reformationem Breviarii Cluniacenſis.*

4.) *Léttre à M. Jurieu ſur les Cerémonies de la Meſſe*, i. e. *Epiſtola ad D. Jurieu de Ceremoniis Miſſæ.* Paris 1690. *in* 12. Ad palatum *Claudii de Vert* minimè erant explicationes allegoricæ, violentæ, & coactæ, quas nonnulli Rubriciſtæ, cùm genuinas inſtitutionis rationes ignorarent, ſibi perſuaſerunt. Nec minori cum dolore animi animadvertebat, quòd apud Proteſtantes nauſea creſceret ceremoniarum ex contemptu, in quem inſulſæ id genus expoſitiones eas adducebant. Quâ indignitate commotus huic argumento tractando inſudare ſtatuit. Initium verò illi fecit ab epiſtola iſthac evulganda, quâ palàm facit, quòd omnes Miſſæ ceremoniæ ſimplicibus, ac quaſi domi natis rationibus innitantur.

5.) *Explication du Chapitre* 48. *de la Regle de S. Benoît pour ſervir d' éclairciſſement à la queſtion des Etudes Monaſtiques.* i. e. *Expoſitio Capitis* 48. *Regulæ S. Benedicti pro elucidanda quæſtione de Studiis Monaſticis.* Paris 1694. in 12. *Dominus de Vert* luci publicæ expoſuit hoc Opuſculum ſub nomine Fratris Columbani, ut ſententiam Abbatis de Trappa propugnaret. Sigillatim fundare ſe nititur in Regula S. Benedicti, in qua nulla ſtudiorum mentio occurrit.

6.) *Diſſertation ſur les mots de Meſſe & de Communion.* i. e. *Diſſertatio de vocibus Miſſæ & Communionis.* Paris 1694. in 12. Hoc opuſculo Mabillonii non modò ſententia, ſed conſtans totius Ordinis traditio oppugnatur.

7.) *Explication ſimple, literale, & hiſtorique des Ceremonies de l' Egliſe pour l' inſtruction des nouveaux Convertis.* i. e. *Expoſitio ſimplex, literalis, & hiſtorica Ceremoniarum Eccleſiæ pro inſtructione eorum, qui noviter ad fidem orthodoxam revocati fuerunt.* Paris 4. tom. in 8. Primus prodiit an. 1706. alter 1708. tertius & quartus 1713. Domnus *de Vert* in ea conſcribenda re ipſa præſtitit, quod ſe facturum, animo ſecum propoſuerat. Oſtendit igitur, quòd in omnibus Miſſæ Ceremoniis vel actio ſit, quæ advocat verba, vel ex adverſo verba ſint, quæ hanc & non aliam actionem & geſtum formari volunt. Veritati tamen litandum eſt, quòd licèt ejus quædam expoſitiones ingenii acumine non careant, multò tamen major eorum ſit numerus, quibus è longinquo petitis pauci ſint acclamaturi. Ordo prætereà in hoc Opere deſideratur, reque ipſa nihil eſt niſi merum chaos ſine connexione & cohærentia. Quarto volumini adjunctæ ſunt *Epiſtola ad D. Jurieu* & *Declarationes ſupra Reformationem Breviarii Cluniacenſis*, de quibus jam dictum eſt, unà cum explicatione *Ceremoniarum Benedictionis Abbatiſſæ*, quæ anteà etiam Actis Literariis Trivoltienſibus menſ. Septemb. 1708. pag. 1531. inſertæ fuerunt. Hoc Opuſculum Domni *de Vert* impugnavit Epiſcopus Sueſſionenſis in libro, cui titulus: *Verus Eccleſiæ Spiritus in Ceremoniarum uſu*, ſeu Refutatio Tractatûs D. Claudii de Vert ſub hac epigraphe: *Explication ſimple, literale, & hiſtorique des Ceremonies de l' Egliſe &c.* Paris 1715. in 12. Defendit ille

Anti-

Antiſtes ſuo in libro, quòd explicationes morales, myſticæ & ſymbolicæ ſint primariæ inſtitutionis, & quodammodò de eſſentia Ceremoniarum.

Hæc ex R. P. *Nizeronii* Barnabitæ Memoriis Literariis Gallicè ſcriptis Tom. XI. pag. 315. Videri etiam D. *de Vert* elogium poteſt *Mem. de Trevoux Août* 1708. pag. 1321. *Dupin* Bibl. des Aut. Eccleſiaſt. &c.

XXVII.

†1717. 23. Oct.

PAULUS RABUSSON
Superior Generalis Congregationis Cluniacenſis.

Natales ejus & parentes.

VItæ *Pauli Rabuſſon* exordia in Nonas Septembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti inciderunt. Is ex oppido *Gannat* agri Borbonii extitit, cui pater ipſius præfectus, apud Principem Condæum non minimo in pretio erat. Magnus hic Princeps virum ad multas res gerendas adhibuit, quas ille nunquam ſine laude præcipua geſſit. Anno 1645. Oeconomum Abbatiæ Cluniacenſis eſſe juſſit, ut rerum potentiſſimi hujus Monaſterii temporalium ſollicitudinem gereret, quarum proventu Princeps *Conty*, ipſius filius & Abbas Commendatarius fruebatur.

profeſſio religioſa.

Ex cujus muneris adminiſtratione *Paulus* filius procul dubio conſilium cœpit, ut ſe divino cultui in iſthoc monaſterio manciparet. Veſtem Benedictinam induit ætatis anno vigeſimo primo, profeſſionem verò emiſit octavo Calend. Septemb. anno 1655.

Studiorũ curſus.

Domnus *Paulus Rabuſſon* curriculum ſtudiorum in Lotharingia confecit; id namque temporis Congregatio S. Vitoni Congregationi Cluniacenſi unita erat. Verùm conſortium & fœdus duarum iſtarum Congregationum anno 1661. diſſolutum fuit. Quò factum, ut juveni Religioſo ad Cluniacenſe Monaſterium redeundum fuerit, ubi primùm Philoſophiam docuit.

in S. Martialis monaſterio Prioris & Profeſſoris munere fungitur.

Cùm Monaſterium S. Martialis Avenione colla reformationi ſubmittere ſtatuiſſet, *Paulus* illuc miſſus eſt, ut & *Prioris* Conventûs, & *Profeſſoris* Theologiæ munus eodem tempore adminiſtraret. Quo utroque officio non ſine laude functus Cluniacum reverſus eſt. Hîc Conſilium Ordinis, *la Voute* appellatum, penes quod tunc juriſdictio erat, eum in Secretarium præ aliis elegit. Nec alius fuit, cui inſignes illi commentarii in acceptis referri debent, qui maximo uſui fuerunt ad jura *de la Voute* defendenda adverſùs molitiones, quæ ad ejus authoritatem evertendam ſuſceptæ fuerunt.

Tricas ex electione Abbatis Cluniac. ortas cohibet.

Abbas Cluniacenſis creandus fuiſſet, niſi inſignis ejus modeſtia obſtitiſſet: conjectis igitur denuò in urnam ſuffragiis *Pater de Bevron* prodiit. Hujus electio Aulæ minùs probata eas turbas dedit, quæ deſtinatam Patrum animo decretamque reformationem fruſtraturæ fuiſſent, niſi *Pauli Rabuſſonii* ſingularis prudentia & ſagacitas eas coërcuiſſet. Is enim Pariſios miſſus clypeum objecit, quo Adverſariorum, qui hâc occaſione læti undique pugnas dabant, & tela excepit, & ictus avertit.

ea de re Tractatũ evulgat.

Typis exſcribendum mandavit perdoctum Tractatum *de Jure Electionis Abbatis Cluniacenſis*, quô machinationes ad Reformationem diſturbandam ab Adverſariis procuſæ feliciter proſtratæ fuerunt. Sub hæc Theologiæ Profeſſor Pariſiis in monaſterio S. Martini de Campis libros ſententiarum Congregationis ſuæ Religioſis interpretatus eſt. Quas autem Theſes publicè propugnandas dedit, ad Theologiam Moralem attinebant.

Breviarium Cluniacenſe conciñat.

In duobus generalibus Comitiis, quæ anno 1676. & 1678. Pariſiis celebrata fuerunt, omnium maximè idoneus viſus eſt, qui celebre illud Breviarium Cluniacenſe, quàm plurium deinde aliorum normam adornaret. Laboranti opem ferre juſſus eſt *Claudius de Vert* veteris Obſervantiæ, qui ſolas tamen Rubricas perfecit. *D. Rabuſſon* ichnographiam concinnavit, opúſque univerſum in ordinem digeſſit. Ipſius rogatu, Dominus *de Santevil* eximias illas dotes, quibus in profana poëſi excelluit, condendis piis carminibus conſecravit. Conceptus, ut ajunt, ipſe Vati ſuppeditavit, ex quibus hic perelegantes illos hymnos effinxit, qui primùm Cluniacenſi Breviario inſerti, tum in plura alia Breviaria in Gallia cooptati fuerunt.

Superior Generalis ſuæ Congregationis renuntiatur.

Quantumlibet acceptandis Ordinis ſui dignitatibus ſe ſubduceret, fruſtrà tamen fuit, ne anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio in generalibus comitiis, quæ eo anno habita, atque eo conſilio coacta fuerunt, ut reunio duarum Obſervantiarum in ſuperioribus comitiis incœpta ſtabiliretur, ad dignitatem Superioris Generalis eveheretur. Quâ valebat authoritate & opinione inſignis prudentiæ apud Cardinalem *de Bouillon*, non dif-

ficulter ei perſuaſit, ut proluſiones Romæ approbari curaret, ut, cùm poteſtas eccleſiaſtica Regiæ authoritati acceſſiſſet, Leges fundamentales reunionis utriusque Obſervantiæ ita firmæ redderentur, ut nullis obluctatorum machinationibus concuti poſſent. Felicem hunc Superiorem Generalem! cui diſciplinæ regularis ſtudio ſummoperè incenſo omnia ex animi ſententia ſucceſſerunt. Qua in dignitate an. 1697. confirmatus fuit: octennium ferè totum, quô ejus tenuit regimen, pax, quies, concordia, omnéque virtutum genus Cluniaci apprimè floruit.

magna ejus æſtimatio Quantâ etiam in æſtimatione apud viros cùm ſeculares tum eccleſiaſticos, eósque præcipuæ dignitatis fuerit, longum foret dicere. Sigillatim illum magni fecerunt *Franciſcus de Harlay*, Archiepiſcopus Pariſienſis & *Ludovicus Anton. de Noailles*, S. R. E. Cardinalis. Poſterior hic Prælatus provinciam ei demandavit, ut Viſitatoris nomine monaſteria *Montis-Martyrum*, *Vallis-Gratiæ*, *Malnovienſe* & *Gerſenſe gubernaret*.

A. 1708. eligitur Superior generalis reformationis. Fuit præterea electus Superior Generalis Reformationis anno 1708. & eâ in dignitate confirmatus in Comitiis Generalibus Cluniaci celebratis anno 1711. Triennio pôſt, anno 1714. magiſtratû juxtà leges Reformationis ſe abdicavit. Mortem ut piè obiret, ad illam non exercendis modò religionis virtutibus, ſed elucubrandis etiam quibusdam piis opuſculis præparavit, quæ ut publici juris faceret, ab eo nunquam impetrari potuit, cùm, ut dicebat, ad ſuum duntaxat uſum ea conſcripſerit. Ex ejus Scriptis & Commentariis in quosdam S. Scripturæ libros nihil lucem publicam vidit, præter *Breviarium* ſui Ordinis, atque tractatum anonymum *de Jure Electionis Abbatis Cluniacenſis*, de quo ſuprà mentio eſt facta.

Obiit 1717. 23. Octobr. Mortalitatem explevit in Monaſterio S. Martini de Campis decimo cal. Novemb. anno 1717. ætatis ſuæ 83. Ejus Elogium legi poteſt apud Trivoltienſes menſ. Febr. 1718. Nouvel. Liter. du 23. Juillet 1718. Quæ nos in medium attulimus, ex R. P. *Nizeronii* Barnabitæ Memoriis Gallicè ſcriptis Tom. I. pag. 111. deprompta fuerunt.

XXVIII.
ANTONIUS AUGUSTINUS TOUTTEE è Congregatione S. Mauri.

† 1718. 25. Decemb.

Natales, ſtudia, & profeſſio monaſtica. NAtus erat Riomagi Idib. Decemb. anno 1677. ex patre forenſi eloquio, Juris civilis ſcientia, morum probitate ſpectato. Peractis egregiè apud eruditos Oratorii ſacerdotes literarum humaniorum, Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis, monaſticam vitam amplexus eſt, ſéque votis ſolemnibus obſtrinxit in monaſterio Vindocinenſi IV. cal. Nov. an. 1698. Poſt navatam iterum rebus Theologicis operam, presbyter menſe Decembri an. 1702. creatus, Philoſophiam annis duobus, tribus Theologiam in monaſterio Floriacenſi docuit. Quod munus magnâ cum laude pietatis & eruditionis perfunctus, in monaſterium S. Dionyſii accerſitur anno 1708. ubi ſaniorem Theologiam per annos quatuor profiteri perrexit. Hanc augendam tem docendi viam ſequebatur, ut miſſis Scholaſticæ ſpinis, quid ſancti Patres ſenſiſſent, unicè curaret, atque ex eorum libris, quos nocturna diurnáque manu verſabat, omnem dictandi materiam comportaret. Hos ad uſus literarum græcarum præſidium ſibi paraverat, in quibus ita contritus fuit, ut cum excellentibus in hoc genere comparari poſſet. Sic inſtructus & munitus ad novam editionem S. Cyrilli adornandam acceſſit, ſuadentibus amicis, præpoſitis jubentibus. Opus inceptum in monaſterio S. Dionyſii, abſolvit in San-Germanenſi, Lutetiam vocatus an. 1712. Utrùm eximium hunc Scriptorem accuratè interpretatus ſit, commodè emendaverit, illuſtraverit eruditè, publico judicio ſtatui malo, quàm mea prædicatione. Tantùm dicam, quod arguti judices ſatis perſpicient, ejus notas & diſſertationes non ex alienis meſſibus decerptas, ſed ex ditiſſimis adverſariis depromptas, quæ ipſe ſibi omnibus Patribus & Conciliis ordine legendis pepererat. Authores nonnulli fuerant, ut in notis apponendis parcus eſſet & tenuis, alii dehortati, ne lectorem aptis ad S. Patris contextum, ad dogma & diſciplinam obſervationibus defraudaret. Maluit multorum utilitati ſervire, quàm paucorum faſtidia fugere.

Theologiam novâ methodo tradit.

Cyrilli Opera recudenda ſuſcipit,

notisque & diſſertationibus illuſtrat.

Spes affulgebat hominem firmâ valetudine, ætate florenti, eruditione

Inde totus in meditatione Chriſti defixus fuit.

ne non quotidiana, multa ingenii ſui monumenta reliƈturum; ſed quæ legendo & meditando comparaverat, ea, ſi minùs nobis ad exſpeƈtatos ejus laborum fruƈtus, ipſi certè ad vitam ſanƈtiſſimam, & præclariſſimam mortem profuerunt. Ejus enim ſtudiorum labor nihil aliud habuit, niſi meditationem Chriſti Crucifixi; totus in SS. PP. evolvendis, non ſolùm eorum de dogmate ſententiam noſtræ catholicorum perſimilem, ſed etiam religionis ſtudia noſtris majora perſpiciebat; non ſolùm præclarè diƈta colligebat, ſed etiam fidem & charitatem

Amor veritatis in eo eximius.

adhuc in his libris ſpirantem. His in fontibus eximium illum amorem veritatis hauſerat, quem tot rebus declaravit; nec pravè pudens in ea amplectenda, nec in defendenda timidus, libenter emendans ſi quid erràſſet imprudens, patroni ſui doƈtrinæ liberrimè affixus. Haud verebor iisdem ſtudiis acceptum referre, quod de monaſtico inſtituto, ac de eccleſiaſticis præceptis & documentis tam ma-

Nec diſpar pro Eccleſia zelus.

gnificè ſentiebat, in primis verò de ipſa Eccleſia Catholica, cujus cauſa cupiebat mirificè. Nemini profeƈtò concedebat, qui plus doloris ex ejus rebus adverſis colligeret, aç majori lætitia in proſperis efferretur; & cùm longa ægritudine ad omnes vitæ eventus percalluiſſet, hæc una res eum recreabat, ſi quid Eccleſiæ ad ſpem pacificationis, veritati ad triumphum acceſſiſſe nuntiaretur.

Siniſtra valetudo

Jam tres ferè anni ſunt ipſi, cùm eum tuſſis perincommoda tentaverat. Malè curata vellicabat interdum. Sed an. 1716. exeunte, ſic inſedit peƈtori, ut ſanguinis vomitum non ſemel exciverit, nec ulla medicorum arte potuerit ſanari. Hujus rei cauſa non extitit in ſtudiis immoderatis; nam, ut cæterarum rerum, ita & ſtudiorum modum tenebat, nec eis quidquam tribuebat, quod aut monaſticis muniis, aut neceſſariæ corporis procurationi ereptum eſſet. Sed minimè mirum, ſi aſſiduus labor vitæ auſteriori additus bonam valetudinem labefaƈtavit. Legendi & ſcribendi facultatem perdiu morbus reliquerat, cogitandi & precandi ne in extremo quidem ſpiritu abſtulit. Cùm ſe indies minui animadverteret, in pervigilio Conceptionis B. V. M. extrema Eccleſiæ Sacramenta poſtulavit, ac præſente Chriſto Domino, religioſi ac veritatem amantis animi ſignificationes dedit, ſéque in ſanƈtæ, Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ fide & communione mori pronuntiavit. His ſubſidiis corpus, ſi minùs morbo, ſaltem doloribus levatum, animum ad ſpem vitæ æternæ confirmatum dicebat. Quod ſuperſuit tem-

mira ejus pietas & patientia.

poris (ſuperſuerunt autem decem & novem dies) in rerum cœleſtium meditatione traduxit, nec oculos Crucifixi imagine, nec mentem Crucifixi Dei cogitatione dimovens. Erat omnibus ſpeƈtaculo ad ſpeciem corporis fatiſcentis lugubri, ad conſtantiam & tranquillitatem, quam veritatis certò cognitæ, & vitæ bene aƈtæ conſcientia dabat, longè præclariſſimo. Quinque aut ſex ante mortem diebus leƈto affixus, cùm jam mortem faucibus concepiſſet, ac ſpiranti mortuo ſimilis videretur, erat robuſto, ut cùm maximè & conſtanti animo; precaturum ſe pro amicis dicebat, cùm ad Chriſtum migràſſet, eáque ſibi curabat ex Scripturis ſanƈtis legi, quæ olim ad hoc tempus proviſa notaverat. Tandem quo die naſcentem Deum celebravimus, præclarè ſecum agi exiſtimans, quòd ſibi tam ſanƈto die moriendum eſſet, extremas preces duabus ante mortem horis ultimam abſolutionem in ipſo extremo ſpiritu petiit, ſicque obdormivit in Domino an. 1718. Neſas lugere duximus tam

Beata mors 1718. 25. Decemb.

ſignatam mortem omnibus prædeſtinationis notis: ſed tamen eximiam morum ſimplicitatem ingenio non mediocri, ſummam pietatem eruditioni non vulgari, ſeveriorem doƈtrinam facili inter ſodales animo conjunƈtam deſideramus.

Scripta.

Reliquit in Manuſcriptis Opera S. Cyrilli, prælo parata, quæ eidem ab ipſius obitû ſubjecit *Prudentius Maran* ſub hac epigraphe: *Sanƈti Cyrilli Archiepiſcopi Jeroſolymitani Opera, Græco-Latina quæ extant omnia, & ejus nomine circumferuntur, ſtudio & labore Ant. Auguſtini Toutée ad manuſcriptorum fidem exaƈta. Volumen in fol. Pariſiis ſumptibus Jacobi Vincent anno* 1720. Etſi verò hæc editio eruditis notis atque obſervationibus non careret, atque inſuper doƈtiſſima inſtruƈta eſſet præfatione, tanti tamen Jeſuitæ Trivoltienſes non fecerunt, ut eam acriter in Memoriis ſuis an. 1721. non impugnarent. Pro P. *Toutée* reſpondit Domnus *Prudentius Maran* non minori acrimonia editionem propugnans, Diſſertatione in publicam datâ lucem an. 1722. cui titulus: *Diſſertatio de Semi-Arianis, in*

quâ defenditur nova editio ſancti Cyrilli Jeroſolymitani contra Authores Memoriarum Trivoltienſium.

Epiſtolæ tres anonimæ. Attribuuntur etiam, teſte *Cerſio* in Bibl. Hiſt. & Crit. pag. 486. Patri *Toutée*, tres epiſtolæ à Theologo ad Epiſcopum ſcriptæ ſuper hac quæſtione: *Num Jeſuitis poteſtas poſſit fieri excipiendi confeſſiones, & dandi abſolutionem?* prima harum epiſtolarum impreſſa fuit anno 1715. & aliæ duæ an. 1716. Si Pater *Toutée*, uti fertur, verus eſt author, ego in animum inducere non poſſum, ut credam, easdem permiſſu Superiorum typis vulgatas eſſe, cùm non neſciant praxim eſſe contrariam, & Societatem habere ſuos *Toletos*, *Filiucios*, *Sanchezios*, *Laymannos*, aliósque quàm plurimos, quorum Theologiæ Morales magnis ubique laudibus commendantur.

XXIX.

† 1726.

LUDOVICUS BABENSTUBER
Theologus Ettalenſis.

Breve ejus elogium, & natales. VIr conſummatæ in omni genere doctrinæ & probitatis in lucem prodiit Deningæ in Bavaria an. MDCLX. Et licèt natura docile ingenium denegâſſe viſa fuerit, profeſſus tamen an. MDCLXXXII. vitam Benedictinam, multo labore & vigiliis facilem ſibi ad omnes ſcientias viam comparavit. Cùm ergo in Convictu Salisburgenſi, ubi *Regentis* munus obierat, novis identidem augmentis animum probè excoluiſſet, prima doctrinæ ſpecimina in *Philoſophica* cathedra tum *Salisburgi* anno MDCXC. tum in celebri Canonia *Schlechdorffenſi* patefecit, magíſque in dies prodidit, poſtquàm ab anno MDCXCV. usque MDCCII. explicandis *Caſibus Conſcientiæ*, ab anno MDCCIII. usque MDCCX. *Theologiæ Scholaſticæ*, & ab anno MDCCVI. usque MDCCXVI. *S. Scripturæ* inſudavit. Tertiò præterea *Vice-Rector*, ac *Procancellarius* ab an. MDCCIX. usque MDCCXVI. æternam ſui memoriam in Univerſitate reliquit. Reverſus exinde ad Ettalenſe Cœnobium, poſtquam canos dies legendo, orando, ac ſcribendo ſanctè conſumpſiſſet, vitales auras deſeruit anno MDCCXXVI.

Salisburgi annis pluribus docet.

Moritur 1726.

Vivit tamen hodiedum in præclaris ingenii ſui monumentis, nec ullis unquam temporibus grata ejusdem memoria in Ss. Theologiæ Auditorum animis deleri poterit, cùm is auctor fuerit, ut huic Facultati ſua eſſent collegia, in quibus totius Theologiæ arcana compendio percurrerentur, eáque omnia, quæ majoris difficultatis aut indaginis diſcipulis viderentur, facili methodo, ac ſæpiùs repetitis explicationibus palam fierent. Ejus exemplum reliqui Theologiæ Doctores ſecuti centum quotannis quæſtiones enodare ſolent, ac omne illud, quod ingenio ſuo Auditores aſſequi poſſunt, ſumma perſpicuitate evolvunt. Unde cùm viri magnæ ſemper in literis famæ profeſſuras ſuſtinerent, atque in arduis & neceſſariis potiſſimùm omnium labor hæreret, tanta Facultatis hujus merita ſunt, ut famam non ſine invidia laceſſant.

ipſius in Rempubl. literariam merita.

SCRIPTA.

1.) *Problemata & Theoremata Philoſophica.* Sunt tres diſtincti Tractatus. Typis Joan. Bapt. Mayr Salisburgi. an. 1689.

2.) *Quæſtiones Philoſophicæ*, in 4. Salisburgi apud eundem an. 1692.

3.) *Fundatrix Ettalenſis*, id eſt, Imago Thaumaturga B.V.M. in 8. Monachii an. 1694. apud Joan. Luc. Straub.

4.) *Regula morum*, ſeu *dictamen conſcientiæ*. in 4. Salisburgi 1697. apud Jo. Bapt. Mayr.

5.) *Tractatus de Jure, & Juſtitia.* in 4. ibidem apud eundem an. 1699.

6.) *Deus abſconditus in Sacramento Altaris*, in 4. ibidem 1700. apud eundem.

7.) *De ſtatu parvulorum ſine Baptiſmo morientium.* in 4. ibidem apud hæredes Jo. Bapt. Mayr. 1700.

8.) *Philoſophia Salisburgenſis.* fol. Auguſtæ Vindel. anno 1706. item anno 1724. apud Schlütter & Happach.

9.) *Principia, bonitas, & malitia actuum humanorum* in 4. Salisburgi apud hæredes Jo. Bapt. Mayr.

10.) *Deus unus.* in 4. ibid. 1706. apud eosdem. anno præcedente prodierat *Deus trinus* apud eosdem.

11.) *Gratia Divina*, in 4. ibidem 1706. apud eosdem.

12.) *Vindiciarum prædeterminationis phyſicæ pars prior* in 4. ibidem anno 1707. apud Joan. Joſeph. Mayr.

13.) *Earundem pars poſterior.* in 4. anno eodem apud eundem.

14.) *Peccatum originale.* in 4. ibidem apud eundem an. 1709.

15.) *Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium.* in 4.

in 4. ibidem an. 1710. apud Jo. Joſeph. Mayr.
16.) *Quæſtiones de Matre Dei.* in 4. ibid. apud eund. 1712.
17.) *Vindiciæ Vindiciarum Prædeterminationis Phyſicæ.* in 4. apud eund. an. & loco eodem.
18.) *Vindiciæ Vindicis.* in 4. ibid. apud eund. an. eod.
19.) *Ethica Supernaturalis Salisburgenſis.* fol. Auguſtæ Vind. an. 1718. & 1735. ſumptibus Schlütter & Happach.
20.) *Diſſertationes Theologicæ contra Queſneln propoſitiones.* in 8.
21.) *Vita S. Magni* in 8. typis Monaſterii Tegernſeenſis an. 1721.
22.) *Sacræ Deliciæ Marianæ.* in 12. Salisburgi anno 1701. apud Jo. Bapt. Mayr.
23.) *Proluſiones Academicæ.* in 8. an. 1724.
24.) *Theſes menſtruæ plurimæ*, quas enumerare longum foret. Omiſſæ etiam ſuprà fuerunt *Quæſtiones Metaphyſicæ* in 4. Salisburgi an. 1695. apud Jo. Bapt. Mayr.

Ex Hiſtoria Univerſitatis Salisburgenſis Lib. 2. cap. 7. pag. 381. & Felicis Egger Idea Ord. Hierarch. Bened. Lib. I. Part. III. Diſſert. II. Num. V.

XXX.

† 1721. 1. Sept.

BENEDICTUS BACCHINUS Abbas Congregationis Caſinenſis.

Ejus natales & parentes. *BEnedictus Bacchinus* ex ſuburbio S. Dominici, quod oppidum eſt Ducatûs Parmenſis, lucem hanc primùm aſpexit Idibus Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo. Parentes fuerunt *Alexander Bacchinus*, & *Joanna Martini*, cives honeſti, quorum uterque ex urbe Parmâ originem duxit. E ſacro fonte nomen tulit *Bernardini*, quod Benedictina inſtituta amplexus in *Benedicti* commutavit.

Educatio. Biennio pòſt, anno 1653. cùm pater relictâ natali civitate domicilium Parmæ collocâſſet, filium ſecum abduxit, in quo educando nullis pepercit ſumptibus, quos ejus facultates, quæ tenues erant, ferebant. Literis humanioribus, non ſine progreſſu, operam navavit in Collegio Patrum Societatis.

Profeſſio religioſa. Anno ætatis decimo ſexto in religioſam Benedicti Familiam ingreſſus, ſe Deo ſolenniter dicavit quarto idus Decembris anno 1668. in Parmenſi monaſterio ad S. Joannem Evangeliſtam. Patrem, nullâ re florentem, ſæpiùs videre adeò in optatis non habuit, ut eum ex oculis potiùs amittere quæreret. Nec matris, aut fratris & ſororis præſentiam æquo animo ferebat, quòd res eorum ferè ad incitas redactæ eſſent.

Studia. Poſthæc in Parmenſi Cœnobio ad ſcholaſticas Philoſophiæ ac Theologiæ facultates addiſcendas animum appulit, ſed diversâ longè ratione, quàm quæ vulgò in Italia hactenus recepta fuit. Neque enim exſucca & exſangui Theologiâ Scholaſticâ contentus, in evolvendis divinis libris, ſanctis Patribus, ſacris Conciliis, atque Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ ſummum ſtudium collocavit. Verùm cùm nimiâ ſtudiorum contentione corporis vires attriviſſet, decurſo altiorum diſciplinarum ſtadio, in gravem morbum incidit, à quo ut convaleſceret, campeſtre aliquod monaſterium adire juſſus eſt, ubi duos annos commoratus priſtinam ſanitatem ita recuperavit, ut ſe exantlando labori in habendis ad populum ſacris concionibus parem exiſtimaret.

Fit Secretarius Abbatis Arcioni. *Angelus Maria Arcionus* Abbas S. Benedicti Ferrarienſis paulò pòſt *Bacchinum* ſibi à ſecretis & epiſtolis voluit eſſe; quâ ratione factum, ut cùm eximius ille ac doctiſſimus Præſul officio Abbatis pluribus iiſque celeberrimis in monaſteriis ſuprà annos triginta fungeretur, eum *Bacchinus* Aretium, Venetias, Placentiam, Paduam, ac Parmam comitari neceſſe habuerit.

Varia conficit itinera. Ex quibus itineribus illud commodi ad eum redit, quòd in virorum eruditione ac doctrina præſtantium cognitionem venerit, quos pleroſque amicitiæ fœdere ſibi conjunxit. Denique vitæ tantis animi ac mentis evagationibus obnoxiæ impatiens fieri cœpit. Munus *Concionatoris* & officium *Secretarii* non minimo impedimento ipſi erant, quò minùs ſe totum, ut exoptabat, literarum ſtud is dare poſſet. Parmam anno 1683. reverſus nullum non movit lapidem, ut ab utroque illo munere abſolveretur; cujus fui voti ab Abbate demùm compos eſt factus.

Bibliothecam ſui Cœnobii ordinat. Tum verò temporis pro arbitratû ſuo impendendi nactus poteſtatem, illo uti primùm cœpit ad Bibliothecam monaſterii ſui concinnè ordinandam. Quâ re illud conſequutus eſt, ut in magnam librorum notitiam venerit. His verò diſpoſitis Linguæ Græ-

Græcæ ac Hebraicæ peritiam ſibi comparavit.

À Duce Parmenſi Theologus eligitur.

Anno 1688. cùm Dux Parmenſis in metu eſſet, ne *Bacchinus* operâ quorundam Abbatum ſui Ordinis Parmâ abduceretur, eum in ſuum Theologum elegit, ratus, ſic omnem ex urbe diſcedendi facultatem ei ademptam eſſe. At enim non multo tempore eò loci commoratus eſt. Abbate *Arcionio* è vivis ſublato turbæ *Bacchino* datæ fuerunt ex delatione Monachorum Benedictinorum, qui Parmæ monaſterium ad S. Alexandrum inhabitant. Cùm enim ab Abbate illo regendis monachis præfectus fuiſſet, curámque rerum totius monaſterii temporalium non ſine ejus commodo & emolumento re ipsâ geſſiſſet, ea tamen adminiſtratio nonnullis haud probata fuit, résque demùm eò proceſſit, ut *Pacchino* Parmâ diſcedendum fuerit.

Simultates ei ſuſcitatæ.

Conſultor S. Officii Mutinæ conſtituitur.

Tantis animi dotibus exornatus *Franciſco II.* Duci Mutinenſi commendatus fuit, qui eum non ita multo poſt tempore, anno nempe 1691. Mutinam excivit. Eò autem venit in dignitate *Conſultoris ſancti Officii* conſtitutus. Bononiam etiam ad ſacras Literas exponendas vocatus fuit; ſed cùm vel morbo, vel aliis impeditus negotiis paucas habuiſſet lectiones, non tam Sacræ Scripturæ Profeſſor fuit, quàm ſimplici ejus gaudebat titulo.

Rainutii Ducis in eum benevolentia.

Franciſco II. Duci Mutinæ Nonis Septemb. anno 1694. vitâ defuncto, *Rainutius* nepos ex fratre ſucceſſit. Hic majore adhuc benevolentiâ *Bacchinum* complexus eſt, quàm quâ illum ejus deceſſor dignatus fuerat. Ut impediret verò, ne charum caput è complexu ſibi eriperetur, operam dedit, ut Parmenſem provinciam, ex qua erat, cum Mutinenſi ei commutare liceret. Adhæc fratrem ipſius, *Cæſarem Antonium Bacchinum*, Mutinam evocavit, ubi cùm domicilium collocâſſet, honeſtas ac locupletes eidem nuptias conciliavit. Anno 1696. ad finem properante *Bacchinus* in varias Italiæ urbes iter literarium inſtituit, ut Bibliothecas ac viros literatos inviſeret. Quas urbes adivit, præcipuæ fuerunt Neapolis, Florentia, & Roma. Cardinalis *Agvirre*, ut eum Romæ retineret, inter Cuſtodes Bibliothecæ Vaticanæ adlegi curavit; verùm cùm difficultates adeundæ hujus provinciæ objicerentur, reditum Mutinam maturavit.

Bacchini iter literarium.

Ducali Bibliothecæ Mutinæ præficitur.

Commodùm eam in urbem redierat, cùm à Duce Bibliothecæ ſuæ præfectus fuit; quô munere multos annos cum laude functus eſt.

Variis in ſua Congregatione officiis functus.

Mirum fuiſſet, ſi vir tantis meritis clariſſimus nullis ſua in Congregatione honoribus afficeretur. Anno 1704. electus fuit in Priorem Mutinenſis Monaſterii. Anno 1711. Abbas S. Petri eadem in civitate creatus eſt; quam dignitatem tenuit usque ad an. 1713. quô regimen adiit Abbatiæ S. Petri Regienſis in Æmilia. Anno 1719. Bobienſe in Alpibus Cottiis monaſterium regendum ſuſcepit. Loci hujus grave & inſalubre cœlum ejus ſanitatem magnoperè afflixit, quam Placentiæ, ubi mitior & ſalubrior aura, ut recuperaret, eò ſe contulit, relicto Bobienſi cœnobio. Nec omninò ſpe ſua fruſtratus eſt. Hinc Paduam conceſſit, eo animo, ut illa in urbe reliquos vitæ dies tranſigeret; ſed peculiares rationes erant, quæ, ut illic diutiùs ageret, obnuntiârunt. Ferrariam igitur menſe Septembri an. 1720. profectus eſt. Hîc usque ad menſem Julii proximi anni ſubſtitit; quo tempore Bononiam iterùm evocatus eſt, ut in ejus urbis celebri Univerſitate partes Profeſſoris Sacræ Scripturæ impleret, cujus titulum jam ab anno 1693. geſſerat. Vix verò urbem ingreſſus erat, cùm morbi incommoda, quibuscum conflictari ſolebat, redierunt, & eâ quidem dolorum vehementiâ, ut iisdem brevì ſuccubuerit. Animam egit Calend. Septemb. an. 1721. ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Vir erat magnæ doctrinæ ac eruditionis, in Hiſtoria cùm Eccleſiaſtica tum Civili apprimè verſatus. Tantum ac tam eruditum virum omnes & æſtimabant, & colebant, quem amaturi etiam fuiſſent, ſi minùs auſteram frontem, majorem verò morum ſuavitatem præ ſe tuliſſet.

mortales deſeruit A. 1721. 1. Sept.

SCRIPTA.

Vitam eruditiſſimi Bacchini compendiario ſtylo à Cl. *Nizeronio* Gallicè ſcriptam, à nobis verò Latine redditam hîc dedimus; ejus Scripta tamen non ex ejusdem Nizeronii Memoriis, ſed Abbatis *Armellini* Bibliotheca recenſebimus; quem enim Catalogum hic texit, præ illius elencho non uberiorem modò Operum notitiam ſuppeditat, ſed præter typis impreſſa etiam Manuſcripta enumerat.

Oratio Epicedica.

1.) *Oratione Epicedica per Madama Sereniſſima Margherita Medici Farneſe,*

nel

Digitized by Google

nel ſolenne Funerale celebrato in S. Siſto di Piacenza, compoſta, e detta da D. Benedetto Bacchini Caſinenſe. Placentiæ ex typographia Ducali per Joan. Bazachi an. 1679. Eſt, teſte Armellino, qui eam vidit ac legit Aſſiſi anno 1729. Chriſtianæ non minùs, ac moralis Philoſophiæ documentis, quàm humanæ eruditionis floſculis referta.

Panegyris S. Nicolai Tolentini.

2.) *Le cagioni, e gli effetti dell' unione di S. Nicola di Tolentino con Dio.* Patavii typis Caroli Francisci Magri 1682. in 4. quam Panegyrim refert, & laudat *Joannes Cinellus* Biblioth. Volant. pluteo 5. pag. 10. & pluteo 7. pag. 19.

Ephemerides literariæ.

3.) *Giornale de' Letterati tom. 1.* In Parma per *Giuſeppe dell' Oglio, e Hippolito Roſati* anno 1686. Tom. 2. an. 1687. Tom. 3. an. 1688. Tom. 4. anno 1689. omnes ibidem apud eosdem. Tom. 5. ibidem apud Hippolytum, & Franciſcum Mariam Roſati anno 1690. Tom. 6. Mutinæ apud hæredes Caſſianos an. 1692. Tom. 7. ibidem apud eosdem an. 1693. aſſumptis ſociis laboris, ſed hoc duntaxat anno. Tom. 8. Mutinæ apud Capponum anno 1695. Tom 9. ibidem apud Capponos & Pontirolos anno 1699. omnes in 4.

Quamvis autem Ephemerides iſtæ Patris etiam *Gaudentii Roberti* Carmelitæ nomen, tanquam Socii laboris præſeferant, id tamen honoris tantùm gratiâ ei contigit, cùm reverà earum Auctor ſolus Bacchinus fuerit, Pater vero Gaudentius nonniſi libros à Bacchino referendos comparaverit, & impenſas ſuppeditaverit, ideóque ejusdem operis primum veluti mobile, ac ſpiritus jure ac ingenuè à Bacchino ipſo vocatus ſit in præfatione Ephemeridis anni 1692. quod tum aliunde, tum etiam liquet ex Epiſtola celeberrimi Antonii Magliabecchii ad Cl. D. M. Wagnerum Florentiâ die 24. Februarii 1691. quæ refertur à Chriſtiano Junchero in Schediaſmate hiſtorico *de Ephemeridibus Eruditorum* impreſſo Lipſiæ anno 1692. in qua ſic loquitur Magliabechius; *Il P. Don Benedetto Bacchini Caſinenſe, che è quello, che componeva il Giornale de' Letterati, che ſi ſtampava in Parma, adeſſo ſi trova nel Monaſtero di S. Benedetto di Mantova; Mi ſcrive, che ha penſiero di ſequitare à dar fuora il Giornale* &c. Cæterùm in hoc Opere non ſolùm libri, & in eis contenta recenſentur, ſed etiam Judicium & Cenſura in eos profertur, contrariæ etiam opiniones aliquando proponuntur, quin imò integræ non raro inſeruntur orationes ab Academicis Italis habitæ, varia inſuper antiquitatis monumenta noviter reperta, & alii Philologici flores ſpectandi exhibentur; Obſervationes quoque medico-phyſicæ, aſtronomicæ, & mathematicæ adduntur; Denique ipſe Bacchinus plures præclaras diſſertationes proprias de rebus eruditiſſimis, inſeruit, inter quas celebris illa eſt, *de Puella noctu vidente*, quæ impreſſa iterùm fuit à Literatis Batavis.

Acta & opera Corneliæ Piſcopiæ.

4.) *Helenæ Lucretiæ* (quæ & Scholaſtica) *Corneliæ Piſcopiæ Virginis pietate, & eruditione admirabilis, Ordini S. Benedicti privatis votis adſcriptæ, opera,* quæ quidem haberi potuerunt, quibus actorum ejusdem Helenæ Florilegium ipſe *Bacchinus* præmiſit, qui prædicta opera edenda curavit Parmæ typis Hippolyti Roſati anno 1688. in 8. Hunc librum refert ipſe Bacchinus in ſua Ephemeride anno 1688. pag. 34. & ſeqq.

De Anatomia corporis.

5.) *Saggi di Anatomia, ne' quali chiaramente ſi ſpiega la ſtruttura degli organi del corpo animato, e le loro operazioni mecchaniche ſecondo l' Hipoteſi nuove de N. Dottore di Medicina, tradotto dal Franceſe nella lingua Italiana dagli Autori del Giornale de' Letterati di Parma* (qui & ipſe ſolus *Bacchinus*) In Parma anno 1688. per *Giuſeppe dell' Oglio, & Hippolito Roſati*; & iterùm Venetiis apud Aloyſium Pavinum, & Patavii pluries apud Joſephum Coronam.

de Numo Scipionis Afri.

6.) *Diſſertatio in numiſma Scipionis Aphricani* in Epiſtolæ formam Magliabechio nuncupata, impreſſa in Ephemeride tom. 3. an. 1688.

de Siſtorum figuris.

7.) *De Siſtrorum figuris, ac differentia* ad Illuſtriſſimum D. D. *Leonem Strozza,* ob Siſtri Romani effigiem communicatam, Diſſertatio, Bononiæ anno 1691. in parvo fol. ex Typogr. Piſaniana, & iterùm Trajecti ad Rhenum, unà cum diſſertatiuncula, & notulis Jacobi Tollii, quam Perilluſtri Walthuſio conſecravit, ex officina Franciſci Haim Academiæ Impreſſoris anno 1696. in folio parvo. Jo. Georgius Græviu Tomo VIII. *Theſauri antiquitatum Romanarum* pag. 407. inſeruit, recenſionem verò videſis in Actis Erud. Lipſ. anno 1696. p. 246.

Dialogi tres.

8.) *Anonymi Dialogi tres. I. De Conſtantia in adverſis. II. De Dignitate tuenda. III. De Amore erga Rempu-*

blicam, qui ſuppreſſo nomine prodiêre Mutinæ anno 1692. typis Hæredum Caſſiani in 32. opera Jacobi Canrelli celebris Ducis Mutinenſis Geographi, & iterùm Parmæ typis Joſephi Roſati anno 1721. in 12. in quibus ethices documenta tractantur, Apologo quodam ficto per ethopeiam, adhibito. Hi dialogi ſunt varia doctrinâ refertiſſimi, nec minùs lectu digniſſimi. Ipſe Bacchinus in ſua Ephemer. Literat. anno 1692. pag. 50. & ſequen. refert, & accuratè deſcribit libellum ſuum trium Dialogorum tanquam alterius, non ſuus eſſet, ſed in vita ſua à ſe ſcripta num. 14. modeſtè ſe eorundem Dialogorum Authorem prodit.

Hiſtoria Padolironenſis cœnobii.

9.) *Dell' Hiſtoria del Monaſtero di S. Benedetto di Padolirone nello ſtato di Mantova lib. 5.* Ad Eminent. Cardinalem Cæleſtinum Sfondratum Caſinen. Congr. Protectorem. In Modena an. 1696. in 4. De hoc Opere valdè erudito vide Act. Liter. Lipſ. tom. 3. Supplem. pag. 131.

De Hierarchia Eccleſiaſtica.

10) *De Eccleſiaſticæ Hierarchiæ originibus diſſertatio*, Mutinæ anno 1703. typis Antonii Capponi in 4. Opus eruditiſſimum, & ab omnibus ſummoperè commendatum; Authores verò Ephemer. Venet. Literatorum Italiæ tomo 35. impreſſ. an. 1724. art. XIV. pag. 366. & ſeqq. ſic de hoc opere loquuntur: Operis hujus eruditiſſimi recenſionem dedimus tomo XXII. pag. 27. & tom. XXIII. pag. 181. *Elias Dupinus* in ultimo tomo Bibliothecæ ſuæ Eccleſiaſticæ nonnulla objecit, ad quæ Ephemeridum noſtrarum Authores reſponderunt tomo ſuprà dicto XXII. pag. 28. Non ſine magna etiam ejusdem laude recenſuerunt Eruditi Lipſienſes anno 1705. pag. 330. Judice *Jo. Alberto Fabricio* tom. V. Antiqq. Eccleſ. *Opus iſtiusmodi antehac nunquam in publico comparuit.*

Iſidori Clarii Epiſtolæ.

11. *Iſidori Clarii, ex Monacho Epiſcopi Fulginatis, Epiſtolas ad Amicos hactenus ineditas* ex autographo deſcriptas imprimendas curavit, ſub nomine tamen D. Mauri Piazzii Parmen. Abbatis (qui anno 1710. obiit) unà cum aliis duobus ejusdem Iſidori opuſculis, aliàs ſeorſim editis, id eſt, *De modo divitiis adhibendo, & ad eos, qui à communi Eccleſiæ ſententia diſceſſêre adhortatio ad concordiam*, Mutinæ anno 1705. Typis Antonii Capponi in 4.

Agnelli Liber Pontificalis.

12.) *Agnelli* qui & *Andreas*, Abbatis S. Mariæ ad Blanchernas, & S. Bartholomæi Ravennatis, *Liber Pontificalis*, ſive *Vitæ Pontificum Ravennatum*, quas Benedictus Bacchinus Abbas S. Mariæ de Lacroma Ord. S. B. Congr. Caſin. ex Bibliotheca Eſtenſi eruit, diſſertationibus, & obſervationibus, nec non Appendice monumentorum illuſtravit, & auxit, Mutinæ 1708. Typis Antonii Capponi tom. 2. in 4. & iterùm Mediolani poſt ejus obitum anno ſcilicet 1723. in fol. ex typographia Societatis Palatinæ in Regia Curia; quod opus juſſu S. Univerſalis Romanæ Inquiſitionis diligenter reviſum, & diſcuſſum fuit, ipſo Bacchino ad hunc finem Romam accito, ubi magnum doctrinæ ſuæ ſpecimen dedit.

De præſtantia Virorum ſui ævi.

13.) Item imprimendum curavit *Dialogum elegantiſſimum Benedicti Acolti* Aretini *de præſtantia Virorum ſui ævi*, Parmæ apud hæredes Mathæi Vigna 1689. in 12. quem Dialogum ab humaniſſimo, & de bonis literis benèmeritiſſimo *Antonio Magliabecchio* acceperat, cui eundem impreſſum, additâ nuncupatoriâ Epiſtola trium pagg. & Authoris vitâ præmiſsâ reſtituit, nomen ſuum tribus tantùm initialibus literis indicans. D. B. B. id eſt. *Don. Benedictus Bacchinus*; Ita Ephemer. Literat. Ital. tom. 11. anno 1712. pag. 331.

de Donatione Opilionis.

14.) Nuperrimè anno ſcilicet 1730. prodiit Venetiis apud Chriſtophorum Zane in libro prænotato, *Raccolta d' Opuſculi Scientifici, e Filologici* in 12. pag. 465. alia Bacchini lucubratio cum hoc titulo: *R.mi Patris D. Benedicti Bacchini Diſſertatio in Chartam Donationis Opilionis, quæ adſervatur Patavii in Archivo D. Juſtinæ.*

MANUSCRIPTA.

Manuductio ad Philologiam Eccleſiaſt.

1. *Manuductio ad Philologiam Eccleſiaſticam* tom. 2. in folio, in qua præmittuntur neceſſaria ad Chronologiam, inde ſingulis annis Æræ Chriſtianæ, Criſis philologica exercitii cauſa adhibetur, per tria priora ſæcula. Utebatur Author hac Manuductione ad inſtituendos Eccleſiaſticæ Philologiæ Candidatos, apud quos ejusdem Manuductionis plura exemplaria inveniuntur.

de motionibus Mercurii in Barometro.

2. *Diſſertatio de Motionibus Mercurii in Barometro*, in qua cauſa aſcenſus, & deſcenſus Mercurii in ſiſtula phyſicè explicatur, reddità ejus rei ratione, & de aëris pondere ad tempeſtatum mutationem, diſputatur.

De nodo prædeſtinationis.

3. *Ad Nodum prædeſtinationis Cardinalis Sfondrati diſſertatio* ſub nomine *Barachiæ Scutenſis*, id eſt, *Benedicti Parmenſis*, de qua plura alio loco.

De Actis SS. Creſcii & Sociorum.

4. *Hipercriſis ad Criſim P. Magiſtri Gerhardi Capaſſii & Anticriſim Patroni Laderchiani* ſuper Acta Sanctorum *Creſcii, & Sociorum MM.* in qua absque ſtudio partium, quid uterque ritè, quid ſecùs dicat, perpenditur, & perſtringitur abuſus, qui nimiùm invaluit, quo in literariis, & maximè ſacris quæſtionibus res agitur inter doctos Catholicos convitiis, ſarcaſmatibus, & calumniis, ut à Sumo Pontifice remedium opportunum imploretur pro publica Catholicorum Scriptorum dignitate. In fine teſeruntur Acta ipſa cum notulis 1709. Hanc etiam Bacchini lucubrationem referunt, & laudant iidem Authores Ephem. Venet. tom. 3. pag. 191. & pag. 221. usq; ad 251. tanquam inſignem, ac luce digniſſimam, cùm in ea Bacchinus non minùs doctrinam, quàm æquitatem, ac modeſtiam, ut ei ſemper in more fuit, oſtendat.

Epiſtola de eadem materia.

5. *Epiſtola D. Virginio Valſechio ſuper Hiſtoriam Sanctorum Creſcii, & Sociorum* Italicè ſcriptam à Marco Antonio Mozzi Canonico Florentino.

De Viis Romanis.

6. *De Viis antiquorum Romanorum per Italiam*, quod tamen opus cùm Bacchinus primæva ætate ſcribere cœpiſſet, aliis poſteà operibus intentus minimè abſolvit.

Epiſtolæ Polemicæ.

7. *Lettre cinque in riſpoſta di alcuni libri di Giacomo Piccenino Eretico Calviniſta, Miniſtro della Chieſa di Soglio*; eſt liber non parvæ molis, ubi illius Hæretici impugnationes in Catholicam fidem eruditè, ac nervosè, SS. Patrum, Sacræ Scripturæ authoritatibus ex ipſo Hebraico, & Græco petitis fonte, & quod efficaciſſimum eſt, rationibus ex eorundem Hæreticorum quorumcunque præſertim recentiorum principiis deſumptis, ad hominem, ut ajunt, penitus diſſolvit, & evertit. In iis agitur de ſacra Doctrina, ſacríſque novi & veteris Teſtamenti libris, eorúmque intelligentia, ac interpretatione; de ſacris traditionibus, & de Judice Controverſiarum Fidei inter Chriſtianos; ejus autem mens erat integrum Dogmaticæ & Polemicæ Theologiæ curſum eâdem methodo abſolvere.

Couſtantii Vindiciæ adversùs Germonium.

8. *Epiſtola* ſub nomine *Eleutherii Ilerini à S. Irene*, ad Ill.mum D.N. contra librum Patris *Germonii* de Hæreticis veterum MSS. corruptoribus pro D. *Petro Couſtant* Monacho Ord. S. Benedicti Congregationis S. Mauri. Authores Ephem. Venet. Literat. Ital. tom. 35. pag. 371. „Il Signor Marche„ſe Maffei aveva donato all' Amico „Bacchini il libro del P. Germon, „e queſto ne ſcriſſe queſt' Opera, am„piamente, & dottamente confutan„dolo; mà veduta la riſpoſta del P. „Couſtant, ne ſoſpeſe la publicazio„ne, e mandolla al ſudetto Signor „Marcheſe, che la fè paſſare in Fran„cia, e n' ebbe l' approvazione sì „dallo ſteſſo P. Couſtant, che d' altri „Letterati di Parigi, e credeti, che „ancora ella ſia in Francia.„

Obſervationes in Regulam S. Bened.

9. *Obſervationes in Regulam S. P. Benedicti, & in Conſtitutiones Congregationis Caſinenſis*, eſt liber in fol.

aliæ animadverſiones criticæ.

10. *Ad Cenſuras, ob quas c om non fuerunt approbatæ literæ quinque contra Picceninum Calviniſtam, ſcriptæ, obſervationes.* Editæ fuerunt Altorfii (in pago Urenſi) ſumptibus novæ Societatis, anno 1738. in 4.

De qualificatione.

11. *De Propoſitionum, & Doctrinarum Dogmaticarum qualificationibus, & rectâ qualificandi ratione, partes tres; Prima* generalia argumenti principia explicat. *Secunda*, ſingulas quasque Concilii Conſtantien. in Wicleffi, & Hus articulos, cenſuras, & quasdam à recentioribus adjunctas regulas excutit. *Tertia*, quibus ſubſidiis Qualificatorem munitum eſſe oporteat, exponit.

Genealogia Farneſiana.

Has præterà Bacchini MSS. lucubrationes referunt, & expendunt prælaudati Authores Ephem. Venet. Literat. Ital. ſæpè allegato tomo 25. art. xiv. pag. 369. & ſeqq. quas ipſis eorundem verbis hîc transcribimus.

12. *Scrittura ſopra la Genealogia della Ser.ma Caſa Farneſe deſcritta dall' Abbate Teodoro di Amagdeno.* Demadeno „Aln. 12. (tom. xxxiv. earund. Ephem. „pag. 308.) della ſua vita narranſi i „motivi di formare queſta Scrittura, „dove anche l' Autore afferma di „averne ſerbato copia appreſſo di ſe; „Altronde però intendiamo, che l' „originale conſervaſi appreſſo il Sere„niſſimo di Parma; Per altro certiſſi„mo egli è, che l' Amagdeno in quelle „ſue Iſtoire genealogiche afferma coſe, „che non hanno, nè haver poſſono „fondamento veruno ne sù racconti „d' Iſtorici accrediati, ne sù antichi „documenti.

Victorii translatio.

„13. *Victorii Presbyteri Antiocheni* „*Interpretatio in Evangelium Marci* „*è Græco in Latinum ſermonem* „*tranſlata.*

Diarium itineris in montem Caſinum.

14. *Diario del Viaggio à Monte Caſino*: „ di queſtè tre Opere dal Signor „ Muratori ce n' è ſtata communica- „ ta la notizia.

Reſponſio ad P. Wolff Jeſuitam.

15. *Scritture due in riſpoſta ad altre del* „ *P. Wolff Geſuita* ſoprà affari politi- „ ci allor vertenti, à richieſta del Se- „ reniſſimo di Modena, appreſſo il „ quale anche ſi conſervano.

Defenſio Principis Italiæ.

„ 16. *Altra dotta, e lunga Scrittu-* „ *ra* à difeſa di un Prencipe d' Italia, à „ cui era conteſo il poſſeſſo di Feudo no- „ biliſſimo, e riguardevole, „ Paſsò ſotto il nome d' un gran Miniſtro, ora deſonto, e ottenne il ſuo intento.

Hiſtoriæ Monaſterii Polivonenſis Tomus 2.

17. *Tomo 2. dell' Iſtoria del Monaſtero di S. Benedetto di Polirone* „ L' An- „ tore ſteſſo l' accenna al num. XXVII. „ della ſua vita (Tom. XXXIV. pag. „ 312.) come anche produce i moti- „ vi del non averlo dato alle ſtampe „ doppo il primo.

Adnotationes in Ughelli Italiam.

18. *Annotazioni ſopra l' Italia ſa-* „ *cra dell' Ughello* „ Eſſendo queſte „ ſcritte in vari fogli quà e là di- „ ſperſi, non ſi sà, come con gran „ rincreſcimento del loro Autore, e „ danno della Letteraria Republica, „ ſi ſmarrirono.

De Juriſprudentia medii ævi.

„ 19. *Oſſervazioni in propoſito della* „ *Giuriſprudenza de' Secoli baſſi*, ca- „ vate dall' attenta lezione degli an- „ tichi documenti, de' quali era il „ Bacchini avido ricercatore, anche „ queſte ſi perdettero con grave ſuo „ ſpiacere.

Tractatus de re diplomatica.

20. *Trattato della ſincerità, e falſi-* „ *tà de' Diplomi.* „ Queſto Trattato è Latinamente ſcritto, ed è indiritto al prelodato Signor Marcheſe Maffei, che ſebarlo, come coſa ſingolare, e di cui non v' ha forſe altra copia, e come memoria cariſſima dell Amico defonto.

Variæ diſſertationes & collectanea.

„ Laſciò finalmente il P. Abbate „ *Bacchini* molte *Diſſertazioni, e Di-* „ *plomi, ed Atti*, che traſcriſſe da va- „ ri Archivi.... & alcune *raccolte di* „ *documenti ſpectanti all' Iſtoria Mo-* „ *naſtica*.... e di queſti prezioſi teſo- „ ri egli n' era liberaliſſimo à ſtudio- „ ſi, & amici, molti de' quali ne hanno „ fatto un aſſai buon' uſo, mà non „ tutti l' hano corriſpoſto colla dovu- „ ta gratitudine, mentre nè pur lo „ nominano, dove, e come, dove- „ rebbero per giuſtizia. Queſti docu- „ menti con molti ſuoi ſcritti doppo „ la ſua morte portati à Roma ſono „ ſtati ripoſti frà le coſe di molto prez- „ zo nella Bibliotheca Vacicana. „ Ita illi, ſed hæc Bacchini documenta, & lucubrationes, non utique omnia in Vaticana Bibliotheca, ſed magnâ ex parte alibi nunc reperiuntur.

Alia opera prelo parata.

Inter ea autem, quæ in lucem emittere cogitaverat *Bacchinus*, ſed poſtea aliis emittenda conceſſit, ſunt duo hæc egregia opera.

1. *Opus Hiſtorico-Dogmaticum contra Hiſtoriam Eccleſiaſticam Baſnagii.*

2. *Opus Dogmaticum contra nonnullos ſui temporis Novatores.*

Reliquit præterea Bacchinus ſequentia Opera MSs.

1. *Quæſtiones Politico-Morales.*

2. *Scriptum triplex, Italicâ linguâ*, quo demonſtratur, Italiæ Principes non potuiſſe, ſalvâ conſcientia, contributionibus, multóque minùs debuiſſe tot, tantíſque ab Imperatore, neve à Principum Germaniæ Conventû anno 1692. gravari ad Cæſareum Exercitum in hibernis alendum. eſt in fol. pagg. integr. 20.

Notæ in D. Hieronymi epiſtolas.

3. *In epiſtolas divi Hieronymi Notas.* Sunt notæ admodùm eruditæ, & ut plurimùm hiſtoricæ in omnes Epiſtolas primi Tomi, quæ ſunt num. 49. ſecundùm Mariani Victorini collectionem: & in 4. alias ſecundi Tomi, quarum ultima eſt ad *Reperium*, ſed imperfecta, quia aliquot hujusce lucubrationis paginæ perierunt: ſuperſtites autem ſunt n. 32. in fol. parvo: Breves quidem plerumque ſunt notæ iſtæ, utpote à Bacchino tunc juvene exercitationis gratiâ compoſitæ: ſed poſtea ampliſſimum itémque doctiſſimum Commentarium ſeorſim ſcripſit in Epiſtolam 3. laudati pr. Tomi ad *Heliodorum*, quæ eſt *Epitaphium Nepotiani*, & continetur paginis integris n. 16. in fol. magno: Sed nec iſta Commentatio eſt abſoluta, pervenit enim tantùm ad illa Hieronymi verba: *Hoc idem poſſumus & de iſto dicere, qui Baſilicas &c.*

Series Conſulũ, Pontificum & Impp.

4. *Series Conſulum, Pontificum, & Imperatorum, ad veram Eccleſiaſticam Chronologiam, cum nonnullis notis hiſtoricis, uſque ad annum* 1198. quô Baronius Annales perducit. eſt opus pagg. integr. num. 50. Hæc tria Bacchini MSs. ipſiúsque calamo exarata, fuerunt apud Abbatem Armellinum ex dono D. Hippolyti Pugneti primi ejusdem Bacchini, ex Monachis diſcipuli, cui ille olim dono dederat, omni auro cunctíſque gemmis pretioſiora.

Vitam

Ejus idiographia.

Vitam ſuam *Bacchinus* ipſe in literas Latinas retulit per eam cauſam, ut triceſimo volumini Elogiorum Virorum Illuſtrium Academiæ Roſſanenſis, cujus membrum erat, insereretur, non autem ultra an. 1704. produxit; nam anno inſequenti ad Abbatem *Hyacinthum Gemmam* miſit; reliquum ejus vitæ ab anno 1704. quô illam *Bacchinus* ſcribere deſiit, usque ad an. 1721. quo obiit, diligentiſſimè proſequuti fuerunt Ephemeridum Venetarum Auctores ex relatione *Ludovici Antonii Muratorii*, D. *Cæleſtini Loreſice*, Monachi è Congr. Caſin. & *Antonii Vallisſuerii*. Prodiit verò anno 1723. Venetiis in prædictar. Ephem. Tom. 34. art. xi. pag. 295. Ex quibus plura curioſi delibare poterunt.

XXXI.

† 1725. 30. Martii.

DIONYSIUS DE SAINTE-MARTHE.

Ortu Pariſienſis,

IS Lutetiæ Pariſiorum natus erat 24. Maji anno reparatæ ſalutis 1650. ex nobili Sanmarthanorum gente tot virorum eruditione & virtute inſignium fœcundâ nutrice. Patrem habuit *Franciſcum de Sainte-Marthe* dominum de *Chandoiſeau* in Pictonibus, matrem verò *Mariam le Camus* cùm ſtirpis claritate, tum pietate ſpectabilem. Sortitus animam bonam, pulcher ac decorus aſpectu, acer ingenio, & naturâ propenſus ad ſtudia, moribúsque ſuaviſſimis ornatus, parentibus in amore ac deliciis fuit, liberorum natû minimus: hincque effectum eſt, ut pater in provinciam reverſus, ejus infantiæ educator & inſtitutor eſſe voluerit.

à teneris paternâ educatus curâ,

Sub hoc magiſtro mirum in modum profecit, jamque annum decimum quintum agens idoneus erat poſtremis gymnaſii literarii ſtudiis. Cumque pater animadverteret mandata teneriori menti ſemina uberiores fructus habitura, ſi domeſticam culturam exercitatio collegii roboraret, quæſito aliquo gymnaſio, in quo pietas ſimul & literæ docerentur, Pontileviense in tractu Bleſenſi, quod à Patribus Congregationis S. Mauri regitur, elegit. Illic adoleſcens non ſolùm noxios huic ætati ſcopulos effugit; non ſolùm nullâ prorſus aurâ vitiorum afflatus eſt, ſed etiam conceſſis oblectamentis parum movebatur, gravitatem quandam ſuavitate temperatam præſeferens; ita ut eum ſodales vulgò *puſillum ſenem* cognominarent, nec tamen quemquam plus diligerent. Nec ſumma pietas literarum ſtudiis nocebat, ſed ea potiùs adjuvabat, & viciſſim adjuvabatur; ita ut in utroque primas, omnium conceſſu, facilè obtineret.

in Pontilevienſi Lycæo ſtudiis humanioribus ſinem imponit.

Divi Benedictini inſtitutum amplexus,

Abſoluto Rhetoricæ curſu, ſubiit illius mentem mundi faſtidium, & ſolitudinis amor ac Congregationis S. Mauri inſtitutum amplecti ſtatuit. Poſt, quàm ad pium conſilium & conſcientiæ moderatoris ſententia & avunculi ſacerdotis præſtantiſſimi auctoritas, & parentum conſenſus acceſſerunt, miſſus eſt Redones in monaſterium S. Melanii, ubi maxima ſpe de ſe concitatâ, & emerito, non ſine magno ſervore, novitiatûs anno, perhonorificè omnibus ſuffragiis Congregationi S. Mauri adſcriptus, vota nuncupavit 12. Auguſti 1668.

in S. Melanii Cœnobio ſpirituali exercitationi, tum ſeverioribus diſciplinis addicitur.

Præter morem in eodem .. Melanii monaſterio relictus, ut novitius eſſet exemplo, duos ibi annos poſt emiſſam profeſſionem in ſpirituali exercitatione conſumſit. Inde Cenomanum miſſus, Rhetoricæ, Philoſophiæ, ac Theologiæ, partim in S. Vincentii, partim in B. Mariæ de Cultura monaſteriis operam dedit. Poſt ſtudia literarum, in quibus ejus ingenium mirificè enituit, cùm in prævia ſacerdotii meditatione annum de more inſumſiſſet, ſacram hanc dignitatem anno 1678. non ſine tremore ſuſcepit, ac eadem pietate ſemper exercuit, quotidianis ſacris nunquam abſtinens niſi morbo cogente.

Totus in antiquitatibus eccleſiaſticis & linguis originalibus deinde fuit.

Totus erat in eccleſiaſticâ antiquitate inveſtiganda Sammarthanus, ſibique hunc in uſum græcas hebraicásque literas comparaverat: cùm anno 1679. Philoſophiam ac Theologiam docere cogitur: quo munere per undecim annos in monaſteriis S. Remigii Remenſis, S. Germani à Pratis, ac demum S. Dionyſii, ſumma omnium admiratione perfunctus eſt. Relegatis enim ex utraque diſciplina ſpinoſis & inanibus quæſtionibus, totus in veri indagatione verſabatur: libenter quidem probans in Philoſophia & adoptans quidquid recentiorum commentatio reperit: in Theologia autem nova opinionum commenta non molli brachio refellens, ſéque puriſſimis proluens antiquitatis fontibus: ex quibus tantam doctrinæ copiam hauriebat, ut eodem tempore & diſcipulis in ſchola diſſerendo, & toti Eccleſiæ pluribus adverſùs hæ-

 ſeres

reſes elucubrationibus in lucem editis prodeſſet.

Præclaræ ejus animi dotes,

Collectæ tot laboribus eruditioni cùm adjunctæ eſſent multæ magnæque virtutes, ſumma in regulæ obſervatione ac iis omnibus, quæ ad Dei cultum pertinent, religio, propenſa & effuſa in omnes caritas, mira quædam comitas & affabilitas, quam ne barbarus quidem potuiſſet non amare, cor rectum, ac non ſolùm fraudis & mendacii inimica probitas, ſed etiam aſtutiæ expers, & nudæ prorſus amica veritatis: æquum erat, ut his gratiæ & naturæ donis, quæ in privata vita non tam utilia támque actuoſa extitiſſent, latior quidam in aliis regendis campus aperiretur. Eximias ejus dotes prima omnium experta eſt S. Juliani Turonenſis domus, cui *Prior* conceſſus eſt an. 1690. At triennio

ad varia eum officia provehunt.

poſt [illegible] ſatisfieret magnis poteſtatibu[illegible] ſus in offenſionem venerat, abrogata illi dignitas. Sed qui abrogabant, cùm id facerent non libenter, ablat[illegible] munus aliis honoribus compe[illegible]runt, eúmque Lutetiam accerſitum Bibliothecæ San-Germanenſi, & parochiæ intra ſepta ejuſdem monaſterii ſitæ præfecerunt. Nihil jucundius accidere poterat ingenio legendi ac ſcribendi ſtudioſo, jámque illius otii fructus exſtiterat anno 1694. vita Caſſiodori, cùm eum neceſſitas Congregationi ſuæ inſerviendi Rothomagum eodem anno vocavit, ubi B. Mariæ de Bono Nuntio uſque ad annum 1699. ac deinde S. Audoëni monaſterium uſque ad annum 1705. cùm ſummâ omnium domi foríſque approbatione gubernavit. Erat enim & iis cariſſimus, quos regendos ſuſceperat, & primis urbis, ac præcipuè illuſtriſſimo ſenatus principi domino de Montholon, quem proxima cognatione attingebat, longè acceptiſſimus.

Quibus diſtentus,

Videbatur *Prioris* munus in magno monaſterio, ac in magnâ urbe nihil prorſus loci eruditis *Sammarthani* laboribus reliquiſſe. Sed cùm natus in literis, vitam ſine hoc mentis pabulo ingratam exiſtimaret, novam invenit viam, quâ poſſet, nihil prorsùs de regulæ officiis, nihil de monaſterii cura detrahendo, eccleſiaſticam etiam utilitatem promovere.

nihil de ſtudiis remittit,

Cùm enim diligenter lucro apponebat, quidquid à quotidianis muniis ſupererat otii; tum verò plurimam noctis partem ſomno eripiebat, lectulo ſe componens circa horam decimam, & poſt matutinas laudes, ad quas vetus de more ſecundâ poſt mediam noctem horâ ſurgebat, vix ſemi horam reficiendo corpori inſumens. His vigiliis, quas ſic per annos 35. ſuſtinuit, debemus vitam *S. Gregorii Magni*, quam in lucem edidit anno 1697. atque ipſam etiam ejuſdem ſancti Doctoris operum editionem, quam *Clementi XI.* nuncupavit anno 1705.

ſed auctis vigiliis primùm edendis D. Gregorii operibus incumbit.

Intentum huic poſtremo operi interpellavit neceſſitas defendendæ editionis operum S. Auguſtini, qua nonnullis quorundam libellis impugnata, ſtylum arripuit *Sammarthanus*, ac ſtrenuè profligavit fictitium in Theologia doctorem, præcipuè verò pſeudonymum illum Abbatem Germanum, non magis Auguſtino quàm Auguſtini editoribus amicum, in quo damnando publicam indignationem, Sedis Apoſtolicæ judicium confirmavit.

Fit Prior Alborum-Mantellorum Pariſiis, aliisque in locis.

Conſumptis in regendo S. Audoëni monaſterio ſex annis, *Priorem* illum habuit anno 1705. magno ſuo commodo Pariſienſis Alborum-Mantellorum domus, quam ære alieno majorem in modum obſtrictam, prudentiâ ſuâ non parùm levavit. Inde Aſſiſtens factus eſt Præpoſiti Generalis anno 1708. Tum ei commiſſa anno 1711. S. Dionyſii in Francia, & S. Germani à Pratis anno 1714. monaſteria: ſed rurſus anno 1717. dolentibus San-Germanenſibus ablatus, San-Dionyſianis redditus. In utroque monaſterio, cùm præcipuam curam in fovenda interiori pietate poneret, non tamen aliarum rerum negligens erat, ùt continuata, illo curante & providente, S. Dionyſii ædificia, exteriores ædes in monaſterio San-Germanenſi ſub eo extructæ teſtantur.

Sibi ipſi parcus & auſterus, aliis beneficus & lenis,

At monumentum longè præſtantius ſibi ipſe in omnium ſuorum animo & memoria erexit. Non enim commiſſâ auctoritate ad ſuum commodum, ſed ad aliorum utilitatem utebatur. Nec metuebat, ne quid de obſervantia ſibi debita decederet, ſi cum iis, quibus præerat, veluti cum paribus viveret, ſi ſe ad eorum ingenium & indolem accomodaret, ſi preces eorum anteverteret, ſi precantibus ſic annueret, ut beneficium accepiſſe magis, quàm dediſſe videretur. Atque hæc lenitas eo laudabilior, quò ipſe ſibi durior erat, & auſterior; virgineum pudorem, cujus erat cuſtos cautiſſimus, pœnitentiæ operibus muniens, & acerrimis vigiliis cilicium & cate-

nas

nas ſerreas ad extremum usque morbum adjungens. Aliorum valetudini paterno animo providebat, cùm ſuæ nullam curam gereret. Pauperrimus in omni victu cultúque nihil deeſſe aliis volebat, ſed præcipuè in pauperibus ſublevandis prolixus erat. Horum nulli miſericordiæ ſuæ viſcera claudebat, & cùm deeſſet largiendi facultas, ſæpe detractis ſibi veſtibus, aut munuſculis venditis caritatem ſuam explebat. Hunc illi uſum præbuit numiſma aureum, ſummi Pontificis *Clementis XI.* donum: dimittendi ſine eleemoſina pauperis moleſtiam abſtulit. Conſentiente omnium de tam eximiis virtutibus ſama, duo celeberrima Sanctimonialium monaſteria, Calenſe, & Montis-Martyrum, ſuum illum Viſitatorem ſummo cenſenſu elegêre, tùm cùm S. Dionyſii monaſterio iterùm præeſſet.

Præcipuè in pauperes caritatem explebat.

Jam præfuerat Congregationis S. Mauri comitiis generalibus Reverendus admodùm Pater Domnus *Dionyſius de Sainte-Marthe* an. 1714. Idem ei honos anno 1720. magno omnium plauſu delatus. Sed communi lætitiæ cumulus acceſſit, cùm eum Præpoſitum Generalem iisdem in comitiis creatum eſſe nuntiatum eſt. Nihil de vtiæ auſteritate detraxit nova dignitas, nihil de animi modeſtia; idem ſemper paupertatis amor, eadem in obeundis vitæ regularis exercitationibus diligentia, Hoc unum attulit honoris aeceſſio, ut eximia bene de omnibus merendi voluntas, quæ antea unius monaſterii finibus contineri videbatur, tunc multo latiùs pateret. Accrevit enim cum poteſtate liberalitas in pauperes: plurimi ex noſtris paternum illius animum in temotiſſimis provinciis ſenſerunt, indefeſſum laborem ac ſummum in fovenda pace, in pietate & literis promovendis tota Congregatio perſenſit.

Præpoſitus generalis an. 1720. electus

nihil de animi modeſtia detrahit.

Pacis Eccleſiæ adeò ſtudioſus fuit, ut ejus conciliandæ gratia nihil non tentaverit, aſſiduis orationibus crebriſque ſuſpiriis cœlum pulſaverit, pro eà obtinenda mori paratiſſimus, ſi illam hac via conſequi potuiſſet, ſed in tanti boni exſpectatione tebus humanis ademptus eſt.

Pacis Eccleſiæ ſtudioſus,

Plurimis pro gloria Dei & pro Congregatione ſua laboribus perfunctus, inſenuerat vir ſanctus, ſpéſque erat omnibus Religioſis fore, ut ejus præſentia diutiùs fruerentur; longiorem quippe vitam polliceri videbatur huic firma corporis valetudo, qua ferè ſemper uſus fuerat, inde ſumma in victu temperantia, & eximius animi vigor, quo ſtrenuè muneris ſui partes omnes implebat, cùm ineunte anno 1725. gtavi epiphorâ vexari cœpit. Cui malo ut aliquod lenimen afferret, vix adduci potuit; medicorum tamen conſilio, ac ſeniorum aſſiſtentium precibus acquieſcens carnium eſum aliquantulum adhibuit, donec ſacro adveniente Quadrageſimæ tempore, hoc pœnitentiæ ſtadium magno fervore ingreſſus eſt. At acrius vellicante humore, acutiſſimâ febre correptus lecto decumbere cogitur octavo idus Martii, paucisque inde elapſis diebus cùm morbus ingraveſceret, exomologeſi facta, ſacro priùs infirmorum oleo, tum pretioſo Dominici corporis viatico ritè munitus eſt; quod erectâ in Deum ſpe, ſumma fide ac pietate percepit, frequenti monachorum corona circumſtante.

præclara multa geſſit.

Ad exremum epiphorâ febrique correptus mortu ſe parat,

Quanto apud omnes in pretio eſſet, vulgatus per urbem morbus ejus declaravit, nam ſtatim ex omni parte accurrerunt plurimi nobiles ac primarii viri, qui cariſſimum ſibi ægrotum inviſerent, ſuámque de morbi ejus eventu anxietatem teſtarentur. At ille ſerena fronte omnes excipere, pro officioſis eorum obſequiis humillimas referre gratias, & tranquillitate ſua triſtitiam omnium lenire; ſecurus ſui, ſuorum verò ſollicitus præſentes illos ac mærentes blandis verbis ſolabatur, ac bono animo eſſe jubebat; nihil illo docilius, nihil obſequentius fuit relicta medicis & aliis ſibi miniſtrantibus valetudinis ſuæ curandæ libera poteſtate, dulcibus vel amatis, lenibus aut aſperis medicamentis æquè facilem ſe præbuit, ſoli Deo intentus pſalmorum recitatione ac piorum lectione librorum ſpem ſuam in ipſum nutriebat, amorem accendebat ad cæleſtem patriam anhelans, & ſi quando, invaleſcente ſebri, delirio tantisper teneretur, ſi de Deo loquentem quempiam audiret, continuò ad ſe redibat, & quanto ipſo fruendi deſiderio teneretur, oſtendebat, prolatis illis verſiculis: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.*

inviſentes & mærentes ſolatur ipſe,

Viribus ſenſim deficientibus, diſſolutionem ſui corporis imminete ſentiens

ac denique animâ Creatori ſuo reddidit 30. Martii 1725. tiens, ſereno vultu, læta facie, tranquilla mente mortem aſpexit, *cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*; at priùs purgatâ denuò conſcientiâ, divinis epulis iterùm refici voluit, quò confidentiùs ad ſupremi tribunal judicis ſe ſiſteret cum ſalutis ſuæ pignore, quod dum præſtolatur, è lecto ſurgere, & veſtes induere tentavit, ut Chriſtum ad ſe venientem pronus adoraret, at ſecus ſuadente morbo in ſella ſaltem reponi voluit, ut quo decentiori poterat modo, Deum ac Dominum ſuum exciperet: cúmque in tanti beneficii meditatione quieviſſet aliquantulum, animam placidiſſimè, uti vixerat, exhalavit mane circa horam ſeptimam mediatam, Martii die 30. feria ſexta Paraſceves, quâ Chriſti pro nobis in cruce morientis Myſteria veneratur Eccleſia anno 1725. ætatis ſuæ 75. regiminis 5.

Luctus & funebres honores. Conſternati animo præſentes illicò in lacrymas erupêre, & unusquisque *Patrem optimum, Superiorem beneficentiſſimum, amicum fideliſſimum* ſibi ereptum ingemuit. Luxit univerſa Congregatio caput ſuum digniſſimum extinctum, decus & ornamentum ſibi ablatum, porrò virum de ſe optimè meritum. Doluêre tandem, quotquot ejus familiaritate ac conſuetudine uſi fuerant. Exequiæ die ſequenti ad veſperam plurimorum nobilium ac procerum virorum tum ſæcularium tum eccleſiaſticorum, cunctorum Ordinum religioſorum cœtu, frequentíque populi concurſu celebratæ ſunt. Cui inſuper pleræque familiæ religioſæ in templis ſuis juſta perſolverunt. Corpus in choro ſacelli interioris B. M. honorificè conditum jacet.

Ingenii monumenta. *Plura ſcripſit tum Latino tum Gallico idiomate, quibus nomen ſuum ac famam poſteritati conſecravit. Gallica ſunt*:

Gallica.

1.) *Traité de la Confeſſion contre les erreurs des Calviniſtes*, imprimé à Paris en 1685. dedié à Mr *Boſſuet* Evêque de Meaux.

2.) Reponſe aux plaintes des Proteſtans, touchant la prétendue perſecution, en 1688. dediée à Mr *Harlai* Archevêque de Paris.

3.) Entretiens touchant l' entrepriſe du Prince d' Orange ſur l' Angleterre, en 1689. au Roy d' Angleterre.

4.) Oraiſon funebre de Madame *de Bethune*, Abbéſſe de Beaumont-les-Tours, prononcée dans l' egliſe de ce nom, lors qu'il eſtoit prieur de S.t Julien.

5.) La Vie de *Caſſiodore*, Chancelier de Theodoric Roy d' Italie, & enſuite Abbé de Viviers, en 1694. chez Roullard avec des nôtes.

6.) La Vie de *Saint Gregoire le Grand* Pape, imprimée à Rouen en 1697. chez la veuve de Louis Behourt. Elle eſt partagée en quatre livres.

7.) Reflexions ſur la lettre d' un Abbé d' Allemagne aux RR. PP. Benedictins de la Congregation de S.t Maur, ſur leur dernier tome de l' edition de S.t Auguſtin, in 12. 1699.

8.) Lettre à un Docteur de Sorbonne, touchant le Memoire d' un Docteur en Theologie, addreſsé à MM. les Prélats de France, contre les Benedictins, in 12. 1699.

9.) Ipſi quoque 4. epiſtolæ adversùs *R. P. Armandum-Johannem le Bouthillier de Rancé* Trappenſem Abbatem à pluribus adſcriptæ ſunt, acres quidem illæ & mordaces, ſed polito & eleganti ſtylo conſcriptæ: editæ ſunt an. 1692. & alia quinta adversùs eundem anno ſeq. *Verùm*, inquit Biographus, *cùm ſe earum negaverit auctorem, illas ipſi attribuere non audemus*. De his tamen ita Philipp. le Cerf (c) *En 1692. le R. P. de* SAINTE-MARTHE *fit imprimer quatre Lettres contre le traité des devoirs de la vie monaſtique du celèbre Dom Armand de Rancé Abbé de la Trape: Ces lettres imprimées à Amſterdam, ou plus veritablement à Tours, ont eu aſsez grand cours & ont été fort goutées. . . Il en publica une 5. l' année ſuivante, imprimée à Cologne, mais elle ne fut pas auſſi bien reçue que les prémieres. Mr. Tiers refuta cet Ecrit dans l' infame libelle, qui a pour titre*: Apologie de Mr l' Abbé de la Trape contre les calomnies du P. de Sainte-Marthe. *Cet écrit fut imprimé à Grenoble, & ſupprimé par le credit du General des Chartreux*.

10.) S. GREGORII MAGNI *Opera omnia notis & diſſertationibus illuſtrata*. Latina. Voll. IV. in fol. Pariſiis ex officina *Claudii Rigaut* A. 1705. Inſcripſit ea *Sammarthanus* CLEMENTI XI. P. Tomum verò I. eruditâ exornavit præfatione, in qua priùs expoſitis ſui inſtituti rationibus, diſertè oſtendit, quantâ puritate S. Gregorii doctrina emineat, quantúmque conferat ad confutandos Manichæo-

(c) Le Cerf Biblioth. pag. 464.

chæorum, Arianorum, Neſtorianorum, Eutichianorum, Pelagianorum, Quietiſtarum &c. errores; Qualis ejus fuerit ſententia de beatitudine Sanctorum, de purgatorio, de duratione pœnarum inferni, & de ejusmodi materiis polemicis.

11.) GALLIÆ CHRISTIANÆ *editio nova, ſeu Hiſtoria omnium Galliæ Eccleſiarum.* Quod opus jam diu à doctiſſimis ſui nominis & generis Viris quatuor tomis editum, denuò hortante Clero aggreſſus eſt *Sammarthanus*, ſymbolas conferentibus aliis ejusdem Congregationis Viris doctiſſimis, *D. Stephano de Laura, Claudio Bobier, Edmundo Martene, Urſino Durand, Bartholomæo Petit de la Croix, Felice Hodin, Joanne Thiroux, Benedicto du Clou*, & præ cæteris *Claudio Etiennot*. Hujus porrò operis volumen primum *Pariſiis* in lucem prodiit anno 1716. Tria ſequentia typis regiis impreſſa fuêre annis 1720. 1725. & 1728. in quo poſtremo præfixa viſitur *Sammarthani* effigies cum ipſius vitæ ſynopſi. Tomus V. prodiit 1731. ſextus 1739. ſeptimus & octavus A. 1744. nonus & decimus 1751. *Confer. Le Cerf Bibl. Hiſt. Crit. pag.* 458. & Kappius *in Diſſert. de ratione, quâ Germani merita ſua in ſtudium Hiſt. amplificare poſſunt pag. XVI.* ubi inter deſiderata reponit *Germaniam ſacram* ad modum *Galliæ Chriſtianæ*, quam laudat, elaborandam, & diplomatibus, quoad ejus fieri poteſt, aliisque fide dignis teſtimoniis confirmandam.

XXXII.

† 1728. 15. Julii.

MATTHÆUS PETIT-DIDIER

Ipſius elogium.

CONgregationis SS. Vitoni & Hidulphi Præſes Generalis, Epiſcopus Macranenſis, nec non SS.^mi^ D. N. Benedicti Papæ XIII. Prælatus aſſiſtens. Vir gemino Religionis & bonarum artium cultu ornatiſſimus, ſublimis Theologus, exercitatus Hiſtoricus, ſuis in argumentis ſolidus, ſeverus pariter ac ſerius & operoſus, Catholicæque Religionis veritatum cumprimis, & ſui inſtituti rationum propugnator zeloſiſſimus. Hanc ille mortalitatis

Natales,

vallem adiit in S. Nicolai Lotharingiæ oppido die XVIII. Decembris an. 1659. Humanioribus literis in Collegio PP. Soc. Jeſu, quod Nancæi eſt, maturè inſtructus, ætatis anno XVI. necdum completo, Chriſti 1675. Monaſterium S. Michaëlis Ordinis S. Benedicti die 18. Maji ingreſſus eſt: ubi revoluto probationis intervallo Nonis Junii an. 1676. ſolemnioribus votis Religioni ſeſe obſtrinxit.

profeſſio monaſtica & ſtudia.

Studiis Philoſophicis & Theologicis ibidem ſumma cum laude decurſis brevì ex diſcipulo Magiſter audiit, à Capitulo Generali ſuæ Congregationis anno 1682. cùm necdum Diaconus eſſet, ad Philoſophiam & Theologiam ſuis concellitis prælegendam deſtinatus. Utrâque ſpartâ feliciter expletâ, mox cuidam Religioſorum doctrinâ inſigniorum ſodalicio præfectus, cœpit cum iisdem ſanctorum Eccleſiæ Patrum Scripta diſcutere. Cujus quidem communis ſtudii & laboris fructum uberrimum in publicum derivârunt tria egregia volumina Animadverſionum in Bibliothecam Eccleſiaſticam *Eliæ Du-pinii* edita hoc titulo: *Remarques ſur la Bibliotheque Eccleſiaſtique* de M. Du-pin... Pariſiis Tom. I. anno 1691. II. anno 1692. & III. anno 1693. in 8. JULIANUS GARNIER (d) *eximium* vocat *opus* adversùs multos *Ludovici Dupinii* errores conſcriptum.

fit Profeſſor Philoſophiæ & Theol.

Sodalitio literario præficitur, ex quo natæ Animadverſiones in Dupinii Bibliothecam.

Seqnenti anno duo alia opuſcula apologetica tacito nomine edidiſſe ferunt hoc titulo: *Apologie des lêttres au Provincial...* typis excuſa Bruxellis apud Foppens anno 16.7. in 8. Verùm quia à perverſo quodam genio, variis centonibus ſuperfuſis, flagitioſè opus conſpurcatum fuerat, iſtud à ſe removit ſcripto quopiam Romæ die 30. Septembris anno 1726. publicato.

Apologia Epiſtolarum ad Provincialem.

Circa annum 1698. tres edidit *Deductiones Juridico-hiſtoricas*, quas Galli *Brochures* nuncupant, in cauſa controverſæ Benedictinorum proëdriæ in congreſſibus, proceſſionibus & aliis Lotharingiæ publicis actibus.

Deductiones juridico-hiſtoricæ.

Anno 1699. Vindicias oppoſuit Cenſuris Officialis Curiæ Tullenſis ratione curarum parochialium in Lotharingiæ vicis, quos vernacula *Veroncourt* & *Lorcey* nuncupant.

in cenſuras Officialis Tullenſis.

Iisdem ferè temporibus publici juris fecit *Diſſertationes Hiſtorico-Critico-Chronologicas in Vetus Teſtamentum.* Similes quoque in novum adornaverat, quæ hactenns ineditæ Eruditorum vota fatigant.

Diſſertationes in Vetus Teſtamentũ.

Anno 1699. kal. Auguſti electus fuerat canonicè quidem in Abbatem incly-

Abbas eligitur.

(d) Præfat. in tom. II. Opp. S. Baſilii.

inclyti Cœnobii, quod vulgus *Bonzon ville* appellat, ſed quia Sereniſſimus Lotharingiæ Dux Fratri ſuo *Franciſco* Abbatiam hanc tradiderat in commendam, electio effectu ſuo caruit.

Neque tamen ille caruit comeritâ dignitate, ſiquidem anno 1715. die 28. Septembris Senonenſis Abbas renúntiatus, poſt diuturniores cum ejus loci devolutario Antiſtite lites, tandem unà cum Abbatiali regimine ſummos etiam in ſua Congregatione honores ſortitus eſt.

Summi Pontificis infallibilitatem propugnat.

Turbulento autem hoc tempore, quô immane quantum in vicinas regiones graſſabatur *Janſeniſmus*, novum veluti obortum ſydus in ſummæ Sedis ſubſidium illuceſcens *Mathæus* ſuæ eruditionis jubare cœcutientes animos non modicè perfulſit, edito Tractatu de Infallibilitate Sumi Pontificis hoc titulo: *Traité de l' infallibilité du Pape* Luxemburgi typ. *Andreæ Chevalier* anno 1724. in 12. Qui Tractatus juſſu Pontificis Maximi Benedicti XIII. in linguam Italicam translatus, ſubinde in Germanotum Theologorum gratiam Latinitate donatus fuit per *P. Gallum Cartier* Benedictinum, typis excuſus fuit Auguſtæ Vindel. anno 1727.

Concilii Conſtantienſis mentem diſcutit.

Paulò pòſt orbi erudito ſuæ doctrinæ radios inſperſit, edito alio opuſcùlo, in quò nominatim diſcutit, quid Concilium Conſtantienſe, & principes Theologi de inſallibilitate Sumi Pontificis ſenſerint, hoc titulo: *Diſſertation hiſtorique & theologique, dans laquelle on examine, quel a été le ſentiment du Concile de Conſtance, & des principaux Theologiens, qui y ont aſſiſté, ſur l' autorité du Pape & ſur ſon infallibilité. . . ,* id eſt: *Diſſertatio Hiſtorico-Theologica, in qua examinatur, quæ mens & ſententia fuerit Concilii Conſtantienſis, & præcipuorum, qui eidem interfuerunt, Theologorum, de authoritate & infallibilitate Summi Pontificis. Luxemburg apud Andream Chevalier in 12. an. 1724.*

Romam accitus variis cumulatur honoribus.

His expletis, iter Romam corripuit anno 1725. ubi à Summo Pontifice BENEDICTO XIII. magnis ſavoribus cumulatus fuit. Oculatus enim meritorum ipſius cenſor SS.mus Pontiſex eidem non modò Abbatiam controverſam Decreto Apoſtolico adſcripſit, ſed anno 1726. Epiſcopum Macranenſem *in partibus infidelium*, ac ſummæ Sedis *Prælatum Aſſiſtentem* creavit; Quin ſacrum Benedictionis munus Pontiſex ipſe eidem impertiri dignatus, collatâ pretiosâ infulâ in hæc verba affatus eſt: *Quia intinxiſti calamum pro ſumma Sede, ipſa Sedes ſancta te remunerat.*

Perſonalibus hiſce gratiis & ſavoribus, ad cumulum quoque Pontifex addidit indultum Apoſtolicum, quo Electionem Abbatiæ Senonenſis liberam ſore in perpetuum decernit.

Inde redux pro ſuma Sede pugnat.

Româ in Lotharingiam redux, ac ſibi reſtitutus, præclarum quoddam opuſculum pro defenſione ſummæ Sedis ſuo è penu protulit hâc inſcriptione: *Juſtification de la Morale & de la diſcipline de Rome, & de toute l' Italie, contre un livre anonyme, qui a pour titre: La Morale des Jeſuites, & la Conſtitution Unigenitus comparée à la Morale des Payens.* id eſt: *Defenſio moralis doctrinæ & diſciplinæ Urbis Romanæ, totiúſque Italiæ adverſùs Anonymi librum, cui titulus: Moralis doctrina Jeſuitarum & Conſtitutio* UNIGENITUS *cum Gentilium Ethica in comparatione conjunguntur. An. 1727. in 12.*

Fatis ceſſit 1728. die 15. Julii.

Demùm poſt exantlatos pro Deo, pro Eccleſia, pro Ordine, pro Republica tot egregios labores, corporis ergaſtulo ſolutus eſt die 15. Julii 1728. in ſua Eccleſia perhonorificè ſepultus.

Opera poſthuma.

Reliquit verò præter laudatas lucubrationes, ſaſciculum benè ſpiſſum collectaneorum ex S. Auguſtino. Aliud itidem tentamen continens *Animadverſiones* in Opus R. P. *Bruni* Oratorii cœtûs Presbyteri *de Liturgiis.* Analecta quoque ex SS. Patribus majori operi elaborando adaptavit; quæ imperfecta licèt & affecta ſolùm ſuerint, nihilo tamen minus optandum, ut aliquando in lucem prodeant. Nam quemadmodùm *Apellis* tabulæ quamquàm ruditer tantùm adumbratæ in pretio apud veros Cenſores fuêre, ita virorum magnorum opera utut impolita ſuis Auctoribus dedecori non ſunt; præſertim ſi manus ingenioſa edendo partui obſtetrix acceſſerit. Conferatur Moreri Dictionarium edit. Baſileenſis de anno 1732. ubi inſignes excelſi ejus animi dotes brevi elogio expreſſas, hiſce verbis inſinuat:

Inſignes animi dotes.

Dom Petit-Didier étoit grand Theologien, fort en raiſonnement, ſerieux, ſevere, laborieux; il avoit poſſedé les prémieres dignités de ſa Congregation, & les avoit remplies avec honneur; il étoit veri-

tablement

Digitized by Google

tablement penetré des verités de la Religion, & trés attaché aux devoirs de ſon état. . Ex Symbolis V. C. P. Oliverii Legipontii.

†1730. 8. Maji.

XXXIII. CORBINIANUS KHAMM

Ejus Natales,

IMperialis ad Ss. Udalricum & Afram Auguſtæ Vindelicorum monaſterii Cœnobita benè doctus, Philoſophus, Theologus, Canoniſta & Hiſtoricus de orbe literario optimè meritus, ob inſignem etiam religionis zelum maximè commendandus. Natus is Zuſamalti in Suevia A. 1645. die xxv. Januarii, ob præclaram indolem & animam quam ſortitus erat bonam ad ſtudia literarum à parentibus maturè deſtinatus, per omnes ferè claſſes primas tulit. Sed parum illi erat inter doctrinæ æmulos eminere, niſi ſacratioris pariter vitæ ſectatores æmularetur. Quare mundo huic immundo vix ſalutato, mox nuntium miſit, anno ætatis xvii. monaſterium Sant-Udalricianum Auguſtæ ingreſſus; ubi exacto cum eximia fervoris & obſervantiæ regularis laude tyrocinio, Divi Benedicti normæ ſacramentum dixit A. 1663. VI. Idus Sept.

professio,

Eximia Religioſi juvenis talenta admirati Superiores, ſollicitè providerunt, ut ea peramplius excoleret. Miſſus proinde ad diverſa ſeveriorum diſciplinarum emporia, pretioſis omnigenarum Scientiarum mercibus ditatus domum rediit, eáſque domeſticis æquè ac exteris deinceps communes fecit.

studia,

Sacerdotio namque A. 1669. vi. Januarii initiatus, primùm ſuo in cœnobio, tum in Principali Abbatia Campidonenſi Profeſſoris Philoſophiæ ac Theologiæ munus ſuſtinuit, adeò felici doctrinæ & virtutis nexu, ut ſimul animarum curæ Ginzburgi præpoſitus, boni Paſtoris officio integerrimè ſatisfecerit.

professuræ,

Inde domum revocatus, ut ſpiritum illum, cui Ss. P. *Benedictus* ſervivit, in religioſis tyronibus excitaret, tales efformavit Viros, qui eidem in arduo hoc munere ex merito ſuccederent; quos inter nominare ſufficit *Wilibaldum* ejuſdem loci poſteà Abbatem æternâ memoriâ dignum. Quantùm verò & ore & calamo rempublicam literariam illuſtraverit *Khammius*, teſtes ultrò ſe ingerunt tum domeſtici, tum exteri Religioſi, quos ille è cathedra in Theologicis æquè ac Philoſophicis & Ss. Canonibus per aliquot luſtra ſolerter ac ſolidè inſtituit. Sexagenario major primùm docendi finem fecit, ſubinde religioſi illius cœtus *Subprior* deſignatus, & Confeſſarius.

officia,

Ne verò animus adhuc vegetus, & ingenium laboribus aſſuetum, inter ipſa vitæ contemplativæ negotia otiari videretur, opus orſus eſt Hiſtorico-Chronologicum, laboris haud exigui, *Hierarchiam* nempe *Auguſtanam* quatuor Tomis in 4. diſtinctam, quæ Eccleſiarum tum ſecularium, cùm Regularium ampliſſimæ illius Diœceſeos Fundationes, Progreſſus, Fata, Prærogativas, & Jura, Viróſque Illuſtres ſtylo non minùs diſerto, quàm modeſto, rei hiſtoricæ ac literariæ Cultoribus exhibet. labores literarii,

Fatiſcentibus demùm præ ſenio viribus per duos fermè annos lecto affixus jacuit, dum tandem apoplexiâ tactus die VIII. Maji A. 1730. ſpiritum Deo reddidit, ætatis 86. Religioſæ Profeſſionis 67. Sacerdotii 61. *Verè olor laureatus, & Simeon juſtus.* obitus,

Famam laboréſque Viri loquuntur variæ ex omni ferè facultate lucubrationes, quas edidit, videlicet:

1. Quæſtiones diſputatæ ex Logica. *Auguſtæ Vindelicorum.* an. 1675. in 8. cum figuris... ingenii monumenta,

2. Ex libro primo Phyſicæ Auſcultationis. 1675.

3. Ex libro ſecundo Phyſicæ Auſcult. *ibid.* 1676.

4. De anima. *ibidem.* 1676. in 8. cum ſymbolis.

5. Animadverſiones in Vindicias Kempenſes. *Auguſtæ Vindel.* 1677. in 4.

6. Medicina ſpiritualis, ſeu Tractatus de Cenſuris Eccleſiaſticis in genere. *ibid.* 1679. in 8. Quo in opere multifaria authoris ex morali ſcientia & Ss. Canonum eruditio collecta eluceſcit.

7. Veritas manifeſtata pro authoritate R.mi P. *Thomæ Turci* Magiſtri Generalis Ord. Prædicatorum circa prædeterminationem phyſicam &c. *Altorfii ad vineas.* 1682. in 4.

8. Prædeterminationis Phyſicæ nucleus. 1683.

9. Prolegomena Logicæ, adjunctis ex eadem ſelectis theſibus. *Aug. Vind.* 1691. in 8.

10. Ex Prolegomenis Logicæ pars altera. 1692. in 8.

11. Intellectus triumphans. *ibid.* 1692. in 8.

12. Epitome Canonico-moralis, de Legibus, Jure & Juſtitia. *Auguſtæ Vind.* 1693. in 8.

13. Excommunicatio Violatorum Aſyli Eccleſiaſtici dilucidata, cum Aphoriſmis ſelectis ex univerſa arte medica. *ibid.* 1694. in 8.

14. Pharmacopœia Auguſtana, medicinis ſpiritualibus inſtructa adjunctis Aphoriſmis ex univerſa arte medicâ, id eſt, Tractatus de Cenſuris Eccleſiaſticis in ſpecie, ubi *Excommunicatio Violatorum aſyli* recuſa. Aug. 1696. in 8. *Hæc Pharmacopæia*, inquit Franc. Mezger, *in comparatione ſpiritualium medicamentorum tam dextrè permiſcet utile dulci, ut nonminùs antidota, quàm alexipharmaca efficaciſſima contineat.*

15. *Compendium Philoſophiæ univerſæ.* 1697. opus gratiori exponendi methodo, amæniorique ſcribendi ac deducendi ſtylo elaboratum.

16. *Summulæ Logices*, quæ non ſine maximo docentium æquè ac diſcentium adjumento manibus paſſim teruntur. Aug. Vind. 1698. in 8.

Hierarchia Auguſtana. 17. *Hierarchia Auguſtana* ſeu Chronologia Eccleſiaſtica Diœceſis Auguſtanæ quadripartita, cujus *Pars I. Cathedralis* de Epiſcopis, Proepiſcopis, Præpoſitis, Decanis & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis. *Pars II. Collegialis*, de Præpoſitis, Decanis, & Canonicis Eccleſiarum Collegiatarum: Cui præmittitur auctarium Partis I. De principali & exempta Elvacenſi Eccleſia, ac de Ordinis Teutonici Commendis. *Pars III. Regularis* de Monaſteriis ac Collegiis, eorúmque Abbatibus & Præpoſitis, necnon de Equeſtri Ordine Hieroſolymitano, ejuſque Erdlingenſi Commenda. *Pars IV.* agit de Canonicorum Regularium origine, eorúmque cum Monachis Benedictinis controverſiâ; ubi & de Monialium Ord. S. Benedicti, Canoniſſarum ſecularium, ac Virginum Anglicarum primævâ origine & propagatione... *Aug. Vind.* 1709. & ſeq. Tom. IV. in 4.

18. Ejuſdem operis defenſio cenſoria *ibid.* 1712. in 4... Item *Relatio Hiſtorica* de origine & propagatione Inſtituti Virginum Anglicanarum. *Monachii* 1717. in 4. Plura reliquit in manuſcriptis hiſtorica, quæ ut aliquando in lucem proferantur, optant eruditi... *Ex ſymbolis P. Oliverii Legipontii.*

XXXIV. CAROLUS MEICHELBECKIUS

† 1734. 2. April. ætat. 65.

Benedicto - Burani in Bavaria Cœnobii Monachus.

I. Ejus natales, educatio & ingreſſus in Religionem.

MAgni nominis Hiſtoriographus, alter Bojoariæ Livius, & venerandæ antiquitatis Illuſtrator feliciſſimus... Orbem primùm aſpexit Oberndorffii in Algoiâ haud ignobili Diœceſis Auguſtanæ municipio honeſtis quidem, ſed piâ magis converſatione, quàm divite cenſu commendandis parentibus anno 1669. die 29. Maji natus, nomen *Joannis Georgii* in ſacro fonte ſortitus. Vix octavum ætatis annum expleverat, cùm ad Benedicto - Buranum Monaſterium, ut primis literarum & Muſicæ elementis imbueretur, à patre ductus fuit. Quadriennio ibi ſummo cum fructu in trivialibus exacto anno 1681. ad Monacenſe Gymnaſium humanioribus Muſis operam daturus ſeceſſit, ubi ea præclari ingenii & virtutis ſpecimina edidit, ut inter alumnos Seminarii D. Gregorii M. relatus fuerit. Talis verò cùm eſſet, anno 1687. in chorum Benedicto - Buranum facilè receptus fuit, ac paulò pôſt ad communem novitiatum in Priflingenſi Monaſterio tum conſiſtentem directus fuit, quo ſub ſolerti diſciplinâ Ven. P. *Ægidii Kibler* Andecenſis laudabiliſſimè exacto, demùm votorum ſuorum terminum die 21. Decembris anno 1688. per ſacram profeſſionem, noménque *Caroli*, quod inter ſuos magnum ipſe redderet, adeptus eſt.

II. Altiora ſtudia & munia.

Poſteaquam biennium in Schyrenſi Monaſterio Studiis Philoſophicis impendiſſet, anno 1691. ad Univerſitatem Salisburgenſem miſſus, Theologiæ & ſacrorum Canonum placita, fructu ſpei de ſe conceptæ ubertim correſpondente excepit. Deinde anno 1694. Presbyteratu cùm curâ animarum Auguſtæ inſignitus, Salisburgum denuo repetiit, ibique Capellani munere in illuſtri Montis Monialium Parthenone functus eſt. Ad Monaſterium reverſus an. 1696. primùm Bibliothecæ curam, dein etiam S. Anaſtaſiæ cuſtodiam in ſe ſuſcepit. Contigit interea ut anno 1697. Celſiſſ. S. R. I. Princeps & Epiſcopus Friſingenſis *Joannes Franciſcus* Parnaſſo Friſingenſi Muſas diu exules poſtliminio reſtituere intenderet, quas haud aliunde placuit accerſere, quàm ab Ordine Divi Patriarchæ Benedicti, maximè quòd prudentiſſimus Princeps probè nôſſet, eas primitùs ab ipſis Epiſcopatûs exordiis cum Monachis Sedi huic feliciter immigrâſſe. *Carolo* proinde noſtro in recens erecto Gymnaſio claſſis Syntaxeos omnium primò concredita fuit. Et ſanè eo in munere non latias tantùm ſed & grajas ſibi Muſas

Muſas magnoperè devinxit, dùm ut hæ quoque in Scholas Friſingenſes introducerentur autor fuit. *Nec certè caſſos eſt paſſus Apollo labores.* Ea enim diſcipulis ſuis ſanctiorum morum & ſcientiarum inſtillavit principia, ut multos variis Religionibus ſacris adſcriptos, non ſine ſolatio viderit, alios verò ad honorum gradus evectos, quosdam ſublimibus infulis, unum etiam Epiſcopalibus, decoratos venerari licuerit.

III. Philoſophiam & mox Theologiam docet.

Quanti Carolum jam tum temporis Celſiſſ. Prin. *Joan. Franciſcus*, verus literarum & Literatorum Mæcenas fecerit, vel inde colligere licet, quòd illum non ſolùm frequentiùs Menſæ Epiſcopali, ſed & dum per otium à ſcholis licebat, viæ comitem in variis tum epiſcopalis muneris, tum animi cauſsâ inſtitutis excurſionibus adhibuerit. Sed prodroma hæc tantùm ſigna erant propenſioris benevolentiæ, quâ eum Princeps poſtea proſecutus eſt. Quadriennio Friſingæ exacto, philoſophicarum poſthac ſcientiarum fontes Religioſæ juventuti in communi Congr. Benedicto - Bavaricæ ſtudio tunc temporis Rotæ ad Oenum erecto aperuit. *Curſu*, ut vocant, *Philoſophico* alterâ jam vice abſoluto, Cathedram conſcendit Theologicam ad Monaſterium Benedicto - Buranum eo tempore translatam. Eruditiſſimæ ſunt *Exercitationes Menſtruæ*, quas tum temporis diſputationi & luci publicæ expoſuit. Philoſophicas enim & Theologico-Speculativas ſubtilitates quæſtionibus Dogmaticis, Hiſtoricis, Criticis & curioſis ſic temperavit, ut ad uſum & voluptatem etiam eſſent iis, quibus non tam Scholarum tricæ, quàm ſincerior Eruditio & Hiſtoriæ tùm Eccleſiaſticæ, tùm Monaſticæ notitia cordi & curæ eſſent.

IV. Fit Hiſtoricus ſuæ Congreg.

Sed prodidit hoc ipſo facto ſuum in ſtudia Hiſtorica animum *Carolus*, idque conſecutus eſt, ut anno 1708. demandata illi fuerit provincia proſequendi Annales Congregationis Benedictino - Bavaricæ à R.mo D. *Gregorio* Schyrenſi Abbate cœptos, dein à Cl. P. *Petro Guettrather* Ss. Canonum Profeſſore, poſtea Tegernſeenſi Abbate ad Capitulum ſextum an. 1698. coactum productos. Ergo cathedræ quidem Theologicæ valedixit Carolus, nec ſcribendis tantùm Congregationis ſuæ, ſed & gerendis deinceps admotus fuit, *Notarii Publici* munere auctus. Longum foret enarrare ſingula, quæ ab eo tempore ſudavit noſter & alſit; neque vacat in hunc campum latiùs excurrere. Id unum dicere liceat, vix ullum fuiſſe negotium gravioris momenti, in quo Caroli conſilium aut manum non adhibuerint RR.mi illius Sodalitii Præſides.

V. Archivum Benedicto-Buranum inſtruit.

Dum hiſce pro bono publico curis occupatur Carolus, non minores pro Monaſterii ſui emolumento impendit. Quod hucusque auſus fuerat tentare nemo, interrito ille animo aggreſſus, diſſipatum omninò diſperſúmque ac confuſum per funeſtas temporum injurias Monaſterii Charthophylacium invicto labore ab interitu vindicavit, mille pretioſiſſimis & ultra inſtrumentis, diplomatibus, membranis, codicibus alta nocte & ipſa magnam partem oblivione ſepultis, in lucem uſumq; protractis, & in pulcherrimum ordinem, quem deinceps doctiſſimi etiam Viri & infulati Præſules laudârunt ac imitati ſunt, diſpoſitis. Sanè Eruditiſſimus *Pezius* Archivum hoc *immortalibus Præfecti ſui* Caroli *laboribus ſcitiſſimè ordinatum* ſuſpexit, dum illud cum Bibliotheca anno 1717. hîc præſens ipſus oculis luſtraret.

VI. Illudque Tomis IV. deſcribit.

Amplam ſatis hanc diverſiſſimarum materiarum ſegetem 431. ciſtulas implentem quatuor deinde Tomis ita complexus eſt, ut in iis, quidquid ſive juris ſive eruditæ antiquitatis Monaſterium hoc poſſidet, & inventu facile ſit, & lectu jucundum. Quantâ porrò judicii maturitate in eo opere verſatus fuerit, quàm ſolidis ſingula argumentis ex ipſis cauſſarum viſceribus & chartis autographis firmaverit, quantâ luce dubia & obſcura illuſtrârit, quàm utiles animadverſiones, & optima quæque conſilia paſſim inſperſerit, maximo ſanè ſuo commodo experiuntur ejus loci cœnobitæ. His rebus ita illuſtrandis non parum contulit inſignis illa, qua Carolus pollebat, Hiſtoriæ Boicæ peritia, ex quâ ſicuti ex rebus domeſticis non exiguam lucem fœnerabatur, ſic etiam ex his ipſis eandem quoque non mediocriter illuſtrabat. Inde paulatim Viri fama creſcere, & multorum ore celebrari.

VII. Legato Hannoverano innoteſcit &c.

Neque latuit hæc illos, qui tunc rerum in Bojaria potiebantur. Inde factum, ut anno 1709 ab Adminiſtratione Cæſarea vocaretur Monachium, cum Excell. D. *de Schrader* Sereniſſ. ElectorisHannoverani itémque Magnæ Brittanniæ Regis Conſiliario intimo *de origine Guelphorum*, eorúmque genuinis inſignibus, quæ is in Bojaria in-

inveſtigare juſſus fuerat, acturus. Præſtitit *Carolus* quod potuit, ſontémque indicavit Legato, ex quo uberiorem haurire notitiam poſſet. Ille viciſſim *Carolum* bis ſuam ad menſam lautiſſimè habitum pretioſóque Numiſmate in ſui Regis memoriam donatum ſummâ humanitate proſecutus eſt. Nec tamen adeò Hiſtoricis ſeſe ſtudiis immerſerat *Carolus*, ut ad Theologica ſubinde non rediret, dum ferebat occaſio. Inde labente adhuc eodem anno peſtiferum cujusdam * Apoſtatæ libellum brevi quidem, ſed magno rationum pondere confutavit. Ita quidem ut infelix hic transfuga relictis Lutheri caſtris ad gremium S. Matris Eccleſiæ redierit.

* Senſerum Apoſtatam reducit.

VIII. Paſſionem S. Anaſtaſiæ edit.

Ut honorem cultúmque D. Martyris *Anaſtaſiæ* ſui Monaſterii Patronæ, cui adictiſſimus erat Carolus, promoveret latiùs, an. 1710. *Hiſtoriam Paſſionis & Translationis* ejusdem Divæ vernaculâ conſcriptam typis Monacenſibus in lucem dedit, eámque plurimis locis auctam & emendatam eâ induit formâ, ut partum hunc ſui quodammodo juris ſibíque proprium feciſſe videatur. Ceterùm præmiſerat jam annis abhinc aliquot ejusdem S. Martyris officium, quod vocant, *parvum*, metris ſanè floridis illigatum, additis litaniis piísque precibus. Sed ejusdem Divæ cultum vel maximè promovit, dum illuſtri Parthenoni Holzenſi O. S. B, eam Româ impetravit gratiam, ut dictæ moniales feſtivam illius Sanctæ commemorationē ſub ritu duplici 2. Claſſ. celebrare poſſent. Cauſſam ejusdem rei ipſe author in Chronico Benedicto - Burano ad annum 1718. fuſiùs enarrat. Similes gratias permultas aliæ Abbatiales & Parochiales Eccleſiæ, agente *Carolo*, Româ impetrârunt.

IX. Romam mittitur.

Sicut autem R.mo Abbati Benedicto - Burano *Magno* in plerisque negotiis pro monaſterio conficiendis *P. Caroli* operâ uti placuit, ita eandem quoque in causâ quadam graviſſima, quæ multo jam tempore ſervido ex utraque ardore tum in Friſingenſi, cùm in Monacenſi Conſilio Eccleſiaſtico agitata, demúmque Romam ad ſupremum Orbis Chriſtiani Tribunal deducta fuerat, adhibere ſtatuit. Igitur an. 1712. ad Urbem miſſus Carolus 24. Octobris ibidem appulit. Senſit brevi quàm neceſſarius illîc eſſet. Adeò jam apud plurimos adverſa Benedicto - Buranis præjudicia invaluerant. Advocati Romani ceterà viri ſanè juris conſultiſſimi, quibus ea ab ipſis Benedicto - Buranis cauſſa erat commiſſa, non adeò tamen feliciter eam penetrâſſe videbantur, ut ſat validè adverſarios retundere poſſent. Ergo opus erat, ut *Carolus* multa præjudicia, quæ hactenus refellere poterat nemo, abſtergeret, & genuinnm cauſſæ ſtatum detegeret. Quod adeò feliciter præſtitit, ut illa demùm anno ſequenti 6. Aprilis in ſacra Congreg. Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium inſtitutâ in favorem Monaſterii deciſa fuerit.

X. Res ibi geſtæ.

Rebus Romæ ex animi ſententiâ confectis, totius cauſſæ ſeriem *Carolus* domum redux ſingulari libro complexus eſt. Etſi verò privatæ tantùm ac domeſticæ notitiæ, non verò publico uſui deſtinatus fuerit liber ille, eam tamen in illo conſcribendo moderationem adhibuit Autor, ut quànta in agenda illa cauſsâ, etſi multis calumniis, aliquorum invidia, aliorum ignorantia domi foríſque onerata, uſus fuerit, facilè appareat. Si Monaſterio multum, certè ipſi *Carolo* non minùs profuit Romana hæc peregrinatio. In ipſa ſiquidem Urbe non ſolùm pluribus S. R. E. Cardinalibus alíisque viris præcipuis, verùm etiam ipſi ſapientiſſimo SS.móque Pont. *Clementi XI.* innotuit, & clementiſſima propenſi animi ſigna expertus eſt. Sed præcipua *Caroli* occupatio in Urbe fuit, Bibliothecas, veteres Baſilicas, ſacráque venerandæ antiquitatis monumenta ſagaci oculo luſtrare.

XI. Scribit Necro- & Biologium.

Jam ante ſuſceptum iter Romanum inciderat *Carolo* ſancta & ſalubris cogitatio pro mortuis. Eam sîc ipſe in procemio operi, quod *Morituris Fratribus Benedicto - Buranis F. Carolus Moriturus* dicatum voluit, præfixo explicat: *Cum ad evolvendas, atque ex infinito propemodùm chao in ordinem redigendas vetuſtiſſimi Archivi noſtri Scripturas acceſſiſſem, atque ferè omnia & ſingula poſt longum plurium annorum laborem attentè perluſtrâſſem, & in aliquem ordinem reſtituere cœpiſſem, in mentem denique venit, deſiderari in hoc noſtro ceteroquin ſatis copioſo tabulario illud, quod repertum inſigni nobis potuiſſet eſſe ſolatio, grandíque Virtutis ſtimulo, memorias ſcilicet, & res benè piéque geſtas Fratrum noſtrorum defunctorum; quippe quorum vix aliud in dicto Archivo noſtro reperire hactenus fuit, quàm nudam profeſſionis ſchedam & diei obitûs notam, ceteris virtutum*

tutum, functionum, & laborum ornamentis ac memoria tranſeuntibus cum ſonitu campanarum, ſtatim poſt exequias obmuteſcentium. . . Indoluit huic incuriæ jacturæque Carolus, eo magis, quo minùs reſarciri poterat. Quod igitur unum fieri fas erat, ne eorum quoque Concellitarum ſuorum, quorum adhuc recens extabat, memoria intercideret, ſcribere adgreſſus eſt NECROLOGIUM, *ſpe fretus*, ut ipſe ait, *non defore ex poſteris, qui ob tranſmiſſam ad ſe anteceſſorum ſuorum memoriam grates dicturi eſſent, maximè poſtquam ex præclaris domeſticorum FF. exemplis multo fortius ſuaviúſque, quàm ex lectione peregrinorum ad piè fortitérque agendum atque patiendum ſeſe incitari deprehenderent.* Ne verò rivus hic tam facilè deficeret, addidit & fontem, *Biologium* ſeu *Viventium Confratrum Matriculam*, in quam Sodalium ſuorum natales, ſtudia, officia in Religione geſta deinceps referrentur; præclarè in hunc modum tam de mortuis meritus quàm de vivis.

XII. Campidonam invitatur & Fuldam.

Inter hæc anno 1719. Celſiſſ. S. R. I. Princeps & Abbas Campidonenſis *Rupertus* ad ſe Carolum evocavit, ejus in gravi quodam negotio operâ uſurus. Paruit ille die XI. Martii illuc delatus, ac humaniſſimè exceptus. Quanta verò Principi præſtiterit obſequia, ex eo patuit, quòd *Carolum* ſemper retinere ſecum decreverit, Conſiliis ſecretioribus adhibendum, & ſtipendio annuo ſat pingui donandum. At ille domeſtica cauſatus impedimenta, qua potuit modeſtia oblatam gratiam declinans, tandem die 25. Aprilis domum remeandi facultatem, ægrè licèt obtinuit. Vix ex aula Campidonenſi diſceſſerat Carolus, cùm ſequenti mox anno Fuldam ad ſcribendam Principalis illius Monaſterii Hiſtoriam invitatur. Sed obſtabant rationes non leves, quo minùs eam in ſe ſuſcipere provinciam poſſet. Actis itaque pro ea, ut decuit, gratiis, hanc alteri ſpartam reliquit. Eo ipſo anno cùm Celſiſſ. Princeps Epiſcopus Friſingenſis ſtatuiſſet in Gymnaſio ſuo humanioribus Muſis etiam ſeveriores ſociare, P. *Carolus* Conventui Abbatum eum in finem Weichenſtephanii inſtituto interfuit, ſuáque operâ ac conſilio utiliſſimum hoc negotium promovit. Autumno ejuſdem anni (utì aliàs ſæpiùs) tum Oeniponti, tum in Provincia Athesina res non ſolùm Benedicto-Buranas, ſed etiam Friſingenſes, jubente Principe, magno cum fructu curavit.

XIII. In aulam Friſingenſ. accitus Hiſtoriam conſcribit.

Menſe Martio anni 1722. ab eodem Celſiſſ. Principe *Joanne Franciſco* iterum Friſingam clementiſſimè evocatus, in aulam ſuſceptus menſæque Epiſcopali deinceps adhibitus fuit *Carolus*, addito etiam *Conſiliarii Eccleſiaſtici Actualis* munere ac titulo, quem paulò antè etiam ab Abbate Campidonenſi tulerat. Intentio Principis in eo præcipuè verſabatur, ut P. *Carolus* ex innumeris penè & antiquiſſimis membranis ac codicibus ejusdem Eccleſiæ Hiſtoriam conſcriberet. Arduum id opus Princeps ipſe eidem Carolo jam olim an. 1709. detulerat, verum noſter, tùm quod operis difficultatem præſentiret, tum ne alienam ſibi invidiam conciliaret, modeſtè ſeſe plurimis annis oppoſuit, donec tandem annus decies ſecularis Friſingenſis Eccleſiæ jam non procul abeſſet, & ad eum feſtivè celebrandum ejusmodi Hiſtoria maximè neceſſaria videretur. Itaque decretoriis tandem literis accitus, & proprii etiam Abbatis juſſu permotus, manum operi admovit, & per biennii ferè integri lapſum primum illius Hiſtoriæ Tomum indefeſſo planè ſtudio feliciter abſolvit.

XIV. Aliæ ejus occupationes Friſingæ.

Quamquam verò Carolus in eo opere conſcribendo & ad typum promovendo ſatis utiquè foret occupatus, non omiſit tamen plura alia ad condecorandam inſignem illam ſolemnitatem conferre. Cùm totam in memorato majori illo opere latino Friſingenſem Hiſtoriam abſolvere non licuiſſet inter anguſtos adeò temporis limites, id ſaltem egit noſter, ut ſuo calamo exaxata in vernacula interim prodiret integra decem ſeculorum Hiſtoria, quæ præcedentis veluti compendium publicis votis foret opportuna, ut ii etiam, qui vel majoris operis legendi, vel comparandi mediis, vel denique latinæ linguæ notitia eſſent deſtituti, haberent, quo de rebus Friſingenſibus exiguo tum temporis, tum ſumptuum diſpendio, quantum quidem pro id generis hominibus ſatis, ſeſe inſtruere poſſent. Univerſas præterea inſcriptiones, ac picturarum Lemmata, quæ in Eccleſia Cathedrali ingenti ſumptu & ſplendore à Celſiſſ. Principe Sponſóque ſuo jubilæo non ita pridem abſoluta, conſpiciebantur, ipſe dictavit: Invitatis ad S. Feſtivitatem Encomiaſtis ſingulis materias ſubminiſtravit, multáque alia

ad

ad futuræ ſolemnitatis ritè ordinatéque peragendæ decorem contulit, atque inſtituit. Exacto autem Octiduano hoc Feſto eidem à Cel.mo Principe injunctum fuit, ut univerſam hanc ſolemnitatem deſcriberet, & panegyres per illam dictas ad typos pararet. Iis in unum collectis cætera deinde ipſe adjecit, opuſculúmque inſcripſit: *Das danckbare Freyſing*, editum Friſingæ A. 1725.

XV. Friſing. Hiſtoria quibus auxiliis ſcripta.

Sed ut ad *Hiſtoriam Friſingenſem* redeamus, quantum eo in opere elaborando, ipſi præprimis Cel.mo Principi *Joanni Franciſco*, tum ejus Nepoti Ill.mo D. *Franciſco Sigiſmundo* L. B. de Ecker in Kapbing & Lichtenegg ſupremo tunc temporis Aulæ Friſingenſis Mareſchallo, in acceptis retulerit Autor, haud opus eſt, ut hîc pluribus commemoremus, cùm id ipſe dudum in diſſertatione ſexta prolegomena ejusdem operis ingenua gratitudine palàm orbi literario profeſſus fuerit. Sed iſtum hîc præterire nefas ducimus, quem ipſe Autor laboris ſui Socium modeſtè nuncupat, modernum nempè Abbatem Benedicto-buranum R.mum D. *Leonardum Hochenauerum*, reconditioris eruditionis, univerſæque Antiquitatis peritiſſimum, imò Muſarum non tam Mæcenatem, quàm Apollinem, cujus demùm juſſu & auſpiciis *Chronicon Benedictoburanum* à *Carolo* conſcriptum in lucem prodiit hoc ipſo, quo hæc ſcribimus anno 1752. *Quod enim*, inquit editor, *in hoc Monaſterio* Carolus *plantavit Hiſtoriæ præprimis Eccleſiaſticæ, tum & profanæ ſtudium*, R.mus Leonardus *rigavit hactenus & magnis etiam impenſis rigare in hunc diem non deſinit.*

XVI. Ejus operis elogia &c.

Vix in lucem prodierat primus Hiſtoriæ Friſingenſis Tomus, cùm eundem Celſ. Princeps *Joannes Franciſcus* Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori CAROLO VI. ante omnes humillimè oblatum voluit. Suſcepit hanc in ſe provinciam R.mus Abbas Gottwicenſis *Godefridus*, vir non in Aula minùs Cæſarea, quàm Muſarum regno magnus. Quo verò ſucceſſu executus id fuerit, ipſe paulò pòſt literis ad Autorem datis hunc in modum ſignificavit: *Hiſtoriam Friſingenſem, quam S. C. M. demiſſiſſimè obtuli, Auguſtiſſimus Imperator non modò omni Cæſareo favore complexus eſt, verùm etiam intentionem Cel.mi Principis, quâ antiquiſſima Eccleſiæ ſuæ ornamenta & prærogativas documentis adeò probis firmata orbi erudito ob oculos ponere, & hoc modo Hiſtoriæ noſtræ Germanicæ multis adhuc locis obſcuræ novum lumen accendere voluit, clementiſſimè dilaudavit. Auguſtiſſimus inſuper & literatiſſimus Cæſar* (quod ſummæ gratiæ loco habendum) *clementiſſimè dignatus eſt geminas mecum operis partes perluſtrare, ac de perſona, vita, moribus, doctrina, monaſterio &c. Autoris complura ex me ſciſcitari. Ad quæ ita reſpondi, ut A. R. P. V. ſincerè gratulari poſſim, à Sacra Cæſarea Majeſtate cuncta adeò clementer fuiſſe accepta &c.*

XVII. Virorum Eruditorum Romæ de eo judicia.

Nec minori favore Romæ opus exceptum, Eminentiſſimi Cardinales *de Porzia & Corradinus*, cùm illud à P. *Carolo* miſſum accepiſſent, Autori de opera Eccleſiæ & Monaſtici Ordinis honori tam fideliter impensâ, humaniſſimis literis gratulati ſunt. Ill.mus *Nicolaus Maria Tedeſchius* Archiepiſcopus tunc Apamenus & ſacræ Rituum Congr. Secretarius in Epiſtola ad Autorem Romæ 9. April. 1730. exaratâ, vocat *Opus præclariſſimum, ac laborioſum, illúdque ſtylo eleganti ac ſolido & ex omni parte Germano, i. e. ſincero & nulla arte aut fuco compoſitum.* In aliis literis Romæ 12. Sept. 1733. ſcriptis ita loquitur: *Hiſtoria Friſingenſis magno in pretio hîc habetur à Viris Eruditis, præſertim Ill.mo Archiepiſcopo* Fontanino, *ob documenta valdè utilia, tum Ordini noſtro, tum Reipublicæ literariæ in ea contenta &c.* Ill.mus quoque Dominicus Paſſioneus Archiep. Epheſinus, & Apoſtol. ad Helvetios Nuncius, poſteà & ipſe in S. Cardinalium cœtum aſſumptus, in literis Lucernæ 8. Febr. an. 1725. datis ita reſcribit: *Hiſtoriæ Friſingenſis volumen primum avidis oculis percucurri, & ſpecimen integri Operis hauſi pulcherrimum, monumenta antiquitatis celeberrima. Eruditionem porrò continet abſolutiſſimam...* In aliis 27. Julii 1729. Altorfii datis, & ſibi & toti Eruditorum Reipublicæ gratulatur, *quòd tandem in lucem etiam prodierit Tomus ſecundus Hiſtoriæ Friſing. quem certè ſeu copia ſpectaretur antiquorum Documentorum, ſeu eximia diligentia, qua totum opus elaboratum eſt, plurimi faciendum cenſeret...*

XVIII. Aliorum teſtimonia.

Præclaris hiſce illuſtrium Virorum teſtimoniis jungimus alia quorumdam in Germania Præſulum, tum aliorum etiam, quorum nomina & opera dudum Eruditi ſuſpexêre. Celſiſſ. Princeps Campidonenſis *Anſelmus* epiſtola ad Autorem A. 1729. exarata, eidem

gratu-

gratulari *de tam præclaro ac erudito, non ſine pertinaci labore feliciter terminato, & in lucem producto opere* dignatus eſt. R.mus D. *Bernardus Baillie* ad Scotos Ratisbonæ Abbas, vir omni eruditionis genere cultiſſimus, eóque nomine literatis dudum notiſſimus, cujus fata etiamnum deplorant elegantiores Muſæ, adeò grata ratáque habuit *Caroli* opera, ut his non ſatur ad novos etiam labores eum excitaret. Id voluit literis ad illum 30. Auguſt. 1729. exaratis: *Pro miſſo*, inquit, *volumine, quo nihil mihi charius mitti potuit, nec elegantius quidquam, gratiarum actiones rependo maximas. . . Ceterùm pergat V. C. Paternitas in bonum Reip. literariæ operas ſuas fortiter impendere. Exhauſto Archivo Friſingenſi copioſam reperiet materiam in aliis licet minùs copioſis, quâ eruditos univerſos mirificè devincire valeat...* Magnificus P. *Franc. Schmier* almæ Univerſitatis Saliſburg. id temporis Rector, & magnum inter Juriſconſ. nomen, animi ſui ſenſum de hoc opere ſic explicat literis 21. Octobr. A. 1724. datis: *Recepi opus incomparabile eruditiſſimæ Friſingenſis Hiſtoriæ, quod cùm noſtræ Bibliothecæ fuerit donatum, ibi tamquam inæſtimabilis theſaurus ad immortalem celeberrimi Autoris gloriam aſſervabitur. . .* Nec parciores in ejusmodi elogiis *Cæleſtinus Mayr* Imperialis ad Ss. Udalricum & Afram Auguſtæ Monaſterii Abbas, *Marcus Hanſizius* S. J. Scriptor nominatiſſimus, *Gelaſius Hieber* Ord. S. Aug. Ss. Theologiæ Doctor, Vir Latine, Græcè, Hebraïcè doctiſſimus, ac Parnaſſi quondam Boici Apollo, qui in ſuis Ephemeridibus Boïcis, *Carolum* noſtrum non ſolùm *Hiſtoriographi celeberrimi* titulo condecoravit, ſed etiam aſſerere non eſt veritus, *id Bojoariæ fuiſſe* CAROLUM, *quod* Mabillonius *Galliæ*, Pezius *Auſtriæ &c.*

XIX. Exterorum cenſuræ. Viris hiſce Religioſis alios non paucos doctrinâ & pietate conſpicuos liceret addere; ſed præſtat ex alio etiam hominum genere aliquos audire. Vir literatiſſimus *Iſaacus de Zu-Veith* Civitatis Bulſanenſis Phyſicus hæc inter alia ad Autorem: *Ex hac Hiſtoria ſcribendíque methodo documentis tam præclaris & luculentis confirmata inexplicabile gaudium & ſolatium hauſi, elucente ubivis clara veritate tam in Eccleſiaſticis quàm profanis. . . .* Clar. Vir Joan. Chriſtianus *Lüningus* Archivi Imperialis Collector laborioſiſſimus, quàm à ſacris Catholicis alienus, ſuam tamen ſuorúmque de Hiſtoria Friſingenſi æſtimationem datâ *Lipſiæ* A. 1727. ad Authorem epiſtolâ his teſtatus eſt verbis: *Primus Tomus Hiſtoriæ Friſingenſis magni hic æſtimatur: alter non minori exſpectatur deſiderio...* Sanè Lipſienſes ipſi Actorum Eruditorum editores, etſi pro ſuo in Pontificiam Sedem odio Carolum nimis ſaviſſe Pontificibus alicubi contendant, fatentur tamen, *pari ſolertia, ſcribendi gravitate, ac profunda Hiſtoriæ, aliarúmque ſcientiarum peritia utrumque Tomum conſcriptum eſſe.* Addunt, *non ſolùm optare ſe, ut cæteri quoque Eccleſiaſtici hoc imitentur exemplum, verùm etiam, ne Autor Hiſtoriæ cultoribus longiorem continuandi operis exſpectationem eſſe velit...* Prætereo alios Scriptores publicos, qui Hiſtoriâ illâ uſi Autorem paſſim honorifico *Eruditi Scriptoris* titulo cohoneſtant. Quorum elogia eo minùs ſuſpecta videri debent, quòd Viri plerumque literati tacito quodam æmulationis ſtudio aliàs in diſpenſandis laudibus ſoleant eſſe perparci.

XX. Chronicon domeſticū ſcribere aggreditur. Necdum ſecundus Friſingenſis Hiſtoriæ Tomus publicam lucem aſpexerat, cùm ad ſcribendos ſui Monaſterii Annales animum Carolus appulit. Qua in re magno illi adjumento fuit, quòd non modò omnes Archivi ſorulos pridem excuſſiſſet, verùm univerſam etiam materiam in ſynopſin, quod ſuprà dictum, redegiſſet. Itaque breviori quàm ſperari poterat, tempore opus abſolvit. Quippe jam anno 1730. ſupra menſam communem, quod in ejus cœnobio moris eſt, legi potuit. Addidit ſequentibus annis cætera usque ad annum à cœpto Monaſterii ædificio decies ſecularem, Chriſti 1733. quo Jubilæi, ut vocant, millenarii ſolemnitas agi, & opus in publicum prodire debuiſſet, niſi alia obſtacula utrumque impediiſſent. Etſi verò in concinnanda Friſingenſi Hiſtoria aliis, quos ipſe laudat, nonnulla debeat, in hac certè nemini debet quidquam, cùm è propria penu vixerit. Opus tamen poſt Authoris fata à R.mo loci Abbate Cl. P. *Bernardo Pezio* commiſſum fuiſſe recenſendum ex hujus diſcimus literis. Prodiit autem typis primùm Joannis Jacobi Vötter excuſum Monachii in fol. A. 1751. ut infrà dicemus uberiùs. Idem porrò Chronicon *Carolus* ipſe in vernaculam quoque & compendium, omiſſis documentis, in eorum potiſſimùm gratiam redegit, qui nudam

rerum geſtarum notitiam, non item amatam eruditioribus criſin deſiderarent.

XXI. Caroli labores pro exteris. Dum in hiſce laboribus pro patria ſuóque Monaſterio deſudat *Carolus*, non raros etiam extraneis impendit. Multi de variis illum dubiis conſulere, nonulli antiquas inſcriptiones, & quas legere multi deſperaverant, literas ad eum mittere aut deferre; pro aliis iterùm ipſe documenta, quibus aut ſarta tectáque jura ſua tueri aut læſa reparare poſſent, ex vetuſtis ſcriniis producere; Eruditiſſimi etiam Viri, inter quos aliquando etiam Acatholici, ſua antequàm in lucem ederent ſcripta, privatæ Caroli Cenſuræ ſubjicere; Alii cauſas in Curia Romana hærentes eidem commendare, aut ad gratias inde obtinendas ejus operam implorare. Penè oraculum fuiſſe diceres, à quo tot reſponſa petebantur. Quin & ad ipſam Aulam Cæſaream non una vice invitatus fuit Carolus Aug. Cæſari *Carolo VI.* calamum ſacraturus. At erant plures graviſſimæque cauſſæ, quæ ut id honoris & oneris deprecaretur, ſuadebant. Nec minores erant rationes, ob quas *Carolus*, iis, quæ tum temporis inter illuſtres quoſdam Bojariæ Auſtriæque Scriptores, de genuino Stemmatis Boici Protoparente agebantur, controverſiis prudenter ſe ſubduceret; Maluit enim dum illi non indecoro inter ſe ſpectaculo digladiarentur, ſpectatorem agere, quàm pugilem, ſatius eſſe judicans pugnam modeſtè declinare, ubi non aliud victoriæ præmium, quàm aliorum offenſa ſperari poſſet.

XXII. Morbus & mors. Poſt tot tantáque demùm vitæ præclaræ merita viribus ſenſim fractus, aliquo tempore atoniâ ventriculi laborans & anguſto ſpiritu halitum trahens, ſacro Viatico ſæpiùs refectus, & ad ultimam luctam ritè ex catholico more inunctus inter heroïcos Virtutum actus ſpiritum Creatori piiſſimè reddidit 2. April. 1734. ætatis 65. Profeſſ. relig. 46. Sacerdotii 40. æterna laborum ſuorum præmia in cœlis recepturus. Mortuo Parnaſſus Boicus edita non ſolùm in lucem publicam Caroli vitâ, verùm etiam effigie affabrè æri incisâ, Sodales lacrymis parentârunt; Si tamen lacrymis proſequi funus Viri decuit, quem ſcientia terris, virtus cœlo immortalem reddidit.

XXIII. Religioſæ ejus virtutes. Quantum namque ſingulari eruditione, tantùm etiam pietate & religione *Carolus* excelluit. Votorum ſuorum cuſtos integerrimus, quidquid contra illa pugnaret, cane pejus & angue vel à longè exhorruit. Paupertatem religioſam ſtrictè adeò coluit, ut nihil unquam vel in victu vel veſtitu præter com̃unem aliorum ſortem admitteret. Somni cibíque parciſſimus, laborum tamen, debili licet corpore, non patiens modò, ſed & appetens; *Nunquam*, quod de Ven. Beda noſtro alicubi legimus, ***torpebat otio, nunquam à ſtudio ceſſabat; ſemper legit, ſemper ſcripſit, ſemper docuit.*** Annis præſertim poſtremis nunquam in publicum prodire voluit, niſi aut neceſſitas juberet, aut manifeſta ſuaderet utilitas; nempe adeò continua illi vel cum Deo, vel cum Doctoribus mortuis, rara cum vivis colloquia, ut eo tempore ad imitationem S. P. N. Benedicti *in ſupremi Inſpectoris oculis ſolus habitaret ſecum.* Anterioribus annis in aula Friſingenſi vixit ſine ullis aulæ vitiis. Quamquàm ſanctior hæc aula ſub religioſiſſimo Principe Epiſcopo *Joanne Franciſco*, non Vitiorum, ſed Virtutum ſchola & Religionis domicilium fuerit. Quanta porrò Caroli diſciplinæ monaſticæ, reíque literariæ promovendæ cura, quantus pro totius ſacri Ordinis honore zelus fuerit, paucis explicari non poteſt. Honores, cùm omnibus eſſet digniſſimus, admiſit nullos, niſi quos effugere non potuit. Inter frequentiſſima etiam negotia non omittebat piis animum Meditationibus excolere. Cœlites cœlitúmque Reginam tenero colebat affectu. Extant adhuc in ſcriniis Benedictoburanis Manuſcripta ipſius non pauca inſignem viri pietatem ſpirantia.

XXIV. Prudentia & veritatis ſtudium. Adhæc ſummâ cùm polleret prudentiâ, rerúmque geſtarum & gerundarum experientiâ, nec minori ingenii perſpicaciâ inſignis eniteret, multa tum privata tum publica confecit negotia, multos diſſolvit nodos in illum diem inextricabiles, multas compoſuit lites, & annoſa inter vicinos jurgia. Hinc tanta in virum à ſumis æquè ac infimis fiducia, ut paſſim in conſilium adhiberetur. Ea veritatis cura in ſcriptis ipſius ubivis elucet, ut quæ aliis Principum odium, amorem Carolo & venerationem conciliârit. Nihil ſolitus dare partibus quantumvis amicis, ſi hæc obſiſteret, æquâ lance ponderabat omnia, in eam demùm inclinans partem, cui pondus non fucata, ſed nuda Veritas adderet. Hinc illud ex divino ſibi oraculo Eſdræ 4. adſcivit ſymbolum: *Veritas fortior*

præ

præ omnibus. Atque utinam hoc eodem clypeo plures noſtri temporis Scriptores adverſùs fortia quædam ingenia, quibus verum nihil, niſi quod ſibi placet, ſe munirent!

XXV. Operum Index. Opera quod attinet, etſi ea jam maximam partem indicaverimus, claritatis tamen intuitu libet eorum ſpecialem more noſtro adnectere ſyllabum, ſervato, quà licuit, temporis ordine. Igitur

1. Ab anno 1702. usque ad annum 1705. edidit *Exercitationes Philoſophicas*, publicis diſputationibus expoſitas, numero undecim.

2. Ex Theologia ab anno 1706. ad 1709. ſequentes edidit in 4. videlicet *Prima* ex Tractatu de Virtute Pœnitentiæ, D. *Udalrici* Auguſtani Epiſcopi geſtis & meritis illuſtrata. *Secunda* ex Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, feliciſſimis *D. Afræ* Proto - Martyris Auguſtanæ lacrymis & paſſione,interſtincta. *Tertia* ex Tractatu de Jure & Juſtitia, Magni Friſingenſium Patris & Pontificis *Corbiniani* Virtutibus interpolata. *Quarta* ex Tractatu de Reſtitutione, intercalatis Ill.^morum^ Chriſti Martyrum *Chryſogoni & Anaſtaſiæ* paſſionibus & translationibus adornata. *Quinta* ex Tractatu de Incarnatione, Magni Salisburgenſium Patris *Ruperti* laboribus Apoſtolicis illuſtrata. *Sexta* ex Tractatibus de Jure, Juſtitia, & Reſtitutione, Magni Germaniæ Apoſtoli *Bonifacii* rebus ſanctiſſimè geſtis illuſtrata. Ubi id notandum, Autorem noſtrum quaſdam poſteà ſententias in his exercitationibus prolatas, retractâſſe, præprimis illam *de ætate D. Ruperti.*

3. Tractatus Polemicus adverſùs *Joſephum Dominicum Senſerum* Apoſtatam, idiomate vernaculo hoc rubro: *Gründliche und genaue Beſichtigung &c.* Monachii typis Jo. Jac. Remii 1709. in 8.

4. Hiſtoriæ Friſingenſis Tomus I. Pars I. & II. res ab año Chriſti 724. usq; ad 1224. geſtas complectens. Auguſtæ Vindel. & Græcii apud Philipp. Martinum & Joannem Veith 1724. in fol.

5. Ejusdem Operis Tomus II. in duas iterùm partes diviſus, quarum prima exhibet res geſtas ab anno 1224. ad hæc tempora. Altera Diplomata, chartas &c. repræſentat. Aug. Vind. apud Merz & Mayr 1729. in fol.

6. *Deſcriptio Solemnitatis Jubilæi Eccleſiæ Friſingenſis*, Panegyres per feſtivum illud octiduum dictas &c. continens, ſub titulo; *Das danckbare Freyſing*... Friſingæ apud Immel. 1725.

7. *Chronicon Benedicto-Buranum* in duas partes diſtinctum, quarum prima Hiſtorica, altera Inſtrumenta exhibet. Opus poſthumum accurante R. P. *Alphonſo Heydenfeld* ejusdem Monaſterii alumno, qui vitam Autoris præfixit, editum *Monachii* typis *Joan. Jac. Vötter* 1751. in fol. Pars altera prodiit Auguſtæ Vind. 1752. In hac comparet *Gothſchalci* Monachi Benedicto-Burani Scriptio de Vita, Paſſione, ac Translatione *S. Anaſtaſiæ* unà cum obſervationibus præviis & notis ſubjunctis. Effigiem Autoris in præfixa fronti Operis icone Lector conſpiciet.

INEDITA.

1. Curſus Philoſophicus Ariſtotelico-Thomiſticus in 4. Opera inedita.

2. Tractatus Theologici de Jure & Juſtitia; de Sacramentis Extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonii. De Incarnatione &c.

3. Controverſiæ de Primatu Romani Pontificis; de Cultu & Invocatione Sanctorum adverſùs antiquos & novos Hæreticos.

4. Archivum Benedictoburanum Tomis IV. in fol. comprehenſum.

5. Annales almæ & exemptæ Congregationis Benedictino - Bavaricæ ad Annos 34. fol.

6. Necrologium novum Benedictoburanum ab anno 1707. usque ad annum 1730. fol.

7. Chronicon Benedictoburanum in vernacula lingua. fol.

8. Hiſtoria Eremitorii Wahlnſeenſis in 4.

9. Apologia adverſùs libellum ſupplicem Cel.^mo^ Principi Epiſcopo Friſingenſi in cauſſa *Ellenbardi* Epiſcopi Friſingenſis porrectum. fol.

10. His addenda forent varia Aſcetica, præſertim ex Italico idiomate translata, Panegyres, Conciones, Poëtica, Excerpta, & alia varii commatis adverſaria; Epiſtolæ ad Cardinales, Præſules Romanos, Epiſcopos, Abbates, Ordinum Religioſorum Superiores, Viros doctos in Italia, & Germania, tanto numero, ut eum nonniſi ſcribendis Epiſtolis operam dediſſe putes, ex quibus omnibus vel ſingularis eruditionis, vel ſolidæ prudentiæ, vel zeloſæ etiam pietatis aliquid elucet. Reſponſorias ipſe diligentiſſimè adſervavit, dignæ quæ tum ob eorum à quibus ſcriptæ ſunt, memoriam, tum ob eas, quas tractant materias, in lucem aliquando proferantur. *Hæc ex ejus vita* OLIVERIUS.

XXXV.

† 1735. 27. Martii.

BERNARDUS PEZIUS Bibliothecarius Mellicenſis.

Bernardi patria, PAtria, quam lex naſcendi *Bernardo* anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo tertio dedit, fuit Iſidis pons (*Ipſium* vulgò *Ibs* vocant) inferioris Auſtriæ oppidum non obſcurum ad Danubii dextram haud procul Mellicio occaſum verſûs ſitum. Pater ejus erat civis probus, ac honeſtus ille quidem, ſed non majorum natalibus clarus. parentes, Id quod de ejus laude nec quicquam minuit, vel ideò, quòd qui patriâ, parentibúsque obſcuris nati ad decus præclarum virtute propriâ aſcenderunt, non inferiorem laudem merentur, quàm qui ſe nobili genere procreatos jactant. Certè uti ſcitè Poëta:

Hunc Ibiſſa ſuum cùm miraretur Eoum;
Hoc majus poterat dicere nil genus.

educatio, Quia verò magna ad virtutem præparatio eſt, rectè à teneris aſſueſcere, ſummâ curâ à parentibus educatus, & quamprimùm paullatim infantiam egreſſus, in ſcholam, dum ætas ferret, miſſus eſt, ut promptè legere, atque aptè literas formare diſceret, ac pietatis religionísque rudimentis imbueretur. Ab his verò initiis, cùm jam in tenera illa ætate vim ingenii maximam, & mirificam virtutis indolem proderet: quamprimùm linguæ latinæ principiis percipiendis ingenii vis, per ætatem capax erat, pater in animum induxit, puerum deinceps latinis diſciplinis tradere informandum. progreſſus in ſtudiis. Itaque primis iſtarum literarum elementis ut imbueretur, Viennam, deinde Crembſium in lodum miſſus, tantúmque ibidem profecit, ut celeriter æqualibus ſuis ingenii gloria antecelleret. Puerilibus jocis aquâ & igni interdixit; ſoli jam tum libri ei in amore atque deliciis fuerunt. Quod vel ex eo patet: quia illam quoque pecuniam, quam ad relaxandum animum à parentibus acceperat, in libros erogare ſolebat.

Matris in eum cura. Intereà cùm hiſce ſtudiis occuparetur, optimi patris præſidio orbatur. *Bernardi* tamen mater, fœmina omnibus virtutibus, quæ abſolutum matronæ exemplar perficiunt, inſtructiſſima, non deſperabat, in Deo fiduciam collocandam eſſe cognoſcens. Ipſa igitur in locum defuncti conjugis ſuccedens filii ſtudiorum proſecutionem virili animo capeſſit.

Religionis ingreſſus. Abſolotis jam humanitatis ſtudiis, mundum, & quidquid in eo ſperare poſſet, relinquere, Deóque ſe in religione devovere decrevit. Quare decimum ſextum annum vix ubi attigit, Monaſterium Mellicenſe adiit, ibíque Benedictinis ut adſcriberetur, omnibus precibus contendit. Admiſſus tandem pro votis, ductorémque in via virtutis nactus R. & Cl. P. *Vitalem*, virum & pietate & divinarum rerum intelligentiâ longè præſtantiſſimum. A quo cùm brevì omnibus Religioſæ pietatis nitoribus expoliretur, partes boni Novitii omnes explevit. Quoniam tamen factum, ut quidam eum ad ſe adjungi ægerrimè ferrent, prima tyrocinii ſui ætate ea *Bernardo* perferenda fueront, quæ ab hominibus malè affectis, aſperis & moroſis exſpectari poſſunt. Adverſitates, Paſſus eſt tamen toleranter omnia pius tyro, iis unicè intentus, quorum uſu majores quotidie in virtute progreſſus faceret. Cùm verò jam, proh dolor! res eò eſſet loci, nt è ſanctiſſimæ militiæ caſtris miſſus fieret, neque diutiùs, quàm, dum illi creſcerent capilli, facultas in Monaſterio permanendi daretur: ipſe novitiorum moderator deſerti patrocinium ſuſcipiens, dœmonis rem eò perduxit, ut ampliùs ei in tyrocinio perſiſtere liceret. Quo exacto, cùm ſaniorum judicio majorem conſtanter perſeverantia, de ſe, quàm vulgò fieri aſſolet, exſpectationem concitâſſet, morúmque puritas, & vitæ innocentia, egregiæ animi dotes, qualis in adulta ætate futurus eſſet, ſatis portendiſſent, factis à conſeſſu Venerabilis, ut vocant, Capituli periculis, conſpirantibus ſuf- profeſſio, fragiis, dignum judicârunt, qui in ſacrum Benedictinorum album ſolemni votorum nuncupatione anno milleſimo ſeptingenteſimo, ipſo reſurgentis Domini die, referretur.

ſtudia Philoſophica. Mox inter domeſticos parietes Ariſtotelis laqueis implicandus traditus eſt: & licèt viles ac ſordidas verborum glandes faſtidiret, quas Logicorum ac Dialecticorum natio tanquam lautiſſimas epulas diſcipulis apponere conſueverat, tam ſtrenuè tamen hoc in labyrintho ſudabat, univerſæque ſibi ſcholaſticæ Philoſophiæ notitiam ita comparabat: ut clariſſimo ſuo Profeſſori *Francijco Lembler*, viro non minùs pietate, quàm doctrinâ inſigni, inprimis ſatisfaceret, ſuóſque condiſcipulos philoſophando ſuperaret omnes.

Curſu

Grammaticæ docendæ admovetur.

Curſu Philoſophico confecto, anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum tertio, infimam illi grammatices claſſem docendi provincia datur: hîc occaſionem nactus interea, dum maxima dexteritate ac facilitate juvenes primis mitiorum artium ſtudiurum rudimentis, ac pietate (quantum quidem in iſtam teneritudinem cadit) imbueret, Muſeo, ſi quid temporis à labore ſupereſſet, adfixus, ſtudiis elegantioribus inprimis ſelectiſſimâ indolem admovit, *Terentium*, *Plautum*, aliósque id genus optimos, quà Græcos, quà Latinos Scriptores lectitando imitandóve ingenii cultum amplificabat, ne aliquando omiſſa ulteriori humaoarum artium (quæ reliquæ eruditionis, graviorúmque doctrinarum fundamentum ſternunt, ſuíque neglectum per omnem vitam ſeverâ ultione vindicant) curâ, percipiendæ Theologiæ, ad quam illi poſtero anno tranſeundum erat, minùs idoneus evaderet.

Theologiæ operam navat.

Elegantiorum igitur literarum notitiâ (quæ Theologiæ Candidatis ſatis eſſe poterat) ſibi comparatâ, Vindobonam anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum quarto felici omine miſſus eſt, Theologiæ operâ daturus. Tanta verò ibidem ſedulitate divinæ huic ſcientiæ addiſcendæ incubuit, ut cum aliis de palma decertans laureâ donaretur. Horas, ſi quas à ſacrarum rerum meditatione liberas habebat, non deambulationibus, aut ineptis colloquiis inutiliter perdebat, ſed iterum, ut hactenus ſolebat, ſacris linguis addiſcendis dicavit, tantúmque in iis ſine præceptoris auxilio ſibi magiſter exiſtens profecit, ut nunquam illum hujus operæ pœniteret. Cùm verò quàm plurimi tum Hungarorum ab Imperio Cæſaris deficerent, neque tantùm in Pannonia, ſed in inferioris quoque Auſtriæ confiniis, divina & humana violare, vexaréque inciperent, aliæque caniæ accederent, ad Monaſterium ultimo anno redire, ibidémque divinum iſtud ſtudium abſulvere eſt coactus.

A. 1708. fit Presbyter.

Itaque poſtquàm *Scholaſticis*, quæ vocant, *Theologiæ ſtudiis* ſat cum laude eſſet litatum, annóque deinde milleſimo ſeptingenteſimo octavo, feria tertia Pentecoſtes, Sacerdotii primas Divinæ Majeſtati hoſtias immolâſſet, ſibíque perſuaſiſſet, nihil poſt religioſam erga Deum pietatem aut majus aut præſtabilius eſſe eruditione, neminique neceſſariam tam eſſe artium linguarúmque cognitionem, quàm qui in monaſteriis vitam degunt, tantùm abeſt, ut ſe à ſtudio ſejunxerit, ſitque in hoc tam pulchro curriculo ſubſiſtendum arbitratus, ut religioſam vitam inanem tranſigere ſe putaret, niſi ſtatim ad alia præclara ſtudia animum adjiceret, doctrinæque ſplendor ad morum ſanctitatem accederet.

Scribit Hiſtoriam irruptionis Bavaricæ in Tyrolim.

Argumento eſt illa, quam de Bavarica in Tyrolim irruptione compoſuit, publicique, tanquam primum præcocis ingenii fœtum, juris anno milleſimo ſeptingenteſimo nono fecit, hiſtoria, quæ ubique gentium tum ob ſtyli elegantiam, tum ob doctum, quod elucet ingenium, omnium judicio probatur. His ergo initiis ad altiora, quæ plus utilitatis præſeferrent, quàm oſtentationis, & quæ religioſæ ſolitudini, & converſationi magis convenirent, Ordinique ſuo totique reipublicæ literariæ majori eſſent emolumento, Critices ſtudia, ad quæ nativa quadam propenſione ferebatur, animum appellere conſtituit. Qua quidem in re ex eo potiſſimùm non mediocriter laudandus, quòd ſtudiorum ſuorum laborúmque primitias continuò ad Ordinis ſui decus ac gloriam tuendam, promovendámque conferret. Quippe qui, ſimul ut ad iſta ſtudia ſe accinxit, *Bibliothecam Benedictinam Generalem*, quâ omnes Ordinis ſui Scriptores, quotquot à S. Patre Benedicto ad hanc usque ætatem ubivis gentium floruêre, recenſeret, ſcribendam ſuſcepit. Verùm cùm compluſculis annis in ea adornanda verſaretur, quotidiéque clariùs perſpiceret, vel his apparatibus & ſollicitudinibus rem ad eam, quam requirit, perfectionem neutiquam perventuram, niſi diverſorum, longiſſiméque remotorum monaſteriorum Bibliothecas luſtraret, excutiendóque manuſcriptos codices videret, & ex iis, ſiquid fortaſſe eſſet, quod in rem ſuam converti poſſe videretur, excerpendo colligeret, de itinere hocce faciendo cogitavit. Ut verò quibusdam veluti gradibus ad hunc arduum laborem idoneus & paratus ſenſim redderetur, primum periculum fecit Vindobonenſium Monaſteriorum, proniúsque Mellicio adſitorum Collegiorum codices non ſine opum eruditarum fructu coràm inſpiciendo. Ad majora deinde converſus ſuo R.do ac Cl. germano *P. Hieronymo* ſua cohortatione ad colligendos veteres rerum Auſtriacarum Scripto-

Critices ſtudia ſectatur.

Bibliothecam Benedictinam ſuſcipit conſcribendam.

quam in rem varia adornat itinera.

res converſo, auctor fuit, ut in perluſtrandis Auſtriæ, quæ benè multæ reſtabant, Bibliothecis ſe ei ſocium adjungeret. Impetratâ igitur ab Excellentiſſimo Domino ſuo Abbate prolixè veniâ anno hujus ſeculi ſupra decimum quinto, vertente vere, Deo neceſſarias tanto labori vires & ſumptus ſuppeditante, ad Auſtriam primùm ſuperiorem aſcendit, luſtrationémque Bibliothecarum in monaſterio Seittenſtadienſi eſt auſpicatus. Ubique ad cœnobia perluſtrandorum veterum monumentorum, maximè codicum manuſcriptorum causâ benevolentiſſimè eſt admiſſus. In quibus perluſtrandis tam ſedulus fuit, ut ad nulla eorum, quæ plurima erant, ornamenta, quàm ad Bibliothecas, defixus hærere videretur.

Chartophylacia ſuperioris Auſtriæ perluſtrat.

Intereà verò loci, dum in adornanda Bibliotheca Benedictina occupatus eſſet, alia plurima opera emiſit. Cùm autem alia in hoc viro, tum præcipuè Ordinis ſui defendendi ſtudium admirabile fuit. Specimen hujus rei maximè tum edidiſſe videtur, cùm *libellum ab Anonymo Soc. Jeſu* in publicam lucem protruſum reſutavit. Quo quidem in libello auctor methodum de ſtatu vitæ maturè ac prudenter deliberandi pollicetur, conſilium verò ſuum non ſine craſſis erroribus, aliorúmque injuria exequutus fuiſſe Bernardo eſt viſus. Quare ad apologeticas epiſtolas ſcribendas ſe accinxit, eáſque Superiorum conſenſu hujus ſeculi anno decimo quinto in lucem protulit. Tanta verò fuit hujus Operis fama, tam cupidè à tam multis expetebatur, ut parvi temporis ſpatio exemplis omnibus divenditis atque diſtractis, nova ejus editio ornanda eſſet. Quo etiam factum, ut *Bernardus* confeſtim non ſolùm ut diſertus, verùm etiam magnæ prudentiæ vir, atque is, quem unum adverſarii Ordinis ſui timendum haberent, ſuſpiceretur.

Libellum de cura ſalutis confutat.

Proximo dein anno inſtructiora veteris literaturæ reliquiis Auſtriæ Inferioris Monaſteria perſcrutari cœpit. Domum reverſus, tempus viribus reſtaurandis neceſſarium non ita tranſegit, nihil ut ſcriberet, nihil ut in apertum referret. Quoniam enim viri gratiſſimi perceptorum ex Superioris Auſtriæ Bibliothecis fructuum frequens recordatio animum vellicabat, monebátque, ut de ſtatuendo perpetuo aliquo grati animi monumento & ſeriò & primo quoque tempore cogitaret, *Bibliothecam Benedictino-Maurianam*, ſeu libros duos de ortu, vitis, & ſcriptis famigeratiſſimorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri in Francia hac hyeme, hócque anno prælo ſubjecit, ſuperioríſque Auſtriæ Ord. S. B. Præſulibus dedicavit, conſecravítque.

Inferioris Auſtriæ monumenta ſcrutatur.

San-Maurianam edit Bibliothecam.

Anno dein milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſexto Conſpectum inſignis codicis per aliquot ſecula latitantis orbi literario communicavit. Quo ita in plauſum literarum venit, ut omnibus viris jucundum fuerit, videlicet inter Catholicos, eóſque Religioſos viros bonas artes, præſertim verò Hiſtoriæ ſtudium in Auſtria reviviſcere, quod cum *Cuſpiniano*, *Lazio*, ac *Strenio* intermortuum videbatur. Circa hæc tempora denuo de itinere longiori ſeriò cogitare cœpit. Itaque miteſcente hyeme, primo ſtatim vere, die nimirum tertia Maji anno hujus ſeculi decimo ſeptimo, tanquam ſtrenuus miles profectus ex hybernis terreſtri per Auſtriam itinere Bajoariam, & Sueviam petiit, optimas quaſque ingentis gloriæ veterum codicum prædas acturus. De cujus itineris ratione, laboribus, fructu nihil eſt, quod multa commemorem, præſertim cùm compendiaria ejus deſcriptio Parte I. hujus Hiſtoriæ à me relata fuerit. Ipſe *Pezius* hoc ſuum iter ſat prolixè poſteritati deſcriptum reliquit; Cl. verò *Kropfius* Bibliothecæ Benedictino-Mellicenſi intexuit.

Hiſtoriæ ſtudium excitat.

Iter literarium in Bajoariam &c. adornat.

Intereà verò, dum *Bernardus* hortantibus amicis in opulentas Auguſtanæ urbis Bibliothecas ſeſe abdidiſſet, *Benedictus Gentilotus* S. C. M. à Bibliotheca ſub tecto *Angeli Fontei* nomine epiſtola quadam illum laceſſerat, ſed Marte minùs felici; nam à *Pezio* eximia diſſertatione, cui doctiſſimi quique applauſerunt, vix non oppreſſus fuit.

A Gentiloto laceſſitus ſe vindicat.

Verùm enimverò, dum interim veterum Codicum perſcrutationi propè immerſus magnam blattis tineíſque ſtragem minitaretur, ipſe eis penè occubuiſſet. Tam graviter enim morbo vertiginis conflictari cœpit, ut in maximum vitæ periculum adductus videretur. Sed præter omnem ſuam, medicíque ſpem, cunctis mirantibus, iterum convaluit, Deo ſoli, quòd vivat, ſe debere, gratâ piáque mente profeſſus. Quamprimùm vires iterum revocavit, maximæ id ei curæ fuit, ut primo quoque tempore quàm plurimis eruditis viris uſui & volupta-

Siniſtra valetudine premitur,

ti

à quâ ope divinâ relevatus Anecdotorum theſaurum evulgat Cæſari inſcriptum.

ti forent, quos tantis ſudoribus theſauros peperiſſet. Quare anno hujus ſeculi vigeſimo primo Anecdotorum Theſauri tres primi majoris formæ ac molis Tomi in lucem demum exierunt. Cæterùm non ignarus, quantum gratiæ à *Cæſare*, cui hujusmodi mirificè placebant ſtudia, reportaturus eſſet, ſi ipſi librum dedicaret, tres hoſce Tomos ei inſcribere non dubitavit. Qui quidem, ut erat acerrimus ingeniorum cenſor, quàm ſibi grati hujus viri labores eſſent, ut apertè oſtenderet, arceſſi ad ſe Bernardum juſſit, eáque, quæ ſibi nuncupata erant, Opera clementiſſimè ab ejus manibus coràm accipere dignabatur. Reliqui tres Tomi ita ſecuti ſunt, ut anno hujus ſeculi vigeſimo nono, à ſexto Tomo agmen clauderetur.

jurgio à Taubengall impetitus,

Paulò pòſt verò, quàm à *Cæſare* tantâ gratiâ cumulatus fuerat, jurgio à quodam, qui ſe *Taubengall* venditabat, eſt adortus. Non eſt facile explicatu, quot, quantáque probra & ſcommata in *Bernardum*, & quidem innocentem ob alium libellum contra eum, cui titulus: *Cura Salutis* à Davide *Huffenwetter* anno 1721. editum ingeſſerit. Quem modò *ſtultum*, modò *peripſema dialecticorum*, modò *virum, in cujus ramis grilli, fœdus invidiæ bubo, famæ alienæ vultures nidificant, cujus opera ſtramen*, & ut alia taceam, *exigui ingenii hominem* appellat. Dum verò propudioſus hic libellus ad *Bernardi* manus pervenit, id duntaxat ſubridendo dixit: *nihil in eo niſi indicem erratorum deſiderari.*

nihil in eo, niſi erratorum indicem deſiderat,

Et certè ſibimet iratus, gravitatíque ſuæ injurius fuiſſet, ſi cum tam diſpari antagoniſtâ, nullam ad rem, quàm ad maledicendum fortaſſe idoneo, contendere voluiſſet. Ut tamen Patres S. J. pro certo ſcirent, ſibi libellum pro *defenſione Statûs Petrini adverſus Anonymum Jeſuitam Viennæ editum*, falsò fuiſſe afflictum, ſcripſit ad plurimum R. P. *Maximilianum Galler S. J.* Auſtriæ Provincialem literas, quibus teſtatur immortalem Deum, ſe in nullam penitus partem *Joannis Bartholomæi Werdinger*, uti nec illius Dialogi, qui ſub nomine *Davidis Huffenwetter* pro ſtatu Petrino ab eodem *Werdinger* dudum evulgatus fuit, veniſſe, aut ullo modo auctorem, editorémque eſſe: imo ntrumque opuſculum ſe nec ſciente, nec volente compoſitum fuiſſe &c.

& ab imposturis ſe purgat,

P. Provincialis S. J. ad eum literæ.

Quibus quidem literis P. Provincialis epiſtola Judenburgi 23. Junii 1724. hnmaniſſimè ſcripta, & apud Mellicenſes aſſervata, reſpondet, fatetúrque „ nunquam ſibi in mentem veniſſe, vel ab ullo ſuorum audiviſſe,
„ ſe, vel levi etiam ſuſpicione eum
„ (*P. Bernardo*) attribui poſſe, ut
„ proinde omnem hac de re curam
„ ac ſollicitudinem ſecurè deponere
„ poſſit. Sanctè præterea ſpondet, ſi
„ vel levem in aliquo è ſuis, vel aliis
„ ſuſpicionis umbram deinceps intellexerit,
„ ſe Advocatum acturum, &
„ vel hâc ipsâ teſte epiſtolâ innocentiam
„ (*P. Bernardi*) pro viribus de-
„ fenſurum &c.

Bibliothecam aſceticá,

Ne tamen *Bernardus* interea otio torpere videretur, novem ſimul Bibliothecæ Aſceticæ volumina, in quæ ſelecta omnis generis aſcetica opuſcula fovendæ pietatis gratiâ è manu exaratis codicibus intulit, anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo tertio luci commiſit. Reliquos deinde tres tomulos ſucceſſivis temporibus ſubſecutos eſſe, ultimúmque bimeſtri ferè ante ejus mortem prelo exiiſſe conſtat.

Godefridi Admontenſis Homilias, & alia typis vulgat,

Ad hæc duobus poſt annis *Godefridi* Abbatis Admontenſis Homilias duobus Tomis typis deſcriptas emiſit, eáſque Illuſtriſſimo ac Sapientiſſimo Legato Apoſtolico Paſſioneo inſcripſit, atque dicavit. Anno deinde 1728. Magni *Gerhohi* Commentarium in Pſalmos & Cantica ferialia typis vulgavit.

Cùm eodem hoc anno Excellentiſſimus Comes *de Sinzendorff* Imp. CAROLI VI. Cancellarius primarius in Galliam proficiſceretur, in Conventu Sueſſionenſi Europæ fortunas moderaturus, *Bernardum* in ſuo comitatu eſſe volebat, uti jam aliàs à nobis commemoratum fuit.

Scientiarum academiam in Auſtria erigendam conſulit.

Ut primùm verò Cancellarius ex Gallia redux factus eſt, Viennam ad ſe *Bernardum* arceſſivit, ibidémque *de Academiâ Scientiarum erigenda*, ſua cum eo conſilia conſociare cœpit. Etenim *Bernardus* cùm minimè eſſet neſcius, quantum utilitatis, ornamentíque univerſæ reipublicæ optimarum ſcientiarum Academiæ conferant, quantúmque ſpiritus, ac vitæ, ſplendoríſq; omnes præclarè artes acceperint ſub CAROLO VI. *Cæſare*, auctor Supremo Cancellario fuit, ut conficiendo huic ſaluberrimo operi, favente Cæſare, ultimas manus admoveat. Non perinde, quaſi ſtudiorum amore id temporis ulli in Germania Provinciæ inferior ſit Auſtria: ſed quòd duo eſſent, quæ vim ingeniorum retardâſſe,

pro-

progreſſibúsque ulterioribus obſtitiſſe arbitrabatur. Unum, quòd omnia privato ſolùm auſu & induſtriâ ſuſcepta, tractata, perfecta fuerint, nulla Auſtriæ Eruditorum de rebus ad ſe pertinentibus, de re literaria communicatio, nullum apud plerosque aliis inſerviendi in hoc genere ſtudium, tepidúsque apud plures in bonas literas animus fuerit: alterum, quòd difficile adeò ſit, libris editorem invenire: unde cum maximo literariæ reipublicæ damno eos vel perire, vel nihil proficienti ſcripturæ tempus impendendi tædium auctores capere neceſſe eſt. Qua de re ſaluberrima etſi diu multúmq; deliberatum, actum, conſultúmque eſt, ad exitum tamen multis remoris, difficultatibúsq; obſtantibus ea perduci nequibat. Maxima erat, quòd nemo ita firmus ab opibus eſſet, ut tantam impenſam ſuſtinere poſſet.

Acta S. Trudperti retegit,

Domum reverſus Viennâ, literarias ſuas merces cùm explicaret, luſtrarétque, fortè tum accidit, ut in *S. Trudperti Martyris acta* à ſe in celeberrimo Ordinis ſui monaſterio Zwiſaltenſi, dum è Gallia rediret, primùm detecta incideret. Quæ quidem acta, quantum lucis afferre poſſint vexatiſſimis Eccleſiæ Salisburgenſis initiis, etymóque nominis & originis Domûs Habſpurgico-Auſtriacæ, ſimul ac ea vel per tranſennam legit, illicò intellexiſſe, atque percepiſſe ſibi viſus eſt.

vulgat epiſtolas de origine Domûs Auſtriacæ,

& de S. Ruperti ætate.

Quapropter anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo duæ epiſtolæ, una *de Etymo & Origine Domûs Habſpurgico-Auſtriacæ* ad Excellentiſſimum Dominum Cancellarium primarium, Comitem *de Sinzendorff*, altera ad R. P. *Marcum Hanſizium* S. J. de S. RUPERTI *ætate* propè ſimul in publicum prodierunt. At hic *Bernardum* refutare eſt aggreſſus. Subinde eodem anno è latebris in lucem emerſit *Vita Agnetis Blanbeckin* Venerabilis Virginis Viennenſis; quæ verò ſuppreſſa fuit. In editionis verò defenſionem epiſtolam ſcripſit apologeticam, typis nunquam excuſam.

alia ejus collectanea,

Si poſthuma viri Scripta, quæ penè infinita reliquit, ac formas plurimorum operum, quæ, ſi Deo longiorem vitam largiri placuiſſet, perficere meditabatur, adeundi, conſpiciendique copia foret, omnes tacito ſtupore oppreſſi, vix fidem haberent, tantum ab uno viro præſtari potuiſſe. Quantum jam collegerit pro Bibliotheca Benedictina componenda, experientur hi, qui hoc opus ſunt perfecturi. Profectò propediem compoſuiſſet, ſi maligna fata plus ipſi vitæ ad tanti operis perfectionem indulſiſſent. Unde etiam ſatis lugeri non poteſt, tam egregium opus intempeſtiva viri morte nobis interceptum fuiſſe. Neque etiam mediocriter dolent viri literati, quòd operi, quò *R. P. Hanſizii* Epiſtolam refelleret, jam usque ad quartam Diſſertationem perducto ſit immortuus.

præſertim pro Bibliotheca Benedictina.

Ejus ſtyli puritas.

Et hæc quidem ſunt Opera, quæ è calamo *Bernardi* profluxerunt, in quibus omnia, quæ proprio marte compoſuit, tantâ puritate, tantâ ſtyli elegantia ſcripta ſunt: ut mirum ſit, in tanta barbarorum ſcriptorum conſuetudine ſtyli puritatem, elegantiam, concinnitatémque ſemper retinuiſſe, nec illo cœno contaminari potuiſſe. Magna hæc utique ſunt, & ad nominis immortalitatem, æternitatémque famæ parandam apta: non tamen hiſce acquievit invictum *Bernardi* ingenium, ſed & ſuis laboribus tum de ſuis inquilinis, tum de aliis, quoad vixit, ſemper benè mereri ſtuduit.

inſtructa ab eo Mellicenſis Bibliotheca.

Atque inprimis quantum Monaſterio ſuo ornamenti contulerit, quis facilè orando complecti poſſit? Haud equidem ullâ re magis monaſterium ornari, quàm ab egregiè *inſtructa Bibliotheca*, adhuc, qui dubitat, vidi neminem. Atqui ſi quis unquam fuit, qui in exornanda Bibliotheca curam poſuit maximam, *Bernardus* profectò is fuit. Nihil hîc repetam, quæ alio loco hac de re me dicere memini. At non tantùm Bibliothecam egregiè inſtruendo, ſed etiam ſuis literarum ſtudiis monaſterium ſuum haud mediocriter exornavit. Quis enim neſcit, per hæc adeò Mellicium clarum redditum eſſe; ut quò terrarum ſcripta ejus diſtrahuntur, diſtrahuntur autem per totum ferè orbem; eo etiam tam celebris monaſterii fama perveniret. Quam ut conſtanter, perpetuóque Mellicium retineat, præclara literarum ſtudia, aut de novo introduxit, aut quaſi ab inferis excitavit. Quidquid igitur eruditionis, ac bonarum literarum in inclyto hoc Monaſterio invectarum ſupereſt, id certè eſt, quod illi acceptum ſe referre debere fatentur Mellicenſes. At *Bernardus* commemorando apud poſteros exemplo non ſolùm ſuis, ſed & aliorum monaſteriorum in Germania Religioſos, alibíque ad ſolidiora ſtudia capeſſenda, & voce, & inſtitutis excitavit, in-

excitata ſtudia,

ſtruxit-

Magna ejus apud eruditos æſtimatio.

ſtruxítque. Tanta apud omnes illius admiratio, tanta gratia fuit, ut ad eum amans literarum quiſque doctrinam hauriendi gratiâ advolaverit, illúmque penè ſit ut Magiſtrum veneratus. Teſtis eſto inter alios eruditione præſtantiſſimos Dominus *Joan. Frid. Schannat*, qui ob Fuldenſem & Wormatienſem Hiſtoriam, aliáque opera tanquam lumen in orbe erudito exſplenduit. Atque hic quidem memori gratáque mente ſtudii critici, quam animo comprehendit, intelligentiam *Bernardo* in accepto adſcripſit, apertè atque ingenuè, per quem profecerit, confitendo.

Labores Apoſtolici.

Ut verò de Eccleſia etiam benè mereretur, haud rarò ſacrum conſcendens ſuggeſtum, Chriſtianos in virtutibus, divinísque præceptis inſtruxit. Difficile verò dictu eſt, quanta ejus fuerit in docendis auditoribus perſpicuitas, quantus ardor in commovendo, quanta ſuavitas in delectando. Nihil ſanè hoc in genere omnes Mellicenſes, quotquot ejus concionibus interfuerunt, aliud deſiderari arbitrantur, quàm quòd nihil ſuarum ipſis concionum ſcriptum, annotatúmque reliquit.

animi dotes,

En *Lector Benevole!* præcipuos viri egregii actus! Si eodem exemplo omnes animi dotes, & reliqua optimi viri Religioſi ornamenta oratione complecti vellem, quò non illa excreſceret? Ne tamen nihil dixiſſe arguar, pauca quædam leviter delibabo.

ſumma humilitas,

Quid autem priùs in Religioſo commemorari, quid magis laudari meretur, quàm omnium illud virtutum fundamentum, *ſumma humilitas*, atque animi demiſſio? Hanc verò Excellentiſſimus Comes *à Starenberg*, tantus, támque ſagax aulæ Miniſter, jam dudum in *Bernardo* velut ſingularem ſuſpiciens palàm prædicavit. Nihil præterea illo fuit promptius in ope

in opem aliis ferendam promptitudo,

aliis ferenda, ut dicere verè poſſim, vixiſſe quidem *Bernardum*, ſed, ut ferè dicam, magis aliis, quàm ſibi vivebat. In cuſtodienda caſtitate, quâ neſcio, an ulla major & præſtabilior ſit virtus, uſque ad vitæ extremum tam cautus, támque circumſpectus fuit, ut paulò ante mortem ne quidem plus æquo comatum bellulum juvenem ſacris operanti ſibi ſit miniſtrare paſſus.

patientia &c.

Patientia tanta, támque conſtanti fuit, ut, ſicut ſtatua baſi, ſic vir hic bonus inſtitnto nixus confirmatúſque ad omnes miſerias non ſolùm perferendas, ſed etiam contemnendas nulla fortunæ invidia, nullo hominum odio, nullis difficultatibus, nullis denique ærumnis, quibus dum vixit, jactatus fuerat, aut debilitari, aut frangi, dimoveríque potuiſſet.

nominis celebritas,

Quæ cùm ita ſeſe habeant, quid igitur mirum, cur dignus habitus ſit, qui graviſſimo tegendorum Novitiorum fratrum muneri aliquamdiu præficeretur, qnid mirum, tanti eum ubique fuiſſe æſtimatum, ejúſque famam anguſtis Auſtriæ finibus circumſcribi non potuiſſe. Tam impensè colebatur, oculitúſque amabatur: ut qui ſola virorum aliis in locis doctorum, quibus eum cumulatiſſimè ornârunt, elogia enumerare velit, nullum ſit dicendi finem inventurus.

Principū & Procerum in eum propenſio.

Sicuti verò *principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt*: ita nec in hac parte noſtrum à fortuna deſtitutum fuiſſe, ex literis ad eum datis abundè liquet. Taceo alios benè multos, à fortuna in celſo conſtitutos loco: quos inter Purpurati Romanæ Eccleſiæ Patres, qui maximi *Bernardum* fecerunt, eúmque ſingulari ſunt benevolentia & amore proſecuti. Quin nec Summi Pontifices hunc, ejúſque ſcripta ignorârunt. Bibliotheca Aſcetica quidem certè majorem in modum placuit ſanctiſſimo Papæ BENEDICTO XIII., quem eam ultrò expetiiſſe ferunt. Multò tamen majores parabantur honores noſtro à Rege Angliæ GEORGIO *Primo*:

Georgius I. Angliæ Rex numiſmate cum honorat.

qui utì clementia prorsùs ſingulari, & æternis laudibus decantanda in bonas literas ferebatur, ita propenſiſſimo quoque affectu tam nobile Germaniæ decus proſecutus, aureum ei nummum Regis imaginem referentem transmittendum curavit. Denique quod ad *Bernardi* laudem, ut ego quidem arbitror, plurimùm mihi facere videtur, eſt, quòd ab ipſis noſtræ religionis hoſtibus plenis buccis celebretur. Quis enim ignorat, ita pleroſque conſtitutos eſſe homines: ut eorum, quibus malè volunt, res præclarè geſtas, vel eant depreſſum, vel alto involvant ſilentio.

Quid de eo Lipſienſes Eruditi.

Idcircò *Horatius*, quò Romanorum virtutem illuſtriorem, clarioremque oſtenderet, *Hannibalem* eorum inimicum, hanc commendantem inducit. Id quod & ego ad majorem noſtri laudem pro certo affirmare, commemoraréque poſſum. Enimverò tanti Novatores malè aliàs de Eccleſia Catholica, ejúſque ſectatoribus ſentientes eum fecerunt: ut quoties in Actis Eruditorum quicquam de Domino Pezio

ſcribendum occurrit, multis verbis mirum in modum extollere, prædicaréque conſueſcant.

Corporis conſtitutio.

Ut verò ad fatalem illum terminum, quô tam egregiæ vitæ tam pretioſum filum abruptum eſt, aliquando accedamus: Fuerat quidem *Bernardus*, dum vixit, variis, quibus genus humanum divexari ſolet, malis tentatus: tanta tamen erat omnium firmitas membrorum, tantum robut, ut quemvis ſuæ ætatis longo vivendi ſpatio facillimè ſuperaturus videretur. Et ſanè ſi ab initio viribus parcere ac pertinaci diligentiæ moderari potuiſſet, ſi graviores, eáſque non raras evaſiſſet tempeſtates, longior ipſi forſan ad perficienda alia egregia molimina & promovenda rei literariæ commoda vita ſuppeditâſſet. Tam gravibus verò jactatus procellis, rerúmque humanarum nauſea, tædióque jam pridem affectus ex catharro decumbere cœpit.

Lethalis infirmitas,

Nihil tamen ſiniſtri de valetudine ominatus conſueta ſua divina, humanáque omnia intermittere nolebat. Illuxerat tandem quartus & vigeſimus Martii dies, cùm in tantum morbum incidit, ut eodem ſtatim die medicus ſit accerſitus. Qui morbo, & affectis partibus exploratis, certis indiciis venam ei incidendam, neceſſarium eſſe judicavit. Quare altera die illa quidem inciſa, ſed ſanguis ita corruptus profluxit: ut nec ſpeciem ſanguinis habere videretur. Quo etiam factum, ut eodem die os venæ iteratò patefieret. Cúmque ſanguis nonnihil melior exitet, periculúmque abiiſſe videretur, ægrum corpus in lectum non conjecit.

quâ ingraveſcente,

Verùm poſtero die continuò calida febri gtaviſſimè laborare cœpit, cujus tanta malignitas, tantúſque ardot fuit, ut brevì omnibus corporis aliàs firmiſſimi viribus exhauſti, omnem medici induſtriam falleret, nullíſque quæſitiſſimis etiam remediis depelli poſſet. Valetudinem igitur conclamatam eſſe, ſupremúmque vitæ diem, quem nemini effugere datum eſt, inſtare intelligens, depoſitâ omni rerum humanarum curâ, ac tota mente ad Deum converſus, pridie illius diei, quo ex hac vita illi erat migrandum, Confeſſarium ſub Veſperum accerſiri jubet, cui conſcientiæ ſuæ arcana magna animi ſubmiſſione cùm aperuiſſet,

Sacramentis ritè proviſus,

eadem ſtatim hora ſacroſanctum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus religioſiſſimè Chriſtiano more ſuſcepit. Ut ſacrum Corpus Domini allatum vidit, moribundus membris aſſurrexit, víxq; contineri potuit, quin è lecto proreperet. Poſtridie viribus magis ac magis deficientibus, acie mentis olim acerrima hebeſcente, vacillantéque fideliſſimo ante theſauro, memoria, cùm jam in præcordiis hærentem mortem ſentitet, ſub quintam horam veſpertinam ſacro oleo adhibitis ex ritu Chriſtiano precibus inunctus eſt. Tandem eodem ſcilicet dominico Paſſionis, quam jugiter, dum vixit, meditabatur, die, ipſo *S. Ruperti* feſto,

diem explevit ſuum 27. Martii 1735.

pro cujus ætate & gloria haud ſecus ac pro aris & focis decertavit, annos tantùm quinquaginta & tres natus animam Deo ac Creatori, unde profecta erat, ſub horam octavam majori Mellicii damno, quàm ſuo reddidit, eo animi omnium, qui ultimo certamini interfuerunt, ſodalium ſenſu ac dolore: ut ex illo numero, qui ſibi à lacrymis temperaret, invenires neminem. Ah quanta Deus bone! ſerenitate ac tranquillitate ultimum clauſit diem? quàm non perturbatè, quàm ſuaviter, in morte ſanè ſibi vel maximè vivere videbatur, qui dum viveret, ad beatè vivendum aſſiduè ſibi moriendum cogitabat: ut minimè illius vita mori oblivione poſſit, cujus vel ipſa mors vita ſit immortalis.

Secutus inde mæror & planctus,

Ubi primùm tanti viri caſus lugubri campanulæ (quæ in ultima cum morte luctatione pulſatur) ſonitu per monaſterium, municipiúmque diſſipatus eſt, incredibilis mæror omnium animos invaſit. Nec Mellicium tantùm, ſed & univerſa Auſtria, totúſque orbis literatus hujus interitu conflictabantur. Neque ii quidem, qui ab Eccleſia Romana deſciverunt, à lacrymis, ubi mortis nuntium fama detulit, tempetârunt. Cùm præſertim illum antè mortuum viderent, quàm poſſent de vitæ periculo ſuſpicari, & tam inopinato caſu ita fluctuarent animo: ut neſcirent, utrùm potiùs mortuum lugerent, an ita repentè ſublatum. Quotquot prætereà fuêre, ſive Principes, ſive Cardinales, aut Epiſcopi, aliíque docti viri, quibuſcum *Bernardo* aut commetcium interceſſit, aut Muſæ elegantiores curæ cordíque ſunt, omnes præmaturam hanc, ac peracerbam mortem ingenti dolore ſunt proſecuti. Nullus autem omnium perinde ac Eminentiſſimus Cardinalis

Cardinal. Paſſionei de eo pronuntiatum.

Dominicus Paſſioneus, tunc temporis Viennæ Nuntius Apoſtolicus, ſenſu ac dolore animi fuit affectus. Hic quidem Prælatus, totiúſque Eccleſiæ

ſplen-

ſplendor ac fulcrum, cui doctrina & eruditione pares haud multos inveneris, cùm nihil haberet antiquius, quàm eruditos viros ſibi officiis, beneficiísque devincire, ac proptereà *Bernardum* inprimis coleret, ſuísque ſæpè doctis colloquiis, & literis bearet, quin eo ipſo die, quo hanc vitam cum meliori commutavit, elegantiſſima, humaniſſimáque epiſtola ab ſe ad ſuum *Bernardum* directa, Melſicium fuerat allata, hic Prælatus, inquam, etiam poſt fata amare eum adeò non ceſſavit, ut dum ferales ad ipſum literæ perferrentur, percepta ſua mœſtitia & ore & lacrymis declarata, non Mellicium ſolùm, ſed totum inſuper Ordinem Benedictinum, *ſuo ex diademate perdidiſſe gemmam*, palàm pronuntiaverit, in medio relinquens, orbíſne eruditus, an ipſum monaſterium jacturam paſſa fuerint majorem. Studuit ſanè *Bernardus* ſuis laboribus non de ſuis inquilinis ſolùm, verùm etiam de aliis, quoad vixit, ſemper benè mereri.

Ejus Epitaphium. Epitaphium verò memoriæ BERNARDI à familiari quodam amico conditum, & Bibliothecæ Aſceticæ Tomi XI. poſthumi præfationi annexum, eſt ejusmodi:

Viro Clariſſimo
A. R. P.
BERNARDO PEZIO
Benedictino Mellicenſi, Bibliothecario Eruditiſſimo,
Splendido ſui Ordinis Ornamento,
Ejusdémque Aſſertori acerrimo,
Reconditæ Antiquitatis Indagatori
Studioſiſſimo,
Rei Literariæ Domi, Foriſque
Promotori Laudatiſſimo,
Viris Principibus, & Proceribus
Charo,
Hominibus Eruditione Præſtantibus
Æſtumatiſſimo
Editis compluribus Scriptis
Longè Celeberrimo,
Pietate & Religione Inſigni,
Año MDCCXXXV. Die XXVII. Mart.
Ætatis ſuæ LIII. ineunte
In Monaſterio ſuo Mellicenſi
Ingenti Bonorum omnium luctu
& dolore
Rebus humanis exempto, atque tumulato
Hoc æternæ memoriæ monumentum
Poſuit,
Ejusdémq; piis Manibus optimè precatur
In Deo Requietem Sempiternam
N. N. N.

Aliud monumentũ. Aliud eidem parentans apponebat Ill.mus Abbas Gottwicenſis *Godefridus* *P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.* *Beſelius*, quod hactenus ineditum hîc ſubtexere lubet:

D: O. M.
Lege. Luge. Diſce,
Quid in Mortales valeat furibunda Mors.
En jacet Vir Clariſſimus
A. R. P. BERNARDUS PEZIUS,
Auſtriacus, Ipſienſis, O.S.B. Cœnobita Mellicenſis,
Religione & Doctrinâ
Inſignis.
Per plures annos ibidem
BIBLIOTHECARIUS,
omnísque ſalutaris & ſolidæ eruditionis
vivens ſpiránsque, dum viveret,
BIBLIOTHECA.
Reconditæ Antiquitatis Scrutator ſtudioſiſſimus.
Splendidum ſui Monaſterii, totiùsque Ordinis Benedictini Decus, hujúsque Decoris ſtrenuus Aſſertor.
Rei Literariæ Domi foríſque
Promotor ſolertiſſimus.
Editis compluribus Scriptis longè celeberrimus.
Principibus charus;
Magnatibus pretioſus; Viris eruditis, boníſque omnibus æſtimatiſſimus.
Totus qui Literis natus,
Cùm jam frui debuiſſet exercitatiori ætate, uno die XXVII. Martii, anno CIↃIↃCCXXXV.
Denatus eſt.
Cujus piis Manibus parentans
Hoc monumentum
ponebat
G. A. G.

Elogia. Ejus quoque funus hac funebri Elegiâ proſecutus eſt Clar. P. *Oliverius Legipontius* eo tempore Gottwicenſis Bibliothecæ Præfectus.

Sta, lege, qui tranſis, noſtri monumenta doloris;
Et memorare tuæ ſortis inane genus!
En jacet in tenui BERNARDUS PEZIUS *urnâ,*
Sphæra cui Mundi vix ſatis ampla fuit.
Hunc IBISSA * *ſuum cùm miraretur Eoum,*
Hoc majus, poterat dicere, *nil genui.*
Invida ſplendoris tellus MELLICA **, *ſecundi*
Ortûs cauſa fuit, compoſitáque fieris.
Hunc inter Monachos, cælo ridente, relatum,
Ipſe ſuum dixit Juppiter eſſe genus.
Palladio admotus, majores acer in auſus,
Mox Phœbi ſacros ſcandere cœpit equos.
Auſtriadûm luſtrat forulos, Archiva revolvit,
Ac ubi Caſtalidûm ſacra forêsque patent,
Horrea rimatus, veterum monumenta Virorum
Eruit è tenebris, quæ latuêre diu.
Plurima de rebus magnis hinc ſcripta refudit,
In toto Aonius, quæ legit, orbe, chorus.
Per mare velificus placidâ dum navigat aurâ,
Et ſibi Circator plaudit, opésque parat;
En inopinato ſe totis exerit euris
Turbida tempeſtas, pulſat & unda ratem.
Inviſæ facies ſurgunt, inſurgit amicus,
Surgit & infeſtum, gens Lojolita, genus.
Quin etiam in ſuperis atrox fortuna luenda eſt;
Nec veniam læſo Numine caſus habet.

* *Ibs ſive Iſidis pons.*
** *Mölck.*

Hic ferit, ille furit, ſparſis hinc inde libellis,
Quisque ſuas ſannas ore crepante vibrat.
Quid faceres HEROS! *fatis tot pulſus iniquis?*
Nonne tibi ſplenem velleret atra bilis?
Grandis at ille animo, quâvis ſublimis in arte,
Fulminis in morem, fluminis inque modum,
Perſtitit, & ſtabilis partes ſe volvit in omnes,
Propoſiti cuſtos, juſtitiæque tenax.
Perſtitit, ô virtus! & crimine liber ab omni,
Invicto vicit pectore triſte malum.
Nil ſicas metuit, nil ſtigmata, tela, nec artes,
Quas vel Soliſpſi, gens caperata, parant.
Diſplicuit, placuit; ſed mens bene conſcia recti,
Pacatè furias, & maledicta tulit.
Nec quicquã rugiens vertumnus terruit aures;
Obfuit aſſertis livida turba nihil.
Conſtitit ille ſibi veluti marpeſia cautes,
Erexitque ſuo ſaſta trophæa tholo:
Quippe tot adverſis probitas exercita rebus,
Triſti materiam tempore laudis habet.
Ergo ſit, è vivis in terram terra recedens
Ceſſerit; ipſe tamen ſpiritus aſtra tenet.
Unáque nunc ſupereſt, quæ ſe reſſeminet ales,
Fama triumphantis, ſcriptáque digna legi.
Hæc ſtabunt, ſtabitq; virens imarcida laurus,
Non niſi ſupremis interitura rogis.
Poſthuma fortè brevi Cupreſſus odora ſequetur,
Funeris appendix longa futura ſui.
Nil igitur vaſtis opus eſt ad buſta coloſſis,
Nil opus eſt obelo, nil quoque pyramide;
Ipſe ſibi vivens obelum formavit ab arte,
Cujus habet quævis Bibliotheca genus.
His ſtipata ſacris BERNARDI *gloria fulcris,*
Stabit, & immemores non ſinet eſſe ſui;
Stabit, & Heroas inter miſcebitur illis,
Queis immarceſcens ſtat ſine fine decus.
I nunc, qui tranſis patriam peregrinus in urbem,
Et dic: BERNARDI molliter oſſa cubent!

Hæ fuêre Exterorum Threnodiæ.

Quantoperè verò *Bernardi* memoria apud Mellicenſes in benedictione ſit, ex eo conjici datur, quòd Funebris Oratio in ejus obitum novo & inuſitato exemplo recitata fuerit. Recitavit verò illam publicè Nobilis & ingenuus adoleſcens *Carolus Nagel* Rhetorices in Mellicenſi Lycæo Alumnus, ſub Eloquentiæ Profeſſore Doctiſſimo, ac Viro Clariſſ. *Martino Kropfio*, hodie Bibliothecario, qui pluribus abhinc annis à me rogatus denique conceſſit, ut eam deflorando, vitæ *Bernardi* ſynopſin concinnarem; quam ipſe ſubinde A. MDCCXLVII. in Bibliotheca Mellicenſi typis excuſa, uberiùs & ad Critices exactam regulas juris publici fecit. Nunc verò ſequitur ex Bibliotheca mox laudata omnium, ſive jam editorum a *Bernardo Pezio*, ſive, niſi mors conſiliis interceſſiſſet, edendorum Operum accuratus Catalogus.

OPERA.

1.) *De Irruptione Bavarica in Tyrolim anno* 1703. *à Gallis & Bavaris facta.* Libri III. in 12. Viennæ typis *Joan. Georgii Schlegel* 1709. Notandum, hos libellos prodiiſſe ſub nomine *Bernardi Iſipontani* ſeu Ipſenſis. Veteres enim *Ipſium*, Patriam Bernardi, *Pontem Iſidis* vocabant.

2.) *Epiſtola Encyclica ad omnia Ordinis Benedictini Monaſteria pro conferendis ſubſidiis Literatis ſeu Scriptoribus Benedictinis ad ſcribendam Generalem Bibliothecam Benedictinam*, cum ejusdem Bibliothecæ inſtruendæ Conſpectu. Iſte Conſpectus impreſſus eſt in Actis Eruditorum ad an. 1716. Menſ. Septemb. pag. 403.

3. *Triumphus Caſtitatis, ſeu Acta, & Vita Venerab. Wilburgis Virginis recluſæ Sanct-Florianenſis.* Præmiſſa eſt Hiſtoria celeberrimæ in Superiori Auſtria Canoniæ S. Floriani notis hiſtorico-criticis illuſtrata. Auguſtæ Vindel. typis Joſephi Grueber 1715. in 4.

4.) *Epiſtolæ Apologeticæ pro Ordine S. Benedicti adversùs Anonymum Viennenſem è Soc. Jeſu Campoduni typis Joannis Mayr* 1716. in 8. Eædem epiſtolæ recuſæ ſunt Auguſtæ Vindel. Sumptibus Fratrum Veithiorum, uti & Ratisbonæ Conradi Peez & Felicis Bader. Recenſentur fuſiùs in Actis Lipſienſibus Eruditorum ad an. 1716. Menſ. Sept. pag. 401.

5.) *Bibliotheca Benedictino-Mauriana, ſeu de Ortu, Vitis & Scriptis Benedictinorum è Celeberrima Congregatione S. Mauri in Gallia Libri II. Aug. Vind. & Græcii, Sumpt. Fratrum Veithiorum* 1716. *in* 8.

Bibliothecæ huic Benedictino-Maurianæ R. Auctor eruditam præmiſit diſſertationem, quæ de ortu & progreſſu Benedictinæ Congregationis S. Mauri in Francia agit. Ad calcem verò ſubjecit Anonymi *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſcriptũ, quod primùm ex Bibliotheca Mellicenſi in lucem edidit. Cùm verò in referendis Scriptoribus Anonymus hic non ubique temporis rationes habuerit, eum Bernardus notulis chronologicis ſubinde emendavit. In Actis Eruditorum Lipſ. de hoc opere prolixè agitur ad an. 1717. Menſ. Martii pag. 119.

6.) *Conſpectus inſignis Codicis Diplomatico-Hiſtorico-Epiſtolaris Udalrici Babenbergenſis datus ad Actorum Erud. Lipſ. Collectores.* 1716. Conſpectus hic paulò plenior communicatur in Actis Erudit. ad an. 1717. Menſ. Jan. p. 31.

7.) *Diſſertatio Apologetico-Literaria ad Perill. Jo. Bened. Gentilottum*

ab

ab Engelsbrunn Bibliothecarium eo tempore Cæſareum, pro editione integri ſyntagmatis Diplomatico - Hiſtorico Epiſtolaris Udalrici Babenbergenſis ex Codice Zwetlenſi impugnata à V. Cl. Angelo Fontéio Veronenſi. Auguſtæ Vind. & Græcii ſumpt. Fratrum Veithior. in 4. 1717. NB. hic ipſe Angelus Fonteius non alius fuit, quàm ipſe Gentilottus. Diſſertationem hanc ipſam diffusè recenſent Collectores Actorum Erudit. Lipſ. ad an. 1718. Menſ. Aug. pag. 345.

8.) *Theſaurus Anecdotorum noviſſimus, ſeu veterum Monumentorum, præcipuè Eccleſiaſticorum, ex Germanicis potiſſimùm Bibliothecis adornata collectio recentiſſima*: omnia præfationibus& obſervationibus præviis illuſtrata. Tomus I. II. & III. *Aug. Vind. & Græcii, ſumptibus Philippi, Martini & Joannis Veith fratrum* 1721. in ſol. Recenſentur hi tres Tomi fuſiùs in Actis Erudit. ad ann. 1722. Calend. Januar. pag. 1.

9.) *Ejusdem Theſauri Anecd.* Noviſſ. Tom. IV. Ibidem apud eosdem 1723.

10.) *Bibliotheca Aſcetica antiquo-nova, hoc eſt, Collectio veterum quorundam & recentiorum Opuſculorum Aſceticorũ, quæ hucusque in variis MSs. Codicibus & Bibliothecis delituerunt.* Tomus I. & II. Ratisbonæ, ſumptibus Jo. Conr. Peezii 1723. Recenſentur hi duo Tomi in Actis Erudit. ad annum 1723. Menſ. Novemb. pag. 519.

Tomi III. IV. V. VI. prodierunt 1724. Ibidem apud eundem Tom. VII. & VIII. 1725. IX. 1726. publici juris facti ſunt. Tom. X. 1733. Ultimi duo poſt obitum Bernardi, XI. quidem 1735. XII. verò 1740. publici juris facti ſunt. Sumptibus Conr. Peez & Felicis Bader in 8.

11.) *Venerabilis Godefridi ſeculo XII. Abbatis Admontenſ. Ord. S. B. in Styria Homiliæ in Dominicas & Feſta totius anni* Tom. I. & II. Aug. Vind. Sumpt. FF. Veithiorum 1725. in fol.

12.) *Theſauri Anecdotorum Noviſſimi* Tomus V. *Aug. Vind. & Græcii, Sumpt. FF. Veithiorum* 1728. in fol. Huic Tomo inſertus eſt Gerhohi Præpoſiti Reicherſpergenſis Ord. Can. Reg. S. Auguſtini in Bavaria *Commentarius in Pſalmos & Cantica feſtalia*, qui etiam ſeparatim prodiit eodem anno, & apud eosdem. Itidem in fol.

13.) *Codex Diplomatico - Hiſtorico - Epiſtolaris*, qui eſt Tom. VI. Theſ. Anecdot. Noviſſ. Itidem ſeparatim typis excuſus. *Aug. Vind. & Græcii, Sumpt. FF. Veithiorum.*

14.) *Engelberti Opuſcula Philoſophica. Ratisbonæ typis Joh. Conr. Peezii 1725. in 4.* Item de Regimine Principum. Apud eundem eodem anno in 4.

15.) *Vita & Revelationes Venerab. Virginis Agnetis Planbeckin, unà cum Pothonis libro de miraculis S. Dei Genitricis Mariæ. Viennæ Auſtr. & Norimbergæ, Sumpt. Petri Conradi Monath* 1731. in 8.

16.) *Epiſtola ad Cl. P. Marcum Hanſizium S. J. aliósque Viros.* Qua diluit, quæ eruditiſſimi homines contra receptam apud Salzburgenſes de S. Ruperti ætate traditionem ſcripſerunt in 4. Viennæ Auſtriæ, typis Jo. Petri van Ghelen 1731.

17.) *Epiſtola de Etymo nominis Habsburgici & Origine Domus Habsburgico - Auſtriacæ* ad Excellentiſſ. D. Philippum Ludovicum Comitem de Sinzendorff &c. Auguſtiſſimi Imp. Caroli VI. Cancellarium Primarium. In 4. Viennæ & Norimbergæ apud Conr. Monath 1731.

18.) *Franciſci Tagii Phyſici & Equitis deſcriptio, ſeu Liber de Obſidione Urbis Papienſis, & de Captivitate Franciſci I. Regis Galliæ.* è Bibliotheca Mellicenſi ſecundis typis adornatus, notísque criticis illuſtratus. Opus poſthumum. Norimbergæ apud Jo. Adamum Schmidium 1736. in 4.

Opera, quæ editurus erat, niſi mors optimos conatus disjeciſſet. Inſignis apparatus pro conficienda *Bibliotheca Benedictina Generali*, in qua omnes totius Ordinis Benedictini Scriptores eorúmque Scripta a tempore S. Benedicti usque ad hanc ætatem memorantur. In hoc infiniti laboris opere multis annis jam deſudavit. Quantum jam collegerit pro hac Bibliotheca Benedictina componenda, teſtantur quinque grandes thecæ, quæ collectionibus & materiis acceptis impletæ in Bibliotheca Mellicenſi aſſervantur.

Epiſtola Apologetica in defenſionem vitæ Agnetis ſcripta. 1711.

Venerabilis Irimberti ſeculo XII. Abbatis Admontenſis Comentaria allegorica in Libros Joſue & Regum. Opus jam diu prælo paratum.

Muſeum Hiſtorico - Theologico - Aſceticum, quo magna illuſtrium veterum Scriptorum multitudo, vitæ Sanctorum, aliáque nondum hucusque typis excuſa comprehenduntur. Opus

fuiſſet in 4. minimum ſex Tomorum.

Reliquit præterea in manuſcriptis amplam meſſem Anecdotorum tum Theologicorum, tum Hiſtoricorum ad continuandam Bibliothecam Aſceticam antiquo-novam. Quæ omnia, Deo volente, faventibus Mæcenatibus, accedentibúſque meſſoribus fortaſſe ſuo tempore cum orbe literato communicabuntur.

Denique ſcripſit *Bernardus* juvenis adhuc Religioſus *Proterpticon Philologicum* per modum Dialogi, quod ad calcem Bibliothecæ Benedictino-Mellicenſis excuſum habetur.

XXXVI.

MARIANUS ARMELLINUS Abbas è Congregatione Caſinenſi.

† 1737.

NOn ita multis ante annis *Bibliotheca Benedictino-Caſinenſis*, ſive *Scriptorum Congregationis Caſinenſis* in lucem publicam prodiit. Eximii hujus Operis author habetur *Marianus Armellinus*. Quia verò non infimam eâ re apud Eruditos omnes famam exiſtimationémque ſibi comparavit, nullus dubito, quin non pauci in optatis habeant, ut quo per literarium orbem notius Scriptoris hujus in dies fit nomen, eò accuratius illius texatur elogium. Quæ pauca verò de ejuſdem moribus, ſtudiis, vitæque inſtituto mihi cognita hîc dicturus ſum, ea potiſſimùm ſunt, quæ vel ipſe *Armellinus* de ſe in Bibliotheca ſua memoriæ prodidit, vel de ipſo Vir Clariſſimus, *Georgius Thierra* è Congregatione Caſinenſi, Romæ in Collegio Anſelmino SS. Theologiæ Profeſſor Emeritus, nunc celeberrimi Monaſterii S. Benedicti Padolironenſis Prior digniſſimus breviter mihi narravit.

Mariani natale ſolum, progreſſus in ſtudiis, *Mariano* natale ſolum præbuit Roma, præſtantium ingeniorum fœcunda parens ac altrix. Ex gente Armellinâ natus piè ac liberaliter à piis parentibus educatus fuit. Studiis elegantioribus admotus celeres ac neutiquam pœnitendos in iis fecit progreſſus. Ingenium excitatum, induſtria indefeſſa, mores incorrupti atque elegantes. Sed cùm adoleſcentem rerum mundanarum, quas nondum tamen deguſtârat, ſatietas jam caperet, iis nuntio celeriter miſſo in familiam Divi Benedicti conceſſit. Virium periculum fecit in monaſterio ad S. Paulum patriâ in urbe, ubi anno 1677. religionis rudimenta poſuit. E Romano tyrocinio Caſinum miſſus eſt, ut eo in Aſceterio, celebri virtutum ſchola, religioſæ vitæ, rerúmque monaſticarum doctrinâ penitiùs imbueretur. Quâ non ſegniter hauſtâ, ad literarum ſtudia ſe referre juſſus eſt. Et quoniam Latinis ſatis jam excultus erat, ad Græcas etiam addiſcendas ânimum adjunxit; quarum ſine mediocri ſaltem cognitione ad ullam doctrinæ præſtantiam ſe pervenire non poſſe perſuaſus erat. Prima earum rudimenta ab *Oderiſio Hierio*, natione Græco, Monacho Caſinate percepit. Profeſſio monaſtica. Ejus præceptores.

Poſt emenſum Philoſophiæ curriculum in Theologicis auditor fuit *Alexandri Lelli*, Viri perinde docti, ac de re literaria in Congregatione Caſinenſi optimè meriti. Hujus enim ſuaſionibus & conſiliis magnâ ex parte debetur, ut Romæ in monaſterio S. Pauli inſigne Collegium ſub S. Anſelmi Cantuarienſis nuncupatione excitatum ſtabiliretur ac firmaretur, ubi juvenes omnino decem ex totâ Congregatione delecti ſacræ Theologiæ, ſacrorúmque Canonum ſcientiâ à duobus earundem facultatum Magiſtris inſtituerentur. Magna igitur *Armellini* laus, quod cùm non niſi præſtantioris feliciorîſque ingenii adoleſcentes ad Collegium Anſelminum mittantur, eorum in censû etiam ipſe haberi meruerit. Cùm verò *Alexander Lellus* vir eſſet quemadmodùm doctiſſimus, ita & arctioris obſervantiæ, ac regularis diſciplinæ ſtudioſus, Armellinus doctrinam cum virtutis ſtudio ſociare edoctus in virum evaſit, cujus præclaræ eruditioni inſignis morum integritas reſpondit. Unde ob ſingularem virtutem brevì ad Decani promotus eſt officium. Nec doctrinæ ejus defuerunt præmia, cathedræ ſcilicet Philoſophicæ, eæque in celebrioribus Congregationis ſuæ monaſteriis. Sic Papiæ in Aſceterio S. Salvatoris Philoſophiam anno 1687. magna cum laude docuit. Ad Collegium Anſelminum miſſus, in virum evaſit, factus Philoſophiæ Profeſſor.

Quô tempore cùm *Antonius Maria Cotonus* è Congr. Caſinenſi celeberrimus Eccleſiaſtes, ac ſui temporis in Italia *Demoſthenes*, per totam Quadrageſimam Papiæ maximâ populi cujuſque ordinis frequentiâ conciones haberet, *Armellinus* tum juvenis adhuc pro ſacro dicentem ſuggeſtû in dies audivit. Cùm verò ejus voce ac doctrinâ quotidie frueretur, tot tantáque ab eo didicit, ut exinde efficax propoſitum cathedram Philo-

ſophi-

Cathedram cum ſacro ſuggeſtu commutat,

ſophicam cum ſacro ſuggeſtu commutandi, quàm primùm liceret, propoſitum conceperit. Id quod brevì factum; cùm enim majorum juſſu denuò Philoſophiæ placita anno 1690. Florentiæ in percelebri S. Mariæ monaſterio exponeret, ab iis poteſtatem ſibi fieri petiit, quo examen pro obtinenda facultate concionandi ſubire poſſet. Neque enim in Congregatione Caſinenſi, quod in magnâ ejus laude ponendum, cuiquam pro concione dicere permittitur, niſi qui ad graviſſimum id munus præclarè ac cum dignitate adminiſtrandum idoneus ab Examinatoribus fuerit exiſtimatus. Examen verò apud *Joannem Franciſcum* è Congregatione Caſinenſi in Univerſitate Piſana publicum Philoſophiæ Profeſſorem libentiſſimè ſubiit, cùm ex decreto Comitiorum generalium ad ejusmodi examina peragenda in Etruriæ provincia unus ipſe ex deputatis eſſet.

approbatus pro concionibus,

Approbatus pro concionibus habendis ab an. 1695. usque ad annum 1722. variis in locis ad populum dixit. Omnium primò Peruſii in cathedtali eccleſiâ ſuggeſtum conſcendit: cùm enim priùs ex eo Jeſuita dixiſſet, nec ſatis tamen Epiſcopo feciſſet, *Armellinus* illius locum occupare juſſus eſt. Ea res cùm nova eſſet, Benedictinos, qui illa in urbe ſunt, nonnihil anxios habuit. Præcipuè celebertimus *Benedictus Bacchinus*, qui tum temporis præſens in monaſterio S. Petri aderat, ſollicitudinis affectum Armellino impendebat. Sed cùm ingentem hominum multitudinem ex novi Eccleſiaſtis ore nullo non die pendere viderent, animo eſſe ſuſpenſo deſierunt. *Armellinus* enim ſua facundia, gratia, ac quælibet perſuadendi facilitate univerſam ferè civitatem ad ſe attraxerat. Pari cum laude in aliis Italiæ civitatibus, non ſemper tamen omnibus, auditus fuit. Neque enim eadem concionandi ratio, ut fermè ingenium eſt hominum, omnibus, ac ſingulis arridet. Etſi verò ejus conciones non eâdem famâ atque oratione ubique celebrarentur, ipſe tamen nihil, quâ verâ flagrabat charitate, ab iis habendis remiſit; ſatis laudatum ſe exiſtimans, ſi Chriſtum popularium ſuorum animis insereret. Sacræ doctrinæ rerum divinarum meditationem, virtutum, cumptimis modeſtiæ ac humilitatis ſtudium, magnam denique vitæ auſteritatem, maximè per quadragenos verni jejunii dies conjunxit. His enim diebus in Italia celeberrimæ haberi ſolent conciones.

inſigni facundia auditores ad ſe pellicit.

Quos doctrinâ chriſtianâ inſtruit.

Concinnandæ Caſinenſium Scriptorum Bibliothecæ incumbit.

Quibus exactis reliquum anni curriculum concinnandæ Bibliothecæ Caſinenſi potiſſimùm conſecravit. Eâ causâ plura per Italiam confecit itinera literaria, multas perluſtravit Bibliothecas, nec infrequentes ad viros eruditos exaravit epiſtolas, ac nulli denique pepercit labori, nullâmque prætermiſit diligentiam in eruendis monumentis ex Codicibis tum typis impreſſis, tum manuſcriptis, nec non aliis etiam in locis, ut, quantum in eo fuit, inveniret, ſecerneret, atque in clariſſimâ luce poneret Opera Monachorum Congregationis Caſinenſis, qui ſibi laudem aliquam in Republicâ Literaria comparârunt, tam illorum, qui famâ innotuerant, quàm eorum pariter, quorum aut nomen interierat, aut ſcripta ob temporum injuriam, hominúmque negligentiam deliteſcebant. Quo equidem non ſolùm fore, ut talium Caſinenſium memoria, penes hujus Congregationis Sodales præſertim nunquam intercideret, verùm etiam futurum arbitratus jure eſt, ut Majorum exemplo ejusdem Congregationis Alumni ad inſiſtendum eorum veſtigiis excitarentur.

Variis admovetur officiis.

Cui ſtudio cùm multos annos impendiſſet, juſſû *Innocentii XIII.* Prior regiminis die 24. Julii anno 1722. à Superioribus Congregationis renuntiatus fuit. Nec idem elapſus erat annus, cùm ex diſpenſatione ejusdem Summi Pontificis Senenſi monaſterio Abbas præfectus fuit. Fecerat hoc *Innocentius* in gratiam *Bernardi ex Comitibus* S. R. E. Cardinalis germani ſui fratris. Hic ab eo tempore, quo vitæ monaſticæ tyrocinium cum *Armellino* in S. Pauli monaſterio poſuit, magnâ ſemper eum benevolentiâ complexus fuerat. Acceſſit, quòd cùm *Armellinus* politioribus literis apprimè imbutus eſſet, eas Bernardum ſubinde edocuerit. Gratum verò ut is ſe præberet, haud difficulter à fratre Pontifice impetravit, ut ejus juſſû ac voluntate Armellinus ad Prioris primùm, deinde Abbatis dignitatem præter ordinem eveheretur. Nam ex more & ſtatutis Congregationis Caſinenſis Prior regiminis, ut vocant, annos omnino quinque exſpectare debet, quò in Abbatem eligi poſſit.

Abbas A. 1722. creatus.

Abbas igitur anno 1722. creatus finem apoſtolico concionandi officio im-

Digitized by Google

impoſuit, tum ob multiplices regiminis curas, tum propter Bibliothecæ perficiendæ & abſolvendæ labores. Poſtquàm verò Abbatiam Senenſem ſex annos obtinuerat, anno 1729. gubernacula monaſterii S. Petri de Aſſiſio moderanda ſuſcepit. Hìc Bibliothecæ ſuæ extremam manum impoſuit, quam, ceu Opus publicâ luce digniſſimum ut typis tandem vulgaret, Cl. ac Doctiſſimus *Franciſcus Valeſius* Romanus hiſce literis eum exhortatus eſt:

Franciſci Valeſii ad eum epiſtolâ

„ Perlegi ſuperioribus diebus, Abbas Reverendiſſime, tuum de Scriptoribus Caſinenſibus Volumen primum, quod jam remiſi, ſummâque jucunditate animi ex hac lectione affectus fui; hærebam autem, quid in eo primùm admirarer, aſſiduumne laborem in excutiendis tot Bibliothecarum omnibus angulis, ut doctorum ſacræ tuæ Caſinenſis Familiæ Virorum ſcripta erueres, ac indicares (utinam quædam integra aliquando in lucem proferas) additis etiam eorundem Clariſſ. hominum rebus geſtis ex quibusvis monumentis undique conquiſitis; An acre tuum judicium, accitis etiam variorum Auctorum ſuffragiis in ſcriptis illis expendendis, omniàque eleganti, ac expolita oratione, & quæ pietatem, ac religionem undequaque redoleat, proſequutus es; Quamobrem ut Scriptores ii multùm Tibi debent, quod eos ab oblivione in memoriam hominum, veluti in vitam revocâſti, ita Tibi viciſſim ex hoc patrocinio facta eſt laudis, & gloriæ non mediocris acceſſio. Alterum volumen ut mihi mittas, velim, ſcis enim quàm addiſcendi cupidus ſim, & utrumque quod nondum Studioſorum bono typis vulgetur, impatienter fero; nam ut cum Plinio loquar: *Pulchrum inprimis videtur non pati occidere, quibus æternitas debetur, aliorúmq; famam cum ſuâ extendere.* Vale Vir ampliſſime, meque Tibi addictiſſimum proſequere affectu, quò ſoles. Romæ pridie Idus Junii 1728.

de edenda Caſinenſi Bibliotheca.

Alias id genus literas jam anno 1716. ad *Armellinum* dederat *Proſper Mandoſius*, Eques doctiſſimus. Cujus & *Valeſii* monitis demùm obſecutus *Bibliothecam* Aſſiſii an. 1731. typis excuſam publici juris fecit. Illam verò *Bonaventuræ Finardi* S. Georgii Majoris Venetiarum Abbati, & Congregationis Præſidi Reverendiſſimo nuncupavit. Præſul enim hic literatiſſimus *Armellinum* non amore tantùm, beneficentiâ & ſingulari humanitate ſemper proſequutus eſt, ſed Opus etiam ipſius egregiis collatis literariis ſubſidiis inſigniter promovit.

cujus editionem promovent alii.

Poſt *Bibliothecæ* impreſſionem *Armellinus* anno 1734. ex Aſſiſienſi Abbatia ad regendas habenas Feliciani Monaſterii propè Fulgineum tranſlatus fuit. Hìc ex calculu graviter laborans, feliciſſimè eo liberatus fuit. Non plus enim duobus minutis & inciſio facta, & lapis benè magnus exſectus fuit. Nec, quod Medici magnoperè etiam mirati fuerunt, vel leviſſima febri tentatus fuit, adeò quidem ut decem poſt diebus è lecto ſanus ac incolumis ſurrexerit. Vitam prorogavit ad annum 1737. quò è vita planè ſenex, ac propè octoginta annos natus exceſſit. Etſi verò vitâ orbatus fuerit, pro eo ſingulari tamen ac indefeſſo ſtudio, quò aliorum memoriam ab interitu & oblivione vindicare laboravit, dignus profectò eſt, ut in eruditorum omnium ore ac calamis vivat.

Armellini infirmitas, & obitus A. 1737.

SCRIPTA.

1.) BIBLIOTHECA BENEDICTINO-CASINENSIS, ſive SCRIPTORUM CASINENSIS CONGREGATIONIS, aliàs S. JUSTINÆ PATAVINÆ, *Qui in ea ad hæc uſque tempora floruerunt Operum, ac Geſtorum notitia*. Pars I. Aſſiſii anno 1731. Pars II. ibidem an. 1732. fol.

2.) ANALECTA *ad Bibliothecam Caſinenſem*, quæ ipſe citat in Ludovico Barbo part. 2. pag. 984. & in Pio Mutio. p. 149. Opus, quod ſciam, adhuc ineditum.

3.) *Opuſculum* DE REFORMATORIBUS ORDINIS S. Benedicti, quod Bibliothecæ parte 2. pag. 82. ſe delineaſſe ſcribit.

4.) *Catalogus Epiſcoporum*, ad quem Lectorem Bibliothecæ ſuæ parte 1. pag. 61. remittit.

5.) ELOGIUM ISIDORI LANFREDINI, Monachi ſanctæ Mariæ Florentiæ, in Academia à Cardinale *Richelio* Pariſiis inſtituta Gallicæ linguæ interpretis. Erat *Armellinus* eo tempore (anno 1692.) quo *Lanfredinus* ad plures abiit, Philoſophiæ Lector in eodem Monaſterio. Literis conſignatum legitur in *Ortu & Interitu*; ſic enim Monachorum Abbatiæ Florentinæ Necrologium Mſs. inſcribitur. Vid. Armell. Bibl. part. 2. pag. 59.

XXXVII.

XXXVII.

† 1741. 21. Dec. ætatis 86.

D. BERNARDUS DE MONTFAUCON Congregationis S. Mauri Decus inſigne.

Natus 1655.

EX nobili proſapia natus vitam adiit die 13. Januarii (e) an. 1655. in Caſtro Rupis ſciſſæ, Francis *Roquetaillade*, Diœceſis Electenſis. Juvenis caſtra ſectatus in Germaniam venit ſub Francicæ militiæ ſupremo archiſtratego Duce *Turenio*. Poſteà ſacratiori militiæ nomen dedit in Congregatione S. Mauri.

ex milite fit monachus.

Vota ſolennia nuncupavit anno 1676. die 13. Maji apud Toloſates in B. Mariæ Deauratæ Monaſterio, annum agens primum & viceſimum. Inter primos fuit, qui in laudata Congregatione Superiorum juſſu, animum ad Græcas literas appulerunt. Quas celeriter edoctus etiam Hebraicas addidicit.

ejus ſtudia,

Quibus adjunxit cùm Romanarum tum Græcarum antiquitatum, quà eccleſiaſticarum quà profanarum ſtudium. Nec optimorum quorumcunque Scriptorum lectionem prætermiſit. Ut ſtylum exerceret, non pauca ex Græco ſermone in Latinum convertit. Quâ ſtudiorum contentione factum, ut nullum eſſet eruditionis genus, in quo non excelleret, palmámque ſibi vindicaret.

Iter Literarium in Italiam.

Anno 1698. iter literarium in Italiam inſtituit, ac Romam venit. Hîc cùm anno ſequente P. D. *Claudius Etiennot* morte ſublatus fuiſſet, P. *Montfauconius* munus Procuratoris Generalis ſuæ Congregationis per duos geſſit annos. Pariſios in Galliam reverſus, anno 1719. inter

Inter Academicos regios cooptatur.

Academicos honorarios Regiæ Academiæ Inſcriptionum, & politiorum literarum adlectus fuit. Maximæ laudis loco, quæ in Virum hunc toto orbe literario celebratiſſimum à nobis conferri poteſt, eſt, ut ejus Operum texamus Catalogum; hæc enim omnis eruditionis ac doctrinæ genere refertiſſima de ipſo ferunt teſtimonium.

OPERA.

1. *Analecta Græca, ſive varia Opuſcula Græca hactenus non edita, ex manuſcriptis codicibus eruerunt, latinè verterunt, & notis illuſtrârunt Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri. 4. Pariſiis apud viduam Edmundi Martini* 1688. Hi Monachi fuêre Jacobus Lopinus, Antonius Pugetus, & Bernardus de Montfaucon, qui in hac collectione *Typicum, ſeu Regulam Monaſterii Gratiaplenæ ab Imperatrice Irene Ducæna, Alexii Comneni uxore pro monialibus ſcriptam, & Excerpta ex Heronis Geometria, Antiquum rationarium Auguſti Cæſaris, novúmque Alexii Comneni, ac denique Tractatum de menſuris & ponderibus Latinè interpretatus eſt.* In Typico animadvertitur, clanſuram monialium illius temporis non ita fuiſſe arctam, quàm hodie eſt; tametſi ad vitam ſatis auſterè degendam adſtrictæ fuerint. Inventionem & originem Geometriæ Montfauconius Ægyptiis adſcribit.

2. *La Verité de l'Hiſtoire de Judith*, i. e. *Veritas Hiſtoriæ Judithæ adſtructa.* in 12. Pariſiis 1690. apud Simon Langronne. Opuſculum in tres partes diſtribuitur. In primâ hiſtoria Judithæ, & Regni Medorum deſcribitur. In ſecunda afferuntor probationes eorum, quæ in prima parte dicta fuerunt. In tertia oſtenditur hiſtoriam Judithæ eſſe veram, & non ænigmaticam & parabolicam hiſtoriam; veluti Lutherus, Grotius, Witakerus, & alii Proteſtantes contendunt. Extractum præfationis perquàm utilis dat le Cerf. pag. 365.

3. *Sancti Patris noſtri Athanaſii, Archiepiſcopi Alexandrini, Opera omnia, quæ extant, vel quæ ejus nomine circumferuntur, ad mſ. codices Gallicanos, Vaticanos &c. nec non ad Coñelinianas lectiones caſtigata, multis aucta: nova interpretatione, Præfationibus, Notis, variis lectionibus illuſtrata: nova ſancti Doctoris vita, Onomaſtico, & copioſiſſimis indicibus locupletata. fol. Tom. III. Pariſiis ſumptibus Joañis Aniſſon* 1698. Hac editione nomen P. Montfauconii inclareſcere cœpit.

4. *Vindiciæ Editionis S. Auguſtini à Benedictinis adornatæ, adverſus epiſtolam Abbatis Germani. in* 12. *Romæ* 1699. Prodiit in lucem Romæ permiſſu Magiſtri ſacri Palatii ſub perſonato nomine D. Baptiſtæ de Riviere apud Jacobum Komarec. Editio in Gallia iterata fuit.

5 *Diarium Italicum, ſive monumentorum veterum, Bibliothecarum, Muſæorum &c. Notitiæ ſingulares in Itinere Italico collectæ. 4. Pariſiis apud Joannem Aniſſon* 1702. *cum fig.* In hoc Diario Manuſcriptorum Codicum, quos Author in Bibliothecis Italiæ annotavit, Catalogi cum cura texuntur.

6. Colle-

(e) *Le Cerf natalem annum malè reponit ad A. 1646. alii in annum 1656. diem 17. Januarii rejiciunt.*

6. *Collectio nova Patrum & Scriptorum Græcorum, Euſebii Cæſarienſis, Athanaſii, & Coſmæ Ægyptii. Hæc nunc primùm ex manuſcriptis Codicibus Græcis, Italicis, Gallicaníſque eruit, Latinè vertit, Notis, & Præfationibus illuſtravit D. Bernardus de Montfaucon. fol. Tom. II. Pariſiis ſumptibus Claudii Rigaud* 1707. Huic Collectioni doctiſſima præfatio præliminaris præmiſſa eſt, quæ omninò legi meretur.

7. *Palæographia Græca, ſive de ortu & progreſſu Literarum Græcarum & de variis omnium ſeculorum ſcriptionis Græcæ generibus, itémque de Abbreviationibus, & de Notis variarum Artium ac Diſciplinarum, additis figuris, & ſchematibus ad fidem manuſcriptorum Codicum. fol. Pariſiis* 1708. *apud Ludovicum Guerin & Carolum Robuſtel.* Vel ſolo & unico hoc Opere nomen ſuum *Montfauconius* immortalitati conſecravit.

8. *Le Livre de Philon, de la vie contemplative, traduit ſur l' Original Grec, avec des obſervations, où l' on fait voir, que les Therapentes, dont il parle, êtoient des veritables Chretiens.* i.e. Liber Philonis de vita contemplativa, *ex Græcis fontibus in Francicum traductus cum obſervationibus ac notis, in quibus oſtenditur, Therapeutas, de quibus Philo loquitur, veros ac genuinos Chriſtianos fuiſſe.* 12. *Pariſiis* 1709.

9. *Bernardi de Monte Falconis M.B. è Congregatione S. Mauri, Epiſtola ad ***. An vera narratio Rufini de baptizatis pueris ab Athanaſio puero?* Scripta eſt ad P. Solerium Hagiographum Antverpienſem, qui eam pro vera habuit. Item de tempore mortis Alexandri Epiſcopi Alexandrini, ac de anno obitûs Athanaſii Magni, in fol. & 8. Pariſiis 1710.

10. *Lêttres au R. P. Dom-Bernard de Montfaucon, ſur la religion des Therapentes, avec ſa reſponſe.* i. e. Epiſtolæ ad R.P. *D. Bernardum de Monte Falconis de Therapeutarum religione, cum ſuo reſponſo.* 12. *Paris* 1712. Sententiam ſuam contra D. *de Savigni* tuetur.

11. *Hexaplorum Origenis, quæ ſuperſunt, multis partibus auctiora, quàm à Flaminio Nobilio & Joanne Druſio edita fuerint: ex MSS. & libris editis eruit, & notis illuſtravit D. Bernardus de Montfaucon. fol. Tom. II. Pariſiis apud Ludovicum Guerin &c.* 1713.

12. *Bibliotheca Coisliniana olim Segueriana, ſive Manuſcriptorum omnium Græcorum, quæ in eâ continentur, accurata deſcriptio, ubi operum ſingulorum notitia datur, ætas cujusque Manuſcripti indicatur, vetuſtiorum ſpecimina exhibentur, aliáque multa annotantur, quæ ad Palæographiam Græcam pertinent. Accedunt anecdota benè multa ex eadem Bibliotheca deſumpta cum interpretatione Latina. fol. Pariſiis apud Ludovicum Guerin & Carolum Robuſtel.* 1715.

13. *Sancti Patris Noſtri Chryſoſtomi, Archiepiſcopi Opera omnia, quæ XIII. Tomis comprehenſa Pariſiis excuſa fuerunt.* Primus Tomus prodiit an. 1718. ultimus 1738. Hujus Collectionis extat etiam Veneta editio.

14. *L' Antiquité expliquée & repreſentée en figures.* id eſt, *Antiquitates explicatione & ſchematibus illuſtratæ.* Paris. an. 1719. & 1722. Tomis V. quorum ſinguli in duos diſtribuuntur. Acceſſerunt *Supplementa* alteris Tomis V. Pariſiis 1723. & ſeqq. Totum Opus igitur X. Tomis comprehenditur, ſcriptum gemino idiomate, Latino & Gallico.

15. *Monumens de la Monarchie Françoiſe, qui comprennent l' hiſtoire de France, avec les figures de chaque regne, que l' injure des tems a épargnées.* id eſt, *Monumenta Francicæ Monarchiæ, quæ ejusdem hiſtoriam complectuntur unà cum ſchematibus cujusque regni, quibus injuria temporum pepercit. Tom. V. in fol. Pariſiis.*

16. *Bibliotheca Bibliothecarum MSS. nova, ubi, quæ innumeris pænè manuſcriptorum bibliothecis continentur, ad quodvis literaturæ genus ſpectantia, & notatu digna deſcribuntur, & indicantur cum indicibus locupletiſſimis. Tom. II. in fol. Pariſiis. an.* 1739.

17. In Collectione Academiæ Regiæ *Inſcriptionum* leguntur quatuor Diſſertationes P. Montfauconii. Priores duæ Tomo VI. nempe *Diſſertation ſur le Phare d' Alexandrie, ſur les autres Phares &c.* i. e. *Diſſertatio de Pharo Alexandrina, & aliis Pharis.* &: *Diſſertation ſur la plante, appellée Papyrus, ſur le papier d' Egypte, ſur le papier de coton, & ſur celui, dont on ſe ſert aujourd' huy.* i. e. *Diſſertatio de Planta, quam Papyrum vocant, de Papyro Ægyptiaca, de Papyro ex goſſipio, & de illa, quæ hodiedum in uſu eſt.* Alteræ duæ extant Tomo XIII. & ſunt: *Diſcours ſur les Monumens antiques*, i. e. *Diſcurſus de Monumentis antiquis* &c. &: *Les modes, & les uſages du Siecle de Theodoſe le Grand.* i.e. *Mores & conſuetudines ſeculi Theodoſii Magni.*

Atque

Ejus elogium & obitus.

Atque hæc ſunt illa numero plurima, mole vaſta, doctrina & eruditione illuſtria Opera, è quibus C. V. *Montfauconii* acumen ingenii, ſcientiarum amplitudo, criticæ artis peritia, linguarum intelligentia, laboris contentio, ſtudiorum aſſiduitas elucet; quorum præſidio viam ſibi ad intima cùm ſacræ tum profanæ antiquitatis adyta munivit; in quæ etiam ita feliciter penetravit, ut ejus cognitionem nihil effugiſſe videatur. De eo ita doctiſſimus *Amat de Graveſon* in Hiſt. Eccl. pronuntiat: *Criticus*, inquit, *nulli ſecundus*, *Hiſtoricus*, *& Antiquitatis tum ſacræ*, *tum Eccleſiaſticæ*, *& prophanæ ſtudioſiſſimus omnium virorum eruditorum hujus ſeculi facilè princeps habetur.* Abſit verò, ut ſingularem ejus, & prorsùs eximiam erga bonarum artium ſtudioſos ſilentio prætermittamus; quâ tantâ fuit, ut quâcunque re potuit, ipſis obſequeretur, eorúmque literarios conatus & labores adjuvaret, proveheret, & ſublevaret. Non tantùm igitur doctiſſimus, ſed humaniſſimus etiam, ſuaviſſimus, & politiſſimus apud omnes viros literatos ubique terrarum audiit. Paucis; *in doctiſſima S. Mauri Congregatione, quodam veluti firmamento multa pellucida fulgent ſidera*, *ſed*, *ſi quid intelligo*, *duo luminaria majora ſunt*, MABILLONIUS, & MONTFAUCONIUS. Noſtrum verò luminare majus extinctum eſt 21. Decemb. anno 1741. hoc enim ad finem properante *Bernardus Montfauconius* apoplexiâ tactus ætatis ſuæ anno 86. morti occubuit. *Plura de eo Dupinius*, *Moreri*, *le Cerf*, *& alii Bibliographi.*

XXXVIII.

GODEFRIDUS BESSELIUS Gottwicenſis in Auſtria Monaſterii Abbas.

† 1749. 22. Jan.

Vir non in Aula minùs Cæſarea, quàm Muſarum regno magnus,

Natus 1672.

PRimam lucem aſpexit in *Bucheim* agri Moguntini, & Diœceſis Herbipolenſis oppido natus die 5. Septembris anno 1672. Ætatem moribus transgreſſus, nihil præter annos pueritiæ habuit; Maturè cœpit quod maturior continuaret. Inferioribus ſcholis admotus Aſchaffenburgi, Bambergæ & Herbipoli, nobiliſſimis quibusque artibus operam dedit, útque Muſas omnes coleret, Muſicam, & ex concentu Muſico, animorum harmoniam didicit.

à teneris Muſas colit.

Stupentibus æmulis, quòd omnibus diſciplinis unus ſufficeret, uni vix omnes, ita eminuit, *velut inter ignes luna minores.* Salisburgum profectus Philoſophicis ac Theologicis ibidem ſtudiis & utrique jurisprudentiæ pet biennium deditus fuit, nulli unquam inferior. Sed Deo ſoli placere cupiens, anno 1692. die 15. Junii in Gottwicenſi Auſtriæ cœnobio cum habitu Benedictino virtutum omnium habitum induit, ad ſacram profeſſionem anno 1693. die 21. Junii receptus.

Religionem ingreditur A. 1693.

Viennam deinde miſſus ad continuandum reliquum ſanctioris literaturæ curſum, ſic cucurrit, ut apprehenderet & bravium. Sacro Presbyteratûs Ordine initiatus die 21. Martii in Feſto Ss.mi P. Benedicti A. 1696. ad aram Myſtes primò ſtetit. Eodem anno VII. Maji Ss. Theologiæ Doctor Viennæ creatus, mirum quantum doctrinæ laude effulſerit.

fit Presbyter & Doctor Theol. 1696.

Inde Gottwicum redux, paulò pòſt *Seligenſtadium* Imperiale ad Mænum in agro Moguntino Monaſterium adiit, & Religioſis ibidem Fratribus Philoſophiam & Theologiam prælegit. Accitus exinde ad Aulam Moguntinam ab Eminentiſſ. D. *Lothario Fanciſco* Electore & Archiepiſcopo Moguntino, in ſe comprobavit, fieri poſſe, *in Aula vivere*, *& eſſe pium.*

Accerſitur in Aulam Moguntin.

Eminentiſſimi Mecænatis hujus gratioſis ſavoribus Romam miſſus pro addiſcenda Rotæ Romanæ praxi, ad Rotam Moguntinam reverſus, clariſſimè docuit, ſe ſatis didiciſſe, dum præter Epomidem Doctoratûs Juris Romæ acceptam, communem plauſum Moguntiam retulit, OFFICIALIS, ut vocant, ibidem factus.

Officialis munere fungitur.

Quod cùm ægrè ferrent quidam *Monachorum* æmuli, ſuísque in adverſum querelis Principis aures flagellarent; ex iis verò ſciſcitaretur Princeps: *Quis* S. BONIFACIUS, *quis* RABANUS MAURUS *ante Archiepiſcopatum fuiſſent*? Non potuerunt non reſpondere, *Monachos fuiſſe Benedictinos.* Tum ille: *Si potuit Monachus fieri Archiepiſcopus*, *quantò magis Officialis*? Quo dicto æmuli in ruborem dati conticuerunt. Eo autem in officio ſanè tetrico per aliquot annos ſtetit *Godefridus*, imò non ſtetit, ſed in perpetuo motu fuit, communi patriæ bono, ita quidem ut Eminentiſſimus *Lotharius* meritorum Cenſor acutiſſimus in *Godefridi* ad ſuum monaſterium reditu has dederit commendatitias: *Tam præclara Virtutum Doctrinæque ſpecimina dedit*, *ut eum dignum exinde judicaverimus*, *cui totius Archiepiſcopatûs Moguntini Officia-*

à Lothario Archiep. ſummè commendatur.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

latum ac judicium generale concrederemus, quo quidem in officio regularis vitæ innocentiâ, morum candore, pio optimi Religioſi exemplo, doctrinæ ſoliditate, converſationis puritate, operationum manſuetudine, ſtudiorúmque aſſiduitate, tanquam Lucerna ſupra candelabrum poſitâ, univerſo Clero noſtro, tam laudabiliter per annos plurimos præluxit, ac etiamnum prælucet in præſens; ut in Domino lætemur, Nobis pro vinea Domini operarium tam zeloſum ac indefeſſum obtigiſſe... Accedit & hoc, quòd ab alteſato Emin. Principe quatuor Romam, tribus Viennam, binis vicibus *Guelſenbutelam*, & alios S. R. I. Electores, Principes, & Proceres ſæpiſſimè, in graviſſimis negotiis Legatus adierit; Quæ omnia ſingulari cum laude, & incredibili dexteritate feliciſſimè confecit.. Admiſſus præterea ad intima Conſilia hujus Principis, velut *Magni conſilii Angelus*, in utroq; itinere Guelſenbutelam ſemel, ut Sereniſſima Princeps ELISABETHA CHRISTINA in Romana ſacra & CAROLI VI. Imperatoris conthoralem adſciſceretur, & iterùm ut Ser.mus Dux Brunſwico - Guelſenbutelanus ANTONIUS ULRICUS orthodoxam fidem ſuſciperet, id in ambobus effecit, ut illuminaret corda eorum. (f) Defuncto poſtea BERTHOLDO Gottwicenſium Abbate anno 1714. die VII. Febr. GODEFRIDUS præeſſe juſſus eſt. Eodem anno die 8. Julii eundem in ſignum gratiæ ac ſingularis affectûs *Lotharius* Princeps ille Eminentiſſimus ſolemni ritu in aulicâ Bambergenſi Capellâ Abbatem benedixit, *æquiſſimum reputans, ut tot lectiſſimæ* GODEFRIDI *ſcientiæ & virtutes, ab illa manu acciperent infulam, à quâ vel Cæſares coronam.* Anno 1716. GODEFRIDUS ab Aug. Imp. CAROLO VI. Cæſareus Theologus denominatus, ſcriptis ſuis contra varios hæreticorum errores, ceu *fortis armatus*, pugnavit. In conſiliis ſuis providus ac circumſpectus, potens ore & opere, præditus demùm ſingulari prudentiâ, rerum peritiâ, & uſu agendi, Aug. Imp. CAROLO dignus eſt habitus, quem difficillimis rebus tractandis præficeret: Nam ſub initium anni 1720. Cæſareâ legatione *Jaurinum*, circa tempus autumni ejusdem anni *Campidonam* mittitur ad componendas utrimque diſcordias, verè *Angelus Pacis*, & ùt Vopiſcus de *Probo* ait: *Vir ſui Nominis.* In legatione Megalopolim, cùm ſiniſtra ſama *Godefridum* noſtrum ex febri defunctum, pervaderet, Imperator CAROLUS VI. audito triſti nuntio, digiti ſui annulum aſpiciens dixiſſe fertur: *Perdidimus gemmam de Annulo noſtro.* Dux verò Megalopolitanus CAROLUS *Godefrido* de ſe benè merito dum annulum adamantis pretioſiſſimi in munus offerret, *Gemmam Gemmæ* addere ajebat. Honores ſuos ſibi *Godefridus* meritis comparavit; tantúmque abeſt, ut ullos appeteret, quin & aliquos ultrò oblatos recuſaret; & inde, ut divus ait Hieronymus: *fugiendo gloriam, gloriã merebatur.* In utrâque fortuna magnus, in utrâ major eſſet, dubium reliquit. Ad luctuoſum ſui monaſterii incendium, quod anno 1718. contigit, mira ſerenitas animíque præſentia in tam atrâ luce *Godefrido* affulſit. Concuſſus quidem tam funeſto caſu, non dejectus de ſede conſtantiæ, in hoc præcipuè intendit, ut Bibliothecam, aliáque cimelia flammis eriperet. Sic autem de incendio ſe vindicavit, ut quod exſtruere cœpit monaſterium, auguſtius faceret, quàm illud erat quod flamma abſumpſit. Imperante igitur CAROLO VI. & per Excellentiſſ. D. Comitem *Gundaccarum de Althann* primum lapidem ponente an. 1719. die 2. Julii Monaſterium novum exorſus *Godefridus*, tam providè rem inſtituit, ut nullâ mutatione facta uniformis ſtructura in altum ſurgeret, adeò quidem ſolida, ut æternitati domum hanc ædificatam dixerint periti omnes. In cæteris porrò ædificiis ſplendidus, ſed ſine luxu, obſoletis nitorem, faſtiditis gratiam & vetuſtis abſterſo ſenio novitatem dedit. Nihil invium fuit *Godefridi* induſtriæ, cum elementa vel ipſa, montéſque tranſtulerit. Monaſterio enim ſuo perenni vivarum aquarum penuriâ ad hæc usque tempora laboranti, primus invenit venam, & artis prodigio in dura petra viam aperuit, quâ enatas in pede montis tenuiſſimos latices, hydraulici operis operâ, per 2666. pedes in atrio Monaſterii uberrimos fecit; nunquam felicior, quàm dum ipſis aquis ſui nominis famam perennem inſcripſit, & inter latices illos laborum ſuorum ſudores bibit, alíiſque propinavit. Quæ fecerit pro domo Dei, ſi taceamus, loquuntur omnia, quæ vel in ornatu Eccleſiæ, vel in vaſis ac veſtibus ſacris pretioſa comparavit. De pietate quid dicam? Hæc illi tam con-

Varias legationes ſuſcipit.

ELISABETHAM Auguſtam in fide Cath. inſtruit.

Abbas eligitur.

Nominatur Theologus ac ſubinde legatus Cæſareus.

Caroli VI. Imp. de eo effatum.

Monaſterium A. 1618. flammis abſumtũ

ſplendidè inſtaurat.

Eccleſiam clenodiis ornat.

(f) Vide relata Parte II. hujus Hiſtoriæ cap. I. Sect. III. pag. 147.

congenita, ut vix differret à naturâ; Qui orantem invenit (inventus eſt autem ſæpiſſimè) verè dicere potuit: *in oratione ejus exardeſcit ignis in odorem ſuavitatis.* Quoad potuit, ad *vigilias matutinas* ipſe omnium primus, non tam dici, quàm eſſe voluit *Abbas vigilantiſſimus*, & quem dignitate tenuit *primatum*, firmavit exemplo.

Singulares ejus virtutes,

Ad Euchariſticum ſacrificium diebus ſingulis *venit in templum*, etiam ultimo ſenio, alter veluti *Simeon juſtus, ut viderent oculi ejus ſalutare Dei.* Dum per annos & vires licuit, ferè omni ſextâ feriâ *ex ſolo hoc pane vixit*, & mortem Domini jejunio recoluit. Si quos vapores *& maculas mundani pulveris*, ut ait Leo, *contraxerat*, per octiduana quolibet anno exercitia, & menſtruam ſpiritûs recollectionem diligentiſſimè expiavit. Deiparæ cultor eximius omnem diem periiſſe putavit, quâ non hujus Magnæ Matris tutelæ Monaſterium, ſe ſuóſque ſpeciali oratione commendâſſet. Ut Chriſtum in omnibus lucriſaceret *ſemper pauperes habuit ſecum*, quorum plures liberaliter aluit, *verus pater pauperum.* Semper idem, ſibíque conſtans, injurias temporum, vaſtationes agrorum, exactiones hoſtium, & quæ ſunt alia malignantis fortunæ diſcrimina, eo pertulit animo, quô DEUS immiſit, certè *unus de fortibus Iſraël.* Cùm anno 1741. intra Patriæ viſcera graſſaretur hoſtis, ipſe ut filios ſuos periculo eximeret, ſeipſum objecit: Abductus hinc *in manu forti* ad hoſtilem cuſtodiam, Romani *Curtii* factum aut æquavit, aut ſuperavit, ut ſciant poſteri *agere & pati fortia* GODEFRIDI fuiſſe. In ſermonibus gravis, & ſubinde facetus, ſed ſine levitate, ſi loquebatur, *fundebat oracula*; Qui audiebant dicentem, nunquam ſatis audiendum dicebant. Facundiæ ſuæ flumen per repetitos diſcurſus Academicos in lucem datos, teſtatum fecit; in quorum uno, qui *de viris Eruditis Germaniæ* GODEFRIDUM differentem legit, Eruditum de Eruditis, Tulliúmque de Tulliis dixiſſe nemo eſt, qui inficias iverit. Italicam, Gallicam, Theotiſcam, quæque cum illâ affines ſunt, antiquiſſimas linguas ita ſubegit, ut vernaculas crediddiſſes. Bis *Rector Magnificus* celeberrimæ Univerſitatis Viennenſis, quid egerit, quos labores ſuſceperit; ut in avita & laudabili formâ ſervaret Muſas, teſtantur perennaturi Provinciæ Faſti. In liberales artes liberaliſſimus, literarúmque & literatorum Mecænas literatiſſimus, quem librum meliorem non comparavit, quem non evolvit? Is certè *Bibliothecam Gottwicenſem* locupletiſſimam, & cultiores Muſas ibidem ab ovo, quod ajunt, primus inſtituit, ſelectioribúſque libris, ac vetuſtis editionibus ab initio inventæ typographiæ collectis pluribúſque manuſcriptis & cimeliis ditavit, ac Muſæum penè incomparabile adjecit, quò quidquid eſt rarum exteris, Gottwicenſibus domeſticum ac frequens eſſet, totáqne antiquitas, & natura dædala in ſola hâc penu cerneretur. Juratus otii hoſtis, nihil antiquius habuit, quàm ut ſuis ſubſidia ad bonas artes neceſſaria ſufficeret, eóſque ad ſolidiora ſtudia pelliceret. Viros cumprimis Eruditos, & ornatiora hujus ſeculi ingenia ſummoperè coluit, & in deliciis habuit, Magnum & ipſe hujus ſeculi ornamentum, præſertim in re diplomatica, & in hiſtoriis tam ſacris quàm profanis, novis & antiquis, in quibus adeò excelluit, ac ſi per omnem retrò ætatem vixiſſet. Unum *Chronicon Gottwicenſe*, (g) quod ſcripſit, quàm vaſtum eſt hiſtoricæ peritiæ corpus? quàm illud ſuſpiciunt, quantis laudibus prædicant Eruditi omnes? Certè Norimbergenſes *Tomum prodromum de re diplomaticâ* tanto habuêre in pretio, ut *Godefridi* effigiem argenteo nummo excuderint, cum hoc elogio: *Quod Cœnobium non ſolùm ab incendio ſplendidè reſtituit; verùm etiam luculentiſſ. Annalium opere illuſtravit, omnis Antiquitatis Germanicæ ibidem Promus Condus....* *Tale*, inquit Joan. Fridericus Joachim, (h) *nobis reliquit opus, quod non imber edax, non Aquilo impotens poſſit diruere, aut innumerabilis annorum ſeries, & fuga temporum.* Quæ alia ſcripſit: vel polemica, videlicet *Quinquaginta Romano-Catholicam fidem omnibus aliis præferendi Motiva*, (i) vel juridica, *de Curiæ Romanæ praxi, in Quatuor voluminibus*; vel politica, *de Auſtriæ ritu in quinque Tomis &c.* clariſſima ſunt *Godefridiani* ac prope Gigantæi laboris argumenta cælo cedróque digniſſima. De reliquis Artibus & diſciplinis, ſi quis eſt, qui quærat: *Quid ſciverit Godefridus*? Huic di-

in pauperes clementia,

Fortitudo animi,

inſignis facundia,

In literas & literatos propenſio.

Labores literarii,

(g) Hoc de opere vide dicta Part. II. pag. 456. ſeqq.
(h) Joachim in ſuâ ad rem dipl. introd.
(i) De quibus Part. II. hujus Hiſtoriæ p. 147.

& con- ſummata eruditio. dicendum, ut potiùs quærat: *Quid ignoraverit*? Siquid tamen eſſet, non id notitiæ Præſulis, ſed ſcientiæ defuit. Ipſe CAROLUS Imp. Aug. *Muſarum Hercules*, de GODEFRIDO noſtro non ſemel dicere dignatus eſt: *Virum eſſe omnis ſcientiæ ac peritiæ*. Quis hic jam plura? Oraculo nihil addimus: *Imperator dixit*, & Godefrido *benedixit Dominus*, ut anno 1746. præſentibus *Auguſtiſſimis Majeſtatibus* jubilæas primitias, jubilæus Profeſſus & Doctor offerret. Labentibus de- Ex caſu pedem concutit, mùm annis & ſenio laboribùsque feſſus, ex caſu quodam an. 1747. die 23. Auguſti excuſſo pede inceſſum amiſit, ſibiipſi in hoc caſu vates, occaſum ſuum non procul eſſe. Dimiſſis ad mortem ſe præparat, igitur ſecularibus curis, ſolùm æterna meditari cœpit; Ne mors imparato ſubreperet, fatis præmortuus quotidianâ in morte vixit, & omnem hôram ſuſpectam habuit. Accedentibus ſubinde ſymptomatibus apoplecticis, & aliorum morborum incurſibus, die 7. Decembris an. 1748. le- quam ſubiit 22. Januar. 1749. thalem morbum ſubiit, in quo alternante valetudine, *cibo fortium*, & reliquis Sacramentis iterùm iterúmque munitus, & in voluntatem divinam reſignatiſſimus, ingraveſcente tandem morbo ex paralyſi linguæ & apoplexiâ internâ, die 22. Januarii an. 1749. horâ 4. matutinâ in comprecantium filiorum corona piiſſimum emiſit ſpiritum, cùm vixiſſet homo 77. Religioſus 56. Sacerdos 53. Abbas 35. annis. Ejus piis manibus funebri hoc elogio parentabat vir inſignis *D. Rodericus* in ſuis relationibus Gallicis Co- Publicum ipſius elogium. loniæ vulgatis: *Le celébre Abbé* GEOFROY *de Goettwig mourut le 22. de ce mois dans ſon Abbaye, dans un âge fort avancé. Les Sovans de toutes les Nations ont regardé cet illuſtre Abbé comme le* Mabillon *de l' Allemagne, & l'on peut dire en effet, que, ſoit qu'on en juge por les qualitez de l'eſprit, ſoit qu'on mette auſſi en comparaiſon celles du cœur, il étoit à l' égard du plus grond homme de la Congregation de ſaint Maur, ce que Virgile eſt à l' égard d' Homere*. . . Hæc OLIVERIUS ipſius olim Biblothecarius.

XXXIX.

† 1752. 9. Febr.

PLACIDUS BÖCKHN.

Ejus natales. S. PEtri Salisburgi *Profeſſus, Juris utriusque & SS. Theologiæ in Univ. Salisb. Doctor*, Vir ſapientiâ & doctrinâ apud Germanos celeberrimus, Monachii Bavariæ Metropoli anno 1690. die XIII. Julii honeſtis piíſque parentibus natus in lucem prodiit. Prætextâ vix depoſitâ peragratis Juvavii humanioris Parnaſſi compitis, ad divi Petri Monaſterium ibidem convolavit, ubi emenſo regularis tyrocinii curriculo die XVIII. Julii an. 1706. Fit Monachus, per ſacrorum votorum emiſſionem, magis adhuc, dùm an. 1713. die XXIV. Septembris ad aram Neomyſta ſtaret, ſemetipſum obtulit hoſtiam vivam, talémque ſe etiam per regularem morum converſationem, exemplarem vivendi rationem, & accuratam ſacratioris aſceſeos curam comprobavit. Sed quoniam non ſibi tantùm, verùm & aliis placere & prodeſſe *Placidus* ſtuduit, ad majora natus ex Sacerdote Eccleſiæ, factus eſt etiam Sacerdos Juſtitiæ, Juris utriusque Doctor anno 1715. renuntiatus. Tum Doctor, verò ſui Monaſterii Bibliothecæ præfectus, & Secretarii munere auctus, dignus denique inventus eſt, qui an. 1721. in cathedra juridica, quà Ss. Canonum Profeſſor poneretur, Legésque & Profeſſor Canonum. Eccleſiaſticas per XII. annos publicè prælegeret. Quam verò peritus ille & privati & publici juris fuerit, quantum exemplorum, Hiſtoriæ, & antiquitatis tenuerit, teſtantur ampliſſimi illi, cunctísque laudati, quos in univerſum Jus ſacrum edidit Commentarios, in cujus Operis laudem meritò cadit illud Senecæ: *Qui hunc libitum elegit, multos alios inutiliter aperuit, evolvítque*. Sed muti ſunt hi teſtes, vi- Commentarios in Jus Can. edit. vos vocamus diſcipulos undequaque doctiſſimos, qui voce, qui calamo, qui digito monſtrant, verum eſſe illud Bernardi: *Diſcipulus proficiens, gloria eſt Magiſtri*. Teſtes etiam benè multi Germaniæ noſtræ Principes, qui in graviſſimis quibusque negotiis ad *Placidum* velut ad ſolidiſſimum ſacræ Themidis oraculum cominùs eminúsque confugerunt. Romæ per biennium Monaſterii ſui cauſas agens, non modica doctrinæ & virtutis ſpecimina reliquit. Viennæ in Auſtria Auguſt. Imperatori *Carolo VI*. non modò ob Theſes ſacræ ipſius Majeſtati dicatas, ſed alias etiam ob cauſas acceptiſſimus fuit. Fuldam ſubinde accitus in neoerecta Univerſitate Facultatis Theologicæ *Aſſeſſorem* ipſiúsque Principis *Adolphi* Conſiliarium egit. Año 1729. in Salisburgenſi Univerſitate ad *Pro-Cancellarii* dignitatem evectus, per XII. Procancellarii munere fungitur per annos XII. ferè annos almo Senatui Academico in hoc munere præluxit. Quatuor Ar-

chi-

chiepiſcoporum Salisburgenſium ſucceſſivè Conſiliarius Eccleſiaſticus, omnibúsque iis in amoribus & æſtimatione fuit. Anno 1733. Ss. Theologiæ & ſacrarum Literarum Profeſſor conſtitutus, per octo annos cathedram conſcendit. Poſtquàm verò per quatuor luſtra pro Reipublicæ literariæ bono & emolumento ad camænam lampadem in medio Doctorum ſediſſet, *Doctorum parens* non immeritò appellandus, & in vinea ſanctioris Sophiæ diu noctúque deſudâſſet, tandem A. 1741. dulci laborum requie fruiturus Univerſitati dixit, & valedixit: *Nihil ſubtraxi utilium, quominùs annuntiarem Vobis, & docerem Vos publicè.* Dimiſsâ igitur cathedrâ, & procancellariâ, Dornbacenſi Præfecturæ curas aliquamdiu commodavit; inde anno 1743. in montem Plainenſem, ad dilectam nempe ſuam, quam ſemper enixiſſimè venerabatur, *Matrem Virginem Thaumaturgam* aſcendere juſſus, ut ibi quà Superior hortum Marianum *operaretur & cuſtodiret*, in procuranda animarum ſalute, & propugnando ac propagando Cœlorum Reginæ cultu, totus deinceps fuit, nulla ratione ſe Deo magis placiturum exiſtimans, quàm ſi Divinæ placeret Matri. Hoc in munere per novem ferè annos ſtetit Marianus noſter Zelotes, dum tandem variis obrutus infirmitatibus Monaſterium repetiit, ubi per aliquot hebdomadas hydropico implicitus morbo, eo tandem in gangrænam deſinente, omnibus morientium Sacramentis præmunitus die IX. Febr. anno 1752. placidiſſimè obdormivit in Domino ætatis 62. Profeſſionis 46. Sacerdotii 39. dignus profectò, qui ob perſonam in hoc mundi theatro tam præclarè geſtam ampliori mactaretur elogio. At enim ſi reliquas Viri dotes, ſi prægrandem, quem poſſidebat, eruditionis omnigonæ theſaurum, ſi Venuſinam, cujus tot habemus typis mandata ſpecimina, venam, ſi Tullianam, quam vel in ſuggeſtu academico, vel in ſacra oſtendebat exedra, eloquentiam, à potiori quoque publici juris factam; ſi Stagyræam rationalis & naturalis peripati ſcientiam, reliquáſque virtutes & mentis decora memorare vellemus, non jam iliadem, ſed hetacomben defuncto immolaremus. Sed quia virtus ipſa ſibi ſua laus eſt, ſufficientem omnium, quas meruit, laudum copiam ſepulchrali ipſius nos lapidi incidiſſe putamus, dum dicimus: *Placebat tam Domino, quàm hominibus.* 1. Reg. 2. Quòd ſi verò atteſtante D. Bernardo [*]: *Non minus pium eſt, animum docere ſcientiam, quàm eſcam præbere corpori;* quis dubitabit *Placido* noſtro tamquàm *fideli* melioris doctrinæ per tot annos *Diſpenſatori*, reddendam fore à juſto Judice *coronam juſtitiæ?* Ita enim *Daniel* in fine ſacratiſſimæ ſuæ Prophetiæ: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* . . P. OLIVERIUS ex rotulis.

In Plain Cultum Deiparæ promovet.

vivere deſiit anno 1752. 9. Febr.

[*] *Serm. 16. in Cant.*

CAPUT V.

VITÆ AUCTORUM FOEMINEI SEXUS O.S.B. DOCTRINA, ERUDITIONE, AC SCRIPTIS LIBRIS ILLUSTRIUM.

NEc hoc Ordini Benedictino dignitatem adimit, ſed admirationem auget, quòd mulieres non virtute modò, ſed doctrinâ etiam, viros ſi non æquare, certè æmulari ſtudeant. Quantum, quámque ardens ſtudium in excolendis literis apud complures quondam fuerit, difficile eſt dictu. Laudem verò hujus ornamenti, quod Familiæ noſtræ propemodùm ſingulare habetur, Divo BONIFACIO tribuendam eſſe cenſet *Mabillonius*. Is quippe in Britannia cùm degeret, non viros tantùm diſciplinis imbuit, verùm etiam Monachas, quæ tantæ ſapientiæ virum, ut ſcribit *Willibaldus*, Præceptorem expetierunt, quo inſtruente *paginarum tranſcurrentes ſeriem, cæleſti inſtar ſcrutinio inhærebant, & ſacramentorum arcana, myſteriorúmque abdita jugiter meditabantur.* Mabillonio igitur ſi aſſentimur, præcipuam tulit laudem D. *Bonifacius*, quòd ipſo authore & præceptore Sanctimoniales noſtræ divini Codicis myſteria unà cum

Num S. Bonifacius Monialiũ in literis Inſtitutor primarius?

cum doctis artibus imbiberint; quamvis de *S. Aldhelmo*, Abbate primùm

An Aldhelmus prævenerit?

Malmesburienſi, tum Epiſcopo Schireburnenſi, qui ætate D. Bonifacium anteceſſit, atque anno 709. ad Superos migravit, in comperto ſit, quòd de laudibus Virginitatis Latino idiomate ad Moniales Benedictinas ſcripſerit, quæ niſi ejus ſermonis peritæ fuiſſent, eo certè S. Præſul pro ſua prudentia nunquam uſus fuiſſet. Litori verba facit, qui cum Latini ſermonis ignaro Latinè loquitur. Quid? quòd *Aldhelmus* easdem Deo ſacratas Virgines à ſtudio literarum, maximè ſacrarum, majorem in modum commendet: cùm enim ab *Hyldilicha* Abbatiſſa, ejúsque Monialibus, *Juſtina*, *Cuthburga*, *Osburga*, *Altgida*, *Scholaſtica*, *Hidburga*, *Berngida*, *Eulalia*, *Tecla*, aliísque epiſtolas

hujus ad Moniales epiſtola.

accepiſſet, (k) in hæc verba reſpondit: „ Jam dudum ad Pontificale proficiſcens conciliabulum, fraternis ſodalium catervis comitatus, Almitatis „ veſtræ ſcripta meæ mediocritati allata, ſatis lubenter ſuſcipiens, erectis ad „ æthera palmis, immenſas Chriſto pro ſoſpitate veſtra gratulabundus im„ pendere grates curavi, quo ſtylo non ſolùm eccleſiaſtica promiſſorum voto„ rum fœdera, quæ fida pollicitatione ſpopondiſtis, ubertim claruerunt; „ verùm etiam melliflua divinarum Scripturarum ſtudia ſagaciſſima ſermonum „ ſerie patuerunt. Cúmque ſingulos epiſtolarum textus recitans pernicibus „ pupillarum obtutibus ſpecularer, atque naturali quadam (ut mihi inſitum „ fertur) latentium rerum curioſitate contemplarer, uberrimámque verbo„ rum facundiam, ac virginalem urbanitatis diſſertitudinem magnoperè ad„ mirarer: En (inquam) ineffabili gratulatur tripudio ille ſuperi regnatot „ olympi, & rector cœli, cùm taliter Catholicas Chriſti vernaculas (immò „ adoptivas regenerantis gratiæ filias) ex fœcundo eccleſiaſticæ conceptionis

Unde arguitur Veſtales literis fuiſſe inſtructas.

„ utero, ſpiritualis verbi ſemine progenitas, per maternam viderit ſollicitu„ dinem divinis dogmatibus erudiri, *ac velut ſagaces Gymnoſophiſtas ſub peri„ tiſſimo quodam Agonotheta palæſticis diſciplinis & gymnicis artibus in gym„ naſio erudiri.* „ Quæ divi *Aldhelmi* verba ita claro, itáque perſpicuo ſunt argumento, quòd Sanctimoniales noſtræ in Anglia jam ante *S. Bonifacii* ævum bonis literis, maximè ſacris, inſtitutæ fuerint, ut nemo eruditus, veritatis amans, id negare auſit.

Hildæ elogium

Certè *Hilda* (l) Monaſterii Streaneshalenſis Abbatiſſa Divum *Bonifacium* ætate anteceſſit; ut quæ regio Anglorum ſanguine orta, virtutúmque omnium ornamentis conſpicua circa annum Chriſti 664. claruit. Ea verò in *Hilda* prudentia erat, ut non ſolùm medioctes quosque in rebus neceſſariis, ſed etiam Reges ipſi eam conſulerent: ea doctrina, & aſſiduitas legendi ſacras Scripturas, ut ſibi ſubditos viros, nedum puellas, ipſa erudiret, dignósque efficeret, qui ad eccleſiaſticos gradus promoverentur. Ex his quinque factos Epiſcopos viderat *Beda Venerabilis*, nempe *Boſam* Eboracenſem, *Ætlam* Doriceſtrenſem, *Oſtforum* Haguſtaldenſem, *Joannem* Wiccienſem, & *Wilfridum* Eboracenſem, ſcilicet *juniorem*, præter *Tatfridum*, qui ante *Boſelum* Johannis deceſſorem Epiſcopus deſignatus, ſed morte præventus fuerat.

V. Bedæ ſoror latinè docta.

De Venerabili etiam BEDA, qui pariter S. *Bonifacio* ætate ſuperior fuit, legimus, quòd chariſſimam habuerit ſororem, quæ Deo aliquo in monaſterio virginitatis ſuæ florem devoverat, ad cujus inſtantes preces *Expoſitionem in Habacuc* compoſuit. Hæc verò quâ ratione à doctiſſimo fratre ſuo contenderet, ut in ſui gratiam in Prophetæ illius librum Latino idiomate commentaretur, niſi ejusdem intelligens ſacris vacare literis conſueta fuiſſet.

Religioſæ à Bonifacio in Germaniam accitæ,

Illud cum *Mabillonio* extra dubium habemus, quòd D. BONIFACIUS in Germaniam profectus, religioſas fœminas è Britannia iſtuc advocârit, ex quibus *Chunichilt & filia ejus Berathgit valde eruditæ in liberali ſcientia*, *in Turingorum regione conſtituebantur magiſtræ.* Præter eas Lioba Biſchoffheimenſi Parthenoni à Bonifacio præfecta, *lectionis ſtudio tanta diligentia incumbebat, ut niſi orationi vacaret, nunquam divina pagina de manibus ejus abſcederet. Nam cùm ab ipſis infantiæ rudimentis Grammatica & reliquis liberalium artium ſtudiis eſſet inſtituta, tanta meditationis inſtantia ſpiritualis ſcientiæ perfectionem conabatur aſſequi, ut conſentiente cum ingenio lectione, duplicato naturæ & induſtriæ bono eruditiſſima redderetur.*

quibus ſtudiis incubuerint.

Atque ut meliùs ſcias, quibus potiſſimùm ſtudiis animum informaret, audi *Rodulphum* ipſius vitæ ſcriptorem, hoc modo proſequentem: *Sed & dicta Sanctorum Patrum, & decreta Canonum, to-*

tiús-

(k) De laud. Virginit. cap. 1.
(l) Mabill. Annal. Tom. I. p. 474.

tiúsque Eccleſiaſtici Ordinis jura plenitudini perfectionis adjecit. Eo in Parthenone *non parcus ancillarum Dei numerus collectus eſt, quæ ad exemplum beatæ Magiſtræ cœleſtis diſciplinæ ſtudiis inſtituebantur, & in tantum doctrina ejus proficiebant, ut plures ex illis poſtmodùm Magiſtræ fierent aliarum: ita ut nulla, aut etiam rara in illis regionibus eſſent monaſteria fœminarum, quæ non diſcipularum ejus magiſteria deſiderarent.* Ex Germania verò D. *Bonifacius* ad plures in Anglia Sanctimoniales Latinas ſcripſit epiſtolas, quibus vel libros ab ipſis conſcribendos petiit, vel à ſe in earum gratiam lucubrandos addixit. Cujus promiſſi BUGGA Abbatiſſa his verbis eum admonuit: *Sciat charitas tua, quòd paſſiones martyrum, quas petiſti tibi transmitti, adhuc minimè potui impetrare: ſed dum valeam, faciam. Et tu chariſſime, dirige meæ parvitati ad conſolationem, quod per dulciſſimas literas tuas promiſiſti, id eſt, congregationes aliquas ſanctarum Scripturarum.* Ad quæ ſanctiſſimus Germaniæ Apoſtolus his verbis reſpondit: (m) *De conſcriptione autem ſententiarum, de quâ rogaſti, peccatis meis indulgere debes: quia propter inſtantes labores, & itinera continua, adhuc perfectè conſcriptum, non habeo; ſed cùm implevera, ad præſentiam dilectionis tuæ transmittere curaba.*

Buggæ Abbatiſſæ ad Bonifacium epiſtola.

Heidenheimenſes in Suevia Moniales eximiæ literarum cognitioni inſudâſſe, argumento eſt, quòd earum una Vitam, ſive potiùs Hodæporicon S. *Wilibaldi*, primi Epiſcopi Aichſtadiani, altera S. *Wunibaldi*, fratris S. Wilibaldi, Latinis literis conſignârit, niſi non duæ fuerunt ſcriptrices, ſed una, eáque, ut multis eruditis viris videtur, germana eorum ſoror, *S. Walburgis*. Erat hæc *S. Bonifacii* neptis, quam in pietatis chriſtianæ officiis & literarum ſtudiis egregiè verſatam, ipſe ex Anglia in Germaniam evocaverat, ut ibi curſum proveheret Evangelii, Virginésque Germanas, quæ carnis illecebras divini ſponſi amoribus poſthaberent, monaſticæ vitæ inſtitueret rudimentis.

Heidenheimenſes Moniales,

In nullo tamen Sanctimonialium Germaniæ monaſterio doctrinarum exercitia magis ſervebant, atque in Gandersheimenſi Parthenone, quem *Ludolphus* potentiſſimus utriusque Saxoniæ Dux ſundaverat. Et qnidem ipſius Sereniſſimi Fundatoris tres filiæ, *Hathumoda*, *Garburgis*, & *Chriſtina*, primæ tres Abbatiſſæ, literis à prima ætate ſuerant imbutæ. Præprimis S. HATUMODA *Scripturarum lectioni* (n) *& ipſa ſedula inſiſtebat, & inſiſtentes ſummoperè diligebat; negligentes, quas tamen aliquid proficere poſſe videbat, minori potiùs familiaritate, quàm diſciplina ad has diſcendas cogebat; in his audiendis, legendis, intelligendis majorem cautelam, vivaciorem ſenſum, ſaniorem intellectum habere nullus ferè hoc tempore quivit. Si quæ, ut moris eſt, interrogare debebat, tam planè & diſcuſsè cuncta attingebat, ut ipſa interrogatione ſua docere potiùs quàm interrogare videretur.* Ab obitu ſanctæ Abbatiſſæ duæ ſorores, GERBURGIS & CHRISTINA, quæ & ipſæ morum ſanctimoniâ conſpicuæ in Abbatialem dignitatem ſucceſſerant, literarum ſtudia intercidere nullatenuś ſunt paſſæ. Hìc igitur humaniorum literarum vigebant diſciplinæ, quibus quàm præclarè inſtitúta fuerit Roswitha Monialis, ex ejus relictis poſteritati libris cognoſcimus, quos etiam noſtrum hoc ſeculum, ſi quis doctrinarum ſtudia ſpectat, nequaquam ferreum, demiratur. Nec ſevera Philoſophiæ facies delicatas ac molles fœminas ita deterruit, ut ad reconditam & abſtruſam ejus cognitionem non contenderent. Quid? quòd ROSWITHA alia, eáque Abbatiſſa de Dialectica librum ediderit. Ad hæc legum humanarum tradebatur notitia, quas SOPHIA, Ottonis II. Romanorum Imperatoris ex *Theophaniâ* conjuge filia, non ignoravit; quapropter Otto III. frater ejus Imperator eam petivit ſibi concedi ab Abbatiſſa, fuítque ultra biennium rebus Cæſaris dedita, ut *Henricus Bodo* (o) memoriæ prodidit. Erat verò *Sophia* nata ex Theophania, Græcorum Imperatoris filia, cui ut Gandersheimenſes Veſtales placerent, Græcis ſeſe literis dederunt. Quis verò ex his non intelligit, eas in omni bonarum artium genere ad ſtuporem usque fuiſſe eruditas?

& Gandersheimenſes literis inclytæ.

S. Hathumoda

Gerburgis & Chriſtina.

Roswitha,

Sophia &c. Virgines doctæ

Altero

(m) Epiſt. xxxv. inter Bonifacianas.

(n) Agius in vitâ S. Hathumodæ, quando Jo. Georg. Eccard in veterum monumentorum *quaternione* vulgavit Lipſiæ vel potiùs Hanov. an. 1720.

(o) Syntagmate de conſtructione Cœnobii Gandeſiani, quod Meibomius Script. R. G. Tomo II. inſeruit.

Admontenſes in Styria Monachæ

Altero poſt ſeculo, anno circiter ſupra milleſimum ducenteſimum decimo quinto, propè Admontiũ in Stiria illuſtre cumprimis Benedictinarum Sanctimonialium Monaſterium conditum eſt, in quo, ſpretis mundi deliciis, Comitum, Principum, ac Ducum filiæ non infrequenter religioſæ vitæ inſtituta perſequutæ fuerunt. In eo autem non virtutum tantùm, ſed literarum etiam ſtudia ecolebantur. Cujus rei teſtem magis idoneum haud laudare poſſum, atque *Irimbertum*, magnæ virtutis ac doctrinæ Præſulem, qui Abbatiali nondum ornatus inſula ejus Parthenonis Sanctimoniales ſacris inſtituit literis, earúmq; laudes haud vanus encomiaſtes his verbis (p) ad poſteros tranſmiſit. *Tata anni tempore, æſtate, vel hieme, ad ſanum campanæ ad vigilias matutinas cum fratribus ſurgunt, ardinémque vigiliarum toto tempore hiemali usque in diem extendunt. Idem jejunium, idem ſilentium cum fratribus per anni circulum agunt. Nulla earum lineis veſtibus utitur, niſi ſolæ infantulæ, ſiquæ inter eas nutriuntur. Capitulum ſuum inter ſe quatidie habent, Magiſtra, vel ejus Vicaria præſidente. Et in feſtis diebus cùm Abbas ad eas non paterit venire, ſunt inter eas perſonæ ad verbum exhortationis diſpoſitæ. Valde quippe ſunt literatæ & in ſcientia ſacræ Scripturæ mirabiliter exercitatæ. Cùm enim poſt primum introitum nunquam de monaſteria egrediantur, niſi vel mortuæ efferantur, vel vivæ forſitan in aliud monaſterium tranſponantur, ubi ſimili cuſtodia muniuntur: Cúmque nihil unquam de mundi vanitatibus videant, raro aliquid de ſecularibus audiant, cur nan ſcientiam cæleſtium myſteriarum habeant, quæ ab omni communiane mundanorum gaudiorum jejunant? Cúmque nobiliſſimorum Principum filiæ & aliæ præclaris ortæ natalibus inter eas conſiſtant, magnæ inter ſe humilitatis conflictu ad invicem dimicant: quia valde deteſtabilis haberetur, ſiqua inter eas alicujus elationis vel jactantiæ nata reſpergeretur.*

ſacris ſtudiis intentæ, & in Scripturis exercitatæ,

Seculo XIII. & ſeq. Moniales æquè ac Monachi ſtudia remittunt.

Utinam verò hæc literarum cultura cùm in hoc Parthenone, tum aliis Germaniæ compluribus cœnobiis diutiùs tenuiſſet. Poſtquàm verò heu dolor! ſeculo XIII. & XIV. doctrinarum ſtudia apud Monachos elanguere, atque ab iis paſſim neglectui haberi cœperunt; mirum, ſi Moniales in earum tractatione defixæ fuiſſent. Quid? quòd nova id temporis, eáque planè heteroclita opinio apud Benedictinos in Germania invaluit, quòd literarum exercitia cum religioſa ſimplicitate & humilitate Sanctimonialium haud bene conveniant, eáſque magis curioſas & ſuperbas, quàm pias & humiles efficiant. Quo quid ineptius dici vel cogitari potuit? Næ *S. Aldhelmus*, *Venerabilis Beda*, *Divus Bonifacius*, Abbas *Irimbertus* in iiſdem informandis operam ſuam malè collocâſſent? Quàm imprudenter Patres in Concilio Clovechovienſi congregati ſub *Cuthberto* Archiepiſcopo Abbatiſſas adhortati fuiſſent, *ut Maniales ſuas ad literas excalendas incitarent*, niſi penitus perſpectum habuiſſent, quòd hæ ad intelligentiam ſacræ Scripturæ conſequendam, non Monialibus minùs, quàm Monachis, utilem, fructuoſam, atque adeò neceſſariam quandam præcurſionem adhibeant. Quàm improvidè *S. Liaba*, quæ Sanctimonialium in Germania inſtitutarum anteſignana & Apoſtola haud immeritò dici poteſt, à Divo *Bonifacia* ex Anglia evocata fuiſſet, *ut famulas Dei*, utor verbis B. Rabani Mauri, *divinis Scripturis inſtrueret*? Quid cauſæ habuiſſet magnus ille *Alcuinus*, ut in gratiam duarum monialium, *Giſlæ* & *Rictrudis* pulcherrimum illum in Evangelium Joannis commentarium concinnaret? ut enim id laboris ſubiret, per literas ab iiſdem rogatus fuerat: (q) *poſſe eum*, inquiebant, *Cæſaraduna Turanum Pariſias mittere vigiliarum ſuarum in Scripturas & commentatianem fructus; cùm olim Hieranymus matronarum Ramanarum vatis obſecundans, plures in Scripturam lucubratianes ſuas è Bethleemo Ramam miſſitaret. Multò faciliùs chartarum portator tuarum à Turonis Pariſiacam civitatem, quàm illius de Bethleem Romam pervenire potuit.* Fecit, quod rogatus fuerat *Alcuinus*; ſed dum operi inſudat, laborem abrupit juſſio Caroli M. qui volebat, ut *Alcuinus* veteris & novi Teſtamenti codicum emendationi incumberet: *Si me*, inquit, *non occupâſſet Domini Regis præceptum in emendatione veteris navíque Teſtamenti.*

Eas Patres Concilii Clovechovienſis hortantur ad excolendas literas.

Alcuinus in gratiâ Giſlæ & Rictrudis commentarios elucubrant.

Moniales in Gallia pecuniis magis

Progreſſu verò temporis, ut res humanæ omnes in deterius vergunt, Moniales in Gallia pecuniarum magis, quàm ſcientiarum ſtudio teneri cœperunt. Cùm ſeculo XII. Parthenon Novoburgenſis fundatus fuiſſet, *B. Marbodus*

bodus

(p) Vid. Bern. Pezii Diſſert. de Vit. Ven. Godefridi Abbatis Admontenſis, & fratris Germ. Irimberti num. 6. p. 9.

(q) Thomaſſin. de Eccleſ. Diſcipl. de Benef. Part. 2. l. 1. cap. 97.

bodus noſter, Redonenſis Epiſcopus, ſcripta epiſtola, (r) puellam quandam dote carentem, ſed literarum ſcientia præditam, admitti rogavit, *quòd prava conſuetudo in antiquis Galliæ monaſteriis obtinuerit, ut pecunia ſcientiæ præferatur.*

quàm ſcientiis inhiant.

Morem hunc præpoſterum in Paracletenſe puellarum cœnobium à ſe fundatum irrepere noluit *Petrus Abælardus*, qui tunc temporis in Gallia non vulgaris doctrinæ florebat opinione. Unde literas ſanè eruditas ad easdem (s) ſcripſit de ſtudio literarum excolendo; ad quod ut efficaciùs illas incitaret, non Virgines tantùm & viduas ſeculares, ſed Matronas etiam Romanas connubio junctas, à Beato *Hieronymo*, quanto, quámque gravi Eccleſiæ Doctore ?* cum cura inſtitutas in exemplum propoſuit; nempe ut virtus laicarum mulierũm torporem excuteret, vel confunderet Monialium. Et quia ipſis *Heloiſſam*, olim uxorem ſuam, Latinis, Græcis, atque Hebraicis literis ornatam præfecerat, ad earum literarum intelligentiam, ſub hac magiſtra, comparandam cohortatus eſt. *Hunc zelum*, inquit, *tanti Doctoris, Hieronymi, & ſanctarum fœminarum, in Scripturis divinis conſiderans, monui, & inceſſanter implere vos cupio, ut dum poteſtis, & matrem harum peritam trium linguarum habetis, ad hanc ſtudii perfectionem feramini: ut quæcunque de diverſis translationibus oborta dubitatio fuerit, per vos probatio terminari poſſit. Quod & Dominicæ crucis titulus*, Hebraicè, Græcè, & Latinè *ſcriptus non incongruè præfiguráſſe videtur: ut in ejus Eccleſia ubique terrarum dilatata, harum linguarum, quæ præeminent, abundaret doctrina, quarum literis utriusque teſtamenti comprehenſa eſt Scriptura. Non longa peregrinatione, non expenſis plurimis, pro his linguis addiſcendis, opus vobis eſt, ut Beato accidit Hieronymo: cùm matrem, ut dictum eſt, habeatis ad hoc ſtudium ſufficientem. Poſt virgines quoque ac viduas, fideles conjugatæ incitamentum præbeant vobis doctrinæ, ut vel negligentiam veſtram arguant, vel ardorem augeant.* Hæc & plura *Petrus Abælardus*; quibus cùm Virgines Paracletenſes haud ægrè aures præbuiſſent, ſibíque præcipuè Latini ſermonis cognitionem paráſſent, ad easdem *Abælardus*, rogatu *Heloiſſæ*, Sermones Latinos oppidò elegantes, per annum legendos transmiſit. Ab obitu tamen *Abælardi* & *Heloiſſæ*, ut in rebus humanis nihil ſtabile eſt ac perpetuum, cùm in Paracletenſi, tum cæteris Monialium per Galliam monaſteriis in deſuetudinem literarum ſtudia denuò abierunt.

Morem hunc à ſuo Paracletenſi gynecæo arcet Abælardus,

ſuáſque exemplo Hieronymi & Heloiſſæ ad ſtudia excitat.

Ut verò intermortuas aliquot ſeculis literas è cineribus quaſi reſuſcitaret, in id plurimum laboris exhauſit *Dionyſius Faucherius*, Inſulæ Lirinenſis Prior, non minùs vitæ ſanctimonia venerabilis, quàm omnigena doctrina conſpicuus. Quo enim tempore (ſub medium ſeculum XVI.) Monialium apud Taraſcum curam gerebat, ſeveriorem diſciplinam ex Regulæ præſcripto magna conſtantíque diligentia reſtituit, eisdem Monialibus ad morum perfectionem ſimul, & quod admodùm rarum eſt, ad optimarum literarum amorem inflammatis. Qua de re *Faucherius* ** ad Gregorium Corteſium noſtrum, S. R. E. Cardinalem ſibi amiciſſimum ſcribens, ita diſſerit: „ Reliquæ verò „ (loquitur de Monialibus Taraſconenſibus, quarum ſpiritualem curam tunc „ ſuſtinebat) diverſo ab iis itinere gradiuntur, quæ Chriſtum ſibi conciliare „ cupientes, in id die noctúque operam navant, ut illi caſtiſſimis moribus, „ & variis virtutum ornamentis placere poſſint; Literis incumbunt omnes, „ & libros non minùs, quàm fuſos, aut rumbos diſcunt volvere; D. Cypri„ ani & Hieronymi Epiſtolas aliquas prælegimus, & ex Divo *Ambroſio*, & „ aliis Authoribus diverſa, prout illarum uſibus conſentaneum quidpiam aut „ profuturum judico. *Ciceronis* officia; & ejusdem *Lælium*, inſuper, & „ multas Salomonis parabolas, quas etiam, jubente me, memoriæ man„ dant; id, qui volet, vitio mihi vertat, attamen, & Principibus ipſis, & „ ferè omnibus, ſed præcipuè literatis Viris tam gratum videtur, ut Col„ legii hujus nomen ubique ferè per totas Gallias, ſed maximè apud Aulam „ ſit famoſiſſimum. Unde & nobiles viri, qui filias ſuas virginitati dicare „ volunt, ad noſtrarum exemplum eas cupiunt inſtitui, ſatiùs exiſtimantes „ eas noſſe, quæ legunt aut cantant, quàm picarum more, quæ utcunque „ lege-

Faucherius Taraſconenſes pariter ſtimulat & inſtruit.

Ejus hac de re ad Corteſii literæ.

(r) Integram B. Marbodi epiſtolam exhibet Mabill. Annal. Tom. 5. pag. 475.
(s) Vid. Abæl. epiſt. VI. ad Heloiſſam apud Richard Rawlinſon edit. Londin. an. 1718. in 8. p. 247.

Ubi Hieronymi & Paulæ exemplum proponitur.

„ legere didicerint, ore tantùm proferre. „ Hæc *Faucherius*, qui exemplo S. *Hieronymi* laudatiſſimè uſus videtur. Ut enim hic Eccleſiæ Doctor (t) *Paulam* juniorem inter libros educari voluit, utque ei poſt ſacram Scripturam Opera S. Cypriani, S. Athanaſii, S. Hilarii, atque aliorum Eccleſiæ Patrum legenda traderentur, inculcabat; ita *Faucherius*, ut Monialium animos honeſtiſſimè ac piiſſimæ vitæ præceptis imbueret, ab eis præclariſſimos quoſque autores aſſidua conteri lectione voluit. Et ſi S. *Hieronymus* in Elogio Divæ *Paulæ* à ſe edito, laudibus ipſam, ejúſque filiam Euſtochiom extollit, eoquòd Hebraicam linguam didicerint, ut majori cum fructu ſacras evolverent literas; nunquid Moniales Benedictinas vituperatione dignas exiſtimabimus, quòd addiſcendæ linguæ Latinæ operam navent, quò Pſalmorum, quos aſſiduò in ſacro decantant Odeo, intelligentiam ſibi comparare queant, ex monito S. Legislatoris Benedicti in Regula: *Mens concordet voci*. An literæ Latinæ ſanctiſſimis Ordinis noſtri Abbatiſſis, *Hildegardi*, *Eliſabethæ*, *Gertrudi* aliíſque compluribus officiebant, quò minùs devotè laudes divinas concelebrarent, ac virtutum fulgore totam latè Germaniam illuſtrarent? Sed iis inpræſens omiſſis, ſermonem de Abbatiſſa cædere liceat, cujus præclarè geſta non ita multis eſſe cognita vix non exploratum habeo.

Ss. Hildegardis, Eliſabethæ, Gertrudis, elogium.

Milada Boleslai ducis filia,

Mlada, ſive *Milada*, (u) Boleslai Sævi Bohemiæ Ducis filia, Boleslai Pii germana ſoror, erat Virgo ſpecioſiſſima, religioſiſſimáque, Latinas & ſacras Literas benè docta. Cùm verò eo tempore Pragenſis Eccleſia, Ratisbonenſium Epiſcoporum curæ demandata, ſub tutoribus quaſi conſtituta, proprii Paſtoris & Epiſcopi deſiderio teneretur: neque per alium, quàm ſummum Romanum Epiſcopum haberi poſſet, *Milada* eam ſollicitudinem procurandi aliquem in ſe ſuſcepit. Anno igitur Chriſti CMLXVII. acceptis à *Boleslao Pio*, germano fratre ac Duce Bohemiæ ad Urbem epiſtolis, Romam proficiſcitur, & in cœnobium ſanctimonialium familiæ S. Benedicti divertit, manſura tantiſper, uſque dum ſacris Legibus ad eam profeſſionem requiſitis imbueretur. Sufficienter inſtructa in manibus ipſiuſmet Apoſtolici *Joannis XIII.* vota ſolenniter emittens, ſublato *Mladæ* nomine Romanis barbaro, *Maria* dicta, ſacro flammeo velatur, acceptáque poteſtate nominandi Præſulis, & Apoſtolica benedictione, nonnullis Religioſis virginibus comitata reditum accelerat. Pragam redux diploma Pontificium, quo idem Romanus Papa nominandi Pragenſis Epiſcopi Duci *Boleslao Pio* facultatem dederat, Principi in manus tradit, & ſeculo valere juſſo cum ſactis comitibus ad Abbatiam ſuam, D. Georgio Martyri dicatam, & eo fine à *Wratislao*, Duce Bohemiæ, poſitam conceſſit. Utque erat ipſa optimè inſtituta in rebus omnibus, quæ vel ad pietatem religioſam, vel ad literas pertinent, ſic præter cætera cupiebat nobiliſſimi Parthenonis ſui Veſtales Virgines etiam ſui facere quàm ſimillimas, id eſt, virtutibus ac literis ornatas. Poſt vitam ſanctiſſimè actam ad Superos abiit, ob rariſſimas virtutes, & admiranda geſta, teſte (x) *Bohuslao Balbino* BEATÆ titulo ab omni retrò antiquitate honorata. Adeò parùm literæ Latinæ Sanctimonialibus ad perfectionem vitæ religioſæ aſſequendam officiunt.

in Sanctimonialiũ cœnobio literis inſtructa, & velo donata,

S. Georgii aſceterium Pragæ illuſtrat.

Alia doctarum Monialium exempla.

Ut autem exempla, quæ ab ævo noſtro minùs remota ſunt, & ſuaviùs afficiunt, & fortiùs movent, ſic nec illa nos deſtituunt. *Margarita de Venix d'Arbouze*, dicta à *Sancta Gertrude*, Vallis-Gratiæ in Gallia Abbatiſſa, vitæ ſanctimonia, & rebus ſupra naturam geſtis conſpicua, erat ſuperiore ſeculo ſplendidiſſimum Benedictinæ religionis ſidus, quæ jam pridem ſopitos in Sanctimonialium pectore obſervantiæ ignes ſuſcitavit. (y) Legebat verò aſſiduè ſacram Scripturam, & ſanctorum Patrum libros, etiam Latinè; quamvis nunquam hanc linguam didiciſſet; quos etiam mira facilitate concipiebat; atque etiam Summam ſancti Thomæ, Opera S. Auguſtini, & S. Dionyſii Areopagitæ. Quantæ doctrinæ ac eruditionis fuerit Venerab. *Maria de Blemur* Sanctimonialis de perpetua Adoratione ſanctiſſimi Sacramenti, anno 1696. vita piiſſimè defuncta, ejus & complura & præclara Opera in lucem emiſſa abundè teſtatum faciunt. Niſi multarum diſciplinarum ſcientiam aſſequuta fuiſſet

Margarita à ſanctâ Gertrude,

Maria de Blemur.

(t) Epiſt. ad *Lætam*.
(u) Boleluczky in Roſa Bohemica, ſeu vita S. Adalberti cap. v. n. 2. & 3. p. 96. & ſeq.
(x) Hiſt. Boleslav. cap. xi. pag. 47.
(y) Hug Menard. in vit. quam ad calcem Obſervat. lib. II. in Martyrolog. Bened. adjecit pag. 800.

fuiſſet MARIA ELEONORA DE ROHAN, filia Ducis *de Montbazon*, Abbatiſſa Malnovienſis, nunquam *Ethicam Salomonis*, iteratis typis magna nominis ſui cum celebritate excuſam, orbi erudito ſiſtere potuiſſet. An in vivis adhuc agant RENATA *de Megrigny*, Abbatiſſa Caromontenſis apud Bituriges monaſterii, & Domina DE BARADAT, dicta *de S. Gertrude*, Monaſterii Jotrenſis Virgo Veſtalis, equidem ſum neſcius, laudes tamen, quibus à Scriptore percelebri, eóque obſervantiæ regularis ſtudioſiſſimo, Edmundo Marthene ob doctrinarum ſtudium ornatæ fuerunt, non æquè me ſugiunt, ac prætereunt. Prior (z) utì Monaſterii Caromontenſis inſtauratrix erat, ita quod ad ſovendam ſuarum monialium pietatem conducere poſſe exiſtimavit, poſtremis in curis minimè habuit. In earum gratiam non tantùm Aſceticos, ſed varii argumenti libros pretio coëmit, quibus ſat magno numero comparatis Bibliothecam inſtruxit. Aliam peculiarem in proprium uſum adornavit, quæ tamen haud alios continet libros, quàm qui de Superiorum agunt officiis. Eos pervolvendi, ſi quæ moniales cupiditate flagrant, haud difficulter votis damnantur. Poſterior (a) eo nomine laudem fert maximam, quòd à literis eximiæ pietatis ſtudium nunquam ſejunxerit. Poſtquàm *Commentarium in ſacram Regulam* conſcripſit, in hiſtoria ſui Monaſterii contexenda occupari cœpit: nec dubium, quin intereà temporis faſtigium illi impoſuerit.

Eleonora de Rohan, Renata de Megrigny & Baradat.

quarum opéra recenſentur.

Eximias Moniales, & illis Benedictinis Veſtalibus jure annumerandas, quarum pii olim labores in communem etiam reipublicæ ceſſerunt utilitatem. Ut enim Monachi libris tum tranſcribendis, tum componendis meliorem impendebant operam, ſic illæ laudabili æmulatione adductæ utrumque laboris genus experiri ſtuduerunt. Quas inter maximè celebrandæ ſunt (b) Monachæ Eikenſes in Belgio, quæ tum legendo & meditando, tum ſcribendo atque pingendo vacare ſolebant. Inprimis verò *Harlindis & Renildis* Abbatiſſæ, teſte authore anonymo, qui earum Acta literis mandavit, *præter textilia opera quatuor Evangelia, Pſalterium integrum, aliósque plures divinæ Scripturæ libros conſcripſiſſe, ac liquido auro, gemmis, margaritíſque exornâſſe memorantur.* Plures Moniales tum Abbatiſſas, quæ vel ſimilem laborem in ſe ſuſceperunt, vel proprii ingenii monumenta in lucem protulerunt, mox in medium daturi ſumus.

Veſtales antiquariæ in primis verò Eikenſes in Belgio, Halindis & Renildis, aliæque

Claruit Seculo X. circa A. 980.

§. I.
ROSWITHA
Monialis Gandersheimenſis.

QUamvis gentilis Vates cecinerit, haud ſibi placere fœminam, quæ

——— *curtum ſermone rotato*
Torqueat enthymema.

Nobis tamen (c) hæc & quæcunque ei ſimilis, meritò videtur eximium Ordinis noſtri ornamentum, &

Gloria fœminei, & decus admirabile ſexûs.

Roſwithæ genus & ætas.

ROSWITHÆ genus ac patriam *benè qui conjiciet, vatem hunc perhibeto optimum.* Abbas *Godefridus Beſelius* Chron. Gotwic. tom. 1. lib. 1. pag. 49. certum eſſe dicit, *Roſwidam Ottonis II. temporibus circa annum Chriſti* 980. *ſub* GERBERGA *Abbatiſſa Sanctimonialem in Gandersheim ſub Regula ſancti Patris noſtri Benedicti extitiſſe, ſuámque originem ex Familia nobili de Roſsow hodie adhuc ſuperſtite, traxiſſe, unde à nonnullis Helena de Roſsow appellatur.* Verùm hæc omnia non ita certa ſunt, quin non multi viri docti ab iis diſſentiant. Equidem illud communi opinione receptum eſt, quòd *Roſwitha* exeunte ſeculo decimo floruerit, atque adeò ſub Gerberga Abbatiſſa, quæ anno 1001. in vivis eſſe deſiit, & ante annum 960. ad dignitatem abbatialem evecta fuit, ætatem egerit; ſed quòd ad nobilem Familiam de *Roſsow* dictam referenda ſit, eámque per cauſam *Helena de Roſsow* appelletur, neutiquam eruditis probatur. *Martino Friderico Seidelio* Conſiliario Brandeburgico, qui recentiores quoſdam ſecutus ad id credendum animum induxit, nulla antiquitatis monumenta ſuffragantur; & *Roſwitha* non familiæ, ſed perſonæ nomen erat. *Roſſingiam* alii appellare malunt non diſſimili errore; quæ familia in Brunſwicenſibus floret

Variæ ea de re opiniones.

Qqq 3 terris

(z) Voyage Litteraire part. 1. pag. 43.
(a) l. c. part. 2. p. 74.
(b) Mabill. loc. cit. & in vit. quam vulgavit Act. O. S. B. Sec. III. part. 1. p. 659.
(c) Hæften. Diſquiſ. monaſt. l. 2. tract. 3. diſquiſ. 1. pag. 53. col. 1.

terris. *Sed talia comminiſcentis ſunt, non narrantis*, inquit illuſtris (d) Leibnitius. Viro Clar. *Conrado Jammingo*, Hagiographo Antverpienſi, (e) nomen *Roſwita* ſeu *Hroſwita* ab equis paſcendis, vel rubro albóque coloribus efformatum videtur.

Veriſimilior.

Fuiſſe indubiæ ſtirpis in Saxonia nobilis, *Cl. Harembergio* (f) haud difficulter crediderim. Ita enim ſuadet domicilium, contubernium virginum, & fundationis inſtitutum. *Multi tum floruerunt*, pergit vir eruditus, *in proximo Comites, quos mutatione temporum exſtinctos eſſe conſtat: Ex hiſce delectæ, & deſtinatæ cœnobiis illuſtrioribus ſunt eæ, quas forma nimiùs commendabat, vel Juno Moneta dereliquerat. Unde Canonicæ olim dicebantur* DOMINORUM FILIÆ, *Herren Kinder.* Verùm hæc *Harenbergii* aſſertio magnoperè cum Annalibus Benedictinis pugnat, in quibus innumeræ Virgines illuſtri loco natæ occurrunt, quæ & formæ elegantiâ & divitiarum copiis præditæ, mundi illecebris valere juſſis, in monaſteria convolârunt.

Leibnitii de ipſius ingreſſu Religionis ſententia.

Quando *Roſwitha* Parthenonem ingreſſa fuerit, haud ſatis pro explorato habetur. *Ill. Leibnitius* (g) ſub *Roſwitha* cognomine, quæ Abbatiſſa loci in ordine quarta fuit, ſtatim poſt tres filias Fundatoris id factum eſſe exiſtimat. Unde juxtà ipſum credibile eſt, magnæ fuiſſe nobilitatis, & ex eodem nomine non inanis ſuſpicio eſt, huic Abbatiſſæ propinquam fuiſſe noſtram Monialem, & ab illa ſuſceptam in cœnobium, ut ſub ipſius oculis educaretur, & erudiretur. Utut ſit,

Roſwithæ in literis & moribus Magiſtræ,

Roſwitha à teneris in Monaſterio Gandersheimenſi educata, & literis imbuta, primò *Richardem*, deinde *Gerbergam*, regii ſanguinis Virgines ſanctimoniales magiſtras habuit, quibus ipſa mox in docendi munere ſuffecta fuit. Id quod præfatione in hiſtoriam Vitæ Beatæ Mariæ Virginis ipſa teſtatum facit his verbis: *Unde etiam cunctis, & quaſi furtim, nunc in componendis ſola deſudando, nunc malè compoſita deſtruendo ſatagebam, juxtà meum poſſe, licèt minimè neceſſarium, aliquem tamen conficere textum ex ſententiis ſcripturarum, quas inter aream Gandersheimenſis collegeram cœnobii, primo ſapientiſſimæ atque benigniſſimæ* RIKARDIS *magiſtræ, aliarúmque ſuæ vicis inſtruente magiſterio: deinde prona favente clementia regiæ indolis* GERBERGÆ, *cujus nunc ſubdor dominio abbatiæ, quæ ætate minor, ſed ut imperialem decebat neptem, ſcientia provectior, aliquot auctores, quos ipſa prior à ſapientiſſimis didicit, me admodùm erudivit.*

Richardis, & Gerberga.

Ex quibus verbis non ejus modò duæ innoteſcunt magiſtræ, *Richardis* & *Gerberga*, ſed illud etiam colligere licet, quibus literis, ſacris nempe, ab utraque fuerit imbuta. His quòd non leviter fuerit tincta, argumento eſt, quòd in ſcriptis ſuis multa ex divinis paginis proferat, & in præfatione, quam diximus, proteſtetur, ſe immatura hac ætate quædam ex apocryphis deſumpſiſſe ex ignorantia, quæ licèt dubia ſint, tamen boni conſulenda cenſet.

Sexum ingenio ſuperâſſe dicitur.

Fatendum tamen eſt, quòd animum ad amœniores literas præcipuè converterit, &, ut ait Trithemius, *ſexum ingenio ſuperârit*, ut de ea meritò Geurgius Fabricius caneret:

Tu quoque vixiſſes meliori Roſwita ſeclo,
Aonidas poſſes inter habere locum.

Ita igitur fecit, quarum politiorum literarum ſingularis elegantia mentem ipſius, usque à teneris unguiculis, admirabili quodam ſui deſiderio incenderat, eas permultis annis, beneficio, monitu, atque adeò impulſu ſuarum Antiſtitum, præprimis *Gerbirgæ*, magno & alacri animo proſequuta fuit. Juſſu Ottonis II. Imperatoris Geſta Ottonis I. cognomento Magni literis mandavit. Miratur Cl. Harembergius, (h) à *Roſwitha* lectum eſſe *Terentium*, rei meretriciæ peſſimum magiſtrum. Sed ipſa ſe excuſat in epiſtola ad quosdam ſapientes, ſeu fautores. *Comœdiæ prima epiſtola*, in qua ſic ſuam aperit mentem: *Inter hæc diverſis affectibus gaudio ſcilicet & metu in diverſum trahor. Deum namque, cujus ſolummodò gratia ſum id, quod ſum, in me laudari cordetenus gaudeo: ſed major quàm ſim, videri timeo: quia utrumque nefas eſſe non ambigo, & gratuitum Dei donum negare, & non acceptum accepiſſe ſimulare: unde non denego, præſtante gratia creatoris, me artes ſcire, quia ſum animal capax diſciplinæ, ſed per energiam fateor, omninò neſcire.* En modeſtiam! en pietatem! In epiſtola ſequenti indicat, *Terentium* Gandershemii, ob ſermonis nitorem, & elegantiam aſſidua teri manu, & nonnul-

Terentium legiſſe ipſamet prodit, ſéque excuſat.

las

(d) Introd. in Hiſt. Script. Brunſvv. Tom. II. n. 25. pag. 29.
(e) Act. SS. tom. 5. Junii pag. 205.
(f) In Hiſt. Eccleſ. Gandersh. pag. 1027. ſeq.
(g) loc. cit. (h) loc. cit. pag. 1027.

las lubricarum notitiâ rerum ſordes contrahere; ſe autem de illis amantium blanditiis palmam retuliſſe, & haſce comœdias ſcripto mandâſſe, ut loco *Terentii* magis gravia & ſeria deinceps legantur. Præclarum ſanè inſtitutum! Sed ſtylus ac ſcribendi genus *Roſwitæ* ad nativam illam *Terentii* pulchritudinem, elegantiam, ac dulcedinem parùm propè accedit. Græcæ linguæ non imperitam fuiſſe *Geſnerus* perhibuit, negante *Oudino*. Sunt tamen veſtigia, quæ nos in affirmantem ducunt ſententiam. Conſtans enim traditio eſt, heîc olim Evangelia Græco ſermone in feſtis Pentecoſtes diebus fuiſſe decantata, & Theophaniæ Imperatricis ſtudio ac incitatione Sanctimoniales certatim ad Atticam linguam animum adjunxiſſe. *Janningus* ſupra laudatus Hagiographus Roſwitham Græcè fuiſſe doctam extra dubium ponit.

An Græcæ linguæ perita?

Haren-bergii de ea epigramma.

Meruerat omninò *Roſwitha*, ut ejus exploratam haberemus patriam, ſtirpem, natalem, mortem; ſed cùm de eis nihil certi afferre liceat, non prætermittendum mihi videtur epigramma, quod *Cl. Harenbergius* eam ob cauſam his maximè verſibus ei nuncupavit.

Et genus & proavos celat Roſwitha pudica:
Natalem ac mortem perfida fama tegit.
Scilicet hinc aliæ poſſunt ſibi quærere nomen;
Ex Scriptis ipſi gloria ſumma viget.

Epigrammata aliorum in Roſwitham attulit Henricus Meibomius. Icona *Helenæ à Roſsow*, quam Seidelius pro Roſwitha noſtra reputavit, dederunt poſt Seidelium *Meibomius*, & ex eo *Leuckfeldius*. At quis certò adfirmare auſit, *Helenam* illam & *Roſwitham* eſſe eandem?

SCRIPTA.

Operum ipſius editiones.

Pleraſque *Roſwithæ* Incubrationes junctim ediderunt *Conradus Celtes*, & *Henricus Leonardus Schurzfleiſchius*, ille Norimbergæ A. 1501. in 4. cum privilegio Societatis Celticæ; hic Witebergæ A. 1707. in 4. Sunt verò ex recenſione *Fabricii* Bibl. med. & inf. Lat. Lib. VIII. p. 831. hoc ordine typis exſcriptæ.

Comœdiæ.

1. *Comœdiæ ſex*, in æmulationem Terentii, at ſoluto ſermone ſcriptæ, I. *Gallicanus*, de converſione Gallicani Principis & ſub Juliano exulis ac martyris. II. *Dulcitius*, de paſſione Agapes, Chioniæ, & Irenæ, SS. Virginum ſub Diocletiano. III. *Callimachus* de reſuſcitatione Callimachi & Druſianæ per S. Johannem. IV. *Abraham* de lapſu & converſione Mariæ, neptis Abrahæ eremitæ. V. *Paphnutius* de converſione Thaidæ meretricis, & VI. de paſſione ſanctarum Virginum *Fidei*, *Spei*, & *Charitatis*.

2. *Hiſtoria Nativitatis, laudabiliſque converſationis intactæ Dei Genitricis*, quam ait ſcriptam ferè periiſſe *ſub nomine S. Jacobi fratris Domini*, illud nempe ſcriptum innuens, quod in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti à Jo. Alb. Fabricio exhibetur *S. Jacobi Proto-Evangelium*. Hanc hiſtoriam carmine ſcriptam hexametro Roſwitha Gerbergæ Abbatiſſæ dedicavit, præmiſſis elegis, quorum initium: *Salve Regalis proles ſtirpis clariſſima Gerbirg.* Hiſtoria Nativitatis B. M. Virg.

3. Hiſtoria Aſcenſionis Domini, itidem carmine hexametro. *Hanc*, inquit, *narrationem JOHANNES Epiſcopus è Græco in Latinum tranſtulit.* Hiſtoriam Reſurrectionis Dominicæ vocat Henricus Bodo apud Meibomium Tom. I. p. 494. minùs rectè. Aſcenſionis Domini.

4. *Paſſio S. Galgolfi, Martyris*, elegis verſibus. De hoc S. Gangolfo Martyre Varennis in Burgundia circa annum 760. conſulenda Acta Sanctorum Tom. 2. Maji XI. pag. 624. ſeq. S. Galgolfi Paſſio.

5. *Hiſtoria & Paſſio S. Pelagii*, Martyris, à Mauris interfecti Cordubæ, An. 925. Hæc carmine deſcripta hexametro emendatior legitur Tomo V. Act. Sanctorum Junii 26. pag. 209. S. Pelagii martyrium,

6. *Hiſtoria de Converſione deſperati adoleſcentis, ſervi Proterii*, per S. Baſilium, ad Gerbergam Abbatiſſam, carmine leonino hexametro: & carmine ſimili *de Paſſione S. Dionyſii Martyris*, nec non *Hiſtoria paſſionis S. Agnetis* Virginis & Martyris, de qua Acta Sanctorum Tom. 2. Januar. p. 350. ſicut de S. Dionyſio Surius IX. Octobr. Proterii converſio.

7. *Panegyris Ottonum* ad *Gerbergam* Abbatiſſam de Geſtis Ottonis I. usque ad annum 967. itidem carmine, hexametro leonino, quod & *Juſtus Reuberus* cum triplici *Roſwithæ* præfatione Scriptoribus rerum Germanicarum pag. 161. inſeruit; hinc cum Wittechindi Annalibus edidit etiam *Henricus Meibomius* Francof. 1621. 4. & notis illuſtravit, cum quibus legitur quoque tomo primo Scriptorum Henrici Meibomii nepotis p. 709. atque in Scriptorum Roſwithæ editione Schurzfleiſchiana Ambo effigiem Roſwithæ præmiſerunt, quæ deſcripta ære occurrit etiam in Diario Theologico A. 1732. poſt pag. 678. Fallitur Morlierius Scriptor Gallus libri, *Eſſais de* Ottonum panegyris.

littera-

*litteratureT*om. I. p. 58. qui Roswithæ tres libros de rebus geſtis Ottonum adſcribit Commentarius *Meibomii* illuſtratos.

De fundatione Gandersheimenſ. cœnobii. 8. Prætermiſſum eſt in hac Celtis & Schurzfleiſchii editione carmen hexametrum leoninum *de primordiis & fundatoribus Cœnobii Gandersheimenſis*, quod poſt editiones illuſtris Leibnitii Tom. 2. Scriptor. Brunſv. p. 319. an. 1710. fol. & *Jo. Georgii Leuckfeldii* in Antiquitatibus Gandersheimenſibus, vulgatis Germanicè Guelpherbyti an. 1709. 4. V. C. Jo. Chriſtoph. Harenbergius magno conquiſitum ſtudio, atque fide elucubratum edidit Hanoveræ an. 1734. fol.

Epigrammata & epiſtolæ. 9. Non exſtant, quæ Roswithæ à Trithemio tribuuntur *Liber epigrammatum & epiſtolæ*, ſi alias intellexit ab iis, quæ ſcriptis ejus editis præfixæ leguntur. Neque lucem vident *Vitæ Pontificum Anaſtaſii I. & Innocentii I.* quas eodem genere metrorum poëmati ſuo de fundatione Cœnobii Gandersheimenſis *Roswitham* præmiſiſſe ſcribit Henricus Bodo apud Meibomium Tomo I. p. 494. qui etiam memorat ejus *Adhortationem ad Virgines ſacras*, Latino ſermone, de caſtitate colenda, atque continentia.

Vita S. Wilibaldi, 10. Roswithæ præterea tribuuntur ab *Oudino*, ſed quæ antiquiorem Sanctimonialem Gandersheimenſem & *Wilibaldo* ac *Wunibaldo* ſuppar em, à ſorore tamen eorum *Walburgi* diverſam auctorem habent, ſoluto ſcriptæ ſermone: *Vita* ſive *Hodæporicon Wilibaldi* ab anno 740. Aichſtadienſis Epiſcopi:
Wunibaldi &c. & *Vita fratris ejus Wunibaldi Abbatis & Confeſſoris*, quæ edita eſt in Caniſii antiquis Lectionibus Tom. IV. Part. 2. pag. 481. & 516. (editionis novæ Baſnagianæ Tom. 2. pag. 105. & 125.) & apud Surium 7. Jul. & 10. Decemb. edit. Anni 1618. *Hodæporicon* illud etiam cum Notis Jo. Bapt. Sollerii in Actis Sanctorum Tom. 2. Julii p. 500. Utraque cum Notis Mabillonii in ejus Actis Sanctorum Ord. S. B. Sec. III. Part. 2. pag. 176. & 395. plura Roswithæ opera extant manuſcripta in Lacenſi apud Euphalos Bibliothecâ.

Scriptores qui de Roswitha fuſiùs agunt. De *Roswitha* Galli, Itali, Germani, Batavi ac Angli magnâ cum laude mentionem faciunt. *Joannes Trithemius* de Scriptor. Eccleſ. pag. 165. ſeq. edit. Colon. 1546. 4. *Antonius Poſſev.* Appar. Sac. Tom. II. ad an. 990, *Caſpar Bruſchius* in Chronol. Monaſt. Germaniæ p. 234. qui tamen fallitur, dum Roswitham omnium trium Ottonum Impp. vitam carmine heroico ſcripſiſſe ait, cùm ſolius Ottonis I. res geſtas carmine celebravit, idque juſsû Ottonis II. *Gerardus Johannes Voſſius* de Hiſtor. Lat. Lib. II. c. 41. p. 352. *Lilius Gregorius Gyraldus* de Poët. Hiſt. Dialogo V. *Laurentius Humfredus Anglus*, qui ut Roswitham Anglis vindicaret, cùm *Hilda Horeswitha*, ſive *Hareswida* Angla, filia Regis Northumbrorum imprudenter confudit, quâ trecentis omnino annis noſtra fuit anterior. *Henricus Meibomius* Tom. I. Rer. Ger. pag. 706. ſeq. *I. F. Paullini* in libello: *Hochgelehrtes Frauenzimmer* pag. 115. *Georgius Fabric.* in Origg. Saxon. L. II. p. 98. *Guillelmus Cave* in Hiſt. Lit. Script. Eccleſ. ad an. 980. p. 506. G. G. *Leibnitius* in Introd. ad Tom. II. Script. Brunſv. n. XXVI. p. 29. ſeq. *Caſimirus Oudinus* in Comment. de Script. Eccl. Tom. 2. Sec. X. p. 980. pag. 502. *Jacobus Fridericus Reimannus* Einleitung in die Hiſt. Liter. der Deutſchen. *Henricus Leonardus Schurzfleiſchius* in Præfat. ad Opera HRoswithæ. *Joannes Mabillonius* Tom. III. Annal. Ord. S. Bened. pag. 588. ſeq. *Conradus Janningus*, Hagiographus Antuerpienſis in Commentario prævio ad vitam & martyrium S. Pelagii Tom. V. Junii d. 26. n. 4. pag. 205. col. 1. *Godefridus Beſſelius* Abbas Gottwic. Chron. Tom. Prod. lib. 1. p. 49. *Jo. Alb. Fabricius* Bibl. med. & inf. Latinit. Lib. 8. pag. 829. ubi notat, Roswitham retinuiſſe ſcriptionē nominis ſui per literam ſive aſpirationem H. quæ apud mediæ ætatis Scriptores pervulgata fuit, quibus non modò nomina *Rudolfus*, *Rutbertus*, *Ramwardus*, & ſimilia, ſed etiam *Carolus*, *Carolomannus*, & multa talia in initio aſpirare familiare fuit. *Joannes Gregorius Leuckfeld* in Antiqq. Gandersheim. cap. 24. pag. 271, ſeqq. *Georg. Chriſtianus Joannis* in nova editione Reuberiana *veterum Scriptorum* pag. 222. & ſeqq.

II.
DIEMUDIS
Sanctimonialis Weſſofontana.

Floruit circa an. 1073.

Diemudis ortu Bojoaria. Quæ de Venerabili hac & nullo ævo ſatis prædicanda Chriſti virgine & Weſſofontana Sanctimoniale in hunc locum conferemus, ea à Cl. Ber-

Bernardo Pezio (i) mutuabimus, qui eadem etiam ex Auctore Anonymo incliyti hujus Monaſterii verbotenus exſcripſit.

„DIEMUDIS Sanctimonialis Virgo olim hujus noſtri Monaſterii Weſſubrunn devotiſſima. Fuit enim Monaſterium noſtrum olim duplex vel in duo diviſum, Monachorum ſcilicet & Monialium. Locus Monachorum fuit, ubi nunc eſt; Monialium verò eo loco, ubi nunc eſt Eccleſia Parochialis. Fuit hæc virgo arte ſcribendi peritiſſima. Licèt enim nullum inveniatur compoſuiſſe opus, ſcripſit tamen manu propria multa volumina charactere optimo & legibili tam ad Divinum cultum, quàm ad Bibliothecam publicam Monaſterii pertinentia, quæ quudam indice à ſe ſcripto in quodam Plenario notantur. Nam in eodem indice notantur ſequentes libri ad Di„vinum cultum pertinentes:

Arte ſcribendi peritiſſima

Plures deſcripſit libros.

„Liber Miſſalis cum Graduali & Sequentiis.

„Liber alius Miſſalis cum Graduali & Sequentiis, qui datus eſt Epiſcopo Treverenſi.

„Liber Miſſalis alius cum Epiſtolis, Evangeliis, Graduali & Sequentiis.

Quosdā pro choro,

„Liber Miſſalis alius cum Epiſtolis & Evangeliis per totum annum, & Graduali, & Sequentiis, & Baptiſterio integro.

„Item Liber Miſſalis cum Epiſtolis & Evangeliis.

„Liber Officialis.

„Liber alius Officialis cum Baptiſterio, qui datus eſt Epiſcopo Auguſtenſi.

„Liber cum Evangeliis & Lectionibus.

„Liber cum Evangeliis.

„Liber cum Epiſtolis.

„Prædicta volumina ſcripſit, ut di„ctum eſt, ad ornatum & utilitatem „Divini cultûs. Sequentibus verò Bi„bliothecam ornavit, de quibus tan„tùm ea adhuc in noſtra Bibliothe„ca habentur, quæ hoc §. ſigna„ta ſunt. Nam reliqua aut incen„dio Monaſterii, quod, ut fertur, bis „conflagravit, aut negligentia & „ignavia ſequentium Monachorum „perierunt & amiſſa ſunt: Notantur „enim in præfato Indice libri ſequen„tes ad Bibliothecam pertinentes:

alios pro Bibliotheca.

„Bibliotheca [id eſt ſacra Biblia] in II. voluminibus, quæ data eſt pro prædio in Piſinberch.

„Bibliotheca in III. voluminibus.

„Moralia S. Gregorii in VI. volum. de quibus primum & tertium perierunt.

„Gregorius ad Regaredum.

„Gregorius ſuper Ezechielem & quædam alia I. volum.

„Sermones & Homiliæ antiquorum Doctorum III. volum.

„Origenes ſuper vetus Teſtamentum.

„Origenes ſuper Cantica Canticorum.

„Auguſtinus ſuper Pſalterium III. volum.

„Auguſtinus ſuper Evangelium Johannis & primam Epiſtolam ejusdem II. volum. Primum non habetur.

„Epiſtolæ Auguſtini numero LXXV.

„Tractatus Auguſtini de Verbis Domini, de Sermone Domini in Monte, de Opere Monachorum, & Agone Chriſtiano, de adorando Deo, de profeſſione viduitatis, de bono conjugali, de Virginitate.

„Epiſtolæ ſancti Hieronymi numero CLXIV.

„Tripartita Hiſtoria Caſſiodori.

„Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebii.

„L. Sermones S. Auguſtini. Vita S. Silveſtri. Hieronymus contra Vigilantium. Idem de Conſolatione mortuorum.

„Vita S. Blaſii. Vita S. Johannis Eleëmoſynarii.

„Paſchaſius de Corpore & Sanguine Domini. Conflictus Lanfranci contra Berengarium. Paſſio S. Dionyſii.

„Vita S. Adriani Papæ &c.

„Hieronymus de Hebraicis Quæſtionibus, & multa alia Hieronymi & aliorum auctorum Opuſcula.

„Libri Confeſſionum S. Auguſtini.

„Canones.

„Gloſſa per A. B. C. compoſita.

„Hæc ſunt volumina à præfata ancilla Dei Diemude propriâ manu exarata in laudem Dei & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Patronorum hujus Monaſterii. Quo autem tempore floruerit, nusqnam invenire potui, cùm in omnibus voluminibus ex humilitate, ut piè creditur, tam nomen proprium, quàm tempus, quo ea finierit, ponere neglexit. Sed quod latuiſſe mirum eſt Cœnobitam hunc Weſſobrunenſem anonymum, egregiè ſupplet Auctor diffuſioris Catalogi Abbatum Weſſobrunenſium in Cod. Tegernſeenſi, ubi poſt epitaphium Wul-

Quo tempore floruerit.

(i) Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd. Noviſſ. p. xx.

„Wulfildis, ſuprà delibatum comparet recenſio librorum, quos *ſcripſit & S. Petro tradidit Diemuat ancilla Dei. Diemudis virgo*, inquit concinnator Catalogi, *Deo devota ac Monacha Regulam S. Benedicti in Monaſterio S. Petri Weſſiſprunenſi profeſſa, ad commendatiſſimæ vitæ ſuæ memoriam laudabilem, ipſa ancilla Dei devotiſſima in-ſi a ſcriptos libros manu ſua propria fideliter ac ornatiſſimè ſcripſit ac accuratiſſimè emendatos S. Petro obtulit, devotéque tradidit.* Tum texitur ſyllabus librorum à Diemude ſcriptorum, qualis ex Anonymo Weſſobrunenſi datus eſt, additis „Matutinali in II. „voluminibus, Lectionario I. Augu„ſtino contra diffinitiones I. volum. „Enchiridio, Hieronymo de laudibus „Virginitatis, Chryſoſtomo de lapſu „&c. I. volum. Plenario I. & libro „Prophetarum. Poſt quæ omnia pergit anctor Catalogi Abbatũ Weſſobrunenſ. „Sciendum eſt cunctis Chriſti „fidelibus, in ſacris Religionibus „conſtitutis, quòd tempore Gregorii „Papæ VII. qui cœpit anno ſalutis „MLXXIII. claruit inter cæteras ſa„cras Virgines Dyemuet Virgo & Mo„nialis S. Petri in Weſſinſprun, quæ „fuit exaratrix prædictorum libro„rum. Obiit autem hæc venerabi„lis Dei famula III. kal. Aprilis, de „ſuis non immeritò laboribus com„mendanda, tandem hîc in loco ſuæ „profeſſionis, ibidémque ſepulta in Ca„pella B. V. Mariæ annexa Capitulo, „& nominatur vulgariter *das Alt-Münſter*. Extant adhuc epiſtolæ ſuaves „valde in Monaſterio *Beronica*, quod „vulgariter nunc dicitur *Berenried*, per „ipſam ad Herlucam Virginem ſan„ctam miſſæ, & iterum ipſius Herlu„cæ vice verſa transmiſſæ, quibus „ſe mutuò recreârunt exhortationi„bus charitativis, in Domino exhor„tando ſe conſortantes. Fuit etiam „eo tempore juxta Lici fluminis ripam „in loco, qui nominatur Eptaticus, „nunc vulgariter Eppach, Monaſte„rium quoddam ſacrarum Virginum, „diſtans tantùm unum milliare à Cœ„nobio Weſſinſprunenſi, in quo in „hac mortali vita claruit XXXVI. „annis B. Herluca Virgo & Monialis „&c.„ Reverendi Patres (q) Pezii cùm cupidine amœbæas haſce B. Herlucæ ac Diemudis Epiſtolas legendi vehementer incenſi eſſent, in literario ſuo itinere, quod anno MDCCXVII. ad Bavariæ monaſteria inſtaurârunt, Collegium Bernriedenſe adiverunt. At enim ſpes eos deluſit. Nullus enim eo loci Codex, nulla membrana, nulla Diemudis memoria. Cæterùm ejus veneranda oſſa ſub lapideo nunc monumento in media Eccleſiæ Weſſofontanæ navi ad occaſum ſolis condita ſunt, erecta ſuper id effigie Virginis dexteram ſtylo armantis.

Alius librorum à Diemuda Scriptorum index.

Ejus emortualis dies.

quædam epiſtolæ.

Venerabilis *Diemudis* meminit Carolus Stengelius, Abbas Anhuſanus in ſuo Commentario Rerum Auguſt. Vindel. Part. II. cap. 32. p. 155. ſed non ſine mendo chronologico; *Hoc eodem tempore* (Alexandri III. & Friderici I.) *ſanctitate clara habita eſt Diemudis, Virgo Deo ſacrata in Monaſteria Weſſafontano.* Si enim Ven. Diemudis coætanea fuit *B. Herlucæ*, atque cum ipſa epiſtolicum habuit commercium, non temporibus Alexandri III. & Friderici I., ſed Gregorii VII. & Henrici IV. ætatem egit; ſub his enim B. Herluca vixit, & mortua eſt. Plura de *Diemude* ſuppeditabit Cl. P. *Cæleſtinus Leuthner* in Chronico Weſſofontano.

Quinam ipſius meminerunt.

III.
BERTRADA
Vilecenſis Sanctimonialis.

Claruit circa an. 1030.

*B*ERTRADA, ſeu *Bertha*, ſoror *S. Wolphelmi*, Abbatis Brauwillerani, in Cœnobio Vilecenſi virgo incluſa, Conradi II. imperium ſanctitate ſimul ac doctrinâ illuſtrius reddidit. Hujus *Bertradæ* meminit *Conradus* Brauwilleranus Monachus in vita ſancti Wolphelmi, his verbis: *Extiterat huic beatiſſimo Viro frater germanus Frumoldus nomine, ſorores Sanctimoniales duæ, quarum una Oswenda nomine, miræ ſimplicitatis, & innocentiæ fuit fœmina: altera verò Bertha nuncupata, literarum plurimùm emicuit ſcientia. Hæc vitam beatæ Adelbeidis, primæ Vilicenſis Abbatiſſæ eleganti ſatis ſtylo conſcripſit, & plurimùm religionis vel ſcientiæ ſuæ fructum in eodem loco dereliquit.* Libellum ergo edolavit *De vita Sanctæ Adelbeidis, ſive Aleidis, primæ Abbatiſſæ Vilicenſis*: quam cum prologo quoque *Surius* emiſit, ſed mutato ſtylo ad diem 5. Februarii exhibet. Verùm ſinceritate majori, ea exhibita à *Johanne Bollando* in Actis Sanctorum Tomo I. Februarii menſis p. 714.

Breve ipſius elogium

ex Conrado Brauwillerano.

Scripſie vitam S. Aleidis,

quam Surius & Bollandus edidêre.

ad

(p) Loc. cit. ap. XXX. pag. XVII.

ad eandem Februarii diem, quem adeas.

In hoc Opere teſtatur ipſa accepiſſe, quæ refert, ab illis, quæ *Adelheidis* in terra agentis doctrinâ atque exemplis inſtitutæ fuerunt. In ipſa vita commemorat, quomodo *Adelheidis* monaſterio S. Mariæ præfecta fuerit, atque id volente *Heriberto* Colonienſi Archiepiſcopo; qui *Heribertus* obiit anno Henrici II. Imperatoris octavo, qui Chriſti MXXII. erat. Eadem ait, *Henricum Imperatorem nuper fuiſſe defunctum*; ubi ſatis liquet, eundem Henricum II. deſignari, qui anno Chriſti MXXIV. deceſſit. Ex his igitur conſtat, *Bertradam* vixiſſe ſub *Conrado II.* Imperatore, qui Henrico II. ſucceſſit. Ut fallatur neceſſariò Poſſevinus, qui ſub Ottone illam claruiſſe ait: quâ ratione dum ita malè loquitur, primum ejus nominis deſignare videtur. At Otto III. jam obierat anno MII. Inter Ottonem autem III. & Conradum II. Henricus annis XXII. rexit; ſub cujus ſucceſſore Conrado II. eam vixiſſe diximus. Ut verò *Poſſevinus* falſus eſt, tempora, quibus *Bertrada* in calamum incubuit, prævertendo, ſic *Fabricius* in Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis vol. 1. lib. 2. p. 552. lapſus eſt, eadem nimiùm differendo. Ex ejus enim opinione *Bertrada* primùm ſub Henrico IV. Imperatore circa annum 1090. ſcripſit *vitam S. Adelheidis* anno 1015. defunctæ.

Quo tempore vixerit.

Poſſevinus caſtigatur,

De *Bertrada* videri poſſunt *Gerardus Joannes Voſſius* Lib. 2. de Hiſtoricis Latinis cap. 43. p. 342. Joannes Bollandus in Comment. præv. ad Vit. S. Adelheid. Caſim. *Oudinus* de Scriptor. Eccl. Fabric. l. c. Mabillonius in Actis Sanctorum Ord. S. B. Sec. VI. Part. 1. pag. 137. edit. Pariſ. & in Anal. Bened. Tom. 4. p. 243. ubi Bertradam laudat à vita S. Adelheidis haud inconcinnè ſcripta. Nos Oudini operâ potiſſimùm uſi fuimus.

de ea conſulendi Voſſius &c.

IV.

ADELA

Monialis Marcianenſis,

Carnotenſium, Meldenſium, atque Bleſenſium Comitiſſa.

† 1110. 6. Martii.

DUxit *Adela*, ſeu *Adildis* genus ſuum è regio Normannorum ſanguine. Patrem habuit Guillelmum Conquæſtorem Angliæ Regem. Piè à teneris educata, Latinis etiam literis inſtituta fuit. Cùm nubiles attigiſſet annos, nuptui tradita eſt *Stephano* Bleſenſi Comiti, multarum ditionum Principi. Extant ad eam verſus *V: Hildeberti* (k) Cenomanenſis Epiſcopi, ac poſtea Turonenſis Archiepiſcopi:

Adelæ natales & parentes.

Auguſti ſoboles ſerie ſublimis avorum,
Miſſa tibi placeant quantulacunque precor.
Nolo manus ſceptris, vel cervix apta coronæ
Ad mea flectantur munera, mento fave.
Ut ſatis eſt populo Superûm meruiſſe favorem,
Cùm cadit ad magnos hoſtia parva Deos.
Sic implet votum tua gratia, plus homine erro,
Si plus affectem, quàm placuiſſe tibi.

Hildeberti ad eam Poëma,

Febrium diutino (l) ardore cùm anno 1095. vexata fuiſſet, nec medicorum arte ſanari potuiſſet, ad Resbacenſe Monaſterium ſe deferri juſſit: ubi cùm ſub capſâ beati Agili Abbatis duabus noctibus pernoctâſſet, optatam ſanitatem recuperâſſe traditur. Cujus beneficii cauſa pallium pretioſiſſimum ſuper altare obtulit, quod ſuo tempore ſervatum, & in præcipuis feſtis *retrò lignum dominicæ crucis* apponi ſolitum fuiſſe teſtatur anonymus monachus, qui librum primum de miraculis ſancti *Agili* proſecutus eſt. Quo etiam anno in monaſterio Altivillarenſi ſolenni ſanctæ *Helenæ* reliquiarum probationi adfuit.

à febri prodigioſè curata,

Anno ſequenti (m) id eſt, 1096. *Stephanus* Bleſenſis Comes, ejus maritus, iter ad Palæſtinam è Saracenorum poteſtate vindicandam cum aliis viris nobiliſſimis juxta ac fortiſſimis ingreſſus eſt. Sed cùm nimiâ levitate è Terræ ſanctæ expeditione ad dilectæ conjugis amplexus rediiſſet, non tulit *Adela*, virilis & verè chriſtiani animi Princeps, hanc ignavam à tam ſanctis caſtris diſceſſionem, ſed omnibus viribus ſuadere marito cœpit, ut denuò ad eadem quàm celerrimè ſe referret, quò ſuſceptam è tam præcipiti reditû ignominiæ maculam dilueret. Prudentiſſimis monitis autem præbult *Stephanus*, remeavit in Terram ſanctam, atque obſidioni Ramulæ interfuit, in quâ etiam pro re chriſtiana felicem mortem oppetiit. Quantò fortiore animo *Adela* prædita fuit, atque olim *Penelope*, quæ, ut maritus reditum à Græcorum caſtris domum maturaret, his verbis ipſum extimulabat;

marito ſuadet ut caſtra in terram ſanctam ſequatur,

quo abſente & peremto,

En

(k) Opp. pag. 428.
(l) Mabill. Annal. Tom. V. p. 349.
(m) Idem l. c. pag. 435.

En tua Penelope lento tibi mittit Ulyſſes,
Nil mihi reſcribas: attamen ipſe veni.
Troja jacet certè Danais inviſa puellis,
Vix Priamus tanti, totáque Troja fuit.
O utinam tunc cùm Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis!
Non ego deſerto jacuiſſem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies.

Meminit *Adelæ* Ordericus Vitalis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Libro 10. *Quæ,* ut ipſe ait, *mulier erat ſagax, & animoſa, quæ virum ignavum & timidum ad bellum ſacrum anno ſalutis* 1101. *cum aliis Principibus viris progredi ſuaſit, & interim in ejus abſentia Bleſenſem Comitatum regendum in ſe ſtrenuè ſuſcepit, & ſapienter adminiſtravit.* Quô tempore laudatus *Hildebertus* literas ei ſcripſit, quibus eam ob inſignem in regendis ſibi ab abſente marito commiſſis populis, prudentiam laudat, eíque ſpecialiter in eos clementiam commendat. Et verò tam clementi poteſtate atque imperio in ſubditos utebatur, ut non tam Domina, quàm communis omnium videretur eſſe parens. Munificentiæ autem in Dei eccleſias atque monaſteria & plurima & luculentiſſima dedit teſtimonia. Unde jam anno 1093. (o) *Ivo Carnotenſis* literas ad eam dedit, in quibus quòd eccleſiam ſancti Martini de Valle apud Carnutas, quæ olim erat monaſterium, in antiquum ſtatum reformare vellet, eam laudibus ornavit. Monita tamen adjecit, ut celeri effectu id exſequeretur, ne antiquus hoſtis bonum ejus conſilium præpediret.

Bleſenſem comitatum ſuſcipit regendū,

atque plura eccleſiis præſtat beneficia,

Ab obitu conjugis *Adela* ſanctiore ſpiritu ad vitam monaſticam amplectendam viſa eſt agi. Tametſi verò mundi fieret impatiens, conſultius tamen habuit, ſi filios *Willelmum* & *Tetbaldum* ipſa potiùs amanter educaret, & ad magnam morum vitæque excoleret innocentiam, quàm ſi, abdicato matris munere, dubiæ aliorum curæ nutriendos effingendóſque relinqueret. Malum punicam rectè dixiſſes *Adelam.* Quemadmodùm enim arbor hæc pomum etiamnum maru-reſcens, crudum, & acerbum, tenelli filioli inſtar gremiô fovet, nunquam, niſi vi avellatur, deſertura, usque dum mite jam illud, & ad maturitatem fuerit perductum; ita *Adela* ſobolem ſuam, pubeſcentem adhuc, & in primos induentem ſe flores curâ & maternis brachiis deſtituere noluit, quoad ipſa in dies ſe ipsâ melior ac perfectior evadens, ad decentem chriſtiano Principi pietatem perveniſſe judicaretur.

& Filios in pietate excolit.

Anno 1105. morbo decumbens (p) à *S. Anſelmo* Cantuarienſi viſitata fuit. Cùm enim ſanctus Archipræſul ex itinere in Franciam intellexiſſet, *Adelam* infirmari, Bleſas profectus fuit, ut Comitiſſam de ſe optimè meritam, quæ eum ut patrem ac vitæ inſtitutorem agnoſcebat, conſolaretur. Priſtinæ reſtituta valetudini virum Dei ſecum Carnutas duxit, miſsíſque nuntiis ad fratrem *Henricum* Regem, qui ex Anglia Nortmanniam Procerum flagitatu, quibus Dux *Robertus* erat inviſus, occupaturus venerat, *Anſelmo* colloquendi cum eo facultatem obtinuit.

Infirmatur, & à S. Anſelmo viſitur.

Cùm Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ingenti ſtudio teneretur, *Hugo* monachus Floriacenſis, de *ſancta Maria* cognominatus, ab ea rogatus, quatuor libris illam compilavit, uti diſcimus ex veteri codice Dionyſiano, in quo hæc hiſtoria ſic inſcribitur: *Incipit Eccleſiaſticæ Liber Hiſtoriæ, quem Hugo de S. Maria monachus ſancti Benedicti Floriacenſis, à diverſis defloravit hiſtoriæ locis anno ab incarnatione Domini MCX. gratia domnæ* ADELÆ *Carnotenſium, Meldenſium, atque Bleſenſium Comitiſſæ.*

Hiſtoriæ librum in ejus gratiam ſcribit Hugo Floriacenſis.

Non ſtatim igitur (q) poſt mariti obitum, ſed longè ſeriùs, *Adela* Sanctimonialis habitum Marciniaci induit, poſtquàm ſcilicet liberos ſuos ad ætatem adultam provexiſſet. Ad eam jam viduam & ſeculo renuntiantem ſcripta videtur *Hildeberti* epiſtola XXXI. in codice Ebrcicenſi ad A. viduam inſcripta, in qua eam præcipuè ad retundendam ſuperbiam hortatur. Eidem jam Marcianenſi monachæ epiſtolam LXIII. quæ tantùm ſexageſima ſecunda eſſe debet, idem auctor dicavit. Eſt autem *Marciniacum* fœminarum cœnobium Ord. S. B. in diœceſi Auguſtodunenſi, ab *Hugone* Abbate Cluniacenſi conſtitutum. Hîc monacha erat *Gaufredo* ejus loci Priore S. Hugonis fratre, olim Sinemuri domino, de quo mortuo Petrus Venerabilis viſionem refert Albereæ Sanctimonialis valde religioſæ, *quæ dominam Adelam, Regis Anglici Henrici ſororem, priùs Bleſenſem Comitiſſam, nunc,* inquit, *humilem Chriſti ancillam, adiens ei univerſa narravit.*

Monaſticen Marciniaci amplectitur.

Brevi-

(o) Mabill. l. c. pag. 112.
(p) Idem. l. c. pag. 474.
(q) Idem. l. c. pag. 438.

Guillelmi Gemeticenſis de ea teſtimonium.

Breviter de *Adela* Guillelmus Gemeticenſis Hiſt. Normann. lib. 8. cap. 39. *Mortuo Stephano Comite Bleſenſi, marito Adelæ, filiæ Willelmi, Regis Anglorum, ipſa aliquamdiu rexit Comitatum, quia filii ſui adhuc minùs habiles erant ad procurandum regimen. Quibus adultis ipſa ſanctimonialis habitum & converſationem tempore Domini Petri Cluniacenſis Abbatis aſſumens, laudabiliter ibidem usque ad finem in Dei ſervitio perſeveravit.*

ejus obitus.

Obitus verò literatæ hujus Principis, & Benedictinæ Veſtalis ſignatur in Necrologio S. Dionyſii apud Remos his verbis: *Prid. nonas Martii obiit Adela Comitiſſa, mater Comitis Theobaldi, converſa & monialis S. Petri Cluniacenſis.*

Epitaphium

ADELÆ epitaphium compoſuit Venerab. *Hildebertus*:

Huic tria poſt cineres vitam conferre laborant,
Mens humilis, blandus ſermo, benigna manus.
Exempli ſpeculum, patriæ roſa, lampas avorum,
Fæminei ſexûs immemor illa fuit.
Deliciis florens, vultu feſtiva, coruſcans
Exemplis, titulis inclyta, ſtirpe nitens.
Sic intus mentem, foris os natura polivit,
Ut ſine crimine mens, os ſine labe foret.
Quod genus exempli rarum eſt, ſe fæmina vicit,
In ſe fæmineæ nil levitatis habens.
Cùm fidei mulier corvo ſit rarior albo,
Hæc tamen in ſexu floruit iſta fides.
Lance pari libræ ſignum libravit Apollo,
Cùm metit hunc florem mortis iniqua manus.

& Scripta.

Scripſit *literas* pro Monachis Majoris-Monaſterii, quos inter & S. Carileſi Bleſenſes Canonicos concordiam fecit ſuper decimis *Francævillæ*, cùm nobiliſſimus Comes Stephanus, vir ejus iſſet ſecunda vice in Jeruſalem anno videlicet ab Incarnatione Domini MCI. *Mabill.* l. c. p. 438.

— *Epiſtola ad Gaufridum*, Carnotenſem Epiſcopum, ut non permittat Monachos Majoris-Monaſterii moleſtari à Canonicis S. Carileſi An. circiter 1130. ex Archiv. Major. Monaſterii.

— *Epiſtola* ejusdem argumenti ad Theobaldum Comitem Bleſenſem. Utramque epiſtolam juris publici fecerunt *Edmundus Martene* & *Urſinus Durand* in Theſaur. Anecdot. Tom. I. pag. 373.

V.

S. ELISABETHA Schœnaugiæ Abbatiſſa.

† 1160. 18. Junii.

Ortus ipſius &

EDita eſt in lucem *Eliſabetha* anno poſt partum Virginis milleſimo centeſimo vigeſimo nono. Pietatis à teneris ſtudioſa cùm annum ætatis ageret duodecimum, Schœnaugienſem recèns conditum ingreſſa eſt Parthenonem. Hôc locô poſita ſanctiſſimo vitæ genere mores ſuos ita Deo hominibúsque probavit, ut à Sanctimonialibus in Abbatiſſam electa, à Superis verò poſt undecim Religionis annos viſitari cœperit. Latini idiomatis cùm priùs imperita eſſet, eo poſteà ſcitè utebatur. Viſiones ſuas nunquam in literas relatura fuiſſet, niſi cœleſtis Genius humilem ejus pertinaciam flagello expugnâſſet. Quare germanum ſuum fratrem, *Ecbertum*, cùm adhuc eſſet Bonenſis Eccleſiæ Clericus, ad ſe anno MCLII. evocavit. Hic Sororis viſiones, dictante ipſa tum patriô tum Latino ſermone, libris duobus complexus eſt: tertium deinde, qui *Viarum Dei* inſcribitur, ſimiliter ſcriptis conſignavit, jam ex Clerico Abbatiæ Schœnaugienſis cœnobita: ac poſteà (ut quintum haud ſatis firmæ authoritatis ſilentio prætermittam) poſtremùm conſcripſit de piiſſimo ipſius obitu, rerum tunc geſtarum potiori ex parte teſtis oculatus; ſubinde verò in Schœnaugiæ Abbatem electus, teſte Trithemio, *non minùs devotione & religione, quàm ſcientiâ claruit.*

Profeſſio religioſa.

Cœlitùs inſtructa viſiones ſuas revelat,

quas Ecbertus literis conſignat.

Oudinus impugnat,

Sed verò Caſimirus Oudinus hos Revelationum ſeu Viſionum libros non pro Sibyllæ habet folio, ſed pro ſuppoſititio diffamat partu. En verba illius: *Eruditi homines volunt hos Revelationum ſive Viſionum libros tres, unâ Egberti manu, cum libro Epiſtolarum compoſitos fuiſſe, quos ſub nomine Eliſabethæ ſororis ſuæ germanæ evulgaverit poſt mortem, ut famam ſanctitatis ejus majorem apud poſteros redderet. Solebant enim Monachi piis ejusmodi fraudibus imponere poſteritati.* Hæc Oudinus. Miror hominem, qui Romanæ Eccleſiæ ac ſacræ ſuæ Familiæ Præmonſtratenſi fidem ſefellit, ad Calvini aſſeclas deſciſcendo, alios de crimine falſi audacter accuſare. Neque enim hæc pia fraus eſt, ſed deteſtandum mendacium, libros à ſe effictos pro divinitùs ſorori ſuæ factis revelationibus venditare. Id quod nemo, qui ex Deo, æternâ Veritate, eſt, fecerit, ut ne vitio ſe contaminet, cui obnoxios ſe præbent, qui ex diabolo, patre mendacii, ſunt. Quàm procul igitur *Ecbertus* à turpiſſima hac impoſtura, tam pro certo habere debemus, illos Revelationum tres libros genui-

ſed refellitur,

 num

& cum aliis fanaticis caſtigatur.

num Beatæ *Eliſabethæ* eſſe fœtum. Viros illos eruditos non moror, neque enim ferè alii ſunt, atque *Joannes Henricus Feuſtingius*, Scriptor *Gynæcei hæretico-fanatici*, aliíque Sectarii & Novatores, qui prophetiæ Joëlis haud memores dudum Revelationes ac Viſiones, fœminis etiam ſanctiſſimis ſactas, explodere, verſo pollice damnare, atque arborum foliis leviores habere, in morem induxerunt. In longè diverſam abeunt ſententiam graviſſimi Eccleſiæ Catholicæ Doctores, è quibus vel unius *Franciſci Ribera* è Societate Jeſu doctiſſimi Theologi verba hîc adſcribere non gravabor; Ita enim in vita S. Thereſiæ lib. 1. cap. 1. loquitur: „ Eâdem tempeſtate, quâ „ *S. Bernardus*, florebat *S. Elizabetha* „ Cœnobii Schœnaugienſis Antiſtita, „ illuſtrationibus divinis notiſſima. „ Interviſebat eam namque frequen„ ter & ipſe Redemptor Jeſus, ac cœli „ terræque Regina, nec non ſanctus „ Ordinis auctor *Benedictus*, ac po„ tiſſimùm Angelus tutelaris. Erat „ illi ſolenne Dominicis feſtiſque die„ bus extra ſe rapi, & obſcuriſſima S. „ Scripturæ ſenſa clariſſimè expone„ re.„ Hæc *Ribera*. Nec tamen tacebimus, quæ alius ejusdem Societatis Jeſu doctus Theologus de S. Eliſabethæ Revelationibus obſervat. *Hæc ſancta Virgo*, inquit, (r) *cùm eſſet annorum ætatis trium & viginti, cœpit habere multas revelationes, quas ejus frater* Egbertus *Schönaugienſis Abbas ornatiore ſtylo redegit & publicavit.* Sed vel poſteà depravatæ ſunt, vel ſororis ſuæ privatas opiniones à revelationibus non diſtinxit *Egbertus*: multa enim in hiſtoria S. Urſulæ ejus prorsùs ſabuloſa leguntur. In ea quippe meminit cujusdam Romani Pontificis nomine *Cyriaci*, qui medius ſediſſe dicitur inter *Pontianum* Papam, & *Anterum*, item cujusdam Dorothei Regis Conſtantinopoleos, & cujusdam Regis Siciliæ, qui tres non extitêre. Itaque ut ſapienter obſervat *Papebrochius*, in ejusmodi privatis revelationibus dogmatum, & factorum dogmaticorum, & hiſtoricorum non eſt repetenda veritas: quandoquidem contrariæ prætenſæ revelationes circumferuntur.

Franciſci Riberæ,

& Ludov. Meſnil hac de re judicia.

Ejus obitus.

Spiritum autem amantiſſimo ſuo Redemptori reddidit *Eliſabetha* anno Æræ Chriſtianæ 1165. ætatis ſuæ 36. die 18. Junii, cujus virtutes ac vitæ ſanctimoniam magnis nec immeritis laudibus effert *Ecbertus*.

Viſionum Libri à quo editi.

Viſionum Libri V. in lucem emiſſi fuêre à *Jacobo Fabro* Stapulenſi Pariſiis 1513. fol. qui ſubinde cum SS. *Hildegardis* & *Brigittæ* Revelationibus Coloniæ 1628. fol. recuſi fuerunt. Prodierunt etiam Italicè Venetiis A. 1589. in 4. Hagiographi Antverpienſes in Actis Sanctorum Tomo III. Junii die 18. nec omnes nec integros Viſionum exhibent libros, ſed primum & ſecundum duntaxat cum parte tertii, & totum ſextum; cæteros verò, quòd minùs facerent ad hiſtoriam, ſolùm delibârunt. Nam in tertio, quarto, & quinto, quem ultimum dubiæ eſſe authoritatis diximus, Sermones quidam *Eliſabethæ* & Epiſtolæ continentur. *Epiſtolam* ad S. Hildegardem in deperditis haberemus, niſi eam *Trithemius* Chronico Hirſaugienſi intexuiſſet; quo etiam teſte *Emicho* Abbas Schœnaugienſis, *Egberti* ſucceſſor, de laudibus S. Eliſabethæ opuſculum contexuit, quod tamen haud aliud eſſe laudati Hagiographi eſſe ſuſpicantur, atque Rythmum, in quo multis titulis ornatur Eliſabetha, quemque in Commentario prævio ad ejus Acta exhibuerunt.

Emichonis Abbatis libellus de laudibus S. Eliſabethæ.

Animadverſio de Schönaviæ Monaſterio.

Obſervari autem à Lectore velim, nomen *Schœnaugiæ* pluribus aliis Monaſteriis fuiſſe comune. Talium unum Virginum in Franconia fuit; alterum Virorum in diœceſi Moguntina, ubi B. Hildegundis ſub virili habitu & perſonato Joſephi nomine inter Ciſterclenſes usque ad obitum vixit. Hoc Monaſterium anno 1135. in B. V. honorem conditum fuit. *vid. Trithem. Chron. Hirſaug. p. mihi* 125. Tertia Schœnaugia in Lurenburgenſium Comitum prædio trans Rhenum, ſedecim contra Bingiam millibus paſſuum ab Hilduwino locuplete viro inchoata à Ruberto Lurenburgenſi Comite poſteà perfecta atque SS. Martino & Florino dedicata fuit. *vid. Trith. l. c. p.* 119. Hildelinus autem monaſterio primus præfuit, qui haud procul ab eo Virginibus eodem nomine monaſterium conſtituit, in quo S. Eliſabetha vixit, cujúsque hodie rudera tantùm ſuperſunt; Deo Schœnaugiam Virorum in hunc diem protegente.

VI. HELO-

(r) Lud. du Meſnil Doctr. & Diſcipl. Eccl. Lib. L. pag. 400.

Google

† 1163. 17. Maji.

VI.
HELOISSA
Paracletenſis Abbatiſſa.

Natalibus, doctrinâ & corporis formâ præſtans,

FUlberti (t) Canonici Inſignis Eccleſiæ Pariſienſis hæc neptis erat, formâ præſtans, doctrinâ præſtantior, toto regno ob eximias dotes celebris. Fuit verò, ut *Petrus Abælardus*, Gallorum ille Socrates, *Heloiſſæ* amore caperetur. Unde occaſionem quæſivit, qua puellam ſibi domeſtica & quotidiana converſatione familiarem efficeret, maximè cùm juventus, formæ gratia, doctrinæ celebritas, cantûs & carminum ars ſuaviſſima ipſi perſuaſiſſent, nullam ipſum repulſam paſſurum, à quacunque fœminarum, quam amore ſuo dignaretur.

à proco Abælardo furtim ſeducitur, &

Induſtria itaque ſua egit, ut *Fulbertus* in domum ſuam ipſum ſub quocunque procurationis pretio ſuſciperet, ne domeſtica familiæ cura, inquiebat, ipſum à ſtudiis impediret, útque modum impenſis poneret. *Fulbertum* ad annuendum ejus votis, cùm avaritia, tum Neptis ad majorem eruditionem promovendæ ſtudium impulêre. Suſcepit itaque Magiſtrum *Abælardum*, ipsíque Neptem chariſſimam ampliori literaturâ imbuendam tradidit. Nec multò pòſt optatis potitus eſt *Abælardus*.

ad connubium urgetur, quod variis ex motivis ipſa detrectat.

Concepit igitur *Heloiſſa*, & ab *Abælardo* è domo avunculi furtim ſublata in Britanniam, apud illius ſorotem filium peperit, quem *Aſtrolabium* nominavit. Quanta ob furtivum Neptis receſſum, & ereptum pudorem, exarſerit in *Abælardum* irâ *Fulbertus*, cogitare facile eſt. Placare ipſum non potuit, niſi uxorem faceret ex amica. Multis dilectum ſuum à connubii ſubeundis vinculis *Heloiſſa* deterruit. *Primò*, quòd nec iſta conditione exulceratum avunculi animum placaret. *Secundò*, quòd inglorium illi foret uni ſe fœminæ dicare, quam omnibus natura creaverat. *Tertiò*, quòd moleſtiis maximis ſtipatum eſſet matrimonium. *Quartò*, quòd *Theophraſto* teſte, *uxor non ſit ducenda ſapienti*; & quòd *Cicero* rogatus *ab Hirtio*, ut poſt repudium *Terentiæ*, ſororem ejus duceret, dixerit, ſe non poſſe uxori & Philoſophiæ patiter operam dare (ut refert *S. Hieronymus* Lib. I. adverſùs *Jovinianum*) *Quintò* exemplo veterum Philoſophorum, qui non tam relinquentes ſeculum, quàm fugientes, omnes ſibi voluptates interdixêre, ut in unius Philoſophiæ requieſcerent amplexibus: & Philoſophiæ deſiderio eadem ſuſtinuerunt, quæ nunc ex amore Dei ſuſtinent Monachi. *Sextò*, quòd ipſe honeſtæ converſationis ſtatus illi matrimonium diſſuadere deberet. *Quæ enim*, inquiebat, *conventio Scholarium ad pediſſequas, ſcriptoriorum ad cunabula, Librorum ad colos; ſtilorum ſive calamorum ad fuſos? Quis denique ſacris vel Philoſophicis meditationibus intentus, pueriles vagitus, nutricum, quæ hos mitigant nænias, tumultuoſam familiæ tam in viris quàm in fœminis turbam ſuſtinere poterit? Ultimò, quia Clericus & Canonicus cùm eſſet, indecorum erat, ut ſeſe nuptiis implicaret, ac obſcœnis voluptatibus irrevocabiliter immergeret.* Sed fruſtrà his temporibus *Abælardum* ſuum à propoſito matrimonii revocare tentavit *Heloiſſa*; unde ipſi morem gerens, velut propheticè illacrymando ac ſuſpirando, ait: *Unum ad ultimum reſtat, ut in perditione duorum minor non ſuccedat dolor, quàm ſucceſſit amor.*

inito demùm conjugio,

Pariſios itaque reducta *Heloiſſa*, *Abælardo* ſuo nuptiali benedictione confœderata eſt. Initum matrimonium, quod diſſimulare propoſuerant, *Fulberto* puellæ avunculo conſentiente, cùm ab ipſo, tum ab ejus domeſticis divulgari cœpit, præter fidem Magiſtro *Petro* datam. Se uxorem palàm negabat *Heloiſſa*, ne famæ & fortunæ Dilecti ſui officeret. Multis eam ob rem contumeliis ipſam afficiebat *Fulbertus*. Idem cùm *Abælardus* agnoviſſet, illam ad Monaſterium Argenteoli prope Pariſios, ubi olim puella educata fuerat, atque erudita, tranſmiſit: ipsíque ut Monaſticis veſtibus, excepto velo, indueretur, autor fuit.

in Monaſterio ſe abdit.

Id facilè perſuaſit avunculo *Heloiſſæ*, ejúſque conſanguineis, ſibi illuſiſſe *Abælardum*, eámque Monialibus adſcripſiſſe, ut hoc pacto ab illa ſe expediret. Fictitiam ulti ſunt injuriam inflicto ipſi pudendo acerbóque vulnere, quô Eunuchus effectus eſt.

Abælardus quoque ad clauſtri latibula confugit.

Abælardus ob inflicti vulneris infamiam pudore ſuffuſus, potiùs quàm devotione excitatus (ut ipſe teſtatur) ad monaſticorum latibula clauſtrorum ſeceſſit, ac in Abbatia S. *Dionyſii* ſacrum ſuſcepit habitum: *Heloiſſa* verò benedictum ab Epiſcopo velum in Monaſterio Argenteolenſi, in quo Prioriſſa poſtmodùm fuit. Inde verò pulſis Monialibus à Monachis S. *Dionyſii* illum locum ſibi vendicantibus,

in

(t) Ex Natal. Alex. Hiſt. Eccl. Sec. XII. Diſſert. de Petr. Abæl. var. Fort. Tom. VI. pag. 758.

in Oratorio *Paracleti*, quod à *Petro Abælardo*, poſtquam è S. Dionyſii monaſterio diſceſſit, conſtructum fuerat, aſylum invenit tutiſſimum, ac illi Abbatiæ initium dedit, eámque rexit, ut prima Diaconiſſa ſive Abbatiſſa. Quod Oratorium *Innocentius II.* Pontifex Maximus ipſi & Sororibus in perpetuum confirmavit Pontificio Diplomate.

Separati varias invicem ſcribunt epiſtolas,

Plures extant Abælardi ad Heloiſſam, & Heloiſſæ ad Abælardum Epiſtolæ, quæ utriusque ſummam eruditionem teſtantur. Imprudenter ac muliebri levitate *Heloiſſa* in ſecunda ſua Epiſtola ad *Petrum* præteritorum amorum inſaniam in memoriam revocat ac

Ex quibus muliebris levitas,

deſcribit his verbis: *Etſi uxoris nomen ſanctius ac validius videtur; dulcius mihi ſemper extitit amicæ vocabulum; aut ſi non indignaris, concubinæ vel ſcorti: ut quo me videlicet pro te amplius humiliarem, ampliorem apud te conſequerer gratiam, & ſic etiam excellentiæ tuæ gloriam minus læderem... Deum teſtem invoco, ſi me Auguſtus univerſo præſidens mundo matrimonii honore dignaretur, totúmque mihi orbem confirmaret in perpetuum poſſidendum, charius mihi & dignius videretur tua dici meretrix, quàm illius Imperatrix.*

& maſcula gravitas eluceſcunt,

Majorem præſeferunt gravitatem, ſapiunt modeſtiam, pietatem ſpirant, *Abælardi* ad chariſſimam ſuam Epiſtolæ poſt converſionem datæ. Cæterùm ſexûs levitati, inquit *Natalis Alexander*, condonandus eſt ſtylus Heloiſſæ, quæ nihilominus vitam ad omnem virtutis normam inſtituit, ut teſtatur Abælardus. *Tantam autem gratiam*, inquit, *in oculis omnium illi Sorori noſtræ, quæ cæteris præerat, Dominus annuit, ut eam Epiſcopi quaſi filiam, Abbates ſororem, Laici quaſi matrem diligerent: & omnes pariter ejus religionem, prudentiam, & in omnibus incomparabilem patientiæ manſuetudinem admirabantur.*

Heloiſſæ virtutes & elogiũ.

Quæ quanto rariùs ſe videri permittebat, ut ſcilicet clauſo cubiculo ſacris meditationibus atque orationibus puriùs vacaret: tantò ardentiùs ejus præſentiam, atque ſpiritualis colloquii monita, hi, qui foris ſunt, efflagitabant. Ipſius pietatem ac eruditionem etiam commendat in adhortatoria ad ſtudium literarum Epiſtola, ſcripta ad Sanctimoniales Paracletenſes. *Magiſterium*, inquit, *habetis in Matre, quod ad omnia vobis ſufficere, tam ad exemplum ſcilicet virtutum, quàm ad doctrinam literarum poteſt, quæ non ſolùm Latinæ, verùm etiam tam Hebraïcæ quàm Græcæ non expers literaturæ, ſola hoc tempore illam trium linguarum adeptæ peritiam videretur, quæ ab omnibus in B. Hieronymo tanquam ſingularis gratia prædicatur.* Hinc Antiſtites, Magnates, Fidelésque cæteri, Paracletenſe Monaſterium bonis plurimis intra annum auxêre.

S. Bernardi, Petri Mauritii &c. in eam affectus.

Heloiſſam aliquando inviſit S. *Bernardus*, eámque & Sorores ſacris adhortationibus corroboravit, ut teſtatur *Abælardus* in Epiſtola ad eundem ſanctum Abbatem. Eandem impensè coluit, ac præconiis ornavit B. *Petrus Mauritius* Cluniacenſis Abbas, ipſique gratulatus eſt, quòd pro *Logica Evangelium, pro Phyſica Apoſtolum, pro Platone Chriſtum, pro Academia Clauſtrum, tota jam & verè Philoſophica mulier elegiſſet.* Isipſe Venerabilis Abbas

Abælardi & Heloiſſæ obitus.

Abælardi corpus, qui anno 1142. humana abſolvit, ad Monaſterium Paracletenſe deferri juſſit, quò illud ab Heloiſſa ſepulchro inſerretur. Ipſa verò demortuo marito plusquam XX. annis ſuperſtes XVI. Cal. Junii anno 1163. vel 1164. è vitâ exceſſit, fœmina planè lectiſſima, eximiis moribus, ingenio eleganti, nullo non diſciplinarum genere exculta, Latinè, Græcè, & Hebraicè docta. Extant inter *Abælardi* Opera, *Heloiſſæ ad Petrum Abælardum Problemata*; XLII. Epiſtola ad *Petrum* Abbatem Cluniacenſem; ad *Petrum Abælardum* epiſtolæ tres. Quæ admirabile ingenii acumen, & eruditionem non vulgarem præ ſe ferunt, in quibus ſiqua ſunt, quæ immodicum erga Abælardum affectum prodant, benigna interpreatione emollienda ſunt.

Quid de ea Fabricius,

Cl. JOAN. ALBERT. FABRICIUS in Bibl. med. & inf. Lat. lib. xv. p. 689. hæc de Heloiſſa annotavit. *Heloiſſa ingenio & literis nobilis*, FULBERTI *Carnotenſis neptis, ex Abælardi diſcipula, amaſia, & uxore, Sanctimonialis Argentolienſis, ac denique ex Prioriſſa illius Cœnobii, Ordin. Bened. Abbatiſſa Oratorii Paracliti, quod in Trecenſi ſive Tricaſſinæ diœceſeos pago Abælardus condiderat, probantéque Innocentio II. ei donaverat. Obiit Heloiſſa Græcarum, Hebræarũ & Latinarum literarum perita, anno* 1162. Vide Quercetani notas ad Bibl. Cluniacenſem pag. 146. ſeq. & *Miræum* ad Henrici Gandavenſ. cap. 16. de S. E. Præ liberioribus Metaphraſibus Gallicis Epiſtolarum mutuarum Heloiſſæ & Abailardi, quas vel *Buſius Rabutinus* Colon. 1695.

& alii Scriptores.

vel

vel P. F. G. *de Beauchamps* dedit Pariſ. 1714. & 1721. 12. laudandum *Gervaſii* ſtudium, qui Pariſ. 1723. in 12. duobus voluminibus Latinè cum adjuncta proſaria Gallica verſione, & adſperſis ſubinde notis hiſtoricis vulgavit *Heloiſſæ Epiſtolas ad Abailardum III. & Abailardi ad Heloiſſam IV.* quarum tertia amplas Ordinis Monialium ſexúsque fœminei laudes complectitur Tom. 2. pag. 209. quarta Regulam Sanctimonialium præſcribit pag. 212.-595. De Latina emendatiore editione Epiſtolarum harumce per *Richardum Rawlinſon*, Lond. 1728. 4. Vide *Journal literaire Tom. 4. p.* 375. *Bibl. ancienne & moderne Tom.* 9. *pag.* 348. *Journal des Sav.* 1718. *Novembr. pag.* 239.

Utriusque epiſtolæ à Gervaſio editæ.

VII.

† 1178. 17. Sept.

S. HILDEGARDIS

Abbatiſſa in monte S. Ruperti prope Bingas.

Natales ipſius, educatio, & religionis profeſſio.

ORiunda fuit ex villa *Bickelheim* in Comitatû Spanheimenſi, patre *Hildeberto* milite, matre verò *Mechtilde* (s), anno 1098. Hæc cùm eſſet annorum quinque, vel octo, ut alii ſcribunt, oblata eſt à parentibus Deo dicanda in monaſterio S. Diſibodi, ubi ſub B. *Juttæ* ſororis Megenhardi, Comitis de Spanheim, magiſterio monaſticæ converſationis habitum aſſumpſit; & poſt ejusdem obitum, qui contigit an. 1136. die 22. Decemb. Magiſtra ſororum ſub regimine *Cunonis* Abbatis S. Diſibodi conſtituta eſt S. *Hildegardis*; quæ quidem poſtea divinitùs admonita cum tota ſororum 18. Congregatione, & *Cunonis* permiſſione ad montem S. Roberti transmigravit.

Magiſtra efficitur.

Cæleſtibus viſionibus illuſtrata,

Cùm verò quadraginta duorum (t) annorum, & ſeptem menſium eſſet, cœleſtibus viſionibus illuſtrata, ac ſingulari adeò prophetiæ dono aucta eſt, ut pro certo ab omnibus habita ſit oraculo. Hinc revelata ſcriptis conſignare cœlitùs præmonita, cùm cunctaretur, longâ ægritudine tabefacta decubuit: morbi autem causâ Abbati apertâ ſuo, ille divinæ voci imperanti obedire juſſit. Suas igitur Latino ſermone conſcripſit revelationes, quas cùm viri eruditi perinde ac pii legiſſent, in admirationem rapti, quòd virgo ab incunabulis monaſterio incluſa, quæ nullam præter patriam, hoc eſt, Teutonicam linguam didiciſſet, nihil præter pſalterium edocta, & libros veteris ac novi teſtamenti probè intelligeret, & Latinè congruè dictaret, eam venerabantur.

eas literis conſignat,

Rei tam novæ támque ſingularis fama cùm ad aures *Eugenii III.* ſummi Pontificis, qui celebrato Remis Concilio Treviros conceſſerat, perveniſſet; Virduni Præſulem & cum eo *Adalbertum* Primicerium, aliósque idoneos viros ad ipſius cœnobium direxit, ut ſine ſtrepitu, quid rei eſſet, cognoſcerent: quibus humiliter inquirentibus, cùm illa ſimpliciter, quæ de ſe erant, aperuiſſet, ad Apoſtolicum reverſi magna ipſius, magna & cunctorum adſtantium exſpectatione, quæ acciderant, retulerunt. His auditis, Pontifex publico in conſeſſu beatæ Virginis ſcripta, quæ præfato de parthenone perlata ſuſceperat, ſibi repræſentari jubet, eáque ſuis tenens manibus ac recitatoris vice functus, Archiepiſcopo Moguntino, Cardinalibus, aliisque de Clero palàm recitavit, ac reſponſa virorum, quos ad hæc indaganda miſerat, pronuntians omnium mentes ac voces in laudem oratoris excitavit, annitentéque *S. Bernardo*, qui præſens aderat, Pontificia authoritate ea comprobavit, ſalutatoriis literis beatam Virginem viſitavit, atque ad ea, quæ per Spiritum Sanctum cognoviſſet, ſcribenda animavit. *Eugenii* approbationem ſuo calculo confirmavère, qui proximè poſt ipſum Petri ſedem occupaverunt, ſummi Pontifices *Anaſtaſius* IV. & *Adrianus* itidem IV. ſcriptis ad Hildegardem epiſtolis, quibus ſe Romanámque Eccleſiam ipſius precibus commendârunt.

quas Eugenius III. PP. indicta Synodo, examinat & cum S. Bernardo aliisque approbat.

Hæc cùm ita ſe haberent, haudquaquàm mirum videri debet, quòd Archiepiſcopi, Epiſcopi, Cardinales, Abbates, Abbatiſſæque, Doctores, Imperatores, aliíque utriusque ſexûs *Hildegardem* de rebus maximi momenti, ac præſertim de ſecretioribus conſcientiæ ſuæ abditis conſulerent atque ad eam non ſolùm ex Germania, ſed ex aliis etiam regnis, tanquam ad indubitatum convolarent oraculum, ipſam adeuntes, aut ſaltem per literas in-

Magnates Hildegardé paſſim conſulunt.

(s) Gall. Chr. Tom. V. pag. 653. Pagius verò natam ſcribit an. 1099. mortuam verò an. 1178. Vid. etiam Nicol. Serrar. lib. 2. Rerum Moguntiac. cap. 37.

(t) Edm. Martene Collect. ampl. Tom. II. in Obſerv. præv. ad epiſt. B. Hildegardis pag. 1012.

interrogantes, ac Dei voluntatem ab eà ſciſcitantes. Hinc tot ad eam ex variis orbis regionibus pervenerunt epiſtolæ, ut ſimul collectæ integrum volumen conficere poſſent.

Vivere deſiit an. 1178. 17. Sept.

Evolavit S. Hildegardis ad Dominum (u) ſeculi duodecimi anno 78. indict. XIII. decimo quinto kalendas Octobris, ætatis ſuæ anno 82. ſepulta in medio chori ante majus altare: de quâ poſtmodùm Catalogo Sanctorum adſcribenda rogatus eſt Greg. IX. Pont. Max. ab ejusdem monaſterii Abbatiſſa & monialibus 1237.

Ejus elogium ex Anonymo.

Author Anonymus Ordinis Præmonſtratenſis, qui vitam S. *Gerlaci* Eremitæ anno circiter MCCXXV. ſcripſit à Joanne Bollando editam inter Acta Sanctorum menſis Januarii, S. *Hildegardem* his verbis commendat cap. VIII. *Erat eo tempore in partibus Moguntiæ Virgo quædam ſanctiſſima, Hildegardis nomine, famoſiſſima illa Prophetiſſa Novi Teſtamenti, cum quâ familiariter locutus eſt Deus, & oſtendit ei ſecreta cæleſtia. Hæc per manum ſanctæ memoriæ Domini Henrici Moguntinenſis Archiepiſcopi ſacro velamine Domino conſecrata, cùm nullis literis niſi tantùm Pſalmis Davidicis eſſet erudita, per Spiritum Sanctum edocta, de divinis oraculis & ſacramentis ſibi revelatis grandia edidit volumina, quæ ab Eugenio Papa mediante S. Bernardo Clarævallenſe Abbate, canonizata, & inter ſacras ſcripturas ſunt connumerata. Hæc per multa temporum circula, doctrinæ ſalutaris lampade Sanctam Eccleſiam illuminavit, Epiſtolis ad diverſas perſonas miſſis corroboravit, & claris miraculis illuſtravit.*

& Alberico triũ fontium.

Juvat etiam audire *Albericum*, monaſterii *Trium fontium* Ciſtercienſem Monachum in Chronico ad annum 1441. *Hoc anno* SANCTA HILDEGARDIS *cùm eſſet annorum quadraginta duorum & ſeptem menſium, librum* SCIVIAS *per Spiritum ſanctum viſitata incepit, & per decem annos conſummavit, in diebus Henrici Moguntini Archiepiſcopi & Conradi Romanorum Regis. Quæ fuit iſta Hildegardis, & quantæ authoritatis, inſinuant epiſtolæ magnatum terræ ad eam transmiſſæ, Apoſtolicorum Eugenii, Anaſtaſii & Adriani, Imperatoris Conradi & Frederici, Patriarchæ Hieroſolymitani & Archiepiſcoporum, Abbatum & Præpoſitorum, & una ſpecialis epiſtola beati Bernardi Clarævallenſis.* De eâdem etiam legendum Chronicon *Senonienſe* Lib. IV. cap. XV. cujus Author *Richerius* Monachus narrat, ipſam linguâ Latinâ, quam nunquam didicerat, & locutam fuiſſe, & ſcripſiſſe libros de ſtatu regnorum & eventibus futurorum: de futuris Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordinibus fuiſſe vaticinatam: librum etiam de Medicina edidiſſe, quem ipſe viderit Argentinæ.

SCRIPTA.

1. *Scivias*, ſive *Viſionum ac Revelationum libri tres*, quos Jacobus Faber Stapulenſis in libro trium ſpiritualium Virorum, Hermæ, Ugvetini, & Fr. Liberti: & trium ſpiritualium Virginum, *Hildegardis*, Eliſabethæ & Mechtildis, *Pariſiis* edidit in fol. anno 1513. apud Henricum Stephanum avum. Prodierunt deinde ſeparatim Hagenoæ an. 1529. cum Præſatione Gebwilleri: junctim verò cum Revelationibus SS. Brigittæ & Eliſabethæ Col. 1628. fol. Videtur verò Viſionibus ſuis Hildegardis inſcripſiſſe titulum SCIVIAS, velut *ſciens vias*, vel quòd in illis quæ SCIre ſe & VIdiſſe non dubitabat, ASſerat. Nam ut ipſa in prologo, juſſam illas profitetur ſcripſiſſe ſe ſecundùm voluntatem SCIentis, VIdentis, & diſponentis omnia. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Latinit. lib. VIII. p. 771. — Viſionum libri III.

2. Vita S. *Roberti* ſive *Ruperti* Confeſſoris Ducis Bingionum, qui ſeculo nono fuit, vulgata à Jo. Buſæo S. J. Moguntiæ 1602. 4. cum Hincmari & aliorum lucubrationibus, & apud Surium 15. Maji, & cum notis Henſchenii Tom. 3. Act. Sanctorum, Maji pag. 504. — Vita S. Ruperti.

3. *Vita S. Diſibodi* Epiſcopi & Confeſſoris an. 674. defuncti: ſcripta an. 1170. apud eundem Surium 8. Julii, & in Actis Sanctorum, Tom. 2. Julii pag. 588. — & S. Diſibodi.

4. *Expoſitio Regulæ S. Benedicti* ad Congregationem Hunnienſis Cœnobii, edita cum aliis Hildegardis ſcriptis à Juſto Blanckwalt, & Danieli Archiepiſcopo Moguntino dedicata Coloniæ, apud Hæredes Joannis Quentel & Gerwinum Calenium an. 1566. in 4. etiam in Auctario Biblioth. Patrum Colon. anno 1662. & Tom. XXIII. Biblioth. Patrum Lugd. p. 590. — Expoſitio Regulæ S. Bened.

XXXVIII. *Quæſtiones* cum ſolutionibus ad Wibertum Monachum Gemblacenſem.

5. *Epi-*

(u) Vid. Pagium in Crit. Hiſtor. Chronol. ad an. 1178. n. 8. Tom. IV. p. 654. col. 2. ubi corrigit Trithemium, qui perperam hanc mortem in annum 1180. diſtulit.

Epiſtolæ,

5. *Epiſtolarum Liber* ab Hildegarde & ad eam ſcriptarum. Ex his epiſtolas circiter quinquaginta habes typis mandatas à *Blanckwalto*, & in Bibliothecis Patrum editionis Colonienſis & Lugdunenſis, præter unam ad Abbatem Brunvillarenſem, quæ extat in vitâ S. Hildegardis à *Theoderico* Abbate Trudonienſi compoſita apud Surium 17. Septembris. Edmundus Martene & Urſinus Durand Presbyteri Congregationis S. Mauri longè plures invenerunt, in optimæ notæ codice Himerodenſis Monaſterii Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Trevirenſi; quas *Collectionis ampliſſimæ* Tomo II. juris publici fecerunt. Sunt numero octoginta quatuor, quæ planè earum editoribus dignæ viſæ fuerunt, quæ cum orbe literato communicarentur. Nam præterquam quòd omnia Sanctorum ſcripta eam ſpirare ſolent pietatem, quæ legentibus ad animæ ſalutem non parùm conducit, in omnibus, quæ ad *Hildegardem* directæ ſunt, epiſtolis non meram offendet rerum ſpiritualium ſeu moralium narrationem, ſed omnes ferè ſunt hiſtoricæ. Ex his aliquæ occaſione ſchiſmatis, quod *Alexandrum III.* Papam inter & *Victorem IV.* antipapam ſuſcitavit *Fridericus*, ſcriptæ ſunt; unâ à Doctore Univerſitatis Pariſienſis conſulitur, quid de opinione Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavenſis in Concilio Remenſi proſcripta ſit credendum; in aliis agitur de ratione inſtaurandæ diſciplinæ regularis in collapſis monaſteriis. Pluribus etiam perſecutiones monaſteriis illatæ, tentationes ac diſpoſitiones interiores ſcribentium exponuntur. Neque pauci tum Abbates, tum Abbatiſſæ, utrùm dignitatem retinere aut dimittere debeant, ab eâ requirunt. Hinc patet, omnes illas epiſtolas ad illuſtrandam hiſtoriam cùm eccleſiaſticam tum monaſticam non parùm conducere. Cæterùm obiter non eſt prætereundum, quòd ab Abbate Rettinhaſili ad Abbatiam Salmenſem poſtulato conſulta, an utramque dignitatem abjicere deberet, reſpondit *Hildegardis*: *Quicunque agrum vel ovile propter fidem procurationis ſuſcepit, ipſa dimittere non debet; ſed ſicut paterfamilias ea reget. Qui enim ovile ſuum relinquit, & aliud recipit; præceptorum Dei prævaricator nominatur.* Quod velim, inquiunt eruditiſſimi Editores, attendant ii, qui de ſede ad ſedem contra præſcripta canonum, &

quas publici juris fecit Edm. Martene,

Multa argumenti hiſtorici continent.

Quid de Abbatiali dignitate edixerit.

ſanctorum Patrum edicta adeò facilè transmigrant. Nomina verò eorum, quorum Epiſtolæ Bibliothecæ Patrum Lugdunenſis Tomo XXIII. inter Hildegardinas ſcriptæ occurrunt, hæc ſunt:

Nomina eorum, qui epiſtolas ad Hildegardem ſcripſerunt. ex Bibl. PP.

Adami Abbatis de Ebra. pag. 553.
Adriani IV. Papæ. pag. 540.
Alexandri III. Papæ. p. 540.
Anaſtaſii Papæ. p. 553.
Abbatis S. Anaſtaſii. p. 555.
Decani SS. Apoſtolorum & primi Magiſtri Scholarum Colon. p. 577.
Arnoldi Colonienſis Archiep. p. 543. 550.
Arnoldi Archiep. Mogunt. p. 541.
Bernardi Claræ vallenſis. p. 552.
Abbatis Campidonenſis. p. 558.
Chriſtiani Archiep. Moguntini. p. 542.
Conradi Imp. p. 551.
Conſtantienſis Epiſcopi. p. 547.
Cunonis Abbatis S. Dyſibodi. p. 557.
Abbatis de Eberbach. p. 554.
Eberhardi Bamberg. Epiſcopi. p. 545.
Eliſabethæ Magiſtræ in Schœnaugia. p. 561.
Abbatiſſæ in Eolſtat. p. 561.
Proviſoris S. Emmerammi. p. 556.
Eugenii III. Papæ. p. 537.
Præpoſiti in Franckenfort. p. 563.
Frederici Imp. p. 551.
Abbatiſſæ S. Glodeſindis. p. 560.
Ad Griſeos Monachos (Ciſtercienſes) p. 578. adde
Albericum ad annum 1153. p. 323.
Fratrum in Hagenhe. p. 582.
Helengeri Abbatis S. Dyſibodi. p. 558.
Henrici Archiep. Moguntini. p. 541.
Henrici de Bevez, Epiſcopi. p. 549.
Hertwigi Bremenſis Archiep. p. 543.
Hieroſolymitanorum Epiſcopi. 549.
Abbatis de Hirſaugia. p. 556.
Juvavenſis Archiep. p. 544.
Abbatis de Keisheim. p. 555.
Leodienſis Epiſcopi. p. 547.
Abbatis S. Mariæ. p. 557.
Adelardi Abbatis S. Martini Coloniæ, p. 559.
Meffridi Prioris in Eberbach. p. 578.
Ad Prælatos Moguntinenſes propter divina per illos interdicta. p. 563.
Abbatis Nuenburgenſium. p. 556.
Petri Præpoſiti Trevirorum. p. 575.
Philippi Decani Colonienſis. p. 572.
Philippi, Comitis Flandriæ. p. 553.
Pragenſium Epiſcopi. p. 548.
Sacerdotis cujusdam. p. 561.
Spirenſis Epiſcopi. p. 546.
Trajectenſium Epiſcopi. p. 548.
Trevirorum Archiep. p. 544. 550.
Virdunenſis Epiſcopi. p. 547.
Werneri de Kirchem. p. 581.
Wormatienſis Epiſcopi. p. 547.

Ex Martenii Collectione.

Nomina eorum, quorum Epiſtolæ *Collectionis Ampliſſimæ* Tomo II. inter Hildegardinas ſcriptæ occurrunt, hæc ſunt:

Abbatis Elvacenſis. col. 1012.
Abbatis Mulebrunenſis. col. 1013.
Abbatis S. Michaëlis Bambergenſis. col. 1016.
Bertholdi Abbatis Zwifeldenſis. col. 1017.
Abbatis Salemenſis. c. 1018.
Abbatis S. Eucharii. c. 1019.
Abbatis S. Eucharii. c. 1021.
Abbatis Boſonis-Villæ. c. 1022.
Abbatis Zwetellenſis. c. 1025.
Nicolai Abbatis Halesbrunenſis. col. 1025.
Abbatum Bellæ-Vallis. G.Cariloci, A. Clarifontis, R. Caritatis & G. Bethaniæ. c. 1027.
Abbatis Eberburdæ. c. 1029.
Richardi Abbatis Sprincherbat. c. 1030.
Cujusdam Abbatis. c. 1032.
Præpoſiti de Flanheim. c. 1033.
Abbatis Hegenneche. c. 1034.
Abbatis de Veſcera. c. 1034.
Abbatis in Elveſtat. c. 1037.
Abbatis in Selbolth. c. 1037.
Præpoſiti in Herde. c. 1039.
Hamelenenſis Monaſterii Proviſoris. c. 1040.
Abbatis in Wadego. c. 1041.
Præpoſiti in Untereſtdorf. c. 1042.
Frederici Præpoſiti Vallis-Dei. c.1043.
Abbatis in Rappenberch. c. 1044.
Præpoſiti S. Victoris Moguntiæ. c. 1046.
Præpoſiti in Confluentia. c. 1047.
S. Andreæ in Colonia Præpoſiti. c. 1048.
Erphordiæ Præpoſiti. c. 1049.
De Domo in Moguntia Præpoſiti. c. 1050.
Helderici Præpoſiti S. Simeonis Trevirenſis. c. 1050.
Præpoſiti in Knethſtethe. c. 1052.
Præpoſiti in Bunna. c. 1053.
Abbatis. c. 1055.
Hadelheidis Abbatiſſæ Gandersheimenſis. c. 1056.
Cujusdam Abbatiſſæ. c. 1057.
Abbatiſſæ in Wethderswinkele. c. 1058.
Abbatiſſæ de Althena. c. 1060.
Abbatiſſæ in Altuvich. c. 1061.
Abbatiſſæ in Kizingun. c. 1062.
Abbatiſſæ S. Mariæ Ratisponenſis. c. 1063.
Abbatiſſæ in Koufungim. c. 1065.
Abbatiſſæ in Gerbeſtethe. c. 1066.
Abbatiſſæ Montis S. Cyriaci. c. 1067.
Abbatiſſæ in Lubboldesberge. c.1069.
Abbatiſſæ Anonymæ. c. 1069.
Abbatiſſæ apud Widergoldesdorf. c. 1070.
Abbatiſſæ de Crouchdal. c. 1071.
Abbatiſſæ in Babemberch. c. 1072.
Abbatiſſæ veteris Monaſterii Moguntiæ. c. 1073.
Abbatiſſæ Superioris Monaſterii Ratisbonenſis. c. 1074.
Abbatiſſæ Nuſſimenſis Monaſterii. c. 1076.
Abbatiſſæ Colonienſis. c. 1077.
Abbatiſſæ de Didenkirkim. c. 1078.
Abbatiſſæ Antarnacenſis. c. 1078.
Abbatiſſæ de Crouchdal. c. 1082.
Sanctimonialis cojusdam. c. 1086.
Sacerdotis cujusdam. c. 1087.
Epiſtola LIX. neſcio cujus. c. 1088.
T. Monachi S.Benedicti. c. 1089.
Epiſtola LXI. incertum cujus. 1090.
Magiſtri de Trajecto. c. 1092.
Sacerdotum in Ruthelingun. c.1093.
Sacerdotis Trevirenſis. c. 1095.
Pariſienſis Magiſtri Theologi. c.1097.
Fratris O. c. 1099.
Decani S.Martini Moguntini. c.1102.
Epiſtola LXIX. ignoratur cujus. c. 1103.
Monachi Mulenbruenſis. 1104.
Monachi de Ebra Ciſtercienſis Ordinis. c. 1107.
Weſſionenſis. c. 1108.
Trajectenſis Canonici. c. 1109.
Monachi & Presbyteri. c. 1110.
Sacerdotis & Magiſtri pauperum in Lutherum. c. 1111.
Monachorum Sigebergenſium. c.1114.
Monachorum Hirſaugienſium. c.1116.
Monachorum Eberbacenſium. c.1117.
Prioris de Zwifelda. c. 1119.
Monialium Zwifeldenſium. c. 1120.
Prioris & Conventûs de MonteS.Dyſibodi. c. 1123.
Monachorum S. Eucharii Trevirenſis. c. 1126.
Prioris & Monachorum Ciſtellenſium. c. 1130.
Henrici Abbatis & Conventûs Montis S. Dyſibodi. c. 1132.

6. *Explicatio Symboli S. Athanaſii*, quæ cum 38. *Quæſtionibus, Libro Epiſtolarum* & *Expoſitione Regulæ S. Benedicti* à Blanckwalte edita Colon. 1566. in 4. & in Supplemento Bibliothecæ Patrum Colonienſi A.1622. & in Lugdunenſi Tom. XXIII. pag. 537. 583. 594. Explicatio Symboli S. Athanaſii.

7. Liber *ſimplicis* & alius *compoſitæ Medicinæ* S. Hildegardi à Trithemio Liber ſimplicis & tri-

compoſitæ Medicinæ. tribuuntur: atque typis exſcripti extant ſub ejus nomine *Libri quatuor Phyſicæ*, quorum *primus* medicamenta ex aquis, terris, ſalibus & metallis: *ſecundus* & *tertius* ex plantis, *quartus* ex animalibus perſequitur. Prodiére Argentorati apud Joannem Schottum 1533. fol. & 1544. in fol. cum Octavio Horatiano, Trotula, & cum Theodori diæta, aliſque quibusdam aliorum Scriptorum.

Vitæ meritorum libri ſex. 8. *Libri ſex* VITÆ MERITORUM, quos illa conſcripſit *in ſexageſimo primo ætatis ſuæ anno, qui erat milleſimus centeſimus quinquageſimus octavus annus ſub preſſura Apoſtolicæ Sedis, regnante Frederico Romanorum Imperatore.* Primus Liber continet capita 124. Secundus 85. Tertius 84. Quartus 70. Quintus 85. Sextus 45. Hinc colliges Trithemium, qui cap. 405. de S.E. & II. 119. illuſtr. Benedictin. tres duntaxat *Vitæ meritorum* libros S. Hildegardi adſcribit, integrum ipſius Opus hoc non vidiſſe, quod in codice Himerodenſi ſupra laudato habetur, prout fidem faciunt Edmundus Martene & Urſinus Durand l. c.

de Cleri tribulatione, & futurorũ eventu. 9. Libellus *de præſenti Clericorum tribulatione futurorúmque temporum eventu* prodiit in lucem operâ Hieronymi Gebuilleri Hagonoviæ an. 1528. in 12. In hac verò opella continentur 1.) *Prophetia S. Hildegardis de 5. futuris temporibus, quæ inceperunt Anno Domini* 1100. 2.) *Epiſtola* ad Colonienſes *de futura tribulatione Clericorum.* 3.) *Epiſtola* ad Trevirenſes *de eodem tempore*, in qua calamitatem ejusdem urbis propter peccata Clericorum, citò futuram, niſi præveniren eam pœnitendo, prædixit. Fuit autem perſonaliter in Treveri, miſſa à Domino. Cúmque mala Eccleſiæ propter delicta Sacerdotum prædiceret, omnes Clerici reſponderunt: *Dic nobis Domina, in quo offendimus Deum, ut hanc iram incurrere debeamus?* Reſpondit notabile verbum dicens: *Spiritus ſanctus non confundit.* Omnia autem, quæ prædixerat ſuper Eccleſiam Treverenſem, evenerunt anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo quinto, ſub *Volmaro* Archiepiſcopo, quæ per ſeptem annos miſerabili ſchiſmate laborabat. Hæc *Trithemius*, quo teſte ſcripſit etiam S. Hildegardis *Homilias* 58. in Evangeliis Dominicalibus; Librum I. *de Sacramento altaris contra Catharos*: *Exhortatorium*

Homiliæ in Evangelia, & alia opuſcula.

ſecularium ad quosdam Presbyteros lib. 1. *Ad Sorores* ſuas lib. I. Ad Monachos Erbacenſis monaſterii *paregoricon. Carmina & Cantica* cum dulci & mirabili melodia: *de vitiis & virtutibus* per modum dialogi plura compoſuit. Et quædam alia minora, ſed inſtructa opuſcula.

Si Wicelio apud Molanum Hiſt. de SS. Imag. lib. 4. c. 8. p. 402, credimus, S. Hildegardis dictavit ingens volumen in Apocalypſin adjunctis miris Imaginibus. Commentarii in Apocalypſin.

Prophetia ſub nomine S. Hildegardis conficta. Prophetia conficta.

Hanc *Abrahamus Bzovius* ſuis Annalibus inſeruit ad an. 1415. n. 39. Aſſerit *Bzovius*, ſe illam prophetiam eruiſſe ex vetuſto codice, cui titulus erat *Manipulus Florum Thomæ Hiberníci*: qui ſcilicet eodem tempore, quo *Guilielmus de ſancto Amore* Pariſiis ſtudiorum causâ vixit, & gradum Doctoris ſacræ Theologiæ aſſecutus eſt, poſtmodùm in Italiam progreſſus, atque in Ordinem Fratrum Minorum adſcriptus, ultimam vitæ partem Aquilæ tranſegit, & ne ad celebrandam Miſſam cogeretur, pollicem ſibi amputavit. Huic ergò Codici, ne periret, adjuncta aut aſſuta fuit illa dicto tempore conficta prophetia; cujus initium eſt apud Bzovium: *Inſurgent gentes, quæ comedent peccata populi, tenentes Ordinem mendicum &c.* Hæretici noſtri temporis eandem prophetiam plurimùm immutârunt hoc exordio: *In diebus illis exurget gens inſenſata, pompoſa, cupida, perfida, & ex.ſa, quæ peccata populi comedent, Ordinem quorundam devotariorum ſub aſſimilata mendicantium ſpecie tenentes &c.* Et ut plena eſſet mentiendi ſecuritas, præfati hæretici fabulatores fingunt, monaſterio S. Hildegardis per Germanica bella deſtructo, volumina ejus antiqua periiſſe, aut aliò translata eſſe. Unde potuerunt ergò habere, quæ tam liberè proferunt, niſi ex proprio cerebello? *Fumus nos*, inquiunt Henſchenius & Papebrochius, (x) *anno 1660. in monaſterio Bingenſi, & ſacras S. Hildegardis reliquias venerati, & antiqua volumina ejus, quæ etiamnùm ibi extant, manuſcripta in membrano, perſcrutati, nihil ejusmodi reperimus.* Interim nonnulli Catholici, verbis immutatis, pejorem ſenſum conflârunt, & ubi apud hæreticos legebatur *ſatietatem ſectantes*, ſubſtituerunt *SOCIETATEM*

(x) Tom. I. Mart. die 7. in not. pag. 667.

TATEM ſectantes, aut quid ſimile: quod per tranſennam hîc dici debere locus exigebat. Erneſtus Tenzelius in Colloquiis Menſtruis Vol. 3. An. 1691. m. Decemb. p. 1010. teſtatur, hanc Prophetiam à Jo. Bapt. de la Nuza, Epiſcopo in Aragonia ex Ordine D. Dominici diductiùs fuiſſe explanatam, à Jeſuitis verò improbatam, ab *Arnaldo* autem propugnatam fuiſſe. Hæc nempe virtutis fata ſunt, ut ſemper habeat æmulos, invidos, & detractores.

VIII.

† 1169. 4. April.

RILINDIS SEU REGILINDIS Abbatiſſa Hohenburgenſis.

Situs & fundatio monaſterii Bergenſis,

PERGENIUM vel *Bergenſe* S. Crucis Cœnobium: (y) Monialium Benedictinæ Profeſſionis in Eiſtettenſi Epiſcopatu & præfectura Heersbrugk dimidio milliari à Neuburgo Danubiano, ac duobus milliaribus ab Aichſtadio ſitum, ampliſſimum Cœnobium, fundatum legitur anno Domini 976. imperante Othone ſecundo, ejúsque conjuge D. *Theophania*, ab illuſtriſſima Principe ac Domina, Domina *Williitrude* Bertholdi ultimi Bavarorum Ducis honeſtiſſimâ conjuge, quæ ob inſignem virtutem, ac vitæ integritatem cognomentum Piæ habere meruit. In hujus Parthenonis Abbatiſſam electa fuit D. *Rilindis* aliquot luſtris poſt annum 1095. quo nimirùm anno denuò conſecrata legitur Baſilica Bergenſis cœnobii: legitur verò hæc piè & ſanctè præfuiſſe, ſed quamdiu, id in faſtos relatum non eſt. Fuit virtutibus & literis ornatiſſima *Rilindis* Herois, Latinè eximiè docta: pudicitiæ autem probitatíſque laude tantâ, ut Imperator *Fridericus Barbaroſſa* eam ex hoc Bergenſi Cœnobio ad *Altitonenſe* ſeu *Hohenburgenſe* D. Otiliæ in Alſatia Monaſterium (*cujus veſtales luxu ac opibus laſciviebant*) reformandum ac in meliorem vitam reducendum ablegaret; ubi ipſa in Abbatiſſam conſtituta expulſis laſcivientibus fœminis, in pauculorum annorum ſpatio triginta tres velatas virgines congregans, ita in literis Latinis ac pietate Chriſtiana eas inſtituit, ut omni viciniæ admirationi eſſent. Extant verò ejus Rilindis Abbatiſſæ & Reformatricis Altitonenſis Poëmata quædam, quæ huic loco ex Caſp. Bruſchio inſerenda cenſui.

in quo Rilindis Abbatiſſa

virtute & doctrina illuſtris præfuit, inde ad Hohenburgenſe tranſlata,

Moniales reformat & auget,

Dominæ Rilindis ad Sorores Hohenburgenſes in Perſona Chriſti Tetraſtychon Hexametrum, & eruditiſſimum.

ejus ea de re poëmata.

Vos, quos includit, frangit, gravat, attrahit, urit
Hic carcer mœſtus, labor, exitium, dolor, æſtus.
Me lucem, requiem, patriam, medicamen, & umbram
Quærite, ſperate, ſcitote, tenete, vocate.

Ejuſdem Rilindis Pentaſtychon carmen, per Monoſyllaba ingenioſè luſum ad Congregationem Sororum Altitonenſium.

O pie grex, cui cœlica lex, eſt nulla doli fex.
Ipſe Sion mons, ad patriam pons, atque boni fons,
Qui via, qui lux, hic tibi ſit dux, alma tegat crux,
Qui placidus ros, qui ſtabilis dos, Virgineus flos
Ille regat te, commiſerans me, ſemper ubique.

Hæc inſignis & doctiſſima Abbatiſſa quamdiu præfuerit Hohenburgenſi monaſterio, quando item rebus humanis exempta ſit, aut quo genere nata fuerit? non invenio, inquit Bruſchius: *certè ſecunda fundatrix hujus loci dici meruit.*

Multa de Rilinde tacuit Bruſchius,

Non hæc tantùm, ſed alia complura de laudatiſſima hac Abbatiſſa ignoraſſe videtur *Bruſchius*. Quam enim ipſe *Rilindem* vocat, haud alia eſt ab illa *Regilinde* ſeu *Regilla*, de qua Chronicon (z) Admontenſe ad annum MCLVI. hæc commemorat: *Bargenſe*, id eſt, *Bergenſe prope Neoburgum ad Danubium Monaſterium per Admontenſes inſtituitur ſub Domina Regilla Abbatiſſa.* Hoc ut meliùs intelligatur, probè ſciendum, quòd *Wolvoldus* Admontii pientiſſimus Abbas ſub annum 1115. Parthenonem noſtri Ordinis propè ſuum monaſterium excitârit, in quo non virtutum duntaxat, ſed doctrinarum etiam ſtudia ab ejus primordiis floruerunt. Ex hoc Parthenone poſteà *Godefridus* Abbas Admontenſis ab anno MCXXXVIII. uſque ad annum MCLXV. prudentiſſimas religioſæ vitæ magiſtras educere ſolebat, quarum opera & ſtudio alios ſacros Parthenones, ſiquos à veteris diſciplinæ obſervantiâ deſciviſſe comperetat, in viam reducere adlaboravit. Quô laudabili fine *Rilindem* ſeu *Regilindem*, vel *Regillam* in Bergenſe Monaſterium ablegavit. Huic cùm avitæ diſciplinæ decora, ac præſidia vitæ ſanctioris reſtituiſſet, à *Friderico I.* Imperatore ad Hohenburgenſe in Alſatia cœnobium abire juſſa eſt, ut in

quæ alii produnt,

& eandem eſſe cum Regilinde, & Regilla oſtendunt,

eo

(y) Bruſch. in Mon. Germ. Chronol. pag. 97. & 154.
(z) extat Tom. II. Scriptor. Rer. Auſtriac. pag. 188.

eo pari induſtria ac prudentia chordam diſciplinæ regularis æquô remiſſiorem intenderet. Quod illa præclarè fecit, atque Parthenonem ad priſtini rigoris normam redegit. Ad Sponſum verò migravit 4. April. an. 1169. utì fidem facit V. C. *Joan. Dietrich à Falckenſtein in Antiquitatibus Nordgavienſibus Part. 2. Cap. IV. §. 2. pag.* 320. ubi Bruſchium in chronologiam hîc peccantem corrigit.

cujus obitus refertur ad 1169.

Fuit hæc ipſa *Rilindis* literis cùm politioribus tum ſacris egregiè imbuta. (a) Quo tempore enim ætatem egit in Parthenone Admontenſi, ex ore *Irimberti*, doctiſſimi Cœnobitæ ac poſteà Abbatis Admontenſis, Divinas Scripturas explanantis tota pendere, ejúſque dicta in literas Latinè referre conſueverat. Cujus rei perenne monumentum extat in Comentario *Irimberti* in Lib. Jud. cap. xix. Nec prætermittendus hîc inſignis locus ejusdem *Irimberti* eſt, ubi de ſacris Virginum Admontenſium ſtudiis ita loquitur: *Ante annos autem aliquot, quia Hiſtoriam de Concubina, quæ in duodecim partes eſt ſecta, nec non Hiſtoriam Ruth Sororibus Admuntenſibus diſſerueram, duæ ex ipſis ſtudii ſui impenderunt diligentiam ad conſervandam interpretationis meæ memoriam. Ideóque huic Opuſculo annectere duxi earundem Hiſtoriarum, ſicut ab ipſis Sororibus digeſta eſt, explanatiunculam.* Porrò Sorores ſeu Moniales, quas Irimbertus ob eruditionis ſtudium laudat, fuêre *Rilindis* ſeu *Regilindis* & *Irmingardis*, quarum illa Explanationem Hiſtoriæ de Concubina Judic. Cap. xix. hæc Explicationem Libri Ruth ab ore Irimberti ſtylo excepit, ut docet elegantiſſimè ab iisdem Virginibus exaratus membranaceus Codex Admontenſis in folio hodienùm ſuperſtes.

quàm verò literis exculta fuerit, indicat Irimbertus.

IX.
HERRADIS
Hohenburgenſis Abbatiſſa.

Rilindi ſuffecta Herradis,

EVocatæ ex hac mortali vita *Rilindi*, ſubrogata & ſubſtituta eſt ab eodem cœnobii hujus advocato, Domino *Friderico Barbaroſſa*, tum Romano Imperatore; ſuffragantibus unanimi conſenſu omnibus Sororibus, & Monialibus, Domina HERRADIS ex nobili *Landſpergiorum* familia nata, Cœnobii Altitonenſis Profeſſa, *Rilinde* nec virtutibus nec doctrinâ inferior. Quæ divinum cultum augeri volens, Truttenhuſium Cœnobium ad pedem montis ſitum anno Domini 1181. de ſuis condidit, dotavítque propriis bonis liberaliſſimè. Extitit in Altitona ante paucos adhuc annos *Liber ſacrarum Sententiarum* juſtæ magnitudinis, ipſius manibus in mundiſſima membrana ſcriptus, & ex diverſis cùm Bibliorum tum veterum Doctorum monumentis ab ipſa collectus, Sororibúsque tali Epiſtola præliminari nuncupatus.

ipsâ nec virtute nec doctrinâ inferior.

à qua ſuperat ſententiarū liber,

„HERRADIS gratia Dei Hohenburgenſis Eccleſiæ Abbatiſſa licèt indigna, dulciſſimi Chriſti Virginibus in eadem Eccleſia quaſi in vinea Domini fideliter laborantibus gratiam & gloriam, quam dabit Dominus. Sanctitati Veſtræ inſinuo, ex diverſis ſacræ Philoſophicæ Scripturæ floribus, quaſi apicula (Deo inſpirante) comportavi. Et ad laudem & honorem Chriſti & Eccleſiæ, causáque dilectionis veſtræ quaſi in unum mellifluum favum compaginavi. Quapropter in eo ipſo libro oportet vos ſedulò quærere paſtum, & mellitis ſtillicidiis animum reficere laſſum: ut ſponſi blanditiis ſemper occupatæ, & ſpiritualibus deliciis ſaginatæ, tranſitoria ſecurè percurratis, & æterna felici jucunditate poſſideatis, méque per varias maris fluctuum ſemitas periculosè gradientem fructuoſis orationibus veſtris à terrenis affectibus mitigatam, unà vobiſcum in amorem dilecti veſtri furſum trahatis, Amen.

hâc præliminari epiſtolâ,

Addidit verò doctiſſima ſui ſeculi Verſificatrix ſequentes etiam Dithyrambos.

& Dithyrambis exornatus.

Salve cohors Virginum
Hohenburgenſium
Albens quaſi lilium
Amans Dei filium.

Herrad devotiſſima
Tua fideliſſima
Mater & ancillula
Cantat tibi cantica.

Te ſalutat millies
Et exoptat indies
Ut læta victoria
Vincas tranſitoria.

O multarum ſpeculum
Sperne quæſo ſeculum
Virtutes accumula,
Veri ſponſi turmula.

Inſiſtas luctamine
Diros hoſtes frangere,
Te Rex Regū adjuvat,
Qui vel te deſiderat.

Ipſe tuum animum
Firmat contra Zabulū,
Ipſe poſt victoriam
Dabit Regni gloriam.

Te decent deliciæ,
Debentur divitiæ,
Tibi cœli curia
Servat bona plurima.

Chriſtus parat nuptias
Miras per delicias,
Nunc expectes principē
Te ſervando virginem.

Interim

(a) Vid. Bern. Pezii Differt. Iſag. in Tom. IV. Anecd. pag. 11. n. 2.

Interim monilia
Circumdes nobilia,
Et exornes faciem
Mentis purgans aciẽ.

Chriſtus odit maculas,
Rugas ſpernit vetulas,
Pulchras vult virguncu-
las,
Turpes pellit fœminas.

Fide cum turturea
Sponſum iſtum redama,
Ut tua formoſitas
Fiat perpes claritas.

Vivens ſine fraudibus
Es monenda laudibus,
Ut conſumas optima
Tui gradus opera.

Ne vacilles dubia
Inter mundi flumina,
Verus Deus præmia
Spondet poſt pericula.

Patere nunc aſpera
Mundi ſpernens pro-
ſpera,
Nunc ſis crucis ſocia
Regni conſors poſtea.

Per hoc mare naviga
Sanctitate gravida,
Dum de nave prodeas
Sion ſanctam teneas.

Sion turris cœlica
Bella tenens acria
Tibi fiet ſtatio
Acto vita ſpatio.

Ibi Rex virgineus
Et Mariæ filius
Amplectens te redamet
A mœore relevet.

Parvi pendens omnia
Tentatoris jacula
Tunc gaudebis pleni-
ter
Jubilando ſuaviter.

Stella maris fulgida
Virgo mater unica
Te conjunget filio
Fœdere perpetuo.

Et me tecum trahere
Ne ceſſes precamine
Ad ſponſum dulciſſimũ
Virginalem Filium.

Ut tua victoria
Tua magna gloria
Particeps inveniar
De terrenis eruar.

Vale caſta concio
Mea jubilatio,
Vivas ſine crimine
Chriſtũ ſemper dilige.

Si hic liber utilis
Tibi delectabilis
Non ceſſes revolvere
Hunc in tuo pectore.

Ne more ſtrucinio
Surripiat oblivio,
Et ne viam deſeras
Antequam pervenias.

Ejuſdem Herradis ad eaſdem Sorores Tetraſtichon.

O nivei flores dantes virtutis odores
Semper divina pauſantes in theoria:
Pulvere terreno contempto currite cœlo,
Quò nunc abſconſum valeatis cernere ſponſum.

Ejuſdem ad Chriſtum Diſtychon.

Eſte noſtrorum pia merces Chriſte laborum,
Nos electorum numerans in ſorte tuorum.

Meminit *Herradis* Mabillonius in Annalibus Benedictinis his verbis: *Herradis Abbatiſſa Montis Sanctæ Odiliæ ſcripſit Latina lingua* HORTUM DELICIARUM (*ſic librum ipſius vocant*) *ac Virginibus Montis Sanctæ Odiliæ dicavit.* Vid. Mabillon. Annal. Tom. II. pag. 58. &c.

X.
SS. GERTRUDIS & MECHTILDIS
Sorores & Abbatiſſæ.

Claruêrunt Sec. XIII.

BEatæ Virgines *Gertrudis* & *Mechtildis*, Comitiſſæ de *Hackeborn*, Isleбii in Comitatû Mansfeldienſi illuſtriſſimis parentibus natæ, cùm ſint corpore & ſpiritû germanæ ſorores, à nobis ſejungi non debent. Utraque ab incunabulis, *Gertrudis* ſcilicèt à quinto, *Mechtildis* verò à ſeptimo ætatis anno, ſeculo renuntians in monaſterio *Rodersdorff* in Epiſcopatû Halberſtadienſi ſito ſacram D. Benedicti Regulam amplexata eſt. Ab ipſo autem religionis ingreſſu Angelicæ vitæ rationem inierunt, & literis humanioribus ac divinis apprimè excultæ, ad eam doctrinæ excellentiam pervenerunt, quam eruditiſſimi quique ſuſpicerent. Eximia fuit earum contemplatio, in qua multis revelationibus ac viſis cœleſtibus à Deo illuſtratæ, eodem inſpirante libros divinæ plenos ſapientiæ conſcripſerunt. Nec enim Revelationes ipſæ ſuas, gratiáſque è cœlo communicatas, levitate quadam fœminea (ut quidam ſuſpicari poſſent) inductæ literis commendârunt; ſed ad ipſarum evulgationem jubente imò cogente Chriſto impulſæ ſunt. Ita enim quâdam vice l. 2. c. 10. *Gertrudi* ex nimia ſua humilitate in ſcriptorum ſuorum editionem nequaquam conſentire volenti, ajebat Chriſtus: *Certò ſcias te nunquam de carcere carnis exituram, donec & illum* (ſcripta ſua putabat) *quem adhuc retines, perſolvas quadrantem.* Et addidit: *Abſque contradictione certum divinæ pietatis meæ teſtimonium volo habere in ſcriptis tuis his noviſſimis temporibus, in quibus diſpono benefacere multis.* Et aliàs (in prologo) cùm ſimiliter reluctaretur, dixit ad eam; *An ignoras eum, qui mea voluntate compellitur, ſupra omnem obedientiam compelli. Cùm igitur voluntatem meam ſcias ſtatuiſſe, ut liber hic ſcribatur, cur eam implere gravaris?* Et tandem cùm libro illi ſupremam impoſuiſſet manum, apparuit illi Dominus, dicens: *Scias, quòd omnia, quæ in libro iſto ſcripta ſunt, gratuita pietate mea tibi infudi, quem ad hoc intimis pectoris mei impreſſi, quo ſingulas literas in eo conſcriptas dulcedine pietatis meæ pertranſeam; ut omnis, qui humili devotione in eo legerit, fructum ex hoc conſequa-*

Utriusq; ortus.

Profeſſio religioſa.

Virtus & Doctrina.

Divino nutu revelationes ſuas literis conſignant.

Google

ſequatur ſalutis æternæ. Similia planè etiam reperies in Revelat. Sanctæ Mechtildis libro 2. cap. 39. & lib. 5. cap. 32.

quas ineptè ſugillat Oudinus, Inepta igitur admodùm eſt, nedicam, impia, *Caſimiri Oudini* (b) cenſura, quam de utriusque hujus ſacræ Virginis ſcriptis ferre non erubuit. Revelationes ſiquidem S. Gertrudis *Opus* vocat *devotioni mulierum cerebro laborantium aptiſſimum*: Revelationes verò S. Mechtildis *fœmineo ſexui & ingenio nugis aſſueto convenientiſſimum* eſſe aſſerit. Certè nec cerebro laborârunt, nec nugis aſſueti fuerunt Viri ſapientiſſimi quique, non modò doctiſſimi, qui peculiares Tractatus & Apologias pro Revelationibus ſanctæ Gertrudis evulgârunt, è quibus fuerunt (c) Doctores Academiæ Complutenſis, edente *Joanne de Laſtaniza*, Ordinis S. Benedicti, Madriti: item Pariſienſis P. D. R. C. in Tractatu Theologico pro Revelationibus & Inſinuationibus ſanctæ Gertrudis; item *Maurus de Salazar* Ss. Theologiæ Doctor, & Generalis Ordinis ejusdem; item *Petrus de Herbera* Ordinis Prædicatorum Cathedraticus Salmanticenſis; item *Franciſcus de Sancta Maria*, Carmelita excalceatus; item Doctor illuſtris *Dominicus Bannez*; item *Franciſcus Suarez* & *Joannes de Siguenca*, uterque è Societate Jeſu, quos, & alios cum ſuis ſententiis & elogiis citat R. D. *Leander de Granada Manrique* Abbas Ordinis S. Benedicti in Diſcurſibus & Scholiis partim Hiſpanicis, partim Latinis, & inter illos nominans approbatorem Revelationum S. Gertrudis *Ludovicum Bloſium*, ita loquitur: *Inter alias perſonas graves & magnæ auctoritatis eſt noſter Pater Ludovicus Bloſius, in multis locis Monilis Spiritualis, quod tanti ab omnibus æſtimatur, ob ſingularem devotionem & fructum ejus*. DIDACUS de YEPES Ordinis S. Hieronymi, Epiſcopus Turiaſonenſis, ibidem laudans Revelationes Gertrudianas, affirmat ſeſe fermè omnes memoriâ tenere, & *Bloſium*, in Monili præſertim, adeò ſibi placuiſſe, ut ſæpe totum evolveret; & cùm Hiſpanicè Hiſpali ederetur, curâſſe ſingula à prælo folia ad ſe mitti, eáque *Philippo II.* Regi Catholico, qui tum morbo ad mortem ultimo decumbebat, tanquam Regium Confeſſarium legiſſe, tanto Regis guſtu, ut, abſente *Didaco*, per filiam ſuam Sereniſſimam Infantem Iſabellam relegi ſibi curaret. Jam quis eſt, qui cum tanto, támque potentiſſimo, atque à prudentia laudatiſſimo Rege, tótque cùm aliis, quà virtute, quà doctrinâ præſtantiſſimis viris non magis ſentire velit, atque unius *Caſimiri Oudini* amplecti judicium, quem tamen ab orthodoxa fide, & Religioſo Ordine apoſtaſia occœcavit, ut his in rebus cernere haud potuerit? Viam S. Gertrudis Revelationes convitiis proſcindendi *Oudino* præivit *Henricus Frunſtingus*, Acatholicus Author in Gynæceo Hæretico fanatico, quod opus in morotrophio ſcripſiſſe videtur.

Marginalia (left column): laudant & approbant viri ſapientiſſimi, — cumprimis Leander de Granata, — Bloſius, — Jepeſius & alii,

Harum revelationum interpretes & editores. Verſionem è Germanico in Latinum idioma adornavit *Joannes Juſtus Lanſpergius*, unà cum ejusdem ſanctæ Abbatiſſæ Exercitiis Spiritualibus, quæ præmiſſa Epiſtola Apologetica *Lovanii* primùm impreſſa, deinde *Pariſiis* anno 1513. recuſa 8. Coloniæ 1578. & Paderbornæ 8. poſtremò Italicè, ut de editionibus Germanicis nihil dicam, à *Vincentio Brandio* verſæ Venetiæ in lucem emiſſæ fuerunt an. 1588. in 8. Alia editio eſt D. *Tilmanni Bredenbachii* SS. Th. Doct. Eccleſiæ S. Gereon. Colon. Canonici anno 1536. Sed his prætermiſſis, illas tantùm commemorare animus eſt, quas ipſi Benedictini accurârunt.

Laurentius Clement, *Laurentius Clement*, Monachus Ord. S. B. Congreg. Hiſpanæ editionem adornavit, quæ Salisburgi typis Jo. Bapt. Mayr an. 1652. in 8. excuſa fuit. Quo etiam anno, tacito Editoris nomine, typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Soc. Jeſu ad S. Clementem vulgata fuit.

Nicolaus Canteleu, *Nicolaus Canteleu* (c) è Congreg. S. Mauri novam paraverat editionem, cùm anno 1662. è vivis ereptus fuit. Quanta vitæ ſanctimonia fuerit, ex eo conjici poteſt, quod complures teſtati fuerunt. Revelaverat ipſi Deus tempus mortis ſuæ, & quin morbo conflictaretur, prædixit, ſe humana eſſe eà ſeptimanâ abſoluturum. Eventus præſagium comprobavit. Operam id temporis ponebat in concinnanda nova editione *Librorum quinque Inſinuationum Pietatis S. Gertrudis*, quam propè ad umbilicum perduxerat: ſupremam illi addidit manum ipſa die

(b) Comment. de Script. & Scriptor. Eccl. Tom. 3. col. 237.
(c) Abbas Winghius in monito prævio ad Lud. Bloſii Conclave Animæ fidelis.
(d) Le Cerf. Bibl. Hiſt. Crit. p. 57.

die mortis ſuæ, quæ fuit vigeſima nona Junii. Hæc editio à quàm pluribus mendis & erroribus expurgata, atque præfatione ſed admodùm ſuccinctà à P. Canteleu inſtructa fuit.

Antonius Joſephus Mege, *Antonius Joſephus Mege* (e) ex eadem S. Mauri Congregatione an. 1664. publicavit librum in 12. typis Friderici Leonard ſub hac epigraphe: *Sanctæ Gertrudis Virginis & Abbatiſſæ Ord. S. Benedicti Inſinuationum divinæ Pietatis Exercitia.* Ad calcem libri habetur Officium de eadem ſancta Virgine & Abbatiſſa, quæ anno 1290. ad Superos exceſſit. Forſan non inanis eſt ſuſpicio, P. *Megium* Libros Inſinuationum, quos P. *Canteleu* prælo paraverat, altero ab ejus obitu anno eidem ſubjeciſſe.

Joannes de Caſtaniza, JOANNES de CASTANIZA, Monachus Hiſpanus S. Salvatoris de Onna veteris Caſtellæ, Congregationis Valliſoletanæ Concionator, ut vocant, Generalis, ac deinde & Regius Philippi II. Eccleſiaſtes, tum etiam Cenſor Theologus apud Apoſtolicos Fidei Judices, qui in ſupremo Senatu ſedent, è ſitu ac tenebris cujuſdam Bibliothecæ in lucem vindicavit, *Inſinuationum divinæ Pietatis libros quinque* jam olim ex Theutonico in Latinum ſermonem converſos, in quibus Vita & Scripta S. Gertrudis Monialis Ord. S. B. continentur, novâ Authoris operâ correctos & ſcholiis illuſtratos unà cum vita ejuſdem *S. Gertrudis* ex variis Authoribus collecta. Cui accedunt *Nonnulla ejuſdem ſanctæ Virginis Exercitia* cum Scholiis. Madriti an. 1599. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 522. Paucis poſt annis *Leander de Granada Manrique*, Abbas Hiſpalenſis, pari labore functus eſt.

Simon Huebmā, *Philoſophia Cæleſtis* tradita ab æterna Sapientia, id eſt, Doctrinæ Salutares à Magiſtro & Sponſo cœleſti, Chriſto Jeſu, dilectæ ſuæ diſcipulæ & ſponſæ S. Gertrudi Virgini, Abbatiſſæ Elpidianæ in Saxonia Ord. S. B. ex libro ſuo *Inſinuationes D. Pietatis* collectæ, & in ordinem diſpoſitæ: atque etiam authoritate ſententiarum Scripturæ, dictis ac doctrinis Patrum, annotationibùſque illuſtratæ, ad ſalutarem uſum omni animæ Chriſtianæ, proximè tamen Religioſæ per R. P. *Simonem Huebman* Ord. S. B. in Monaſterio Admontenſi Profeſſum p. t. in Illuſt. Parthenone Goſſenſi ejuſdem Ord. Provinciæ Styriæ Confeſſarium Ordinarium, & in Spiritualibus Supremum. Salisburgi typis Joan. Bapt. Mayr in 8. an. 1672.

Joannes Gans &c. *Joannis Gans* O. S. B. Exercitia Spiritualia S. Gertrudis Virginis & Abbatiſſæ. 12. Monachii 1726. Germanicè.

ANONYMI *Spiritus & Vita*, h. e. *S. Gertrudis V. Exercitia Inſinuationum divinæ Pietatis* intimæ devotionis ſuavitate caſtam animam in Deum elevantia. 8. Conſtantiæ 1730.

Joannes Mabillonius in Itinere Germanico aſſerit, inter Codices manuſcriptos Monaſterii San - Gallenſis extare Revelationes S. Gertrudis, quæ à vulgatis multùm differant.

S. Mechtildis revelationes. S. MECHTILDIS *Revelationes*, quas *Spirituales Gratias* libris V. inſcripſit, cùm non ſemel in Belgio, atque in Superiore Germania prælo ſubjectæ fuerint, Lutetiæ anno 1513. & Venetiis anno 1558. lucem aſpexerunt. Denique *Liber Revelationum S. Mechtildis*, Sereniſſima *Eleonora*, Archiduciſſa Auſtriæ, Duciſſa Mantuæ, procurante, & ipſa Muliere Sancta, Italicè verſus, atque excuſus eſt *Mantuæ*, ac demum *Venetiis* apud Jolitas anno 1589. Hæc ex Antonio Poſſevino, qui, dum ait, S. Gertrudem anno 1290. vitâ functam eſſe, multùm fallitur. Vixit enim S. Abbatiſſa ſub *Rudolpho* Imperatore, & ſequentibus; nam eo è vivis ſublato, Deum pro Succeſſore precata eſt, ita ut vitam ultra milleſimum trecenteſimum annum produxiſſe videatur. (Utriusq; annus emortualis incertus.) Quando verò naturæ conceſſerit B. *Mechtildis*, non ſatis exploratum habetur. Poſſevinus anno trecenteſimo obiiſſe ſcribit, quem Ondinus ex eo corrigendum putat, quòd, cùm S. Gertrudis ejus ſoror anno 1290. ad Superos tranſlata de B. Mechtilde ſorore ſua, tanquam mortua, in Scriptis ſuis loquatur. At quia exploratæ veritatis res eſt, quòd S. *Gertrudis* Rudolpho I. Imperatori, qui an. 1291. ad plures abiit, ſupervixerit, ratio Oudini nulla eſt, quâ ipſe permotus mortem B. Mechtildis circa annum 1284. vel 1286. aſſignat. Quanquàm in eo Poſſevinus ſui oblitus ſibi contradixit, quòd S. Gertrudem an. 1290. in cœlos abiiſſe ſcribat, quæ tamen in ſcriptis ſuis mentionem de ſorore ſua *B. Mechtilde* anno 1300. mortua fecerit. Ex eodem *Poſſevino* errorem mutuatus eſt *Oudinus*, quòd ex Mechtilde Comitiſſa de Hackuborn & S. Gertrudis Abbatiſſæ ſorore faciat *Principis*

(e) Le Cerf Bibl. Hiſt. Crit. pag. 347.

cipis Bercholdi Comitis de Andechs & Domini in Dieſſen ad Iſaram, filiam, atque etiam Friderici II. Imperatoris cognatam.

Earum Biographi:

Vitam SS. Sororum Gertrudis & Mechtildis plures Benedictini Germani, Galli, Hiſpani, atque Itali in literas, maximè ſtylo compendiario retulerunt. Ex Italis tres nominabo.

Placidus Cicada, Abbas monaſterii S. Catharinæ in urbe Genua vitam S. Gertrudis Italicè ſcripſit. Vid. Armell. in Bibl. Scriptor. Congr. Caſin. Part. 2. p. 151.

Iſidorus de Su, monachus Parmenſis in S. Joannis Evang. Cœnobio, dedit patrio ſermone *Brevem Notitiam de vita ſummè admiranda S. Gertrudis Abbatiſſæ, cognomento Magnæ.* Armell. l. c. pag. 62.

Maurus Alexander Lazzarelli è Congr. Caſin. Prior Cæſenæ ſcripſit Italicè *Iddio Amante è Panegeriſta della V. S. Gertrude.* i. e. *Deus Amator, & Encomiaſtes S. Gertrudis V.* Anno 1698. locum & formam editionis non expreſſit Armellinus l. c. p. 98.

quos inter celebris Gaſpar Anton. Campacci,

Tribus hiſce Italis Benedictinis accenſeri meretur D. *Gaſpar Antonius Campacci*, Presbyter Secularis, SS. Theologiæ, & J. U. Doctor, qui noviſſimè Vitam S. Gertrudis Virginis & Abbatiſſæ Venetiis anno MDCCXLVIII. prælo ſubjecit in 4. Etſi verò Vir doctus poſt vitam S. Gertrudis toties in literas relatam nihil novi in medium afferre queat, omnéque ejus meritum in eo conſiſtat, quòd bonam teneat methodum, doctrinámque hujus Sanctæ magna cum perſpicuitate exponat, laus tamen ei attribuenda eſt, quòd hac provincia præclarè ſungatur. Opus ſuum in duas diſtribuit partes; quarum prima hiſtorico ſtilo acta & geſta S. Gertrudis exequitur: in ſecunda doctrinæ ſpirituales ad certa capita rediguntur. Ad primæ partis calcem Author ſubjicit Diſſertationem, cui titulum fecit:

protulit diſcurſum Chronologicum

Diſcurſus Chronologicus de annis diei natalis, emortualis, electionis in Abbatiſſam, & ſingularis gratiæ, qua mediante ad majorem vitæ perfectionem vocata fuit. Doctor *Campaccius* S. GERTRUDEM natam fuiſſe dicit an. 1263. die ſexto Januarii; mortuam 17. Novemb. 1334. electam in Abbatiſſam 3. Maji 1294. ad majorem vitæ perfectionem peculiari affulgente gratia vocatam die 27. Januarii anno 1289. Variant ad hodiernam uſque diem ſententiæ circa annum natalem hujus S. Abbatiſſæ.

de annis & diebus S. Gertrudis,

ſed hujus & aliorum opiniones

Abbas *Leander de Granada* annum 1221. fuiſſe exiſtimat. Alius Author ponit annum 1222. Qui ſupplementum ad librum Card. Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis adjecit, mortem ipſius anno 1280. affigit; quo calculo adigitur, ut in vitales auras elatam dicat anno 1210. P. *Antonius Maria Bonucci* ingreſſam in hanc vitam ſcribit an. 1240. Verùm omnes haſce opiniones à vero aberrare, ex eo dignoſcitur, quòd cum eo concordari non poſſint, quod certum & extra dubium habetur poſitum; nempe hanc ſanctam Virginem non niſi trigeſimo vitæ ſuæ anno in Abbatiſſam electam fuiſſe, & hujus munus per 40. annos geſſiſſe; quemadmodum diſertim id proditur in libris *Inſinuationum divinæ pietatis.*

ab Authore noſtro rejiciuntur.

Præterea pro comperto habetur, quòd regnante Imperatore *Rudolpho I.* ætatem egerit, qui è vita ſublatus eſt anno 1291. die 30. Sept. & quòd, quo tempore (annus erat 1292. dies 2. Januarii) Adolphus Naſſovius in Cæſarem electus eſt, ipſa nondum ad Abbatiſſæ munus aſſumpta fuerit. Non alia re opus eſt, quàm ut libri 1. caput 3. *Inſinuationum* perlegamus ad conſtabiliendam hanc veritatem, quæ omnium aliorum Authorum opiniones infringit, aſſertionem verò D. Campacci probabiliſſimam reddit, qui firma nixus ſupputatione annorum electionem hujus ſanctæ Abbatiſſæ anno 1294. adſcribit; epochæ, à qua aliæ omnes dependent.

Scriptores qui nova ex dictis libris procuderunt opera.

Jam ſuprà aliquos recenſuimus Benedictinos, qui ex *Inſinuationibus divinæ Pietatis* nova procuderunt Opera; quibus nunc pro coronide tres quatuor extraneos Scriptores adjicecere me non pigeat.

VINCENTII PECCETI *Schola S. Gertrudis.* Italicè.

ANONYMI *Deliciæ S. Gertrudis.* Romæ, Italicè.

P. Diotavelli Stimuli divinæ Pietatis. Italicè.

Alphonſi d' Andrade Geſta & Documenta S. Gertrudis. Italicè.

Fabricii de Mechtilde opinio.

Jo. Alberto Fabricio Bibl. med. & inf. Lat. lib. XII. p. 193. *B. Mechtildis* non alia viſa eſt ab ea, de qua Trithemius in Chronico Spanheimenſi ad an. 1154. hæc habet: *Anno Craſtonis Abbatis tertio obiit* Machtildis *Sanctimonialis Virgo, ſoror quondam Bernhelmi Abbatis, hic juxta monaſterium noſtrum in principio ſuæ inſtitutionis* (ab A. 1125.)

recluſa: obiit in incluſorio ſuo IV. Cal. Martii, in cujus tranſitu Angelorum concentus & laudes auditæ, ac Viſiones *quædam oſtenſæ ferebantur. Sepulta eſt in choro fratrum ante gradus presbyterii, non ſine opinione ſanctitatis. Reliquit poſt ſe in eadem cella quinque* ſorores *Virgines Chriſto conſecratas atque devotas, quarum iſta ſunt nomina:* Sophia, *quæ cum ea de S. Albano venerat, quæ & eodem anno prid. Cal. Maji obiit:* Gerlindis, Demodis, Luitgardis & GERTRUDIS, *quæ Domino in ſanctæ Virginitatis propoſito usque ad vitæ terminum ſervierunt.* Idem confirmat Trithemius in Hirſaugienſi Chronico ad eundem An. 1154. pag. 136. ſeq. edit. Freherianæ, ubi addit Mechtildi adhuc in carne viventi teſtimonium ſanctitatis perhibitum à S. castigatur. HILDEGARDI. „ Ita Cl. Fabricius, quem hîc ſua fefellit opinio, quâ exiſtimavit, *Trithemio* de noſtra *S. Mechtilde*, nata Comitiſſa *de Hackuborn* ſermonem fuiſſe, quæ, quando *Mechtildis* Spanheimenſis diem ſuum obierat, nondum vitam hanc adiêrat: Soror enim S. Gertrudis natu minor erat, quæ anno 1263. primam lucem aſpexerat. Quî ergò fieri potuit, ut S. Hildegardis nondum in vitales haſce auras elatam laudibus ornaret? Quemadmodùm igitur Fabricii opinionem de S. Mechtildis perſona deſerimus, ita recenſionem Editionum ejus Scriptorum libenter amplectimur. Quinque, inquit, libri Viſionum ſcripti à Mechtilde ſunt primùm Germanicè, ſed vetus Latina verſio edita Pariſ. 1513. fol. apud H. Stephanum avum unà cum *S. Hermæ* Paſtore, *Wettini* Monachi Viſione, & Revelationibus *S. Hildegardis*, fratríſque * *Roberti*, & *S. Eliſabethæ*. Extant & editiones Mechtildis viſionum Lipſiæ, & in Belgio, & cum Evangelio Nicodemi, Lentuli Epiſtola, Viſione Iſaiæ Prophetæ, S. Alberti Epiſcopi Agrippinenſis & Sibyllæ Erythrææ vaticinio Venet. 1522. in 8. tum Colon. 1536. Venet. 1558. 1568. &c. atque ex Italica verſione, Mantuanis typis teſte Poſſevino, & Venet. 1589.

* lege EBERTI

Claruit ad An. 1657.

XI.
ANGELICA BAITELLI.

Natalibus illuſtris, virtute, & doctrinâ illuſtrior,

NObili, ſed modò extinctâ familiâ Brixiæ nata in celebri S. Juliæ Parthenone Congregationis regimini ſubjecto, Cœleſti Sponſo ſub Divi BENEDICTI diſciplinâ ſe conſecravit. Ibi reliquum omne ab oratione, & Divinis Officiis tempus, non colo & penſis, ſed calamo, ac ſacris Libris evolvendis impendit, oſtendítque etiam ſuo exemplo, ſicut complures aliæ illuſtres mulieres, ſexui fœmineo non quidem ingenium, ac facultatem ad ſtudia, ſed uſum & exercitationem tantùm deeſſe. Ipſa namque pietate in proprium Cœnobium permota, zelóque æſtuans, ne ejusdem præclara monumenta oblivioni penitus traderentur, magno labore, ſolertíque cura collegit quidquid antiquum decus, ſplendorémque eidem Cœnobio reſtituere, ac deinceps poterat conſervare, ingentíque volumine comprehendit, ac typis commiſit hoc titulo:

calamum exercet,

in ſui cœnobii antiquitatibus illuſtrandis,

Annali iſtorici dell' edificazione, erezzione, e dotazione del Sereniſſimo Monaſterio di S. Salvatore, è S. Giulia di Breſcia, alla Sede Apoſtolica, & alla Regia poteſtà immediamente ſottopoſto. Contengono il catalogo delle ſantiſſime Reliquie, che nella ſua ſanta Chieſa ripoſano, e tutti i privilegj conceſsigli dà Sommi Pontefici, Imperatori, Rè, Prencipi, e Duchi, dall' anno della ſua fondazione 760. ſino al preſente ſecolo 1657. in Breſcia per Antonio Rizzardi 1657. in foglio, id eſt: *Annales hiſtorici ædificationis, erectionis & dotationis ampliſſimi Monaſterii S. Salvatoris & S. Juliæ in urbe Brixia, Sedi Apoſtolicæ, & Regiæ poteſtati immediatè ſubjecti. Continetur in iisdem Catalogus ſacrarum Reliquiarum, quæ in ejus eccleſia repoſitæ habentur, unà cum omnibus privilegiis conceſſis à Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus & Ducibus. ab anno fundationis 760. ad an. 1657. Brixiæ per Ant. Rizzardi 1657. in folio.*

editque Annales Monaſterii S. Salvatoris Brixiæ.

De ea honorificè loquitur *Leonardus Cozzandus* in ſua Bibliotheca Brixiana part. 1. pag. 41. ſecundæ editionis 1694. ubi eam vocat *Nobilem fœminam animi præſtantiâ, virtutibúsque verè Chriſtianis ac religioſiſſimis præditam, ornatámque, utpote, quæ ex ipſis veluti oblivionis faucibus illuſtres Cœnobii ſui memorias ſtrenuâ operâ, diligentíque ſtudio eripuerit.* Hæc ex Armell. Bibl. Caſin. part. 1. p. 21.

Ejus elogium.

XII.
HELENA LUCRETIA CORNELIA PISCOPIA.

† 1684. 26. Julii.

INter doctiſſimas ſeculi proximè elapſi fœminas referri meruit Virgo illuſtriſſima

ſtriſſima *Helena Lucretia Cornelia Piſcopia*, Johannis Baptiſtæ *Cornelii*, Divi Marci Procuratoris apud Venetos, filia.

Quinam ejus acta & opera edideriut.

Hujus Opera tam Latina, quàm Italica, editurus *D. Benedictus Bacchinus*, Monachus & Abbas Congregationis Caſinenſis clariſſimus, vitam *Helenæ* tanquam eximium antepagmentum præmittere illi voluit. Equidem vitam ejusdem Italico idiomate conſcriptam ſuperiore anno 1687. jam ediderat Vir doctiſſimus *Maximilianus Deza*, Congregationis ſanctiſſimæ Matris Dei alumnus. *Bacchinus* autem, cùm dignam omninò cenſeret hanc vitam, quæ lingua ubique gentium nota celebraretur, Latinè eandem reddidit, ita quidem, ut ea, quæ fuſiùs memoraverat *Deza*, in compendium redegerit, & quæ minùs tacta ab illo fuerant, ſuis commodè locis inſeruerit. Sic verò *Bacchinus Florilegium Actorum Helenæ Cornaræ, quà ad miraculum doctiſſimæ, quà ad prodigium innocentiſſimæ* auſpicatur:

Benedicti Bacchini Præfatio

1. Cùm primum de edendis Helenæ operibus, quæ ejusdem humaniſſimus parens ſervata communicavit, conſilium inivi, operæ pretium facturum me cogitavi, ſi vitam, ut in ſimilibus ſolet, eruditiſſimæ item ac piiſſimæ Virginis, volumini præfigerem; id enim pergratum lectoribus, & operis totius œconomiæ reſpondens futurum non dubitavi, qui ſcirem vix quemquam in bonæ notæ librum legendum incumbere, quin ſtatim ſe auctoris dignoſcendi deſiderium vehemens tangat, & illud occurrat Senecæ; *ò ſi animum boni viri liceret inſpicere!* Verùm tot, ac tanta occurrebant ſcribenda, ut præviderem volumini mantiſſæ cauſa nimium excreſcenti futurum, ut meritò exprobranda veniret collectoris ambitio, qui lectori in limine faſtidium incuteret, & à dulciſſimis operibus evolvendis properantem retardaret. Vir inſuper clariſſimus, Congregationis Matris Dei Alumnus, *Maſſimilianus Deza* Vitam Helenæ Italico idiomate luculentiſſimè ſcriptam, poſtremis anni elapſi 1686. diebus ediderat; quare ſi & mihi ejusdem ſcribendæ cura incidiſſet, operis ab altero, & quidem ad umbilicum abſoluti, factor audiſſem.

in ipſius vitæ florilegium.

Temperandam igitur rem ita autumavi, ut *Florilegium vitæ* potiùs præmitterem, quàm *Vitam*, quatenùs ex vita per *Dezam* ſcripta ea ſeligerem, ac in compendium redigerem, quæ majoris momenti videri poſſunt; & ſi quæ aliunde cognita, ipſíque intacta, paucula haberem, ſuis aptè locis inſererem. Latino autem eloquio uti decrevi, non modò, ut ad objecti dignitatem ſermo conſormaretur, verùm ut, quod omnibus ſeculis, totiúsque univerſi fama dignum eſt, lingua ubique gentium nota celebraretur. Paucula igitur ex multis ſelecta exponere mens eſt: qui plura ſcire deſiderat, facilè voti compos fiet, ſi laudatam *Dezæ* lucubrationem pervolvet. Ego ad voluminis parergon levi calamo, preſsóque brachio, quæ *Helenam*, Helenæque mores, & ingenium referunt, prævii apparatus loco, præmittam.

Helenæ genus, & patria.

2. *Corneliorum* Venetam Gentem ex Romana priſcis Reipublicæ fauſtis temporibus, celebri ortam dicunt; illúdque multis probatur, *C. Cornelium*, qui Patavii, Cæſaris de Pompeio victoriam per aves prædixit, Gentis hujus principem fuiſſe, quæ poſtmodùm ſequioribus ſeculis Venetias recens conditas commigravit. Hæc de eo ex Dionis Libro XIII. referre lubet: καὶ ἐν Παταυίῳ τῆς νῦν Ἰταλίας, τότε δὲ ἔτι Γαλατίας, ὄρνιθάς τινας ἐχ ὅτι διαγγέλλαι αὐτὸ, ἀλλὰ καὶ δεῖξαι τρόπον τινά. Γαιος γάρ τις Κορνήλιος πάντα τὰ γινόμενα ἀκριβῶς τε ἐξ αὐτῶν ἐτεκμήρατο καὶ τοῖς παροῦσιν ἐξηγήσατο. id eſt: *& Patavii, quæ nunc Italiæ urbs eſt, eo tempore Galliæ fuit, aves quædam non indicia modò hujus eventi exhibuerunt, ſed quodammodò rem ipſam demonſtravêre. Nam C. Cornelius omnia, quæ evenêre eo prælio, perfectè ab iis notavit, iiſque, qui cum ipſo erant, expoſuit.*

Cornelia Gens apud Venetos clara,

Cùm igitur latè apud Venetos Gens hæc creviſſet, quidquid immortalibus laudibus digna Reſpublica munerum pace, bellóque illuſtre Patritiis impertiri ſolet, id non ſemel *Corneliis* demandavit; cui cùm dignè ubique & ſemper reſponderint, factum eſt, ut quamvis apud ſuos patriæ libertati ultrò ex animo, ac pro viribus obſequuti ſint, in Oriente tamen ampliſſimis dominiis potiti Peloponneſi urbes Ægeíque inſulas tenuerint. Cypri Regnum Corneliæ Catharinæ Marci filiæ nomine Reipublicæ Venetæ acceſſit; (f) Piſcopiæ feudum habuit ex Corneliorum gente familia, quæ inde cognomen aſſumpſit: ex qua Fridericus ille, ſatis notus, ob hæreditatis paternæ divitias, ob Principes conſanguinitatis vinculo ſibi junctos,

(f) Epiſcopia etiam ſcribitur. Epiſcopia Telos inſula, moderno nomine nuncupatur, quæ Carpatio mari non longè à Rhodo ſita eſt. Aliquibus etiam tali nomine vocitatur urbs Cypri, aliàs Curium dicta.

& ob ritè factorum celebritatem Magni nomine condecoratus.

quâ ex ſtirpe crevit Helena anno 1646. nata.

3. Ex hoc ſtirpis ſurculo Helena nata eſt, anno à Chriſto nato 1646. die 5. Junii, ad correcti kalendarii normam, circa primam noctis horam, parentibus *Joanne Baptiſta*, ac *Joanna*, Procuratoriâ dignitate conſpicuis, quíque adhuc ſuperſtites ſunt ſibimetipſis luculentiſſima laus. Vivit etiam *Helenæ* virtute ſimillima *Catharina*, natu omnium minima, quæ à majori nomen mutuavit demortuâ ante *Helenæ* ortum, Fauſta hercle! dies, qua patriæ, genti, ſexui jubar immortale affulſit, quu & ii *Cornchiorum* glorieatur, qui Africam & Aſiam Romano ſubegêre imperio, ac multiplici Provinciarum triumpho, generi argumenta laudis in ævum duraturæ addidêre. Hæc igitur in præcoci adhuc ætatula, cùm nondum annos attigiſſet, quibus primùm ſuo munere ratio fungi ſolet, mirabilia ſunt, quæ pietatis & ingenü ad omnia apti ſpecimina dedit.

ejus à teneris educatio, & animi dotes.

A puerorum ludis abhorruit, & modeſtiæ virginalis dotem, nec non gravitatem morum, quam cæteris cura parentum ſedulò exhibita confert, ab ipſis incunabulis ſibi congenitas habuit. Indolis ingenium ſequuta precibus Deo exorando aptis, ſanctíſque Catholicæ religionis myſteriis addicta, operum pietatem redolentium domeſticis exemplar fuit, qui ſenilem maturitatem, & acta virtutis conſumatæ, in puella, nondum infantilis ætatis annos egreſſa mirati ſunt. Quævis mulierum mundíque fucata ornamenta, adultis fœminis anxiè quæſita, ipſa infans adhuc deſpexit, mille ingreſſa vias, ac millenis excuſationibus apud matrem uſa, ne cincinnata frons eſſet, ne pectus ad moris genium nudatum, ne veſtis luxu diffluens. Pauperibus juvandis addicta, munificentiæ, usque ad obitum iis exhibitæ, non ſemel teneris ab unguiculis prælusit, in cujus rei teſtimonium, celebre adhuc apud viros eximios *Helenæ* dictum, quo anno ætatis quinto vixdum expleto, parentem de pecuniis, quas pro domûs dignitate in aulæ laquearibus auro magnificè exornandis adhibebat, ad pauperum levamen erogandis admonuit.

Ingenii acies & eruditio.

4. Qua verò intellectûs acie polleret *Helena*, & quæ inde doctrinæ meſſis exſpectanda, ſi bonarum artium præceptis imbueretur, primus ex indolis certiſſimis indiciis agnovit vir pietate ac eruditione inſignis *Joannes Baptiſta Fabris*, editis in Philoſophi textum commentariis notus. Is, quem domûs totius *Joannes Baptiſta* Helenæ parens, familiaritate jam diu dignatus fuerat, cùm nil puerile penitùs in puella conſpiceret, ſed omnia ad virilem gravitatem compoſita, ingenium ſupra ſexum ad maxima natum conjecit. Quo itaque de re certior fieret, periculi ſuper id faciendi conſilium cepit: quare aliqua primum legenda, inde memoriæ mandanda Helenæ exhibuit. Præſtitit id totum intra breviſſimum tempus puella, alacritate, ac celeritate hujusmodi, quà facilè dignoſceretur, memoriæ complexum intellectûs obtutui reſpondentem, nil, niſi eximium, promittere. *Fabris* igitur apud parentem auctor fuit, ut præter ſexus conſuetudinem puella ſeptennis literarum ſtudiis addiceretur. Nec mora. Gramaticæ Latinæ præceptores adhibiti *Joannes Valeſius*, D. Marci Canonicus, &, Doctor *Bartolottus*, quos Græcarum literarum inſtitutor excepit laudatus *Fabris*: huic verò brevì demortuo ſuffectus eſt Abbas *Aloyſius Gradenigus* natali ſolo Græcus, & publicæ Venetiarum Bibliothecæ Præfectus. Intra breve annorum curriculum adjecti ſunt Hebraicæ linguæ, & Græcæ vulgaris magiſtri; quin præter hæc idiomata, Hiſpanicè etiam, & Gallicè locuta eſt; nec Arabicum penitus ignoravit. Quid negotii in linguarum ſtudiis inſit, nôrunt, qui iis operam quandoque dedère. Res laboris & faſtidii pleniſſima, ita, ut, ſi longa annorum periodo alteram diſcas, jure merito lætari poſſis, quod Corinthum appuleris. Linguarum verò peritia tribus potiſſimùm ſiſtit; in eo videlicet ut loquentem, vel ſcribentem intelligas, ut ſervata accentuum, & literarum proprietate loquaris, ut iisdem cuſtoditis apices pingas. Quorum unumquodque ſeorſum adeò tricis implicitum, tædióque refertum, ut plerique, uni licet tantumodò addicti, à cœptis animo fracti deſiſtant. Verùm enimverò omnia in ſuperioribus laudata idiomata, brevì adeò calluit *Helena*, ut, qui hebraicè quoque ac græcè (in quibus accentuum cura, & ſtridularum vocum efformatio difficillima) loquentem audivere, ſcriptáque interpretantem, vel ſcribentem viderunt, ultrò ſacramento juraſſent, non Venetiis, ſed Demoſthenis temporibus Athenis, vel Judæorum aureo ſeculo Hieroſolymis natam. Binas epiſtolas Helenæ

Septennis literarum ſtudiis addicta

varias diſcit linguas.

eâ perfectione,

manu

Digitized by Google

manu exaratas, ac parenti inſcriptas, quæ cum cæteris ejusdem manuſcriptis operibus publicæ Bibliothecæ conſignandæ ſervantur, oculis ipſi conſpeximus. Latinâ eæ linguâ ſunt conceptæ, adhibitis ad rem Græcis, Hebraicíſque Apophtegmatibus. Verùm apicùm trium harum linguarum affabrè, exquiſitéque ad miraculum deſcriptorum pulchritudo nobis viſa, typis haud exprimenda talis eſt, ut de ea nos teſtimonium perhibere adegerit; quippe quæ *Helenæ* ingenium ad omnia præſtanda aptum clariſſimo, viſibilíque comprobet argumento. Quid ſi *Helenam* audire liceret, quod multis Europæ viris, dignitate, ac eruditione celeberrimis licuit, dulce melos omnibus prælaudatis idiomatibus, ſi hebraicum excipias, conceptum, canentem, ſono etiam ad numeros, & ad tempus aſſociato per ſemetipſam? Inter eas verò, quas calluit linguas, Græcam literalem ſibi prædilectam teſtatur ipſa, in præfatione colloquii Lanſpergiani: in qua tantum brevì profecit, ut, cùm de Gradenighi peritia quæſtio Venetiis apud Patres eſſet, *Helenæ* opera quædam, quæ excidiſſe dolendum eſt, exhibita, calculum pro eo, in Abbatem *Cardauchi* Corcirenſis cooptando, præſtiterint.

ut edita ſpecimina mirarentur eruditi omnes.

5. Antequàm è primis *Helenæ* puellaribus annis excedamus, recenſitis in intellectu perficiendo profectibus, meminiſſe juvat pietatis incrementorum, quibus illa ætatem prævertens animum Deo ſubjecit, Deóque adhæſit. Vix alicujus pretii habendæ ſunt bonarum artium inſtitutiones, niſi eo comparentur, quo voluntas in ſummi Boni amorem accendatur, & deſpectis mundi, ſeculíque illecebris ad morum innocentiam conformetur. Ex ſacrorum voluminum lectione, ac eorum, quibus ſpiritus tandem fit Deiformis, ea ſanctitatis ſemina concepit, quæ brevì completam fructus, multiplicémque ſobolem præbuére. Beati juvenis *Aloyſii Gonzagæ* vitam evolvens, legit aliquando, illum perpetuæ caſtitatis voto ſe adſtrinxiſſe feſtiva illa die Virginis Deiparæ, qua divinæ, ac humanæ naturæ hypoſtaticè unitæ myſteria celebrantur. Quare piiſſimi adoleſcentis exemplum ſequuta, vix ætatis undecimo anno completo, eodem voto, quo ille, recurrente ipſa feſtiva die, ſe ipſam adſtrinxit. Aſſumpſit etiam ex Societate Jeſu, cujus prælaudatus Beatus Alumnus fuit, virum, moribus, & prudentia conſpicuum, *Carolum Franciſcum Boſellum*, qui ſui exhomologeſes audiret, & in Chriſtianæ pietatis ſtudiis inſtitueret: quin ſe in Mathematices, & linguarum peritia ſub ejusdem Societatis viris profeciſſe ipſa teſtatur, in epiſtola nuncupatoria memorati Colloquii Lanſpergiani, ad clariſſimum virum *Paulum Olivam*, totius Societatis Præpoſitum Generalem, qui, quanti Helenam faceret, ex epiſtolis ejus, publici juris factis, apparet; præcipuè verò ex Tomi primi, pag. 250. & 24. ex Tomi II. pag. 9. 35. 69. 218. 316. 382. 400. ex Tomi III. pag. 27. & 52. editionis Romanæ anni 1681. Perſtitit autem in voti, quo ſe adſtrinxerat, propoſito Helena; quin votum ipſum, quod præ puellæ præcoci ætate infirmari poſſe nemini dubium, perfecit, ea virili conſtantia, de qua mox in ſequentibus incidet ſermo.

Sicut in literis ita in pietate eminuit.

Aloyſii Gonzagæ exemplo mota,

voto caſtitatis ſe obſtrinxit.

6. Studiorum ratio expoſcebat, ut *Helena* linguis & humanioribus diſciplinis erudita, ad ulteriora procederet: quare ſtatutum eſt, ut primùm Philoſophiæ operam daret; inde per ſacræ Theologiæ ſtudium in abdita Divinitatis myſteria inſinuaretur. Aſſumptus igitur eſt in Philoſophiæ magiſtrum V. C. *Carolus Rinaldinus*, Patritius Anconitanus, & in Patavinis ſcholis primarius ejusdem Philoſophiæ Profeſſor. Is etiam Mathematicarum rerum peritiſſimus, quod ultrò teſtantur tres Mathematum Analyticæ artis partes, quarum ultima Patavii edita per *Frambottum* anno elapſo 1684. cum prima usque ab anno 1665. Florentiæ apparuiſſet. Inde Doctore *D. Hippolito Marcheto Camerte* Oratorii Presbytero pietatis fama percelebri, Theologicis placitis Helena imbuta eſt. Hiſce Magiſtris brevì ad eam doctrinæ in Scholaſticis perfectionem pervenit, quæ doctoribus ipſis ſtuporem incuteret. Quantum in Philoſophicis profecerit, norunt Collegii Patavini doctiſſimi Patres, qui Virginem novo, inauditóque ſpectaculo *laurea Magiſtrali* redimitam inter ſuos cooptàrunt: cujus rei infra rurſus incidet mentio. Quid verò in Theologicis oſtendit, cùm ſæpiùs divinæ Facultatis Magiſtros adloquuta quæſtiones dilucidè pertractavit, ac enodavit; cujus quidem rei teſtes ſuperſunt viri per Europam celeberrimi, qui *Helenam* audiviſſe commemo-

Philoſophiæ & Theologiæ operam navat.

eo cum fructu, ut Magiſtrali laureâ fuerit redimita.

memorant altiſſima Divinitatis myſteria revelantem. Hinc apud plurimos Italiæ, & Galliæ Sapientes quæſitum, *an Virgini laurea Theologicæ facultatis conferri poſſet?* nec defuêre, qui Apoſtoli ſcitum explicantes, id ultro *Helenæ* tribuendum. * Habes hujuſmodi Diſſertationem in tertia parte Analyticæ artis, prælaudati *Caroli Rinaldini*, & alias à ſe viſas teſtatur memoratus Italicæ vitæ auctor *Maſſimilianus Deza*.

* *Deeſt* cenſuerunt, *aut ſimile quid.*

De eligendo ſtatu deliberat.

7. Ab undecimo ætatis anno (*id ſuprà narravimus*) voto caſtitatis ſe devinxerat *Helena*: cùm enim in cæteris ætatem præverriſſet, haudquaquam omittere potuit curam, quâ nihil apud cordatos viros antiquius eſt; ea videlicet, per quam vitæ totius certum ſtatum eligimus. Id apprimè virgines decet, quarum ea conditio eſt, ut, quàm citiſſimè præ ætate licet, ſibi ſuæque dignitati conſulant: verùm, cùm pleræque, ob ſexus imbecillitatem conſilio inopis, faciendæ electioni impares ſint, parentibus iis ſuffragandi incumbit cura, ut ſalva ſobolis libertate, vel dignè viris copulentur, vel vitæ ſublimioris ſtatui deputentur. Haud tamen *Helenæ* parentibus in hac parte laborandum fuit; ea etiam hæc optimi cognitione valuit, ut, antequam connubio apta eſſet, connubii miſerias agnoverit, ac proinde ſe caſtitatis perpetuæ adſtrinxerit voto; ac poſtmodùm de Sanctimonialium habitu veſtiendo, & de clauſtris perpetuò habitandis ſeriò cogitaverit. Ut id obtineret, enixè apud parentes oravit, qui tandem ſunt exorati. Cuinam inter plurima Sanctimonialium monaſteria nomen daret, incerta perpendit *Helena*: igitur quo dubietas dilueretur, nomina quatuor vel quinque eorum, quæ ſpiritui puellæ apta videbantur, totidem cartulis deſcripta ſunt, urnæque conſignata, ex quibus alterum, extractum ſorte, quod cùm per id tempus inteſtinis laboraret diſcordiis, pietati ac genio *Helenæ*, quæ illud ſeculari habitu aliquamdiu habitavit, nequaquam reſpondit. Id providentiæ divinæ conſilium fuit, quæ *Helenam* regulari quidem habitu, & quod pluris eſt, regulari vitâ Sanctimonialem fore decreverat, ſed facis evangelicæ more ad multorum eruditionem, eximio, ac ſublimi loco fulgentem, *non Recluſarum more ſepultam*; quod & ipſi per fœminam Sanctitatis opinione celebrem prænuntiatum quandoque ferunt.

Anceps, cui monaſterio nomen daret,

ſorte rem explorat, & ad leges S. Benedicti vitam componit.

8. Quò verò *Helenæ* in propoſito conſtantia probaretur, accidit per id temporis, ut à plurimis, præcipuè verò à Principe Germaniæ viro in nuptiarum torique conſortium illa expeteretur; quod cùm è re Corneliæ domus parentes crederent, omnem moverunt lapidem, ut virginem à virginitatis propoſito removerent. Objecta ſunt in eam rem puellæ, valetudo infirma, diſciplinæ regularis rigor, viri nuptias petentis dignitas, quæ ægrè negantem pateretur, & cætera hujuſmodi, quæ facilè illam à propoſito retraxiſſent, ſi ea, quâ ſexus ſequior ſolet, ambitione, & inconſtantia laboràſſet. Verùm nec latum unguem recedens ab objectis ſe expedit, voto ſe adſtrictam aſſerens; necquidquam proficit reponens, id præ ætatis imbecillitate irritum, ac inane: Helenæ ſiquidem in Theologicis ſapientia argumenta argumentis enervat. Quare ut omnia in contrarium voti prætextu allata diluerentur, actum eſt apud Romanum Pontificem, quo ſuper hujuſmodi votum cum puella diſpenſaretur; & in eam rem Breve (ut vocant) omnibus numeris abſolutum emanavit. Ad hujus, velut ad Gorgonis conſpectum, horruit virgo, palluit, in ruborem effuſa eſt, & cùm demum ſe recepiſſet, poſtremum, ac ſolidiſſimum conſilium cepit, ac exequuta eſt. Vir eximius ætate, ac morum ſanctitate ex D. Benedicti Ordine, & Caſinenſi Congregatione, aliàs D. Juſtinæ nuncupata, S. Georgii majoris Venetiarum monaſterio Abbas præerat, D. *Cornelius Codaninus* Venetus. Is Helenæ, ob vitæ præſtantiam, ac pietatem notus, quippe qui ad familiaria colloquia ſæpiſſimè adhibitus, plurimum ad animum in Chriſtianæ Philoſophiæ arcanis inſtituendum contulerat. In rei igitur memoratæ difficillimo diſcrimine vocatus eſt, & cùm affuiſſet, enixè, lacrymiſque exuberantibus rogatus, ut ſibi veſtem atram Benedictinis Sanctimonialibus adhibitam, concederet ſub ſeculi veſtibus deferendam. Annuit vir in diſcernendis ſpiritibus admirabilis, & cùm id ipſum flagrantiſſimè efflagitaret *Helena*, votum ſuſcepit, quo D. Benedicti regulæ ſe, quantum ſeculi ſpecies pateretur, promiſit conformandam. Virginis facinus

Quo in propoſito tantâ perſtitit conſtantia,

ut nullatenus ab eo dimoveri potuerit,

plurimû ad id conferente Cornelio Codanino Abbate Veneto.

nus parentibus renuntiatum omnem ſpem abſtulit, quidquam cum ea proficiendi; quod etiam clarius patuit, cùm miſſi, ad animi conſtantiam tentandam, ſerò agnoverunt, ſe Iſthmum ſodere tentaviſſe. Id ægrè ab *Helena* obtinuerunt, ut domi Sanctimonialium vita viveret. Id ipſum reluctans, ac invita parentum amori tribuit; quamvis nemo neſciat, quid inſit difficultatis in copulando ſeculi libertati monaſtico rigore. Mirum profectò, quòd voto virginitatis innocentiſſimè ſervato, obedientia majoribus exactiſſimè exhibita, paupertate in affluentiſſima domo cuſtodita, vitam egerit, qualem in clauſtris egiſſet. Interulam ex lana contextam, Benedictino more, carni intimè adhærentem ſemper geſſit. Corporis macerationibus incubuit nil ſolatii carni tribuens, quam ut ſæpiùs ciliciis, ferreis catenulis, cæteriſque hujuſmodi affli̇ctaret, apud ſpiritus ſui curatorem ſedulò inſtabat precibus lacrymiſque. In voti emiſſione *Lucretiæ* nomini, aliud monaſticum *Scholaſticæ* adjunxit, quo uſa eſt viro à confeſſionibus ſibi aſſumpto ſcribens, ac patribus Ordinis ſui; quorum plurimis nota fuit.

Ejus pietas, corporis maceratio,

9. Monaſtico habitu itaque induta, monaſticiſque votis adſtricta, nil magis curæ habuit, quàm ut animi virtutes ſibi congenitas, & religioſa virgine dignas excoleret. Moderationi imprimis ſtuduit, quam ſciret cæterarum virtutum ſubſtructionem firmiſſimam. Quare famam, noménque deſpiciens, linguis ſeptem ornata, Philoſophicis, Theologiciſque placitis imbuta, Muſices, Mathematices, ac Aſtronomiæ erudita, ſi quando juſſu parentis inſtante, in publicum prodire, ac ingenii ad omnia nati miracula prumere adigebatur, id ægrè adeò & contra votum faceret, ut pluries teſtata ſit, hujuſmodi in diſcriminibus ſibi vitæ annos adimi, finémque præſtitutorum dierum præverti. Inde factum eſt, ut nunquam ad actus, qui ſcenam præferunt, paſſa ſit ſe trahi, niſi obedientiæ voto adſtringente, quo animæ ſuæ inſtitutoris, & parentis juſſibus obſequebatur. Id porro enituit, cùm pater filiæ in Philoſophicis intellectum demiratus, ſeriò cogitavit, de Helena in Philoſophorum Patavinorum Collegium cooptanda, & Doctoratus laurea donanda.

& Regularis obſervantia.

10. Invaluit jam pridem à *Caroli Magni* ſeculo, per quem plurimæ paſſim per Europam ſcholæ fundatæ ſunt, ut non, niſi facultatibus iis, quas docerent, imbuti viri, auditoribus gauderent; qui antequàm ad id muneris promoverentur, publicè facultatis ejus diſcrimine aſſumpto, quid ab ſe exſpectandum docerent. *Magiſtri* primùm hi dicti ſunt, poſtmodùm *Doctores*; quorum licèt ab initio id muneris eſſet, ut publicè in ſcholis auditores inſtituerent, nec quiſquam Doctor, quin actu doceret; procedentibus tamen temporibus iis omnibus conceſſum decus, qui præ doctrina ſimile ſui ſpecimen exhibere poſſent; quamvis illo exhibito, & *Doctoris laurea* decorati, ad Cathedras nunquam tranſituri eſſent. Collatum igitur etiam iis, ut id præſtare pro libito poſſent, etiamſi à præſtando impedirentur, vel quod majoribus aliunde curis præpediti, vel, quia ob alterius dignitatis præſtantiam, ad Cathedras ſe recipiendi otium haud ſuppeteret. Id maximè poſtremis artis typographicæ temporibus invaluiſſe ſcimus, quibus ſcriptis vox ſuppleri facili negotio poteſt, & Doctoris munus calamo obiri. Decus hujuſmodi nuſquam gentium vel locorum fœminæ collatum ſcimus; quamvis nonnullæ memorentur, quæ ſcriptis, & voce, & viros quandoque docuerunt. Inter quas *Gertrudem*, Magnæ cognomine vocitatam, recenſere juvat altiſſimâ ſæpe ſæpiùs divinitatis myſteria revelantem; ac *Senenſem Catharinam*, quæ non ſemel in Præſulum Purpuratorum conſeſſu, ante ipſum Pontificem ſummum, conciones habuit. Munus itaque docendi ſi quandoque fœminis contingit, quo non etiam aliquando decus illud, quod ad docendi munus conſequitur, contingeret? Viſum itaque eſt ſapientiſſimis Collegii Patavini Patribus, nec Pauli decretis contrarium; qui de eo, quod plerumque fieri debet, abſque ſpecialis meriti præjudicio locutus eſt, nec ſexus conditioni, gentiúmve praxi repugnans, cùm exceptio non tollat, ſed firmet regulam, poſſe virginem cæteroquin doctiſſimam Magiſtræ laurea decorari: quamvis impoſterum vix alteri tribuendum hujuſmodi decus providentiſſimè ſcitum, decretúmque ſit: cùm inde, ritè omnibus perpenſis, gravia incommoda timeri poſſint, quæ tamen ex Helenæ cooptatione haud timenda

De gradibus Academicis.

quibus in Collegio Patavino ornanda decernitur.

menda. Eam præ cæteris fœminis *Helenæ* doctrinam fuiſſe Patres ſapientiſſimi cenſuêre, quæ excipi ex communi tegula mereretur, quatenus tantundem exſpectaretut altera, in quam ſimilis exceptio caderet, quantum exſpectatum fuerat, ut prima exciperetur.

Inauguratíonis ſolemnia. 11. Quod igitur perpenſis rationum momentis ſtatutum fuerat, *Helenæ* renunciatur, quæ actui ſcenam referenti, apprimè repugnans, poſtquàm parentem enixis precibus oravit, ut à propoſito, quo rem ſibi inſenſiſſimam decernit, recedat, demum invita morem gerit. Id unum ægrè obtinet, ut dies præſtituta ad rem præſtandam eligatur poſt ferias Divo ANTONIO Ulilſſiponenſi, Patavino nuncupato, ſacras, quibus præ nundinarum, & feſti celebritate innumeri undique conveniunt advenæ Patavii. Dilatum proinde negotium eſt ad VII. kal. Julii; qua die cùm rei nuntium brevi per circumpoſitas urbes prævolitâſſet, convenit undique, maximè verò è regia Venetorum metropoli, talis, ac tanta virorum frequentia, ut rem non in publicis ſcholarū ædibus, capiendæ turbæ imparibus, ſed in Matricis Eccleſiæ Patavinæ Baſilica agendam, neceſſitas ſuaſerit, in qua apud Deiparæ Virginis ſacellum, ad *Helenæ* ſolamen, locata eſt cathedra. (in ſummâ æde peracta xxv. Junii. 1678.) Bono omine id factum; nam cùm imminente publici diſcriminis hora, inter progrediendum domo ad templum multiplicia incerceſſiſſent humanitatis officia, ob quæ, & ob turbarum circumſtantium frequentiam, voces, vota, ſenſit *Helena* quendam animi turbidum mœrorem; unde ſibi viſa eſt excidiſſe ab intellectûs ſerenitate, quæ in hujuſmodi aleâ ſubeundâ quàm maximè eſt neceſſaria; de Deiparæ patrocinio confiſa genibus ante ſupradictum ſacellum flexis, rem ipſi fiducialiter commendavit. Senſit ſtatim cœleſte auxilium, pacato ſiquidem mentis turbine ſurgens cathedram aſcendit, & coram Patribus totâque innumerabili adſtantium frequentiâ, dignè muneri reſpondit ſuo. Philoſophi textum, ut in ſimilibus ſolet, explicavit, nec tamen perſunctoriè, (ſummo cum plauſu.) & ad pompam, ſed eruditiſſimo ac luculento ſermone, quo non modò ſe Philoſophiæ Magiſtram exhibuit, ſed in univerſali rerum, linguarum, ac facultatum Philologiâ admirabilem. Rei fama ſtatim per univerſam Europam ubique diffuſa eſt, quare à plerisque Italiæ præcipuè Academiis nomen *Helenæ* celebratum, editis in ejus laudem encomiis, inter quæ recenſeri meruit *Hyacinthi Maſelli* Panegyrica Oratio Philoſophorum *Helenæ* dicata. Formulam ex Collegii decreto adhibitam in Virginis doctrina apptobanda ex parte tranſcriptam damus. *Pro tribunali ſedentes eandem Illuſtriſſimam Dominam* HELENAM LUCRETIAM CORNARAM, PISCOPIAM *Virginem quidem doctiſſimam, & ita univerſis naturæ artiſque dotibus ornatam, ut nihil amplius ei deeſſe videatur, artium liberalium, & Philoſophiæ Magiſtram, ac Doctricem in Dei nomine approbamus, & approbatam eſſe volumus &c. Datum & actum Paduæ in Eccleſia Cathedrali, in ſacello B. Mariæ Virginis, loco præter ſolitum ob nimiam populi frequentiam ad examen electo &c.*

12. Magiſtræ laurea *Helenæ* collata eo loco habenda eſt, ut, quamvis ipſi immortale decus addiderit, major tamen nominis celebritas Patavino Philoſophorum Gymnaſio præſtiterit; (Creſcente eruditionis famâ,) *Helenæ* ſiquidem nondum laurea decoratæ fama Germaniam, Gallias, Italiam undequaque impleverat. A multis annis Virgo doctiſſima inter inſignium Academiarum alumnos relata fuerat, quæ ſibi conſulentes repetitis precibus rogavere, ut *Helenam Academicam* ſibi adhærerent. Has inter recenſuiſſe laudaſſe ſit *Ricovratorum Intronatorum*, *Infecundorum* Urbis, *Dodonæorum*, ac *Pacificorum* alumnos, (in varias accerſitur Societates literarias.) apud quorum poſtremos non ſemel ſermones habuit, quorum nonnullos damus; illum autem præcipuè, quem cùm Principis vices agens recitare deberet, inſolito apud Sapientiſſimam Rempublicam exemplo, dilata ſunt in ſequentem diem celeberrima toto orbe Patrum Venetorum comitia, quæ patrio idiomate Pregadi vocitant. Apud exteros celeberrimum *Helenæ* nomen; ex quo factum eſt, viros dignitate, ac doctrina præſtantes, ob id (Apud exteros celebris,) Venetias divertiſſe, ut coràm certò ſcirent, an vera eſſent, quæ de ipſa circumferebantur verè admirabilia: qui utique teceſſerunt ſaſſi, creviſſe præſentia famam, & majus ſe expertos fuiſſe apud ſcatebram flumen. Longum eſſet eorundem catalogum exhibere, Principes itaque tantummodò referre ſatius duxi. *Landgravium* videlicet *Haſſiæ*, & *Cardinalem Bullionium*, (& Principibus grata,) quorum uterque cùm de *Hele-*

næ

næ doctrinâ periculum feciſſet, ſtupore obrutus receſſit. Alter horum, Eminentiſſimus ſcilicet Cardinalis, ſui pretioſam imaginem *Helenæ* obtulit, in ejus, quâ erga ipſam tenebatur, exiſtimationis teſſeram, ac inſuper cum ea literis datis ac receptis egit. Harum aliquas in tertia voluminis parte exhibemus, eas videlicet, quæ Chriſtianiſſimi Galliarum Regis animum erga virginis eruditionem oſtendunt, qui, cùm *Carolo Rinaldino* Helenæ in Philoſophicis magiſtro, torqnem aureum mittendum juberet, id quò virum majori honore decoraret, per *Helenam* ipſam præſtandum voluit, per quam, *Bulione* intercedente, *Rinaldini* liber Regi fuerat exhibitus.

ſummis honorib. & teſſeris cumulatur.

13. Inter cætera verò ſummorum virorum officia *Helenæ* præſtita, operæ pretium meminiſſe aliquanto prolixiùs eorum eſt, quibus aliquando Eminentiſſimus Cardinalis *d' Eſtrées* apud eam eſt uſus; quæ, quò majori fide nitantur, à familiari Corneliæ domûs deſcripta ex Italico idiomate, quo apud *Dezam* leguntur, in Latinum per me verſa, referre placuit. Hæc autem ſunt.

Cardin. Eſtræi in eam propenſio,

Primis anni 1680. kalendis affuit Patavii Eminentiſſimus Cardinalis *d' Eſtrées*, qui poſtquàm eccleſiam D. Antonio celebrem, nec non publicarum ſcholarum ædes inviſerat, ad *Helenæ Lucretiæ* palatium perrexit, cùm priùs per nuntiũ humaniter ab ea petiiſſet, ut ſe viſitantem excipere dignaretur. Ante primam noctis horam affuit. Ibi, qui illum exciperent, acceſſerant plures ex Patritiorũ ordine viri, Corneliæ genti familiaritate conjuncti, nec non quatuor publici Gymnaſii Magiſtri; qui venienti obviam proceſſère, altero memoratorum Equitum accedente, & prima ad bigam, qua vehebatur, officia impendente. *Helena* interim ad ſupremum ſcalarum gradum advenerat aſſociata, quæ, cùm quaſi obviam deſcenſura proceſſiſſet, à deſcendendo rogata abſtinuit; & cùm jam primas ædes ingrederentur, comiter ab Eminentiſſimo habita aptiſſimè reſpondit. Hinc ad magnam in hanc rem paratam aulam ventum eſt. Comites obſequentes Principi aderant præcipui, quatuor Principes, *Generalis* (ut vocant) *Grimaldus*, Eminentiſſimi Barbarighi Cubiculo Præfectus, Equites quàmplurimi, duóque Academiæ Sorbonicæ Doctores; quorum tamen nullus primò magnam Aulam ingreſſus eſt, ſed extra velum remansêre. Periſtromate ampliſſimo pavimentum univerſum obducebatur, è regione verò oſtio oppoſita ad gradus, & dignitatis diſcrimen, minori altero ſubſtrato, ſedes Principi parata locabatur. Vacuam tamen is *Helenæ* reliquit, & ad alteram ſe recepit oſtio proximam; indéque inter utrumque multiplicia verborum obſequia, donec Helena modeſtiſſimè morem geſſit. Præſtitit autem id comitatis ſtratagemate Principi inexſpectato, cùm per virginem præſtaretur, aulicorum morum penitus inſciam: Sedem enim è minori periſtromate eduxit, antequam juſſa ſederet. Verbis hinc inde certatum eſt, cùm Eminentiſſimus ſe *Helenæ* famâ ad eam inviſendam allectum teſtatus eſt; quò obſequii officia rependeret, *Helena* moderationis ſenſus repoſuit, quibus erga tanti Principis magnitudinem, & dignitatem ſe maxima reverentia teneri perhibuit. Lingua Italica loquutus eſt ille, ſermoni tamen Gallica quandoque verba miſcens, quibus ſemper hæc optimè intellectis reſpondit. Cùm verò quarta horæ pars elapſa eſſet, addidit Eminentiſſimus in proximo Dominum Ducem adeſſe, qui certò libenti animo Virgini obſequia exhiberet: at cùm is adoleſcens admodùm Helenæ ad aſpectum nonnihil pavidus moram traheret, per Principem expoſitum eſt plurimorum Equitum idem deſiderium, ac ſubitò vocati ſunt. Iis cùm reſediſſent, multa locutus eſt Eminentiſſimus de Virginis comitate, admonitos eos volens, de ejus in Gallica lingua peritia, quâ ultrò uti poſſent: at cùm eorum nemo primùm loqui auderet, *Helenæ* ait, adeſſe binos ex *Sorbonica Academia Doctores* eruditione præſtantes, qui, ſi liberet, præſtò eſſent. Hi igitur admiſſi, cùm Virgo repoſuiſſet, Eminentiſſimum Dominum, quem ſummo obſequio ſuſpiceret, uti debere ſuo in ædibus propriis arbitrio, Doctoribus prælaudatis ſcientiarum & linguarum, quas *Helena* callebat, indicem texuit Eminentiſſimus Princeps; quem loqui ceſſantem quidam Corneliorum familiaris Doctor excepit, aſſerens illam, ſi ipſe Eminentiſſimus, & quotquot aderant, æqui boníque conſuluiſſent, præſto linguarum & facultatum ſpecimen daturam. Allatis itaque libris, & Muſices operibus, alter ex Sorbonicis Magiſtris Iſocratem præ manibus acceptum legere cœpit; inde vir-

& anno 1680.

exhibita honoris indicia

in publico ad eam acceſſu,

in quo verbis,

mutuisq; officiis certatũ,

Accitis Doctoribus Sorbonicis,

in linguis & ſcientiis Specimina edit.

gini porrexit, quæ ſervatis linguæ Græcæ accentu, & proprietate, lectionem proſequuta eſt, & intercedente Eminentiſſimo alteram legendo abſolvit paginam. Per ipſum Principem virgini exhibiti ſunt aliqui ex cæteris libris, Hebraici præcipuè, quibus cum aſtantium ſtupore evolutis, acceſſit vocatus *Helenæ* in Hebraicis Inſtitutor, apud ſuos Magiſter, *Rabinum* vocant. Inde de virginis in ſcribendo, loquendo, & canendo per alia Idiomata peritiâ periculum factum, quod cùm præſtitiſſet, & excepta Hebraica, cantiunculas cæteris linguis conceptas, ſono edito per ſemetipſam, omnia, qui aderant, plauſu probavêre. His expletis Eminentiſſimus virgine laudatâ, ſeriò teſtatus, ſe nolle illam ex aula pedem efferre, diſceſſit. Ad præſtituram in laudem Eminentiſſimi Academiam ſtatim Virgo properavit (*hæc verò Excellentiſſimi* PROCURATORIS, *Helenæ parentis, nutu fiebant*) quæ ab Equite *Lepido Zabarella* obviam veniente, & à plurimis aliis recepta eſt.

Introducta in Academiá,

Introgreſſa apud Academiæ Principem ſedit, contra Eminentiſſimi thronum. Is ad ipſam acceſſit, eáque locutus eſt, quibus facilè cognoſceretur, ſibi *Helenæ* adventum repentinum æquè, ac gratiſſimum accidiſſe. Inde ad thronum ſe recepit, & Muſicorum præludente concentu Academica res cœpta eſt; habito per Dominum *Rinaldinum* ſermone. Per Principem problema propoſitum, & hinc inde tractatum; à quo demùm cùm

in Cardinalis laudem perorat,

in Cardinalis laudem recitata fuiſſent carmina Italica (*Sonetto* Italis dicuntur) tandem *Helena* Elogium dicti Eminentiſſimi orſa eſt. Ora tunc omnium intenta, quamvis ad duo millia Auditorum adeſſent, nec murmur auditum. Frequentia porrò adſtantium ob choreas, poſt Academiam habendas, aderat. Dignè, ut ſemper, Elogium habuit virgo, cui comunis plauſus totius theatri tributus eſt. Eminentiſſimus autem à throno ad virginem proceſſit, gratias acturus, addens, ſe quidem rem vanitate plenam rogaturum, ſed ab operis elaboratiſſimi excellentia ad illud expetendum trahi.

& petitum ab eo elogium

Semel igitur, ac iterùm petiit, ut ſibi pagina daretur, ex qua Elogium deſcriptum legerat illa, nec, niſi ægrè obtinuit hæc, ut ſibi ad meliorem normam deſcriptum in aliud tempus tribuendi facultas concederetur. Eminentiſſimo ad locum ſuum ſe recipiente finis Academiæ impoſitus carminibus Italicis, à Domino *Secco* in ſupradicti Eminentiſſimi laudem recitatis. Hinc ipſi ignota, ex Equitis *Grimaldi* conſilio, diſceſſit *Helena*, choreis intereſſe recuſans. Adnotandum hîc venit, quòd, cùm ea Elogium orſa eſt legere, quotquot in medio aderant, flexerunt genua, nec, uſque dum deſiit, ſurrexerunt: quod factum eſt, quo circumſtantes nobilium mulieres loquentem videre poſſent. Magnum profectò Helenæ debitum decus! Paginis inde auro circumdatis Elogium per *Helenam* deſcriptum eſt; in cujus calce duo addita Apophtegmata, Græcum alterum ex Euripede, Hebraicum alterum ex Samuele: quorum ea ſumma fuit, ut intelligeret Eminentiſſimus, *Helenam* obſequendi gratia lucubrationem exhibere. Illud ſequentis diei hora quarta decima Eminentiſſimo Domino miſſum eſt, qui jam Ferrariam versùs diſceſſerat: quare, ne à promiſſis recederetur, curſor citiſſimè miſſus, qui ipſum ad pontem, *Lova* dictum, aſſecutus eſt. Eximii favoris loco apud ſe paginam futuram, & tanquam *pretioſiſſimam gemmam* ſervandam aſſeruit Eminentiſſimus, videns inde Græci ac Latini Apophtegmatis mantiſſam, plura gaviſus eſt ſe recepiſſe quàm audiſſe, & nuntium remiſit Virgini gratias referens: de cujus dotibus ſe teſtem apud omnes futurum promiſit.

in ſcriptis porrigit.

14. Hæc fortaſſis prolixiùs, quàm promiſſa Florilegii hujus brevitas expetebat: verùm ad amuſſim tranſcribendum fuit ejus, qui relata vidit, teſtimonium, ut omnia ſua fide ſolidè nitantur, quæ cæteroquin ob novitatem, & inſolentiam, ſuſpicionem aſſentationis legenti ingerere poſſent. Servata igitur eſt brevitas, cùm ea relata ſunt, quæ virginis apud omnes gloriam referunt: at ſi iis, quæ illa ſcivit, & egit, ea, quæ paſſa eſt, ad univerſæ heroicitatis complementum adjungamus, vix ſervabimus ſtatutæ limites brevitatis. Iliadem morborum recenſere, quibus plurimis ante obitum annis eſt afflictata, & qua animi conſtantia, viriliſque pectoris fortitudine ea pertulerit, operis majoris res eſt. Harum igitur rerum argumentum, ut fidem ſervemus, breviſſimè atingemus, *ſummiſque*, ut ajunt, *labiis* deguſtabimus.

Relationis prolixitatem Author excuſat.

15. Primus morbus, quo per virile robur, patientiæ palæſtram ingreſſa eſt Helena, febris ea fuit, ſeptentrio-

Morbi quibus conflictata fuit.

nalibus

nalibus maritimis oris familiaris, Italis penè ignota, Scorbuticam Medici dicunt; hac difficillimis ſymptomatibus plena, multis ante obitum annis virgo per duos menſes diſcruciata eſt. Eam fluxus excepit; inde ex viſcerum calore, & bilis prædominio torminibus atrociſſimis diſtracta; ac ſebri purpurea laboravit. Per plutimos inde menſes nephriticis doloribus detenta, Phyſicorum peritiam eluſit, nec, niſi epotis B. Virginis Ortoni montis aquis, convaluit, ejectis calculis tribus. Bis pectoris vena diſrupta, ſemel ante, & ſemel tribus poſt doctoratus lauream acceptam menſibus, recurrente videlicet Septembri anni 1678.

Adhibita remedia.

Per annum ante obitum terribilibus matricis morbis contabuit, quibus violenta adhibita remedia, ipſa haud ſemel in vitæ diſcrimen addacta eſt; accedentibus tremulis, convulſivíſque motibus, nervorum attractione, totiúſque corporis macie. Tandem ſcapulis peſtilens malignúſque bubo adhærens, brevíque in incurabilem lethalémque erumpens plagam, adhibitâ Patavii, ubi jam dudum in hanc rem morabatur, omnimodâ curâ, anno 1684. die 26. Julii, ætatis verò ſuæ 38. cùm à mortiſero lethargo ſe paululum recepiſſet, ad meliorem vitam, ac Beatorum ſcientiam tranſivit.

Obitus 1684. 26. Julii.

16. Cadaver per tres dies inhumatum, tempeſtatis æſtu ringente, ac Auſtri ventis flantibus, cùm nil cadavericum contraxiſſet, quin imò non inſuaviter oleret, nullis medicaminibus curatum Medici teſtati ſunt, opinantibus plurimis aromatibus illud à corruptione ſervatum. Caſinenſium Monachorum habitu indutum, interna videlicet lanea; & nigro deſuper cucullo feretro locant. Scapulis breve Doctorale indumentum impoſitum, & caput duplici corona redimitum, altera liliis compoſita, in virginitatis ſervatæ indicium, altera lauris intexta, ad laureæ magiſtralis argumentum. Libris inſuper patentibus, *Helenæ* variæ eruditioni, & multiplici literaturæ prælusum eſt. Quatuor nobilium virorum, Philoſophici, vel Medici Gymnaſii Magiſtrorum humeris elatum eſt funus, procedentibus lugubri habitu, cereíſque accenſis urbanorum Xenodochiorum, & Monaſticarum ſocietatum ordinibus; nec non Philoſophorum, ac Medicorum Collegio. Innumera ex finitimis urbibus frequentia publico veluti indicto inſtitio, publicíſque clauſis officinis, primum ad Gymnaſii ædes, inde longo circuitu ad tota Italia celeberrimum D. Juſtinæ Templum delatum eſt. Ibi à Monaſterii Abbate, ac Monachis receptum eſt feretrum, molíque impoſitum lugubri, magnificéque fulgentibus hinc inde frequentibus cereis.

Funebris ritus & honores.

in S. Juſtinæ templo ſepelitur,

Solemni inde, mœſtóque Muſicorum concentu, poſtquàm res ſacra peracta eſt, publicè ex Collegii decreto laudata eſt *Helena* per nobilem virum *Campolongbum de Campolongbis*: quibus completis concio univerſa dimiſſa eſt. Quod ſeriò vivens expetierat, ac in mandatis reliquerat, in eodem loco, quo monachi humari ſolent, conditur, hujuſmodi inſcripto epigrammate, cujus auctorem ferunt *Jo. Hieronymum Textoris*, Monachum, ac in Patavino Gymnaſio ſacræ Paginæ interpretem.

addito hoc epitaphio.

D. O. M.
HELENÆ LUCRETIÆ CORNELIÆ PISCOPIÆ,
JO. BAPTISTÆ D. M. PROCURATORIS
FILIÆ,
QUÆ MORIBUS ET DOCTRINA
SUPRA SEXUM, ET LAUREA
AD MEMORIAM POSTERITATIS INSIGNIS
PRIVATIS VOTIS, CORAM CORNELIO
CODANINO,
ABBATE S. GEORGII MAJORIS EMISSIS,
S. BENEDICTI INSTITUTUM,
AB INEUNTE ÆTATE COMPLEXA,
ET RELIGIOSE PROSEQUUTA
IN MONACHORUM CONDITORIUM
UT VIVENS OPTAVERAT,
POST ACERBA FATA,
ADMISSA EST. MONACHI H. M. PP.
ANNO D. M. DCLXXXIV.

Cenotaphium cum Tumulo honorario, ſtatuis ſigníſque marmoreis illuſtre paratur, apud D. Antonii ædem locandum, cùm apud Monachos cautum ſit, ne in D. Juſtinæ templo quid ſimile paretur. Quo verò *Helenæ* æternitati ſeduliùs proſpiceretur, per univerſum Collegium Philoſophorum decretum eſt, ut publico numiſmate, poſteris ejus nomen commendaretur: in cujus antica parte ejuſdem imago, addito ad peripheriam encomio; in poſtica verò Concha rorem excipiens, cum epigraphe: NON SINE FOENORE.

Alia honoris monumenta,

Accipe virginis Elogium, plumbeæ laminæ, intra cupreſſinam arcam, inſcriptum.

& virginis elogia.

HELENA LUCRETIA CORNELIA PISCOPIA *nobilis Veneta, maximi nominis virgo, & D. Benedicto ſponte dicata, Hebraici, Latini, Græcique ſermonis Attici, & neoterici, ſupra Hiſpanicum,*

Gallicum, *& Italicum peritiſſima, quos cantus ſuavitate mirè exornabat; in ſcientiis omnibus præcellens, doctorali laurea Patavii anno MDCLXXVIII. XXV. Junii publicè donatur*, *& Doctrix in cathedrali Eccleſia declaratur. Cujus fama & ſcriptis permoti Summus Pontifex* INNOCENTIUS XI. *&* JOANNES III. *Poloniæ Rex literis Apoſtolicis VI. Maji*, *& Regiis XIV. Junii MDCLXXXIV. eandem viſitârunt*, *atque Romanorum Imperator* LEOPOLDUS, *ſed &* CAROLUS III. *Lotharingiæ Dux mirificè commendârunt. At mortalem hanc gloriam eodem anno die XXVI. Julii hora XVIII. in immortalem commutavit, ut duplicem Virg. & Doct. laureolam ſuſciperet in cœlis*, *ætatis ſuæ XXXVIII. mæſtiſſimo parente Joanne Bapt. D. Marci Procuratore ſuperſtite.*

Mabillonii de ea comendatio.

Relatum leges nuperrimè à V. C. *Joanne Mabillon*, Helenæ digniſſimam commendationem, in parte prima tomi primi Muſei Italici; cujus hoc ipſo anno in lucem prodeuntis exemplar dono miſſum ab humaniſſimo, ac erudiſſimo Auctore habemus.

Ejus corporis & animi dotes.

17. Corpore nec nimis procero, nec exiguo nimis fuit, ſed mediocri ſymmetriæ reſpondit. Frons ampla majeſtatéque plena, acies oculi vivida, color niveus, habitus totius decore & gratiis refertus. Neminem allocuta eſt, quin illum in ſui admirationem, ac obſequium traxerit, & allexerit. Ingenium ad omnia aptum, perſpicuum, verſatile, celerrimum, quod quæ facillimè aſſequutum fuerat, memoriæ perpetuò inhæſura committeret. Temperamentum ex utraque bile ita comparatum, ut in omnibus lentè feſtinans, nil temerè aggrederetur, omnia ſeriò perficeret. Natura placida, moderata, benigna, ad omnia ſponte progreſſa, quæ honeſtati, juſtitiæ, & decori conſona, nihil indecorum, nihil non virgine non nobili dignum meditata.

Æqui & juſti amantiſſima,

18. Æqui juſtique amantiſſima fuit; cujus quidem rei conſtans adeò invaluit opinio, ut ad difficillimas quæſtiones dirimendas partibus hinc inde conſentientibus adhibita ſit; ipſa interim in lecto decumbens valetudine afflictata, patientiſſimè Oratores audiens, qui patrio more pro clientulis decertarent, ad iudicium promendum proceſſit. Enituit aliquando *Helenæ*

inter litigantes arbitra

æquitas, cùm lis hujusmodi ex litigantium conſenſu ipſi dirimenda commiſſa eſt. Alter horum, ex cujus præpotentia in multos annos producta fuerat quæſtio, in compromiſſum conſenſerat, quòd ſe confideret multùm apud Corneliam gentem, multùm apud *Helenam* ipſam pollentem, rem officiis ſtatim dirempturum. Verùm ſecus res accidit, rationibus etenim ſex dierum examine perpenſis, in oppreſſi favorem ſententia emanavit; à qua ſeriùs, quàm perfugerat, *Helenæ* æquitate cognitâ, cùm recedere curaret, qui damnabatur, ratum habitum eſt à Prætore virginis decretum, & in publica Curiæ acta relatum. Ob ſimile

causas dirimit.

judicium cùm aliàs, cui nihil grati fecerat *Helena*, erga eam ſubirati animi alter indicia non obſcura dediſſet, ei intrepidè repoſuit, *ſe*, *cùm de juſtitia ageretur*, *non partium merita*, *ſed rationum momenta comparare*; obtinendi igitur favoris occaſio non in litibus dirimendis, ſed aliunde quærenda, quam ultrò libentique animo captaret.

Animi magnitudo

19. Animi magnitudo æquè, ac ceteræ in ea dotes, emicuit. Nec ibit inficias, qui conſtantiam virginis demiratus fuerit, in tolerandis morborum multiplicium torminibus. Celebre poſtremis vitæ diebus matri datum reſponſum. Cùm enim clariſſimus Archiater & Anatomicus *Marchettus* bubonem ſpecillo tentaret, ut de partis ſenſu periculum faceret; ad ferri lancinantis contactum nec ſuſpirio reſponderet *Helena*, mater ſtupore capta filiam de doloris ſenſu interrogavit: reſpondit illa ſe utique habere; cui mater, *ut quid ergò non doles*? Quia (Helena repoſuit) cùm pro Deo patimur, pati nos absque querela decet.

in ſufferendis morborũ cruciatibus,

His addenda, quæ voluntaria corporis maceratione ſubiit, ciliciis enim, fuſtigationibus, inediis ita ſe libenter afflictavit, ut id inde ab animæ curatore expetierit, & ab invito extorſerit. Servorum & ancillarum laboribus compaſſa, eorum vices ſæpiſſimè præſtitit: inurbanitates eorum favoribus proſequuta eſt; ſervum ſomno torpentem, menſtruo mercedis augmento, & munere alteri demandato, emendavit. Adverſa toleravit, cùm patris inteſtinis Gentis diſſidiis laborantis periculum per ſomnium reſcivit.

& aliis adverſitatibus.

Quandoque è ſuperiori ſcalarum gradu inviſibili vi absque corporis læſione, in inferius Palatii atrium delata omnibus, qui aderant, pallore perfuſis, ipſa imperterrita ad D. Antonii ſacram ædem, quo tendebat, perrexit.

20. Mo-

Modeſtiâ incomparabilis,

20. Moderatione fuit incomparabili. Quodcunque landis genus ipſi ingratiſſimum, quòd ſciret, flocci ſaciendas laudes, & ad meriti momenta reſpiciendum. Nil prorsùs præcox *Helenæ* ſatum accelerâſſe conſtans opinio eſt, quàm quòd ſæpiùs in ſcenam prodire, & eruditionis ſpecimen exhibere coacta ſit. Quamvis niveo candore decora eſſet *Helenæ* ſacies, tota hujusmodi in circumſtantiis in ruborem effundebatur, maximè cùm laudaretur, quod quidem frequentiſſimè accidit. Laureæ doctorali recipiendæ reſtitit pro viribus, & ab accepta contra moderationis ſuæ ſenſum, in deteriorem valetudinem abiit, diſrupta iterùm vena, multiplicatis difficillimis morbis, à quibus demùm conſumpta.

nihil illa gloriæ, omnia verò virtuti tribuit.

Nil unquam aggreſſa eſt ad auras rumuſculorum captandas, quin omnia ex obedientiæ merito, relnctante moderatiſſimo genio ſuſcepit, quæ in maximum ſui detrimentum cederent. Cùm ſemel à celebri Oratore Venetiis apud Divorum Joannis & Pauli ædem pro concione coram laudaretur, rubore perfuſa ſtatim ſeceſſit, nec impoſterùm eidem audiendo affuit. Ex Epiſtolis frequentibus Principum, ac virorum eruditione præſtantium, ipſi conſcriptis, illæ tantummodò ſuperſtites, quas diligens Jo. Baptiſtæ parentis cura ſervavit; cæteræ ob ejus modeſtiam exciderunt. Id etiam in cauſa fuit, quòd ex ejus operibus pauca ſuperſint: paucula enim eo elaboravit, ut ederentur, ſed pleraque vel exercitii, vel comitatis cauſâ egit; omnia certè, ut iis, quibus ſuam voluntatem ſacraverat, morem gereret.

Decoris & caſtimoniæ amor,

21. Dotes hujusmodi, quas ſi in fœmina videas, miraculo deputes, cùm ſublimi adeò heroïcitatis gradu in *Helena* emicuerint, quidni eæ adfuerint, quæ virgini, è Gente nobiliſſima ſatæ, ſunt propriæ? Decoris ac Caſtimoniæ amorem teſtantur vota ab undecimo anno ſuſcepta de virginitate ſervanda, à quibus nunquam dimoveri potuit. Habitus, ſtola, inceſſus, ſermo pudicitiam omnibus modis præ ſe tulere. Reſpuit ſeriò, quod plerisque nobilibus fœminis commune, recedens à veſtiendi ſalaciſſimo more, toties per Eccleſiæ Præſules proſcripto, toties apud ſequiorem ſexum renaſcente. A theatris, choreis, ſaltationibus, Bacchanaliorum ſtrepitum inprimis abhorruit, à teneris unguiculis dolorem matri quandoque teſtata, ob frequentis populi, in hæc defluentis, ſpiritualem perniciem. Innocentiæ ac puritatis Helenæ præmium à Deo viſibile collatum habitum eſt, ejúsque inviſibilis coronæ argumentum, qua apud Superos gaudet, quòd ſacies poſt fata pulcherrimo candore perfuſa viſa ſit, fluente identidem ex lethali plaga, per quam demùm confecta fuerat, ſanguine vivido, benéque olente, recurrentibus Julii menſis ſervidiſſimis æſtibus, & per tres dies inhumato cadavere.

22. Magnificentiam & munificentiam ad natalium ſuorum ſplendorem cæteris animi dotibus æquavit. Paupertatem, quam ad Monaſtices profeſſionem ſummè coluit, ita temperavit, ut ſibi adimeret, quæ in pauperes, ac in infirmos erogaret. Viros doctrina conſpicuos ſavoribus ampliſſimis cumulavit, quos ad munera obeunda apud parentem curavit promovendos, quatenus & reipublicæ ipſi prodeſſent, & ipſis reſpublica viciſſim ſuffragaretur. Erga illos, quos inſtitutores habuit, ſummo gratitudinis vinculo detenta eſt; ſumma inprimis cura laboravit, ut Hebræum, quo inſtituente in Hebraicis profecit, ad Chriſtianam religionem adduceret; quem tamen rationum momentis devictum, ſed temporalium rerum amore à veritate refugientem, ex animo doluit.

Magni- & munificentia.

23. Morum ad Dei voluntatem perſectè conſormandorum ſtudioſiſſima; illos potiſſimùm magiſtros amplexa eſt, qui ſe in veræ abnegationis præceptis inſtituerent. Orationem ad Deum, quem quotidianis, & repetitis vicibus coluit, ita temperavit, ut nil temerè aggrederetur, & omnia citra novitatem ad moderationis normam conformaret. Præſcribenti ſublimem orandi apud Deum methodum, quâ contemplaretur, ac tenebricoſa quiete ſterteret, reſpondit; ſe infirmam nimis, & ſublimi volatui imparem, nihil à Deo petituram, præter paſſionum ſuarum dominium. Divinæ bonitatis largitatem modeſtè deprecari ſuſtinuit. Mentis contemplationi preces vocales immiſcuit, inter quas frequentiſſimæ, quæ ad B. Virginem, D. Benedictum, ac Angelum ſibi Cuſtodem, ex Eccleſiæ præſcripto, recitantur. Sæpiùs curſum exequuta eſt, quem vulgari vocabulo Officium Magnum vocitant. Diei noctíſque horas ita temperavit, ut ſtudiorum cura, animæ curam non impediret, ſed altera alteram foveret, promoverétque.

Pietas & in Deum fiducia.

24. Ante

In D. Benedicti inſtitutum affectus,

24. Ante omnia verò ſpeciali erga D. BENEDICTI Ordinem, cujus inſtituto nomen dederat, amore, ac obſequio fuit. *Helenæ* animum intimiùs nemo novit, quàm *Cornelius Codanimus*, Vir octuagenario major defunctus, quem ſupra memorâſſe, laudâſſe eſt. Hujus frequentiſſimis colloquiis uſa, nec poſt viri omnium opinione piiſſimi obitum, ejus quandoque meminit, quin lacrymas effunderet. Ipſe *Helenæ* animum in divinis inſtituit, & ad familiaritatem admiſſus, in eam, quam laudavimus, innocentiam conformavit. Utinam ſciremus, quæ ad æternitatem inter utrumque ſecreto toties tractata ſunt; ſed hæc utriusque religioſiſſima taciturnitate intercidiſſe dolendum.

& in ejus aſſeclas officia.

Erga viros ex eodem Ordine in totius obſequii officia effundebatur: quod patet legenti in tertia voluminis parte epiſtolam, Abbati *Joan. Baptiſtæ Beccio* inſcriptam. Bona adhuc valetudine gaudens ancillam ſecretorum ſuorum participem ſeriò admonuit de ſuo futuro præcoci fato. Inter cætera verò, quæ ſibi præſtanda mandavit, præcipuum fuit, ut habitu Benedictino indutum cadaver apud Monachos ſepeliretur, ut in extremis animæ & corporis conflictationibus, ſibi Monachus adeſſet, demum ut interula lanea Benedictino more induta humi conderetur, quæ per gyrum circa pedes conſuta, decore corpus totum contegeret. Quod alibi memoravimus, in Sanctorum Ordinis, cui nomen dederat, Solemniis, apud eccleſias Monachorum veniam delictorum per ſecretam exomologeſin petebat, & ſacris reficiebatur Myſteriis. Morti jam proxima rogavit de Monacho, ad animæ ſuæ curam advocando; quo accedente,

Quos inter ſepeliri voluit.

Helena paululum à lethargo ſe recipiens, lætitiæ non exiguæ indicia præbuit, & viri manus in obſequii, & devoti animi argumentum, exoſculata eſt. Is funus defunctæ curavit, & cucullo nigro cadaver ex demortuæ præſcripto veſtivit, cæteríſque officiis, apud Monachos ſolitis, proſecutus eſt. Nomen viri recenſere operæ pretium ducimus apud Ordinem eximii. Is D. *Petrus Paulus Calderonus* Ravennas, pietate ac eruditione clarus, per multos annos Scholaſticorum Profeſſor, nunc totius Ordinis Comprocurator, & in Monaſterio Parmenſi Theologus. Pluries ipſe *Helenam* in animi negotiis adjuvit, ſolus *Helenæ* morienti opem tulit, & quæ ſcripſimus vel confirmavit, vel primùm docuit: quem propterea laudandum duximus, ut grates ei haberemus, per quem profecimus.

Ejus ingenii partus.

25. Poſt Florilegium Vitæ *Helenæ Scholaſticæ* à Benedicto Bacchino adornatum, ad ejus Opuſcula accedendum eſt. Hæc inter primum ſortiuntur locum *Diſcorſi Academici*, ſeu Problemata aliquot in Conventibus Academicis Italico ſermone ab eo reſoluta: ſunt tres tantùm Diſcurſus, ſed omnis eruditionis genere referti.

Diſcurſus Academici.

Magnor. virorum elogia.

2.) *Magnorum Virorum Elogia ſeptem*, quorum I. eſt D. Cæſaris Cardinalis de Eſtrées; II. Innocentii XI. P. M.; III. Invictiſſimi Rom. Imp. LEOPOLDI I.; IV. Johannis III. Poloniæ Regis; V. Caroli Lotharingiæ Ducis; VI. Sylveſtri Valerii, D. Marci Procuratoris, & Patavini Archilycei Moderatoris, tanquam Academiæ Recuperatorum Patroni. Quibus Elogiis acceſſit *Græcum Epigramma in Natali Auguſtiſſimi* JOSEPHI, *poſtea Romanorum Imperatoris.*

Epiſtolæ.

3.) *Helenæ ac Virorum illuſtrium Epiſtolæ Italicæ ac Latinæ.* Ad Helenam hîc ſcriptæ reperiuntur epiſtola Latina Innocentii XI. R. P. & Italica *Johannis III.* Regis Poloniæ, & quatuor Italicæ, & una Latina Cardinalis *Bullionii*, nec non una Italica *Sebaſtiani Foſcarini*, duæ Latinæ *Ludovici Eſpinæi* Sanlucii, duæ item *Caroli Catonis* Curtii, & una *Joh. Baptiſtæ Beccii* Abbatis Caſinenſis; Helenæ autem ipſius duæ ad patrem *Joh. Baptiſtam Cornelium Piſcopium*, una ad D. *Antonium Guilielmum de Eſte*, una ad *Joh. Baptiſtam Beccium*, Abbatem Caſinenſem, eæque omnes Latinæ.

Colloquia de Chriſto.

4.) *Lettera* ovvero *Colloquio di Criſto noſtro Redemtore all' anima divota, da Giov. Lanſpergio Cartuſiano in Latina lingua compoſta, e poi tradotta in Spagnuolo, dal P. F. Andrea Capiglia del medeſimo ordine, traſportata finalmente dallo Spagnuolo in Italiano da Helena Cornelia &c. dedicata al R.mo Padre Giov. Paolo Oliva Generale della Compagnia di Gieſu.* i. e. *Epiſtola, ſeu Colloquium Chriſti noſtri Redemptoris cum anima devota, quod Joannes Lanſpergius primùm Latinè conſcripſit, tum P. F. Andreas Capiglia ejusdem Ordinis Hiſpanicè vertit, denique Helena Cornelia &c. ex Hiſpanico in Italicum ſermonem convertit, ac R.mo Patri Joanni Paulo Oliva Soc. Jeſu Generali dedicavit.*

Omnia

Omnia hæc Opuſcula in unum corpus congeſta typis excuſa fuerunt Parmæ per *Hippolytum Roſati* an. 1688. accurante *Benedicto Bacchino* ſuprà laudato, qui etiam in ſua Ephem. Lit. an. 1687. exhibet pag. 11. & ſeq. *Elogium* ſatis prolixum ab Helena compoſitum in laudem E.mi Card. *Cæſaris de Eſtrées*, qnod incipit: *Age calame, in tantæ majeſtate purpuræ* &c.

Author verò Diarii Eruditorum Veneti anni 1675. die 1. Dec. pag. 137. refert alium ab *Helena* typis editum, nempe

Secunda corona.

5.) *La ſeconda Corona intrecciata da varii Litterati co' fiori de' loro ingegni per coronar di nuovo il molto Rev. Padre Giacomo Lubrani della Compagnia di Giesù Prédicatore nella Chieſa del Ven. Monaſtero di San - Lorenzo, e Coriſeo trà gli Oratori di Venezia nell anno* 1675. i. e. *Secunda Corona à variis Literatis contexta cum floribus eorum ingenii, pro novâ coronatione multùm R. P. Jacobi Lubrani S. J. Concionatoris in eccleſia Ven. Monaſterii ad S. Laurentium, & Principis inter Oratores Venetos anno 1675. ab Helena Lucretia Cornelia Piſcopia Venetæ Nobilitoti dedicata in 4. Venetiis.*

Helenæ panegyriſtæ & laudatores.

Cæterùm *Helenam*, tam in vivis agentem, quàm demortuam Viri ferè omnes dignitate, ac eruditione ſummi (ut paulò antè memorati Principes) inſuetis honoribus & laudibus ſunt proſequuti. Ex Scriptoribus autem eam laudant Franciſcus Macedo in *Medulla Hiſt. Eccleſiaſticæ, in Epiſtola nuncupatoria ad eandem, & in Lucerna Macedi ad Lucernam Cleantis, pariter in nuncupatoria.* Henricus Seneſius *in Encomiis Urbis Venetæ, & Picturâ Venetæ Urbis.* Carolus Rinaldinus *Geometriæ l. 3. & in Analytica Mathematum Patav. edit.* 1671. Jo. Palatius *Aquila inter Lilia.* Philippus Maria Boninus in *Cyro politico.* Franciſcus Fulvius Frugonus; *Ritratti Critici*, & *Heroina Intrepida*; Chriſtophorus Arnaldùs *de Uxore adulterii ſuſpecta*; Joannes Henricus Hottingerus Part. 2. *Hiſt. Eccleſiaſticæ novi Teſtamenti* in nuncupatoria; Jo. Mabill. part. 1. tom. 1. *Muſæi Italici*; Jo. Fridericus Heckelius diſſert. *de Fœminis literatis*, Chriſtophorus Juanovich *Minerva al Tavolino*, Jo. Marina Muti, *Rotture del gemma e Penna volante*; Jo. Paulus Oliva par. 1. & 2. Epiſtolarum; Petrus Buſinus Engadinus Elveticus, qui Elogium Græcum in laudem Helenæ typis dedit Venetiis anno 1669. apud Mortalem; Jo. Bapt. Vitalis *Capricci ſerii delle Muſe*, Jac. Zopelli *Trattenimenti poëtici*; Joan. Bapt. del Giudiæ *Poëſie Sacre, e Moroli.* Ant. Lupis *Amazzone Scozzeſe*; Chriſtianus Junkerus Dresdenſis *Schediaſma hiſtoricum de Ephemeridibus*, ſive *Diariis Eruditorum* pag. 113. ubi poſt inſignes in Helenam congeſtas laudes, lectorem ad Acta Erud. Lipſ. anno 1689. pag. 1. remittit, mulra ibi de hac Helena reperturum; refert etiam Jo. Cin. Bibl. Volant. pluteo 6. pag. 36 exhibentem orationem parentalem ad Cœnotaphium Helenæ à Franciſco Caro (celebris concionator is ſuit) habitam die 28. Julii 1684. impreſſam Patavii in ſol. Greg. Lœti *Italia Regnante* part. 4. lib. 1. pag. 43. ubi aſſerit in Diario Eruditorum Parmeoſi (quod Abbatis *Bacchini* noſtri opus eſt) anno 1687. pag. 9. repræſentari nummum in honorem Piſcopiæ cuſum, in cujus unâ parte Piſcopiæ facies, & circùm eam hæc verba: *Hel. Luc. Cornelia Piſcop. fil. Jo. Bapt. D. M. P. Sep. Lin. Orn. Laurea Philoſoph. donata Patavii. A. S.* 1678. In alterâ Concha Unionem, quæ aperto ore excipit rorem cœlitùs decidentem, addito lemmate, *non ſine fœnore.* Infra verò nummi faciem hæc alia verba *Patav. Phil. Colleg. decreto.* Author Diarii Eruditorum Veneti anno 1671. eam plurimùm laudat.

Elogia, orationes & epigrammata in ejus laudes profuſa.

Numus in ejuſdem honorem cuſus.

Infœcundorum Academiæ parentatio.

Nec etiam prætermitti debet Romanam *Infœcundorum Academiam*, quæ per id temporis plurimùm florebat, cui *Helena* adſcripta fuerat, eidem extinctæ ſolemniter parentâſſe, non minùs inſigni ſuneris pompâ, quàm innumeris, eiſque præclariſſimis in eam congeſtis laudibus, Latino, Hetruſco, Græcóque ſermone conſcriptis, quas Jo. Baptiſta ejus pater imprimendas unico libro curavit, inſcripto eisdem hoc titulo: *Pompe funebri celebrate dagli Academici Infecondi per la morte d' Elena Cornaro &c.* In Padova per il Cadorino 1686. in ſol. parvo; qui Academici Infœcundi alium etiam librum priùs ediderant in laudem ejusdem Helenæ cum hoc titulo: *Applauſi Academici alla Laurea Filoſofica d' Elena &c. compoſti, & raccolti dall' Academia degl' Infecondi* &c. Romæ per *Giacomo Dragondelli* 1679. in 4. Orationem verò funebrem ibidem habuit Michael Bruguerius in Romana Sapientia Artis Rhetoricæ Profeſſor. Hos alióſque Scriptores, qui magna cum laude Helenæ Cornaræ

meminerunt, recenſet Abbas *Armellinus* in Bibliotheca ſua Benedictino-Caſinenſi, quem tamen *Joannes Fabricius*, vir non infimæ eruditionis ac doctrinæ in Germania, ex Lutheri ſecta præteriit: Is enim *Helenæ* adhuc viventi carmine elegiaco applauſit, cui ſequentem præfixit titulum:

Joannis Fabricii epidicticum,

EXEMPLUM VENETUM
SINE EXEMPLO,
Hoc eſt,
Maſcula & ſtupenda Eruditio
Nobiliſſimæ Virginis
DN. HELENÆ
Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Viri
DN. JOH. BAPT. CORNELII
PISCOPIÆ
Nobilis & Senatoris Veneti
Procuratoris S. Marci &c.
FILIÆ,

Carmine Elegiaco expreſſa, aut delineata potiùs, atque in ſummæ obſervantiæ debitæque pro permiſſo nuper acceſſu gratitudinis ſignum humillimè oblata à Φιλομυσῳ quodam Germano
Venetiis
A. C. CIƆIƆCLXXIV.

& Poëma elegiacum,

Deſine nugarum, qui doctas Palladis artes
Imberbi generi Barbarus ipſe negas.
En tibi, ſi placet, exemplum, quo majus in Urbe
Nec tu perquiras, nec reperire licet.
Quid titubas? Helenam dico, quæ ſanguine Reges
Tangit, quam decorat Purpura ſacra Patris.
Hæc ita profecit ductu ſtudióque Magiſtri
Qui GRADENICI *nobile nomen habet.*
Ut quidquid VETERES *ſcripſerunt, atque* RECENTES
Græci, vel proprio volvere Marte queat.
Hæc novit prorſus, quæ GALLUS, IBERUS, APELLA
Quæ NOVA, *quaque* VETUS *Roma locuta fuit.*
Hæc Orpheus mulier ſuavi dulcedine vocis
Manſuetos reddat téque feráſque ſua.
I nunc ô effrons, & perge negare, quòd artes
A docili poſſint Virgine ritè capi.
Tu verò ſeptem Virgo celeberrima linguis,
Aonidum ſplendor, vive valéque diu.
Vive, valéque diu, ſeptemplicis oſtia Nili
Dum Mare fert Medium, dúmque ſuperna fluunt.

Ita tum luſit *Johannes Fabricius*, Theologus deinde Altorfinus ab an. 1678. poſthac verò ab an. 1697. Helmſtadienſis ac Duci Brunſw. & Luneb. à Conſiliis Conſiſtor. Abbas Regiæ Luteræ, & Scholarum Ducatûs Brunſw. Inſpector Generalis, Regiæque Scient. Acad. Berolin. Socius. *Vid. D. Schellhorn Amœn. Liter, Tom. XI, pag. 676.*

XIII.
REGINA JURATA.

† 1685.

Claro genere nata

NObilis Virgo Motycenſis, in patrio Siciliæ Monaſterio S. Benedicti Monialis. Claro genere exorta in lucem edita eſt circa annum 1640. patre *Franciſco Jurato.* Egregiis naturæ dotibus abundè ditata, præſertim pulchritudine, & vividiſſimâ animi indole excelluit. In ipſo ætatis flore ingenii perſpicui, ac elatiſſimi lumina mirificè detexit, quibus muliebris conditionis limites tranſcendere videbatur. At has corporis animique dotes longè ſuperavêre eximiæ virtutes; à teneris etenim unguiculis Deo ſeſe dicavit, Monialium Gynæceum ſub S. Benedicti nomine & diſciplinâ ingreſſa: ibíque regularis obſervantiæ exemplo aliis præfulſit. Cùm enim ſecularium virorum acceſſus & familiaritas monaſticam obſervantiam labefactâſſent, ipſa ab aliis ſanctimonialibus ſejuncta, & à virorum colloquiis abhorrens, in cellæ ſuæ ſeceſsû cum Deo intimè verſabatur; & vitæ contemplativæ leges fervidè obſervabat, orationis, aliorúmque aſceticorum operum amantiſſima. Aliquando verò tum ad animi remiſſionem, tum ad pietatem fovendam, Hetruſco carmine ſacros virginei pectoris affectus depromebat. Demum egregiis cumulata virtutibus, non ſine ſanctitatis nota, deceſſit anno 1685. Edidit Italicè

D. Benedicti legibus ſe mancipat,

& aſceſin maximè excolit.

Ejus obitus & ſcripta.

Documenti del buon Stato Religioſo. id eſt: *Documenta de bono Statûs Religioſi.* Catanæ apud Paulum Biſagnium 1680. in 12. Hæc ex Antonii Mongitore *Biblioth. Sicula Tom. 2, pag. 200. col. 1.*

XIV.
MARIA CRUCIFIXA A CONCEPTIONE.

† 1690. 16. Oct.

Natales ipſius,

1. IN lucem edita eſt Agrigenti 29. Maji anno 1645. Pater ei *Julius Maria Thomaſius* oppidi Palmæ in Sicilia Dux, ac Lampaduſæ Princeps. Mater verò *Roſalia Traina* Panormitana *Franciſci Traina* Epiſcopi Agrigentini neptis, quæ defuncto *Julio* in Cœnobio Palmæ monialis, Sororis *Mariæ Sepultæ* nomen accepit, & virtutes coluit egregias. His orta parentibus *Maria* à teneris annis ſummo pietatis ſtudio educata, futuræ ſanctimoniæ ſpecimen dedit; ab ipſo enim

educatio & Religionis ingreſſus,

enim pueritiæ exordio perfectionis iter arripuit. Hinc ſervato innocentiæ candore, ad Sponſi Cœleſtis nuptias tranſiit in Cœnobio SS. Roſarii in oppido Palmæ ſub regulâ S. Benedicti, in quo *Iſabellæ Thomaſiæ* nomen, in *Mariæ Crucifixæ à Conceptione* immutavit; ibíque ſolemnia emiſit vota 28. Maji anno 1662.

in qua omni virtute,

2. In eo Sanctimonialium Gynæceo, quod paulò antè *Julius* ejus pater excitaverat, omnium virtutum ſplendore mirabiliter refulſit ac altiſſimum ſanctimoniæ faſtigium conſcendit; charitate enim in Deum, & animarum ſalute inſigniter æſtuavit: in

pietate,

Deiparam Virginem ſingulare ſtudium fovit: obedientiâ penitus admirabili claruit: profundiſſimâ ſui cognitione menti defixa egregiam humilitatem acquiſivit & aluit. Corpus duriſſimis macerationum generibus dirè confecit: ejúſque patientiam adauxêre mira, quæ Deus in ipſam plenâ manû congeſſit: nempe innumeros morborum cruciatus, ſpiritûs ariditatem,

patientiâ, effulſit,

ſcrupulorum moleſtias, diuturna dœmonum certamina ac flagella, & alia, quæ inconcuſsâ animi conſtantiâ uſque ad ſupremam vitæ lineam fortiter pertulit. Ea omnia, quæ Chriſtus Dominus Paſſionis ſuæ tempore tulcravit, ipſa ſingulari Dei beneficio in corpore ſuo, præſertim in corde, experta eſt; quorum mole obruta ceſſiſſet, ni divinâ ope Sponſus amantiſſimus vires refeciſſet, ac fortitudinem ſupra naturæ limites contu-

prodigiis quoque,

liſſet. Ad luculentum Dominicæ Paſſionis teſtimonium, in ejus pectore propè cor admirabilem crucem divinitûs inſculpſit Cœleſtis Amor, in cujus medio aureum cor, eámque charitatis teſſeram uſque ad mortem retinuit. Damnatorum pœnas per quadraginta horas pertulit, ut aliquot animas in eaſdem jamjam ruituras liberaret. Ad altiſſimæ contemplationis gradum à Deo ſuaviter elata, ex-

& divinis gratiis,

taſes ſæpiſſimè paſſa eſt. Supernis illuſtrationibus mirificè affecta, viſionum, revelationũ frequentiâ, divinîſq; deliciis & chariſmatibus abunde cumulata fuit. Odorem è ſuo corpore emittebat ſuaviſſimum ſuprà omnem aromatum, florúmque fragrantiam. In ſacrarii munere *S. Catharinam Senenſem* adjutricem habuit, & magiſtram, cujus conſuetudinem diu experta eſt. Cum ipſa etiam *S. Roſam Limanam* in ſui tutelam pluries habuit, quæ *Mariæ noſtræ* nomine munia ſibi commiſſa perſecit: & cum eadem, & tutelari Angelo, ac Deipara Virgine *Mariæ Crucifixæ* perſæpe ſe ſpectabilem ſecit.

ac doctrinâ cœlitùs hauſtâ mirificè illuſtrata,

3. Cœleſtem ſapientiam adepta, etſi literarum humanarum penè rudis, mirum in modum divina penetrabat, & expendebat arcana: eóque pertingere viſa, quò doctiſſimus quiſque longo ſtudio non accederet. Doctrinam cœlitùs hauſtam egregiâ animi demiſſione, ac puerili ſimplicitate exornavit. Prophetico ſpiritû illuſtrata innumera prædixit, multáque admiranda patravit. At quæ Virgo hæc admiranda geſſerit, cùm mei inſtituti limites excedant, aliis enarranda relinquo. Jam de ejus vita & miraculis proceſſus III. *Franciſci Ramirez* Agrigentini Epiſcopi auctoritate ſunt congeſti; qui *Mariam Crucifixam* eximiis æſtimationis officiis non immeritò proſequutus eſt. Jam Hieronymus Turanus Agrigentinus Canonicus ejus vitam eleganter ſcriptam typis conſignavit Agrigenti anno 1704.

ad cœlites migravit A. 1699. 16. Oct.

4. Hoc unum breviter addam, angelicam potiùs, quàm humanam traduxiſſe vitam: ideóque cùm ejus ſanctimoniæ ſama longe latéque excurriſſet, prænuntiato mortis ſuæ tempore, ad cœleſtes nuptias evolavit in memorato Palmæ Cœnobio 16. Octobris anno 1699. Triduo corpus inhumatum expoſitum eſt, ut confluentium pietati fieret ſatis. Multa admiranda patravit, quibus ſanctitatis opinio confirmata eſt. Sepulchro jam condita, pluries ex ſepulturæ loco à nonnullis, multorum velut inſtrumentorum modulantium armonia proſilire audita, ſupra omnes modos muſicos dulciſſima: odor verò in cella, ubi animam efflavit puriſſimam, adhuc ſervatur ſuaviſſimus. Ejus effigies Romæ & Panormi ære inſculpta eſt, ut communem populorum devotionem expleret. Ipſam laudant Antonius Natalis in libro inſcripto: *Glorie del Sacerdotio*, recuſo an. 1701. *part.* 3. *cap.* 1. *pag.* 196. & in libro; *La Spada del dolore della Regina de' Martiri* cap. 6. pag. 30. juxta editionem anni 1701. Monumenta Gallica Trevoltiana an. 1702. tom. 5.

Ejus ingenii fœcus.

5. Multa ex Confeſſariorum obedientia ſcripſit aſcetica, quæ forſan lucem videbunt; & horum aliqua circumferuntur. Solùm prodiêre Italicè

Della orribile bruttezza dell' Anima d' un Sacerdote, chi celebra il divino Sacrificio in peccato mortale. id eſt: *Horribilis brutalitas animæ Sacerdotis, qui celebrat divinum Sacrificium in ſtatu peccati mortalis.* Romæ 1672. in 24. & Panormi apud Petrum de Iſola 1675. in 24. Prodiit ſuppreſſo nomine, ipſa adhuc ſuperſtite. Inde in libro inſcripto: *Glorie del Sacerdotio*, auctore *P. Antonio Natale* Panormitano Soc. Jeſu. Panormi apud Coppulam 1693. in 24. cap. 3. à pag. 144. & iterùm in eodem libro recuſo Panormi apud Conſtantium 1701. *in* 24. *part.* 3. *cap.* 2. *à pag.* 198. ubi noſtræ *Mariæ Crucifixæ* nomen appoſuit.

Lè ſalutazioni del SS. Roſario, e delli ſegnalati cinque Gaudii di Maria Vergine Noſtra Signora. id eſt: *Salutationes SS.mi Roſarii* & inſignium quinque *Gaudiorum Virginis Mariæ Dominæ Noſtræ.* Panormi apud Conſtantium. 1700. in 16.

Scielta di Lettere ſpirituali, raccolte frà le molti, che ſcriſſe, per ſaggio del di lei ſpirito, e per edificazione dell' Anime divote. id eſt, *Ecloga literarum ſpiritualium è multis collectarum, quas ſcripſit in ſpeciem ejusdem ſpiritùs & pro ædificatione animarum devotarum.* Agrigenti apud Felicem Marinum anno 1704. in 4.

In ejus vita edita à Hieronymo Turano, ibidem apud eondem 1704. in 4. extant nonnulla ejusdem Mariæ Crucifixæ: præcipuè verò in lib. 1. cap. 16. à pag. 99. & ſeq. Tractatus inſcriptus:

Stato dell' unione perfetta dell' Anima con Dio diſtinto in tre gradi, ed ogn' un di queſti in altri tre gradini. id eſt *Status unionis perfectæ animæ cum Deo, diſtinctæ in tres gradus, quorum ſinguli in alios tres minores gradus diſtinguuntur.* Et lib. 3. cap. 1. à p. 3. 16. alius Tractatus, cujus titulus eſt:

Stato d' altiſſima unione con Dio: id eſt; *Status altiſſimæ unionis cum Deo.*

6. Hæc transſcripſimus ex ANTONII MONGITORE *Bibliotheca Sicula Tomo II. pag.* 38. *col.* 2. Effigiem verò Venerabilis hujus Virginis vidimus æri inciſam in Auguſta Bibliotheca Vindobonenſi cum hac epigraphe:

& effigies.

Effigies corporis exanimis Servæ Dei Sororis Mariæ Crucifixæ à Conceptione, Sanctimonialis Ordinis S. Benedicti, in ſeculo appellatæ D. Iſabellæ Thomaſiæ: quæ crucifixa mundo, & cum Chriſto affixa Cruci mortificationis ac tolerantiæ cruciatuum, ſumma animi humilitate, puritate atque charitate Deo vixit: cui extremo ſpiritu magna cum devotione dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus, *animam reddidit.*

Nata & baptizata Agrigenti die 29. *Maji anno* 1645. *obiit Palmæ, diœceſis Agrigentinæ in monaſterio SS. Roſarii, feriâ* 6. *d.* 16. *Octob. an.* 1699.

XV.

MARIA DE BLEMUR

† 1696. 24. Mart.

Sanctimonialis è Congregatione perpetuæ adorationis SS. Sacramenti.

Nobili loco nata,

1. NObili loco in Galliis nata ſexto Idus Januarii año MDCXVIII. parentes habuit genere ac pietate præclaros, qui quo amore ac timore Numinis imbuti erant, filiam à teneris cum cura inſtituerunt. Priùs è mundo quàm infantiâ exiit. Quo tempore patris, an matris? cognata eam ad ſe transmitti petiit, annos haud ampliùs quinque compleverat: agebat verò hæc Cadomi in regia Abbatia SS.mæ Trinitatis. Cùm è complexu parentum avelleretur, non ipſa cum iis gemitus ciere, aut lacrymas fundere, ſed ex eisdem potiùs ſciſcitari, ecquid felicem hanc ſuam ſortem deflerent? Id ætatis cùm eſſet, vitam S. P. N. Benedicti aſſiduâ verſare manu ſummo habebat oblectamento: quam ita memoriæ impreſſerat, ut eam fideliſſimè reddere poſſet. Tum operam dedit, ut ad cantandum Martyrologium, Verſus, & Gradualia, quà in ſacra Miſſa, quà divino Officio idoneam ſe redderet: id quod ſeptimo ætatis anno effecit. Annos vix undecim nata, ut ſacrâ veſte donaretur, ſupplex petiit; eo autem ardore ac contentione id fecerat, ut repulſa ei dari necquidquam potuerit. Exinde ſanctioris vitæ munia ita obivit, ut ejus fervor in dies augeri, atque cum annis incrementa ſumere videretur. Feſtis ac Dominicis diebus ut prima Matutinis intereſſet, nocte præcedente veſtes nunquam exuit. Solenni votorum nuncupatione ſe Deo incredibili, tantáque animi lætitia dicavit, quantâ non alio unquam vitæ ſuæ tempore delibuta fuerat. Ab eo momento nova illi regularis obſervantiæ cura, quam tam exactam geſſit, maximè in divino perſolvendo officio, ut ab ejus celebratione nec per operum lucubrationes,

à teneris in pietate enutrita,

juvenis admodùm ſacram veſtem induit,

votisque ſoleñibus Deo ſeſe obſtrinxit.

nec

nec corporis ægrotationes ſe unquam avocari ſit paſſa.

Paulò póſt Novitiarum Magiſtra, 2. Quæ cauſa erat, ut poſt quartum Profeſſionis annum Novitiarum magiſterium ei impoſitum fuerit. Hanc provinciam ita feliciter adminiſtravit, eámque animos ab humanis avellendi & trahendi ad æterna artem atque dexteritatem oſtendit, ut ejus Abbatiſſa dicere conſueverit, quòd quæ Novitiæ vocationem non habuiſſent, ab ipſa accepturæ fuiſſent. Haud minori in pretio quàm amore apud omnes erat, cùm primùm in ſociam Abbatiſſæ, non regularis, ſed Commendatariæ, Dominæ ſecularis, tum in Monaſterii Prioriſſam electa fuit. *dein Prioriſſa effecta* Utcunq; ſuæ Abbatiſſæ devincta eſſet, pro bono tamen quà Comunitatis, quà ſingularum Monialium vigiles oculos circumferebat, à quibus etiam ſæpenumerò ſtetit, ſeu pio compatientis animi affectu, ſeu æquitate cauſæ comota. *omnium in ſe convertit corda.* Quâ re omnium corda & amores in ſe convertit, adeò quidem, ut quo tempore atros illos colores, quibus Abbatiſſa, quò Abbatiam ſibi commutare liceret, Conventum Monialium in Regia curia depinxerat, abſtergere atque delere laborabat, haud conceſſum illi fuerit, ut inſtrumento Defenſionis ſuum nomen ſubſcriberet, eoquòd Moniales pertimeſcerent, ne Abbatiſſa exinde occaſionem alterius in ejus locum ſubrogandæ arriperet.

conſcribendo anno Benedictino manum admovet, 3. Circa hoc tempus *Anno Benedictino* conſcribendo primam manum admovit, Operi, quod tanti in ſacro Ordine habitum fuit, ut Ciſtercienſis in Belgio Aſceta illud in patrium ſermonem pro uſu Monialium convertere ſecum animo conſtituerit. An effectum dederit, me præterit. Occaſionem elucubrandi Operis ſibi datam pia Mater exiſtimavit, cùm quadam die tabellas pro feſto Sanctorum Ordinis prælegeret, neque tamen, quod excitandæ communi devotioni idoneum eſſet, occurreret: tunc enim ea de re ſermonem inſtituit, qui in *Anno Benedictino* typis exſcriptus habetur. Atque hoc potiſſimùm eſt, quòd anſam ei præbuit, nonnullas Sanctorum Vitas compendiario ſtylo perſcribendi, quæ ſubinde in unum corpus congeſtæ haud magnæ molis volumen efficerent. *Opuſque cum plauſu perficit.* Initia laboris cùm in Præſulis cujuſdam oculos incurriſſent, Abbatiſſæ author fuit, ut ea continuari juberet. Quare limites, quibus ſat anguſtis opus initiò circumſcripſit, extendere conſtituit. Quemadmodùm divina providentia ad hoc opus concinnandum eam deſtinaverat, ita ejus animum Latinæ linguæ pernoſcendæ deſiderio à prima pueritia ſuccendit.

Ejus in divinis Officiis aſſiduitas, 4. Si magna ſcribendi facilitate utebatur, ejus in frequentando divino Officio aſſiduitas majorem movet admirationem. Ut primùm æs campanum pro choro ſonuit, illa & calamum ponere, & cogitatis nuntium mittere, quæ Deus ſubinde cum fœnore reſtituit, mentem ejus novis luminibus colluſtrando. Eo autem ardore ſuum urgebat opus, ut finitis nocturnis vigiliis reliquum noctis non ſomno indulgeret, ſed ſcriptioni impenderet: quo eodem tamen tempore ab omni ſcribendi cacoëthe ita aliena erat, ut in familiari congreſſu operis ſui mentionem nunquam fecerit, niſi de eo priùs ſermo injectus fuiſſet. Illud verò emolumenti ex Operis hujus compoſitione ad eam rediit, quòd perſcribendis Sanctorum Actis majorem in notitiam ſui officii atque obligationis pervenerit. In ruborem dari conſueverat, cùm ea laudibus afficeret, quæ minùs in praxin ipſa deducebat; nec ſine ratione pertimeſcebat, à Deo ſibi olim exprobratum iri, quòd, quorum vitas literis conſignabat, perfectione atque ſanctimonia eos non adæquaret.

& regularis obſervantiæ amor, 5. Religioſæ perfectionis cupida, ad monaſterium, in quo diſciplina regularis juxtà præſcriptum ſancti Patris Noſtri Benedicti obſervaretur, magnis deſideriis aſpirabat. Denique Superi ejus votis annuerunt. Id verò hunc in modum contigit. Ducilla *de Meckelenburg*, Deo inſpirante, pro Benedictinis Veſtalibus novum monaſterium ſeverioris obſervantiæ Caſtellione conſtruxerat. *quo ſucçenſa,* Abbatiſſa haud ignara, quo perfectioris vitæ deſiderio *Maria de Blemur* teneretur, eam certiorem reddidit, patere ei ingreſſum, ſi modò ſtabilitatem in recèns condito Parthenone emittere vellet. Annuit illa toto capite, tametſi jam nata eſſet annos ſexaginta. At enim cùm vaſa colligere, ſuáque ex Abbatia diſcedere pararet, è brachiis Monialium eripienda erat, quæ incredibilem ex ejus diſceſſu ceperant dolorem. Quædam illarum majori dolore percita: *Quid agis ô mea Mater!* inquiebat, *id ætatis fœmina? Hoccine eſt prudens factum? vide nequid temerè agas. Hoc iter ſine duce prudentia te arripere haud decet.* Cui illa: *Etſi vitam ultra duos dies in ſtrictiore obſervantia haud pro-* *ad rigidioris intrahe-*

 trahe-

ſtituti Congregationem migrat, *traheret*, *mortem tamen æquo animo ferret.* Admiſſa igitur in Congregationem perpetuæ adorationis SS. Sacramenti ex dignitate Prioriſſæ ſe ad infimum Novitiæ ſtatum repentè devolutam vidit, & eâ quidem ætate provectam, in qua ab oneribus monaſticis qui diſpenſari petunt, id jure poſtulare vulgò exiſtimantur. ubi ex Magiſtra fit Novitia; Nulli Novitiarum utcunque pietatis ſtudio ſuccenſæ cedebat fervore; nec is exactò tyrocinii anno finem accepit. Poſt nuncupata ſacra vota, quæ incredibili animi ſui lætitiâ nuncupavit, ignis divini amoris in dies creſcebat; quo exæſtuans elegit potiùs eſſe ultimi ſubſellii monialis, quàm celebris cujusdam Abbatiæ gubernacula moderari, quæ ipſi ultrò fuerant oblata.

& varia elucubrat Opera. 6. Poſteaquàm vitas Sanctorum Ordinis noſtri, qui anteactis ſeculis floruerunt, publicam in lucem emiſit, ſui officii exiſtimavit, ut eorum etiam elogia, qui ſuo ac ſuperiore ævo eximiæ pietatis laude claruerunt, duobus voluminibus adornaret. His ſubinde alia plura opuſcula acceſſerunt, quæ vel ipſa compoſuit, vel ab aliis ſcripta Gallicè reddidit. Quod verò fidem ſuperare videtur, eò animô, vita ad finem properante, fuit, ut illum ad ſcribenda Acta Sanctorum omnium, magis in Eccleſia celebrium, appelleret. Opus ſanè demirandum; quo author indeſeſſæ induſtriæ nec minoris doctrinæ per totius vitæ ſuæ decurſum occupari potuiſſet. Illud verò non magis impigrè auſpicata fuit, quàm feliciter duobus magnis comprehenſum voluminibus ad calcem perduxit.

nec priùs benè merendi, quàm vitæ finem fecit, 7. Poſt hæc variis morbis, quos patientiſſimè toleravit, tentata, & oculis ferè capta fuit. Cùm igitur aliorum piè geſta ſcribere haud ampliùs ei liceret, ſcribenda fecit & tulit, quæ *Mabillonius* non ſine inſigni ejus elogio in epiſtolam encyclicam de morte ipſius retulit. Hanc verò in magna eximiæ pietatis ac virtutis opinione oppetiit die 24. Martii an. 1696. cùm denata 24. Mart. 1696. vitæ annos octo & ſeptuaginta numeraſſet. Deſiderium ſui apud ſuos tantum reliquit, ut ejus memoria in perenni ſit benedictione. Ejus verò ſcripta ſunt ſequentia:

Scripta 8. *L'Année Benedictine*, id eſt, *Annus Benedictinus* Tomi VII. in 4. Pariſiis.

La Legende de tous les Saints, qui ſont les plus connus dans toute l'Egliſe, id eſt, *Legenda Sanctorum omnium, quorum memoria magis celebris eſt per univerſam Eccleſiam.* Tomi IV. 1679. Lugduni.

Les Grandeurs de la Mére de Dieu, ou la triple Couroñe de la S.te Vierge, i.e. *Excellentiæ Matris Dei, ſeu triplex Corona B. Virginis*, Lugduni. 1681.

Menologe hiſtorique, ou Abrégé de la Vie des Saints pour tous les jours, i.e. *Menologium hiſtoricum* ſeu *Compendium vitæ Sanctorum pro omnibus diebus.* Lugduni 1682.

Eloges de pluſieurs Perſonnes illuſtres en piété de l'Ordre de St. Benoît: i.e. *Elogia cùm Virorum tum Fœminarum pietate illuſtrium ex Ordine S. Benedicti.* Lugduni.

La Vie du Pere Fourier de Matincourt, id eſt, *Vita Patris Fourier de Matincourt.*

Les Exercices de la Mort, i.e. *Exercitia ſpiritualia pro præparatione ad felicem ex hac vita diſceſſum.* Lugduni 1682.

9. Elogium *Mariæ de Blemur* contexuit, ut dicebam, Johannes Mabillonius in Epiſtola encyclica de morte ipſius: quod magni faciendum eſt; Is enim fuit Mabillonius, eòque animi candore, ac veritatis ſtudio, ut neminem in vita, nedum poſt mortem, alienis laudibus ornârit. Ejus etiam meminit *R. P. Philippus le Cerf* in *Bibliotheca Hiſtorico-Critica pag.* 278. ubi in diſcernendis hiſtoricis monumentis, quæ ab aliis accepta in lucem publicam emiſit, criticam ſagacitatem juxtà ac limatum judicium eidem defuiſſe ſcribit. Forſan autem Illuſtris hæc Monialis utroque non caruit, ſed piis magis ac devotis hominibus, quàm criticæ artis ſtudioſis ſcripſit. Noſtrâ ætate majus ſtudium impenditur, ut Acta Sanctorum ad criticas regulas expendantur, quàm mores ad eorum vitam componantur. *Theodericus Ruinartus*, & *Renatus Maſſuetus*, viri doctrinâ & eruditione clariſſimi è Congregatione S. Mauri in hiſtoria vitæ Mabillonianæ non ſine eximia laude *V. Mariæ de Blemur* meminerunt. Et quidem quod ad ejus lucubrationes attinet, *egregiis Ordinem ſimul & Eccleſiam illuſtravit Operibus*, inquit *Ruinartus*; Maſſuetus verò, *pluribus libris pietatem & ſcientiam ſuam poſteris commendavit.* Utriusque hujus Scriptoris, rei criticæ peritiſſimi, cenſuræ ac judicio, tutò acquieſcere poſſe mihi videor, neque ipſe enim Opera eruditæ hujus Sanctimonialis evolvere merui.

Marginal notes (right): ejus elogium, & operum criſis.

XVI. MA-

Digitized by Google

XVI.

MARIA STELLA SCUTELLARI.

† 1702. 15. Sept.

Monialis effecta, ſacris ſtudiis operas dicavit, & varia SS. Patrum opuſcula italicè vertit,

MOnialis Ordinis & Congregationis Caſinenſis in Monaſterio S. Alexandri Urbis Parmenſis, evaſit anno 1673. die 30. Sept. Exemplum ſequuta aliarum Illuſtrium mulierum, quæ acu, vel colo tempus terere dedignantes, libros, ac literas haud infelici conatu tractare maluerunt, optimis ſtudiis, ſuóque inſtituto digniſſimis, ſacris videlicet ac piis operam ſuam dicavit, ſuarúmque lucubrationum fructum in lucem emiſit, è Latino in Italicum ſermonem converſas.

Le Meditazioni, e Soliloqui, e Manuale di S. Agoſtino Veſcovo, e Dottore. Le Meditazioni di S. Anſelmo Veſcovo Cantuarienſe. Le Meditazioni di S. Bernardo Abbate. Le Contemplazioni del Amor Divino del' Idiota Sapiente: omnia unico libro comprehenſa Mutinæ impreſſo apud Capponum anno 1694. in 8.

in quorũ præfatione ſexûs infortunium, vanitatem, & malam educationem deplorat, ſuique conſilii rationes exponit.

Librum ipſum *D. Auguſtino* dicavit Epiſtola nuncupatoria admodùm pia; Addidit aliam Epiſtolam ad Lectorem, in qua ſuſceptæ à ſe hujuſce translationis rationem reddens, & cupiditatem ſciendi nobiliorem hominis appetitionem eſſe demonſtrans, acriter mox conqueritur de fœminei ſexûs infortunio, qui ob durum ac improvidum virorum in ipſum ſexum imperium, in inſcitia, & cœcitate educatur, cum Mulieribus perinde, ac Viris rerum omnium ſapientiſſimus conditor Deus liberaliter & affluenter ad ſcientias addiſcendas ingenium accomodatum, aptúmque benignè tribuerit. Quod ergò mulieres, ut plurimùm, vanitatibus, veſtiúmque ac vultûs ornatui potiùs, quàm virtutibus, ac ſtudiis vacent, parentum maxima eſt culpa, qui vix ablactatis, nihil aliud, quàm ſpecula & calamiſtra, aliáque pomparum inſtrumenta iiſdem offerunt pertractanda, nihílque aliud docent componendum, quàm *Ceruſſam, & Minium & mille venena colorum*, ac ad exteriorem corporis pulchritudinem oſtentandam, imò & fucandam, cogitationes omnes conferre jubent, nihil de interno animi ornatu per morales virtutes, ac nobiles ſcientias, quas facillimè addiſcere utique poſſent, ſolliciti &c. Deinde modeſtè profitetur, ſe literarium hunc laborem ſubiiſſe, eo tantùm conſilio, ut honeſtè, ac utiliter tempus inſumeret, non autem ut publici juris faceret, ſed ad ſummum, ut aliæ Cœnobii ſui Moniales eo uti, ac frui poſſent; at doctiſſimi Viri (*Benedicti Bacchini*), qui librum ipſum correxit, auctoritate ſe victam, tandem conſenſiſſe, ut typis committeretur, quamvis id ipſum proprio ſuppreſſo nomine (*ſi licuiſſet*) fieri poſtulâſſet &c. Obiit *Maria Stella* anno 1702. die 15. Septembris, ætatis ſuæ anno 55. *Ex* ARMELLINI *Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi part. 2. pag. 94.*

XVII.

MARIA MAGDALENA GABRIELIS DE ROCHECHOUARD Abbatiſſa Fontebraldenſis.

† 1704. 15. Aug.

Ejus parentes, educatio, & diſcendi ſtudium, ac etiam Philoſophiæ, & cultiori literaturæ præcipuè incubuit.

FOns Ebraldi nobile eſt virginum archicœnobium ſecundùm Regulam S. Benedicti militantium in Gallia, Ordinis caput, celeberrimæ religionis titulo inclytum. *Maria Magdalena Gabrielis de Rochechouard* filia erat Ducis *de Mortemar*, & *Dianæ de Grandſeigne*. A primis pueritiæ annis mira nobilioris ingenii indoles in ea eluxit. Memoriæ tenaciſſimæ erat. Acceſſit tanta diſcendi facilitas, ut linguam Latinam, Græcam, Italicam, & Hiſpanicam nullo ferè negotio addiſceret. In rebus theologicis, earúmque controverſiis, ſupra quam de fœmina credi poteſt, verſata erat. Poſtquàm non exiguo tempore S. Scripturæ, ejúſque ſenſui literali intelligendo operam addixerat, SS. Patrum Opera evolvere cœpit. Curſu non minùs ſecundo Philoſophiæ ſtadium percurrit; nec ullus ferè Philoſophorum cùm veterum tum recentiorum celebrioris nominis fuit, cujus Scripta non perlegerit. Pari quoque diligentia veteres cultioris literaturæ authores contrivit. *Homeri Iliadis* magnam partem ex Græco in Gallicum ſermonem convertit. Mundanis rebus nuntium miſit in Libera Abbatia, vulgò *l' Abbaye aux Bois* Ordinis Ciſtercienſis. Quo in Parthenone cùm religioſiſſimæ monialis famâ frueretur, facta eſt Abbatiſſa Fontis-Ebraldi, ſchedulâ regiâ datâ 18. Aug. 1670. Bulláque Pontificia vi. cal. Novemb. ejuſdem anni; cujus etiam die 24. Decemb. poſſeſſionem accepit, Pariſiis benedicta 8. Febr. 1671. ab Archiepiſcopo Pariſienſi. Sorores ſuas, quibus virtutum ſplendore præluxit,

facta Abbatiſſa, ſorores ad ſtudia, maximè excitavit,

ad

ad capeſſenda optimarum literarum ſtudia non mediocri cupiditate ſuccendit. Monaſterii rebus cùm optimè conſuluiſſet, è vita exceſſit anno 1704. d. 15. Auguſti; cujus elogium funebre ex Fontebraldenſi Necrologio hîc adſcribere non gravabor.

Denaſcitur 15. Aug. 1704.

„ Migravit à ſeculo reverendiſſima „ mater noſtra, Maria Magdalena Ga„ briela de Rochechouart Mortemart, „ ex patre Duces inter & Franciæ Pa„ res, ac ſupremis in aula dignitatibus „ cumulato perilluſtris filia. Hæc à „ tenero, virtutis non modicæ mo„ nimentum poſteritati exhibuit; ob„ lectamentorum ſeculi junior contem„ ptrix, jam religioni matura apud „ Abbatiam à nemore in urbe regia „ profeſſionem edidit. Ibi quantò „ naturæ donis erat pulchrior, tantò „ fuit pietatis operibus Deo gratior; „ quibuslibet monaſterii religioſis ex„ emplo, Ludovico magno, apud „ quem gratiæ conciliatrix unica pie„ tas, admirationi. Majori theatro „ digna ad Abbatiſſæ Fonte-Bralden„ ſis authoritatem, increpans anno„ rum moras brevi fuit provecta. Sed „ verò poſt conſecutam dignitatem „ quot & quanta fecerit, quis recen„ ſeat? Miniſterio ſuo pervigil, re„ formationis cupiens, Abbatiſſa mu„ nere, Abbatiſſa negotiorum ponde„ re, monaſteriorum ſuorum diſcipli„ næ ſemper intenta, dies noctéſque „ hanc partem curis, alteram ſtudiis „ adhibens, inſomnes ducebat. *Hinc in ſcientiâ fructus fecit adeò uberes, ut in omni eruditionis genere prodigium eruditis non minùs videretur, quàm oraculum. Quidquid fuit apud Græcos ſalis, apud Romanos urbanitatis, vivens jucundè ſapuit.* Quæ ſancivit, plura loquuntur, quàm effari poſſim; plura ſapientiſſimè ordinavit, quàm hominis etiam ſublime ingenium capiat. Hæc tamen, quantacunque ſint, nondum ſunt ſingula. Totius monaſterii ornamento ſtudens, ſacras ædes, & collabentes refecit, & cultû multiplici ditavit. Tabernaculum majus auro fulgens, & oſtenſorium aliud margaritis gemmíſque radians condidit; altare columnis decoratum marmoreis cancellis clauſit, mulráque ſupellectili auxit. Vermiculato miræ magnitudinis opere chorum exornavit, dormitorium majus ex parte conſtruxit: unum & aliud ſuis impenſis unà cum noviriarum domo à fundamentis ædificavit, ſuperiùs lapideis cellis diſtinxit. Quid inſuper? domum abbatialem priùs cœptam, additis pluribus ædificiis, hortíſque immenſa teſtudine adjunctis, ſumptû proprio complevit. Hæc ſunt, quæ in nos liberali manu beneficia contulit vivens. Mortalibus adhuc nobis etiam moriens proderit precibus apud Deum, ad quem viatico & aliis Sacramentis munita, cœlo gaudente, Fontebraldo lugente, inter propinquarum & utriusque ſexûs perſonarum acerbos dolores evolavit, anno ætatis ſuæ LVIII. ſuſcepti regiminis XXXIV. Chriſti nati MDCCIV. die verò Auguſti XV. ut quo die Virgo Maria in cœlum aſſumpta eſt, Maria Magdalena de Rochechouard in cœlum aſcenderet, &c.

Funebre ipſius elogium.

Uberes in ſcientiis fructus.

& alia ejus merita.

Multa literis conſignavit, quorum maximam tamen partem pro inſigni ſua modeſtia, qua ingenii dotes, doctrinæque theſauros abſcondere conſueverat, flammis abſumpſit; quæ etiamnum ſuperant, ad doctrinam morum & Criticam pertinent. Vid. Dionyſ. Sammarth. Gall. Chr. Tom. 2. pag. 1328. Memoires de Trevoux Decemb. 1704. Oraiſon funebre per l'Abbate *Anſelme*.

ac ingenii monumenta.

CAPUT

CAPUT VI.

Recenſentur nomina aliorum utriusque ſexûs Scriptorum, qui variis ingenii ſui monumentis Rempublicam Literariam locupletârunt.

Ex collectione R. D. P. Oliverii Legipontii.

SPicilegium meſſe majus hoc capite continetur. Etſi enim in præcedentibus quinque Capitibus vitas Virorum ac Fœminarum Illuſtrium non paucas attulerim, plures tamen extra omnem comparationis rationem ſuperſunt, quas aliis Sodalibus noſtris hanc Sciagraphiam noſtram ad majorem adducturis perfectionem ſcribendas relinquo. Nunquam induſtria mea in eum collineavit ſcopum, ut omnium Scriptorum Ord. S. Benedicti vitas perſcriberem litetarias, atque eorum pangerem elogia; quòd id decumani fote laboris, ac voluminis non unius opus exiſtimarem. *Nomenclatorem* igitur, non *Biographum* hîc ſum actutus; quamvis fatendum mihi ſit, quòd nec nomina omnium Familiæ noſtræ Scriptorum cognita habeam. Ex antiquioribus enim qnindecim extitiſſe millia ARNOLDUS WION (g) teſtatur. Qui verò recentioris ætatis Scriptoribus annumerantur, ii ſunt, qui à ſeculo XVI. (*quô bonas literas eſſe renatas dicunt*) Rempnblicam literariam Scriptis ſuis in Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, Anglia, aliisque Regnis ac Provinciis locupletârunt. Nec iſtorum quidem (quid enim veritatem diſſimulem?) notitiam tam accuratam aſſecutus ſum, ut non quàm plurimos me ſilentio involviſſe verear. Ut enim e. g. de Hiſpanis ſolùm loquar Benedictinis, (h) tametſi amicorum interventû R.^mus Procurator Generalis, qui Romæ Congregationis Vallisoletanæ negotia procurat, in literis ad me datis pollicitus fuerit, ſe omnem daturum operam, ut Scriptorum Ordinis in Hiſpania notitiam adipiſcar, belli tamen incendio Auſtriacam inter & Borbonicam Domum nondum extincto, quin acriùs reſuſcitato, nihil hactenus miſſum, nihil impetratum. Sed quid Hiſpanos in exemplum adduco, cùm mediâ in Germania, quod mireris, atque Scythiam eſſe credas, non vitas tantùm non obtinuerim, ſed vel ipſa nuda tantùm nomina mecum communicari, fruſtra ſæpiùs rogaverim, fruſtra literas eapropter exaraverim. Quicunque igitur nomen ſuum, vel Sodalium Congregationis aut Monaſterii ſui à me prætermiſſum intuebitur, non idcircò malevolentiæ aut negligentiæ id continuò tribuat; ſed quidquid hujus eſt culpæ, vel neſcienti, vel quandoque etiam in acquirendâ Scriptorum notitia irrito conatû ſudanti facilis condonet. Feciſſem ejus optatis ſatis, ſi meis in viribus poſitum fuiſſet; ſed cùm hoc illas exceſſerit, moneo Lectores ſtudioſos, & Emptores operis hujus, ut inter ſingulas plagulas chartam Virginem compingi curent, quâ eorum nomina, quæ tacita præterivimus vel non ſatis explorata habuimus, ſuo loco reponi poſſint. Metuo etiam, ne non ſemel tantùm atque iterum falſus fuerim in conſignando vel ævo, quo quique Scriptores floruerunt; vel anno emortuali, quo diem ſupremum obierunt; vel monaſterio, cui tum regendo præfecti, tum incolendo per profeſſionem religioſam aggregati fuerunt; quod confiteri eò minùs verecundor, quò & fallere & falli hoc in argumento magis pronum eſſe eruditi non neſciunt. Et me, & V. C. OLIVERIUM LEGIPONT, qui pro ſingulari ſuâ cùm facilitate, tum humanitate id genus Scriptorum Ordinis noſtri Indicem multo labore ac ſtudio à ſe priùs cognominum ordine concinnatum (i) ultrò mecum communicavit, ſæpiùs errores erraſſe deprehendi, quos deinde, quoad potui, quòd correxerim, Vir eruditus à me per literas monitus æqui boníque conſuluit. (k) *Sed quæcunque minus erunt ex ſententia, ea quæſo alter alteri, uterque authoribus, quos frequentavit, condonet.* Quemadmodùm etiam benevolus Lector ignoſcet, ſi qui diem ſuum noſtrâ ætate atque hiſce

(g) Libr. 2. Ligni vitæ cap. 61. initio.
(h) De his conſuli debet *Bibliographia Fr. Michaëlis à S. Joſepho Ord. Redempt. Captivor. Matriti* recens edita.
(i) Quem tamen ceu ad digerendum & requirendum aptiorem, hîc inverſum dolet *Oliverius.*
(k) *Hanc veniam dedimus, petimúsque viciſſim.*

ſce annis, atque adeò diebus, quibus in calamum incumbo, expleverunt, eos ego in vivis adhuc eſſe ſcribam: ſingulorum enim fata quis cognita habeat? mortales ſumus, hodie tantiſper floremus, cras in tumulo jacemus. In eorum gratiam, qui uberiorem de Viris hiſce Illuſtribus cognitionem habere exoptant, aliquando libros, aliquando Scriptores allegavi, qui eam ſi non ſemper ſuppeditant, certè quidem faciunt illorum mentionem. Quod ut facerem, ſeriùs in mentem venit, quàm oportuiſſet; multo enim labore, inquiſitione atque eruditione opus eſt, ùt tantæ támque obſcuræ vetuſtatis non raró Scriptores vel ipſe in lucem proſeras, vel alios indigites authores, qui facem ipſis accendant. Aliorum etiam complurium nomina in ſeparatas conjeceram ſchedulas, prout lectio vel occaſio ferebat, ea poſtmodùm hoic elencho ſuis locis inſerturus; ſed ea annotatio tametſi improbo labore conſtiterit, maximam partem periit, quo tempore Galli Bavaris juncti Viennæ imminebant. Quorundam nomina chartæ non inſcripſeram, tenaci confiſus memoria, quæ tamen progreſsû annorum, ut fit, me deſeruit. Non igitur Catalogum Scriptorum Ordinis noſtri hîc exhibeo, qui non augeri non emendari poſſit, ſed qui multorum manus deſideret, quas etiam à non paucis admotum iri non deſpero.

A.

AARON S. Pantaleonis & S. Martini Coloniæ Abbas anno 1052. Ex Mariano Scoto, Chronica Regiâ, Trithemio in Chron. Hirſaug. (*ubi tamen* Aaron *an.* 1055. *devixiſſe perperàm dicitur*) Gelenio & Catalogo MSs. Codd. Bibliothecæ S. Martini Maj. Coloniæ, quem *V. C. Oliverius Legipont* mecum communicavit. *Confer. Hartzheimii Bibl. Colonienſis.*

ABAILARDUS, Gallorum Socrates. Vide Petrus *Abælardus.*

ABBÆVILLANUS, ſive de *Abbatisvilla.* Vide *Johan. Algrinus.*

ABBAS *Panormitanus*, infrà NICOLAUS *de Tudeſcis.*

ABBAUDUS Abbas circa an. Chr. 1130. *Vid. Mabill. Analect. Tom.* 3. *pag.* 442. *& edit. novæ in fol. pag.* 52.

ABBO Monachus primùm Altiſiodorenſis, tum ejus loci Epiſcopus, cujus meminit Trithem. in Chron. Hirſaug. ad an. 854. Bulæus *in Hiſtoriâ Univerſ. Pariſienſis, tom.* 1. *p.* 71. *&* 543.

ABBO Floriacenſis Abbas & Martyr. A. C. 1004. *Aimoinus in vitâ*, Joan. à Boſco *in Bibl. Flor.* Bulæus *tom.* 1. *Hiſtor. Univerſ. Pariſ. p.* 543. Mabill. *in Annal. Ben. Sec.* VI. *& tomo* 2. *Analect.*

ABBO CERNUUS, Monachus S. Germani à Pratis anno 892. *Vid. Pet. Pithœi XII. Scriptores Rer. Franc. pag.* 435. Joan. Boochet *in Origin. primæ & ſecundæ ſtirpis Regum Françorum Pariſ.* 1642. *fol.* Barthius *Adverſar. XXXIII.* 14. *XXXVI.* 19. Duſcheſnius *tom.* 2. *in Normannicis pag.* 499. Bulæus *in Hiſt. Univerſ. Pariſ. p.* 542.

S. ACCA Haguſtaldenſis in Anglia Epiſcopus. Obiit anno 740. *Vid.* Leland. *de Scriptor. Britan. cap.* 76. Warthon *Angl. Sac. tom.* 1. *p.* 696. Pitſ. *de Scriptor. Angl. pag.* 141. *Beda*, *Yepes &c.*

ACHERIUS. Vide *Lucas Acherius.*

ACTO ex Monacho Caſin. Epiſcopus cl. an. 1070. *Vid. Ughell. tom.* 6. *col.* 652.

S. ADALHARDUS, ſive *Adelhardus*, Abbas Corbeiæ Veteris. Ob. an. 825. Carolus le Cointe *Tom. VII. Annal.* Pagius *A. C.* 826. *num.* 22. Mabillonius *in Annal. Benedict. & Actis Sanctorum O. S B.*

ADALARDUS Monachus Blandinienſis ſub an. 1000. *Vid. Annal. Ben. tom. IV. pag.* 190. *Acta SS. Bolland. Maji tom.* 4. *pag.* 344. ubi Sec. 12. vixiſſe, & vitam S. Dunſtani ſcripſiſſe fertur.

ADALBERO, ſeu ADELBERUS *à Dilingen*, Abbas primùm Elvacenſis, tum Epiſcopus Auguſtanus. Deceſſit an. 909. *Vide Molanum in addit. ad Uſuardi Martyrologium* 13. *Auguſti. Annales & Acta Sanctorum Ord. S. B.*

ADALBERTUS *Levita*, ſive Monachus, idem cum *Spaldingenſi* auctore *Speculi* ex Moralibus S. Gregorii, claruit circa an. 1160. *Vid.* Pitſeus *de Scriptor. Angl.* Edmundus Martene *Nov. Teſ. Annecdot. tom.* 84.

ADALBERTUS Floriac. Monachus ſcripſit de Translatione Corporis S. Benedicti in Gallias. *V. Bolland. tom.* 3. *Martii pag.* 300.

Adalbertus GRUNDEMAN, Gottwicenſis an. 1632. cujus uberiorem notitiam dabit Chronicon Gottwicenſe. Edidit an. 1632. *Aſylum afflictorum ex Promptuario Corneri Abbatis Gottwicenſis.*

ADALBERTUS *de Medelo*, Abbas Diſſertinenſis. . . .

ADALGARDUS, Monachus Gallus Sec. IX. incompertum nobis cujus monaſterii; ad eum extat *Lupi Ferrarienſis* epiſtola VIII. in quâ ipſi gratias habet pro labore adhibito in corrigendo *Macrobio.*

ADALGISUS Monachus S. Theoderici montis Or apud Remos cl. an. 1150. *Vid. Mabill. Acta SS. O. S. B. tom.* 1. *p.* 614. *& Annal. Ben. tom.* 1. *p.* 681.

Adal-

Adalricus SCHWARZ, Einſidlenſis Sec. XVII. *V. Pezius in Catalogo Scriptor. German. O. S. B. qui ab an.* 1600. *usque ad an.* 1715. *floruerunt.*

ADAMANNUS, Hyenſis in Scotia Abbas, Scriptor Itinerarii Terræ ſanctæ. Ob. 704. *Vid. Ven. Beda de Geſtis Anglorum lib. 5. c.* 16. Sigebertus *de S. E. Trithem. Uſſer. Voſſ. Mabillon.*

Adamus ADAMI Monachus Brauweilleranus propè Coloniam, poſtea verò Epiſcopus Hierapolitanus. Ob. 1663. *Vid. Jo. Godofredus de Mejeren*, qui vitam concinnavit, eámque Hiſtoriæ de Pacificatione Weſtphalicâ præmiſit. *Confer Acta Eruditor. Lipſ. Menſ. Aug. an.* 1737. *pag.* 359. *& ſuprà C. IV. num. XII.*

Adamus BARCHINGENSIS, Schirbornenſis ſive Clarofontanus in Anglia Monachus circ. an. 1217. *Vid. Leland. cap.* 208. *Pitſ. æt.* 13. *pag.* 289.

Adamus de DOMERSHAM, Monachus Glaſtonienſis in Anglia circ. an. 1217. *Vid. Leland. cap.* 208. *Pitſ. æt.* 13. *pag.* 289.

Adamus EOVESHAMENSIS in Anglia Monaſterii Abbas an. 1160. *Vid. Leland.* 193. *Pitſ. ætate* 12. *pag.* 225.

Adamus ESTHONUS S. R. E. Cardinalis c. an. 1390. *Vide ſupra cap.* 3.

Adamus FORMANUS Prior Monaſterii Dunfermelenſis in Scotia vixit circ. an. 1524. Vid. Acta S. Colomanni authore R. P. Godefrido Deppiſch. p. 22.

Adamus VILLICUS, germanicè *Mayr*, Abbas S. Martini Culoniæ Agrippinæ. Ob. 1490. *Vide ſuprà vitam cap.* 3. Hontheim *Hiſt. Trev. Tom. II. pag.* 334.

Adamus WAFFENSCHMIDT San-Blaſianus in Nigra Sylva. De hoc, ejus ævo, ſcriptisque notitiam dabit Monaſticon San-Blaſianum prelo paratum.

ADASTO Monachus Corbeiæ Novæ c. an. 901. Vid. Annales Monaſterii, & Leibnitii Introduct. ad tom. 2. Scriptor. Rer. Brunſvic. n. XXV. pag. 27. Annal. Bened. tom. 3.

ADELA, Guilielmi I. Angliæ Regis filia, Monialis Marcianenſis an. 1130. *Vide vitam ſuprà cap. V.*

ADELBALDUS Monachus Cluniac. Scriptor vitæ S. Majoli Abbatis, an. 994. *Vid. Annal Benedict. tom. IV. p.* 85. *Acta Sanctorum Bollandiana* 11. *Maji Tom. II. pag.* 668.

ADELBERO ex Monacho Hirſaugiæ in Bleidenſtatt, an. 910. Vid. Trith. in Chron. Hirſaug. Georg. Helwich in Chron. Monaſterii S. Albani Mogunt. *P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.*

ADELBERTUS ſive *Adilbertus* (Poſſevino in Appart. Sac. perperàm *Agilbertus*) Prior SS. Udalrici & Afræ Auguſtæ Vindel. c. an. 1240. Vid. Bern. Pezii Diſſert. Iſagog. in tom. 2. Theſ. Anecd. pag. LXI. Bibl. Mag. Eccl. pag. 142. Acta SS. Bolland. tom. 6. Maji p. 548. ubi ſeculo XIII. claruiſſe dicitur.

ADELBERTUS Abbas Heidenheimenſis c. an. 1150. *Vide Jacob. Gretſerum* in præfatione ad vitam S. Wilibaldi ab Adelberto ſcriptam, & Ingolſtadii an. 1617. impreſſam. *Mabill. Annal. Ben. tom.* 2. *p.* 276.

S. ADELBERTUS, ſen *Adalbertus*, Pragenſis Epiſcopus II. multarum gentium Apoſtolus ac Martyr anno 997. *Vide Acta Sanctor. Bollandiana die* 17. *Julii pag.* 257. *ſeq. Adde Annales & Acta Sanctorum O. S. B, Boleluczky in Roſa Bohemica.*

ADELBERTUS S. Mathiæ Trevirenſis Scholaſticus. Ob. 980. Vide ad hunc annum Trithemium in Chron. Hirſaug. & lib. de Vir. Ill. O. S. B.

Adelbertus HEUFFLER Abbas Admontenſis in Styria. E vitâ migravit an. 1696. Vide Hiſtor. Salisburg. lib. 2. cap. 7. p. 284. Quæ in manuſcriptis reliquit, typis nondum edita fuerunt.

ADELBOLDUS Lobienſis Monachus & poſtea Epiſcopus Ultrajectinus, vir magnæ prudentiæ ac doctrinæ. Fatis conceſſit an. 1027. Vide Leibnitium Tomo I. Scriptor. R. B. Trithem. de Vir. Ill. Ben. & in Chron. Hirſaug. Acta Sanctorum Bolland. Commentar. prævio in vitam S. Henrici Imper. quam Adelboldus magnâ cum laude ſcripſit. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 5. Foppens p. 6.

ADELBOLDUS S. Dunſtani Archiepiſcopus...

ADELELMUS Mon. Flaviniacenſis, an. 1107. *Annal. Ben. Tom. V. pag.* 504.

ADELERIUS Monachus Floriacenſis, de quo vide *Duchesne Tom.* 3. *Scriptor. Rer. Franc.* Mabill. *Annal. Ben. tom.* I. *p.* 642. *& tom.* 3. *pag.* 214.

ADELHARDUS ſuprà *Adalardus*, Abbas Corbeienſis.

ADELHARIUS Epternacenſis Scholaſticus, poſtea Abbas an. 990. Vid. Annal. Ben. tom. IV. pag. 67. Chron. Hirſ. ad an. 990.

ADELHELMUS, ſive *Adahelmus*, aut *Adalinus* ex Monacho Aniſolenſi, ſive S. Carilephi in agro Cenomanico Epiſcopus Sagienſis anno 880. Vide Sammarthanos Tom. 3. Gall. Chriſt. pag. 962. Mabill. Annal. & Act. Sanctor. O. S. B. nec non Acta SS. Bolland. April. tom. 3. p. 61.

ADELHELMUS *à Liliis* Engelbergenſis, ſeu Montis Angelorum in Helvetia, Sec. XVII. Pez. in Catal. S. B. G.

ADELMANNUS Stabulenſis c. an. 973. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug.

ADELMUS, ſive *Adelinus*, infrà *Ademarus*.

ADELMUS, infrà *Aldhelmus*.

ADELPHUS Abbas c. an. 1180. Trithem. de S. E. c. 383. & Ill. Ben. II. 16. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. pag. 195.

ADEMARUS, Papyrio Maſſono & aliis *Adelmus*, claruit ætate Caroli M. eſtque juxta Petrum Pithœum & Marquardum Freherum auctor *Annalium Carolinorum*, ſeu *Laurishamenſium*. Utcunque ſit, ei Aimoinus ad calcem lib. IV. in acceptis ſe referre dicit, *quæ ſcripſerit usque ad tempora Imperii Francorum*. Vid. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. lib. 1. p. 33.

ADEMARUS Monachus in S. Eparchii Cœnobio, Engolismenſis, an. 1029. auctor *Chronici Aquitani*. Vid. Fabric. loco mox citato pag. 35. Dupin. Bibl. Eccl. Sec. XI. Tom. VIII. Labbe Bibl. Nov. Mſſ. tom. 2. p. 271. Mabill. Analect. Tom. I. & alios plures.

ADEODATUS ab A. C. 672. ad 677. Pontif. Max. de quo vide Mag. Bibl. Eccl. pag. 114. Fabric. Bibl. med. Lat. pag. 37. Annal. Ben.

S. ADO Viennenſis in Gallia Archiepiſcopus. Ad ſuperos abiit an. 874. Vide vitam cap. II. hujus libri datam.

Adolphus OVERHAM, Werthinenſis, Sec. XVII. laudatur Leibnitio Introduct. ad Scriptores R. B. & Mabillonio Tom. I. Præfat. II. in Sec. III. Benedictin. nec non Sociis Bollandianis tom. 3. Aug. pag. 139.

ADRALDUS Abbas Auriliacenſis cl. c. a. 950. Vide Chronicon Auriliacenſe apud Mabill. Analect. tom. 2. p. 239.

ADREVALDUS Floriacenſis claruit ſub Ludovico Pio. Vid. Mabillonii Analecta tom. 3. Ruinart in Apologia miſſionis S. Mauri in Galliam. Labbe Bibl. Mſſ. pag. 22.

Adrianus AMALTHEA, Monachus S. Severini Neapoli. Naturæ conceſſit an. 1592. Wion Ligni vitæ part. 1. lib. 2. c. 62. Poſſevin. in Apparatu, Armell. in Bibl. Scriptor. Congr. Caſin. part. 1. p. 1.

Adrianus GALTERUS, Monachus majoris Monaſterii in Gallia Sec. XVI. Vid. Luc. Acher. in edit. Opp. Venerab. Guiberti Abbatis Novigenti pag. 595.

ADRIANUS Monachus Gemeticenſis.....

Adrianus LANGLOIS è Congr. S. Mauri, Magnus Prior Abbatiæ.... Deceſſit an. 1627. *Vid. Philip. Cerſius in Hiſt. Bibl. Crit. pag. 197.*

Adrianus PLIEMEL Abbas Mellic. Ob. 1745. Vid. Bibl. Mellic.

ADRIANUS Schönaugienſis Abbas, anno 1482. Vid. Wolfgang. Treſſler in Syllabo MS.to Virorum Illuſtrium Monaſterii ad S. Jacobum Moguntiæ.

Adrianus de VETERI BUSCO Monachus S. Laurentii Leodienſis, de quo Edm. Martene & Urſinus Durand Theſ. Anecd. tom. IV. Andr. Valer. Bibl. Belg. p. 19. Foppens Bibl. Belg. p. 22.

ADSO ex Monacho Luxovienſi Abbas Dervenſis, & ut alii volunt, etiam Luxovienſis, ac S. Manſueti Tullenſis, *Hermenricus* à ſe ipſo vocatus. Ob. an. 992. Mabillonius verò tom. 1. & 3. Annalium *Adſonem* Abbatem Dervenſem ab *Adſone* Abbate Luxovii diſtinguit. Vide etiam tomum 4. eorundem Annalium.

ADTO Monachus Caſinas, Agnetis Imperatricis Capellanus, vixit anno 1070. Vid. Pet. Diac. de Scriptor. Caſin. cap. 24.

Adulphus HAPPART, Monachus Andaginenſis ſub an. 1535. Vid. Martene & Durand Collect. Ampliſſ. tom. IV. in præfat. Foppens Bibl. Belg. pag. 25.

ÆDILWULPHUS, vide *Ethelwolphus*.

ÆGIDIUS Aureæ Vallis monachus clar. an. 1251. Vide Joan. Chapeavillii Sylloge tom. 2. Calmet in ſyllabo Scriptor. Hiſtoriæ Lotharingicæ. Launoius de Schol. celebr. cap. 33. p. mihi 40.

ÆGIDIUS *Corbeienſis*, ſive *Corbolienſis*, Archiater Philippi Auguſti, qui regnavit ad an. 1314. Vid. Trithem. de S. E. c. 241. & Il. 2. Illuſtrium Benedictinorum; Bulæus Hiſtor. Academ. Pariſ. tom. 2. pag. 718. Naudæus de antiquitate Scholæ Medicæ pag. 3. Jo. Alb. Fabric. Bibl. Lat. lib. 4. cap. 12. §. 12.

Ægidius GUNDERMAN an. 1672. vixit; ſed quid ſcripſerit, nos fugit.

Ægidius KIBLER Andecenſis in Bavaria Monachus Sec. XVII. edidit an. 1707. Literas ſpirituales & alia.

Ægidius MUCIDUS, Gallicè *Muiſis*, Abbas Tornacenſis c. a. 1352. autor *Chronici de Geſtis Comitum Flandrenſium*. Vid. Sanderus, Miræus, Voſſius, Valerius Andr. & Foppenius in Bibl. Belg.

Ægidius RANBECK, Schyrenſis in Bavaria. Ob. 1692. Sacrorum Canonum, quos in Univerſitate Salisburgenſi docuit, ſcientiâ præprimis excelluit; nec literæ politiores ei defuerunt. Vid. hiſtoria ejusdem Univerſit. lib. 2. cap. 7. pag. 285.

Ægidius SARNICULUS Montis Caveoſi Monachus, Abbas Caſinenſis an. 1550. Vid. Armell. Bibl. Scriptor. Congr. Caſinenſ. pag. 1. Arnol. Wion Lig. vit. part.

part. 1. pag. 32. Petr. Ricord. Hiſt. Monaſt. Dial. 4. pag. 455.

ÆIGIL ſive *Eigil* Abbas Fuldenſis. Ob. 822. Vide vitam à Candido Fuldenſi Monacho ſcriptam apud Browerum in Sider. Ill. Sanct. per Germaniam, Acta Abbatum Fuldenſium per eundem Browerum; Hiſtoriam Fuldenſem, auctore V. C. Joan. Frid. Schannat. Mabill. Sec. IV. Benedict. part. 1. pag. 266.

ÆLFRICUS, ſeu *Alfricus* ex Abbate Abendonienſi Archiepiſcopus Cantuarienſis, Ob. 1006.

ÆLFRICUS, ſeu *Alfricus*, cognomento *Grammaticus*, & poſteà ex Abbate Malmesburienſi Archiepiſcopus Eboracenſis. Vitam exuit an. 1051. De hoc & præcedente *Ælfrico* vide Henrici Warthoni Diſſertationem de duobus *Ælfricis* Tom. I. Angliæ ſacræ pag. 125. ſeqq.

ÆLFRICUS Croylandenſis Monachus c. a. 740. Vide Leland. Balæ. Piſt. alióſque Biographos Scriptorum Angliæ.

ÆLNOTHUS Monachus Cantuarienſis an. 1120. Vid. Jo. Bapt. Solerii Commentarius prævius in vitam S. Canuti Regis, quæ habetur in Actis Sanctorum die 10. Julii Tom. III.

Æmilianus de LA BIGNE è Congr. S. Mauri. Vid. le Long Bibl. Hiſtor, Eccl. Franciæ.

Æmilianus HOENNINGER Néoſtadii in Franconia profeſſus, edidit plura Opera Muſica ab anno 1734.

Æmilianus KAZI Gottwicenſis, paucis ante annis animam exhalavit. Ex ejus concionibus Oratio de SS. Trinitate typis vulgata ab acumine ingenii multùm laudatur.

Æmilianus NEISSEL Weichenſtephanenſis in Bavaria hoc ſeculo multa edidit Opera Aſcetica, quæ virum in obſcuro eſſe minimè ſinunt, licèt obſcurè vivat. Natus verò eſt Fridburgi in Bojoaria A. 1670. die XI. Jan. profeſſus 1693. 3. Octobr. Sacerdotio initiatus 1695. 24. Aprilis.

Æmilianus PICHLER, aliis *Büechler*, Benedicto-Buranus in Bavaria. Sec. XVII. medio clarus, vir perquam eruditus & facundus, Vitam, ſeu Martyrium & Translationem S. Anaſtaſiæ, non ſine laude in publicam lucem protulit. *Chron. loci p.* 316.

Æmilianus PIRCK è S. Petro Salisburgi, an. 1636. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. lib. 2. cap. 7. pag. 286.

Æmilianus TRATZICHER, Tegernſeenſis Theologus vivit & ſcribit A. 1751.

ÆNGUSSIUS KELEDEUS Abbas & Epiſcopus Hiberniæ an. 824. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 652. & in Præf. II. ad Sec. VI. Benedictinum.

AGATHO Papa ab an. Ch. 679. ad 681. Vide Mongitore Bibl. Sicul. pag. 19. col. 2. Baronium, Pagium, Mabillonium in Actis SS. O. S. B. Sec. 2. & Annal. Ben. tom. 1. p. 544.

AGINULPHUS Monachus . . . . . cujus meminit *S. Benno* in ſuo *Dictamine*. Vid. Leibnit. in Introduct. in Collect. Scriptor. Rer. Brunſv. n. XXXII. pag. 34.

AGIUS Monachus, Presbyter, & Medicus Corbeiæ Novæ Sec. X. Vid. Joan. Georg. Eccard, & Bern. Pez in vita S. Hathumodæ ab Agio ſcripta. Diſſert. Iſagog. in Tom. I. Theſ. Anecd. p. 83.

AGIUS Abbas Vabrenſis c. a. 922. Vid. Annal. Ben. tom. 3. p. 373.

AHYTO, aliis *Haito*, *Hatto*, Abbas Augienſis & Epiſcopus Baſileenſis an. 824. Vid. Joan. Egon de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. cap. 5. Mabill. Annal. tom. 2. pag. 397.

AIGRADUS Monachus Fontanellenſis c. a. 700. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 602. Jo. Ger. Voſſius de Hiſtor. Lat. Fabricius Bibl. med. Lat. vol. 1. lib. 1. p. 80.

AILMERUS, ſeu *Elmerus* Mon. Cantuar. anno 1130. Vid. Leland. Bal. Piſt. &c.

Æimericus de PEIRACO Abbas Moiſſiacenſis an. 1440. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 3. pag. 967. ſcripſit de Geſtis Caroli M. ad Johannem Ducem Bituricenſem.

AIMOINUS, ſive *Haimo*, Floriacenſis Monachus ab anno 970. Vide Labbei Diatribam de Aimoino tom. 2. de S. E. pag. 829. Sigebert. de S. E. Bibl. Floriac. Bulæum in Hiſt. Univerſit. Pariſ. tom. 1. p. 549. Annal. Ben. tom. 3.

AIMOINUS, ſive *Aymoinus*, Monachus S. Germani à Pratis an. 872. Vide hiſtoriam monaſterii authore D. Bouillart. Mabill. in Actis Sanctor. O. S. B. tom. 4. & 5. Annalium verò tom. 3. Bulæum l. c. tom. 1. p. 548.

AINARDUS monaſterii S. Petri ad Divam primus Abbas. Ob. 1073. ſcripſit vitam S. Kiliani. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 587. & tom. 5. pag. 69.

AINARDUS, *Agenardus*, infrà EGINHARDUS.

AIO Croylandenſis in Anglia Monachus, Ob. 974. Vid. Piſeum in Append. p. 981. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. 1. lib. 1. Oudin. de S. E. tom. 2. col. 472.

Alanus ALBRETUS Abbas Teukesburienſis. Ob. 1201. Vid. Leland. cap. 191. Balæ III. 46. Piſt. æt. 12. pag. 272.

Alanus PFEIFFER Admontenſis Theologus, qui, quod ſciam, adhuc in vivis eſt. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. lib. 2. cap. 7. pag. 287

Alanus RITTER …iofontanus Monachus ac Theologus. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 288. Ob. hoc ſec.

ALANUS Abbas S. Mariæ, cujus Homiliarium Mſ. memorat Pezius tom. III. Theſ. Anecdot. part. 3. p. 610.

Alardus GAZÆUS Præpoſitus ad S. Michaëlem juxtà Atrebatem an. 1626. Vide Benedictum Hæftenum Diſquiſ. Monaſt. lib. 2. tr. 5. Andr. Valer, & Foppens in Bibl. Belg. pag. 36.

ALBANUS cognomento *Vates*, monachus ad S. Albanum in Anglia, incertæ ætatis. Vid. Pitſeus in Append. p. 822.

ALBERICUS Monachus, mihi notus *ex Dictamine* S. Bennonis Epiſcopi. Vid. Leibnit. de Scriptor. R. B. loco ſuprà citato.

ALBERICUS Caſinenſis, S. R. E. Cardinalis. Ob. 1088. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. cap. 21. Eraſm. Gattola in Hiſtoria Monaſterii Caſin. Sec. VI. p. 185.

ALBERICUS Monachus Caſinas c. a. 1120. Vide Jo. Bapt. Marum in notis ad Pet. Diac. pag. 180. editionis à Fabricio accuratæ, Item Jo. Bern. Tafuri in Serie Chronol. Script. Neapol. Part. I. Continuat.

ALBERICUS ex Abbate Vizeliacenſi S.R.E. Card. vitam cum morte an. 1147. commutavit. Vid. Bibl. Mag. Eccleſ. Eggs Purp. Doct. lib. 1. pag. 66.

ALBERTUS, ſeu *Olbertus* ex Monacho Lobienſi Abbas Gemblac. c. a. 980. Vid. Sigebert. Gemblae. de S. E. Trithem. de S. E. c. 208. & de Ill. Ben. lib. 2. cap. 71.

Albertus BAUMGARTNER Mellicenſis, Sec. 17. Vid. Bern. Pez in Catal. S. B. G.

Albertus BEMSTATT Einſidlenſis Decanus an. 1404. Ex Catalogo Mſs. Codd. Bibliothecæ Augiæ Maj. Brigantinæ, in qua ejus epiſtolæ aſſervantur. Confer Acta SS. tom. 2. April. p. 628. Fuit Maximiliano Cæſari à Confeſſionibus. Ab aliis vocatur de Bonſtetten.

ALBERTUS Monachus SS. Facundi & Primitivi in Hiſpania Monaſterii. Ad plures an. 1108. abiit. Vid. Nic. Ant. Bibl. Vet. Hiſp. tom. 2. p. 8. n. 40. ubi Hier. Romani de la Higuera fidem habet ſuſpectam.

Albertus KREZ Ottoburanus poſt an. 1650. vid. Felix Egger in Idea Ord. Hier. Ben. l. 2. p. 554. Utì plura piè ſcripſit, ita piè etiam vixit.

ALBERTUS, Leodienſis Monachus vixit an. 880. juxta Cangium, ſed, teſte Voſſio, cui accedit Fabricius Bibl. med. Lat. vol. 1. lib. 1. pag. 112. haud alius eſt ab *Alberto*, ſeu *Olberto* Leodienſi, de quo ſuprà.

Albertus MAZZOLENUS Abbas Congreg. Caſin. Numiſmatum illuſtrator doctiſſimus A. 1744.

ALBERTUS Monachus Mettenſis S. Symphoriani c. a. 1030. Vid. Sigebertus de S. E. cap. 143. Trithem. de S. E. cap. 329. & de Ill. Ben. II. 78.

ALBERTUS Oberaltahenſis Scriptor vitæ S. Alberti Oberaltahenſis. Vid. Bibl. Mag. Eccleſ. Pez Diſſert. Iſag. ad Theſ. Anecd. tom. 1. part. 3.

ALBERTUS Montis Vinearum Patavii Prior c. a. 1230. Vid. Poſſevin. in Appar. Sac. Tom. I. pag. 33. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 1. lib. 1. p. 125.

Albertus KEUSLIN Abbas S. Petri Salisburgi. Ob. 1657. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 288. de qua optimè meritus fuit.

Albertus REICHARD Abbas S. Pauli in Carinthia electus an. 1677. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. lib. 2. c. 4. p. 245. ubi ejus Opera recenſentur.

ALBERTUS S. Remigii Monachus in Diœceſi Remenſi memoratur Voſſio ex auctore inedito Hierarchiæ ſubcœleſtis lib. IV. ſed apud Marlottum in Chronico Archicœnobii Remenſis nullus *Albertus* ſcriptor occurrit. Forſan loco *Alberti* reponendus eſt *Robertus*, de quo infrà.

ALBERTUS Sigebergenſis apud Coloniam Agrippinam Monachus an. 1450. Vid. Poſſev. Appar. Sac. tom 1. p. 35. Oudin de S. E. tom. 3. Magna Bibl. Eccleſ. pag. 222.

ALBERTUS Abbas Stadenſis 1256. de quo vid. Fabricii Bibl. med. Lat. vol. 1. pag. 128. & quos allegat Caſpar Sagittar. & Tobiam Eckardum. Et quia *Albertus* ex Benedictino factus eſt Franciſcanus, videri etiam meretur Lucas Wadingus in Bibliotheca Ord. Minorum pag. 6.

ALBERTUS Monachus Stadenſis an. 1454.

Albertus TURNER Monachus Altenburgenſis in Infer. Auſtria ſcripſit hoc ſeculo volumen meditationum, quod typis in 4.to vulgatum eſt.

ALBINUS Cantuarienſis Abbas an. 732. Vid. Beda, Eccleſ. Hiſt. Gent. Angl. l. 5. c. 21. Leland. Bal. Pitſ. Cav. Oudin. Fabric. &c.

Albinus FEINHALS ad S. Pantaleonem Coloniæ Agripp. Cœnobita claruit an. 1707. Vide Felix Egger in Idea O. S. B. part. 2. lib. 2. pag. 564.

ALCUINUS, ſeu *Flaccus Albinus*. Ob. 804. Vide vitam ſuprà cap. 2.

ALDE-

ALDEBALDUS Mon. Cluniac. ſcriptor vitæ S. Majoli an. 994. defuncti. Vide Acta Sanctorum II. Maji tom. 2. p. 668.

ALDERANNUS DESIDERIUS è Congr. Caſinenſ. an. 1709. Vide Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Caſin. part. 1. pag. 2. ubi à Matheſeos peritia præcipuè laudatur, & per integrum ferè ſeculum vixiſſe dicitur.

S. ALDHELMUS Abbas Malmesbur. & Epiſcopus Schirburnenſis. Ob. an. 709. Vide vitam ſuprà cap. 2.

ALDRICUS ex Abbate Ferrarienſi Archiepiſcopus Senonenſis an. 841. Vide Epiſtolas Lupi Ferrar. Ducheſne Hiſtor. Franc. tom. 2. pag. 717.

ALEMANNUS, *Almannus*, *Altmannus*, Mon. Altvillar. c. a. 868. Vide Urbanum Gottofred. Siberum de Illuſtr. Alemannis pag. 38. Lipſiæ 1710. in 4to. Marlotti Hiſtor. Metropol. Remenſis pag. 521. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 689. & Acta Sanctorum O. S. B. tom. 1. pag. 368. Analect. tom. 2. p. 94. ubi *Almannus* ex Necrologio Altivillarenſi vocatur.

ALEXANDER Aquicinctinus Abbas, Ob. 1174. Vid. Bibl. Belg. Andr. Valerii pag. 41. & Foppenii pag. 44.

Alexander BAILLIE Abbas ad S. Jacobi apud Scotos Ratisbonæ. Ob. 1655. Ex monumentis monaſterii ejusdem.

Alexander BARCLAIUS ex Benedictino Franciſcanus an. 1552. Vid. Pitſeus de Scriptor. Angl. æt. 16. pag. 745.

Alexander BUSINELLUS è Congr. Caſin. Vide Papadoli Hiſt. Gymnaſii Patavini pag. 173. Armell. l. c. part. 1. p. 3.

ALEXANDER Cantuarienſis Abbas c. a. 1217. Vid. Pitſeus de Illuſtr. Angl. Scriptor. æt. 13. pag. 287.

ALEXANDER Cantuar. Mon. claruit an. 1120. Vide Wion in Ligno vitæ, Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. Poſſev. in Appar. Pitſ. de S. A. æt. 12. p. 198.

ALEXANDER Cluniacenſ. Mon. circa an. 1010. Vid. Pitſ. l. c. æt. 11.

Alexander HUEBER, Andecenſis. Ob. 1685. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. pag. 289.

Alexander LELLUS è Congr. Caſin. primus ex Italis Benedictinis Theologiam ad mentem S. Anſelmi expoſuit. Vid. Armell. l. c. pag. 4.

ALEXANDER *Inſulanus*, Mon. Corbeiæ Novæ cl. poſt an. 1204. Vid. Chriſtian. Paulin. in Theatro Vir. Ill. Corbeiæ Novæ.

Alexander DE RODULPHIS Abbas Cavenſis an. 1611. Vid. Armell. l. c. part. 1. p. 4. Arnold. Wion Lig. vit. part. 1. pag. 150. Puccinellus in Appar. hiſtor. de Vir. Ill. Abbatiæ Florent. cap. 10. p. 81.

ALEXANDER *Celeſini*, rectiùs *Teleſini* Cœnobii Abbas an. 1152. Vid. Hieron. Surita, Voſſius de Hiſt. Lat. lib. 2. cap. 53. cujus errata corrigit Lud. Ant. Muratorius Scriptor. Rer. Italic. tom. v. p. 605. Annal. Bened. tom. 5. & 6. pag. 546.

Alexander ROYER è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi ſec. XVII. Vid. Auguſtin. Calmet in Catalogo Scriptorum Hiſtoriæ Lotharingiæ pag. XCV. col. 2.

ALEXANDER auctor *Doctrinalis Grammatici* apud Andream Presbyterum Can. Reg. Ord. S. Aug. in Chron. Gener. quod extat Tom. IV. Theſ. Anecd. Pez. col. 523.

Alexius Guido LOBINEAU è Congreg. S. Mauri author Hiſtoriæ Minoris Britanniæ an. 1707. typis vulgatæ. Vide Pezii & Cerſii Bibliothecas.

Alexius BERTHEVIN è Congr. S. Mauri.

Alexius HÜBNER Abbas Brevnovienſis in Bohemia. Ob. 1652. Ex documentis Monaſterii.

Alexius UGONIUS Abbas S. Petri Savilianenſis cl. 1559. Armell. part. 1. pag. 6. Arnold. Wion. Lign. vit. l. 2. c. 62. pag. 399. Poſſev. in Appar. tom. 1. pag. 46. Pucinell. in Nomenclatura Abbatum pag. 1.

ALEYDIS Monialis in Inſula Rolandi doctiſſima claruit ſub A. 1510. de qua ſuprà in vita Joan. Boutzbachii cap. 3.

ALFREDUS ex Monacho Corbeiæ Saxoniæ Epiſcopus Hildesheimenſis IV. Vid. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. pag. 68.

ALFREDUS ex Abbate Malmesburienſi Epiſcopus Cridienſis c. an. 980. Vid. Pitſ. æt. 10. pag. 179.

AFRICUS ſuprà *Ælfricus* Grammaticus.

ALFRICUS, Abbas S. Albani in Anglia an. 1150. Balæus Cent. x. p. 38. Pitſeus in appendice cent. 1. pag. 823.

ALGERUS, aliis *Adelherus* ex Leod. Scholaſtico Monachus Cluniac. an. 1130. Ejus elogium contexuit Nicolaus Canonicus Leodienſis Synchronus, quod Mabillonius edidit Tomo I. Analect. p. 303. Adde *Petrum* cognomento *Venerabilem* l. 2. epiſt. 3. Trithem. de S. E. c. 328. & de Ill. Ben. c. 90. Edmundus Martene Anecd. Tom. V. pag. 1022. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 42.

Algerus de PYRMONT Monachus Corbeiæ Novæ, quem cum priore confudiſſe mihi videtur Chriſt. Franc. Paullini in Theatro Vir. Ill. Corb. Novæ. Ut quid enim huic tribuit Opus de SS. Euchariſtiâ, quod eſt Algeri Cluniacenſis?

ALMANNUS ſuprà *Alemannus*.

Almericus de ALMERICIS è Congr. Caſ. Ob. 1698. Theologiæ Moralis Doctor cele-

celebris. Vid. Armell. Bibl. Caſin. part. 1. pag. 68.

Aloyſius CARAFFA domi ſuæ Nobiliſſimus, Abbas è Congr. Caſin. vitam in opinione ſanctitatis concluſit an. 1664. Vig. Angelum Perfectum in vitâ. Armell. l. c. part. 1. pag. 9. Bucelin. in Benedicto Redivivo.

Aloyſius ALVAREZ Hiſpanus Monachus. 1720.

Aloyſius à LYMBORGH ad S. Ægidium Leodii Abbas, de quo vide Andr. Valer. in Bibl. Belg.

ALPHANUS I. ex Monacho Caſin. Archi-epiſcopus Salernitanus. Ob. 1085. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. pag. mihi 135. Trithem. de S. E. c. 323. & lib. 2. cap. 87. de Vir. Ill. O. S. B. Ughellus Italiæ Sac. tom. VII.

Alphonſus de CINCHILLA Pincianus in Hiſpaniâ Monachus anno 1612. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 15.

Alphonſus HEYDENFELD Benedictoburani in Bavariâ monaſterii Profeſſus. Obiit an. 1751. 22. Jan. ætat. 39.

Alphonſus HUEBER Tegernſeenſis. Obiit paucis ante annis. Edidit aſcetica, & vetera ſui monaſterii ſanè antiquiſſimi monumenta illuſtravit. Vid. Pez. Theſ. Anecd. tom. 3. part. 3.

Alphonſus de LEON Abbas Hiſpalenſis an. 1637. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. p. 25.

Alphonſus de MADRID Monachus S. Salvatoris de Onna. Vid. Nic. Ant. l. c. p. 257. deinde Magna Bibl. Eccl. p. 317.

Alphonſus MARICONDA è Congr. Caſin. Epiſcopus Triventinus an. 1717. de quo plura Armell. part. 1. p. 10.

Alphonſus SAGREDO Monſerratenſis Sec. 17. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. p. 35.

Alphonſus SEPP Mariæmontanus Tyrol. ſec. 18. vertit Germanicè fratris ſui germani Antonii Sepp è Soc. Jeſu Miſſionarii in Paraquaria literas Latinè ſcriptas, lectúque dignas, & jucundas.

Alphonſus STADELMAYR Abbas Weingartenſis in Suevia. Ob. an. 1683. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. p. 261. & 290.

Alphonſus de TRUXILLO Procurator Generalis Congr. Hiſp. Vid. Nicolai Antonii Bibl. Hiſp. Nov.

Alphonſus VASQUEZ de Miranda. 1661.

Alphonſus de SAN - VICTORES Epiſcopus Armelienſis an. 1645. Vid. Nic. Ant. l. c. pag. 38.

Alphonſus VILLAGUT Congr. Caſin. Præſes an. 1623. Vid. Armell. part. 1. p. 12. Wion Lig. Vit. lib. 2. c. 62. p. 41. Poſſevin. in Appar. tom. 1. p. 47. Pucinell. in Nomenclatura Abbatum part. 2.

Alphonſus de VIRUES, Hiſpanus, Caroli V. Imp. Eccleſiaſtes an. 1541. Vid. Nic. Ant. B. H. N. tom. 1. pag. 43.

Alphonſus WENZEL Mallerſtorphenſis è Congr. Bavar. edidit anno 1723. Controverſias ſelectas ex Univerſâ Theologiâ, quibus poſtmodùm Aſcetica ſuperaddidit. Ob. anno, niſi fallor 1742.

ALREDUS Monachus & Presbyter Lindisfarnenſis c. an. 730. Vide Thomæ Smithi Hiſtoriam Bibliothecæ Cottonianæ.

ALTFRIDUS, ſeu ALFRIDUS Epiſcopus Monaſterienſis. Ob. 849. Vid. Leibniz Introduct. ad Scriptor. Rer. Brunſv. tom. 1. Brower. Bolland. Mabill. Voſſ.

ALTMANNUS ſuprà *Alemannus.*

ALTWINUS Monachus Senonenſis, Lupi Ferrarienſis diſcipulus clar. Sæc IX. Vid. Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 1. p. 555.

Alvarus de HINOISA & CARAVIAL Hiſpanus Benedictinus an. 1611. de quo vide Nicolai Antonii Bibl. Hiſp. Nov.

ALULFUS Monachus S. Martini Tornacenſis c. an. 1096. Vid. Trithem. de Vir. Ill. Ben. Sixt. Sen. Bibl. San. Mabill. Annal. tom. 1. & 5. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 44.

AMALARIUS Abbas Metenſis cl. c. an. 816. de quo Sigebertus Gemblac. cap. 87. ubi pro *Attulario* lege *Amularius.* Vid. etiam Mabill. præfat 11. in Sec. IV. Act. O. S. B. §. 11. pag. 325.

AMALARIUS *Fortunatus* Archiep. Trevirenſis, an. 810. vitam ſcripſit Conſtantinus Cajetanus Romæ editam an. 1612. in 4. Baluzius in Capitul. Mabillonius in Analect. Bulæ. in Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 1. p. 556.

AMALRICUS ex Weiſſenburgenſi Monacho Epiſcopus Spirenſis an. 893. Vid. Eyſengren in Catal. Teſt. verit. p. 71.

S. AMANDUS Trajectenſis Epiſcopus an. 662. Vid. Baron. ad Martyrol. Bolland. in Actis Sanctorum die 6. Jan. Aubert. Miræ. in Faſtis Belgicis, Mabillon. in Annal. & Actis Sanctorum Ord. S. B.

Amandus de CASTELLO, Prior Aquicinctinus an. 1120. Vide Arnoldum Baiſſium in Belgica Chriſtiana. Andr. Valer. Bibl. Belg. Mabillon. Annal. Ben. tom. 5.

Amandus EISENBERNER B. M. ad Scotos Viennæ in Auſtria ſec. XVII. Vid. Pez in Catal. Scriptor. Germ. Bened.

Amandus KAYSER ex Altenburgenſi in Auſtria infer. Monacho Abbas Tihanenſis in Ungaria. Ob. an. ... Ediderat jam anno 1690. *Methodum meditandi &c. Meditationes* in 4. an. 1701.

Amandus KRENNER Lambacenſis in ſuper. Auſtria edidit an. 1678. *Compendium diſciplinæ monaſticæ.*

Aman-

Amandus PACHLER Abbas ad S. Petrum Salisburgi. Ob. 1673. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 290. & Fratres Mezgeros in Hiſtoria Archiepiſcopatus Salisburgenſis.

AMATUS Monachus Caſinas, & incertæ ſedis Epiſcopus clar. an. 1070. ex opinione Baluzii fuit Oleronenſis Epiſcopus, Miſcell. tom. 2. præfat. ad Lect. Vid. Jo. Bapt. Marus in Notis ad Pet. Diac. de S. E. cap. 20.

S. Ambroſius AUTPERTUS, Abbas S. Vincentii ad Vulturnum. Ob. 778. Vide ſuprà cap. 2. vitam.

Ambroſius FERRARIUS Abbas S. Benigni Genuæ cl. circ. an. 1556. Vid. Huetius apud Armell. Bibl. Caſin. part. 1. pag. 14. Poſſevin. in Appar. tom. 1. p. 73. Pucinell. in Atenæo Literat. Mediolani pag. 23.

Ambroſius FREYENBICHEL Abbas Garſtenſis. Ob. ſec. XVIII. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 291.

Ambroſius GOMEZ DE SALAZAR claruit in Hiſpania c. a. 1653. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov.

Ambroſius Renatus JANVIER è Congr. S. Mauri. Ob. 1682. Vid. Bibl. Pezii & Cerſii.

Ambroſius PANNONIUS, Prior ad Scotos Viennæ in Auſtria an. 1518. Ex literariis monumentis Bibl. Scorenſis.

Ambroſius de RUSCONIBUS Monachus Parmenſis S. Jo. Evang. ſec. XVII. Vid. Armell. Bibl. part. 1. pag. 15.

Ambroſius de WOESTENE Prior Tornaci ad S. Martinum. Ob. 1514. Vid. Andr. Valer, & Foppens Bibl. Belg. p. 14.

Ambroſius WOLFF Ottoburanus in Suevia edidit paucis abhinc annis *Novam Grammaticam.*

Ambroſius ZIEGLER Cremiſan. SS. Theologiæ Profeſſor. Vivit: de ejus Operibus vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. p. 292.

ANAMODUS Monachus & Subdiaconus ad S. Emeramum Ratisbonæ circa medium Sec. IX. contexuit codicem traditionum S. Emerami. Vid. Anal. Ben. to. 2. p. 214.

ANASTASIA Lamſpringenſis Monialis. ... de qua excurienda ſunt vetera monaſterii monumenta, quod hodie incolunt Benedictini Angli patriâ pulſi.

ANASTASIUS *Bibliothecarius*, Abbas Romanus an. 882. De hoc Baronius, Mabillonius, Buſæus, Fabrottus, Oudinus, Caveus, Blanchinus, Vignolius.

ANASTASIUS Monachus Caſinenſis, Bibliothecarius Stephani II. vel III. ſeculo VIII. declinante. Vid. Arnold. Wion in Ligno Vitæ. Muratorius præfat. in Chronicon Breve Monaſterii Caſin. extat tom. 2. Scriptor. Rer. Italic.

ANASTASIUS Monachus, incertum cujus Monaſterii, ſcripſit ſec. XI. contra Berengarium. Vid. Mabill. Præfat. II. in Sec. VI. O. S. B. n. 17. Annal. tom. 4. pag. 513.

Anaſtaſius SCHREITTER San-Blaſianus in Nigra Sylva. Animam egit 1650. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 293.

Anaſtaſius UBERTUS Monachus Caſinas, ac poſteà Imolenſis Epiſcopus in Æmilia. Ob. 1558. Vid. Ant. Manzonus in Hiſtoria Epiſcoporum Imolenſium editâ Faventiæ an. 1719. Armell. part. 1. pag. 15.

ANDREAS *de S. Ambroſio*, vulgò dictus *Andreas Januenſis*, confunditur à Mabillonio cum *B. Andrea* Abbate Strumenſi. Collegit res geſtas S. Joannis Gualberti. Vide Acta Sanctorum tom. III. Julii pag. 315.

Andreas ARCIONIUS Congr. Caſin. Præſes an. 1648. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 1. pag. 16. Jo. Cinell. Bibl. volante pluteo 5. pag. 5. Pucinelli in Chronico Glaſſiatenſi cap. 145.

Andreas ASTONE Angl. Mon. S. Edmundi de Bury an. 1426. Vid. Thom. Smith in Catal. Bibl. Cotton. pag. 39. col. 1.

Andreas BINA Mediolanenſis, Congr. Caſin. in Monaſterio S. Juſtinæ de Padua Philoſophiæ Profeſſor, edidit *Electricorum effectuum explicationem.* Paduæ 1751. in 8.

Andreas CROQUET, Belga, Duacenus, Prior Monaſterii Haſnonienſis. Ob. 1580. Vid. Andr. Valer in Bibl. Belg. pag. 47.

Andreas de ESCOBAR Epiſcopus Megarenſis clar. c. a. 1431. ac interfuit Concilio Baſileenſi. Trith. de Vir. Ill. O. S. B. c. 136. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. vet. pag. 155.

ANDREAS Floriacenſis Monachus literis mandavit vitam Gauslini Abbatis.

Andreas FREDEZ Mon. Lubinenſis in Polonia clar. c. a. 512. Vid. Aquilam Polono-Benedictinam Patris Sczygielſchi.

Andreas GORDON, Scotus, Philoſophiam inſignem edidit an. 1745. Obiit 1751. 22. Aug. Lugendus multùm, quòd vixerit parùm.

Andreas LEUCANDER Abbas Rameſienſis in Anglia c. a. 1020. Vid. Pitſ. ætate 11. p. 183. Leland. Collectaneorum vol. 4. n. 92. Ger. Jo. Voſſ. de Hiſtor. Lat. Acta Sanctorum tom. 2. Junii p. 287.

Andreas LEUCCUS Congr. Caſin. Decanus clar. c. a. 1588. Vid. Armell. part. 1. Bibl. Caſin. p. 17.

Andreas SYLVIUS Marcianenſis Cœnobii Prior, Ob. an. 1194. Vid. Annal. Ben. tom.

tom. 6. pag. 57. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. 1. lib. 1. pag. 237. Andr. Val. Bibl. Belg. Sander &c. Bolland. in Act. SS. die 12. Maji in hiſtoria vitæ S. Rictrudis.

Andreas MAZZEI Abbas Caſtrovillarum è Congr. Caſin. an. 1717. Vid. Armell. l. c. part. 1. p. 17.

Andreas MAROQUINUS, Belga, Monachus S. Gisleni in Hannonia clar. circ. an. 1606. Vid. Miræus de Script. Eccleſ. Sec. 16. & 17. pag. 182. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 51. Foppens B. B. pag. 54.

ANDREAS Monaſterii S. Michaëlis propè Bambergam Abbas c. an. 1489. Vid. Bibl. Mag. Eccleſ. pag. 440. Jo. Pet. Ludewig Tom. I. Scriptor. Rer. Bamberg.

ANDREAS ejusdem loci monachus, ſcriptor vitæ Hermanni ex Epiſcopo Babenbergenſi Monachi Schwarzachenſis. Vide Ludewig loc. cit.

ANDREAS Abbas tertius Monaſterii Palatioli ſcripſit vitam S. Walafredi Abbatis ejusdem loci, quam edidit Mabillonius Sec. III. Bened. Part. II.

Andreas de la MONEDA Abbas Hieracienſis Sec. XVIII. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 316.

Andreas RAYNERIUS Abbas S. Mariæ Cæſenatis. Ob. 1714. Vid. Mabill. Itin. Ital. tom. 2. pag. 208. Armell. part. 1. pag. 18.

Andreas Franciſcus ROZE è Congr. S. Mauri. Ob. 1703. Vide Bibliothecas Pezii & Cerfii.

Andreas SALAZAR S. Æmiliani in Hiſpania monachus an. 1638.

Andreas de SUESSA Caſinenſis Abbas an. 1590. Vid. Plac. Diac. in Supplem. de Vir. Ill. Caſin. cap. 30. Armell. l. c. part. 1. pag. 19.

Andreas de TRAJECTO Spanheimenſis Monachus. Ob. 1483. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 2. p. 462. de S. E. cap. 801. & lib. 11. cap. 141. illuſtr. Benedictin. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 57.

Andreas VALLADIER Abbas Regularis S. Arnulphi Mettenſis. Ejus meminit Mabillon. Annal. Ben. tom. V. Calmet in Catalogo Scriptor. Hiſtor. Lothar.

Andreas VOGT Ottoburanus, de quo vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. lib. 1. cap. 7.

Andreas WITHEMANN, ſuprà *Andreas Leucander.*

Androinus de ROCCA S. R. E. Cardinalis & Innocentii VI. Avenione reſidentis in Italia legatus. Sedit Innocentius ab an. 1352. ad an. 1362. Vid. Eggs Purp. Doct. lib. 2. pag. 408. Eyſengrein in Catal. Teſt. Verit. pag. 145. ubi *Andoinum* vocat.

Angela BAITELLI Monialis S. Juliæ in urbe Brixia claruit c. a. 1657. Vide infrà vitam cap. 6.

ANGELOMUS Luxovienſis Monachus an. 835. Trithem. de Vir. Ill. O. S. B. & in Chron. Hirſaug. Sixtus Senenſis in Biblioth. Sanct. Eyſengren l. c. & plures alii.

ANGELRANNUS, ſive *Ingelramnus*, Abbas Centulenſis an. 1045. Vid. Mabill. in Actis SS. O. S. B. in prolegom. ad vitam S. Richarii Presbyteri. Bolland. in Comment. præv. ad vitam ejudem S. Abbatis die 26. April. tom. 3. p. 459. Annal. Ben. tom. 4. p. 1045.

Angelus Maria ARCIONIUS, Præf. Congr. Caſin. an. 1688. Vid. Armell. l. c. part. 1. p. 20. Mabill. Itin. Ital. p. 208. Cinell. Bibl. vol. plut. 4.

Angelus Maria CHERUBINUS è Congr. Caſin. Ob. 1652. Armell. l. c. part. 1. p. 22. Proſper Mandoſus in Bibl. Rom. vol. 1. cent. 3. p. 192.

Angelus de FAGGIIS, aliàs *Sangrinus*, Abbas Caſinenſis, excellens Poëta, an. 1593. Vid. Armell. Biblioth. Caſin. part. 1. p. 24. Marus in annot. ad Placidi Diac. Supplementum. Poſſev. in Apparatu.

Angelus GRISELLI è Congr. Caſin. Ob. 1581. Armell. l. c. p. 26. Petrus Ricord. in Hiſtoria Monaſtica Dial. 2. p. 245.

Angelus GRYLLUS plurium ſucceſſivè monaſteriorum Congr. Caſin. Abbas poëticâ facultate eximius. Vitam deſeruit an. 1629. Vid. Jan. Nic. Eryhræ. Pinacoth. 1. imagine 131. Armell. loc. cit. pag. 30.

Angelus de NUCE ex Abbate Caſinenſi Archiepiſcopus Roſſanenſis. Inter vivos eſſe deſiit an. 1691. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Angelus PERFECTUS Abbas Titularis è Congr. Caſin. an. 1672. Armell. l. c. p. 42. Toppius Bibl. Neapol. pag. 19.

Angelus PETRA, vulgò *Pria*, Monachus S. Benigni Genuæ an. 1590. Poſſevin. in Appar. Sac. tom. 1. Armell. l. c. pag. 43.

ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E. Cardinalis, & Bibliothecarius. Vivit, ac poſt multa Opera inſignia in lucem emiſſa, aliis identidem Rempublicam literariam locupletare non ceſſat *Vid. Armell. Bibl. Scriptor. Congr. Caſin. part. 1. p. 44. & rerum ipſius Commentarii.*

Angelus RUMPLERUS Abbas Fornbacenſis in Bavaria. Ob. an. 1513. Vide Bruſchii Centur. 2. pag. 108. Bern. Pezii

ALDE-

Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd. Part. III. n. VII. p. LXXXVII.

Angelus SINESIUS Monaſterii S. Martini de Scalis in Sicilia Inſtaurator & Abbas, doctrinâ & vitæ ſanctimoniâ inſignis. Piè in Domino obdormivit an. 1386. Vid. Pirrus lib. 4. Siciliæ ſacræ p. 168. Antonius Mongitore Bibl. Sicul. pag. 36. col. 2.

ANGILBERTUS Abbas Centulenſis. Ob. 814. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. n. 410. Analect. tom. 2. pag. 657. edit. nov. pag. 425.

ANGRADUS Monachus Fontanellenſis circa an. 695. Vide Bolland. in Cōment. præv. ad vitam S. Ansberti d. 9. Febr.

Amanus COUSSERE, Flander, Abbas S. Petri Oudenburgenſis an. 1457. Vid. Arnold. Wion. in Lig. Vit. Poſſev. in Appar. Sander, Valer. & Foppens in Bibl. Belg. part. 1. p. 63.

Anna PFERINGERIN Abbatiſſa Monaſterii Neuburgenſis ad Danubium, nunc in Collegium Soc. Jeſu converſi, ordine XIma. Vitam abſolvit an. 1451. Vid. Poſſev. in Appar. tom. I. Carol. Stengel. in Mantiſſa ad Cōment. Rer. Auguſtan. cap. XL. pag. 81.

S. ANSCHARIUS Archiepiſcopus Hamburgenſis an. 865. Vid. Añales Corb. Nov. ab an. 1215. Leibnitz Introduct. ad Scriptor. Rer. Brunſvic. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 291. & tom. 3. pag. 87. Acta SS. Ord. S. B. & à Bollando edita 3. Febr. tom. 1. p. 391.

ANSCHERUS Abbas Centulenſis, ſive S. Richarii c. a. 1110. Scriptor vitæ S. Angilberti Abbatis. Vid. Mabillonii Prolegomena ad vitam S. Angilberti Tom. IV. Act. SS. O. S. B. Bolland. in Cōmentar. prævio ad eandem vitam d. 18. Febr.

ANSEGISUS primùm Lobienſis, tum Fontanellenſis Abbas morte ſublatus an. 834. Vide ejus Geſta deſcripta in Chronico Fontanellenſi apud Luc. Acher. tom. 2. Spicilegii novæ edit. Carolum Molinæum de Monarchia Francorum pag. 72. ſeqq. editionis primæ. Acta Sanctorum Bolland. die 20. Julii Tom. V. pag. 90. ſeqq. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 60.

Anſelmus AMBLING Schwarzachenſis, exquiſitâ rerum philoſophicarum peritiâ inſignis, claruit c. a. 1673. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 295.

S. ANSELMUS BADAGIUS, Epiſcopus Lucenſis ab an. 1071. ad 1086. Vide Acta Sanctorum die 18. Martii tom. 2. pag. 647. Georgius Serpilius de Scriptoribus Biblicis part. 8. pag. 86.

Anſelmus BANDURI è Congr. Melitenſi. Deceſſit Pariſiis. Author præter alia Collectionis de *Imperio Orientali*, ſive *Antiquitatibus Conſtantinopolitanis*. Vid. Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Caſin. part. 1. p. 48. Card. Quirin. in Commentar. vitæ ſuæ part. 1. p. 94.

Anſelmus de BICKELNHEIM, Cœnobita S. Jacobi Moguntiæ tum Prior Spanheimenſis. Ob. 1179. Vid. Trithem. in Chron. Spanheim. p. 256.

Anſelmus BISLING Einſidlenſis Aſceta clar. c. a. 1671. Author inter alia *Montis Thabor*, Operis Aſcetici perquàm præſtantis.

S. ANSELMUS Archiepiſcopus Cantuarienſis. Ob. 1109. Vide vitam ſuprà cap. 2.

Anſelmus CAPELLER ſcripſit, atque edidit Salisburgi Tractatum de quatuor hominis Noviſſimis, an. 1718.

Anſelmus DESING Ensdorffienſis in Palatinatu ſuperiori Cœnobita benè doctus, natus Ambergæ an. 1699. 15. Martii, profeſſus 1718. edidit plura melioris metalli opuſcula in uſum maximè tyronum... Vivit 1753. nováque fæcundi ingenii monumenta indies publici facit juris, de quibus in Parte IV. fuſiùs.

Anſelmus ERB, Ottoburanus, primus SS. Canonum in Univerſitate Fuldenſi Profeſſor doctiſſimus, nunc Imperialis, Liberi, & Exempti ſui Monaſterii Abbas digniſſimus. De ejus Scriptis publicæ luci datis vide Hiſtoriam Univerſ. Salisburg. pag. 296.

Anſelmus FISCHER Ochſenhuſanus Prior diem ſupremum hoc ſeculo clauſit. Aſceta inter paucos eximius, quo nemo meliùs de Paupertate Religioſa Benedictina ſcripſit.

Anſelmus FLAVIUS Monachus Beccenſis c. a. 1093. de quo vide Commentar. præv. ad vitam S. Berengarii in Actis Sanctorum Bolland. 2. Maji tom. 6.

Anſelmus de FORCADA Monteſerrat. Hiſp. cujus meminit Pez in Catal. Scriptor. Ben. qui Seculo 17. extra Germaniam claruerunt.

ANSELMUS Abbas Gemblacenſis in Brabantia, finem vivendi fecit an. 1137. de quo vide Sanderum in Chorograph. Aubert. Miræ. Andr. Valer. Foppenium in Bibl. Belg. pag. 66.

Anſelmus GOUDIN, Abbas & Princeps San-Emmeramenſis edidit an. 1708. Devotionis Obſequia erga S. V. & Abbatiſſam Walburgam. Ob. 21. Sept. an. 1742.

Anſelmus HUEBER Publico dedit varia Opuſcula aſcetica ſermone teutonico...

Anſelmus KRODT S. Pantaleonis Coloniæ an. 1697. Vid. Felix Egger in Idea O. S. B. pag. 582.

Anſelmus MEILLER, Abbas Ensdorffenſis in Palatinatû ſuperiore. Vivit. Edidit Hiſtoriam ſui Monaſterii an. 1739. ſub titulo: *Mundi miraculum* S. OTTO *Epiſcopus Bambergenſis &c.*

Anſelmus MUNOZ, ſive *Nunoz* Hiſpanus cl. c. an. 1609. de quo vid. Nic. Ant. in Bibl. Hiſp. Nov.

Anſelmus Abbas Murenſis...

Anſelmus PAIOLI è Congr. Caſin. Ob. 1711.. Vid. Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Caſin. part. 1. pag. 50. Jo. Cinell. Bibl. vol. plut. 7. p. 6.

ANSELMUS Remenſis c. an. 1058. Vid. Sigebert. de S. E. cap. 152. Trithem. de S. E. cap. 333. & de Vir. Ill. Ben. lib. 2. cap. 88. Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. Marlotti Metropol. Rem.

Anſelmus ROTH à Schrökenſtein Campidon. Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

Anſelmus SCHLAGER, Andecenſis in Bavaria. Ob. 1678. vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 297.

Anſelmus SCHNELL Weingartenſis. Vivit, ab editâ hiſce annis Philoſophia & Theologia celebris.

Anſelmus SCHRAMB Mellicenſis Chronographus, devixit an. 1700. Ejus mentionem facit Mabillonius in Annal. Benedictin. tom. v. pag. 267. Vid. Bibl. Mellic. p. 524.

Anſelmus à SYRACUSIS Abbas S. Nicolai de Arenis. Vid. Armell. part. 1. pag. 236.

Anſelmus Franciſcus THEVART è Congr. S. Mauri, cujus adhuc vivi meminerunt Pezius & Cerfius in ſuis Bibliothecis.

Anſelmus WEISSENPACH Murenſis Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

ANSO, ſive *Anſus* Lobienſis Abbas an. 800. Vid. Bolland. & Mabill. in Commentar. præv. ad vitas SS. Urſmari & Ermini. Annal. Ben. tom. 2. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 61.

Antonius de ALBARADO Abbas Monaſterii S. Petri de Arlanza, an. 1600. Ejus Opera recenſet Nicol. Antonius in Bibl. Hiſp. Nov.

Antonius BARNEVO Abbas B. V. de Valvanera, Sec. XVII.

Antonius BATT è Congr. Angl. Pez in Catal. S. B. E. id eſt, qui extra Germaniam floruerunt.

Antonius BEAUGENDRE è Congr. S. Mauri. Vir provectæ ætatis adiit æternitatem anno 1708. poſtquàm in ſummâ ſenectute Opera Venerab. Hildeberti edidit. Vid. Pezii & Cerfii Bibliothecas.

Antonius de BERGHES Abbas S. Bertini, de quo vide Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 68.

Antonius BOYER Abbas Fiſcanenſis. Ob. 1519.

Antonius de CAULINCURTE Chronographus Corbeiæ Veteris Sec. XVI. Vid. Mabillon. in Actis Sanctorum O. S. B. Sec. IV. part. 2.

Antonius COLBERTUS è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi.

Antonius Maria COTTONUS Congr. Caſin. Ob. 1715. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 51. Jo. Cinelli Bibl. vol. plut. 7. pag. 53.

Antonius FLORETTUS Pœnitentiarius Romæ anno Jubilæi 1700. quô è vita migravit. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 1. pag. 52. Proſper Mandoſus in Bibl. Rom. vol. 2. Cent. 7.

Antonius Michaël FOUQUERE è Congr. S. Mauri. Ob. 1709. Vid. Cerfius in Bibl. Hiſt. Crit. pag. 110.

Antonius à FRACTIS Monachus Caſinas an. 1546. Vid. Plac. Diac. in Supplem. cap. 21. Armell. part. 1. pag. 53.

Antonius Paulus LE GALLOIS è Congr. S. Mauri. Obiit 1695. Vid. Pezii & Cerfii Bibl.

Antonius GRIMBERTUS Elnonenſis, an. 1602. Ejus meminit Baluzius in Notis ad Lupi Ferrar. Epiſt. CXXVIII.

Antonius HOVÆUS Abbas Epternacenſis an. 1568. Vide Andr. Valer. Bibl. Belg. & ex eo Sander. de Clar. Author. Foppens Bibl. Belg. pag. 79.

Antonius de S. HUBERTO Monachus Lacenſis. an. 1505.

Antonius KLUG, Amorbacenſis Prior, Profeſſor Theologiæ, & Parochus magnam rerum Amorbacenſium Sylvam collegit, quæ Cl. Ignatio Kroppio in conſcribenda hujus monaſterii hiſtoriâ non minimo fuit uſui, uti ipſe pag. 157. fatetur.

Antonius KRAMMER Monaſterii B. V. ad Scotos Prior emeritus. Ob. an. 1743.

Antonius LEVENIUS Abbas S. Mathiæ Trevirenſis electus an. 1484. Habuit epiſtolarum commercium cum Eraſmo Rotterodamo. Vide Yepes. Cent. 2. pag. 177.

Antonius Joſephus MEGE è Congr. S. Mauri. Ob 1691. Vide Biblioth. Pezianam & Cerfianam.

Antonius MESENICH S. Mathiæ Trevir. Sec. XVII. Pez in Catal. S. B. G.

Antonius à NEAPOLI, an. 1539. Vide Gattolam Hiſtor. Caſin. Sec. XII. pag. 769. Armell. part. 1. p. 53.

Antonius NERLIUS, Abbas Mantuanus ad S. Andream an. 1393. Vid. Lud. Ant. Murat. Scriptor. Rer. Italic.

Anto-

Antonius PEREZ, Archiepiſcopus Tarraconenſis. Ob. 1637. Vide Nicolai Antonii Bibliothecam Novam Hiſpanam pag. 117. ex quâ vitam ſuprà cap. 4. dedimus.

Antonius POUGET Congr. S. Mauri. Ob. 1709. Vid. Pezii & Cerfii Bibliotbecas.

Antonius de RAYMUNDIA Benedictinus Gallus, de quo vid. Luc. Acher. in Notis ad Opera V. Guiberti Abbatis p. 579.

Antonius RIVETUS è Congr. S. Mauri. Vivit & actu occupatur in elaboranda Bibliotheca Univerſali Scriptorum Franciæ.

Antonius de ROCCA Abbas Cluniac. S. R.E. Cardinalis. Clauſit diem ſupremum an. 1369. Vid. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. pag. 144.

Antonius ROLLE è Congr. S. Mauri, de qno vide Hugonem Menardum in Menologio Benedictino pag. 282.

Antonius de S. ROMANO ad S. Zoilum Cœnobita. An. 1603. Vid. Nicol. Ant. Bibl. Nov. Hiſp. pag. 124.

Antonius SARANZA Abbas S. Mauri Camporearum prope Florentiam. Ob. 1590. Mongitore Biblioth. Sicul. pag. 72.

Antonius SCHNAKENBURGIUS è Corbeia Nova an. 1560. Vide Franc. Paullini Syntagma Rer. Germ. Leibnit. Introduct. ad Tom. 2. Scriptor. R. B. n. 25. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 3. p. 1202. ubi ex Corbejenſi Monachus Hersfeldenſis factus, & defunctus an. 1476. dicitur.

Antonius STROZ Abbas ad S. Lambertum in Styriâ. Ob. 1725. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 249. & 298.

Antonius THUILLIER è Congr. S. Mauri, frater *Vincentii Thuillier*. Vid. Cerfius in Bibl. Hiſtor. Crit. pag. 476.

Antonius VINOT è Congr. S. Mauri. Ob. 1679. Vide le Cerf, pag. 489.

Antonius VOGELIUS, Abbas Augiæ Brigantinæ. Ob. 1711. Vid. Dion. Sammarth. Gall. Chriſt. tomo v. in Catalogo Abbatum hujus Cœnobii.

Antonius WOLFRADT Profeſſus S. Pantaleonis Coloniæ, Abbas Cremifanenſis, Epiſcopus Viennenſis S. R. I. Princeps † 1639. 1. April.

Antonius WINGHIUS Abbas Lœtienſis anno 1636. vitâ functus. Vide Bolland in Coment. præv. ad vitam V. Ludovici Bloſii.

Antonius YEHLIN Zwifaltenſis. Ob. 1714. Vir diligens, ac monaſterii Senior, qui multa poſt ſe Manuſcripta reliquit.

Antonius YEPES Congr. Vallisoletanæ Chronographus atque author celeberrimi Operis, *Chronici Generalis O. S. B.* Fatis ceſſit an. 1621. Vid. Nic. Antonium Bibl. Hiſp. Nov. pag. 103. ubi Yepeſium vocat *doctiſſimum Ordinis Benedictinorum Scriptorem.*

Apollo de VILBEL Fuldenſis Eccleſiæ Decanus claruit an. 1513. Vir præſtans ſui temporis memoranda quædam literis privatim conſignavit. *Vid. Browerus Fuld. Antiq. l. 4. p. 331.*

Apronianus HUEBER Augiæ Majoris Brigantinæ Prior. Vivit & in re literaria Benedictina promovenda, ut Scripta omittam, præ multis aliis ſtrenuè laborat.

Apollinaris à BOVILLIS Monachus Caſinas, de quo vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 53. Plac. Diac. in Supplem. cap. 19.

Archangelus de LEONATO Congr. Caſin. floruit ſub finem Sec. XVI. an. 1595. Vid. Armell. part. 1. pag. 54. Ant. Poſſev. Sac. Appar. Tom. I. p. 114. Arnold. Wion Lig. Vit. l. 2. c. 62.

ARCHANGELUS *à Neapoli* Cavenſis Monachus. Vid. Armell. l. c. p. 54. Wion Lig. Vit. l. 2. c. 62. Poſſev. Appar. tom. 1. pag. 114.

ARDO Monachus Anianæ, an. 843. extinctus, ſcripſit vitam S. Benedicti Anianenſis; unde de ipſo vide Mabillonium in Actis Sanctorum O. S. B. & Annal. Benedictin. tom. 2.

ARIBO, ſive *Erbo* Epiſcopus Friſingenſis, an. 783. Vid. Mabillonii Prolegomena ad vitam S. Corbiniani Epiſcopi in Act. Bened. Sec. 3. pag. 500. & Annal. Ben. tom. 2. pag. 37. &c.

ARIALDUS Monachus Caſinas vixit circa an. 1080. Vid. Petr. Diac. de Vir. Ill. Caſin. c. 22.

ARIULFUS, ſeu *Hariulfus* Abbas Aldeborgenſis in Flandria Sec. XI. Vid. Mabill. in Analect. Acher. in Spicil. & Andr. Valer in Bibl. Belg.

Arnaldus ODO, ſeu *Otto* de Leomannia Abbas Candomienſis an. 1255. electus. Vid. Dion. Sammarth. Gall. Chriſt. tom. 2. pag. 961.

ARNOLDUS Monachus S. Albani Moguntiæ circa an. 1317. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 2. ad an. 1317. pag. 143.

ARNOLDUS Altahenſis in Bavaria Monachus, an. 1030. Vid. Comentar. præv. in Actis SS. 4. Maji Tom. I. in vita S. Godehardi.

ARNOLDUS Abbas Bonævallis in Francia Carnotenſis, an. 1153. Vid. Combefis in Bibl. Concion. Franc. Titelman-

nus, Joannes Fellus, & alii quàm multi.

ARNOLDUS Corbeienſis c. a. 1030. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. ad an. 982. Mabill. Annal. tom. 4. pag. 77. &c.

ARNOLDUS, ſive *Arnolfus* San-Emmeramenſis c. a. 1010. Vid. Caniſius Antiq. Lect. tom. 2. Pez Diſſert. Iſag. ad Tom. IV. Anecd. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. Bibl. San-Emmeram. Præfatio ad Tom. 2. n. 22.

Arnoldus GANTOISIUS Abbas Marchianenſis an. 1576. de quo Bucelinus & Brentano in Epitome chronologica.

ARNOLDUS Hirſaugienſis Monachus c. a. 983. Vid. Trithem. in Annal. Hirſaug. ad an. Chr. 983.

ARNOLDUS Lubecenſis Abbas an. 1210. Vid. Joannis Molleri Diſſertatio de Helmoldo §. 27. ſeq. Jo. Ger. Voſſ. de H. L. c. 55. Meibomius, qui ejus Chronici ultima quatuor Capitula edidit. Oudin. de S. E. Tom. 2. col. 1719.

Arnoldus MICHAEL Monachus S. Martini Maj. Coloniæ an. 1553. Vid. Catal. Mſs. Codd. Bibliotbecæ San-Martinianæ.

Arnoldus REES S. Martini Coloniæ an. 1480. Ex catalogo mox citato, quem V. C. Oliverius Legipont confecit, mecúmque communicavit.

ARNOLDUS S. Mathiæ Treviris Scholaſticus, & author libri de *Computo Eccleſiaſtico*, quem Mariano Scoto nuncupavit. clar. c. a. 1063.

Arnoldus WION Belga, ex Congr. Caſin. Author *Ligni vitæ*. claruit Seculo XVI. exeunte. *Vid. Andr. Voler. Bibl. Belg. p. 89. Poſſev. Appar. Sac. tom. 1. Armell. l. c. part. 1. p. 54.*

ARNOLPHUS San-Emeramenſis an. 1010. ſuprà *Arnoldus*.

ARNOLPHUS Hirſaugienſis Monachus, ac poſteà Epiſcopus Paderbornenſis an. 1036. Vid. Trithem. in Cbron. Hirſaugienſi.

ARNULFUS Monachus Andaonenſis propè Avenionem ſcripſit Martyrologium, & alia, de quibus vide Mabillon. Annal. Ben. tom. 2. & 4. pag. 322.

ARNULFUS Monachus Cluniacenſis Monaſterii c. a. 1130.

ARNULFUS Gemblacenſis Abbas continuavit Sec. XII. Chronicon Sigeberti. Vid. Sander. in Chronograph. Brabantiæ. Annal. Ben. tom. 5. p. 581.

ARNULFUS Abbas Latiniacenſis, Ob. MCVI. Vid. Annal. Ord. S. B. tom. V. pag. 332.

Arnulphus GOETHALSIUS Monachus S. Andreæ propè Brugas ſcripſit Monaſterii ſui Chronicon c. a. 1525. Vid. Acta SS. Tom. I. Julii pag. 364.

ARNULPHUS, ſive *Ernulphus* Roffenſis Epiſcopus, an. 1124. Vid. Warthon Angl. Sac. tom. 1. pag. 329. Annal. Bened. tom. 5. adde Leland. Bale. Pitſ. Cav. Oud.

ARSENIUS Leodienſis, Abbas S. Pauli Romæ. Ob. 1457. Vid. Poſſevin. in Appar. tom. 1. p. 133. Andr. Valer. Bibl. Belg. p. 89. Armell. l. c. part. 1. p. 58.

Arſenius à MONELIA è Congr. Caſ. Epiſcopus, cujus meminit Armellinus l. c. part. 1. pag. 61.

Arſenius SULGER Prior & Chronographus Zwifaltenſis. Adiit æternitatem an. 1691. Vid. Annal. Zwifalt. part. 2.

ARVODOLPHUS Monachus ac Hagiographus Fuldenſis circa an. 1160. Laudatur à Wicelio in præfat. Hagiolog. Bollando in Præfat. General. in vitas Sanctorum tom. 1. pag. XIX.

ASCELINUS Monachus Beccenſis Sec. XI. Vid. Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. tom. 6. pag. 688. Lud. du Meſnil de Doct. & Diſcipl. Eccleſ. tom. IV. p. 87.

ASSERIUS ex Abbate Schireburnenſis Epiſcopus. Ob. 909. Vid. Joan. Leland. de Scriptor. Angl. cap. 118. Balæus II. 25. Pitſeus æt. 10. Speelman, Thomas Hearne, & Thomas Galeus, Annal. Ben. tom. 3. pag. 306.

Athanaſius GUGGER San-Gallenſis Sec. XVII. vulgavit ſacras Odas typis ſui Monaſterii.

Athanaſius de MONGIN è Congr. S. Mauri piiſſimus Aſceta. Ob. 1633. Vide le Cerf pag. 362.

ATHELARDUS, ſeu *Adelardus*, Monachus Bathonienſis an. 1130. Vid. Balæ. II. 69. Pitſ. æt. 12. pag. 201. Oudin. de S. E. tom. 3. col. 1017. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. pag. 30.

ATHELNOTUS, Lelando *Æthelnothus*, Cantuar. Archiep. an. 1038. Vid. Lel. Bal. Pitſ. &c.

Attilius VIGNOLA Prior Titularis S. Juſtinæ Patavinæ. Vivit. Vid. Armell. part. 1. pag. 237.

AUDULPHUS Abbas S. Maxentii cl. c. a. 682. ac ſcripſit de Miraculis S. Leodegarii. Vid. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 567.

AUDRADUS Monachus vixit ſub Carolo Calvo. Vid. Bibl. Mſs. Labbei pag. 57. Hiſtor. Franc. tom. 2. p. 390.

S. AUGUSTINUS Angliæ Apoſtolus. Ob. 604. Vid. Annal. Ben. & Acta SS. O. S. B. Warthoni Angl. Sac. tom. 1. & Acta Sanctorum Bolland. die 26. Maji tom. VI.

Augu-

AUGUSTINUS Anglus Congreg. Caſin. an. 1592. Ejus meminit Angelus de Nuce in Notis ad Chron. Caſin. l. 4. marginal. 2013. Armell. l. c. part. 1. pag. 61.

Auguſtinus de BENAVENTE Pinziani in Hiſpania Monàſterii alumnus an. 1628. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 136.

Auguſtinus BONTEMPS, Atrebas, Mon. Lobienſis panxit carmina. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. p. 94. Foppens pag. 112.

Auguſtinus BRENDLIN, Weingartenſis Sec. xvii. Pez in Catal. S. B. G.

Auguſtinus CALMET, Abbas Senonienſis, ac Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi Præſes digniſſimus. Senex ac Præſul toto orbe literario famoſus, annoſus, probatus, coronatus. Vivat Neſtoris annos!

Auguſtinus CÆSARIUS Congr. Caſin. c. a. 1592. Vid. Armell. l. c. part. 1 p. 51.

Auguſtinus DORNBLUTH Gengenbacenſis edidit Opus ſacrarum Meditationum, aliáque plura. Vivit an. 1753.

AUGUSTINUS Einſidlenſis Abbas vitam S. Menradi Martyris edidit an. 1603.

Auguſtinus ISEMBARDI è Congr. Caſin. Epiſcopus Cremonenſis an. 1681. Nicol. Coleti in Italiam Sacr. Ferd. Ughelli tom. 4. col. 622. Armell. l. c. part. 1. pag. 62.

Auguſtinus LAMPUGNANUS Abbas è Congreg. Caſin. Ob. 1666. Vid. Armell. part. 1. pag. 62. Pucinell. in Athenæo Mediolan. pag. 3.

Auguſtinus LOSCHUS è Congreg. Caſin. Theologus & Orator in Concilio Tridentino an. 1559. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 65.

Auguſtinus MAGG à paucis annis defunctus, in Monaſterio Weingartenſi profeſſus. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 299.

Auguſtinus MARCHUIUS Abbas Lacenſis an. 1568. plura in Manuſcriptis reliquit.

Auguſtinus OBERNNALIB Abbas Mellic. Ob. 1483. Vid. Bibl. Mellic. p. 445.

Auguſtinus PAPASIDERA è Congr. Caſin. an. 1638. Vid. Mongitore Bibl. Sicul. pag. 90. Armell. part. 1. p. 66.

Auguſtinus PUEL, Garſtenſis, vulgavit Conciones an. 1714. Styræ in fol.

Auguſtinus REDING, Abbas & Princeps Einſidlenſis celeberrimi nominis, annum habuit ſupremum 1692. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 300.

Auguſtinus STEGMÜLLER Abbas Zwifaltenſis, devixit an. 1744. Edito ſcripto defendit Probabiliſmum, atque altero majoris momenti jura Monaſterii ſui contra Imperialem eámque acatholicam urbem Reutlingam in Circulo Sueviæ.

Auguſtinus STÖCKLINUS Abbas Fabarienſis Sec. 17. Vid. Mabill. Itin. Germ. pag. 4. Annal. Ben. tom. 2. p. 46.

Auguſtinus STORCH è S. Paulo in Carinthia. *Vid. Pez in Catal. S. B. G.*

Auguſtinus TRÖSTER Sant-Emmeramenſis profeſſus, Eyſtadienſis Divæ Walburgæ Parthenonis præpoſitus, edidit libellum ſub titulo: *Cultus Divæ Walburgæ Virginis.* Aug. Vindel typis Pingizeri A. 1751. quo vivere deſiit.

Auguſtinus TORANUS, Panormitanus, è Congr. Caſin. Ob. an. 1638. Vid. Mongitore in Bibl. Sic. & Armell. Bibl. Caſ.

Auguſtinus VENERIUS è Congr. Caſinenſi. Ob. an. 1638. Vid. Armell. l. c. p. 66.

AVIANUS S. Winoci in Belgio Monachus cl. 1456.

Auguſtinus ZIEGLER ad Quercum inferiorem profeſſus, & in Univerſit. Salisburg. Philoſophiæ Profeſſor edidit A. 1752. Diſſertationem philologicam *de Methodico mentis humanæ ratiocinio &c.*

AURELIANUS Monachus S. Joannis Reomenſis ſcripſit Librum de Muſica. Vid. Mabillon. Annal. Ben. tom. 6. pag. 480. & in itinere Burgundico pag. 22.

Aurelius FISCHER Zwifaltenſis, Henrici Boudun quædam Opuſcula Aſcetica è Gallico Germanice reddidit. Devixit paucis ante annis.

AUTBERTUS Caſinenſis Abbas ab an. 834. ad an. 837. de quo Pet. Diac. in lib. de Vir. Ill. Caſin. cap. 13. & ad eum Jo. Bapt. Marus in Notis. Combeſis in Bibliotheca Concionatoria. Eraſmus Gattola in Chron. Caſin.

Aymericus de PEYRACO Abbas Moyſſiacenſis in Gallia circ. an. 1400. Vid. Annal. Bened. tom. 4. & 5. Cavei Hiſtor. Liter. Fabric. Bibl. med. & inf. Latinitatis vol. 1. lib. 1. pag. 42.

Aymo de BORDIS, Monachus Antiſſiodorenſis Sec. XIII. Vid. Labbeum Biblioth. Nov. Mſs. Tom. 1. pag. 570.

AZO, ſive *Aſo* Monachus Dervenſis. Ob. 992. Vid. Carol. le Comte Annal. Franc. tom. 2. ad an. 612. pag. 631. ſeq. Joan. Albert. Fabricius Bibl. med. & inf. Lat. vol. 1. pag. 428.

B.

BABOLENUS Abbas Foſſatenſis c. a. 661. plures codices ſcripſit. An. Ben. tom. 1. pag. 464.

BA-

BACHELARDUS, Gallus, Prior S. Juliani, an. 1669. Vide Pezii Epiſt. Apolog. pag. 213.

BALDEWINUS Mon. S. Remigii Remenſis, an. 1150, Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 394. Papebroch. in Act. SS. tom. 7. Maji de S. Gibriano, pag. 619.

BALDRICUS Burgulienſis Abbas, Archiepiſcopus Dolenſis. Ob. an. 1131. Vide Acta SS. Tom. 1. April. p. 43. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. p. 504. Bongarſii Hiſtor. Oriental.

Balduinus de GLEN, Atrebas, Henniacenſis apud Arteſios Monaſterii Antiſtes clar. 1584. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 98.

Balduinus DIONYSIUS Cœnobita Elnonenſis cl. 1592. Vid. Andr. Valer. l. c. pag. 98.

Balduinus MOREAU ſcripſit *Faculam* ad Regulam S. B. Sec. XVI.

BALTHARIUS, ſive *Baltherius* Monachus Seckinganus, ſive Saconienſis in Suevia c. a. 900. Vid. Carol. Coint. tom. 1. Annal. p. 272. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 221. Goldaſt. Antiq. Alaman. tom. 2. pag. 195.

Balthaſar à DERNBACH Abbas & Princeps Fuldenſis an. 1606. Vid. Schannat in Hiſtor. Fuldenſi, Bucelin. in Annal. Ben. & Benedicto Redivivo. Brower. in Dedicat. Antiquit. Fuld.

Balthaſar MORABITUS Abbas S. Nicolai de Arenis. V. Mongitore in Bibl. Sic. & Armell. Bibl. Caſ. part. 1. pag. 70.

Balthaſar Reinen à BREE S. Martini Coloniæ. An. 1621. Vid. Catal. Mſs. Codd. Bibl. San-Martin.

Balthaſar WELLER Banthenſis in Francia Orientali. Vid. Pez in Catal. S. G. B. ab an. 1600. ad 1715.

BAPTISTA, Italus, Mantuanus, in Padolyronenſi monaſterio profeſſus anno 1441. ſui temporis eruditiſſimus Concionator. Vid. Cavacius in Hiſtoria Monaſterii S. Juſtinæ, Armell. part. 1. pag. 70.

D. de BARADAT Monialis Jotrenſis, quam laudibus celebrat Edmundus Martene in Itinere ſuo Literario Gallicè ſcripto part. 1. pag. 43.

BARDO Moguntinus Archiepiſcopus ex Monacho Fuldenſi, alter ſui ævi Chryſoſtomus an. 980. Vid. Nicol. Serrar. & Jo. Georg. Chriſt. Scriptor. Rer. Moguntiac. tom. 1. Acta SS. tom. 2. Junii in vit. Mabill. in Annal. Bened. & Actis Sanctorum Ord. S. B.

BARNABAS Monachus Parmenſis S. Joan. Evang. an. 1590. Armell. l. c. part. 1. pag. 70.

Bartholomæus AVEROLDUS è Congr. Caſin. Archiepiſcopus Spalatenſis in Dalmatia an. 1479. Vid. Armell. l. c. part. 1. p. 70. Octavius de Rubeis in Elogiis Hiſtoricis Illuſtr. Brixienſ. pag. 188. & ſeq.

Bartholomæus de COTTON Monachus Norwicenſis c. a. 1300. Vid. Warthon Angl. Sac. tom. 1.

BARTHOLOMÆUS Cryptæ Ferratæ Abbas an. 1032.

BARTHOLOMÆUS Cluniacenſis Abbas an. 1230. Vid. Bibl. Clun. Edm. Martene in Itin. Liter. p. 144. Oudin. Tom. 3. de S. E. p. 45.

Bartholomæus KRAFFT Mon. Blauburenſis prope Ulmam in Suevia c. a. 1480. vixit, ac ſcripſit *Paſſionale Sanctorum*. Vid. Acta SS. Bolland. tom. 6. Maji pag. 548. col. 1.

Bartholomæus à PATERNIONE Monachus S. Nicolai de Arenis. Ob. 1719. Mongitore Bibl. Sic. & Armell. Bibl. Caſin.

Bartholomæus PETIT DE LA CROIX Congreg. S. Mauri. hoc Sec. in nova Galliæ Chriſtianæ editione accuranda cum Dionyſio Sammarthano collaboravit, ut hic ipſe in Præfatione ad Tomum I. teſtatur.

Bartholomæus de SEGURA Monachus Pincianus in Hiſpania clar. c. a. 1619. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 157.

Bartholomæus SENOQUE è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Sec. XVII. Vid. Calmet in Catalogo Scriptorum Hiſt. Lothar.

Bartholomæus STELLA Wiblingenſis in Suevia Monachus c. a. 1546. Vid. Monaſterii Annales.

Bartholomæus TABERNA Mon. S. Nicolai de Arenis an. 1541. Vid. Mongitore Bibl. Sic. pag. 99. Armell. l. c. part. 1. pag. 71.

BARTHOLOMÆUS Veronenſis Abbas S. Nicolai de Litore c. a. 1440. Poſſev. Appar. Sac. tom. 1. p. 175. Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. 3. c. 7. Armell. l. c. pag. 73.

Baſilius de ARZE Monachus Hiſpanus clar. c. a. 1615. de quo vid. Nic. Ant. in B. H. N.

Baſilius BALTHASAR Sangallenſis Scriptor Marianus an. 1749. Ejusdem *Alveare Hiſtoricum* lucem exſpectat.

Baſilius FINCKENEIS è S. Lamberto Styriæ, Philoſophus, Theologus, ac Aſceta præclarus. Ob. 1693. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 302.

Baſilius GRADI è Congr. Caſin. Stagnenſis Epiſcopus in Dalmatia an. 1585. Wion Lig. Vit. l. 2. c. 53. p. 358. Poſſev. in Appar. Sac. p. 197. Armell. l. c. part. 1. p. 73.

Baſi-

Baſilius ITTEN Abbas Rhenovienſis, de quo vid. Felix Egger in Idea Ord. S.B. lib. 2. pag. 262.

Baſilius MILLANUS Congreg. Caſin. c. a. 1557. Armell. l. c. p. 74. Nicolaus Antonius in Bibl. Hiſp. *Melanium* vocat.

Baſilius PARADISI Monachus S. Vitalis Ravenæ. Ob. 1647. Vid. Proſper Mandoſius, Seraphinus Paſolinus, Hieron. Fabri, Armell. & alii.

Baſilius PEROTRICHIUS Abbas Congreg. Caſin. Sec. XVI. *Armell. part. 1. pag. 76.*

Baſilius VALENTINUS Monachus Erphordii ad S. Petrum, Sec. XV. Vide ſuprà cap. 3. vitam.

Baſilius ZANCAROLLUS Abbas Congreg. Caſin. Sec. XVII. *Armell. l. c. pag. 76.*

BASSATIUS Abbas Caſinenſis, vitâ functus an. 856. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. XI. Eraſmus Gattola in Hiſt. Caſinenſi.

BAUDEMUNDUS Abbas Blandinienſis an. 690. Vid. Bolland. in Comment. præv. ad vitam S. Amandi 6. Febr. tom. 1. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. Andr. Valer. Bibl. Belg.

BAVO, *Bovo*, ſeu *Bono* Abb. Corbeiæ Saxonicæ an. 899. Vid. Annal. Corb. Adam Brem. Hiſtor. Eccleſ. c. 35. Henric. Meibom. in notis ad Chronicon Corbeienſe. Chriſt. Franc. Paullini in Theat. Vir. Ill. Corb. Nov.

S. BEATUS Levanenſis Aſtur, Abbas 785. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Vet. pag. 325. Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. Sec. VIII. Mabill. in Annal. Ben. tom. 2. Acta Sanctorum Bolland. tom. 2. Junii pag. 39.

BEDA Venerabilis, ſupremum Anglorum Doctorum decus. Animam Creatori reddidit an. 735. Vide ſuprà cap. 2. vitam.

Beda BIERMAN Ringelheimenſis Scriptis theologicis an. 1728. inclaruit.

Beda BLOEM Cœnobita S. Martini Maj. Coloniæ. Ob. 1730.

BEDA *junior* D. Bervigni in Italia monaſterii Monachus cùm humanarum, tum Divinarum ſcientiâ Literarum præſtantiſſimus ad annum 819. clarus. De quo *Yepes*, *Wion*, *Bucelinus & alii.* Criſis tamen deſideratur.

Beda SEEAUER ex Domo S. Petri Salisburgi Pœnitentiarius ad Thavmaturgam Virginem Plainenſem edidit Sacra Exercitia an. 1743. & alia aſcetica.

Beda SCHWALER Einſidlenſis, Sec. 17. *Petz. in Catal. S. B. G.*

BELHOMMEUS Mediani in Vogaſo Monaſterii Abbas... *Vid. Bolland. Tom. III. Julii. p.* 221.

S. BENEDICTUS Patriarcha anno ætatis ..63. deferri voluit in eccleſiam: ubi ſumpta Euchariſtia, ſublatis in cœlum oculis orans, inter manus diſcipulorum efflavit animam, an. 543. ſcripſit Regulam diſcretione præcipuam. Vide vitam ſuprà cap. 1.

BENEDICTUS III. Pont. Max. mortali vitâ functus an. 858. 26. Febr. de quo Eggſius in Pontificio docto p. 220.

Benedictus ABELZHAUSER Abbas Seittenſtettenſis an. 1717. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 207. & 303.

Benedictus ALVAREZ Hiſpanus ex Monaſterio S. Facundi c. a. 1636. Vid. Nic. Ant. in B. H. N.

S. BENEDICTUS Ananiæ Abbas. Ob. 821. Vid. Annal. Ben. & Acta Sanctorum Ord. S. B.

Benedictus BACCHINUS Abbas plurium ſucceſſivè in Congr. Caſin. Monaſteriorum longè doctiſſimus. Mortem oppetiit an. 1721. Vid. Armell. in Bibl. Caſin. Nizronii Memorias Tom. XII. pag. 258. Vitam à ſe ipſo ſcriptam, aliam ſuprà cap. 4.

Benedictus de BAVARIA, Monachus Ettalenſis Sec. XV. Vid. Kropff in Bibl. Mellic. pag. 51.

Benedictus BEHAMSTEIN Garſtenſis in Auſtria ſuperiore. Ob. 1715. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 303.

S. BENEDICTUS BISCOPUS Abbas Wiremuthenſis. Ob. an. 703. Vid. Ven. Beda in Hiſtor. Eccl. Gent. Angl. Leland. cap. 82. Piſſ. æt. 8. p. 113.

Benedictus van der BORCHT, Prior Abbatiæ S. Trudonis hoc Sec.....

Benedictus BONSIGNORIUS Abbas S. Mariæ de Florentia claruit c. a. 1568. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 89. Pucinell. in Chron. Abb. Florent. Julius Negri in Hiſtor. Scriptor. Florent.

Benedictus BUECHER Obernaltacenſis. Edidit Prima Philoſophiæ Experimentalis Principia Salisburgi an. 1742. in 4. Diſſert. de facto Honorii Papæ 1748. &c. Vivit an. 1752. natus Ratisbonæ 1706. profeſſus an. 1729.

Benedictus CANOPHILUS Juris utriusque ſcientiâ clariſſimus Abbas è Congr. Caſin. claruit an. 1550. Vid. Plac. Diac. in Supplem. cap. XI. Arnod. Wion Lig. Vit. l. a. c. 63. Bucel. in Annal. Ben. an. 1550. Armell. l. c. part. 1. p. 92.

Benedictus CHELIDONIUS, è Monaſterio S. Ægidii Norimbergæ poſtulatus in Abbatem Cœnobii B. V. ad Scotos Viennæ, melior Poëta, quàm Oeconomus. Deceſſit an. 1531. Vid. Supplem. Bruſchii, ſeu Centur. 2. p. 208.

Benedictus CHERLE Abbas Thierhauptenſis in Bavaria edidit Menologium Benedictinum ſermone patrio anno 1714.

BENEDICTUS *Glooceſtrienſis* Anglus clar. poſt an. 1120. Vid. Pitſ. æt. 12. Henric. Warthon tom. 2. Ang. Sac. in Præfat. n. 22. pag. XXVI.

Benedictus du CLOU è Congr. S. Mauri hoc Sec. *Dionyſio Sammarthano* in nova Galliæ Chriſtianæ editione concinnandâ auxilio fuit.

BENEDICTUS aliàs *Chryſanthus de Monaſterio Eiffliæ* Monachus S. Martini Maj. Coloniæ c. a. 1487. Plura ejus ingenii monumenta extant in Lacenſi Bibliotheca. *Vid. Hartzheim Bibl. Colon.*

Benedictus EISELIN San-Blaſianus Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

BENEDICTUS Engelbergenſis Abbas Sec. 17. Pez l. c.

BENEDICTUS Floriacenſis Abbas, Autor Gloſſarii Latino-Græci. Vid. Fabric. Bibl. Græc. vol. X. pag. 58.

BENEDICTUS Foſſatenſis Abbas, de quo vide Mabillonium in appendice ad Sec. IV. Benedictin.

Benedictus FRANCK Tegernſeenſis Concionator an. 1735.

Benedictus FREYPEIS Andecenſis Subprior, de quo Pezius Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot. pag. XXII.

Benedictus GABAL San-Blaſianus, Sec. XVII. Pez in Catal. S. B. G.

Benedictus GEBHART S. Jacobi Moguntiæ. Ob. 1738. relicto in MSc. ſui cœnobii Chronico &c.

BENEDICTUS *à S. Germano* Caſinas clar. an. 1570. Vid. Plac. Diac. Caſ. in Supplemento ad Pet. Diac. cap. XIX. Eraſmus Gattola in Hiſtoria Monaſterii Caſin. Armell. part. 1. p. 100.

Benedictus GUAIFERIUS Mon. Caſin. cl. c. a. 1060. Vide Ughellum tom. 1. Ital. Sac. pag. 1336. 1341. & Acta SS. die XI. Febr. in Comment. præv. ad vitam S. Secundini.

Benedictus GUIDI Abbas S. Nicolai de Litore. Ob. 1590. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 97. Franc. Sanſovin. *Venetia* lib. 13. pag. 284.

Benedictus HARDTER docuit Jus Canonicum Friſingæ an. 1720.

Benedictus HÆFTENUS Præpoſitus Affligemienſis, à doctrina, pietate, prudentia, morúmque elegantia commendatiſſimus. Animam efflavit an. 1648. Vid. vitam ſuprà cap. 4.

Benedictus Hieronymus FEIJOO Hiſpanus vivit 1752.

BENEDICTUS *à S. Joanne* è Congr. SS. Vit. & Hid. an. 1629. Vid. Hæften. Diſquiſ. Monaſt. lib. 2. tr. 5. pag. 163.

Benedictus JUNCKERSDORFF S. Martini Colon. an. 1669. Vid. Catal. Mſs. Codd. Bibl. S. Martin.

Benedictus KOFFER San-Blaſianus, Sec. 17. Pez Catal. S. R. B.

Benedictus LASPO Monachus in Reinhauſen, an. 1268. Vide Leuckfeldii Antiquitates Bursfeldenſes cap. 3. p. 129.

Benedictus LAUDATI Abbas Monaſterii Averſani in Italia. Ob. 1724. Vid. Armel. l. c. part. 1. pag. 99.

Benedictus LUCCHINIUS Abbas Mantuanus. Ob. 1599. Wion Lig. Vit. in additamentis part. 2. l. 5. p. 518. Pet. Ricord. Hiſt. Monaſt. Dial. 4. p. 467. Armell. l. c. part. 1. pag. 100.

Benedictus MAILLARDI Saviniacenſis Monaſterii Prior major circa finem Sec. XV. Vid. Mabill. Annal. tom. 2. p. 386. & tom. 5. pag. 598.

BENEDICTUS Majoracenſis, ſeu ex Inſulâ Majorica Monachus S. Pauli in Urbe Congr. Caſin. an. 1530. Vid. Nic. Ant. B. H. N. Wion in Ligno Vitæ l. 2. c. 63. Armell. part. 1. p. 101.

BENEDICTUS Abbas Maſſilienſis recenſetur à Dufreſnio in Indice Scriptorum, quem ſuo Gloſſario præmiſit. Ego verò in Catalogo Abbatum Maſſilienſium apud Dion. Sammarthanum in Nova Gallia Chriſtiana nullum invenio, qui hoc nomine vocetur.

Benedictus Abbas Mediolacenſis. Vid. Mabillon. appendice ad Sec. IV. Ben. de tribus Abbatibus Benedictinis, Ananienſi, Foſſatenſi, & Mediolanenſi.

Benedictus MEYDING Schyrenſis in Bojoaria Monaſterii Abbas an. 1709. electus, vir in omni ſcibili verſatus, Hiſtoricus, Orator, Philoſophus, Juriſta, Theologus inſignis, verus librorum helluo, quibus evolvendis omnem ferè conſumpſit vitam, denatus an. 1722. die IX. Junii ætatis 50. In MSs. reliquit multa præclari ingenii monumenta, videlicet Orationes capitulares Vol. I. in 4. Tractatus Polemicos contra Queſnellum Vol. X. & alia omninò digna quæ publici Juris fiant.

Benedictus MEYENSCHEIN Ringelheimenſis Aſceta. Vivit. An. 1729. Regulam S. P. B. cum notis ſuccinctis, ſed eruditis vulgavit.

Benedictus MORELLUS Abbas SS. Floræ & Lucillæ Aretii. Ob. 1623. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 101.

Benedictus de PENNALOSA MONDRAGON ex Monte Serrato in Hiſpania, Cœnobii Pragæ in Bohemia & Viennæ in Auſtria Abbas clar. an. 1633. Vid. Conſpectum Hiſtor. Univerſ. Vienn. ad an. 1641. part. 2. pag. 225.

BENEDICTUS Abbas Petroburgenſis in Anglia, an. 1199. Vid. Leland. cap. 189. Pitſ. æt. 12. pag. 271. Poſſev. in Appar.

Appar. Voſſ. de Hiſt. Lat. & Nikelſon de S. A.

Benedictus PETTSCHACHER è S. Lamberto Styriæ, Theologus & Rector Univerſitatis Salisburgenſis. Ob. 1701. Vid. Hiſtor. ejusd. Univerſ. pag. 304.

Benedictus PISO Monachus Calmenſis, an. 1539. Annal. Ben. tom. 2. pag. 165. Act. SS. Bolland. tom. VII. Maji pag. 271.

Benedictus ROLLE, Gallus cl. an. 1594. Edidit Regulam S. P. B. & alia quædam ſub ejus nomine Opuſcula. Vid. Hæften. Diſquiſ. Monaſt.

Benedictus RUTTEAU Hanno - Montenſis Monaſterii S. Dionyſii Religioſus claruit c. a. 1637. Foppens Bibl. Belg. p. 134.

Benedictus SCHMIER, Ottoburanus. Vivit. Multis annis ſuperiores Facultates in Univerſitate Salisburgenſi docuit, eámque variis libris in lucem emiſſis locupletavit.

Benedictus de la SERNA Theologiæ Profeſſor in Collegio S. Vincentii Salmanticæ cl. c. a. 1652. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 166.

BENEDICTUS Monachus Soractenſis Sec. X. Vid. Mabill. Annal. tom. 2. p. 132.

BENEDICTUS S. Sequani Abbas. Sec. XI. . . . . .

Benedictus SETTALA, Mediolanenſis è Congr. Caſin. Sec. 17. Vid. Armell. l. c. part. 1. p. 101.

Benedictus SPIES Abbas ad S. Stephanum Herbipoli clar. an. 1667. quô edita ab eo fuit *Solitudo Spiritualis.*

Benedictus STOLTE ad S. Michaëlem Hildeſiæ Profeſſus SS. Theol. & SS. Canonum Profeſſor perdoctus, edidit Tractatum de præcedentia... Plura prælo parata habet. Vivit 1752.

Benedictus SUTOR Andecenſis, ab ipſo publicæ luci datus eſt an. 1702. *Hoſpes Benedictinus*, i. e. *S. Zeno Veronenſis Epiſcopus.*

BENEDICTUS Tegernſeenſis cl. 848. Vid. Mabill. tom. 4. Analect. pag. 633.

Benedictus de TANNEBERG Monachus Divitis Augiæ, humana abſolvit an. 1659.

Benedictus THIEBAUT, Supprior Luxovienſis, vivit, ſcribit, novúmque Ordinis noſtri Chronicon molitur.

Benedictus de TOCO Hiſpanus ex Monte Serrato an. 1585. Vid. Felix Egger Ideæ O. S. B. Lib. 2. pag. 267.

Benedictus VERNIER, Gallus, Monachus Sulpitianus. Ob. 1557. Bibl. Mſs. Codd. pag. 3. Mabill. vet. Analect. tom. 2. pag. 655.

Benedictus de VILLA Monferratenſis, Sec. XVI. Arnold. Wion in Ligno Vitæ lib. 2. c. 63. Nic. Ant. B. H. N. pag. 166. *P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.*

Benedictus de UVA Caſinenſis, floruit an. 1570. Vid. Armell. part. 1. p. 102.

Benedictus WIDEL è S. Emmeramo clar. c. a. 1683. de quo vide Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 307.

Benedictus ZISEL Wiblinganus in Suevia. Ob. anno 1517. Vid. Annales Monaſterii.

Benno LOBELIUS, Abbas Brevnovienſis, & Congr. Benedictino - Bohemicæ Viſitator Generalis Perpetuus edidit an. 1743. *Diſquiſitionem ſacram de Cruce ſeu Numiſmate S. P. B.* Vivit.

S. BENNO Epiſcopus Miſnenſis ab anno 1066. ad 1106. Vide Leibnit. Introduct. ad Scriptor. Rer. Brunſvic. Cochlæus in Commentar. de actis & ſcriptis Lutheri.

BENNO è Comitibus *de Ruepp & Falckenſtein* Imper. Monaſterii ad Ss. Udalricum & Afram Auguſtæ Profeſſus, Ss. Theol. Doctor & ejusdem ac Philoſophiæ Profeſſor emeritus, publico dedit *Faſciculum Florum in Viridario Thomiſtico collectum*, i. e. *Quæſtiones ſelectas ex Philoſophia.* Friſingæ 1724. Part. III. in 8. Plura prælo parata habet. Septuagenario major vivit an. 1753.

BERCHTOLDUS Abbas II. Engelbergenſis in Helvetia cl. Sec. XII. Vid. Annal. Einſidl.

Berchtoldus HOCHBERGERUS Campidonenſis Abbas & Princeps c. a. 1181. Vid. Eiſengren in Catal. Teſt. Verit. pag. 106.

BERENGAUDUS Commentator in Apocalypſim, de quo Jac. Friſche in Appendice ad Opera S. Ambroſii p. 498.

BERENGOSUS, ſeu *Berengozus* Abbas S. Maximini Treviris an. 1112. Vid. Annal. Ben. tom. 3. pag. 130. & tom. 5. pag. 516. Bellarminus de Script. Eccl. ſed non editione primâ, ubi erratum.

Bernardinus GROSS Tegernſeenſis anno 1714.

Bernardus AYGLERIUS S. R. E. Card. an. 1282. *Vide vitam ſuprà cap. 3.* & infrà, *Bernardus Caſinenſis Abbas.*

Bernardus de BACCHING, infrà *de Waging.*

Bernardus BAPTISATI de Gaſconia Abbas, an. 1420. *Vid. Herman. van der Hardt in Hiſtoria Concilii Conſtant. Tom. I. Part. XVIII. pag.* 870.

Bernardus BIERMAN, Ringelhernienſis in Saxonia Inferiori. Vivit.

Bernardus BISSUS Genuæ in monaſterio S. Catharinæ Profeſſus an. 1668. Vid. Armell. Bibl. Caſin. part. 1. p. 105. Jo. Mabill. Itin. Ital. p. 226.

BERNARDUS Monachus è S. Blaſio vixit an. 1066. *Eiſengren. in Catal. Teſt. Verit.*

Bernardus de BRAGA, Luſitanus ex monaſterio S. Martini de Tibaes, Sec. XVI. *Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. p.* 173.

Bernardus CAMPANARI Mon. Caſinas an. 1636. *Armell. part.* 1. *pag.* 104.

BERNARDUS Monachus Caſæ Dei, an. 1160. *Vide le Long in Bibl. Hiſt. Franc. Annal. Ben. tom.* 5.

BERNARDUS Abbas Caſin. vixit c. a. 1350. juxta *du Freſne in Indice Scriptorum.* Eſt verò idem cum *Bernardo Ayglerio* ſuprà. *Vid. Marus in Notis ad Supplem. Plac. Diac.*

BERNARDUS *Caſin. Mon.* c. a. 1120. Vide Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. 37. & Marum in Notis.

Bernardus CASTILLONIUS Congr. Caſin. an. 1489. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 1. pag. 105.

Bernardus CLAVELLUS Mon. S. Severini Neapoli an. 1582. Vid. Philippus Rondininus in libro de Monaſterio Caſæmarii impreſſo Romæ an. 1707. p. 39. Armell. l. c. part. 1. pag. 105.

BERNARDUS ex Monacho Cluniacenſi Epiſcopus vixit ån. 1050. *du Freſne* l. c.

BERNARDUS Cluniacenſis Monachus, Ob. 1109. Vid. Bibl. Clun. Henr. Gandaven. cap. 2.

BERNARDUS Corbeienſis, vulgò *Saxo*, clar. ſub an. 1100. Vid. Trithem. de S. E. cap. 348. & Ill. Ben. II. cap. 3. Vide infrà *Bernardus Saxo.*

Bernardus DAPIFER, Monachus Mellicenſis, Ob. a. 1338. Vid. Hier. Pez Tom. I. Scriptor. Auſtriac. Chronicon Mellicenſe. Lambec. Comment. de Bibl. Cæſ. Vindobon. tom. 2. pag. 618.

BERNARDUS Floriac. Mon. Sec. XI. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. 1. lib. 2. pag. 625.

Bernardus FRANCK, Sangallenſis Bibliothecarius, tum Officialis, nunc Abbas & Princeps Diſſertinenſis.

Bernardus HAMM Schutterenſis Monaſterii Cœnobita, vivit, ſacráſque edit meditationes, quarum Pars I. an. 1745. impreſſa fuit.

Bernardus HERTFELDER Abbas ad SS. Udalricum & Afram Auguſtæ Vindel. Gemma Ordinis, ac Diſciplinæ ſpeculum tranſiit ad vitam immortalem an. 1664. Vid. Corbinian. Kham Hierarch. Auguſt. part. III. regul. cap. 1. ſect. 38.

Bernardus HIPPER Reflexiones Hiſtorico-Morales ſuper Vitas Sanctorum O. S. B. ex Italico Germanicè vertit an. 1748.

BERNARDUS Abbas San-Gallenſis c. a. 883. Vid. Henr. Caniſ. Lect. antiq. Tom. V. part. 2. pag. 728.

BERNARDUS Meſſanenſis c. a. 1595. Vid. Mongitore Bibl. Sicul. pag. 108.

Bernardus ITHERIUS Monachus & Armarius S. Martialis Lemovic. cl. c. a. 1220. Vid. Jac. le Long Bibl. Hiſtor. Gall.

Bernardus LIDL Lunælacenſis Abbas, Scriptor Chronici Lunælac. Vivit 1751.

Bernardus de MONTFAUCON è Congr. S. Mauri ad nonaginta jam annos propiùs accedens humana abſolvit anno 1741. Amiſit in eo homine Benedictinus Ordo noſter decus eximium, Gallia virum toto orbe celeberrimum, literaria omnis Reſpublica ingenium præſtantiſſimum, ætas iſta Scriptorem omnium ſeculorum memoria digniſſimum. Ita Em. Card. Quirinus in Epiſtola ad Superiorem Generalem Congr. S. Mauri.

BERNARDUS Morlacenſis Anglus Congr. Clun. an. 1140. Vid. Pitſ. ær. 12. pag. 205. Poſſevin. in Appar. Guil. Cave. Caſim. Oudin.

Bernardus MORLIN Wiblingenſis Sec. 17. Vid. Annales Monaſterii.

Bernardus NORICUS, Cremifanenſis an. 1320. Vid. Hier. Pezii tom. 1. Scriptor Rer. Auſtriac.

Bernardus OBERHAUSER Abbas Ettalenſis, Ob. 1740. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 309.

Bernardus de ONTIVEROS Hiſpanus, Calagurritanus Epiſcopus, an. 1644. Obiit 1662. Vid. Card. de Agvirre in Prolegom. ad Theologiam S. Anſelmi. Felix Egger Idea O. S. B. lib. 2. p. 277.

Bernardus PEZ, Mellicenſis Bibliothecarius an. 1735. morte interceptus *Bibliothecam Benedictinam Generalem* ad faſtigium perducere haud potuit, quod dolendum; erat enim ad hanc ſpartam ſcitè adornandam præprimis aptus, idoneus, accommodatus.

Bernardus PLACENTINUS dictus, Abbas Congr. S. Juſtinæ de Padua. Ob. 1486. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 1. p. 106.

Bernardus RUEDORFFER, Seonenſis, Ob. 1679. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 309.

Bernardus SCHALLHAMMER, Tegernſeenſis Sec. 17. Pez in Caral. S. B. G.

Bernardus SAXO circa A. 1110. ſuprà *Bern. Corb.* Vid. Sigebert. de S. E. cap. 165.

Bernardus TERZI ſex vicibus Præſes totius Congr. S. Juſtinæ de Padua. Ob. 1486. Vid. Armell. part. 1. pag. 106.

Bernardus de WAGING, al. *de Baching*, *Baging*, ex Canonico Regulari Prior Tegernſeenſis, Ob. 1472. Vid. Bern. Pez in præfat. ad tom. VII. Bibl. Aſcet. & Theſ. Anecd. tom. 3. part. 3.

Bernardus WEIBEL Eremitanus in Helvetia. Ob. 1699. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 311.

Bernardus WENZEL Abbas Tegernſeenſis. Ob. 1714. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 311.

BERNEREDUS Abbas SS. Criſpini & Criſpiniani, an. 1182.

BERNERUS Abbas Humolarienſis in Veromanduis c. a. 964. Vid. Mabill. in Prolegom. ad vitam S. Hunegundis Act. Sanctor. O. S. B. Sec. 2. p. 1018. cum hiſtoria translationis Sec. 5. p. 275.

BERNHELMUS S. Albani Moguntiæ Monachus & Magiſter Scholarum, tum Abbas Spanheimenſis. Ob. 1150. Vid. Trith. in Chron. Spanheim. p. 242.

BERNO Augienſis Abbas. 1048. Vid. Joan. Egon. de Vir. ill Aug. Div. part. 2. c. 27. Trithem. de S. E. cap. 31. & de Ill. Ben. II. 77. & in Chron. Hirſaug. Mabill. Annal. tom. 3. p. 618.

BERTHA, ſive *Berthrada*, Monialis Vilecenſis c. a. 1090. Vide vitam infrà cap. 6.

S. BERTHARIUS Abbas Caſinenſis an. 883. Vid. Jo. Bapt. Marus in annot. ad Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. 12. Leo Oſtienſis Chron. Caſin. lib. 1. cap. 32. Gattola in Hiſt. Caſin. Sec. IV. pag. 70.

BERTHOLDUS Monachus Sangallenſis an. 1292. Vid. Mezler de Vir. Ill. Sangall. Goldaſt. Tom. I. Scriptor. Rer. Aleman. pag. 92.

BERTHOLDUS Monachus Miciacenſis Sec. IX. Vid. Mabill. in Prolegom. ad vitam S. Maximini Abbatis Actor. Ben. tom. 1. pag. 590. Jac. le Long in Bibl. Hiſtor. Gall.

Bertholdus de PAAR Gottwicenſis 1643. quô anno edidit *Nucleum Catholicæ Devotionis* Viennæ in 8.

Bertholdus RIZELIUS Mellicenſis Philoſophus & Hagiographus, protulit Opus ſplendidum quidem, ſed necdum plenè exaſciatum ſub titulo: *Sancta & Beata Auſtria.* .·. Auguſtæ Vindel. 1751. in fol. cum fig... Superi annos & vires adaugeant, ut reliqua compleat.

Bertholdus VOGEL Cremiſanenſis, Rector Univerſitatis Salisburg. Vir exquiſitè doctus vivit, & ſcribit Opera Dogmaticæ Theologiæ plurimùm lucis allatura.

BERTHOLDUS Abbas Zwifaltenſis. Ob. 1170. Vid. Annales Monaſterii, & Cruſium in Annalibus Sueviæ, ubi ſæpiùs in teſtimonium vocatur.

BERTOLFUS Abbas Mediolacenſis, tum Epiſc. Trevir. 870.

BERTOGARIUS Monachus Remenſis S. Remigii Sec. IX. Vid. Henſch. in Commentar. prævio ad vitam S. Wilfridi die 24. April. pag. 292.

BERTHOWALDUS ex Monacho Glaſconienſi Archiepiſcopus Cantuar. an. 692. Vid. Leland. de Scriptor. Angl. cap. 62.

BERTRAMUS, ſeu rectiùs *Ratramus* Corbeiæ veteris Monachus an. 840. Vid. Sigebert. Gemblac. de S. E. cap. 95. Trithem. de S. E. c. 274. & de Ill. Ben. l. 2. cap. 48.

BERTRANDUS Caſæ Dei Monachus Sec. 12. c. a. 1160. Vid. Acta Sanctorum Bolland. in Commentar. præv. ad vitam B. Roberti Abbatis Caſæ Dei c. 24. April.

BILFRIDUS ex Monacho Lindisfarnenſi Anachoreta c. a. 736. Vid. Thomas Smith in Hiſtoria Bibliothecæ Cottonianæ pag. XXXIII.

BOBOLENUS, Monachus Grandivallenſis in diœceſi Babſileenſi. an. 690. Vid. Mabill. prolegom. ad vitam S. Germani Abbatis Grandivall. Act. Ben. Sec. 2. p. 5.

S. BOIFILIUS Anglus, Mailroſenſis Abbas vix. an. 702. Cujus libellum *de Fide quæ per charitatem operatur*, laudat Pitſeus æt. 8. pag. 113.

Bonaventura FINARDI, Præſes Congr. Caſin. Vivit. Vid. Armellinum, qui eidem ſuam Bibliothecam Scriptorum è Congreg. Caſin. nuncupavit.

Bonaventura LEO, Prior Engelbergenſis. Vid. Pez in Catal. S. B. G.

Bonaventura PITER Brevnovienſis ſcribit de B. V. M. & de Monaſterus O. S. B. in Bohemia &c.

Bonifacius à DANCKERSWEIL Campidonenſis, ſcripſit Hiſtoriam ſui Archiſterii ab anno 1639. usque ad 1670. Collegit etiam rariora quædam & memorabilia ex diverſis Authoribus Vol. I. in fol. claruit ad an. 1698. ætatis 72.

S. BONIFACIUS Germaniæ Apoſtolus. Vide vitam ſuprà cap. 2.

BONIFACIUS Senior ſcriptor vitæ S Livini, c. a. 680 Vide Mabill. Sec. 2. Actor. Sanctor. O. S. B. pag. 448.

BONIFACIUS IV. Pontifex Max. Ob. an. 615. Monachis Benedictinis impensè favit. An verò Monachus ipſe fuerit, non ſatis clarum Mabillonio videtur Annal. tom. r. pag. 186. Alii tamen Biographi, Hugo Menardus, Arnoldus Wion, Conſtant. Cajet. Gabriel Bucelinus &c. indubitanter Benedictinis accenſent.

Bonifacius GALLNER Mellic. Ob. 1727. Vid. Bibl. Mell. p. 540.

Bonifacius à GOLDBURCH Abbas S. Joannis Rupenſis. Vid. Pez in Catal. S. B. G.

Bonifacius PFAFFENZELLER Thierhauptenſis in Bavaria vulgavit *Apes Benedictinas* an. 1716., recuſas, & ſubinde alia plura Aſcetica.

Bonifacius SANFTEL Nideraltachenſis. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 435.

Bonifacius STRAHANUS S. Jacobi Scotorum Herbipoli Monachus clar. Sec. XVII.

S. BONITUS ex Epiſcopo Arvernenſi Monachus Magnilocenſis clar. 699. Vid. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 620.

BONNO vide ſuprà *Bavo.*

BOSO Abbas Beccenſis. Ob. an. 1136. Vide Gerberon in Notis ad Opera S. Anſelmi Cantuar.

BOSO ex Monacho S. Albani in Anglia Cardinalis an. 1155. Pitſ. in Append. pag. 827.

BOVO ſuprà *Bavo* Abbas Corbeiæ Novæ.

BOVO Abbas Sithivenſis in Morinis c. a. 1060. Vid. Mabill. Sec. III. Act. SS. Ben. pag. 153. Annal. Ben. tom. 2. p. 23.

BRAVONIUS *Senatus* Prior Vigornienſis c. a. 1060. Vid. Warthon præfat. ad tom. 2. Angl. Sac. pag. XIV. Lel. Bal. Pitſ. &c.

BRIDFERTUS Monachus Rameſienſis in Anglia c. a. 1000. Vid. Leland. cap. 136. Balæ. II. 35. Pitſ. æt. 10. p. 177.

BRISTANUS, ſeu *Brickſamus* Monachus Croylandenſis c. a. 870. Annal. Ben. tom. 3. pag. 168. Pitſ. æt. 9. p. 167.

Brunellus VIGELLI, ſeu potiùs *Nigelli* Mon. Cantuar. c. a. 1200. Vid. Polycarp. Leyſer in hiſtoria Poëtarum medii ævi, adde Leland, Balæ. Pitſ. & alios. Vide rectiùs infrà *Nigellus Wirecker*: neque enim *Brunellus* eſt nomen Authoris, ſed Operis quod ſcripſit.

BRUNO primùm Mon. Aſtenſis, tum Abbas Caſin. & ex hoc Epiſcopus Signienſis. Vita præfixa eſt illius Operibus junctim editis 1651. Venetiis.

BRUNO Gladbacenſis ſub an. 986. Vid. Chron. Hirſaug. tom. 1, p. 128. Annal. Ben. tom. 4. pag. 3.

BRUNO Monachus, Scriptor de Bello Saxonico ab an. 1073. ad 1082. Vid. Marquard. Freher tom. 1. Scriptor. Rer. Germ. Oudin. tom. 2. p. 731. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 1. p. 795.

S. BRUNO Comes ab Aurach in Suevia.

S. BRUNO, ſeu *Bonifacius* Ruthenorum Archiepiſcopus, Pruſſorúmque Apoſtolus & Martyr Chriſti an. 1008. Vid. Acta SS. tom. VI. Junii pag. 217. Trithem. de Vir. Ill. Ben. 185. Wion in Ligno Vitæ &c.

Bruno CHARMANS Abbas Gladbacenſis 1661, quo anno edidit Coloniæ *Enchiridion pietatis.*

Bruno FEHLER, Schyrenſis. . . . . Vid. Pezius Diſſert. Iſag. in tom. 1. Theſ. Anecd. pag. XXXI.

Bruno FABRICIUS Abbas Abdinkhofenſis, cujus Chronicon edidit Antonius Matthæus in Analectis.

Bruno SCHLIBBNIG è S. Paulo in Carinthia. Ob. 1705. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. cap. 313.

BRUNO Tullenſis vide LEO IX.

BUNTWIDUS Mon. Augienſis c. a. 900. Vid. Egon part. 2. c. 16.

BURCHARDUS Dorceſtrius, Monachus Giribennenſis in Anglia c. a. 870. Vid. Balæ. II. 22. Pitſ. æt. 9. pag. 266.

S. BURCHARDUS Herbipol. Epiſcopus an. 791. Vide Acta SS. Ord. S. B. & Annales Benedictinos. Lel. Bal. Pitſ. &c.

BURCHARDUS Monachus S. Galli c. a. 1204. Vid. Goldaſtus in Alemañicis tom. 1. p. 110. Annal. Ben. tom. 3. & 5. Mezler de Vir. Ill. lib. 1. cap. 49.

BURCHARDUS Augiæ Divitis Monachus c. a. 990. Vid. Egon de Vir. Ill. part. 2. cap. 24.

BURCHARDUS Mon. Mellic. Fl. 1230. Vid. Bibl. Mellic. pag. 119.

BURCHARDUS Wormatienſis Epiſcopus an. 1025. Vid. Sigebertus ad an. 1008. Trithem. de Vir. Ill. Ben. II. 73. Chriſtianus Thomaſius de Brocardico *cauſa fatua excuſat à dolo.* Baluzius præfat. ad Ant. Auguſtin. §. XVIII. Ludewig de Scriptor. Wirceburg. tom. 1. pag. 388. ſeq.

B. Abbas Fundanus ſcripſit memorabilem epiſtolam de propagatione Regulæ Benedictinæ ad Simplicium Abbatem Caſinenſem. Ejus nomen incipit à litera *B.* quod verò fuerit, incompertum eſt. Vid. Mabill. Diſquiſ. de Monaſtica vita S. Greg. M. Annalect. tom. 2. p. 199. Annal. tom. 1. p. 668. præfat. ad Sec. I. Act. Sanctorum O. S. B.

C.

CÆDMON, ſeu *Cedmon* Monachus Anglus, admirabilis Poëta. Ob. 676. De hoc Vener. Beda Hiſtor. Angl. lib. IV. cap. 22. & ex eo Mabill. Annal. tom. 1. aliique plures.

CÆSAR GOTHO Meſſanæ in Monaſterio S. Placidi Profeſſus. Ob. 1706. Vid. Mongitore Bibl. Sic. pag. 119. Armell. part. 1.

Cæſarius FUNETTI, Abbas S. Vitalis Ravennæ, an. 1664. Vid. Armell. part. 1. pag. 148.

CÆSARIUS Abbas Prumienſis, cujus Browerus & Cangius meminerunt. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 3. p. 881. *Hontheim in Hiſt. Trevir. Dipl. Tom. I. pag.* 640. & 660.

Cajetanus KOLBERER, Montis Andecenſis alum-

alumnus, an. 1710. Author Operis Muſici.

Calcidonius KLAIN San - Emmeramenſis an. 1702.

Camillus AFFAROSUS è Congreg. Caſin. Chronographus Monaſterii S. Proſperi Regii Lepidi. Vid. Ephemer. Albritian. d. 2. Aug. an. 1734. Vivit & ſcribit Mutinæ Abbas an. 1751. deſignatus.

Camillus MANCINI Abbas S. Nicolai de Arenis. Ob. an. 1709. Armell. l. c. part. 1. pag. 110.

Camillus MASSARUS, Monachus Cavenſis, an. 1624. Armell. l. c. Camillus Peregrinus in Hiſt. Princ. Longobard.

CANDIDUS per antiphraſin BRUUN Monachus Fuldenſis Sec. IX. Vid. Broweri Sidera Germaniæ, Acta Sanctor. O. S. B. Sec. IV. p. 226. Schannati Hiſtor. Fuld.

Candiduus HUGO, ſive *Whyte* Monachus Burgenſis in Anglia. Sec. XII. Vid. infrà *Hugo Candidus*.

Candidus MADTER Ebersheimenſis edidit an. 1712. *Zodiacum cœleſtem*, Conciones &c.

Candidus ROTENHEUSLER Prior S. Pauli in Carinthia. Edidit Tractatum de Conſuetudine. An. 1707. in 8.

CARADOCUS Lancarovanenſis Monachus c. a. 1150. Vid. Leland. collectan. vol. 4. c. 116. Bal. II. 84. Pitſ. æt. 12. Lambec. Tom. 2. Bibl. Vind. c. 8. pag. 705. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 51.

Carolomannus HUEBER Mellicenſis edidit Engelberti Admontenſis *Libros VII. de regimine Principum.* . & alia.

Carolomannus VIERHOLZ Admontenſis an. 1710. Vertit ex Latino Germanicè Kalendarium Benedictinum, ſeu Vitas SS. Ord. S. B.

Carolus de BACCIS Abbas Monaſterii S. Crucis in Polonia. Ob. 1683. Vid. Armell. in Bibl. Caſin. part. 1. p. 112.

Carolus BLENDEQUE Atrebas Mon. Marchianenſis., c. a. 1582. Vid. Bucel. in Ben. Rediv. atque 121. item Añal. Ben. ad an. 1582. Valer. And. Bibl. Belg. pag. 118.

Carolus CANDA, Prior Cœnobii S. Martini apud Belgas. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 118.

Carolus de COURTINS Diſſertinenſis Sec. 17. Pez. Catal. S. B. G.

Carolus FERNANDUS Monachus piiſſimus juxtà ac doctiſſimus ad S. Vincentium apud Cenomannos. Ob. 1496. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Carolus GEORGE è Congr. SS. Vit. & Hidulphi Chronographus Sec. 17. Vid. Calmet in Catal. Scriptor. Hiſtor. Lothar.

Carolus GRUEBER, Cremiſanenſis. Ob. 1696. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 313.

Carolus GSWANDTNER, Seittenſtettenſis docuit anno 1719. Philoſophiam Salisburgi. De ejus ſcriptis vid. H. U. S. pag. 316.

CAROLUS JACOBUS Andecenſis Theologicam facultatem Salisburgi annis 28. apprimè illuſtravit, mortuus an. 1661. Vid. H. U. S. pag. 314.

Carolus Joſephus LEHNER ad S. Pantaleon. Colon. ab ipſo elucubratus eſt *Turtur ſacer* (Conciones) an. 1720.

Carolus MEICHELBECK Benedicto-Buranus celebris ab Hiſtoria Friſingenſi an. 1724. typis vulgatâ. Vitæ periodum clauſit an. 1734. Vide ſuprà Cap. 4.

Carolus Maria MILLIARIUS Monachus D. Juſtinæ Patavinæ an. 1717. Vid. Armell. part. 1. p. 112.

Carolus de PISPORT Principalis Abbatiæ Fuldenſis Cœnobita Capitularis, Ss. Theol. Doctor, editâ in 4. anno 1749. Diſſertatione Theologicâ *de Dolore ad Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ neceſſario*, nominatiſſimus, plura prelo parat melioris metalli.

Carolus RAMIUS ad S. Petrum in monte Blandinio Gandavi Abbas An. ... Vid. Andr. Valer. in Bibl. Belg.

Carolus de la RUE è Congr. S. M. vivit. Autor novæ editionis Operum Origenis. Vide le Cerf pag. 433. Card. Quirinus in Comment. vitæ ſuæ part. 1. pag. 93.

Carolus SCHRENCK Abbas S. Petri Salisburgi. Ob. 1704. Vid H. U. S. p. 315.

Carolus SCHULTHAIS Ottoburanus, hoc Sec. Vid. Pez Catal. S. B. G.

Carolus STENGELIUS, Abbas Anhuſanus è Monaſterio SS. Udalrici & Afræ poſtulatus, de cujus inſigni eruditiooe, doctrinâ, atque incredibili induſtriâ libri undecentum diverſi argumenti luculentum perhibent teſtimonium. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Carolus VASSIMONT Prior Flaviacenſis ſuper Moſam Sec. XVII. Vid. Calmet in Catal. Scriptor. de Domo Lotharingica.

Carolus ZIEGLER Petrhuſanus, cujus venam poëticam laudat Felix Egger in Idea O. S. B. lib. 2. part. 3. p. 586. ſed quo anno vixerit, non exprimit.

Caſimirus Vincentius CHRANOVIUS, Polonus an. 1677. cujus meminit Abbas Armellinus Bibl. Caſ. part. 1. p. 112.

Caſimirus FRESCHOTT, Burgundus Congreg. Caſin. clar. an. 1689. Vid. Armell. part. 1. pag. 114. Jo. Cinell. Bibl. Vol. plut. 9. pag. 26.

Caſimirus MOLL Lunælacenſis in ſuper. Auſtria.

Auſtria, Ob. 1741. multa proprio marte elaboravit, aliqua è Gallico Germanicè vertit, prælo ſubjecta.

Caſpar AINDORFFER Abbas Tegernſeenſis an. 1461. Vid. Bern. Pez. in præfat. ad tom. VII. Bibl. Aſcet. & tom. 8. pag. 588.

Caſpar de BAVINCOURT Abbas Aquicinctinus, Ob. 1576. Vid. Poſſev. App. Sac. tom. I. pag. 529. Foppens Bibl. Belg.

Caſpar CARDOSO, Potentinus in Regno Neapol. Epiſcopus an. 1615. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 400.

Caſpar ERHARD San - Emmeramenſis. Vixit 1728.

Caſpar FRASIUS Abbas Weichenſtephanenſis cl. an. 1600. Eiſengren. in Catal. Teſt. Verit. Poſſev. in Appar. Pez. Tom. II. Scriptor. Rer. Auſtriac.

Caſpar de MARHOLT Monachus Corbeiæ Novæ. Vid. Viſelbeccius in Chron. Huxarienſi ad an. 1336.

CASPAR Papienſis Abbas S. Juſtinæ de Padua an. 1487. Vid. Armell. part. I. pag. 179.

Caſpar PLAUTIUS Abbas Seittenſtadienſis ſub nomine *Honorii Philoponi* Hiſtoriam Americanæ Miſſionis D. Buellii Abbatis Montis Serrati an. 1621. in lucem emiſit.

Caſpar RUITZ DE MONTIANO, Monachus S. Dominici de Silos. Hunc Ruizium Nicolaus Antonius in ſua Bibl. Hiſp. in duos, eóſque diverſos diſtraxit authores, alium faciendo chronographum Monaſterii S. Dominici de Silos, alium interpretem Senecæ Libri de Beneficiis, cùm utrumque Opus ab uno eodémque authore ſit profectum. Forſan nomine *Montiano* in errorem inductus eſt. Vide *Erneſti de Franckenau Bibl. Hiſp.* Geneal. Heraldicam p. 161.

Caſpar UMBHOFFER Wiblinganus. Sec. 17. Pez. in Catal. S. B. G.

CASSIODORUS *Magnus Aurelius* ab an. 534. Monachus. Vid. Joannis Garetii è Congr. S. Mauri Diſſertationem de Caſſiodori vita Monaſtico - Benedictina, ejus Operibus præmiſſam. Et noviſſimè Lud. Ant. Muratorii Hiſtoriam Italiæ ad an. 556. ubi Benedictinæ annumeratur Familiæ.

CASTERTONUS, ſeu *Caſtrodunus*, Norwicenſis Mon. c. a. 1382. Vid. Leland. c. 371. Piſt. æt. 14. pag. 537.

CASTOR, ſive *Caſtorius* JOANNES aliàs *Bever*, ſive *Fiber*. an. 1306. Vid. infrà *Johannes Bever*.

CATWALLONUS Abbas Rothonenſis an. 1026. Vid. Añal. Ben. tom. 4. pag. 321. &c.

Celſus à FALCIBUS Veronenſis an. 1477. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. I. p. 114.

CELSUS Veronenſis Congreg. Caſin. an. 1536. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. I. pag. 115.

CEOLFRIDUS Abbas Wiremuthenſis & Girovicenſis. Ob. an. 716. Vid. Ven. Beda in Hiſt. Eccl. Gent. Angl. Sigebert. de S. E. cap. 67. Trithem. Ill. Ben. l. 2. c. 20. Leland. c. 81. & 82. Annal. Ben. tom. 2. p. 42. Piſt. æt. 8. p. 123.

Cherubinus MYRTIUS, Sublacenſis anno 1592. Armell. l. c. p. 115.

CHILIANUS infrà *Kilianus*.

CHILIENUS Monachus Iniskeltrahenſis, ſive Kiltdarienſis in Hibernia cœnobii c. a. 740. Vid. Bolland. in Comment. præv. ad vitam S. Brigittæ Scoticæ Tom. I. Actor. Sanctor. Febr. p. 141.

CHRISTANNUS, frater germanus Boleſlai Pii Bohemiæ Ducis, Monachus Brevnovienſis c. a. 997. primus & omnium antiquiſſimus Bohemiæ Scriptor. Vid. Balbinus in Epitome hiſtorica Rer. Bohem. lib. I. cap. 10. p. 66.

CHRISTIANUS Abbas Altahæ Superioris in Bavaria. Vid. Bern. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot. pag. XLV.

CHRISTIANUS Abbas S. Petri Carnutenſis, ævi incomperti. Ejus Sermones & Flores Scripturarum aſſervantur in Bibliotheca S. Germani Paris. Vid. Montfauc. in Bibl. Mſs. Codd. Annal. Ben. tom. 2. & 5.

Chriſtianus DRUTHMARUS Mon. Corb. Vet. Sec. IX. Six. Sen. Bibl. San. lib. VI. Trithem. Chron. Hirſaug. Mabill. in Annal. Ben. tom. 2. pag. 660. Anonymus Mellicenſis cap. 102. ſed qui fallitur, à cujus errore non ſatis ſibi cavit Vir cæteroquin in his ſacris eruditiſſimus Jo. Alb. Fabricius Bibl. med. & inf. Latinit. l. 3. pag. 1043.

Chriſtianus EUBENSTEINER Abbas Mellic. Ob. 1451. Vid B. Mell. p. 230.

Chriſtianus FRANZIUS Ottoburanus. Pez in Catal. S. B. G.

CHRISTIANUS Abbas I. S. Pantaleonis Coloniæ an. 961. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. I. p. 104.

CHRISTIANUS Monachus & Presbyter Pariſienſis, c. a. 1544. editionem ſacræ Regulæ accuravit.

Chriſtianus de SALZBURGA Abbas Oberaltaichenſis cl. an. 1493.

CHRISTIANUS Sylvæ majoris in Aquitania monachus an. 1195. Vid. Acta Sanctor. Bolland. in Comment. prævio ad vitam S. Gerhardi Tom. I. April. 4. pag. 423.

Chriſtophorus EMHARTUS Weingartenſis Sec. XVII. Petz in Catal. S. B. G.

Chriſto-

Chriſtophorus GIEL à GIELSPERG Abbas &Princeps Campidon.claruit ad a.1710. Vid. Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. v, Petr. Franc. in Suev. Eccleſ. ubi Catalogus Abbatum p. 228. exhibetur. Multifaria ſui ingenii monumenta præſertim polemica & aſcetica in Mſs. reliquit publica luce digna.

Chriſtophorus HAMERER Weingartenſis Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

Chriſtophorus HARTMANN Einſidlenſis, celebris Aſceterii ſui Chronographus, cujus Annales edidit an. 1612.

Chriſtophorus HOFFMANN San-Emmeramenſis. Ob. 1534. Vid. Hier. Pezii Obſerv. præv. ad Chron. Bohem. Script. Rer. Auſtr. tom. 2. pag. 1143. & Bern. Pez. Diſſert. Iſag. ad Tom. I. Theſ. Anecdot. pag. XL.

Chriſtophorus JAGER è S. Lamberto Styriæ cl. Sec. XVII. & an. 1645. edidit *Hiſtoriam Divæ Virginis Einſidlenſis*.

Chriſtophorus LIEB, Monachus Mellicenſis an. 1471. Vid. Catalog. Mſs. Codd. Bibl. Mellic.

Chriſtophorus RASSLER Abbas Zwifaltenſis. Ob. 1675. Vide Monaſterii Annales.

Chriſtophorus RESSMAN è S. Lamberto Styr. Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

Chriſtophorus TÖRRING, Gottwicenſis, SS. Canonum Profeſſor in Univerſitate Salisburgenſi, cujus Hiſtoriam vide pag. 318.

Chriſtophorus TACHON è Congr. S. Mauri Ob. 1693. Vide Pezii & Cerſii Bibliothecas.

Chriſtophorus ULIERDENUS, Sulpitianus Monachus, Bituricenſis Patriarchii Scriptor. Vid. Mabill. Annal. tom. 5. p. 254. & Analect. tom. 2. p. 655. Ob. an. 1563.

CHRYSOSTOMUS Altahæ Superioris Abbas Sec. xv. commentatus eſt in S. Regulam.

Chryſoſtomus CALVINI Monachus Caſinas an. 1530. Vid. Armell. Part. I. pag. 117. Wion l. 2. c. 29. Maurus in Notis ad Supplem. Plac. Diac. c. 12.

Chryſoſtomus de S. GEMILIANO ex Monacho Caſin. Archiepiſcopus Raguſinus an. 1564. Vid. Plac. Diac. in Supplem. cap. 12.

CHRYSOSTOMUS, Abbas Schyrenſis, clar. c. an. 1557.

Chryſoſtomus SCUPINA è S. Lamberto Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

CIMBERTUS, ſeu *Kinbertus*, Epiſcopus Lindisfarnorum an. 730, Lelandus c. 79. vocat *Cunebertum*. Vid. Piţſ. æt. 8. p. 128. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 3. p. 1063.

CLARIUS primùm Floriacenſis, deinde Abbatiæ S. Petri Vivi Senonenſis Monachus Sec. XII. Vid. Dacher. Spicileg. tom. 2. ubi ejusdem Chronicon edidit.

Clara Margarita COZZOLANA Mediolani in S. Radegundis Parthenone Monialis 1620. Vid. Armell. Part. I. p. 119.

S. CLARUS Abbàs Monaſterii Seligenſtadienſis. 1060.

Clarus FASMANN Prior Vornbacenſis, ſui Monaſterii Chronographus. Vid. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot. pag. LIII.

Claudius de BRETAGNE Prior Monaſterii S. Germani à Pratis. Ob. 1694. Vid. le Long. Bibl. Hiſtor. de France, Pezium & Cerſium in Bibl. Scriptor. è Congr. S. Mauri.

Claudius CHANTELOU è Congr. S. Mauri *vir multigenâ eruditione præditus*. Ob. 1664. Vid. Pezii & Cerſii Bibl.

CLAUDIUS Claſſitanæ urbis in Æmiliâ Abbas cl. an. 600. Vid. Sigebert. Gemblac. de S. E. cap. 44. Trithem. de Vir. Ill. Ord. S. B. II. 11. Mabill. Annal. Ben. tom. 1.

CLAUDIUS *Clemens* Scotus. Vid. Trithem. cl. ſub Carolo M. cui acceptiſſimus fuiſſe dicitur, teſte Monacho San-Gall. lib. 1.

Claudius DAVID è Congr. S. Mauri. Vid. Pez. & Cerſius l. c.

Claudius ETIENNOT Antiquarius è Congreg. S. Mauri ſtupendæ induſtriæ, Vid. vita ſuprà cap. 4.

Claudius GUESNIE Prior S. Nicaſii Remenſis incredibili labore confecit Indicem Generalem Operum S. Auguſtini Editionis San-Maurianæ Ob. 1723. Vid. le Cerf. l. c. pag. 179.

Claudius LANCELLOTUS Pariſ. Cœnobii San-Cyrani Subdiaconus. Ob. 1695. Vid. Jugemens de Sçavans tom. IV. Marville melange d' hiſtoire & literat. p. 123. Bayele part. 3. p. 69. Annal. O. S. B. tom. 2. p. 434.

Claudius MARTIN è Congr. S. Mauri Prior Majoris Monaſterii in Turonibus. Obiit in opinione ſanctitatis an. 1696. Vid. Pez & Cerſium in Bibl.

Claudius de VERT, Cluniacenſis. Ob. 1708. Vid. vit. ſuprà cap. 4.

Claudius de VIC è Congr. S. Mauri, vivit & laborat cum Domno Vaiſet in conſcribenda Hiſtoria Occitaniæ.

Claudius VIDAL è Congr. S. Mauri. Ob. 1686. Vid. le Cerf. p. 489.

CLEMENS VI. antea Petrus Rogerius, Pont. Max. ab an. 1342. ad 1352. vide vit. ſuprà c. 3.

Clemens ARCELLI S. Sixti Placentiæ Monachus cl. c. an. 1626. Vid. Armell. Bibl. Caſin. part. 1. p. 120.

Clemens REINERUS, Abbas Lamſpringenſis, Author præclari Operis *Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia.* Ob. 1651. Vid. vit. ſuprà cap. 4.

Clemens de RODULPHIS S. Benedicti de Mantua Monachus Sec. 17. Vid. Armell. part. 1. p. 120.

Clemens SÜNDER vel SENDER Monachus San-Udalricanus, Auguſtæ Vindel. an. 1540. Vid. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Noviſſ. Anecd. p. 33.

S. COELESTINUS V. Pont. Max. Vid. Baron. ad Martyrol. Rom. 19. Maji. Odoric. Raynald. ad an. 1313. Bibl. Patrum edit. Lugdun. Tom. XXV. ubi ejus Scripta habentur.

COELESTINUS Arimenſis Monachus an. 1009. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 209.

Cœleſtinus VOGL Abbas San-Emmeramenſis an. 1661. edidit Mauſolæum S. Emmerami. Ob. 14. Octob. 1691.

Cœleſtinus Hamelius, Amorbacenſis. an. 1734.

Cœleſtinus HERMAN ad S. Trutberti Profeſſus, à quo extat *Theologia Selecta Scotiſtica.* Aug. Vind. 1720. III. part. in 4.

Cœleſtinus LEUTHNER Weſſofontanus, Rethorices per annos XI. Profeſſor Salisburg. & Friſingæ edidit an. 1723. *Myſteria vitæ Chriſti,* magno plauſu excepta: Bibliorum Concordantiam, Chronicon Weſſofontanum, & alia. Vivit. 1752. natus an. 1695. 23. Novemb. Profeſſus 1717. 7. Nov.

Cœleſtinus LOMBARDUS S. Laurentii Leodii Bibliothecarius. Vivit. Adverſaria ſua cum *Bern. Pezio* communicavit, quæ is Theſauri ſui Anecd. Tomo IV. inſeruit. Plura alia conſcripſit, quæ lucem publicam exſpectant.

COELESTINUS Abbas Lunælacenſis. Ob. 1683. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. l. 2. c. 2. pag. 201. In ultima mortis hora aſpectabiles habuit B. Virginem, & S. Wolffgangum. Vide Chronicon Lunælac.

Cœleſtinus MAYER Rector Univerſ. Salisburg. nunc Abbas Imperial. Monaſterii SS. Udalrici & Afræ Aug. Vindel. Vid. Hiſt. U. S. p. 320.

Cœleſtinus PESTALUZI Cremifanenſis Sec. 17. Pez Catal. S. B. G.

Cœleſtinus PFEIFFER è domo S. Petri Conſtantiæ. Vivit. Polygloſſus, lucubravit Dictionarium Hebraicum.

Cœleſtinus PLEY Seittenſtettenſis Theologiæ Profeſſor in Univerſitate Salisburg. Ob. .... Vid. H. U. S. pag. 320.

Cœleſtinus PROBST Andecenſis. Obiit an. 1666. Vid. H. U. S. pag. 322.

Cœleſtinus REITMAYR Mallerſtorffenſis. Sec. 17. Pez Catal. S. B. G.

Cœleſtinus ROMOSER, Admontenſis. Ob. 1720. H. U. S. pag. 323.

Cœleſtinus SFONDRATUS, Abbas & Princeps San-Gallenſis. S. R. E. Cardinalis. Ob. 1696. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Cœleſtinus TURNER San-Udalricanus, Aug. Vind. Scripſit de Sacrificio Miſſæ. Alia...

COELHO, ſive *Cœlius*, Abbas S. Georgii Conimbr. Sec. XVI.

S. COLUMBANUS Abbas Luxovienſis. Ob. an. 615. Vid. Mabill. Sec. 2. Bened. ejúſque Annales O. S. B.

Columbanus à BOBIO Congr. Caſin. Sec. XVI. Armell. part. 1. pag. 120.

Columbanus BORDONUS Papiæ Mon. S. Salvatoris. an. 1605. Armell. l. c. p. 120.

Columbanus de BRESSANINIS Padolyronenſis anno 1569. Armell. l. c. p. 121.

Columbanus HABISREUTTINGER, Zwifaltenſis, typis an. 1740. vulgavit Dialogos XVII. inter Monialem & Confeſſarium.

Columbanus LUZ Weſſofontanus, à quo plura circumferuntur opuſcula aſcetica idiomate teutonico edita...

CONRADUS *Abbas*, de quo vid. Poſſevinus Appar. Sac. tom. 1. pag. 346. & Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 3. p. 1150.

CONRADUS *Brunwilerenſis* clar. Sec. XI. exeunte a. 1091. Vid. Henſchen. in Comment. præv. ad vitam S. Wolphelmi die 22. April.

Conradus de CIMBERN, Aug. Div. Monachus c. an. 1430. Vid. Jo. Egon de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 30.

Conradus DEMELMAYR Schyrenſis edidit *Chronicon Philoſophicum* an. 1737. item deſcriptionem particulæ Crucis Schyræ adſervatæ &c. Obiit 1740. 27. Jan.

Conradus de FABARIA, Scriptor Libri de Caſibus Monaſterii S. Galli c. a. 1442. juxta Mezlerum fuit Monachus San-Gallenſis, teſte autem Stumphio fuit Presbyter ſecularis. Vid. Goldaſt. Tom. I. Alemannicorum.

Conradus FONTANUS, Monachus Helmwardeshuſanus in Saxonia infer. Seculi incerti. Vid. Leuckfeldii Antiquitates Burſfeldenſes cap. 3. pag. 88.

Conradus de GEISSENFELD Mellicenſis. Ob. 1460. Vid. Bibl. Mellic. p. 298.

CONRADUS Hirſaugienſis, quem Trithem. in Chron. Hirſaug. Tom. I. pag. 393.

593. & Ill. Ben. lib. 2. c. 103. velut ſummum Theologum, Muſicum, Poëtam & Philoſophum extollit. Cl. an. 1190.

Conradus HUNGER (Pezius eum HUNDER erroneè vocat) Einſidlenſis, ſcripſit de B. V. Thavmaturga Eremitana anno 1654.

CONRADUS Lauterbergenſis, ſive Montis Sereni propè Halam Saxoniæ Monachus, ſcripſit Chronicon ab an. 1124. ad 1225. quo tempore claruit. Vid. Joach. Joan. Mader in Commentar. præv. ad Conradi Chronicon. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 3. p. 1167.

CONRADUS I. Abbas Mellicenſis ab anno 1177. ad 1203. Vide Chron. Mellic. & Hier. Pezii Tom. I. Scriptor. Rer. Auſtriac. Obiit 1203. Vid. Bibl. Mellic. pag. 115.

Conradus Müller. . . - - 1716.

CONRADUS Obernburgenſis Abbas. Ob. 1441. Vid. Bibl. Mellic. p. 221.

Conradus OCHLENIUS Ebronenſis anno 1403.

Conradus de RONDENBERG, Abbas S. Jo. Bapt. Rinaugienſis. Ob. 1486. Vid. Trith. de S. E. c. 860. de Vir. Ill. O. S. B. l. 2. c. 142.

CONRADUS, Profeſſus S. Petri in Salzburg, an. 1404. Vid. Catal. Scriptor. Univerſ. Viennenſis, Part. I. in proœmio.

CONRADUS Schyrenſis Cœnobii Prior, dictus Philoſophus. Ob. 1241. Vid. Annales Schyrenſes.

CONRADUS Abbas Tegernſeenſis anno 1464. Vid. Bern. Pezius Bibl. Aſcet. tom. 8. pag. 605.

Conradus de WELLING Monachus San-Udalricanus Aug. Vindel. frater *Ulrici Welling*. cl. c. a. 1334. Voſſ. de Hiſtor. Lat. pag. 502. 512. 571.

Conſalvus de REDONDO Abbas monaſterii S. Petri de Arlanza an. 1500.

Conſtantinus AFER, Caſinenſis, ab an. 1086. Vid. Petr. Diac. de Vir. Ill. Caſin. cap. 23. Leo Oſtienſ. Chron. Caſin. l. 3. c. 4.

Conſtantinus BELLOTUS Mon. Parmenſis S. Jo. Evang. a. 1558. Vid. Armell. part. 1. p. 122. Angel. Nuc. in Notis ad Chron. Caſin. Bened. Hæften. in prolegom. ad vitam S. B.

Conſtantinus à BRIXIA è Congr. Caſin. de quo Armell. part. 1.

Conſtantinus CAJETANUS Abbas S. Baronti. Ob. Romæ 1650. Vid. Mongitore in Bibl. Sic. p. 143. Nizeronum in Memoriis.

Conſtantinus CONTUTIUS Congr. Caſin. an. 1581. Armell. pag. 138.

Conſtantinus de NOTARIIS, Abbas Farſenſis, Congr. Caſin. an. 1581. Vid. Armell. l. c. p. 136. Bern. Clavellus in Hiſt. Arp. Nicol. Top. in Bibl. Neapol.

Conſtantinus PASSOLINUS Congr. Caſin. an. 1595. Armell. l. c. pag. 137.

Conſtantinus ROTTIGNI Theologus Congreg. Caſin. vivit. Armellinus l. c. pag. 138.

Conſtantinus de SALVIIS Congr. Caſ. 1597. Armell. l. c. pag. 138.

Conſtantinus SOPHISTA Monachus Luxovienſis c. a. 1000. è vivis ſublatus. Vid. Mabill. Tom. III. Analect. pag. 537. nov. edit. in fol. pag. 217. Nomen *Sophiſta* tunc temporis nonniſi viris apprimè doctis attribui conſueverat.

CONSTANTINUS Abbas S. Symphoriani Metenſis. an. 1006. Vid. Annal. Benedictin. tom. 4. p. 169. 180. & 188.

Corbinianus GRÆZ Abbas Rotenſis ad Oenum electus anno 1726. Docuit Philoſophiam Salisburgi, & Unionem litigioſam typis vulgavit an. 1714.

Corbinianus KHAMM SS. Udalrici & Afræ Monachus Aug. Vindel. Ob. 1730. die 8. Maji ætatis 86. Vide ſuprà cap. 4.

Corbinianus THOMAS Elchinganus, inſignis Mathematicus, docet nunc Theologiam in Univerſitate Salisburgenſi. Vid. Hiſtor. U. S. pag. 333.

CORNELIA *Helena Lucretia Piſcopia*, an. 1684. Vid. ſuprà vitam cap. 5.

Cornelius CERASO à Neapoli Monachus Caſinas an. 1637. Vid. Armell. l. c. pag. 145.

Cornelius CODANINUS Abbas S. Georgii Venetiis an. 1674. Armell. l. c. p. 139. Bacchinus in Florilegio vitæ Helenæ Piſcopiæ.

Cornelius Columbanus URANCX Abbas Blandinienſis an. 1615. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg.

Cornelius de FRANCESCHIS Venetus è Congr. Caſin. clar. an. 1578. Vid. Armell. part. 1. pag. 140.

CORNELIUS Fuldenſis Monachus anno 1468. Vid. Chriſt. Franc. Paullini Syntagma Rer. Germ.

Cornelius MARGARINUS S. Pauli de Urbe Monachus an. 1681. Vid. Petr. Ant. Tornamira in Origine & Progreſſu Congreg. Caſin. Puccinell. in Chron. Abbat. Flor. Armell. part. 1. pag. 142.

Cornelius MERENDULA S. Georgii Venetiis Monachus 1681. Armell. l. c. pag. 142.

Cornelius SANTFLIET S. Jacobi Leod. Abbas an. 1450. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 163. Chapeaville in Not. ad Hiſtor. Leod. ubi Scriptorem vocat fidelis-

deliſſimum ac diligentiſſimum. Foppens pag. 217.

Coſmas KNAUFF Prior Prumienſis. Edidit anno 1716. *Defenſionem* Imperialis ſuæ Abbatiæ in fol. Unde evenit, ut is ab Archiepiſcopo Trevirenſi abductus vitam in arce Ehrenbreitſteiniana an. 1740. finierit.

COZROHUS Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Presbyter & Monachus vixit ſeculo IX. Scripſit Librum Traditionum Friſingenſium, juſſu Hittonis ſexti Epiſcopi Friſingenſis. Vid. Meichelbeck Hiſt. Friſing. Diſſert. IV. pag. XXI.

Crato de HARTENBERG, Prior Corbeiæ Novæ. Vid. Viſſelbecc. in Chron. Huxar. ad an. 1336.

CUMMIANUS, ſive *Cumminus*, Abbas in Hibernia. Ob. c. a. 661. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 249. Analect. p. 17. 18. edit. nov. in fol. & præſat. ad Acta Sanctor. O. S. B. Sec. III. part. 1. §. 1. n. 8.

CUTHBERTUS Girwenſis Ven. Bedæ diſcipulus, Sec. VIII. Vid. Leland. cap. 90. Bal. Pitſ. Annal. Benedictin. tom. 2. pag. 99.

CUTHBERTUS Lindisſarn. Epiſc. 687. Ejus vitam ſcripſit Ven. Beda.

Cuthbertus MAGESETUS Epiſc. primùm Hereſord. tum Archiep. Cantuar. an. 760. Vid. Guil. Malmesbur. Lib. IV. de Geſtis Pontif. Angl. Leland. Bal. Pitſ.

Cyprianus BENAGLI Profeſſor SS. Canonum in Academia Patavina an. 1699. hodie Abbas S. Mariæ de Pratalea, ac totius Sac. Congr. Caſin. Præſes. Vid. Papadoli in Hiſt. Gymnaſii Patav. tom. 1. pag. 155. Armell. part. 1. pag. 145.

CYPRIANUS Monachus Caſinas c. a. 750. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. 7. Annal. Ben. tom. 2. p. 151.

Cyprianus PREZ Monſerratenſis in Hiſpania. c. a. 1670.

Cyrinus de SANCTIS Abbas è Congr. Caſ. an. 1679. *Vide Armell. part. 1. pag.* 146.

CYRINUS Monachus O. S. B. dein Abbas, denique quartus Epiſcopus Friſingenſis, Scriptor vitæ S. Emmerami. Ob. 783. *Vide Baſnag. in nov. edit. Antiqq. Lect. Caniſii tom. 3. pag.* 86.

D.

DAMIANUS HEMBRIUS, Monachus S. Georg. Maj. Venetiis an. 1602. *Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 1. pag.* 149.

DAMPORTUS Pontfretenſis, ſive Pontisfracti in Anglia, ævi incerti, *Vid. Lel. Bal. & Pitſ. in append. pag.* 831.

DANIEL *Adelphonſus*, Abbas ad S. Procopium cis Sazavam in Bohemia an. 1666. *Ex liter. monumentis Bibliothecæ Brevnovienſis.*

DANIEL Monachus Lirinenſis c. a. 1056. *Vid. le Long Bibl. Sac. pag.* 694. *Annal. Bened. tom.* 5.

Daniel MOLITOR, Monachus Rotenſis in Bavaria c. a. 1688. *Vid. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdotorū pag. XI.*

DANIEL Abbas Schönaugienſis, anno 1209.

Daniel Georg. VIOLE è Congr. S. Mauri. Ob. 1671. Præter typis vulgata ſcripſit hiſtoriam Monaſterii S. Germani Autiſiodorenſis Latinè voluminibus quinque in ſolio. *Vide le Cerf. pag.* 492.

David AICHELER Ottoburanus ſummi vir ingenii & laboris multa conſcripſit volumina, & inter alia catalogum Bibliothecæ Ottoburanæ an. 1574. condidit, præfixâ eleganti, prolixâ & eruditâ diſſertatione, dignâ omninò luce publicâ. Factus Abbas in Monte ſancto Andecks obiit 1596. æt. 51.

David BOYS Monachus Gloceſtrienſis in Anglia an. 1455. *Vid. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. pag.* 167.

David Gregorius CORNERUS Abbas Gottwicenſis. Ob. 1640. *Vide vitam ſuprà.*

DAVID ex Cæſareo Hiſtoriographo Monachus ad S. Jacobum Herbipoli an. 1109. Vid. Trith. Chron. Hirſaug. pag. 349. Annal. Ben. tom. 5. pag. 558. & tom. 6. pag. 294.

DAVID Monachus S. Laurentii Leodienſis c. a. 1200. *Vide Chronicon Monaſterii apud* Martene & Durand *Tom. IV. Veter. Scriptor. & Monument.*

David Placidus PORCHERON è Congreg. S. Maur. Ob. 1694. *Vid. Bibl. Pezii & Cerſii, atque Moreri Dictionar.*

DAVID *Scotus*, Ratisbonæ Monachus ad S. Jacobum exeunte Seculo XI. ſcripſit libellum de Compoſitione hominis exterioris. *Ex liter. monum. Monaſterii.*

David CODNERUS, Anglus, Congr. Caſin. an. 1650. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 237. Deſenſor Monachus Locociagenſis apud Pictones Sec. VII. Autor libri *Scintillarum.* Vid. Sixt. Sen. Bibl. San. l. 4. p. 356. Mabill. Annal. tom. 1. & 3. atque Muſæo Italico.

Deicola à LIGRIZ Sangallenſis hoc ſeculo. Scripſit vitam Card. Sfondrati.

Deodatus BARTHOLINUS Monachus Florentiæ in Monaſterio S. Mariæ an. 1722. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 48.

DESIDERIUS Abbas Caſin. Vid. Victor III.

Deſiderius à CURIA Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Præſes. Ob. an. 1623. Vide

vitam

Digitized by Google

vitam à Pezio præmiſſam Hiſtoriæ de Ortu & Progreſſu Congr. S. Mauri.

Deſiderius PETRONIUS Caſin. Abbas clar. circa medium Sec. XVII. Vid. Armell. l. c. part. 1. pag. 149.

Deſiderius SCHAPPERGER, Seonenſis, Theologiæ Profeſſor in Univerſ. Salisburg. Ob. 1698. Vid. H. U. S. pag. 234.

DEUSDEDIT Cardinalis, de quo Mabillonius Annal. Bened. tom. 5. p. 154.

Didacus MALO DE ARDUEZA Congr. Valliſolet. in Hiſpania Concionator generalis. 1663. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

DIDACUS in Bohemia, incompertum mihi cujus monaſterii alumnus. 1029.

Didacus CAN-VERO, Abbas Pragenſis Emautinus, an. 1700. author *Orphei Sacri*, & *Coloſſi Benedictino - Seraphici.*

Didacus de HAEDO, Hiſpanus, edidit Pinciæ anno 1612. Opus Topographicum & Hiſtoricum.

DIDACUS *à S. Joſepho*, Monachus ex Monte Serrato, & Collegii Hieracienſis Profeſſor. Ob. 1633. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Didacus de SYLVA PACHECO Salmanticæ in Collegio S. Vincentii Theologiæ Profeſſor, ac poſteà Epiſcopus Accitanus, Ob. 1688. Vid. Nic. Ant. l. c. p. 321.

DIEDERICUS Mon. Hersfeld. infrà *Theodericus Hersfeld.*

DIEMO Monachus Breittenawiæ in Dœc. Spirenſi, c. a. 1140. Eyſengren. in Catal. Teſt. Verit. pag. 95.

DIEMUDIS Weſſofontana Monialis vivebat ſub an. 1073. Vide vitam ſuprà cap. 5.

DIETGERUS, aliis *Theogerus*, ex Abbate S. Georgii in Hercynia Sylva Epiſcopus Metenſis an. 1118. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 1. p. 282.

DIETHELMUS S. Mathiæ Treviris Scholaſticus, *mirabili docendi gratia præditus* docuit ac ſcripſit c. a. 932. Vid. Trith. in Chron. Hirſaug. tom. 1. Annal. Bened. tom. 3. pag. 419.

DIETHMARUS Helmwardenſis Abbas, Scriptor vitæ S. Modoaldi. Vix. an. 1107. Vid. Dufreſne in Indice Auctorum.

DIETHMARUS Abbas Hirſaug. an. 952. Vide Trith. in Chron. Hirſaug.

DIETLEBUS, Spanheimenſis Abbas 1298. Vid. Trithem. in Chron. Spanheim.

DIETRICHUS Norwegienſis, infrà *Theodericus.*

DIONYSIUS *Exiguus*, Abbas Romanus, quem Trithemius, Wionius, Yepeſius, Cajetanus, Bucelinus, aliique Benedictinis accenſent. Vix annum attigit 540. juxtà Mabillonium Analect. tom. 2. pag. 9.

Dionyſius BRICONNETUS Abbas D. Pauli apud Cormœriacum, atque Epiſcopus Maclovienſis.

DIONYSIUS Mon. Caſin. ſeculo XII. ni fallor, ſcripſit vitam S. Ligdani. Vid. Annal. Ben. tom. 6. p. 31. Baron. tom. XII. Annal. ad an. 1109.

Dionyſius FAUCHERIUS, Inſulæ Lerienſis Prior, pius juxtà ac doctus intermortuas apud Moniales literas in Gallia reſuſcitavit. Ob. 1652. Vid. Armell. part. 1. p. 150. Vincent. Barralis Salerna in Chron. Lerin.

Dionyſius de S. MARTHA, Præpoſitus Generalis Congr. S. Mauri. Ob. 1725. Vide Pezium, Cerſium, Nizronium, & vitam ſuprà cap. 4.

DITHMARUS, Abbas Corbeiæ Novæ an. 1206. Vid. Annales Monaſterii, & Paulin. in Theatro Vir. Ill. Corb. Saxon.

DITHMARUS, Epiſcopus Merſebnrg. Author Chronici Imperatorum quinque Saxonicorum, inſignis Operis. Ob. 1018. Vide vitam à Reinero Reineccio ejus Chronico præfixam.

DODECHINUS, Abbas S. Diſibodi an. 1200. Vid. Trith. in Chron. Hirſaug. Piſtorius Scriptor. Rer. Germ. tom. 1. Mabill. Annal. Bened. tom. 4. p. 569.

Dominicus ab ASULA, Monachus S. Georgii Venetiis. Ob. 1592. Vid. Armell. l. c. p. 152.

Dominicus CABALZAR, Majoris Augiæ Brigantinæ alumnus. Ob. 1736. Aſcetis annumerandus venit ob edita quædam opuſcula vernaculo idiomate, videlicet *Algemeines Weltfeuer...*

Dominicus de CASTRO, Hiſp. Abbas Monaſterii B. V. de Valvanera cl. c. an. 1429.

Dominicus CÆSAR, Abbas Altachæ Superioris, electus anno, ni fallor, 1653. quo Philoſophiæ Profeſſor in Univerſitate Salisburgenſi Dialecticam docuit, ac in lucem emiſit *Ariadnen Logicam.* Vid. Hiſt. U. S. p. 335.

Dominicus CARROQUET è Congr. S. M. Sec. 17. *Vide le Long.* Bibl. Hiſt. de France.

Dominicus de CINQUINIS, Peruſinus, Congr. Caſin. An. 1677. Vid. Armell. part. 1. p. 152.

Dominicus FISCHERUS, Wiblingenſis, in Suevia, inſignis antiquarius, confecit Catalogum MSs. Codd. Bibliothecæ ſui monaſterii. Ob. 1632. Vid. Annal. Wibling.

Dominicus FLEISCHMAN Blanckſtettenſis, edidit Vindicias Immaculatæ. 1752. & alia.

Dominicus FOURNIER è Congr. S. Mauri, vivebat adhuc 1726. Vid. Cerſii Bibl. Hiſtor. Crit. pag. 135.

Dominicus GALLI è S. Paulo de Urbe an. 1650. Vid. Armell. l. c. 153.

Dominicus QUESADA, Abbas Caſin. cl. 1650. Vid. Jul. Ambroſ. Lucenti in Ital. Sac. reſtaur. & auct. pag. 1052.

Dominicus SCHÖNIG, Amorbacenſis an. 1639. Edidit Opuſcula Philoſophici & Theologici argumenti. Vid. Ignat. Gropp. in Hiſt. Amorbac. p. 157.

Dominicus TSCUDIUS, Abbas Murenſis in Helvetia. Edidit anno 1651. *Originem & Genealogiam Comitum de Habsburg.* Vid Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. 5. pag. 1043. Joan. Pet. Ludwig. Tom. 2. Scriptor. Rer. Bamberg.

DOMNIZO, Monachus Canuſinus, Sec. XII. Vide Leibnitz in Introduct. ad Scriptor. Rer. Brunſv. tom. 1. pag. IV. Annal. Bened. tom. 5. p. 609. Voſſ. de Hiſt. Lat.

DOMSONUS, Chronographus, Lamſpringenſis, cujus meminit Leuckfeldius in Antiq. Gandersheim. c. 25. pag. 282.

DONALDUS Abbas ad Scotos Viennæ an. 1383. Vid. Catal. Scriptor. Univerſ. Vien. Part. I. in procem.

S. DONATUS, Epiſcopus Veſontionenſis c. an. 624. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 325.

DONATUS Diaconus & Monachus ad S. Trudonem c. an. 1300. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 194. & Molanum ad Uſuardum 23. Nov. in vita S. Trudonis.

DROGO, ſive *Drago* S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, an. 1138. Vide vitam ſuprà cap. 3.

DROGO, Monachus Winnobergenſis in Belgio, ſcripſit translationem S. Lewinæ, & vitam S. Winnoci. Obiiſſe dicitur anno 1070.

DROGO, Monachus ad S. Andreæ propè Burgas ſcripſit vitam S. Godolevæ c. an. 1098. Vide Acta Sanctorum Tom. II. Julii pag. 362. ubi de hoc & priori *Dragone* erudita Criſis. Item tom. V. Julii d. 24. p. 612. n. 24.

DRUTHMARUS ſuprà *Chriſtianus.*

DUMAS auctor *Viridarii humilitatis* an. 1714.

DUNGALUS, natione Scotus, Monachus in Francia Sec. IX. ſcripſit librum de cultu imaginum &c. Joan Mabill. Annal. Ben. tom. 2. Natal. Alex. Hiſtor. Eccl. tom. 5. pag. 799. Muratorius in Annal. Italiæ ad A. 827. & 829.

DURANDUS, Abbas Troarnenſis. Ob. 1088. Vid. Baron. in Annal. Eccl. ad an. 1087. Pag. in Crit. tom. 5. pag. 302. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. & 5.

S. DUNSTANUS, Archiepiſcopus Cantuar. an. 988. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 51. & tom. 5. p. 37. Clem. Reyner. in Apoſtol. Benedictin. Balæ. Cent. a. Piſſ. æt. 10. p. 179.

DURANDUS, Abbas Troarnenſis. Ob. 1088. Vid. Baron. in Annal. Eccl. ad an. 1087. Pagius in Crit. tom. IV. pag. 302. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. & 5.

D. DUSSOT è Congr. S. Mauri, vivit, & prælo parat novam Operum Euſebii editionem.

E.

EADBURGA S. Liobæ Magiſtra Monialis an. 724.

EADFRIDUS, aliis *Ecbertus*, ſeu *Egbertus*, Epiſcopus Lindisfarnenſis. Ob. 721. Vid. Thomæ Smith Hiſtoria Bibliothecæ Cottonianæ pag. XXXIII. Warthon Angl. Sac. Tom. I.

EADMERUS, ſeu *Edmerus*, Anglus, S. Anſelmi Archiep. Cantuar. Achates. Ob. 1137. Vide vitam ſuprà cap. 3.

EADMERUS, ſive *Ealmerus*, Prior Monaſterii S. Albani. Ob. an. 980.

EADWINUS, Monachus Anglus, Sec. XI. Vid. Annal. Benedictin. tom. 6. p. 90. le Long Bibl. Sac. tom. 1. cap. 1. p. 7.

EATA ex Abbate Mailroſenſi Epiſcopus Haguſtaldenſis an. 686. Pitſeus in appendice pag. 834.

EBBO Monachus S. Michaelis Bambergæ an. 1150. Scriptor vitæ S. Ottonis Epiſcopi Bamberg. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 323. Acta Sanctorum Bolland. tom. 1. Julii pag. 351.

EBBO Wormatienſis Epiſcopus anno 1115.

EBERHARDUS, Lunælacenſis Monachus Sec. XII. Myſteria Redemptionis humanæ verſibus leoninis expoſuit. Vid. Catal. Bibl. Lunælac. Claſſ. 5. p. 376.

EBERHARDUS Altahæ Inferioris Cœnobita 1305. Vid. Caniſ. & Freherus, qui ejus Annales de Ducibus Auſtriæ Juris publici fecerunt.

EBERHARDUS, ſive *Ebirhardus*, Mon. Fuldenſis. Vide Schañat Corp. Trad. Fuld. p. 280. Piſtorium in Dedicat. Tomi III. Scriptor. Rer. Germ.

EBERHARDUS S. Mathiæ Treviris Scholaſticus an. 885. ad 909. *Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug.* Mabill. *Annal. Ben. tom. 3. pag.* 329. Hontheim *Hiſt. Dipl. Trevir.* Tom. I. *pag. XVII.*

Eberhardus RUEDORFER San - Petrenſis Salisburgi 1732.

EBER-

EBERWINUS, Abbas S. Martini Trevirenſis an. 995. Vid. Poſſevin. in Appar. tom. 1. Eyſengren Cat. Teſt. Verit. pag. 78.

EBERWINUS Theolegienſis Abbas 1019. vide infrà *Everwinus*.

ECBERTUS, ſeu *Egbertus*, Eboracenſis Archiepiſcopus. a.767. Vid. Annal. Ben. Warthon Angl. Sac. Lel. Bal. Pitſ. &c.

ECBERTUS Heresfeldenſis c. an. 1076. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 266. Acta Sanctorum tom. 5. Junii p. 385.

ECBERTUS Monachus Lindisfarnenſis Anglus an. 729. Vid. Leland cap. 66. Pitſ. æt. 8. pag. 125.

ECBERTUS, ſive *Egbertus* Abbas Schönaugiæ c. an. 1160. Vid. Leibnitz Introduct. præv. ad Scriptor. Brunſv. cap. 37.

Ecchardus NAKATENUS, Gladbacenſis, clar. 1691. quo anno edidit *Thymiama perpetuum*.

ECCARDUS, ſive *Eckardus* S. Laurentii in Uragia Abbas I. Ob. an. 1736. Vid. Trith. Annal. Hirſaug. ad annum 1118. Leibnit. in Introduct. ad Tom. II. Scriptor. Rer. Brunſv. Martene & Durand Collect. Ampl. Tom. v. pag. 510. Annal. Ben. tom. 5. & 6.

ECCARDUS, Abbas Uragienſis junior circa an. 1280. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 2. p. 239.

ECCARDI San-Gallenſes quinque. Vide infrà *Ekkehardus*.

ECKBERTUS Hirſaugienſis Monachus an. 1118. Vid. Trith. in Chron. Hirſaug.

EDIMERUS, ſeu *Edinerus*, ſuprà *Eadmerus*.

EDELFRIDUS, Monachus Divitis Augiæ c. an. 790. Vid. Egon de Vir. Ill. Div. Aug. lib. 1. part. 2. c. 4.

EDDIUS *Stephanus*, * infrà *Hedius Stephanus*.

Edmundus BROMEFELDIUS, Anglus, an. 1391. Vid. Leland, Pitſ. æt. 14. pag. 835. Vixit in Monaſterio ad S. Edmundum in Suffoleia.

EDMUNDUS Monach. Cantuar. diſcipulus S. Anſelmi, an. 1120. Vid. Pitſ. æt. 12. p. 190. Poſſevin. in Appart. tom 1.

Edmundus Jo. Bapt. DURET è Congr. S. Mauri Sac. Theol. Profeſſor in Monaſterio S. Germani à Pratis, nunc in Monaſterio S. Dionyſii in nova Operum Tertulliani editione adornanda occupatur. Vid. le Cerf. pag. 97.

Edmundus EGG Garſtenſis in Super. Auſtria docuit Matheſin, in Univerſ. Saliſburg. ac *Architectonicam militarem* ſcripſit. Ob. 1717. Vid. Hiſt. U. S. pag. 338.

Edmundus ENGELGRAFF, Scriptor aſceticus vivebat anno 1747.

Edmundus GRIENFELS Mellicenſis Sec. 17. Vid. Pez in Catal. S. B. G.

Edmundus de HADENHAM, Monachus Roffenſis, an. 1307. Vide Warthon in Supplem. Hiſtor. Liter. Cavei pag. 8. col. 2.

Edmundus IBELPACHER, Abbas Oſſiacenſis. Ob. anno 1725. Vid. Hiſt. U. S. pag. 245.

Edmundus MANICOR, Admontenſis, Vicarius Generalis Abbatis Principis Corbeienſis. Ob. 1685. Vid. Hiſt. U. S. pag. 337.

Edmundus MARTENE è Congr. S. Mauri Scriptor atque Editor multorum inſignium Operum. Ob. 1739. Vid. Pez. & Cerf. in Biblioth.

EDMUNDUS Abbas S. Petri Saliſburgi. Ob. 1702. Vid. Hiſt. U. S. pag. 236.

Edmundus POCK, Ettalenſis. Ob. 1737. Vide quæ de hoc eximio Scriptore diximus Parte Generali cap. 2. §. 12.

Edmundus RUEDORFFER, Lambacenſis. Ob. 1707. Vid. Hiſt. U. S. p. 338.

Edmundus SCHLOSGO è S. Paulo Carinthiæ. Ob. 1702. Vid. cit. Hiſt. p. 338.

Edmundus STURTONUS, ſive *Stuſonus*, clar. c. an. 1200. Vid. Pitſ. in Append. Centur. I. p. 835. Balæ. II. 98.

EDUARDUS Cantuar. Mon. Fabricio & aliis *Edmundus Gryne* an. 1171. fuit fidiſſimus Achates S. Thomæ Archiep. & Mart. Pitſ. æt. 12. p. 239.

Eduardus MAIHEW è Congr. Anglicanæ Miſſionis S. Gregorii, quæ erecta fuit an. 1619. Regitur ab uno Præſidente. Sequentia habet Monaſteria, ſeculo proximè elapſo fundata, pro Benedictinis Anglis, Scotis, Hibernis, qui quartum emittunt votum prædicandi fidem Catholicam in Anglia, Scotia, & Hibernia. 1.) Abbatia Lamſpringenſis in Diœceſi Hildesheimenſi. 2.) Monaſterium S. Benedicti Pariſienſ. 3.) Monaſterium S. Laurentii de Cuſtodia Dei, vulgò *Dieu-Louward* in Diœc. Virdunenſi. 4.) Collegium S. Benedicti Duaci, in quo Patres noſtri docent humaniores literas, & Philoſophiam. 5.) Monaſterium Cellenſe in Diœc. Meldenſi, & unum hoſpitium Cameraci. Cæterùm de *Eduardo Maihew* videri poſſunt Johannes Pitſeus de Ill. Angl. Scriptor. in Append. & Marlottus Metrop. Rem. tom. 2. p. 838.

EGBERTUS vide *Ecbertus*.

EGELRICUS Croylandenſis Abbas anno 1091. Pitſeus in appendice. Annal. Ben. tom. 5. pag. 299.

EGGE-

EGGEHARDUS ſeu *Eccardus* Uragienſis, ſuprà *Eccardus*.

EIGIL, ſuprà *Ægil*, Abbas Fuldenſis.

EGILWALDUS ſeu *Egilwardus* Monachus S. Burchardi Herbipol. c. an. 980. Vid. Annal. Ben. tom. 2. pag. 149. & tom 4. p. 60. Poſſevin. in Appar. tom 1. Caniſ. Lect. Antiq. tom. 4. pag. 628. & editionis novæ Tom. 3. p. 171.

EGINHARTUS, in aulâ primùm Caroli M. Secretarius Status, & Regiorum ædificiorum Præfectus, tum Monachus & Abbas Seligenſtadienſis, defunctus poſt annum 840. Vide præter alios quàm plures *Joannis Weinkens* Prioris Seligenſtad. *Eginhartum Illuſtratum & Vindicatum*.

EGINUS Monachus c. an. 840. vel 963. Vid. Bolland. tom. 7. pag. 122.

EGWINUS ſeu *Eugenius* Vigornienſis in Anglia Epiſcopus. Ob. 716. Vid. Leland. cap. 68. Pitſ. æt. 8. p. 121.

Einhardus de CATZENELEBOGEN, Abbas Limburgenſis, & ex hoc Nemetum Epiſc. an. 1067. Poſſev. in Appar. tom. 1. Eyſengren C. T. V. pag. 83.

EKKEHARDI San-Gallenſes Monachi & Scriptores quinque à Goldaſto Tom. de Scriptor. Rer. Aleman. part. 1. pag. 3. numerantur, videlicet:

EKKEARDUS Senior & Decanus S. Galli. Ob. 977.

EKKEARDUS *minor* vel *junior*, & *Palatinus* nuncupatus, *Senioris* ex ſorore nepos. Ob. 996.

EKKEARDUS Senioris ex altera ſorore nepos claruit circa eadem tempora.

EKKEARDUS *Junior*, auctor libri de Caſibus Monaſterii S. Galli. Ob. c. a. 1070.

EKKEARDUS *Minimus*, Decanus Monaſterii S. Galli, Scriptor vitæ B. Notkeri. c. a. 1214. Vide etiam Mezler de Vir. Ill. San-Gall. Adde Henſchen. Act. SS. tom. 1. April. pag. 577.

ELBODUS S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli diſcipulus, an. 610.

D. N. ELEMENECT è Congr. S. Mauri novam Operum Photii editionem prælo parat.

ELEMON Commentator in Sac. Regulam, de quo vid. Hæften. Diſquiſ. Monaſt. lib. 2. tr. 5. p. 163. & Poſſev. in Appar. Sac. tom. 1.

ELERIUS Abbas in Cambria an. 660. Du Freſne in Indice Auctor.

ELEUTHERIUS *Dorceſtrius* Malmesbur. an. 678.

Elias de EVESHAM, Wigornienſis, anno 1270. Vid. Leland. in Collectan. de Rebus Angl. c. 34. Pitſ. æt. 13. p. 351.

ELIAS Panormitanus Siliac. Sec. XVI. Vid. Mongitore in Bibl. Sicula.

Elias de TRICKINGHAM Mon. Petriburg. an. 1268. Vid. Lel. Bal. Pitſ. & Wilhelm. Nichols. in Bibl. Hiſtor. Angliæ pag. 63.

Elilandus BAUR, aliis *Bayr*, Benedicto-Buranus edidit Opus Aſceticum an. 1721.

Eliphius KLEIN S. Martini Coloniæ an. 1693. Vid. Catal. Mſs. Codd. Bibl. San-Martin. *Hartzheim in Bibl. Colon.*

Eliphius VÜCHTEN S. Martini Coloniæ 1506. *Vid. Hartzheim Bibl. Col.*

S. ELISABETHA, Schönaugiæ Abbatiſſa. *Vid. vit. ſuprà cap. 5.*

ELMERUS, aliter *Edmerus*, *Eadmerus*, Monachus Cantuar. año circiter 1130. *Vide Warthon Angl. Sac. tom. 2.*

EMENRICUS, ſeu *Ermenricus* Augiæ Divitis Monachus 849. Vid. Jo. Egon de Vir. Ill. Div. Aug. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. & 3.

EMICHO, Abbas Schœnaugiæ c. a. 1190. Vid. Poſſevin. in Appar. tom. 1. Eyſengren p. 107. Acta SS. Bolland. tom. 3. Junii p. 35.

Emmanuel VILLAROEL, Hiſpanus anno 1705. Vid. le Long Bibl. Sac. tom. 1. pag. 1004.

Emmeramus BAUMGARTNER Seonenſis Sec. 17. Pez in Catal. Scriptor. Germ. Bened.

ENGELBERTUS, Abbas Admontenſis, in Styria. Ob. 1331. Vide ſuprà cap. 3. vitam.

ENGELBERTUS, Monachus Leodienſis S. Laurentii Sec. XIII. Vide Monaſterii Chronicon.

Engelbertus HEINDEL Scotenſis Viennæ in Auſtria. Ob. 1730.

Engelbertus KIRCHSTETTER Mellic. Ob. 1742. Vid. Bibl. Mellic. p. 657.

ENGILBERTUS, ſeu *Egilbertus* Centulenſis S. Richarii an. 792.

Erardus NIGGELIUS, Schyrenſis in Bavaria, ſcripſit Opera Pia Ludovici IV. Imperat. Ob. 1640. *Vid. Hiſt. U. S. pag.* 339.

Eraſmus GATTOLA, Abbas S. Mathæi Servorum Dei. Obiit poſt an. 1733. quô Hiſtoriam Monaſterii Caſinenſis duobus tomis in fol. publicam in lucem Venetiis emiſit. Vid. Armell. part. 1. pag. 155.

ERCHANBALDUS, Abbas S. Trudperti in Briſgoia, de cujus ævo vide Bolland. in vit. S. Trudperti. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. Pezii & Hanſizii epiſtolas.

ERCHEMBERTUS, ſeu *Herembertus*, & *Erembertus*, Monachus Caſinas, 889. Vid. Marus annot. ad Pet. Diac. de Scriptor. Caſin. cap. 14. Leo Oſtienſis in Chron. Baron. in Annal. Mabill. Annal. Ben. tom. 3.

ERCHIN-

ERCHINFRIDUS Mellicenſis Abbas, anno 1123. electus. Vid. Chron. & Bibl. Mellic. nec non Hier. Pezii Tom. I. Scriptor. Rer. Auſtriac. pag. 97. Annal. Ben. tom. 4. pag. 255. & tom. 5. pag. 590. Ob. 1163.

ERCOMBERTUS Glaſconienſis incertæ ætatis. Vid. Pitſeus in Appendice pag. 837.

ERHARDUS, Monachus Hirſaugiæ, an. 1038. Vid. Trith. in Chron. Hirſ. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. p. 433.

Erhardus de LAINIZ, Abbas San-Petrenſis, an. 1430. Vide Fratres Mezgeros in Hiſtoria Monaſterii & Archiepiſcopatûs Salisburg. Bern. Pez Diſſert. Iſagog. in tom. 2. Theſ. Anecdot. p. 111.

ERHARDUS S. Mathiæ Treviris an. 1076. Vid. Trith. Chron. Hirſaug.

ERHARDUS Scholaſticus Cœnobii S. Michaëlis in Lüneburg cl. an. 983. Vid. Trith. Annal. Hirſaug. tom. 1. pag. 125. Eyſengren in Catal. p. 76.

Erhart de ROSCHELIZA, Monachus Corbeiæ Novæ. Vid. Trithem. de Vir. Ill. Germ. pag. 103. & Paullin in Theatro Vir. Ill. Corb. Nov. pag. 113. Hunc Dufrenius in Indice vocat Erhardum, & vixiſſe ait an. 1050.

ERICUS, ſive HERRICUS Antiſſiodorenſis c. an. 980. Trithem. de Vir. Ill. O. S. B. & Chron. Hirſaug. Sixtus Sen. Bibl. San. l. 4. p. 379. Annal. Ben. tom. 2.

ERMANRICUS, ſeu *Ermenricus*, ex Monacho Fuldenſi Abbas Elvacenſis in Suevia, Scriptor vitæ S. Solæ, & B. Hariolphi cl. an. 840. Vid. Mabill. Analect. tom. 2. pag. 299. & tom. 4. Bern. Pezius Diſſert. Iſag. in Tom. IV. Theſ. Anecdot. p. XXVII.

ERMENTARIUS, Monachus Herenſis, c. an. 836. Scripſit de miraculis S. Philiberti Annal. Ben. tom. 2. p. 587.

ERMENTARIUS, Abbas Gemeticenſis, vixit an. 843. Vid. du Freſne in Indice Authorum. Edit. à Chiffletio in Tornutio, & tom. 5. SS. Ord. S. B. pag. 537.

ERMENTARIUS, Abbas Tornuſienſis, ſive Trenorchienſis an. 863. niſi à priore non ſit diverſus.

Ermoldus NIGELLUS videtur Cl. Muratorio idem cum *Ermoldo* ſeu *Hermenoldo*, Abbate Anianenſi Sec. IX. Scripſit carmen de laudibus Lud. Pii. Vid. Annal. Ben. tom. 2. p. 564.

ERNESTUS, Monachus S. Galli, Sec. XII. Vid. Mezleri de Vir. Ill. San-Gall.

Erneſtus PRANDL Prior Mellic. Ob. 1689. Vid. Bibl. Mellic. p. 518.

Erneſtus de RHEDON, Monachus Corbeiæ Novæ, Præpoſitus Meppenſis Abbatiolæ. Vid. Viſſelbec. in Huxarienſi Chronico ad an. 1316.

B. ERNESTUS Zwifaltenſis Abbas, Miſſionarius Apoſtolicus, & Martyr. anno 1048. Vid. Annales domeſticos. Poſſevin. in Appar. Sac. tom. 1. pag. 448. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. p. 99.

ERNULPHUS, ſuprà *Arnulphus* Roffenſis.

ETHARDUS, ſuprà *Erhardus de Roſcheliza.*

ETHELWOLDUS patriâ Bernicius, Monachus Lindisfarnenſis c. an. 820. Vid. Poſſev. in Appar. tom. 1.

S. ETHELWOLPHUS Wentanus, ſive Wintonienſis Epiſcopus. 984. Vid. Pitſ. æt. 10. p. 179. Leland. Bal. Warthon Angl. Sac. Smith Catal Bibl. Coton.

ETHERIUS Epiſcopus in Hiſpania Uxamenſis c. an. 785. Vid. Nic. Ant. in Bibl. Hiſp. Vet. Joan. Mabill. in Annal. Bened.

Euchardus NAKATENUS, ſuprà *Ecchardus.*

EVELGOTUS Anglus Cantuar. Archiepiſcopus. 1028.

EVERHELMUS Abbas primùm Altimontenſis in Hannonia, deinde Blandinienſis Gandavi. Ob. 1069. Foppens Bibl. Belg. p. 273.

EVERWINUS, Abbas Theologienſis, ſeu, ut aliis placet, S. Mathiæ Treviris, an. 1047. Vid. Poſſevin. in Appar. tom. 1. Eyſengren. in Catal. p. 80. Annal. Ben. tom. 4. pag. 342. & 406. Trithem. in Chron. Hirſ. & de Vir. Ill. Ben.

Erhardus GENT Mellicenſis. Flor. anno 1488. Vid. Bibl. Mellic.

Eugenius GAMURRINUS, Monachus Abbatiæ B. V. M. Florentiæ. Ob. 1692. Vid. Armell. part. 1. & Journal de Sçavans tom. 6. an. 1678. p. 57.

Euſebius MANZ, Monachus Divitis Augiæ, Matheſeos Profeſſor in Univerſ. Salisburgenſi. Vid. Hiſt. U. S. p. 341.

Euſebius de VALENTINIS, Monachus Parmenſis, in S. Jo. Evang. Monaſterio, an. 1515. Vid. Armell. part. 1. p. 159. Poſſev. in Appar. tom. 1.

Euſtachius à STRAAX, Prior Monaſterii S. Jacobi Leodienſis. Vid. Martene Præfat. in Tom. IV. Collect. ampl. pag. XX.

S. EUTICIUS Abbas Balmenſis clar. ſub Ludovico Pio Imperat. Vid. Hug. Menard. Obſervat. in Menolog. Bened. l. 1. pag. 177.

Euticius CORDES, Belga, monachus S. Juſtinæ Patavinæ. Ob. 1582. Vide. Jac. Cavac. in Hiſtoria monaſterii lib. 6. c. 77.

Eutychius GHIROLDI Mon. Congr. Caſin. vixit ineunte Sæc. XVII. Armell. part. 1. pag. 161.

EUTROPIUS, Abbas Servitanus, non diverſus ab Epiſcopo Valentinæ Eccleſiæ c. an. 599. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 184. Trithem. de S. E. & Vir. Ill. O. S. B.

S. EGWINUS ex Monacho Eveshamenſi Epiſcopus Wigornienſis. Ob. 716. Vid. Piſt. æt. 8.

EZILO Monachus Cluniac. claruit poſt an. 1109. Annal. Ben. tom. 5. pag. 528. Acta SS. Bolland. April. tom. 3. p. 633.

F.

FABIANUS *Columbus*, Siculus S. Martini de Scalis cœnobita, anno 1675. Vid. Mongitore Bibl. Sic. pag. 192. Armell. part. 1. p. 163.

FABIANUS *Cretenſis* S. Georgii Maj. Venetiarum Monachus an. 1488. Poſſev. Appar. Sac. tom. 1. p. 562. Wion Lig. Vit. l. 2. c. 67. Armell. part. 1. p. 163.

Fabianus PINUS, Monachus Cavenſis. Ob. 1675. Armell. part. 1. p. 164.

Facundus de TORRES, Hiſpanus, Philippi IV. Eccleſiaſtes. Ob. 1664. Nic. Ant. B. H. N. p. 277.

FALCO Monachus Trenorch. auctor Chronici Trenorchienſis Sec. XI. Vid. Petr. Franc. Chifflet. le Long. Hiſt. Eccl. de France. Acta SS. Bolland. tom. 4. Aug. pag. 72.

FALCHALINUS, Monachus & Scholarum Magiſter in Monaſterio S. Laurentii Leodienſis circ. an. 1060. Vid Reiner. lib. de Vir. Ill. Monaſterii S. Laurentii Leod.

FARICIUS, Abbas Abindonenſis in Anglia an. 1110. Vid. Annal. Ben. tom. 6. p. 70. *Fabricium* vocat Poſſevinus in Apparatû, ſed perperàm.

Fauſtinus OLIVA. Vid. Jo. Mar. Creſcembin. in Hiſt. vulg. Poëſ. l. 4. p. 292. Armell. part. 1. p. 164.

S. FAUSTUS S. P. Benedicti diſcipulus, an. 506. Vid. Joan. Bapt. Mar. in annot. ad Pet. Diac. de Scriptor. Caſin. cap. 2. Mabill. Annal. tom. 1. Miræus in Auctario. Poſſev. in Appar. Leo Oſtienſis Chron. Caſin. l. 1. c. 3.

FAUSTUS, Parmenſis Prior, Congr. Caſin. an. 1660. Vid. Armell. part. 1. p. 164.

Felicia RASPONA ex Ravennatenſi Parthenone S. Andreæ an. 1579. Armell. part. 1. pag. 165. Rubeus in Hiſt. Ravenn. l. 6. ad an. 1204.

Felicius Kobold, Monachus neſcio cujus loci. Ejus mentio fit in Catal. S. B. E.

Felicianus STRADIVERTUS, Cremonenſis, Congr. Caſin. Vid. Armell. part. 1. pag. 167.

FELIX *Croylandenſis* in Anglia. an. 749. Vid. Piſt. æt. 8. pag. 126. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 39. Voſſius de Hiſt. Lat.

Felix EGGER è Domo S. Petri Conſtantiæ ad Rhenum, Author *Ideæ Ordinis Hierarchico-Benedictini*. Ob. anno 1720. Vid. Hiſtor. U. S. pag. 342.

Felix HOUDIN Congr. S. Mauri, vivit, & in nova Galliæ Chriſtianæ editione ad faſtigium perducenda collaborat.

Felix PFEFFER, Ottoburanus. Obiit 1663. Vid. Hiſt. U. S. p. 342.

Felix PASSERIUS, Caſinenſis, anno 1626. Vid. Armell. part. 1. p. 168.

Felix RENDA, Neapolitanus è Congreg. Caſin. an. 1581. Armell. l. c.

Felix ROMA S. Pauli de Urbe Abbas an. 1607. Vid. Armell. part. 1. pag. 170. Proſper Mandoſius in Bibl. Rom. vol. 2.

FERDINANDUS, Cœnobita Monaſterii S. Æmiliani in Hiſpania circa an. 1150. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſpan. Vet. pag. 215.

FERDINANDUS ſeu *Fernandus*, ſuprà *Carolus* Brugenſis.

Ferdinandus PERETTI, Prior S. Vitalis Ravennæ, an. 1725. Vid. Armell. part. 1. pag. 171.

Ferdinandus WEZEL, Mariæmontanus in Tyroli. Ob. 1663. Vid. Hiſt. U. S. pag. 342.

FERIUS (aliis *Levinus*) Helpericus, Monachus Seligenſtad. deſcripſit congreſſum Caroli M. & Leonis PP. Vid. du Freſne in Indice Auctor.

FERREUS, Italus, Monachus Caſinas, cl. an. 1070. Vid. Poſſevin. in Appar. Sac.

FINGENIUS, Abbas S. Felicis. Ob. 1004. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 169.

Firminius RAINSSANT, Prior S. Germani à Pratis. Ob. 1651. Vid. Pezii & Cerfii Bibl. nec non *la table de Auteurs Eccleſiaſtiques*.

Flaminius PATE, Abbas & Viſitator Congregationis Caſinenſis. Vid. Mongitoſe in Bibl. Sic. Armell. Bibl. Caſin. pag. 198.

FLAVALDUS Remenſis, de quo Trithem. c. 68. infrà *Flodoardus*.

FLAVIUS Ferrarienſis, Monachus Caſinas, an. 1553. Plac. Diac. in Supplem. cap. 13. Mar. in Notis.

FLODOARDUS, ſive *Frodoardus* Remenſis an. 966. Trithemio & Sigeberto *Flavaldus* vocatur, Vide Marlotti Hiſtoriam Metropolis Remenſis. Mabillonii Annal. Ben. tom. 3. Bulæi Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 1. p. 578.

FLODDARDUS Monachus S. Albani c. an. 1000.

FLOR-

FLORBERTUS S. Mathiæ Treviris Scholaſticus. Ob. 885. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. pag. 28. edit. San-Gall. pag. 37. Annal. Ben. tom. 3. p. 250.

Florentius BRAVONIUS Monachus Wigornienſis. Ob. 1191. Vide Scriptores de Scriptoribus Anglis, Lelandum, Baleum, Pitſeum, & alios, præprimis Tindalium in Notis ad Rapin. Toyras.

FLORENTIUS Abbas S. Judoci Sec. XI. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 497.

FLORIANUS Corbeiæ Novæ Monachus c. an. 1214. Vid. Annales Corbeienſes ad hunc annum.

Florianus SCHIFFER, Prior Monſeenſis. Vid. Catal. Bibl. hujus Monaſterii anno 1748. typis vulgatum. p. 365.

Florianus TREFFLERUS, Benedicto-Buranus. Ob. 1565. Vide Struv. de Hiſtor. Liter. pag. 75. Stengel. in Monaſteriolog. p. 28. *Chron. Benedicto-Buranum Part. I. pag.* 242. *&* 249. *& ſuprà cap.* 4.

FLORUS Monachus S. Trudonis diœceſis Leodienſis circa an. 760. quem à Trithemio confictum eſſe pugnat Oudinus de S. E. Tom. I. pag. 805. ſed ut Fabricio, Scriptorum callentiſſimo, Bibl. med. & inf. Lat. lib. 6. pag. 251. videtur, non ſatis certis argumentis. Confer Poſſevin. Appar. Sac. pag. 488. Foppens Bibl. Belg. pag. 279.

FOLCARDUS S. Bertini monachus claruit 1050. Valer. Andr. Bibl. Belg. Voſſ. de Hiſt. Lat. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. & 4. Baron. in Notis ad Martyrol. ad d. 5. Oct. Orderic. Vital. Eccl. Foppens p. 280.

FOLCARDUS Cantuarienſis Monachus c. an. 1066. Voſſ. de Hiſtor. Lat. lib. 2. c. 46. Poſſevin. in Appar. tom. 1. Pitſ. æt. XI. pag. 188. Acta Sanctorum tom. 2. Maij, ubi vita S. Joannis Beverlacenſis, quam Folcardus literis mandavit.

FOLQUINUS, infrà *Fulcuinus*.

FOLCUINUS Monachus Sithienſis pag. 948. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 2. p. 524.

FORTUNATUS S. Juſtinæ Patavinæ Cœnobita. an. 1597. Armell. part. 1. pag. 173.

Fortunatus SCHOLA, Vicentiæ in monaſterio SS. Felicis & Naboris Profeſſus, an. 1594. Armell. l. c. p. 173. Pucinell. in Chron. Abbatiæ Florentinæ.

Fortunatus ULMUS S. Georgii M. Venetiarum alumnus an. 1596. Armell. l. c. pag. 174.

FORTUNATUS ex Comitibus *de Wolckenſtein* Monachus Eremitanus in Helvetia Meditationes in Sacram Regulam authore *Philippo Francois* in Germanicum convertit ſermonem.

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

Franciſcus la BAR, Prior Aquicinctinus Sec. XVII. Inſignis Hagiographus. Vid. Henſchen. in Comment. præv. de Scriptor. B. Odonis Epiſcopi Cameracenſis die 11. Junii Tom. 3. pag. 911. Andr. Valer. in Bibl. Belg. pag. 225. Foppens Bibl. Belg.

Franciſcus BARRIONOVUS, Monachus S. Martini de Scalis anno 1616. Vid. Mongitore in Bibl. Sicul.

Franciſcus de BERGANZA ex Congr. Valliſol. Scripſit anno 1719. de CC. Martyribus Caradignenſibus ex Ordine S. Ben. Vide Acta Bolland. SS. menſe Aug. d. 7.

Franciſcus BLASCO DE LANUZA, Hiſpanus, Arragonenſis, Abbas monaſterii de la Penna. Ob. an. 1664. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov.

Franciſcus BLÖCHINGER, Abbas Seligenſtadienſis, edidit anno 1701. Conciones.

Franciſcus BÖELEN *de Arweiler*, ex Cœnobio S. Martini Colon. claruit anno 1539. Vid. Catal. Mſſ. Codd. Bibl. S. Martini.

Franciſcus BOUCHAULT, Mon. Vedaſtinus in oppido Atrebatenſi, cujus Scripta, non verò ætatem prodit Ant. Valer. in Bibl. Belg. pag. 248. Foppenius in Bibl. Belg. p. 288. annum obitûs aſſignat 1627.

Franciſcus BOUVELETH, Gerordienſis, ſcripſit Annales Huyſeburgenſis Monaſterii an. 1698. Vide Leuckfeldii Antiquitates Burſfeldenſes. c. 3. p. 97.

Franciſcus de CASTILLO, Emauntinus, Pragæ Sec. 17. Vid. Pez in Catalog. Scriptorum Ord. S. B. quem Apologeticis Epiſtolis inſeruit.

FRANCISCUS Caſtellenſis Monaſterii Reformator initio Seculi XV. de quo vid. Bern. Pez præfat. ad Tom. IX. Bibl. Aſcet.

Franciſcus CLESIN, Abbas Ochſenhuſanus. Ob. 1708. Vid. Hiſt. U. S. pag. 265.

Franciſcus CRESPO, Abbas Montis Serrati, Congr. Valliſoletanæ Viſitator Generalis, & Salmanticæ Profeſſor Theologiæ clar. c. an. 1657. quo edidit *Tribunal Thomiſticum de Immaculata Deiparæ Conceptione*. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Franciſcus DORMIEUX, Abbas Montis S. Eligii Sec. XVII. ineunte. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. p. 152.

Franciſcus DELFAU è Congr. S. Mauri an. 1676. aquis ſubmerſus interiit, cujus acerbam mortem eruditi quique ob ſingularem ejus doctrinam deflevere. Vide Cerfii & Pezii Bibliothecas.

Franciſcus FAVEROLLIUS è Congreg. S. Mauri, vivit, de quo vide le Cerf pag. 156.

Franciſcus GARDON, Monachus Caſæ Dei, & Sacriſta S. Baudilii Nemauſenſis, ſcripſit vitam S. Roberti Abbatis Caſæ Dei. Vid. Dion. Sanmarth. Gall. Chr. tom. 2. c. 329.

Franciſcus GEVRESIUS è Congr. S. Mauri Sacræ Theologiæ Profeſſor. Ob. 1705. Vide le Cerf pag. 172.

Franciſcus HAMILTON, Scotus, Prior ad S. Jacob. Herbipoli cl. 1595. *Vid. Groppii Tom. I. Script. Rer. Wirceburg. pag. 516.*

Franciſcus HALL è Congr. Angl. Sec. 17. Pez in Catal. Script. O. S. B.

Franciſcus IBANEZ, Hiſpanus Sec. 17. cujus meminit Nic. Ant. B. H. N. p. 331. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 2. pag. 546. Poſſev. in Appar. tom. 1. p. 515.

Franciſcus LAMY è Congr. S. Mauri, celeberrimi nominis Philoſophus. Ob. 1711. Vide Pezii & Cerfii Bibliothecas.

Franciſcus de LEMOS Abbas S. Zoili in Hiſpania, cl. c. a. 1649. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Franciſcus CHOREUS LEXOVEUS cl. c. a. 1162. de quo vid. Jac. le Long in Bibl. Hiſtor. de France.

Franciſcus LOUVART è Congr. S. Mauri an. 1708. Conſpectum edidit novæ editionis Operum S. Gregorii Nazianzeni.

Franciſcus MEZGER è S. Petro Salisburgi. Ob. an. 1701. Vide Hiſt. U. S. p. 348.

Franciſcus PAPPUS, ex illuſtri Familia, Abbas Augiæ Majoris Brigantinæ. Vivit, librísque multùm utilibus in lucem editis Monaſterii ſui alumnis ad lucubrandum facem præfert.

Franciſcus QUADRATUS, ſeu *Carreus*, Monachus Beccenſis an. 1540.

Franciſcus RADES de Andrada, Prior Cœnobii in urbe Giennenſi cl. an. 1572. Vid. Ambroſ. Morales & Gerhard. de Franckenau Bibl. Hiſt. Geneal. Herald. pag. 140.

Franciſcus RANSPERG, Prior Augiæ Majoris Brigantinæ. Ob. 1648. Vid. Dion. Sanmarth. Gall. Chr. Tom. V. col. 919.

Franciſcus Maria RICCI, Monachus S. Pauli de Urbe, Vivit. Vid. Armell. part. 1. pag. 176.

Franciſcus de RIVO, Prior Cluniac. anno 1485. Vid. Bibl. Cluniac. Jacobus le Long in Bibl. Hiſtor. Franc. Oud. Tom. 3. col. 2331.

Franciſcus ROSE è Congr. S. Mauri. Ob. 1702. Vide le Cerf. p. 430.

Franciſcus ROTA SS. Felicis & Naboris in Urbe Vicentia alumnus an. 1710. Vid. Armell. part. 1. p. 175.

Franciſcus RUIZ Abbas Pincianus clar. c. a. 1546. quo *Regulas intelligendi ſacras Scripturas* edidit. Vid. Poſſevin. in Appar. Wion in Ligno Vitæ, Ant. Yepes in Chron. Nic. Ant. B. H. N. p. 359.

Franciſcus SANCHEZ Olyſſiponenſis Congreg. Luſit. an. 1619. Vid. le Long Bibl. Sac. pag. 944.

Franciſcus SCHMIER, Rector & magnum Ornamentum Univerſitatis Salisburgenſis. Ob. 1728. Vid. H. U. S. pag. 349.

Franciſcus SERRACINI, Sabaudus, Monaſterii S. Mariæ Talveriarum Mon. 1689. Vid. Armell. part. 1. p. 175.

Franciſcus SOTA, Hiſpanus, Regius Caroli II. Hiſtoriographus. Ob. 1681. Vid. Erneſt. de Franckenau Bibl. Hiſp. Geneal. Herald. p. 145.

Franciſcus le TEXIER è Congr. S. Mauri, vixit hoc adhuc ſeculo. Vid. Pezii Bibl. Benedictino-Mauriana pag. 398.

Franciſcus THOMAS, Abbatiæ S. Dionyſii in Francia Monachus Sec. 17. Vide Hiſtoriam Monaſterii authore D. Felibien.

Franciſcus VALGRAVIUS è Congr. Angl. Sec. 17. aſſeruit Librum de Imitatione Chriſti Joanni Gerſeni c. a. 1638.

Franciſcus VAQUERO, Hiſpanus, Monachus S. Mariæ de Veruda an. 1616. Vid. Nic. Ant. B. H. N. p. 376.

Franciſcus XIMENEZ Vallifoletanus anno 1607.

FRANCO Affligenienſis Monaſterii Abbas clar. an. 1135. Sander. in Chronograph. Brabant. pag. 46. Annal. Ben. tom. 6. Trith. in Chron. Hirſaug. And. Valer. & Foppens in Bibl. Belg.

FRECULPHUS ex Fuldenſi Monacho Lexovienſis Epiſcopus. Vid. Bellarm. de S. E. juxtà Mabillonium verò non fuit Monachus Tract. de Stud. Mon. vol. 2. pag. edit. Venet. 142. & Tom. 2. Annal. Ben. pag. 535. hæc habet: *Freculphum monachum Ordinis noſtri vocat cum Trithemio Bellarminus, quamquàm de monaſtica ejus profeſſione nihil certum hactenus nobis conſtat.* Cæſar Egaſſius Buleus Tomo I. Hiſtoriæ Univerſ. Pariſ. indubitanter pro Monacho habet pag. 581. Cujus etiam ſententiæ eſt Jo. Ger. Voſſius de Hiſt. Lat. l. 2. c. 28. p. 304. ubi *Freculphus*, inquit, *Monachus priùs Fuldenſis, poſteà Lexovienſis Eccleſiæ Epiſcopus.*

FRIDEGODUS monachus Cathedralis Eccleſiæ Cantuar. an. 960. Vid. Piſſ. æt. 10. p. 174. Annal. Ben. tom. 2. p. 24.

Fride-

Friderīcus de AMELUNXEN, Monachus Corbeiæ Novæ. Vid. Paulin. Theat. Vir. Ill. Corb. Sax.

FRIDERICUS Abbas Caſin. poſteà Stephanus X. Pont. Max. 1057. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. c. 12. & Mar. in Notis. Alii *Nonum* vocant.

Fridericus FALZEDER, Aſceta Cremiſanenſis, Vitas Sanctorum ex Gallico in Germanicum ſermonem converſas duobus tomis in fol. an. 1730. vulgavit.

Fridericus HUEDER edidit exercitia ſpirit. ex Reg. S. Bened. Viennæ. 1745.

Fridericus SCHUMIG. Admontenſis, Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

Fridericus de SELDENSTETE, Hoſpitalarius Corbeiæ Novæ. Ejus meminit Viſſelbeccius in Chron. Huxar. ad an. 1336.

Fridericus SCHWIZEN San-Lambertinus, Profeſſor Philoſophiæ Salisburgi anno 1741.

FRODOARDUS, ſuprà *Flodoardus.*

Frobenius FORSTER, Bojus an. 1709. 30. Auguſti natus, p. t. Prior San-Emmeramenſis, à quo, præter illa, quæ in lucem dedit, adhuc plura exſpectamus melioris omninò metalli.

FROILANDUS Legionenſis Epiſcopus doctrinâ conſpicuus. an. 875.

FROUMONDUS Monachus Tegernſeenſis Sec. X. Vide Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd. pag. xvii. Paligneſium in Monitis Genealogicis pag. 44.

FROWINUS Engelbergenſis in Helvetia Abbas an. 1178. Vid. Annal. Einſidl. p. 189. Dion. Sanmarth. Gall. Chr. tom. 5. Annal. Ben. tom. 6. p. 657.

Fructuoſus PERREIRA, Luſitanus. Pez in Catal. Scriptor. O. S. B.

FRUMENTARIUS, vide *Joan. Wethamſted.*

FRUTOLPHUS S. Michaëlis Bambergæ Monachus an. 1144. Vide Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. pag. 96.

FULBERTUS S. Audoëni Rotomagenſis Monachus an. 1092. Vid. Mabill. Annal. tom. 1. p. 563. & tom. 4. p. 450. & Analect. tom. 2. p. 456.

FULBERTUS Carnotenſis Epiſcopus, erat anteà Pariſiis primùm, deinde apud S. Petrum Carnotenſem Monachus 1004. Ita Cæſar Egaſſius Buleus in Hiſtor. Academ. Pariſ. tom. 1. p. 584.

FULBERTUS, Abbas Lacenſis an. 1104. Mabill. Annal. tom. 5. p. 320.

Fulbertus PECCATOR, Voſſio Monachus Gemmeticenſis an. 1100. Vid. Poſſev. in Appar. tom. 1.

FULCARDUS, ſuprà *Folcardus.*

FULCHERIUS, Monachus Carnotenſis, c. a. 1024. Vid. Jac. Bongarſii Hiſtor. Orient. tom. 1.

FULCO Archiep. Remenſis an. 901. interemptus. Foppens Bibl. Belg. p. 323.

FULCUINUS, Abbas Lobienſis anno 990. Vid. Annal. Ben. tom. 2. & 3. Andr. Valer. in Bibl. Belg. p. 225.

FULDEBERTUS, alias *Fulbertus*, Parshorrenſis Abbas, 980. Vid. Piſ. æt. 10. pag. 174.

Fulgentius de OVIEDO & HEVIA, Pincianus Monachus, ac poſteà Dragonenſis Epiſcopus an. 1615. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 383.

G.

G*Abriel de* ADARZO, Hiſpanus Sec. XVII.

Gabriel BELLORDEAU, Prior è Congreg. S. Mauri Sec. 17. Vid. Acta Bolland. SS. April. tom. 1. p. 411. & 413.

Gabriel BREBBIA Mediolani apud S. Petrum in Glaſſiate Monachus an. 1479. Vide Sixt. Senenſ. in Bibl. San. Poſſev. in Appar. Armell. in Bibl. Caſin. part. 1. pag. 178.

Gabriel CASTAGNONUS Monachus Caſinas 648. Armell. l. c. part. 1.

Gabriel GARBARINUS Abbas S. Nicolai de Buſchetto. Flor. an. 1643. Armell. l. c. pag. 178.

Gabriel GERBERON è Congr. S. Mauri. Ob. 1711. Vide Pezii & Cerſii Bibliothecas, Card. Quirini Commentarium vitæ ſuæ part. 1. pag. 95. de quo ipſi ferebatur, præſtantis virtutis exempla edidiſſe, poſtquàm ex Vincennarum Caſtro ad Sodales ſuos reditum à Rege impetravit.

Gabriel BUCELINUS, Weingartenſis, Vir eruditiſſimus juxtà ac de Familia Benedictina benè merendi ſtudioſiſſimus; ſed dum ejus augendæ gloriæ nimiùm ſtudet, eam apud exteros invidiæ facibus aliquando ſubjecit. Quædam ſingularia de eodem produnt *Pezius* in Epiſtolis Apologeticis, & Eraſmus Gattola in Hiſtoria Caſinenſi de meditato ejus tranſitu à Suevis Benedictin. ad Caſinenſis Congregationis Sodales.

Gabriel LIEBHEIT Gente Suevus natus 1700. 16. Nov. in Weichenſtephanenſi monaſterio Ordinem S. Benedicti anno 1725. die 28. Octobr. prof. Sacerdotio initiatus 1729. 24. Febr. edidit *Rudimenta eloquentiæ* anno 1739. Ejus quoque partus eſt *Gyges Gallus* A. 1736. editus.

Gabriel à RUBIS Monachus Montis Caveoſi an. 1662. Armell. part. 1. p. 178.

Galfredus de ORATORIO, Archiepiſcopus Burdegalenſis. Ob. 1158. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. 3. pag. 18.

GALFREDUS Burtonenſis in Anglia Mon. c. a. 1216. Piſt. in Append. p. 840.

Galfredus de COLDINGHAM Sacriſta Cathedralis monaſterii Dunelmenſis ſub med. Sec. XIV. Warthon Angl. Sac. tom. I.

Galfredus de COLONE, Monachus S. Petri Senonenſis an. 1295. Vid. Mabill. in Itin. Burgund. le Long. in Bibl. Hiſtor. Franc.

Galfredus GROSSUS, Monachus Tironienſis in Gallia c. a. 1130. Oudin. de S. E. Tom. 2. c. 1113. Acta SS. tom. 2. April. pag. 220.

GALFREDUS Monachus Hiſpanus circa a. 1097. de quo Poſſevin. in Appar. tom. I. in Addit. pag. 39. Miræus in Mantiſſa. pag. 303.

Galfredus HEMLINGTONUS S. Albani in Anglia Monachus c. a. 1150. Vid. Voſſ. de Hiſtor. Lat. Piſt. æt. 12. p. 215.

Galfredus de MALATERRA an. 1099. Vid. Jo. Bapt. Carruſius in ſua Collectione Scriptor. Siculorum Mongitore Bibl. Sic. Annal. Ben. tom. 4. pag. 402.

Galfredus MARSHALLUS, Monachus Glaſconienſis ævi incomperti. Vide Pitſeum in Appendice pag. 824.

GALFREDUS Monachus primùm S. Martialis Lemovic. tum Prior Voſienſis. Vide Labbeum in Bibl. Mſſ. Codd. Annal. Bened. tom. 5. p. 449.

Galfredus WATERTONUS, Burienſis in Anglia Monachus c. a. 1350. Vid. Piſt. æt. 14. pag. 473.

GALLOFRIDUS Monachus S. Edmundi Burienſis. Vid. Leland. c. 330.

S. GALLUS Abbas apud Arbonam in Suevia. Ob. c. a. 645. Vide Jo. Mabill. in Annal. Ben. & in Actis Sanctorum O. S. Bened.

Gallus CARTIER Prior Monaſterii Ettenheimmünſter in Brisgoia poſt Opus ſuum Biblicum feliciter elaboratum, aliáque Opera magno numero in Mſ.tis relicta, ſtudiis prorsùs conſumptus an. 1749. d. 18. Febr. Ob. ætatis ſuæ anno 59.no

Gallus LIETH, S. Theologiæ in Monaſterio Scotorum ad S. Jacobum Ratisbonæ Profeſſor, nunc Miſſionarius in Scotia. Romæ cùm eſſet, juſſu Sac. Congr. Indicis Librum ex Anglico in Latinum convertit. Vivit an. 1752.

Gallus MÜLLER, Einſidlenſis, cl. anno 1676, quo anno edidit *Alveare Sac. Meditationum &c.*

Gallus SANDHOLZER, Ottoburanus Sec. 17. Pez. in Catal. S. B. G.

Gallus ZEILER Muſicus, à quo circumfertur Dulia harmoniaca & alia an. 1732. Auguſtæ edita.

GALTERIUS Monachus Miliduni c. a. 1150. Vid. Annal. Ben. tom. 4. p. 572.

GARNERIUS Monachus, Scriptor vitæ S. Valeriani. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. III. pag. 58.

GARNERIUS Monachus S. Remigii Remenſis, Sec. 13. Vide le Long Bibl. Sac. part. I. p. 239. & 246.

GASPAR *Papienſis* Abbas S. Juſtinæ Patavinæ cl. an. 1482. Armell. part. I. pag. 179.

GARSIAS Monachus Coxamenſis in Hiſpania c. a. 1040. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 443.

GARZIAS Monachus Alveldenſis in Hiſp. Sec. X. exeunte.

Garzias de CISNEROS, Abbas Montis Serrati, magnus Aſceſeos magiſter, & primi nominis c. a. 1510. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 392.

Gaſpar BONVINCURTIUS, ſive ut eum Foppenius Bibl. Belg. part. I. p. 327. vocat *De Bavincourt*, Abbas Oudenburgenſis. Ob. 1576.

GAUFREDUS, & *Gaufridus*, ſuprà *Galfredus.*

GAUNILO Monachus majoris Monaſterii c. a. 1100. Vide Gerberonium in Cenſura Operum S. Anſelmi.

GAUSBERTUS, Abbas...... Vid. Edm. Martene Tom. I. Anecd. p. 151.

GAUSBERTUS, ſive *Gauzbertus*, Monachus Floriac. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. III. p. 75.

GAUTERIUS Monachus Cluniacenſis..., Vid. Philipp. Labbe in Bibl. Mſs. tom. I.

GAUTERIUS *Compendienſis*, Majoris Monaſterii Monachus. Annal. Ben. tom. 6. pag. 553.

GEBEHARDUS ex Abbate Elvacenſi Epiſcopus Auguſtanus ſub an. 990. ſcripſit vitam S. Udalrici Epiſc. Aug. Vid. Carol. Stengel. Comment. rer. Aug. part. 2. c. 23. p. 119.

GEBENO Monachus c. an. 1220. ſcripſit Commentarium in Revelationes S. Hildegardis. Vid. Oudin. Tom. 3. col. 51.

Gebhardus FRIZIUS, Augiæ Brigantinæ Supprior ac SS. Canonum Profeſſor ſuo in monaſterio edidit Theſes ex Jure Canonico. Vixit paucis abhinc annis.

GELASIUS, antea *Joannes Cajetanus*, Pont. Max. an. 1119. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. c. 45. Conſtant. Cajetan. in Notis ampliſſimis in vitam Gelaſii apud Muratorium Scriptor. Rer. Italic. tom. 3.

GEORGIUS Altahenſis in Bavaria Abbas. Vid. Arnold. Wion in Ligno Vitæ, Poſſevin.

ſevin. in Appar. du Freſne in Ind. Autor.

Georgius GABELLIAU Aldenburgenſis an. 1569. Vid. And. Valer. in Bibl. Belg. pag. 259. Foppens part. 1. p. 333. Scripſit Hiſtoriam Urbis & Abbatum Aldenburgenſium.

Georgius CHARLES è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, cujus meminit Calmet in Hiſtor. Lotharing.

GEORGIUS, Elchingenſis in Suevia Monachus, cujus mentio fit in Vita S. Colomanni Germanicis typis nuper à Mellicenſibus vulgata, pag. 31.

Georgius FLACCHIUS, Herbipol. S. Jacobi an. 1564. videtur priùs fuiſſe Lorchenſis Monaſterii Profeſſus.

Georgius GALOPINUS, Monaſterii in Cella S. Gisleni Monachus clar. c. a. 1636. Vid. Andr. Valer. Bilb. Belg. pag. 264. Henſchen. in Prolegom. ad vitam S. Veroni Tom. 3. Martii d. 30. Foppens Bibl. Belg.

Georgius GEISSER, Abbas S. Georgii in Hercynia Sylva. Obiit in fama ſanctitatis an. 1690. Vide ſuprà cap. 4. Vitam.

Georgius LEIZENDORFFIUS, Admontenſis, Sec. 17. Pez. Catal. S. B. G.

Georgius RAISBERGER, Tegernſeenſis, Sec. 17. Pez. l. c.

Georgius THIERRA, Prior Padolyronenſis, nunc Abbas Veronenſis, vivit. Vide quæ de R.mo Abbate Parte I. Generali. cap. 1. §. XL. diximus.

Georgius UGO, Cœnobita & Procurator Monaſterii inferioris Altaicbenſis, ſcripſit Sec. XVI. Vid. Palignefius in Monitis Genealogicis pag. 130.

Georgius VIOLE è Congr. S. Mauri. Ob. 1669. Vide le Long in Hiſtor. Scriptor. Galliæ.

Georgius à VIRNEBURG, S. Mathiæ Trevir. an. 1578.

Georgius VOGEL, Wiblinganus. Ob. 1621. Vid. Annal. Wibling.

Georgius WEGELIN, Abbas Weingartenſis. Vid. Bucelin. in Bened. Rediv.

GEORGIUS Monachus S. Crucis Werdeæ in Suevia cl. an. 1650. Vid. Pezius Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot.

GEORGIUS Mon. Congr. Caſin. vixit an. 1530. & ſcripſit Opus Grammaticum de Græca lingua, quod ad Gregorium Corteſium pro cenſura miſit. Vide hujus Cardinalis epiſtolam ad Georg. Monach. pag. 162.

GERALDUS, ſive *Gerardus* S. Blaſii in Nigra Sylva Cœnobita Sec. XII.

Geraldus de VENNA Monachus Caſæ Dei. an. 1056. Vid. Annal. Ben. tom. 5. pag. 9. & tom. 1. p. 46. Acta SS. tom. 3. April. p. 316. & 329.

GERARDUS Monachus Affligemienſis.... Vid. Andr. Valer. in Bibl. Belg. p. 269. Sander. Chorograph. Brabant. Foppens B. B. tom. 1. p. 344.

GERARDUS Monachus S. Albini Avenionenſis, Aug. 1123. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. III. p. 110.

Gerardus de ARVERNIA - - - - Monachus Cluniac. Vid. Jac. le Long in Bibl. Hiſt. Gall.

Gerardus BELGA - - - - - Sub ejus nomine Opuſcula quædam Aſcetica vulgavit Gabriel Bucelinus. Non memini me hujus *Gerardi* nomen legere apud ullum Belgarum Scriptorum Biographum.

Gerardus BRANDSTETTER, Cremiſanenſis. Ob. 1701. Vid. Hiſt. U. S. p. 351.

GERARDUS ex Corbeienſi Monacho Abbas Sylvæ maj. c. a. 1050. Vid. Annal. Ben. tom. 2. p. 837. & tom. 4. p. 512.

Gerardus HAGEMAN, Wertbenſis, Theologus & Juriſta inſignis clar. c. a. 1695. quo tempore Scripta ſua prælo ſubjecit.

Gerardus MORINGUS, Belga, Monachus S. Trudonis flor. poſt an. 1100.

Gerardus RYM, Abbas Gandavi ad S. Petrum in monte Blandinio cl. 1635. Vid. Andr. Valer. in Bibl. Belg. pag. 283.

GERARDUS S. Quintini in Inſula monachus an. 1278. Vid. Trith. in Annal. Hirſaug. tom. 2. pag. 35.

GERARDUS Decanus Monaſterii S. Medardi c. a. 954. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 521. atque ejusdem Analecta tom. 1. pag. 109.

S. Gerardus SAGREDO, Epiſcopus Canadienſis & Martyr. 1047. Vid. Bern. Pez. in Deſcriptione Itin. Liter. per Bavariam, & Diſſert. Iſag. in Tom. I. Anecdot. pag. XXVII.

Gerardus SORIUS, Prior Cœnobii Bronienſis Sec. XVI. Vide le Long in Bibl. Hiſtor. Gall. & Andr. Valer. in Bibl. Belg. p. 285. Foppens p. 360.

Gerardus WULFRATH, S. Pantaleonis Coloniæ cl. 1684.

GERBERTUS Floriacenſis, poſteà Sylveſter II. Papa ab an. 999. ad 1003. Vid. Baron. in Annal. Eccl. Mabill. in Annal. Ben. tom. 4.

GERHOHUS Fuldenſis Bibliothecarius c. a. 820. Vid. Hiſtor. Fuld. Monaſterii.

GERIMUS Glaſconienſis Theologus Sec. XV. Vid. Poſſev. Appar. tom. 1. Ptſ. in Append. pag. 843.

GERLACUS Tuitienſis Abbas an. 1156.

GERLANDUS S. Germani Antiſſiodorenſis an. 951.

Germa-

Germanus CARTIER, Monaſterii Ettenheimmünſter alumnus, edidit an. 1734. *Dilucidationem Pſalmodiæ Eccleſiaſticæ. Biblia Latino-Germanica cum Notis &c.*

Germanus Simon MILLET è Congr. S. Mauri. Ob. 1674. Vid. Bibl. Pezii & Cerſii. Locum ſortitus eſt inter *Areopagitas.*

S. GERTRUDIS Magna, Abbatiſſa Monaſterii Elpediani. Ob. 1290. Scriptum reliquit Amoris opus, librum, quem Inſcripſit, *Divinæ pietatis Legatum.* Vide *ſuprà cap.* 5.

GERTRUDIS Herfordienſis xi. Abbatiſſa.

Gertrudis MOORE Congr. Anglic. Monialis.

GERVASIUS Cantuarienſis, aliàs *Gervaſius Mekelaia* cl. an. 1109. Vid. Leland. c. 216. Pit. æt. 12. pag. 268. Bal. III. 48. Seldenus in Præfat. ad Scriptor. x. Hiſtor. Angl.

Gervaſius de PARCO Monachus Eboracenſis, tum Abbas Parshenſis. an. 1160. Vid. Pitſ. æt. 13. pag. 268.

GERVASIUS *à Neapoli.* Vid. Nic. Topp. in Bibl. Neapol. pag. 345. conferendus tamen Armell. part. 1. pag. 179.

GERUNGUS Cellæ Paulinæ apud Tungros Abbas I. ſub initium ſeculi xii. de quo vide Trithem. in Hirſaug. Chron.

GERWICUS, Abbas Weingartenſis an. 1587. Gabriel Bucelin in Bened. Rediv. pag. 102.

GEZO Abbas Derthonenſis ſub an. 950. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. pag. 403. & Muſæi Italici p. 89. Murator. Anecdot. tom. 3.

GILBERTUS, Monachus Antiſſiodorenſis, c. an. 1048. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. 3. p. 160.

GILBERTUS CRISPINUS, Abbas Weſtmonaſter. 1117. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 262. Sixt. Sen. Bibl. San. l. 4. pag. 371. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. Pitſ. æt. 12. p. 196.

GILBERTUS, Elnonenſis S. Andreæ Decanus. Obiit 1095. Valer. Bibl. Belg. pag. 288. Foppens p. 365.

GILBERTUS GENEBRARDUS Archiep. Aquenſis. Ob. 1597. Vide vitam ſuprà cap. 4.

GILDAS monachus vel Abbas ſeculo ix. de Computo Epiſtolam ad Rabanum Maurum ſcripſit, quam Uſſerius inter Hibernicas vulgavit, juxtà Baluzium verò Miſcell. tom. 1. ejus auctor eſt ipſe *Rabanus.*

GILO monachus Cluniac. c. anno 1109. Vid. Annal. Ben. tom. 5. p. 476. Acta SS. tom. 3. April. p. 633.

GISLEBERTUS monachus Cluniac. Vid. Poſſev. in Appar.

GISLEBERTUS Monachus Elnonenſis an. 1066. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 679. & tom. 5. p. 353.

GISLEBERTUS monachus S. Laurentii Leodienſis, Sec. xiii. Vid. Reiner. lib. 1. de Scriptor. monaſterii Leodienſis.

GISLEBERTUS CRISPINUS, vide ſuprà *Gilbertus Criſpinus.*

GISLEMARUS S. Germani à Pratis monachus c. an. 986. auctor vitæ S. Droctovæi. Vid. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 134.

GISLEMARUS alter, monachus item S. Germani Pratenſis Sec. 14. Mabillon. l. c. pag. 137.

GLABER *Radulphus.* Vide *Radulphus Glaber.*

GODEFRIDUS Abbas Admontenſis. Ob. 1165. Vide vitam ſuprà cap. 3.

S. GODEFRIDUS ex monacho S. Quintini apud Peronam Abbas S. Mariæ de Novigento, ac poſtea Epiſcopus Ambianenſis anno 1118. Vide Sanmarth. Galliæ Chriſtianæ tom. 2. & 3.

Godefridus BEHM Schwazachenſis. Ob. an. 1672. Pez Catal. de S. B. G.

Godefridus BESELIUS, Abbas Gotwicenſis, Author celeberrimi Operis De Re Diplomatica Germanorum. Obiit an. 1749. 20. Jan. ætatis ſuæ 77.mo

Godefridus de BUSCIS ſub an. 1490. Vid. Catal. Vir. Illuſt. monaſterii ad S. Jacobum Moguntiæ.

Godefridus le COISPETIER Audomarenſis cl. c. an. 1342. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 370.

Godefridus DEPISCH, Mellicenſis, vulgavit an. 1743. Acta Germanica S. Colomani Martyris, & Patroni Auſtriæ.

Godefridus de FEXA monachus Hiſpanus incertæ ætatis. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. tom. 2. p. 265.

GODEFRIDUS Hiſpanus monachus c. an. 1096. cujus Hiſtoriam Hier. Surita typis exſcribendam curavit. Auberto Miræo in Mantiſſa p. mihi 303. vocatur *Gaufredus.*

Godefridus KEMPENS Gladbacenſis Sec. 17. Pez Catal. S. B. G.

Godefridus KRÖLL è S. Petro Saliſburgi, S. Scripturæ Profeſſor in Univerſitate Saliſburgenſi, quam Scriptis in lucem editis illuſtravit, nunc Abbas digniſſimus ſui celeberrimi Monaſterii, de quo Corbinianus Thomas *in Theol. Dogm.*

GODEFRIDUS S. Oventini monachus. 1118.

GODEFRIDUS S Pantaleonis Colon. an. 1237. Aubert. Miræ. in Auctar. de S. E. Jo. Ger. Voſſ. de Hiſtor. Lat. l. 2. c. 57.

Godefridus REDING, Weingartenſis, Sec. 17. Pez Catal. S. B. G.

Gode-

Godefridus RICHMAN claruit 1721.

GODEFRIDUS ex Monacho Weiſſenburg. Epiſcopus Spirenſis an. 960. Vid. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 1. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. p. 74.

GODEFRIDUS, ſeu *Goffridus*, Abbas Vindocin. c. an. 1110. Vide vitam ſuprà cap. 3.

GODEFRIDUS Monachus & Prior Wintonienſis an. 1107. Vide Smithum in Catal. Bibl. Cotton. Malmesbur. de Geſtis Pontif. Angl. l. 2. pag. 140. Pitſ. æt. 12. pag. 192.

S. GODEHARDUS ex Abbate Tegernſeenſi Epiſcopus Hildesheimenſis. Obiit 1038. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 181. Eyſengren in Catal. Teſtium Verit.

GOLSCHERUS S. Mathiæ Treviris cl. an. 1130. Vid. Trith. in Chron. Hirſang. tom. 1. pag. 155. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 423. & tom. 5. pag. 216. Tenzel Colloq. Menſtr. an. 1698. in Febr. pag. 97.

GOMESANUS, Abbas Ildenſis in finibus Pampeloniæ cl. an. 951.

GOMETIUS Abbas S. Mariæ Florentiæ an. 1442. Vid. Armell. Bibl. Scriptor. è Congr. Caſin. part. 1. pag. 180. ubi plures de præſtantiſſimo hoc Præſule Scriptores allegat.

Gonſalvus *de* ILLESCAS, Abbas S. Froues Hiſpanus. 1564. Vid. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 1. Bucelin. in Annal. Bened. ad an. 1564.

GONSO Abbas IV. monaſterii Florinenſis in Diœceſi Leodienſi. Vid. Val. And. & Foppens in Bibl. Belg. juxtà hunc pag. 378. deceſſit c. an. 1060.

GORDIANUS Monachus Caſinas à Petro Diac. Caſin. dicitur edidiſſe vitam & paſſionem S. Placidi Martyris & diſcipuli S. P. Benedicti, tametſi ab ipſo Petro in libro de Viris Illuſtr. Caſin. non laudatur. Mirum certè eſt, *Gordianum*, ſi (ita ut Petrus aſſerit) Græcè eam elucubravit, in libro de Vir. Ill. Caſ. fuiſſe prætermiſſum, niſi hoc ex negligentia, à qua Petrus non ſemper abfuit, factum dicamus. Mabillonius tom. 1. Actor. SS. Ord. S. B. in Indiculo Scriptorum & Auctorum præcipuorum, qui Annalium Ord. S. B. tom. 1. pag. 66. Gordianum pro perſonato habet auctore. Jo. Ger. Voſſius de Hiſt. Lat. l. 2. c. 20. p. 244. dubius eſt, quid de *Gordiano* ſtatuat.

GORDONUS monachus S. Germani à Pratis. Vide Hiſtoriam monaſterii typis excuſam Pariſiis an. 1723. Ejus Commentarius in Evangelium S. Joannis aſſervatur in ejusdem monaſterii Bibliotheca.

GOSCHERUS Monachus & Scholaſticus Hirſaug. Obiit 1038. Vid. Trith. in Chron.

GOSSELINUS, ſive *Gotecelinus*, vel *Gotſelinus* Monachus Bertinianus c. an. 1058. Vid. Mabill. Annal. Bened. tom. 1. pag. 313. & 314. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 298.

GOSWINUS Monachus incerti Monaſterii c. an. 1072.

GOSWINUS Monachus S. Albani Moguntiæ c. anno 1130. Vid. Helwich in Chron. Monaſterii.

S. GOTTHARDUS, vide *Godehardus*.

Gotthardus HASLINGER, Abbas Lambacenſis, paucis abhinc annis deceſſit. Vid. H. U. S. p. 352.

Gotthardus FREYD, Cremifanenſis, cl. c. an. 1664.

Gotthardus VISCHEL, Cremifanenſis docuit Philoſophiam Salisburgi an. 1709. De Scriptis vide H. U. S. p. 353.

Gotthardus WAGNER, Weſſofontanus, anno 1709. *Areolam Orationum* in publicam dedit lucem. Item *Urnam felicis æternitatis*, Friſingæ. 1715.

GOTSCHALCUS, ſive *Jotſaldus* Mon. Clun. c. an. 1048. Vid. Poſſev. in Appar. Sac.

GOTSCHALCUS Benedictoburanus ſcripſit de Vita, Paſſione & Translatione S. Anaſtaſiæ, opuſculum in Chronico Benedictoburano editum an. 1751...

GOTSCHALCUS, Monachus Deggingæ, incertæ ætatis.

GOTSCHALCUS Monachus Orbacenſis in Diœceſi Sueſſionenſi. Ob. c. a. 870. Vide ſuprà Appendicem ad Cap. 2. ubi *Gotſchalcum* & damnari & innocentem proclamari miraberis. Ita hodie adhuc in incerto, utrùm albus an niger fuerit.

GOZBERTUS, Abbas San-Gallenſis, 815. ſcripſit de Miraculis S. Galli librum. Vid. Gall. Chriſt. tom. v. col. 950. Goldaſt. Alam. Antiqq. tom. 2. part. 2. p. 195.

GOZBERTUS, Abbas Tegernſeenſis c. an. 1000. V. Annal. Ben. tom. 4. p. 10.

GOZWINUS, Abbas Aquicinctinus, an. 1166. Vid. Pagius Crit. tom. 4. pag. 623.

GRATIANUS Abbas S. Mariæ in Alto cl. an. 1193. Vid. Tafuri in Serie Chronol. Scriptor. Neapol. part. 1. Continuat.

GRATIANUS Monachus S. Felicis Bononienſis, an. 1151. Auctor *Decreti* celeberrimus. Vid. Trithem. de Vir. Ill. O. S. B. Panciroll. de clar. Interpret. lib. III. c. 11. Pag. Crit 1. tom. IV. pag. 568. & alios quàm plurimos.

Gratianus Julianus MORILLON è Congr. S. Mauri. Ob. 1694. Vid. Pezii & Cerfii Bibliothecas.

S. GREGORIUS I. cognomento *Magnus*, Benedictini Ordinis, ut Urbanus VIII. pronuntiavit, antiquum decus & ornamentum. Ob. an. 604. Vid. ſuprà cap. 2. vitam.

GREGORIUS II. ab anno 715. ad annum 731. Vide Acta SS. O. S. B. & Annales Benedictinos.

GREGORIUS IV. ex monacho Foſſæ Novæ Pont. Max. ab an. 828. ad an. 844. Vide Baronium, Bzovium, Pagium, Mabillonium, Gregorium Kolb S. J. in vit. Summor. Pontif.

GREGORIUS V. ex Novæ Corbeiæ Monacho Pont. Max. ab an. 996. ad an. 999. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. ad an. 996.

GREGORIUS VII. ex monacho Cluniac. Papa ab anno 1073. ad an. 1085. Vid. Card. Baron. Ant. Pagius, Jo. Mabill. in Annalibus & Actis SS. O. S. B.

GREGORIUS ex Abbate SS. Coſmi & Damiani Card. & Epiſc. Ob. 1044.

Gregorius de ALFARO Cordubenſis Abbas S. M. de Bueſſo an. 1609. Vid. Nicol. Ant. B. H. N. pag. 414.

Gregorius de ARGNEZ, Lucronienſis S. Salvatoris de Onna Mon. 1658. Nic. Ant. B. H. N. pag. 415. Gerhard Erneſt. de Franckenau in Bibl. Hiſpan. Geneal. Heraldica pag. 166. ubi Gregorius vocatur fabularum, ſi quisquam alius, amantiſſimus, & Auctorum à Romano Higuera ſuppoſitorum paraſtates, ac hyperaſpiſtes acerrimus. Confer, quæ libro præced. Cap. IV. §. I. ex Cardin. Aguirre diximus.

GREGORIUS BAPTISTA Luſitanus anno 1621. Vide le Long. Bibl. Sac. pag. 624. Felix Egger Ideæ O. S. B. lib. 2. pag. 558.

Gregorius BORNATUS Mon. S. Euphemiæ in Urbe Brixia cl. c. an. 1571. Vid. Armell. part. 1. pag. 183.

Gregorius BRAVO de SOTO MAJOR, Hiſpanus clar. an. 1610. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

GREGORIUS ex Mon. Caſin. Epiſcopus Tarracinenſis. Ob. c. an. 1126. Vid. Marus in notis ad Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. cap. 32.

GREGORIUS ex Monacho Caſin. Epiſcopus Sinueſſanus c. an. 1120. Vide Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. III. p. 285.

Gregorius de VITERBIO, Mon. Caſin. flor. temporibus Caroli V. & Maximil. I. Vide Plac. Diac. in Supplem. cap. 10.

GREGORIUS Catinenſis, vulgò *Poggio Catino*, Mon. Farfenſis Sec. XI. Vide Mabill. Annal. tom. V. p. 266.

Gregorius CAIRQUENT, ſeu de Wintonia, Mon. Gloceſtrienſis an. 1291. Vid. Piſt. æt. 13. pag. 375.

Gregorius CORTESIUS S. R. E. Card. Ob. 1648. Vide ſuprà c. 3. vitam.

Gregorius DIETEL, Prunveningenſis docuit Philoſophiam Salisburgi an. 1661. De Scriptis vide Hiſt. U. S. p. 354.

Gregorius DREHER, Prior monaſterii Prunveningenſis c. an. 1670. notus mihi ſolùm ex edito *Directorio Clericorum.*

Gregorius DUCCUS Brixiæ Mon. SS. Fauſtini & Jovitæ an. 1567. Vid. Armell. part. 1. p. 187.

Gregorius FLEISCHLINUS, Engelbergenſis, Sec. 17. Pez. Catal. S. B. G.

Gregorius FUCHS, Therenſis Abbas, edidit Conciones anno 1701. & ſeqq.

Gregorius le GRAND è Congreg. S. Mauri clar. c. an. 1640. Ejus Encomium Adonicum Baſilicæ S. Nicaſii Remis extat tomo 2. Metrop. Rem. p. 663.

Gregorius HELLER, Abbas Gottwicenſis, doctrina, virtute, ac fidei Catholicæ zelo clariſſimus. Ob. 1669. Vid. Hiſt. U. S. pag. 355.

Gregorius HORNER, Abbas Glunicenſis, doctrina & humanitate illuſtris, vivit. Vide Hiſtoriam Univerſ. Salisburg. in qua Matheſin magna cum laude docuit, pag. 357.

Gregorius HUNTINGTONUS, Mon. Rameſienſis, rei literariæ ſtudioſiſſimus, an. 1255. Piſt. æt. 43. pag. 333. Leland. c. 332.

Gregorius KURZ, Montis Monachorum Bambergæ Prior, edidit an. 1748. Theologiam Sophiſticam, & alia quædam aſcetica probæ notæ.

Gregorius ILLIMBERGER, Tegernſeenſis, Sec. 17. Pez Catal. S. B. G.

Gregorius KIMPFLER, Abbas Schyrenſis in Bavaria perdoctus. Ob. 1693. Vid. Hiſt. U. S. p. 357.

Gregorius MARSALA, Siculus, monachus S. Martini de Scalis an. 1655. Vid. Mongitore Bibl. Sic. pag. 264. Armell. part. 1. p. 187.

Gregorius MATINA, Abbas S. Martini de Scalis, an. 1474. Vide Mongitore l. c. Abbatem Pyrrhum l. 4. de Abbat. Sicil. p. 185.

Gregorius à MERZENFELD, Schwartzachenſis ad Mænum Profeſſus, juris utriusque peritiſſimus, ſcribebat circa an. 1714. Vid. Part. II. p. 253.

Gregorius MORELLUS Mon. S. Martini de Scalis, an. 1578. Vid. Mongitore l. c.

GREGORIUS Nurenbergæ Abbas ad S. Ægidium cl. c. an. 1465.

Gregorius OVERHAM, frater Adolphi.

Gregorius à PAPPIA Congr. Caſin. Sec. 17. Vid. Armell. part. 1. p. 189.

Gregorius PATAVINUS S. Juſtinæ Monachus. 1544. Armell. l. c. p. 189.

Gre-

Gregorius de PISONIBUS, Caſinas 1521. Armell. l. c.

Gregorius PLAICHSHIRN, Tegernſeenſis edidit an. 1725. Tractatum de gratia S. Auguſtini.

Gregorius PORRINUS, Mon. Padolyronenſis an. 1643. Armell. l. c.

Gregorius PUSCH Inferioris Altahæ in Bavaria an. -- -

Gregorius QUINTANILLA, Hiſpanus Sec. 17. Pez Catal. S.E. B.

Gregorius RAISBERGER à Miesbach Tegernſeenſis. Ob. 1656. Vid. Hiſt. U.S. p. 358.

Gregorius RICCIARDETUS, Abbas plurium ſucceſſivè monaſteriorum in Congr. Caſin. Ob. 1670. Vid. Armell. part. I. p. 190. Plac. Puccinell. in App. Hiſt. de Vir. Ill. Abb. Flor. cap. 10. pag. 88.

Gregorius ROTHFISCER San - Emmeramenſis natione Bojus Altmonaſterii natus a. 1720. 2. Maji. Profeſſus 1740. 6. Nov. Sacerd. 1744. 15. Febr. editis aliquot opuſculis Polemicis ſpiritu elationis actus ad Proteſtantium caſtra tranſiit an. 1751. 21. Nov.

Gregorius SAYRUS, Anglus, Monachus Caſinas, Theologus graviſſimus. an. 1602. Vid. Armell. part. 1. p. 91. Poſſev. Appar. Sac. tom. 1 p. 592. Pitſ. æt. 17. pag. 800.

GREGORIUS *Urbanus*, Abbas S. Mathæi Congr. Caſin. 1646. Armell. l. c.

Gregorius WESTERMAYR, Mariæcellenſis in Auſtria Infer. cl. c. an. 1669. Vide Pezii Epiſt. Apolog. p. 213.

Gregorius WIBMPERGER, Cremiſanenſis, Rector Univerſitatis Salisburg. Ob. 1705. Vid. Hiſtor. U. S. p. 359.

Gregorius ZALLWEIN, Weſſofontanus J. U. Doctor & in Univerſitate Salisburgenſi Profeſſor, p. t. Decanus Facultatis Juridicæ, edidit diſſertationem eruditam *de Jure Canonico in genere* &c. Salisburgi 1752. in 4. plura pollicetur.

Gregorius ZEIBIUS, Abbas Ottoburanus Sec. 17. Vid. Pezii Epiſt. Apolog. in Catal. S. B. G.

Gregorius ZÖDEL Benedicto - Buranus anno 1709. elegans Poëma de S. Nonnoſo edidit. Vid. Meichelbeck Hiſtor. Friſing. pag. 247. Obiit an. 1721. 3. Decembris.

GRIMALDUS, ſeu *Grimoaldus*, Abbas S. Galli, non ex Clero ſæculari, ut perperàm ſcribit Mezlerus de Vir. Ill. San - Gall. ſed Regulari; erat enim Monachus Augiæ Divitis, ut Jo. Egon de Vir. Ill. celeberrimi hujus Aſceterii commonſtrat. Cæterùm *Grimaldus* Abbatiæ S. Galli anno 841. præſidere cœpit.

GRIMALDUS Monachus Hiſpanus in Cœnobio S. Æmiliani circa finem Sec. XI. Vid. Nic. Ant. B. H. V. pag. 3. Annal. Ben. tom. 5. p. 278.

GRIMOALDUS Abbas, cujus tractatum de Sacramentis edidit Pamelius cum Sacramentario S. Greg. M. an. 1571.

GRIMINICUS Mon. Hiſpan. Exilienſis an. 1073. Vid. Annal. Ben. tom. 5. p. 71.

GUAIFERIUS Caſin. Monachus an. 1073. Vid. Annales Ord. S. B. tom. 5. p. 34. & 239.

GUALBERTUS, Abbas Weiſſenoenſis edidit Diſcurſus prædicabiles an. 1697.

GUALBERTUS, ſive *Walbertus*, Monachus Marchianenſis c. an. 1128. Bolland. in Comment. præv. ad vitam S. Rictrudis die 12. Maji. Foppens Bibl. Belg. pag. 381.

GUALDO Monachus Corbeienſis in Gallia c. an. 1070. Vide Annal. Ben. tom. 2. pag. 652. & tom. 3. Item Henſchen. in Commentar. prævio ad vitam S. Anſcharii.

GUALFERIUS, ſuprà *Guaiferius*.

GUALTERUS Monachus S. Albani in Anglia, ævi incomperti. Pitſ. in Append. pag. 845.

Gualterus BEDERICHWORTUS, Anglus, Monachus Burienſis c. an. 1360. Vid. Sixt. Sen. Joan. Trithem. Conrad. Geſner, & Pitſ. æt. 14. pag. 469. Poſſevinus perperàm vocat *Gualſcherum Bedergenuorth*.

GUALTERUS, cognomento *Bibliothecarius*, Monachus ad S. Albanum in Anglia, de quo Pitſ. æt. 12. ad an. 1181. pag. 247.

GUALTERUS, ſive *Gauterius*, Mon. Cluniac. poſt an. 1441.

GUALTERUS Couentrienſis in Anglia Monachus clar. an 1217. de quo vide Leland. & Pitſ. æt. 12. p. 291.

GUALTERUS Eveshamenſis in Anglia Monachus 1240. Vid. Leland. cap. 352. pag. 279.

GUALTERUS Morganenſis Britan. a. 1219.

GUARINUS, Abbas xx. S. Albani in Anglia. Vid. Math. Pariſ. in vitâ Abbatum S. Albani.

GUARNERIUS Resbacenſis Abbas anno 1095. Vide vit. 23. Abbatum S. Albani pag. 102. Annal. Bened. tom. 5. pag. 349.

GUARNERUS, ſive *Warnerus*, Monachus Weſtmonaſterii c. an. 1092. Vid. Pitſ. de Scriptor. Angl. æt. 11.

GUEMO Monachus S. Medardi Sueſſionenſis Sec. XII. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Lib. III. p. 357.

GUIBERTUS, cognomento *Martinus*, Abbas Gemblacenſis. Ob. 1208. Pet. Lambec. Comment. Bibl. Vindobon. l. 2. c. 8. pag. 269. *Du Freſnius* in Indice Autorum præter hunc recenſet alium GUIBERTUM Abbatem Gemblac. de quo tamen in Catalogo Abbatum Gemblac. apud Sanderum in Chorograph. Brabant. altum ſilentium.

GUIBERTUS, Abbas Novigentinus. Ob. 1124. de quo videndus eſt Lucas Acherius, qui ejus Opera edidit, ubi vitam Guiberti ab ipſo Guiberto ſcriptam legere licet. Vid. etiam Mabill. in Annal. Benedict. Bongarſii Hiſtor. Oriental. ſeu Geſta Dei per Francos tom. 1.

GUIBERTUS Somerſetenſis, Abbas Briſtollenſis, Sec. XIII. Du Freſnius Philoſophum & Hiſtoricum vocat, Pitſeus omnino prætermiſit.

GUICARDUS, Abbas S. Trudonis, Scriptórque vitæ ejusdem Divi. Arnoldus Wion in Ligno Vitæ, & Andr. Valer. Bibl. Belg. p. 304.

GUIDO *Aretinus* c. a. 1028. Vid. Trithem. de Vir. Ill. O. S. B. cap. 34. & Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 162. Annal. Ben. tom. 4. pag. 324.

GUIDO Abbas Farfenſis c. a. 1093. Vide Chronicon Monaſterii, quod publici juris fecit Em. Card. Quirinus.

Guido Alexius LOBINEAU è Congreg. S. Mauri, edidit an. 1707. Hiſtoriam Minoris Britanniæ. de cæteris ejus Scriptis vide Pezium & Cerſium in Bibl.

GUIDO Caſinenſis c. a. 1110. Vid. Pet. Caſ. de Vir. Ill. Caſ. c. 41.

Guido de CASTRIS, Abbas S. Dionyſii in Francia. 1310. Vide Felibien in Hiſtoria Monaſterii San - Dionyſiani. Gall. Chriſtian.

GUIDO *Juvenalis*, Abbas S. Sulpitii Bituricenſis circa annum 1490.

Guido de MIMO, Abbas Monaſterii Antiſſiodorenſis an. 1313. Vide vitam apud Labbeum in Bibliotheca Nova Mſs. Tom. I. pag. 570.

GUIDO Moliſmenſis Abbas anno 1109.

GUIDO Abbas Pompoſiæ. Ob. 1047. Vid. Eyſengren Catal. Teſt. Verit. pag. 81.

GUILIELMUS, Affligemenſis Monaſterii in Brabantia Prior circ. an. 1260. Vid. Sanderus in Chorograph. Brabant. tom. 1. pag. 46. Andreas Valer. pag. 305. Foppens tom. 1. pag. 388. Annal. Ben. tom. 6.

GUILIELMUS S. Albani Monachus, cujus vitam literis conſignavit an. 1170.

GUILIELMUS, Andrenſis Abbas in Gallia. an. 1234. Vid. Raphael de Beauchamp. tom. 2. Synopſis Hiſtor. Meroving. Annal. Ben. tom. 6.

GUILIELMUS Bleſenſis, Abbas Miniacenſis, frater Petri Bleſenſis, qui Guilielmi Scripta laudat Ep. 92. Vid. Bullæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 2. pag. 745.

S. GUILIELMUS Abbas Divionenſis S. Benigni. Ob. 1031. Vid. Hug. Menard. Martyrol. Benedictin. Obſervat. lib. 1. pag. 166. Annal. Ben. tom. 4. pag. 303.

Guilielmus BESIN è Congr. S. Mauri vulgavit an. 1717. novam editionem Conciliorum Normanniæ.

Guilielmus CALCULUS, Monachus Gemmeticenſis c. a. 1066. Vid. Oudin. de S. E. Tom. 2. pag. 1111. & Scriptores de Rebus Normanicis. Item Cambden. & Duſchen. uterque in prologo editionis ſuæ.

Guilielmus CELLINGUS, Abbas Cantuar. an. 1490. Pitſ. æt. 15. pag. 852. Bucellin. in Annal. Ben. an. 1483.

GUILIELMUS Monachus Ceſtrienſis in Anglia. c. a. 1109. Vid. Pitſ. æt. 12. pag. 194.

GUILIELMUS Monachus S. Dionyſii in Francia an. 1240. Vid. Felibien in Hiſtor. Monaſterii Dionyſiani. Wion in Ligno vitæ l. 2. c. 68. pag. 422.

Guilelmus EDDIUS, ſive *Edys*, Abbas Burtonenſis in Anglia. c. a. 1216. Pitſ. æt. 13. Voſſius de Hiſt. Lat. l. 3. c. 7.

GUILLELMUS Egmundanus Monachus, cognomento *Procurator*. Vide infrà *Wilhelmus*.

Guillelmus l' EVESQUE, Epiſcopi, Abbas S. Germani à Pratis. Ob. 1418. Vid. Bouillart in Hiſtoria ejusdem monaſterii pag. 365.

Guillelmus FILLATRE ex Abbate S. Bertini Epiſcopus Virdunenſis, Tullenſis, Tornacenſis. Ob. 1473. Foppens p. 402.

Guillelmus FILLATRE è Congr. S. Mauri, Mabillonio ab eruditione, atque eleganti ſcribendi genere laudatus. Ob. 1719. Vide Cerſii Bibl. p. 103.

Guillelmus FORRESTIER, Monachus Montis S. Catharinæ an. 1304. Vid. Mabill. tom. V. Annal. Ben. in appendice p. 630.

Guillelmus GIFFORD, Archiep. Remenſis clar. c. a. 1612. Vide Pitſ. de illuſtr. Angl. Scriptor. æt. 17. pag. 809. Marlotti Hiſtor. Metrop. Rem. tom. 2. pag. 802. & 837.

Guillelmus GILLINGHAMUS, Cantuarienſis Monachus, vir eruditione & meritis præſtans, qui inter alia *Bibliothecam Benedictinam inſignem compoſuit*. h. e. Omnium O. S. B. Scriptorum & Librorum nomina collegit, & magno labore deſcripſit, illis ipſis pro inſigni ſtudio jure merito adſcribendus. Claruit circa an. 1387. *Leland. c.* 182. *Pitſeus æt.* 14. *p.* 552. *Bucelinus in Annal. Bened. &c.*

Guil-

Guillelmus de HASELEGA, Supprior Weſtmonaſter. an. 1266. Vide Smith in Catal. Bibl. Cotton. pag. 72.
Guillelmus HERVIUS, Monachus Suffolcienſis in Anglia incertæ ætatis. Vid. Bal. & Pitſ. in append. p. 855.
Guillelmus de HIERACI, Panormitanus, Abbas S. Martini de Scalis. Vid. Mongitore in Bibl. Sic. & Armell. part. 1. pag. 195.
GUILLELMUS, Abbas Hirſaug. infrà *Willhelmus*.
Guillelmus MARLOTTUS S. Nicaſii Remenſis Magnus Prior c. a. 1650. Ejus Opus celebre, ſed poſthumum, eſt *Metropolis Remenſis*. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 319.
Guillelmus JACOBI Egmondanus in Hollandia Monachus incerti ævi ſcripſit Hiſtoriam Alexandri M. & alia. Vid. Andr. Valer. pag. 320. Foppens pag. 408.
Guillelmus LAPIDANUS, vulgò *van den Steene*, Monachus Bergenſis ad S. Winocum cl. 1542. Valer. Bibl. Belg. pag. 322. Foppens pag. 410. Poſt plura pii argumenti ſcripta dicitur apoſtataſſe.
Guillelmus de LATRE, Abbas LXIV. ad S. Bertinum. Vide ſuprà *Guillelmus Fillatre*.
Guillelmus MARTELLUS S. Albani Monachus c. a. 1170. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. III. pag. 400.
Guillelmus de MECHLINIA, Abbas ad S. Trudonem, Scriptor vitæ S. Beatricis Priorifſæ in Nazareth. Obiit an. 1297. teſte Foppenio tom. 1. p. 415.
GUILLELMUS Abbas Metenſis c. a. 1073. Vid. Mabill. tom. 1. Analector. p. 247.
GUILLELMUS *de Monte Lauduno* an. 1346. Vid. Steph. Baluz. in addit. ad Pet. Marca de Concord. Sacerd. & Imper.
Guillelmus de NANGIACO, Monachus S. Dionyſii in Francia, Hiſtoriographus Regius. Vid. Nizronii Memoriæ tom. 28. p. 151. Felibien in Hiſt. Monaſterii S. Dion. Warthon in Supplem. Hiſtor. Liter. Cavei pag. 5. Acta SS. in Aug. tom. 5. pag. 276.
GUILLELMUS, Abbas Orbacenſis an. 1180. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. III. pag. 468.
Guillelmus PARVUS, Abbas Beccenſis cl. an. 1170. Vid. Cornel. à Lapide in Indice Commentatorum in Cantica.
GUILLELMUS Abbas S. Pauli de Urbe, an. 1372. Mabill. in Proleg. ad Annal. Benedictin.
Guillelmus PELLETIER, Lerinenſis, anno 1568.
GUILLELMUS *Petroburgenſis* in Anglia, an. 1188. Vid. Leland. c. 186. pag. 215. Pitſ. æt. 12. pag. 252. Leland. c. 241.
GUILLELMUS *Procurator*, Monachus Egmondanus cl. c. a. 1424. Foppens pag. 420.
Guillelmus de RAMSEY, Anglus, Abbas Croyland. Ob. an. 1390. Vid. Leland. c. 185. p. 215. juxtà Pitſeum denatus eſt an. 1180. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 40.
GUILLELMUS *Redingenſis*, Archiep. Burdigalenſis cl. 1190. Vid. Pitſ. æt. 12. Poſſev. in Appar. Voſſ. de Hiſtor. Lat.
Guillelmus RISHANGER an. 1312. Vide præter Leland. Bal. Pitſ. Oudin. tom. 3. col. 525.
Guillelmus ROUSSEL è Congr. S. Mauri. Ob. 1717. Vide le Cerf Bibl. Hiſt. Crit. pag. 432.
Guillelmus de SCHEPSEVED, Mon. Abbatiæ de Crokysden cl. 1374. Vid. Bibl. Cotton. Mſſ. Codd.
Guillelmus SOMERSET, Monachus & Bibliothecarius Malmesbur. an. 1143. Vid. Thomas Pope Blount in Cenſur. celebr. Auctor. p. 378.
Guillelmus STEPHANUS, vulgò STEPHANIDES, Mon. Cantuar. c. a. 1170. Ex hoc unico Poſſevinus tres procudit *Stephanos*. Vid. Oudin. tom. 2. col. 1517.
Guillelmus STADEN, Mon. S. Martini Coloniæ, edidit *Tropbæa Verdugiana*, Coloniæ 1630. in 4. Alia. . .
Guillelmus SUDBERIUS, Anglus, Monachus Weſtmonaſter. Vid. Pitſ. in append. pag. 859.
GUILLELMUS S. Theodorici Remenſis Abbas an. 1150. Vid. Marlotti Hiſtor. Metropol. Rem. Bulæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 2. p. 743. Annal. Ben. tom. 6. pag. 425.
Guillelmus de THORNE Benedictinus Anglus c. a. 1380. Vide Leland, Bal. Pitſ. Smith in Catal. Bibl. Cotton. Voſſ. de H. L. Warthon in Supplem.
GUILLELMUS S. Martini Tornacenſis Monachus c. a. 1240. Mabill. Annal. tom. 1. p. 318. Andr. Valer. p. 335.
Guillelmus Hugo VAILLANT è Congreg. S. Mauri. Ob. 1678. Vid. Pezii & Cerfii Bibl.
Guillelmus WIRECKER, ſeu NIGELLUS, Mon. Cantuar. clar. an. 1190. Vid. Richardus Jameſius in Collectaneis tom. 14. in 4.
GUILLEMINUS è Congr. S. Mauri a. 1721.
GUIMANUS Monachus Vedaſtinus anno 1160. And. Val. p. 336. Foppens Bibl. Belg. p. 426. Jacobo le Long Bibl. Hiſtor. de France *Guymannus* vocatur.

DE GUIOT de Provins Moine Benedictin au commencement du 13. Siecle. Vid. Claud. Fauchet des anciens Poëtes & Rimeurs François lib. 2. fol. 555. Adrian Baillet Jugement des Sçavans part. 7. pag. 36. Ego in iſto Autore incertus hæreo.

GUITMUNDUS Archiepiſcopus Averſanus an. 1080. Vid. Order. Vital. Hiſtor. Eccl. Ughellii Ital. Sac. Mabill. Annal. tom. 4. & 5.

GUNDAKER Seittenſtadienſis Abbas an. 1330. Vid. Hier. Pez Tom. 2. Scriptor. Rer. Auſtriac. pag. 304.

Gundiſalvus de BERSEO Hiſpan. mon. S. Æmiliani c. a. 1080. Nic. Ant. Bibl. Vet. Hiſp.

Gundiſalvus de ARREDONDO & ALVARADO Abbas S. Petri de Arlanza circa an. MD. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 422.

Gundiſalvus ILLESCAS S. Fontonis Abbas 1580. Vid. Miræi Bibl. Eccl. part. 2. pag. 115.

Gundiſalvus de SOIO Hiſp. Monſerratenſis. Sec. XVI. Nicolaus Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 428.

GUNDOINUS, Monachus antiquarius in Gallia c. a. 589. Mabill. Annal. Bened. tom. 1. pag. 204.

GUNDRAMUS, Cœnobita Fuldenſis, c. a. 840. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 3. pag. 518.

GUNDULPHUS ex Monacho Beccenſi Epiſcopus Roffenſis an. 1100. Vide vitam tom. 2. Angliæ Sacræ pag. 273.

GUNTHERUS, Monachus S. Amandi Elnonenſis c. a. 1160. Vid. Rittershuſium in præfatione ad *Guntheri Ligurinum*.

Guntherus JACOB ad S. Nicolaum Vetero-Pragæ profeſſus, devixit paucis ante annis. Non in Muſica modò, ſed literis etiam egregiè fuit verſatus. Argumento ſunt literaria monumenta ab ipſo relicta.

GURDESTINUS, Monachus Landevenecenſis in Britannia minore, incerti ævi. Vid. Bolland. tom. 6. p. 256.

GURHEDINUS Monachus, Hiſtoriæ Kemperlegii Scriptor. Annal. Ben. tom. 4. pag. 355.

H.

HADAMARUS Fuldenſis, S. R. E. Cardinalis, an. 946. Vid. Hiſtoriam Fuldenſem.

HADEMARUS Abbas Cluniacenſis anno 940. Vide Martini Marrier Bibl. Clun.

HADERICUS, *Hædericus*, ſeu *Hedericus* Monachus Romanus c. a. 640. Trithem. de Vir. Ill. O. S. Ben. Oldoinus in addit. ad Ciacon. tom. 1. p. 413. Extant ejus excerpta de Moralibus in Job S. Gregorii M. in Bibliotheca Lacenſi.

HAIMO Monachus & Archidiaconus Cantuar. c. a. 1054. Vid. Piſt. æt. 11. pag. 186. Bulæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 1. pag. 598.

HAIMO Monachus Eboracenſis c. a. 1010. Vid. Piſt. æt. 11. p. 181.

HAIMO Monachus Fuldenſis, tum Epiſcopus Halberſtad. an. 841. Vid. Brower. Antiq. Fuld. lib. 1. c. 54.

HAIMO Monachus Hirſaug. circa an. 1091. Vid. Trithem. in Chron. ad an. 1087. Annal. Ben. tom. 5. p. 286. Acta Sanctorum Tom. I. Julii in vita S. Wilhelmi Abb. Hirſaug. quam literis mandavit.

HAIMO Abbas S. Petri ad Divam cl. poſt an. 1145. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 393.

HAIMINIUS Monachus S. Vedaſti, Alcuini diſcipulus c. a. 840. Vid. Henſchen. in Comment. ad vitam S. Vedaſti. tomo 1. Febr. die 6. p. 801.

HAISTULPHUS Archiepiſcopus Moguntinus ex Monacho Fuld. Vid. Georg. Chriſt. Joannis in Scriptor. rer. Moguntiac.

HALDOINUS Abbas Monaſterii Altivillarenſis. c. a. 852.

HALINARDUS Abbas S. Benigni Divione.

HAMELINUS S. Albani in Anglia Prior, c. a. 1089. ſcripſit Librum de Monachatu. Excerpta vide apud Marthene Theſ. Anecd. Tom. V. p. 1454.

HARIGERUS, infrà *Herigerus*.

HARIULFUS, Monachus primùm Centulenſis, tum Abbas S. Petri Aldenburgenſis. Rebus humanis finem fecit an. 1142. juxta Mabillonium floruit ſub finem Sec. XI. Vid. Valer. Andr. & Foppen.

HARIULFUS Chronographus Centulenſis c. a. 1105. Vid. Annal. Ben. tom. 4. p. 464. le Long Bibl. Hiſt. de France. Eſt idem cum priore, qui ex monacho Centulenſi factus eſt Abbas Aldemborgenſis in Belgio.

HARLINDIS Abbatiſſa Eichenſis in Belgio. Vid. Mabill. Act. SS. O. S. B. Sec. III. part. 1. p. 659 & ſuprà cap. 5.

HARTMANNUS *Senior* San-Gallenſis c. a. 850. Vid. Ekkard. lib. de Caſ. Monaſt. S. Galli cap. 4. Goldaſt. Antiq. Alemañ. tom. 2. pag. 195.

HARTMANNUS *Junior* San-Gallenſis, continuator vitæ S. Wiboradæ Sec. X. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. Mabill. Act. SS. O. S. B.

O.S.B. Sec. v. Goldaſt. loc. cit. Acta SS. Bolland. m. Jun. tom. 1. p. 283.

HARTMOTUS, ſeu *Hartmutus*, Abbas San-Gallenſis. Ob. an. 883. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. tom. 1. p. 30. Mezler de Vir. Ill. S. Galli c. 22. Lambec. Commentar. in Bibl. Cæſ. l. 2. c. 5. p. 449.

HARTWICUS, Abbas S. Emmerami an. 982. Vid. Annal. Ben. tom. 4. p. 9.

HASMONIUS Monachus Anglus incerti ævi. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 3. pag. 573.

HATTO, ſeu *Hetto* ex Augienſi Abbate anno 891. Archiep. Moguntinus. Vid. Jo. Egon de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 5.

HAYMINIUS, ſuprà *Haimінius*.

HAYMO, ſuprà *Haimo*.

HEBERNUS, ſive *Herbernus*, ex Abbate majoris Monaſterii S. Martini Turonenſis Archiepiſcopus ad an. 887. ad 917.

HEBRETHMUS, ſive *Hebrelmus* Monachus Cluniac. an. 1084. Annal. Ben. tom. v. p. 211. Acta SS. tom. 3. April. p. 727.

HECTUS aliis *Hetto* ex Abbate Epternacenſi Archiepiſcopus Trevirenſis. 850. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 3. p. 579.

HEDDA Monachus Glaſtonienſis, tum Dorceſtriæ Epiſcopus. Ob. c. a. 704. Vid. Leland. cap. 69. Pitſ. æt. 8. p. 115. ubi Epiſcopum Wintonienſem vocat. Cave Hiſt. Lit. p. 409.

HEDDIUS, cognomento *Stephanus*, Mon. Cantuar. c. a. 720. Vid. Mabill. tom. 1. p. 425. & 494. Jo. Ger. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 28. Leland, Bal. Pitſ. Cave.

HEDERICUS, ſuprà *Hædericus*.

HEDERICUS Weiſſenburgenſis Monachus an. 967. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 110.

HETTO, ſuprà *Hatto*.

HELENA *Lucretia* (quæ & *Scholaſtica*) *Piſcopia*. an. 1684. Vid. vitam ſuprà cap. 5.

HELFRIDUS Monachus Hirſaug. Vide Trithem. in Annal. Hirſaug. tom. 1. pag. 33.

HELGALDUS, ſeu *Helgaudus* Floriac. an. 1052. Vide Mabill. Annal. tom. v. pag. 368.

Helias de ROSIACO Monachus S. Martialis Lemovicenſis c. a. 1160. Vid. Fabricii Bibl. med. Lat. Vol. III. pag. 589.

HELOISSA Paracletenſis Abbatiſſa. Ob. 1162. Vide vitam ſuprà cap. 5.

HELPERICUS Monachus S. Galli, quo anno vixerit, variant ſententiæ, nec ſatis ejus profeſſionis locus certus habetur. Trithemius in Catalogo Illuſtrium Virorum Germaniæ ſcribit, fuiſſe Monachum San-Gallenſem, ſcripſiſſe præter alia *de Computo Eccleſiaſtico* librum, ac claruiſſe eodem tempore, quo Hermannus Contractus, anno Domini MXL. In Chronico autem Hirſaugienſi Helpericum circa annum DCCCCXLI. claruiſſe teſtatur. Quàm hæc ſibi non concordant? Jodocus Mezlerus, Bibliothecarius San-Gallenſis Lib. I. de Viris Illuſtribus S. Galli cap. 45. hæc habet: *Helpericus, natione Teutonicus, Rabani Mauri auditor, Vir divinarum Scripturarum ſtudioſus, & in ſecularibus nobiliter eruditus, Philoſophus, Poëta, Muſicus, Aſtronomus, & Calculator, ſcripſit & multa & præclaro, ut ferunt, Opuſcula. De quibus legiſſe ſe Trithemius ait de Computo Lib. I. De Muſica Lib. I. & quædam Carmina. Floruit circa annum Domini MXX. vel ut alii, MXL. vel denique, ut adhuc alii, MLXX. ſub Congregatione, uti Wion ait, Cluniacenſi.* Quærere liceat ex Mezlero, ſi Helpericus his temporibus claruit, quî fieri potuit, ut operam Rabano Mauro anno 856. rebus humanis exempto dederit? Juxtà Caſimirum Oudinum de S. E. tom. 2. col. 480. fuit Helpericus Monachus S. Galli, ac *de Computo Eccleſiaſtico ad Aſprum* anno 975. librum exaravit. Ex Mabillonii ſententia Annal. Benedictin. tomo 2. pag. 659. Helpericus floruit ſub annum 980. & fuit Grandivallenſis in ſuperiori Alſatia monachus. Scripſit Librum *de Computo* an. 980. ut probat Codex Germanenſis. En quanta ſit de hujus Scriptoris ætate & loco Profeſſionis ſententiarum varietas, ut vix quicquam certi definiri queat. Mihi videtur Helpericus fuiſſe monachus San-Gallenſis, ſed ſuum monaſterium, quòd in eo turbæ ſuis temporibus eſſent, cum Grandivallenſi mutâſſe. Huic meæ opinioni epiſtolam Helperici, Libro de Computo præfixam, nonnihil favere exiſtimo. Sed hanc controverſiam viris eruditis magis diſcutiendam relinquo.

HELPERICUS, Monachus Grandivallenſis an. 980. Annal. Ben. tom. 3. p. 659. niſi idem ſit cum *San-Gallenſi*.

HEMMINGUS, Monachus Wigornienſis in Anglia c. a. 1095. Vide Warthon in Præfat. ad Tom. I. Angl. Sac. pag. XXXVII

Henningius HAGEN, Monachus S. Ludgeri propè Helmſteden. Vide Leibnitium Introduct. ad Scriptor. Rerum Brunſv. Tom. III.

HENRICUS Abbas Altahenſis Sec. XIII. ſcripſit Chronicon *Henrico Steroni* tributum. Vid. Cl. Hanſiz in ſyllabo Auctorum, qui ipſi uſum in ſcribenda Germania Sacra præſtiterunt.

HEN-

HENRICUS *Comes à Kalwe* Abbas Augiæ Divitis an. 1237. Vid. Jo. Egon de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 29. Voſſium de S. L. l. 2. 57. p. 458.

HENRICUS Abbas Monaſterii S. Ægidii Brunſuicenſis ac demùm Epiſcopus Lubecenſis, Ob. 1183. Vid. Arnoldi Abbatis Chron. Slavor. Lib. III.

HENRICUS Abbas Affligemienſis Sec. XII. inclinante. Vid. Trithemii Chron. Hirſaug. tom. 2. pag. 81.

Henricus Joannes AGRICOLA, Lunælacenſis cl. c. a. 1584. Vid. Bibl. Lunælac. Catalog. pag. 564.

Henricus de AMBERGA, Monachus Lunælacenſis in ſuperiore Auſtria, tribus annis ante V. Thomam à Kempis aureum libellum de Imitatione Chriſti propriâ manu deſcripſit, prout Somalius S. J. in prædicti libelli Monacenſi editione candidè profitetur. Vide Catalogum Mſs. Codd. Bibliothecæ Lunælac. anno 1748. typis vulgatum.

HENRICUS, Abbas Banzenſis cl. an. 1123. Vid. Jo. Pet. Ludewig Tom. 2. Scriptor. Rer. Bambergenſium.

Henricus BASSE, Prior Ballenſtadienſis, an. 1519. Beckmannus in Hiſtoria Anhaltina. Vogtius in Catal. Libr. rariorum pag. 74.

Henricus BLAUFORDUS, Mon. S. Albani in Anglia incertæ ætatis; vixit tamen ante annum 1323. Vide Pitſeum de Scriptor. Angl. in Append. p. 861.

Henricus BODO, Monachus in Cluſenſi Monaſterio, cl. c. an. 1531. Vide Meibomium Tom. III. Scriptor. Rer. Germ. Leibnit. in Introduct. ad Scriptor. Rer. Brunſv. tom. 2.

Henricus BRADDHASAIUS, Monachus Anglus apud S. Werburgam in Civitate Ceſtrienſi. Ob. 1513. Pitſ. æt. 16. pag. 690. ubi corrigit Wionum, qui eum an. 1346. floruiſſe perperàm ſcripſit. Wionii errorem du Freſne in Indice Autorum retinuit. Voſſius de Script. Lat. l. 3. c. 13. p. 686. *Henricum Bradbaus* vocat, & Poſſevinum corrigit, à quo *Brundshavo* vocatur, atque c. an. 1346. claruiſſe erroneè dicitur.

Henricus de BRUXELLIS Monachus Affligemenſis ſub Seculi XIV. initia. Vid. Sander in Chorograph. Brabant. pag. 46. tom. 1. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 344. Foppens tom. 1. p. 435.

Henricus de CARNIOLA Mellicenſis, Ob. an. 1456. Vid. Bibl. Mellic. p. 253.

Henricus CLAUSIUS, Abbas Wiblingenſis. Ob. 1551. Vid. Annal. Wiblingen. Sec. V. cap. 2. pag. 73. Bucelin. in Annal. Ben. ad an. 1551.

HENRICUS Monachus Corbeiæ Novæ c. an. 1136. de quo vid. Pez. Differt. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot. p. XL.

Henricus CRIXTEDUS, Anglus incertæ ætatis. Vide Poſſevin. in Appar. Sac. Pitſ. pag. 862.

Henricus ERSMERS Mon. S. Pantaleonis cl. c. an. 1650. Foppens Bibl. Belg. pag. 443.

Henricus de ESTRIA, Prior Eccleſiæ Cantuar. an. 1313. Vid. Thom. Smith in Catal. Bibl. Cotton. Henr. Warthon Angl. Sac. tom. 1.

HENRICUS Abbas & Princeps Fuldenſis, an. 1253. Vid. Schannat in Hiſt. Fuld.

Henricus de FAUTERIIS Abbas Cluniac. Vid. Bul. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 4. pag. 122. Bibl. Cluniac. p. 1542.

Henricus GARGAS Neresheimenſis Sec. 17. Pez in Catal. S. B. G.

Henricus de GEILNHUSEN Monachus Spanheimenſis. Ob. 1488. Vid. Eyſengren in Catal. T. V. p. 173.

HENRICUS Abbas Gladbacenſis. Ob. 1066.

Henricus GODEFRIDUS Monachus S. Dionyſii in Francia cl. c. an. 1519. Vid. Felibien in Hiſtoria Monaſterii San-Dionyſiani.

Henricus GRAVIUS, Oudino, *Henrico Erſmers* Gravienſis Monachus S. Pantaleonis Coloniæ. Ob. 1591. Edidit *Wolberonis* Abbatis S. Pantaleonis Commentarium in Cantica. Vid. le Long. Bibl. Sac. pag. 750. Oudin. Tom. 2. col. 1423.

Henricus GULPEN Abbas S. Ægidii Norimbergæ Sec. XV. Vid. Trith. Chron. Hirſaug. tom. 2. pag. 417. & de S. E. & Vir. Ill. O. S. Ben. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. p. 162.

Henricus HARDTER S. Emmerami Ratisbonæ clar. ineunte hoc ſæculo, atque anno 1701. edidit Controverſias Philoſophicas.

Henricus HEINLEIN, Therenſis in Francia Orientali claruit multa eruditione & doctrina c. an. 1673. Vid. Hiſtor. U. S. pag. 361.

Henricus HENNEZON, Abbas Regularis S. Michaëlis in Diœceſi Virdun. c. an. 1679. hujus meminit Calmet in Hiſtoriæ Lotharing. Scriptorum Catalogo.

Henricus HOLZEMACHER S. Jacobi Moguntiæ anno 1476. Vid. Wolffgangi Treffler Syllabum Vir. Ill. monaſterii ejusdem.

HENRICUS Abbas Iſnenſis in Suevia an. 1350. cum toto ſuo Conventû incuriâ coci extinctus. Eyſengren in Catal. Teſt. Ver. pag. 140.

Henricus à KLINGENBERG, Epiſcopus Con-

Conſtantienſis an. 1287. Vid. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 1. pag. 19. Mihi videtur non fuiſſe Monachus, ſed tantùm Adminiſtrator Divitis Augiæ.

Henricus LIBLERUS, Abbas S. Martini Coloniæ a. 1625. Vide Catal. Mſs. Codd. S. Martini, & Joſeph. Hartzheim de Scriptoribus Colonienſ.

Henricus LEDERMAN, San-Emmeramenſis, Friſingæ natus anno 1704. die 21. Decembr. Profeſſus 1721. 23. Novembr. Scripſit de præſentatione & inſtitutione Parochi, aliáque multa & erudita. Vivit an. 1752.

HENRICUS, Luxovienſis monachus vivebat Caroli Calvi temp. Poſſev. in Appar. Sac. penes quem ſit fides.

Henricus MOLITOR Schyrenſis Antiquarius ſolertiſſimus, ad an. 1458. conſpicuus varia conſcripſit volumina, inter quæ excellit liber in forma athlantica, qui *Catholicon* ſeu *Proſodia* nominatur, cujus operis author ipſe habetur. *Vita Chriſti*, in duobus magnæ molis voluminibus &c.

HENRICUS *Northeimenſis*. Vid. Trithem. de S. E. pag. 396. & in Catal. Ill. Vir. Ord. S. B. pag. 179.

Henricus PLANT Monachus Divitis Augiæ Sec. XVI.

HENRICUS Abbas Riddaghuſianus anno 1170. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. p. 368.

Henricus de SOLIACO, Epiſcopus Wintonienſis c. an. 1190. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 3. pag. 680.

Henricus STERO, Monachus Altahæ inferioris c. an. 1300. Vid. Warthon in Supplem. Hiſtor. Liter. Cavei p. 5.

Henricus SUINESIUS, Abbas Glaſconienſis c. an. 1190. Vid. Pitſ. æt. XII. pag. 258.

Henricus STUDELER Monachus Corbeiæ Novæ. Vid. Viſſelbecc. in Chron. Huxar. ad an. 1336.

Henricus VALLE Pedemontanus, Prior Eccleſiæ S. Michaëlis Archangeli Novalitii, cl. c. an. 1624. Annal. part. 1. pag. 201.

Henricus WOODHIL Wicleffi infeſtator acerrimus 1383.

Henricus ZONSBECK, S. Martini Coloniæ an 1490. immenſorum Operum terſiſſimus Scriptor, cujus indefeſſo labore Bibliotheca San-Martiniana magna accepit incrementa. Ex Catal. Mſs. Codd. quem Cl. *Oliverius Legipont* Bibliothecæ Præfectus multo ſtudio ac labore confecit.

Henricus ZYPÆUS, Abbas S. Andreæ Brugis clar. an. 1577. Ex epitaphio apud Foppens in Bibl. Belg. tom. 1. p. 469. *P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.*

Ob. an 1659. Hæften. Diſquiſit. Monaſt. pag. 163. Andr. Valer. p. 375.

HEPIDANNUS Monachus S. Galli c. an. 1072. Vid. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 48. Annal. Ben. tom. 3. pag. 383. & tom. 5. pag. 52. Voſſ. de Scriptor. Latin. lib. 3. Confer tamen Goldaſtum, qui Tomo de Rebus Alemannicis *Hepidannum* etiam *Juniorem* habet.

HERBERNUS Abbas, de quo vid. Mabillon. Annal. Ben. tom. 3. ad an. 853. pag. 32.

HERBERTUS Monachus Sec. XII.

Herebertus LOSINGA, Epiſcopus Totfordienſis. Ob. an. 1120. Vid. Guilelmus Malmesbur. lib. IV. Pitſ. æt. 12. pag. 198.

Herboldus WESTHEMIUS, Monachus Eresburgenſis, cl. an. 1341. Vid. Petr. Viſſelbecc. in Chron. Huxar. p. 83.

HERBORDUS Hirſaugienſis an. 938.

HENRICUS Monachus Hirſaugienſis, cujus meminit Trithemius in Chronico ad an. 894.

HEREMBERTUS, v. ſuprà *Erchembertus*.

HERIBERTUS Magiſter Scholarum Monaſterii S. Wilibrordi Epternac. Ob. 970. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 112. Annal. Ben. tom. 3. p. 605.

HERIBALDUS ex Monacho S. Germani Epiſcopus Altiſiodorenſis. Trithem. in Chron. Hirſaug. tom. 1.

HERIBRANDUS Abbas quintus S. Laurentii Leodienſis. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 277.

HERICUS Autiſſiodorenſis, ſuprà *Ericus*.

HERICUS Monachus Corbeiæ Novæ. Vide Johannem Legatium in Chronico Monaſterii S. Godehardi Hildesheim.

HERICUS, aliis *Udalricus Herlinger à Wurmberg* Abbas Campidonenſis. Obiit an. 1268. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. lib. 8. pag. 702.

HERIGERUS, Abbas Lobienſis. Obiit 1007. Andr. Val. Bibl. Belg. pag. 377. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 3. & tom. 4. pag. 192. Nat. Alex. Hiſtor. Eccleſ. tom. 6. pag. 75. Acta SS. Bol. land. tom. 3. Maji. p. 215.

HERIMANNUS, ſeu *Hermannus*, Abbas Altahæ inferioris ab an. 1242. ad 1273. Chronographus ſui Monaſterii. Vid. Bruſchii Centur. 2. pag. 40.

HERMANNUS *Contractus*, Comes à Veringen, Augiæ Divitis Monachus Profeſſus. Obiit anno 1054. Ita Honorius Auguſtodunenſis de S. E. cui præ omnibus fides habenda eſt, ut qui Hermanni ævo omnium proximus fuit. Claruit enim ab anno circiter 1090. usque ad an. 1120. Trithemium quatuor poſt

ſeculis natum, ducem habent, qui ex *Hermanno* Monachum San-Gallenſem faciunt, at Trithemium falſum fuiſſe alio loco oſtendimus.

HERMANNUS Abbas Corbeiæ Novæ an. 1250. Vide Annales monaſterii ad hunc annum.

Hermannus HERTANIUS, Belga Sec. XVII. Vid. Egger Ideæ Ord. S. B. lib. 2. pag. 528. Foppens part. 1. p. 475.

Hermannus PISCATOR S. Jacobi Moguntiæ an. 1526.

HERMANNUS Monachus Laudunenſis circa annum 1150. Vide Annal. Ben. tom. 5. & 6. pag. 461.

HERMANNUS Monachus Mellic. flor. an. 1230. Vid. Bibl. Mellic. pag. 120.

HERMANNUS Abbas Northeimenſis anno 1203. Vid. Leuckfeld Antiquit. Northeim. pag. 239.

Hermannus SCHENCK, Bibliothecarius San-Gallenſis, multarum gnarus linguarum, ac in vertendis libris magnæ peritiæ, nec minoris diligentiæ, clar. Sec. XVII. Vid. Felix Egger in Idea O. S. B. lib. 1, part. 3.

Hermannus SCHOLLINER Friſingæ natus 1722. 15. Jan. in Superiori Quercu Ordinem S. Bened. an. 1738. profeſſus. Sacerdotio initiatus 1745. 19. Martii, cujus eruditæ circumferuntur Diſſertationes juridicæ, Hiſtorico-criticæ *de Magiſtratuum Eccleſiaſticorum creatione...* Straubingæ an. 1751. & 1752. in 4. editæ.

HERMANNUS Abbas in Schuttera Vitam S. Benedicti verſibus & iconibus complexus eſt. Extat opuſculum in Bibl. S. Udalrici Auguſt. Vind. Commentario Stephani Pariſienſis in Regulam S. Benedicti annexum, ubi hæc legas:

In Schutt' Hermannus Abbas Pater hoc tibi munus Offert, quem merita tua ditent perpete vita.

Hermannus SÆTTELIN, Ochſenhuſanus in Suevia, librorum interpres c. anno 1605.

HERMANNUS, al. *Herimannus*, Abbas Tornacenſis ab an. 1127. usque ad an. 1137. Vid. Annal. Ben. tom. 5. & 6. pag. 157. Andr. Valer p. 378.

Hermannus de WENNINGEN S. Martini Maj. Colon. 1482.

HEROLDUS Monachus primùm Hirſaug. tum S. Michaëlis Bambergæ cl. anno 1149. Eyſengren. pag. 98.

HERRADIS, Abbatiſſa Hochenburgenſis c. an. 1170. Vide ſuprà cap. 5.

HERRANDUS, Abbas Ilſenburgenſis, tandémque Epiſcopus Halberſtadienſis. Ob. 1107. Vide Leibnitz in Introductione Scriptorum Rerum Brunſv. tom. 2. num. 25. p. 27.

HERVEUS Burgidolenſis, ſive Dolenſis anno 1130. Vide ſuprà cap. 3. vitam.

Heymo, ſuprà *Haimo*.

Hiacynthus MORICE Congreg. S. Mauri Monachus.

HIDULPHUS, infrà *Hildulphus*.

HIERONYMUS Abbas Altaichii Superioris in Bavaria cl. circa an. 1656.

Hieronymus ALIOTUS, Abbas Aretinus SS. Floræ & Lucillæ, an. 1480. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 1. p. 206.

Hieronymus BARDI S. Mariæ Florentiæ an. 1594. Armell. l. c. pag. 209.

Hieronymus BENDANDUS, Abbas S. Vitalis Ravennæ an. 1659. Armell. l. c. p. 208.

Hieronymus CATHANEUS, S. Juſtinæ Patavinæ Cœnobita, an. 1554. Armell. l. c. pag. 210.

Hieronymus Joachimus le CONTAT è Congreg. S. Mauri Aſceta inſignis. Obiit 1690. Vide Pezii & Cerfii Bibl.

Hieronymus GATTA, Prior Cœnobii ad S. Michaëlem Montis Caveoſi, anno 1644. Vid. Armell. l. c p. 216.

Hieronymus GIUNGI, San-Emmeramenſis cl. an. 1702. quo labente *Exercitia X. dierum Ratisbonæ* in lucem emiſit.

Hieronymus LAPI, Caſinenſis Monachus ævi incomperti. Vid. Armell. part. 1. pag. 218.

Hieronymus LAURETUS, Abbas S. Felicis Guixolenſis, Autor *Sylvæ Allegoriarum* totius ſacræ Scripturæ, clar. 1514. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 445.

Hieronymus MARTHON, Princiani in Hiſpania Monaſterii Abbas. Ob. 1640. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 446.

HIERONYMUS, Mediolanenſis, Congr. Caſin. Monachus circ. an. 1424. teſte Armellino part. 1. pag. 218.

Hieronymus MINIATI, Abbatiæ Florentinæ Monachus, an. 1428. ibid. l. c.

Hieronymus PEROTTUS, Abbas Tirularis Monaſterii Averſani. Ob. 1643. Vid. Armell. part. 1. p. 218.

Hieronymus PHARAONIUS, Siculus, Panormitanus in Monaſterio S. Placidi an. 1581. Vid. Mongitore in Bibl. Sicul. part. 1. pag. 283.

Hieronymus à POTENTIA, Abbas è Congreg. Caſin. anno 1619. vitâ functus. Vid. Armell. part. 1. p. 219.

Hieronymus PANTON Erphordiæ in monte S. Petri Religioſus. an. 1719.

HIERONYMUS, Abbas S. Pauli in Carinthia.

Hieronymus PEZ, frater germanus *Bernardi*, doctrina ac eruditione geminus. Vivit,

Vivit, & poſt editos Tomos III. *Scriptorum Rerum Auſtriacarum* in lucem noviſſimè dedit Vitam Diplomaticam S. Leopoldi Auſtriæ Archiducis anno 1746.

Hieronymus RAYNERIUS, Monachus Parmenſis S. Joannis Evangel. anno 1661. Armell. part. 1. pag. 220.

Hieronymus RUSCELLI, Præſes Congreg. Caſin. Ob. 1604. Armell. part. 1. pag. 221.

Hieronymus SYLVA, Abbas S. Salvatoris Papiæ an. 1563. Armell. l. c. p. 223.

Hieronymus de WERDEA, Prior Lunælacenſis, an. 1463. Vid. Bern. Pez. Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot. pag. x. & Præfat. in tom. 2. Bibl. Aſcet. Catal. Bibl. Lunælac.

Hilarion LANTERIUS, Abbas complurium ſucceſſivè Monaſteriorum è Congreg. Caſin. Ob. 1521. Vid. Armell. part. 1. pag. 224.

Hilarion à VERONA, Cœnobii SS. Nazarii & Celſi ibid. Mon. 1464. Vid. Armell. part. 1. pag. 224. Warthon in Supplem. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 4. p. 730. ubi perperam Sec. xv. c. an. 1551. eum claruiſſe ſcribit.

Hilarion CORBETTA, Papiæ in monaſterio S. Salvatoris Profeſſus. an. 1515. Armell. part. 1. p. 225.

Hilarion de FEBURE, è Congr. S. Mauri Theologus inprimis excellens cl. c. an. 1655. Vide le Cerf. p. 345.

HILARION Genuenſis, Monachus S. Nicolai de Buſchetto an. 1533. Vid. Armell. l. c. pag. 226.

Hilarion MORIN è Congreg. SS. Vitoni & Hidulphi, vivit, & quem Commentarium Abbas Calmet in Regulam S. B. Gallicè ſcripſit, Latinè reddidit.

HILARIUS è Congr. S. Mauri tempore Henrici Spondani, Trithemii Steganographiam ab impacta magiæ nota vindicavit.

Hilarius BOLOGNA, Abbas Titul. è Congreg. Caſin. Sec. XVII. Armell. part. 1. p. 228.

HILDEBERTUS Abbas Fuldenſis, Archiepiſc. Moguntinus, Oſtrofrancorum Dux, frater Conradi Regis. Ob. an. 928. Eyſengren. C. T. V. p. 73.

HILDEBERTUS Archiep. Turonenſis. Ob. 1139. Vide vitam ſuprà cap. 3.

HILDEBRANDUS Abbas XI. S. Godehardi in Hildesheim, de quo vide Legatium in Chronico Monaſterii.

S. HILDEGARDIS Abbatiſſa Bingenſis. Ob. 1180. Vide vitam ſuprà cap. V.

HILDEGARIUS ex Monacho S. Dionyſii Epiſcopus Meldenſis. Ob. 873. Vide Felibien in Hiſtor. Monaſterii.

HILDEMARUS Francigena, præſtantiſſimus ex antiquis in Sac. Regulam Commentator. Vid. Mabillon. in Annal. Ben. tom. 2. pag. 342. Martene in Præfat. ad Commentar. in Reg. S. B. Oud. de S. E. Tom. 2. col. 46.

HILDERICUS Abbas Caſin. de quo vide Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. cap. IX.

HILDULPHUS Fuldenſis, primus Scholaſticus Hirſaug. an. 859. Vid. Trithem. Chron. Hirſ. part. 1. p. 222. Annal. Ben. tom. 2. p. 602.

HILDUINUS Abbas S. Dionyſii Pariſiis cl. an. 832. Vide præter alios Michaëlis Felibien Hiſtoriam Monaſterii San-Dionyſiani. Annal. Ben. tom. 2. pag. 602. Bulæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 2. pag. 342.

HILDUINUS, ſive *Hildovinus*, cognomento *Taſſonus*, Abbas Lobienſis, ac poſtea Mediolan. Archiep. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 390. Ughell. Ital. Sac. Trithem. de S. E. Eyſengren C. T. V. pag. 72. Foppenii Bibl. Belg. quo teſte obiit anno 936.

HILLINUS Monachus Corbeiæ Veteris ſcripſit de Martyrio S. Foliani. Vid. du Freſne in Indice Autorum. Fabric. Bibl. med Lat. vol. 3. p. 788.

HINCMARUS ex Mon. S. Dionyſii Archiepiſcopus Remenſis. Ob. 882. Vide Sirmondum, qui ejus Opera conjunctim edidit.

HIPPOLYTUS Mantuanus, Epiſcopus Interamnenſis in Umbria, anno 1639. Vid. Armell. part. 1. p. 228.

HIPPOLYTUS *à Cremona*, Monachus Padolyronenſis Cœnobii, an. 1588. Armell. l. c. p. 229.

Hippolytus PUGNETUS, Alumnus S. Mariæ de Cæſena, vivit. Vid. Armell. part. 1. pag. 230.

Hippolytus à VIGILIIS, Abbas S. Laurentii de Averſa & Epiſcopus Caſertanus. Ob. 1695. Armell. l. c. pag. 229.

Honoratus FASCITELLUS, Epiſcopus Inſulanus in Calabria, an. 1551. Plac. Diac. in Supplem. c. IX. & Marus in Notis. Armell. l. c. p. 231.

Honoratus MEDICEUS, Monachus Caſinas, an. 1514. Vid. Armell. part. 1. pag. 234.

Honoratus KOLB, Abbas Seonenſis. Ob. 1670. Vid. Hiſt. U. S. pag. 239. & 364.

HONORIUS Monachus in Anglia c. an. 1090. Vid. Piſt. æt. XI. p. 191.

Honorius AIGNER, Abbas Cremiſanenſis. Ob. 1704. Vid. Hiſtor. U. S. pag. 365.

Honorius ANSALONIUS, Aſceta S. Martini de Scalis. Vid. Mongitore in Bibl. Sic. qui claruiſſe illum aſſerit an. 1550. Armell. part. 1. p. 234.

HONORIUS Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presbyter, & tandem Monachus Ord. S. B. juxtà Wionium in Ligno vitæ lib. 2. c. 69. & Bernardum Pezium Differt. Iſagog. in Tom. 2. Theſaur. Anecdot. pag. IV. claruit ab an. circiter 1090. usque 1120. Mihi verò utriusque argumenta expendenti, ea tanti non videntur, ut iisdem *Honorium* Familiæ Benedictinæ vindicare vel velim, vel auſim. Utinam prodeat Abbatis *Le Bœuff* promiſſa Diſſertatio, in qua operam daturus eſt, ut Honorius, cui patria Auguſtodunum nomen ſuum tribuiſſe credebatur, Germaniæ potiùs vindicetur, ut Auguſta vel Vindelicorum, vel Rauracorum eum ſibi adſcribere queat.

Honorius de JORLANDA, Prior S. Martini de Scalis. 1532. Mongitore Bibl. Sic. & Armell. part. 1. p. 234.

Honorius KOBALTER Mellicenſis vivit.

Honorius THOTUS, Monachus Cavenſis è Congr. Caſin. an. 1609. Vid. Armell part. 1. pag. 235.

HROSWITA, ſeu *Roswida*, Sanctimonialis Gandersheim. c. an. 974. Vide ſuprà cap. 5. vitam.

Hubertus ab ASSONVILLE, Belga, Altimontenſis Monaſterii Prior. Ob. 1633. Vid. Andr. Valer. & Foppens in Bibl. Belg.

HUBERTUS, Egmondenſis Abbas, & Vicecancellarius ſcripſit Acta Wilhelmi Cæſaris. Vid. Author anonymus de ſeſſione & ſuffragio Electorali Regis Bohemiæ pag. 755.

Hubertus PHALESIUS, Affligemienſis Supprior c. a. 1642. Vid. Sanderus in Chronograph. Brabant. tom. 1. le Long. Bibl. Sac. pag. 458. Foppens Bibl. Belg. tom. 1. pag. 489. Humanis exceſſit an. 1638. ipſa Aſſumptionis B. Virg. quam eximiè coluerat, feſtivitate.

HUCBALDUS, ſeu *Hugbaldus*, Monachus S. Amandi Elnonenſis. Ob. 930. Vid. Sigebert de S. E. cap. 108. Trithem. in Chron. Hirſ. De S. E. & Vir. Ill. O. S. B. Annal. Ben. tom. 1. pag. 582. & tom. 6. p. 589. Marlotti Metrop. Remenſ. tom. 1. pag. 520. Andr. Valer. in Bibl. Belg. Franc. Swert. Athen. Belg. Foppens part. 1. p. 490.

HUGBERTUS Bleidenſtadenſis Mogunt. Diæceſis. p. 1313. Vid. Trith. Chron. Hirſ. ad an. 1313. edit. San-Gall. part. 2. pag. 135.

HUGO *Candidus*, Anglicè *Withe*, Abbas Petroburgenſis c. an. 1216. Vid Leland. Bal. Pitſ. Sparck. Oudin. Tom. 3. pag. 9.

S. HUGO Abbas Cluniac. ab an. 1048. ad an. 1109. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 3. pag. 853. Quòd ſi Petro Pictavienſi in Epiſtola ad Petrum Venerab. Abb. Clun. aſſentimur, nec *Hugo* I. nec *Hugo* II. ſcripſerunt: *quibus videlicet illa eruditionis perfectio defuit.* At enim cùm S. *Hugonis* Opuſcula quædam impreſſa habeantur in Bibliotheca Cluniacenſi, in Scriptorum O. S. Bened. albo nomen meretur.

HUGO III. Abbas Cluniac. ab an. 1157. ad 1163. Scripſit vitam S. Hugonis I. Abb. Cluniac. Vid. Dufreſne in Indice Authorum. Ger. Jo. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 46. Oud. Tom. 2. col. 1484. qui omnes falluntur; *Hugo* enim, qui vitam *S. Hugonis* Abbatis ſcripſit, non fuit Abbas, ſed Monachus Cluniacenſis; cujus etiam extat epiſtola de Memorandis quibusdam S. Hugonis ad Pontium Abbatem, Bibl. Clun. col. 452.

HUGO IV. Abbas Cluniac. ab anno 1176. ad 1199. Vid. Bibl. Clun. pag. 1624. ubi tamen nihil eum literis tradidiſſe invenio; quare non eſt, ut huc Lectorem Fabricius loc. cit. remittat.

HUGO V. Abbas Cluniac. ab anno 1199. ad 1236. Fabric. loc. cit. p. 855. Condidit Statuta. Vid. Bibl. Clun. p. 1440.

HUGO Abbas Engoliſmenſis ſcripſit & claruit Sec. XI. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Lib. 1. p. 36.

HUGO Abbas Farfenſis. Ob. 1039. Vid. Annal. Ben. tom. 4. p. 699.

HUGO *Flaviniacenſis* Abbas in Burgundia ab anno 1097. Vid. Annal. Ben. tom. 5. Labbei Bibl. Mſs. tom. 1. Oud. de S. E. Tom. 2. p. 886.

HUGO Monachus *Floriacenſis* c. a. 1120. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. V. p. 45. ad an. 1110. Labb. tom. 2. Diſſert. de S. E.

Hugo de FOLIETO, ſeu probabiliùs, du *Fouloy*, fuit Monachus Veteris Corbeiæ, ut Dupinius, & Oudinus perhibent, quos ſequitur Bernardus Pezius præfat. ad Tom. IV. Bibl. Aſcet. ubi eum pro Benedictino & Authore *Clauſtri animæ* venditat; ſed perperàm, fuit enim Canonicus Regularis Ord. S. Aug. ut è Mſ.to Corbeienſi *Eligius le Doux* è Congr. S. Mauri Presbyter, & Theologiæ Profeſſor eruditè probavit, teſte Antonio Beaugendre ex eadem Congreg. Presbytero in præfat. ad Opera Venerabilis Hildeberti. Quod Edmundus Martene Tomo VI. Annalium Ord. S. B. pluribus, iisque ſolidis confirmat argumentis.

Hugo

Hugo LEGATUS, Monachus S. Albani in Anglia c. a. 1400. Vide Pitſ. æt. 15. pag. 569.

Hugo de BRETOLIO ex Monacho Cluniac. Epiſcopus Lingon. an. 1030. De eo Luc. Acher. Jo. Mabill. Nat. Alex. &c.

HUGO *à S. Maria*, ſuprà *Hugo Floriac.*

Hugo de MERY, Monachus S. Germani à Pratis clar. an. 1228. Verſu Francico compoſuit Librum, cui titulus: *le Tournoy de l' Antichriſt*, i. e. *Ludus equeſtris Antichriſti*. Vid. Bouillart in in præfat. ad Chron. Monaſterii S. Germani à Pratis.

HUGO *Pictavinus*, Monachus Vezeliacenſis an. 1156. Mabill. Annal. tom. 6. p. 204. Acher. Spicileg. tom. 3.

HUGO ex Abbate Radingenſi Archiep. Rotomag. Ob. 1164. Vid. Math. Weſtmonaſt. Pitſeus æt. 12. p. 247.

HUGO Prior de Monte Thabor in Palæſtina c. a. 1170.

Humbertus BELHOMME, Abbas Monaſterii Mediani an. 1724. de quo Mabill. in notis ad vitam S. Leonis IX. Sec. VI. Ben. part. 2. Calmet in Catal. Scriptor. Hiſtor. Lothar. Acta SS. Tomo 4. Julii pag. 205.

HUMBERTUS Cardinalis & Epiſcopus Sylvæ Candidæ an. 1051. Vid. Baron. in Annal. Eccl. Tom. IX. Henr. Caniſ. Tom. VI. Lect. Antiq. Mabill. in Annal. Bened.

N. d' HUMIERE Abbatiſſa & Reformatrix Abbatiæ de Mouchi, cujus vitam D. Felibien è Congr. S. Mauri an. 1711. typis vulgavit.

Hyacinthus ALLIOT è Congr. SS. Vit. & Hidulphi laudatus Mabillonio in Annal. Ben. Vide etiam Acta SS. tom. 4. Julii pag. 205. ſeq.

Hyacinthus PERI è S. Lamberto in Styria, Theologiæ Profeſſor, longiore vitâ dignus, edidit annis abhinc aliquot Theologiam ſcholaſticam.

I.

JACOBUS ALEXANDRE è Congr. S. Mauri, vivit. Scripſit Tractatum de Horologiis, & alium de fluxu & refluxu maris.

JACOBUS *Aſtenſis*, Abbas Monaſterii Padolyronenſis. Ob. 1460. Vid. Poſſev. in Appar. Armell. Bibl. Caſin. part. 2. pag. 1.

Jacobus BILLIUS, Abbas S. Michaëlis in Eremo. Ob. 1581. Vid. vitam ſuprà Cap. 4. §. xxxix.

Jacobus BOIVIN, Abbas S. Launomari. Vid. le Long Bibl. Sac. pag. 644.

Jacobus le BOSSU Monachus S. Dionyſii in Gallia. Ob. 1626. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Jacobus BOUILLART è Congr. S. Mauri edidit an. 1723. Hiſtoriam Monaſterii S. Germani à Pratis. Vid. le Cerf. pag. 43.

Jacobus du BREUL, Prior S. Germani à Pratis. Ob. 1614. Vide vitam ſuprà cap. 4. Chopinus *in Monaſt. L. II. pag.* 197.

Jacobus CARRARA ex monaſterio S. Juſtinæ Patavinæ anno 1703. Vitam S. P. B. ex Gallico Italicè reddidit. Vid. Armell. part. 2. pag. 1.

Jacobus CAVACIUS, S. Juſtinæ Patavinæ Cœnobita. Ob. 1612. Vid. Armell. part. 2. pag. 2. Labbe in Bibl. pag. 151. & 275.

Jacobus CLERICUS, Abbas Vedaſtinus, an. 1462. Lambec. Commentar. de Bibl. Vindobon. tom. 2. p. 956.

Jacobus DORSI Weingartenſis, vivit, & varia conſcribit.

Jacobus DOUBLETIUS, Monachus S. Dionyſii in Francia. Ob. 1648. De quo vide Felibien in Hiſtoria Monaſterii San-Dionyſiani.

Jacobus ESPERVIER S. Hilarii Abbas Sec. XVI.

JACOBUS *Eugenius* Eugubinus.

Jacobus du FRISCHE è Congr. S. Mauri. Ob. 1693. Vid. Pezii & Cerſii Bibl.

Jacobus FROIUS, Abbas Haſnoienſis. Ob. 1586. Edidit conjunctim Opera V. Ludovici Bloſii. Vid. Bibliographi Belgæ.

Jacobus GADDI, Abbatiæ Florentinæ alumnus, an. 1548. Wion Lig. Vitæ l. 2. c. 70. Poſſev. Appar. tom. 787. Armell. part. 2. p. 3.

Jacobus GLEICH, Monachus S. Martini Coloniæ an. 1652. Ex Catal. Bibl. San-Martin. & Hartzheim.

Jacobus de GRAFFIIS, Neapoli in S. Severini Monaſterio Religioſus, doctrina ac vitæ ſanctimonia conſpicuus, Urbis Neapolitanæ Major Pœnitentiarius. Ob. 1620. Vide vitam ab Aloyſio Caraffa ſcriptam, & Armellini Bibl. part. 2. pag. 4.

Jacobus HORNS Cœnobita S. Martini Colon. 1645. Vid. Hiſt. Univ. Salisburg. & Catal. Bibl. San-Martin.

Jacobus LANGELÉ è Congr. S. Mauri. Ob. 1689. Vid. Pezii & Cerſii Bibl.

Jacobus LOUCHIER Tornacenſis ad S. Martinum cl. an. 1610. Foppens pag. 523.

Jacobus LOPIN è Congr. S. Mauri. Ob. 1693. Vid. Bibl. Pezii & Cerſii.

Jacobus Cornelius LUMENÆUS à Marcha, Mon. Blandinienſis an. 1622. Vid. Ant. Sander de Scriptor. Gandav. lib. 2. pag. 60.

Jacobus LATIMERUS Batymænus, Monachus Abdinckoffenſis cl. an. 1559. Vid. Chronicon Monaſterii in Analectis Math. Ant. edit. nov. tom. 3. pag. 528.

Jacobus MAJORICA, Neapoli in S. Severini Cœnobio Profeſſus, an. 1605. Vid. Armell. part. 2. pag. 8.

Jacobus MARQUAJIS, Abbas S. Martini Tornac. an. 1584. Andr. Valer. p. 420. Jacobus le Long in Bibl. Sac. Gall. Chr. tom. 3. p. 282.

Jacobus MOLITOR, Ottoburanus. Ob. 1675. Vid. H. U. S. p. 366.

Jacobus MUEVIN, Abbas Tornacenſis S. Martini. Extinctus an. 1367. Vid. Andr. Valer. p. 423.

Jacobus de OPPENHEIM, S Jacobi Moguntiæ an. 1493. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 2. p. 553. ubi monachum vocat Hirſaugienſem; Wolfgangus verò Treſflerus in Syllabo Vir. Ill. Monaſterii ad S. Jacobum Moguntiæ reponit.

Jacobus PÆSSELER Reichenbacenſis Palatinus an. 1705. die 4. Febr. natus, ad S. Emmeramum Ratisbonæ 1723. Profeſſus, Sacerdotio initiatus 1729. die 25. Julii, egregia quàm plurima conſcripſit, quæ ut in lucem brevì proferat optamus.

Jacobus PLAZIUS Weingartenſis Sec. XVII. *Pez in Catal. S. B. G.*

Jacobus Maria RAIMONDI Monachus S. Georgii Venetiarum, an. 1664. Vid. Armell. part. 2. pag 9.

Jacobus SERGENT è Congr. S. Mauri c. a. 1668. Vid. Mabill. Sec. I. Actor. O. S. Ben p. 373.

Jacobus STEYRER, San-Petrenſis in Sylva Hercynia edidit an, 1742. *Favum mellis.*

Jacobus SYBERTI Lacenſis in Euphalia monachus cl. c. a. 1516. Vide vitam Trithemii à Cl. Oliverio Legipont ſcriptam, nec non Catal. Mſs. Codd. Bibliothecæ Lacenſis.

Jacobus TRAMONTANA Prior Montis Regalis in Sicilia. Ob. 1605. Vid. Mongitore in Bibl. Sicul. & Armell. l. c.

Jacobus de URATISLAVIA Lunælacenſis Monachus. Ob. 1480. Vid. Pezii Diſſertatio Iſag. ad Tom. I. Theſ. Anecd. pag. IV.

Jacobus du VALL è Congr. S. Mauri, vivit. Edidit Genealogica. Nunc occupatur in adornanda nova Britanniæ Hiſtoria.

IDUNGUS Cœnobita Emmeramenſis c. a. 1190. Vid. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. 2. Theſ. Anecdot. p. XXXI.

Jeremias KARCK Monachus Corbeiæ Novæ. Vid. Viſſelbecc. in Chron. Huxar. ad an. 1336.

Jeremias REBSTOCK Abbas Blaubeyræ in Suevia.

IGLACUS Monachus & Prælector in ſchola Monaſterii S. Petri in finibus Berniciorum c. a. 704. Vid. Pitſ. æt. 8. pag. 143.

Ignatius BETSCHART Abbas Engelbergenſis.

Ignatius BRENDANUS, CIMAROLLA Banthenſis, vivit, & ſcribit poſt plura jam in lucem edita.

Ignatius CLAVENAU Aſceta Admontenſis Vitæ Venerabilis. Ob. 1701. Vid. Vit. ſuprà.

Ignatius GALEANUS, Decanus S. Martini de Scalis. Ob. an. 1681. Vid. Mongitore in Bibl. Sic. part. 1. pag. 309.

IGNATIUS Caſinenſis Monachus, de quo Placidus Diaconus in Supplem. c. 3. & Marus in Notis. Ejus etiam meminit Oldoinus in Addit. ad Ciacon. tom. 1. col. 413.

Ignatius GROPP S. Stephani Herbipol. vivit. Author Hiſtoriæ Monaſterii Amborbacenſis, & Antiquitatum Wirceburgenſium.

Ignatius PHILIBERT è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Sec. 17. Cujus meminit Calmet in Hiſtor. Lothar. Scriptorum Catalogo.

IGNATIUS Abbas Schyrenſis, magnæ doctrinæ & eruditionis clar. c. a. 1526.

Ignatius SQUARCIALUPI Congreg. Caſin. quinquies Præſes. Ob. 1526. Vid. Armell. part. 2. pag. 11. Jul. Negri in Hiſtor. Scriptor. Florent. pag 336.

Ignatius TRAUNER, Abbas San-Emmeramenſis ſeculo proximè præterito Concionum volumina plura cum laude edidit. Ob. die 21. Octob. an. 1694.

S. ILDEPHONSUS, Agalienſis monachus, Archiepiſcopus Toletanus an. 667. Vide vitam ſuprà cap. 2.

Ildephonſus CHATELINOT è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, vivit.

Ildephonſus GOETGEBUER, Elnonenſis Bibliothecarius cl. a. 1645. Foppens Bibl. Belg.

Ildephonſus KENDLMAYR S. Pauli Carinth. Sec. 17. Pez in Catal. S. G. B.

Ildephonſus LEHRER, Admontenſis, Sec. 17. Pez l. c.

Ildephonſus de MIER, Congr. S. Benedicti Hiſpaniarum Procurator Generalis, SS. Congr. S. R. univerſalis Inquiſitionis Quali-

Qualificator & SS. Rituum Conſultor, claruit 1693.

Ildephonſus SEIDEL Weichenſteph. vixit & ſcripſit an. 1733.

IMARUS Epiſcopus Tuſculanus, & S. R. E. Cardinalis. Ob. 1169. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. IV. p. 86.

INGELBERTUS, Monachus Salmurienſis c. a. 974. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 628.

INGELRAMNUS, vide *Angelrammus.*

INGULPHUS, Abbas Croylandenſis. Ob. 1109. Vide Lelandum, Baleum, Pitſeum, Savilium, Fellum, qui duo poſtremi hiſtoriam Ingulphi vulgârunt. Adde Pagium tom. IV. pag. 369. Mabill. Annal. Ben. tom. 5.

INNOCENTIUS II. Rom. Pont. ab an. 1130. ad. an. 1143. Baron. in Annal. Eccl. ad an. 1061.

INNOCENTIUS IV, aliàs *Sinibaldus*, quem Wion, Bucelinus, Deſingius, aliíque Benedictinis annumerant.

Innocentius de NOVARIA, Abbas Caſin. Ob. 1557. Vide Plac. Diac. in Supplem. c. 7. Mar. in notis.

Innocentius CÆSIUS Abbas Congr. Caſin. Ob. 1704. Vid. Armell. part. 2. pag. 14.

JOACHIMUS, Abbas Fiſchingenſis in Helvetia, piiſſimus Aſceticæ vitæ Magiſter. Ob. 1688. Felix Egger Ideæ Ord. Hier. Ben. lib. 2. part. 3. pag. 435.

JOACHIMUS Florenſis Coratii Abbas, prophetiæ ſpiritu inclytus claruit ad an. 1201. de cujus operibus Wion, Eiſengrein, Scaliger, Bucelinus & alii.

Joachimus MORSAK Zwifaltenſis. Ob. 1686. Vid. Annales Monaſterii, & Hiſtoriam Univerſ. Salisburg. pag. 358.

Joachimus de NOUELLES *de Guiſia*, vulgò nuncupatus Abbas S. Vincentii Laudun. Ob. 1396.

Joachimus OPSERUS Abbas San-Gallenſis LXII. Vid. Gall. Chriſt. tom. 5.

Joachimus PERIONIUS, Cormæriacenſis, Univerſitatis Pariſienſis Theologus, politioris literaturæ inſtaurator non poſtremus. Ob. 1559. Vide vitam ſuprà cap. 3.

Joachimus PRIESTERSPERGER, Mellicenſis, de quo Pez. Anecd. tom. 3.

Joachimus REICHART, Aſceta Augiæ Majoris Brigantinæ, alia proprio ingenio lucubravit, alia è Gallico Germanicè reddidit. Vivit.

Joachimus STICH, Prior Altahæ inferioris an. 1716.

Jocelinus BRAKELONDE, ſeu *Braclandus*, Monachus Burienſis c. a. 1214. Vide Thom. Smith in Catal. Bibl. Cotton. p. 94. col. 1. Pitſ. æt. 13. ad an. 1214.

Jodocus MEZLERUS, San-Gallenſis, an. 1604. Vid. Diſſert. Iſag. Bern. Pezii in Tom. I. Theſ. Anecd. Part. III. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 5. p. 221.

Jodocus WAGNER - - anno 1740. edidit Viam breviſſimam dirimendi omnes fidei controverſias.

JOEL Monachus S. Petri ad Culturam apud Cenomanos an. 1080. Vid. Annal. Ben. tom. 5. p. 159.

JOFFRIDUS, ſeu *Gauffridus*, vel *Galfridus* S. Mathiæ Treviris an. 1090.

Johanna Maria BONHOMIA eruditionis etiam latinæ, non minùs quàm ſanctitatis famâ celebris obiit 1670.

JOHANNES Abbas, incertum cujus monaſterii, autor aurei libelli de Profeſſione Monachorum, quem Bern. Pezius edidit Parte II. Tom. I. Theſauri Anecdotorum, niſi illud Opus, ut vult, Jacobus Echard in Bibliotheca PP. Prædicatorum, ſit Guillelmi Peraldi, Dominicani, quod ſe aliàs accuratiùs examinaturum laudatus Pezius promiſit ad Tom. IV. Bibl. Aſcet.

Johannes AGRICOLA, Amorbacenſis, ad an. 1592. duo volumina concionum ſcripſit. Vid. Hiſtor. Monaſterii Amorbac. pag. 157.

JOHANNES Abbas S. Arnulfi Metis anno 980. Vid. Calmet in Hiſtor. Lotharing.

JOHANNES *S. Albani* Moguntiæ, an. 925. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. ad hunc annum.

Joannes Franciſcus ALBERCOMBIUS Anglus è Congr. Caſin. Ob. 1693. *Vid. Armell. part. 2. p. 37. Machenzius &c.*

Johannes ALGRINUS, Monachus Cluniac. Abbas S. Petri de Abbatisvilla ex Archiep. Biſuntino Epiſcopus Cardinalis Sabinus. Vid. Bucell. Annal. Ben. ad an. 1235. p. 29. Henr. Gandav. c. 38. Trithem. de S. E. c. 441. Wion, Poſſevin. Eyſengren.

Johannes Jacobus ALBUS, vulgò *White*, Abbas Scotorum Ratisbonæ. Ob. 1629. Ex monumentis monaſterii ejusdem.

JOHANNES *Altvillarienſis*, ſeu de *Altavilla*, cl. an. 1200. juxtà Pitſeum Oxoniæ natus, fuit Monachus S. Albani, quod Oudinus negat, ac natione Normannum in Gallia editum in lucem fuiſſe contendit Tom. 2. de S. E. col. 1621.

JOHANNES S. Amandi Monachus, & Poëta inſignis clar. an. 1000.

Johannes de ANDERNACO, Lacenſis Cœnobita. Obiit an. 1530. relictis aliquot pietatis & eruditionis ſpeciminibus. *Vid. Hontheim Tom. II. p. 552.*

JOHANNES Monachus diœceſis Ambianenſis, inde Epiſcopus & Cardinalis an. 1294.

Johannes d' ARNAL, Monachus Monaſterii

rii

Jacobus Cornelius LUMENÆUS à Marcha, Mon. Blandinienſis an. 1622. Vid. Ant. Sauder de Scriptor. Gandav. lib. 2. pag. 60.

Jacobus LATIMERIUS Batymænus, Monachus Abdinckoffenſis cl. an. 1559. Vid. Chronicon Monaſterii in Analectis Math. Ant. edit. nov. tom. 3. pag. 528.

Jacobus MAJORICA, Neapoli in S. Severini Cœnobio Profeſſus, an. 1605. Vid. Armell. part. 2. pag. 8.

Jacobus MARQUAJIS, Abbas S. Martini Tornac. an. 1584. Andr. Valer. p. 420. Jacobus le Long in Bibl. Sac. Gall. Chr. tom. 3. p. 282.

Jacobus MOLITOR, Ottoburanus. Ob. 1675. Vid. H. U. S. p. 366.

Jacobus MUEVIN, Abbas Tornacenſis S. Martini. Extinctus an. 1367. Vid. Andr. Valer. p. 423.

Jacobus de OPPENHEIM, S Jacobi Moguntiæ an. 1493. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 2. p. 553. ubi monachum vocat Hirſaugienſem; Wolfgangus verò Treſflerus in Syllabo Vir. Ill. Monaſterii ad S. Jacobum Moguntiæ reponit.

Jacobus PÆSSELER Reichenbacenſis Palatinus an. 1705. die 4. Febr. natus, ad S. Emmeramum Ratisbonæ 1723. Profeſſus, Sacerdotio initiatus 1729. die 25. Julii, egregia quàm plurima conſcripſit, quæ ut in lucem brevi proferat optamus.

Jacobus PLAZIUS Weingartenſis Sec. XVII. *Pez in Catal. S. B. G.*

Jacobus Maria RAIMONDI Monachus S. Georgii Venetiarum, an. 1664. Vid. Armell. part. 2. pag 9.

Jacobus SERGENT è Congr. S. Mauri c. a. 1668. Vid. Mabill. Sec. I. Actor. O. S. Ben p. 373.

Jacobus STEYRER, San-Petrenſis in Sylva Hercynia edidit an. 1742. *Favum mellis.*

Jacobus SYBERTI Lacenſis in Euphalia monachus cl. c. a. 1516. Vide vitam Trithemii à Cl. Oliverio Legipont ſcriptam, nec non Catal. Mſs. Codd. Bibliothecæ Lacenſis.

Jacobus TRAMONTANA Prior Montis Regalis in Sicilia. Ob. 1605. Vid. Mongitore in Bibl. Sicul. & Armell. l. c.

Jacobus de URATISLAVIA Lunælacenſis Monachus. Ob. 1480. Vid. Pezii Diſſertatio Iſag. ad Tom. I. Theſ. Anecd. pag. IV.

Jacobus du VALL è Congr. S. Mauri, vivit. Edidit Genealogica. Nunc occupatur in adornanda nova Britanniæ Hiſtoria.

IDUNGUS Cœnobita Emmeramenſis c. a. 1190. Vid. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. 2. Theſ. Anecdot. p. XXXI.

Jeremias KARCK Monachus Corbeiæ Novæ. Vid. Viſſelbecc. in Chron. Huxar. ad an. 1336.

Jeremias REBSTOCK Abbas Blaubeyræ in Suevia.

IGLACUS Monachus & Prælector in ſchola Monaſterii S. Petri in finibus Berniciorum c. a. 704. Vid. Piſſ. æt. 8. pag. 143.

Ignatius BETSCHART Abbas Engelbergenſis.

Ignatius BRENDANUS. CIMAROLLA Banthenſis, vivit, & ſcribit poſt plura jam in lucem edita.

Ignatius CLAVENAU Aſceta Admontenſis Vitæ Venerabilis. Ob. 1701. Vid. Vit. ſuprà.

Ignatius GALEANUS, Decanus S. Martini de Scalis. Ob. an. 1681. Vid. Mongitore in Bibl. Sic. part. 1. pag. 309.

IGNATIUS Caſinenſis Monachus, de quo Placidus Diaconus in Supplem. c. 3. & Marus in Notis. Ejus etiam meminit Oldoinus in Addit. ad Ciacon. tom. 1. col. 413.

Ignatius GROPP S. Stephani Herbipol. vivit. Author Hiſtoriæ Monaſterii Amborbacenſis, & Antiquitatum Wirceburgenſium.

Ignatius PHILIBERT è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Sec. 17. Cujus meminit Calmet in Hiſtor. Lothar. Scriptorum Catalogo.

IGNATIUS Abbas Schyrenſis, magnæ doctrinæ & eruditionis clar. c. a. 1626.

Ignatius SQUARCIALUPI Congreg. Caſin. quinquies Præſes. Ob. 1526. Vid. Armell. part. 2. pag. 11. Jul. Negri in Hiſtor. Scriptor. Florent. pag 336.

Ignatius TRAUNER, Abbas San-Emmeramenſis ſeculo proximè præterito Concionum volumina plura cum laude edidit. Ob. die 21. Octob. an. 1694.

S. ILDEPHONSUS, Agalienſis monachus, Archiepiſcopus Toletanus an. 667. Vide vitam ſuprà cap. 2.

Ildephonſus CHATELINOT è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, vivit.

Ildephonſus GOETGEBUER, Elnonenſis Bibliothecarius cl. a. 1645. Foppens Bibl. Belg.

Ildephonſus KENDLMAYR S. Pauli Carinth. Sec. 17. Pez in Catal. S. G. B.

Ildephonſus LEHRER, Admontenſis, Sec. 17. Pez l. c.

Ildephonſus de MIER, Congr. S. Benedicti Hiſpaniarum Procurator Generalis, SS. Congr. S. R. univerſalis Inquiſitionis Quali-

Qualificator & SS. Rituum Conſultor, claruit 1693.

Ildephonſus SEIDEL Weichenſteph. vixit & ſcripſit an. 1733.

IMARUS Epiſcopus Tuſculanus, & S. R. E. Cardinalis. Ob. 1169. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. IV. p. 86.

INGELBERTUS, Monachus Salmurienſis c. a. 974. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 628.

INGELRAMNUS, vide *Angelramnus.*

INGULPHUS, Abbas Croylandenſis. Ob. 1109. Vide Lelandum, Baleum, Pitſeum, Savilium, Fellum, qui duo poſtremi hiſtoriam Ingulphi vulgârunt. Adde Pagium tom. IV. pag. 369. Mabill. Annal. Ben. tom. 5.

INNOCENTIUS II. Rom. Pont. ab an. 1130. ad. an. 1143. Baton. in Annal. Eccl. ad an. 1061.

INNOCENTIUS IV, aliàs *Sinibaldus*, quem Wion, Bucelinus, Deſingius, aliique Benedictinis annumerant.

Innocentius de NOVARIA, Abbas Caſin. Ob. 1557. Vide Plac. Diac. in Supplem. c. 7. Mar. in notis.

Innocentius CÆSIUS Abbas Congr. Caſin. Ob. 1704. Vid. Armell. part. 2. pag. 14.

JOACHIMUS, Abbas Fiſchingenſis in Helvetia, piiſſimus Aſceticæ vitæ Magiſter. Ob. 1688. Felix Egger Ideæ Ord. Hier. Ben. lib. 2. part. 3. pag. 435.

JOACHIMUS Florenſis Coratii Abbas, prophetiæ ſpiritu inclytus claruit ad an. 1201. de cujus operibus Wion, Eiſengrein, Scaliger, Bucelinus & alii.

Joachimus MORSAK Zwifaltenſis. Ob. 1686. Vid. Annales Monaſterii, & Hiſtoriam Univerſ. Salisburg. pag. 368.

Joachimus de NOUELLES *de Guiſia*, vulgò nuncupatus Abbas S. Vincentii Laudun. Ob. 1396.

Joachimus OPSERUS Abbas San-Gallenſis LXII. Vid. Gall. Chriſt. tom. 5.

Joachimus PERIONIUS, Cormæriacenſis, Univerſitatis Pariſienſis Theologus, politioris literaturæ inſtaurator non poſtremus. Ob. 1559. Vide vitam ſuprà cap. 3.

Joachimus PRIESTERSPERGER, Mellicenſis, de quo Pez. Anecd. tom. 3.

Joachimus REICHART, Aſceta Augiæ Majoris Brigantinæ, alia proprio ingenio lucubravit, alia è Gallico Germanicè reddidit. Vivit.

Joachimus STICH, Prior Altahæ inferioris an. 1716.

Jocelinus BRAKELONDE, ſeu *Braclandus*, Monachus Burienſis c. a. 1214. Vide Thom. Smith in Catal. Bibl. Cotton. p. 94. col. 1. Pitſ. æt. 13. ad an. 1214.

Jodocus MEZLERUS, San-Gallenſis, an. 1604. Vid. Diſſert. Iſag. Bern. Pezii in Tom. I. Theſ. Anecd. Part. III. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 5. p. 221.

Jodocus WAGNER - - anno 1740. edidit Viam breviſſimam dirimendi omnes fidei controverſias.

JOEL Monachus S. Petri ad Culturam apud Cenomanos an. 1080. Vid. Annal. Ben. tom. 5. p. 159.

JOFFRIDUS, ſeu *Gauffridus*, vel *Galfridus* S. Mathiæ Treviris an. 1090.

Johanna Maria BONHOMIA eruditionis etiam latinæ, non minùs quàm ſanctitatis famâ celebris obiit 1670.

JOHANNES Abbas, incertum cujus monaſterii, autor aurei libelli de Profeſſione Monachorum, quem Bern. Pezius edidit Parte II. Tom. I. Theſauri Anecdotorum, niſi illud Opus, ut vult, Jacobus Echard in Bibliotheca PP. Prædicatorum, ſit Guillelmi Peraldi, Dominicani, quod ſe aliàs accuratiùs examinaturum laudatus Pezius promiſit ad Tom. IV. Bibl. Aſcet.

Johannes AGRICOLA, Amorbacenſis, ad an. 1592. duo volumina concionum ſcripſit. Vid. Hiſtor. Monaſterii Amorbac. pag. 157.

JOHANNES Abbas S. Arnulfi Metis anno 980. Vid. Calmet in Hiſtor. Lotharing.

JOHANNES *S. Albani* Moguntiæ, an. 925. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. ad hunc annum.

Joannes Franciſcus ALBERCOMBIUS Anglus è Congr. Caſin. Ob. 1693. *Vid. Armell. part. 2. p. 37. Machenzius &c.*

Johannes ALGRINUS, Monachus Cluniac. Abbas S. Petri de Abbatisvilla ex Archiep. Biſuntino Epiſcopus Cardinalis Sabinus. Vid. Bucell. Annal. Ben. ad an. 1235. p. 29. Henr. Gandav. c. 38. Trithem. de S. E. c. 441. Wion, Poſſevin. Eyſengren.

Johannes Jacobus ALBUS, vulgò *White*, Abbas Scotorum Ratisbonæ. Ob. 1629. Ex monumentis monaſterii ejusdem.

JOHANNES *Altvillarienſis*, ſeu de *Altavilla*, cl. an. 1200. juxtà Pitſeum Oxoniæ natus, fuit Monachus S. Albani, quod Oudinus negat, ac natione Normannum in Gallia editum in lucem fuiſſe contendit Tom. 2. de S. E. col. 1621.

JOHANNES S. Amandi Monachus, & Poëta inſignis clar. an. 1000.

Johannes de ANDERNACO, Lacenſis Cœnobita. Obiit an. 1530. relictis aliquot pietatis & eruditionis ſpeciminibus. *Vid. Hontheim Tom. II. p. 552.*

JOHANNES Monachus diœceſis Ambianenſis, inde Epiſcopus & Cardinalis an. 1294.

Johannes d' ARNAL, Monachus Monaſterii

rii

rii S. Crucis in Urbe Burdigal. *Vid. Menard. in Menol. pag.* 294.

Johannes AMUNDISHAM, Monachus ad S. Albanum in Anglia cl. an. 1450. Vide Smith in Catal. Bibl. Cotton. pag. 42.

Johannes de AREVALO, Monachos S. Petri de Cardena. Ob. 1646. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 483.

Johannes Andreas ASTEZATI, Monachus Placentiæ apud S. Xyſtum, vivit inſignis Mathematicus. Vid. Armell. part. 2.

Johannes Auguſtinus MATHUIS, Abbas Lacenſis. Ob. 1587. Vid. Bucel. in Bened. Rediv. pag. 104.

JOHANNES *Evangeliſto ab* AVERSA Abbas Neapoli ad S. Severinum c.a. 1545. Vid. Ant. Mongitore in Bibl. Sic.

JOHANNES IX. Pont. Rom. ab an. 901. ad 905. Vid. Baron. Pag. Mabill.

JOHANNES X. ab an. 912. ad 928. Vid. Lud. Jacob Bibl. Pontif. pag. 133.

Johannes BARNES, Anglus Benedictinus an. 1641. Vid. Piti. append. p. 858.

Johannes BASTONIER è Monacho S. Martini Tornac. & Priore Gemblac. Carthuſianus, ſcripſit quædam adhuc Benedictinus. Vide Foppens Bibl. Belg. pag. 576.

JOHANNES Abbas ad S. Bavonem Gandavi an. 1390. Vid. And. Valer. pag. 447.

Johannes Baptiſta BECCIUS è Congr. Caſin. c. an. 1668. Vid. Armell. part. 2. pag. 21.

S. Johannes BEVERLACIUS, Archiepiſcopus Eboracenſis, de quo Baleus *Cent. I. cap.* 94. *Pitſ. pag.* 122. Fatis ceſſit an. 721.

JOHANNES *Chriſtophorus* Abbas Lunælacenſis ſcripſit vitam S. Wolfgangi Epiſcopi an. 1594.

Johannes Joachimus à BEROLDINGEN, Decanus Einſidlenſis, author *Hortuli Roſarum* an. 1602. typis mandati.

Johannes Stephanus BADIER è Congreg. S. Mauri. Ob. 1719. Vid. Pezii & Cerſii Epiſtol.

Johannes de BELORADO, Abbas S. Petri de Cardena. Floruit c. an. 1593. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 499.

Johannes BERARDI, Monachus Caſin. an. 1082. Vid. Murator. Tom. 2. Scriptor. Rer. Ital. part. 2. pag. 767. Annal. Ben. tom. 3.

Johannes Caſpar BERRETA, Mediolani in Monaſterio S. Petri in Glaſſiate Cœnobita, perinde doctrina, ac modeſtia inſignis, Lector Ticinenſis, atque auctor *Diſſertationis Chorographicæ de Italia medii ævi.* Vivit. Armell. part. 2. pag. 38.

JOHANNES Abbas Bertinianus, ſcriptor vitæ S. Bernardi Pœnitentis an. 1183. ad Superos tranſlati. Vid. And. Valer. Bibl. Belg. pag. 447. Swert. Athen. Belg. pag. 387. Foppens Bibl. Belg. p. 580.

Johannes BERTELIUS, Abbas Monaſterii B. M. V. de Münſter propè Luxemburgum, dein Epternacenſis obiit 1607. 19. Julii. Andr. Valer. l. c. pag. 459. Swertius l. c. pag. 396. Calmet in Syllabo Abbatum Epternac. *tom.* 3. *Hiſtor. Lotharing.* Foppens *p.* 579. Hontheim. *Hiſtor. Trev. Tom. II. pag.* 552.

Johannes BIRCHINGTON Monach. Cantuar. Sec. XIV. de quo vide Henr. Warthon tom. 1. Angl. Sac.

Johannes BISCHOFF San-Gallenſis c. an. 1480. Vid. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 54.

Johannes BLENCKER *de Babenhouſen*, Abbas Amorbacenſis an. 1466. ad an. 1484. de quo vide hujus Monaſterii hiſtoriam pag. 157.

Johannes BLOERUS Dieſthemius, Prior S. Jacobi Leodii, de quo vide And. Val. l. c. pag. 461. Franc. Swert. l. c. pag. 397. Foppens p. 581.

Johannes BOCKINGHAMUS, Monachus Cantuar. cl. an. 1398. Pitſ. æt. 14. pag. 564.

Johannes BONDONETUS, cujus ſcripta recenſet & le Long. Bibl. Hiſtor. de France lib. 2. cap. 1. p. 944.

Johannes BONNEL è Congr. S. Mauri. Ob. 1692. Vide le Cerf. p. 42.

Johannes BOSTONUS, Anglus, Burienſis, Auctor *Speculi Cœnobitarum*, an. 1410. Vid. Leland. Bal. Pitſ. æt. XV. pag. 593. & Thom. Gal. Warthon in Continuat Cavei Hiſt. Liter.

Johan̄es BOUZBACHIUS Piemontanus, Lacenſis Prior, obiit an. 1526. Ejus elogium hiſtoricum vide ſuprà cap. III.

Johannes BRIS MARTINEZ, Abbas S. Joannis de Cardenna cl. c. an. 1620. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 304.

Johannes Franciſcus à BRIXIA, Congreg. Caſin. an. 1500. Vid. Wion Lig. vit. part. 2. Poſſev. in Appar. Sac. part. 1. pag. 872.

Johannes BURCHARD, Monachus Schwarzachenſis Sec. 17.

Johannes CALCEATI, Gallus, è Congr. Caſalis Benedicti. Ejus ætas mihi incomperta. Vid. le Long Bibl. Sac. p. 660.

Johannes de CAMPIDONA, Monachus Mariæcellenſis in Auſtria c. an. 1450.

Joan-

Johannes CARAMUEL *de Lobkowitz* Hiſpanus, Ciſtercienſis primùm, dein Abbas Benedictinorum Montſerratenſium Viennæ, inde etiam Pragæ, pòſt Epiſcopus Vigevitanus. Miri Vir ingenii, nulliúsque doctrinæ expers, ſed dialecticâ præcipuè ſubactus diſciplinâ claruit ſub an, 1648. *Vid. Ughellus in Ital. ſacra*; *Viſchius in Bibl. Ciſterc.*

Johannes de CARNIOLA, Mellic. Ob. 1456. Vid. Bibl. Mellic. pag. 256.

Johannes CARON monachus in Gallo-Flandria exeunte ſeculo xv. Vid. And. Valer. pag. 477. Foppens Bibl. Belg. pag. 605.

JOHANNES Abbas Caſinenſis. Ob. 934. Vid. Camill. Peregrin. Murator. Tom. II. Scriptor. Rer. Ital. pag. 272. Annal. Ben. tom. 5. p. 238.

JOHANNES Monachus Caſinenſis, Medicus, c. an. 1090. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. cap. 25.

JOHANNES *Cellenſis*, Monach. Mellic. Ob. 1651. Vid. Bibl. Mellic. pag. 500.

JOHANNES, Caſtellenſis Monachus, 1390. Trithem. de Vir. Ill. Ord. S. B. l. 2. c. 135. & Chron. Hirſaug. tom. 2. ad an. 1430. pag. 365. Eyſengren. Cat. Teſt. Verit. p. 153.

Johannes CASTANIZA, Hiſpanus, Author verus præſtantiſſimi Operis Aſcetici *De perfectione Vitæ Chriſtianæ*, ſeu *Pugnæ Spiritualis*. Nicol. Ant. B. H. N. pag. 512. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 387.

Johannes CASTOR, vulgò *Bæver* ſive *Fiber*, Monach. Weſtmonaſt. Vid. Voſſ. de S. L.

Johannes Benedictus della CAVA, Caſinenſis cl. c. an. 1642. Vid. Pez Epiſt. Apol. pag. 202.

Johannes CHARTIER, Monachus S. Dionyſii in Francia ſub med. Sec. xv. Vid. Claud. Robert. Chriſ. Sand. Jo. Ger. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 57.

Johannes du - CHENE è Congr. S. Mauri. Vide le Cerſ. pag. 358.

Johannes Chryſoſtomus HIRSPECK, Abbas Schyrenſis anno 1548. electus, claruit ad an. 1558. quo in lucem dedit *Axiomata contra Scripturæ divinæ abuſum.*

Johannes de CISNEROS, Abbas B. V. dell' Eſpino, Hiſp. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 519. Pet. Alva in Militia Conceptionis.

Johannes Joſephus CLADIERE è Congr. S. Mauri c. an. 1690. Vid. le Cerſ. Bibl. Hiſt. Crit. p. 60.

Johannes COULON è Congr. S. Mauri, vivit, & in Hiſtoria Literaria Franciæ perſcribenda cum Domno *Rivet* impigrè deſudat. Deus utriusque doctiſſimi Scriptoris vires in longum ævum integras conſervet, ne tam vaſto & erudito opere frangantur.

Johannes Alphonſus CURIEL, Hiſpanus: Ob. 1569. Vide le Long Bibl. Sac. p. 692.

Johannes DAMIUS CURTENSIUS, Mon. Spanheim. an. 1496. Vide Chronicon Spanheim.

JOHANNES *Diaconus* Caſinenſis, cujus meminit Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. 38.

JOHANNES *Diaconus*, S. R. E. Cardinalis c. an. 874. Vid. Mabillon Annal. O. S. B. tom. 3. pag. 36.

Johannes DOCÆUS ex Abbate S. Dionyſii Epiſcopus Laudun. c. an. 1518. Vide Sammarth. in Gall. Chr. Poſſev. in Appar. Sac. Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Felibien. in Hiſt. Monaſterii San-Dionyſiani.

Johannes de D'ORSTEN S. Martini Colon. an. 1420. Ex Catal. Bibl. San-Martin.

Johannes Bapt. EBBERTH SS. Canonum Profeſſor in Univerſ. Salisburg. anno 1706. De ejus ſcriptis vide H. U. S. pag. 371.

Johannes EGONIUS, Prior Augiæ Divitis, Ob. 1643. Vid. Bern. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd. part. 3. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. IV. p. 206.

JOHANNES Monachus Elnonenſis Sec. x. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. p. 582.

Johannes ELIE, Monachus Abbatiæ S. Criſpini an. 1689. Vid. Jac. le Long. Bibl. Hiſt. de France.

Johannes d' ESPIERES, Monaſterii Aquicinctini Magnus Prior 1651. Vide le Long Bibl. Sac. Foppens Bibl. Belg. p. 628.

Johannes EVERISDEN, Monachus Burienſis in Anglia an. 1336. Vid. Pitſ. æt. 14. pag. 435. Voſſ. de Hiſtor. Lat. l. 2. c. 65.

Johannes FABER, Carnotenſis Epiſcopus an. 1390. Vid. Bulæus in Hiſtor. Acad. Pariſ.

Johannes FAYTA, ſeu FAIUS, Abbas ad S. Bavonem Gandavi. Reſignavit Prælaturam an. 1394. Vid. And. Valer. p. 500. Swertius pag. 387. Foppens pag. 636. Sanderus de Scriptor. Gandav.

Johannes Evangel. FEDERICI Congr. Caſin. Ob. 1670. Vid. Armell. part. 2. pag. 36.

Johannes Baptiſta FERRETI è Congr. Caſin. Ob. 1682. Vid. Armell. part. 2. pag. 22.

JOHANNES, Abbas Fiſcanenſis, de quo Mabillonius in Annal. tom. 4. & in Analectis tom. 1. pag. 165. Ob. anno 1078.

Johannes FLETUS, Monachus Weſtmonaſterienſis, de quo vid. Pitſ. p. 875.

Johannes Bapt. FOLENGUS, Abbas S. Mariæ de Pyro in Marchia Tarviſina, Author inſignis Commentarii in Pſalmos. Ob. 1559. Vid. Armell. in Bibl. Scriptor. Congr. Caſin. part. 2. pag. 24. Aug. Thuan, Lud. Moreri, Elias Dupin &c.

S. JOHANNES *Laudenſis*, Monachus Fontis Avellanæ, diſcipulus B. Petri Damiani, ac Epiſcopus Eugubinus. Vide Ughellinum tom. 1. Ital. Sac. in Epiſcopis Eugubinis.

Johannes FRUMENTARIUS, aliàs WETHAMPSTEDE, Abbas S. Albani in Anglia c. an. 1440. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Johannes GARETIUS è Cong. S. M. edidit Opera M. Caſſiodori anno 1679. Obiit 1694. Vid. Pezii & Cerfii Bibl.

Johannes GELÉ è Congr. S. Mauri anno 1705. edidit Dictionarium Baudrandi Geographicum novis acceſſionibus locupletatum; habuit etiam prælo parata *Johannis Carnotenſis Epiſcopi* Opera. Vide le Cerf. pag. 156.

Johannes GANS - - - - edidit an. 1726. Exercitia Spiritualia S. Gertrudis.

JOHANNES *Maria*, Genuenſis, Abbas è Congr. Caſin. Sec. XVI. c. an. 1550. Vid. Armell. part. 2. p. 44.

Johannes GERSEN, Abbas Vercellenſis, autor libri *de Imitatione Chriſti*. Ita Dufreſne in Indice Scriptorum, quem Golſſario ſuo præfixit. Deus mihi det gratiam; ut quod in hoc aureo libello docetur, magis faciam & opere compleam, quàm ut quis illius verus ſit autor, verbis diſputem, atque non ſine convitiis, parùm ex imitatione Chriſti, ut à nonnullis factum, lites inſtaurem. *Vide dicta Part. II. pag.* 211. *Vincentii Thuillerii Hiſtoria Concertationis de authore libelli de Imit.*

JOHANNES Confrater & Mon. Glaſtonienſis c. an. 1400. Smith. in Catal. Bibl. Coton. p. 20.

Johannes Angelus GODIN è Congr. S. Mauri. Ob. 1665. Vide Cerfii Bibl. p. 174.

Johannes GODOFRIDI, aliis *Goffridi*, S. R. E. Card. an. 1468. Vid. Acherii Spicileg. ult. edit. in fol. tom. 3. p. 825. & 835.

JOHANNES, Abbas Gorzienſis Sec. x. Mabill. Act. Sanctor. Ord. S. Ben. Sec. IV. part. 1. p. 417.

Johannes GRANIER ex Monacho Abbatiæ San-Dionyſ. Doctor in Sorbona, Henrici IV. Theologus, Concionator, ac ejus favore Epiſcopus Monſpelienſis an. 1607. Vid. Gall. Chr. tom. 6. pag. 816.

Johannes GRIESHERR, Monachus San-Udalricanus Aug. Vind. de quo vide Pet. Lambec. Bibl. Vindobon. tom. 2. pag. 933.

Johannes GRUNDEMANN, Monachus S. Thomæ Lipſienſis an. 1460.

Johannes GUALBERT, Abbas Weiſſenhoenſis, vulgavit an. 1691. Conciones.

Johannes Benedictus de GUARDIOLA, Hiſpan. Mon. S. Facundi an. 1591. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 500.

JOHANNES, Haguſtaldenſis in Anglia Prior clar. an. 1133. Vid. Pitſ. æt. 12. pag. 255. Annal. Ben. tom. 6. p. 413.

Johannes Bapt. HADRIANUS, Mon. Caſin. Sec. 16. Toppius in Bibl. Neapol. p. 219. & ex eo Armell. part. 2. p. 26.

Johannes Evangel. HAIGEL, Michelfeldenſis an. 1724.

Johannes HAUSER, Mon. Lunælac. Vide Catal. Biblioth. hujus Monaſterii pag. 412.

JOHANNES *Hautivillenſis*, ſuprà *Altivillarienſis*, ab Opere ſuo celebri vocatur Architrenius. Vid. Pitſ. æt. 13. p. 266.

Johannes HEIMBERT, Abbas Brunsfeldenſis, exeunte ſeculo XIII. vel ineunte XIV. claruit. Vid. Leuckfeld Antiquit. Bursfeld. pag. 18.

Johannes Baptiſta HEMM, Abbas San-Emmeramenſis. Ob. 1719. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. p. 371.

Johannes HERVINUS è Congr. S. Mauri. Vivit. Ejus meminit Cl. Montfauconius in MS^to Catalogo Scriptorum Congr. S. Mauri, quem mecum communicavit, atque adeò propria manu exaratum Pariſiis Viennam dono tranſmiſit.

Johannes de HIDA, ſive *Hyda*, Monachus Wintonienſis c. an. 1284. Vid. Pitſ. æt. 14. p. 365.

Johannes HUGNES S. Florentii propè Salmurium Prior cl. an. 1647. Vide le Long Bibl. Hiſt. de France.

Johannes Bapt. HUTSCHENREITTER, Priflingenſis Monaſterii propè Ratisbonam Profeſſus edidit Sacra Exercitia Octiduana an. 1741.

Johannes de INDAGINE, ex Canonico Hildesheimenſi Monachus & Abbas Bursfeldenſis, præcipuus Reformationis Ordinis Benedictini in Germania promotor, vel potiùs auctor. Obiit an. 1479. Vide Leuckfeldii Antiqq. Bursfeld. cap. 1. pag. 22. ubi plures allegat Scriptores, qui de *Johanne* agunt.

Johannes JESSENET, è Congr. S. Mauri, diſcipulus Mabillonii, in flore ætatis deceſſit an. 1688. Vid. le Cerf. Bibl. p. 182.

Johan-

Johannes INFANTIUS, Monachus Rameſeganus in Anglia. Vid. Leland. c. 241.

Johannes IPERIUS, Abbas S. Bertini. Ob. 1383. Vid. Jac. Major in Añal. Flandr. & Ferreol. Locr. in Chron. Belg. And. Val. in Bibl. Belg. & Franc. Swert. in Athen. Belg.

Johannes de IRIDE, Monachus S. Laurentii Leodii an. 1140. Vid. Chronicon Monaſterii.

IOHANNES Italus Cluniac. anno 1010. ſcripſit vitam S. Odonis Abb. Cluniac. Vid. Bibl. Clun. cum notis Duſcheſnii pag. 14. Mabillon. in Actis SS. Ord. S. B. Sec. v. Voſſ. de Hiſt. Lat.

JOHANNES, Abbas Juncellenſis, inſignis Juriſperitus, de quo Vid. Mabill. Annal. tom. 2. pag. 463. Item Gall. Chr. tom. 6. col. 401.

Johannes de KALETO, Abbas Petroburgenſis in Anglia, anno 1262. vitâ functus. Scripſit Chronicon ſui monaſterii, quod Joſephus Sparke Londini an. 1723. publici juris fecit. Falluntur ergo Oudinus & Fabricius, qui Pitſeum ſequuti hunc Joannem Abbatem circa annum 1390. claruiſſe, & Chronicon ſui monaſterii ad annum 1368. deduxiſſe ſcribunt. Nam ab obitû *Johannis* Abbatis *Robertus de Baſton* Chronicon interpolavit, & ad annum 1368. continuavit. Quod monendus fuit Lector, ne cum Oudino & Fabricio unum Autorem in duos diſtrahat, ſcilicet in *Joannem de Kaleto*, qui anno 1262. & *Joannem de Burgo*, qui circa an. 1390. humana abſolvit.

Johannes KECK, Tegernſeenſis, ſcripſit Flores Chronicorum. Vid. Kropf in Bibl. Mellic. pag. 55.

Johannes Baptiſta KRAUSIUS Princeps & Abbas ad S. Emmeramum Ratisbonæ an. 1748. Bibliothecam Principalis Eccleſiæ & Monaſterii ſui tom. IV. in 8. vulgavit. Ejus etiam merita in rem diplomaticam, in illuſtri poſita ſunt monimento.

JOHANNES, Abbas Lambacenſis, Sec. 17. Vid. Pez in Epiſt. Apolog.

Johannes Baptiſta LANA, Congr. Caſin. Præſes. Ob. 1702. Vid. Armell. part. 2. pag. 27.

Johannes LANGHEMIUS, aliis *Langdonus*, Epiſcopus Roffenſis. Ob. 1434. Baleus Centur. VII. cap. 68. Warthon Angl. Sac. tom. 1. pag. 380. Videtur haud diverſus eſſe à *Johanne Langdeno*, quem Pitſeus ad an. 1420. ex Monacho Cantuarienſi Epiſcopum Oxonienſem creatum ſcribit.

Johannes LANGUS, San-Gallenſis, ævi nobis incomperti. Mezler de Vir. Ill. lib. 1. c. 41.

B. JOHANNES Monachus S. Laurentii Leodii cl. an. 1156. de quo vide Reinerum de Scriptoribus ejusdem monaſterii.

Johannes LEGATUS, Monachus in Hildesheim, S. Godehardi c. an. 1500. Chronographus ſui Monaſterii. Vid. Leibnitz Introduct. ad Scriptor. Rer. Brunſv. tom. 2.

Johannes LEWTEL, Monachus Altahæ Superioris, vixit & ſcripſit an. 1463. Vide part. 2. Bibl. San-Emmeram. p. 101.

Johannes LIRON è Congr. S. Mauri, vivebat adhuc an. 1726. quo prodiit Philippi Cerſii Bibliotheca Hiſtorico-Critica, in qua ejus Opera critico examine diſcutiuntur.

JOHANNES *Londinenſis*, Monachus Cantuar. c. an. 1317. Vide Catal. Mſs. Codd. Bibl. Coton. Oudin. de S. E. tom. 3. pag. 1088.

Johannes LONGUS S. Bertini Audomarop. Vide ſuprà *Johann. Iperius.*

Johannes LONTAILLERUS, Abbas Aquicinct. an. 1569.

JOHANNES *Loſſenſis*, Abbas Leod. S. Laurentii an. 1500. Vid. Oud. Tom. III. col. 2564. And. Val. Bibl. Belg. p. 528.

JOHANNES Abbas Lunælac. clar. tempore Concilii Conſtantienſis, cujus hiſtoriam ſcripſit. Vid. Chronicon Monaſterii.

Johannes de LUTERBECH, Mon. ad S. Stephanum Herbipoli cl. c. an. 1350.

JOHANNES majoris Monaſterii propè Turonem Monachus cl. an. 1154. Vid. Oudin. Tom. 2. pag. 1421. ubi corrigit Lucam Acherium, qui tomo x. Spicilegii de hoc Joanne agit.

Johannes MABILLONIUS, nomen *Magni* in Orbe literario adeptus, immortale decus ac ornamentum doctiſſimæ ac celeberrimæ Congregationis S. Mauri. Ob. 1707. Ejus vitam ſcripſere Theodericus Ruinartus, & Renatus Maſſuetus.

Johannes MAILROSIUS, natione Scotus, cl. c. an. 792. Vid. Bulæus Tom. I. Hiſtor. Academ. Pariſ. pag. 610.

Johannes Bapt. MALINGHEN è Congreg. S. Mauri novam Operum Tertulliani editionem orſus, eam morte ſublatus imperfectam reliquit. Vide le Cerf. pag. 293.

Johannes MALVERNÆUS Vigornienſis, an. 1342. Vid. Pitſ. æt. 24. pag. 878. Thomas Jameſius in Eclog. Oxon. Cantabrig. part. 2. pag. 94.

Johannes le MAISTRE è Congr. S. Mauri, de quo vid. Bern. Montfaucon in præfat. ad Bibl. Mſs. Codd.

JOHANNES *Marchianenſis* in Gallo-Flandria ævi incerti. Vid. Foppens Bibl. B. pag. 687.

Johannes MARENEUS è Congr. Caſin. Abbas. Ob. 1705. Vid. Armell. part. 2. pag. 44.

Johannes de MARQUAIS Cœnobii Vedaſtini Magnus Prior. Ob. 1604. Vid. le Long in Hiſt. Eccl. de France.

Johannes de MARE, Candomienſis Epiſcopus. Ob. 1521. Vide vitam cap. 3.

Johannes MARTIANAY è Congr. S. Mauri novam Operum S. Hieronymi editionem dedit. Ob. 1717. Vid. Nizronius, Pezius, Cerfius, Card. Quirinus in Comment. Hiſt. de rebus ad ſe pertinentibus part. 1. p. 88.

JOHANNES S. Mathiæ Trevirenſis floruit an. 1047. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. pag. 184.

Johannes MEARUS, Nordvicenſis, Sec. xv. juxtà Pitſ. p. 879. incertæ ætatis.

Johannes de MEDINA, Monachus S. Vincentii Salmanticæ clar. an. 1545. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Johannes de MEGIES, Mellicenſis, Ob. circa finem ſeculi xv. Vid. Bibl. Mellic.

JOHANNES, Abbas Metenſis Sec. x. deſcripſit vitam S. Joannis Abbatis Gorzienſis. Vid. Mabill. Acta SS. O. S. B. Sec. 5. p. 363.

Johannes MERYLINCK, Monachus Glaſtonienſis, c. a. 1325. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. 5. p. 218.

Johannes Bapt. de MIRO Congr. Caſ. Præſes. Ob. 1731. Vid. Armell. part. 2. pag. 27.

Johannes de Monte NORICO, Monachus S. Burchardi Herbipol. Trith. in Chron. Hirſaug. ad an. 1072.

Johannes Antonius à Monte RUBRO, Mon. Caſin. ævi incomperti, de quo Auguſtinus Oldoinus in Athenæo Liguſtico.

Johannes Bapt. à NEAPOLI, Monachus S. Mich. Archang. Montis Caveoſi. An. 1610. Vid. Armell. part. 2. p. 31.

Johannes Evangeliſta à NEAPOLI, Mon. Caſinas an. 1609. Vid. Armell. part. 2. pag. 36.

JOHANNES *Nivicellenſis*, Mon. & Abbas Congr. Clun. c. a. 1460. Vid. Wion in Ligno Vitæ pag. 797. Eyſengrein in Catal. Teſt. Ver.

Johannes de NICÆA, Mon. Lerinenſis & Prior S. Stephani de Bargiamono an. 1364. ſcripſit Pſalterium. Vid. Act. SS. Bolland. tom. 7. Maji p. 240.

Johannes NOVATUS, Abbas Pontidæ in agro Bergomenſi, vivit. Vid. Armell. part. 2. p. 15.

Johannes de NOUELLES, vulgò de Guiſia nuncupatus, Abbas S. Vincentii Laudunenſis an. 1376. Vid. Luc. Acher. in edit. Operum Ven. Guiberti Abbatis de Novigento.

Johannes de OBERNBERG, Mellic. flor. 1436. Vid. Bibl. Mellic. pag. 217.

Johannes Antonius ORSATI, Abbas S. Juſtinæ Patavinæ à doctrina & eruditione percelebris. In vivis, ut conjicimus, adbuc eſt. De eo Papadoli in Hiſtor. Gymnaſii Patavini tom. 1. l. 2. Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p. 19.

Johannes de OXOMEDES, Monachus S. Benedicti de Ulmo c. a. 1290. Oud. Tom. 3. col. 969.

Johannes OLIVIER, Abbas S. Medardi, & ſubinde Epiſc. Andegav. an. 1532. Vide Felibien in Hiſtoria Monaſterii S. Dionyſii pag. 380. & Philippum le Cerf. p. 119.

Johannes Evangeliſta à PANORMO, Abbas S. Martini de Scalis. Ob. 1694. Vid. Mongitore Bibl. Sic. p. 344.

Johannes à PASTURA, Prior Gemblacenſis, an. 1560. Vide Bibliographos Belgas, Valer. Swert. Foppen. Sixt. Sen. Bibl. San. l. 4. p. 22.

Johannes PECKIUS, Abbas S. Laurentii Leodic. Ob. 1516. Foppens Bibl. Belg. pag. 710.

Johannes de PEDROSA Congr. Hiſp. Procurator Generàlis Romæ. Sec. xvi. Vid. Nic. Ant. B. H. N. p. 579.

Johannes PERUSINI ad D. Petrum Cœnobii alumnus. Cl. c. a. 1500. Vid. Armell. part. 2. p. 16.

Johannes PEYSSERIUS, Monachus Altachii inferioris. Ob. 1424. Vid. Bruſchii Cent. 2. p. 42.

Johannes PIGNEWARTIUS, Belga, Boneffienſis, Monaſterii in Comitatu Namurcenſi Religioſus, cl. 1624. Vid. Andr. Valer. p. 548.

Johannes Bernardus PLANCHETTE è Congreg. S. Mauri. Ob. 1687. Vide Pezii & Cerfii Bibl.

Johannes Franciſcus POMMERAYE è Congreg. S. Mauri. Ob. 1687. Vide Pez & le Cerf l. c.

Johannes PRÆCOPIUS, Abbas S. Martini de Schalis, Panormi. Ob. 1418. Vid. Mongitore Bibl. Sic.

Johannes de PRECIS, Abbas S. Germani à Pratis. Vid. Hiſtor. Monaſterii.

Johannes Jacobus, Comes à PREYSING, Monachus Tegernſeenſis. Ob. 1645. Vide Hiſt. U. S. p. 374.

Johannes Jacobus RAVERDY è Congr. S. Mauri,

Manri, vivit. Laudatur Garnerio præfatione in Tom. II. Opp. S. Baſilii M. pag. LXXXVII.

Johannes RANDHARTINGERUS Mellicenſis, eloquentiæ Profeſſor emeritus, & Poëta eximius, cujus extat *Oratio de Domo Auſtriaca.*

Johannes RAULINUS ex Collegii Navarrici Magno Magiſtro Monachus Cluniac. Ob. 1514. Vid. vitam ſuprà cap. 3.

Johannes RESTA, Abbas S. Petri de Glaſſiate Mediolani. Ob. 1653. Vid. Armell. part. 2. pag. 16. Plac. Puccinell. Chron. Glaſſiat. p. 179.

Johannes Andreas RICCI, Monſerratenſis in Hiſpania. Ob. 1685. Vid. Gattola Hiſt. Caſin. Sec. 13. §. 4. p. 760.

Johannes de ROBLES, Abbas S. Vincentii Salmanticæ cl. c. a. 1583. Vid. Nic. Ant. B. H.

Johannes Benedictus ROCCA ex Jeſuita Benedictinus Congr. Caſin. Ob. 1712. Vid. Armell. part. 2. p. 33.

Johannes RODE, ſeu *Rhode*, Abbas S. Mathiæ Treviris. Ob. 1439. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. Tom. 2. Item Lib. de Vir. Ill. O. S. B. Henr. Pantal. in Proſograph. Heroum atque Vir. Illuſtr. part. 2. p. 406. Arnold. Wion in adjunctis ad Lib. 2. Ligni Vitæ pag. 88.

Johannes RODITON, Anglus Benedictinus an. 1355. de quo Eyſengrenius Catal. Teſt Verit. p. 142.

Johannes Evangeliſta ROTTNER, Mallerſtorphenſis, Communis Studii in Bavarica Congregatione Regens, author *Margaritæ Cæleſtis* anno 1719, typis exſcriptæ.

Johannes de SALAZAR, Hiſpanus, Congr. Procurator Romæ cl. c. a. 1608. Vid. Nic. Ant. B. H. N. p. 594.

Johannes SANTO, Monachus Cœnobii S. Laurentii de Averſa. Ob. 1670. Toppius in Bibl. Neapol. p. 121.

Johannes Paulus du SAULT è Congr. S. Mauri. Ob. 1726. Vid. le Cerf. pag. 466.

Johannes SCOTUS claruit ævo Caroli M. cui chariſſimus erat. Sixt. Sen. Bibl. San. pag. 423.

Johannes SCHECKMANN, Monachus S. Maximini Treviris cl. Sec. 16. Vid. Acta SS. Bolland. tom. 7. Maji pag. 20. Junii tom. 1. pag. 101. Aug. tom. 3. p. 550. Hontheim *Hiſt. Trevir. Tom. II. pag.* 552.

Johannes SERRATI, Abbas Titularis, è Congr. Caſin. Ob. 1647. Vid. Armell. part. 2. pag. 17.

JOHANNES Sithivenſis Monachus, de quo vid. Bolland. tom. 10. p. 93.

Johannes SCHELZIUS Benedicto - Buranus circa an. 1482. clarus, de quo Chron. Benedict. Bur. Part. I. p. 200.

Johannes SCHLIPPACHER, vulgò de *Weilheim*, Prior Mellicenſis, celebris famæ. Ob. 1482. Vid. Bibl. Mell. p. 369.

Johannes SAGNOLIUS, Cœnobii Remigiani Archiprior hoc Seculo.

Johannes de SPIRA, Prior Mellicenſis, c. a. 1430. Vide Pezii Diſſert. Iſag. in Theſ. Anecd. Tom. 2. p. XXXIV. & præfat. ad Tom. IV. Bibl. Aſcet. n. IV. Martini Kropfii Bibl. Mellic. pag. 256. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 4. p. 427.

Johannes de SPIZ, Mon. Mellicenſis cl. 1451. Vid. Bibl. Mellic. p. 245.

Johannes STABULANUS, Leodii ad S. Laurentium Monachus Chronographus. Ob. 1449. *Vid. Miræus, Swertius, Valerius, Foppenius, Fabricius.*

Johannes Bapt. STELLA, Abbas D. Pauli de Urbe. Ob. 1597. De eo agit Octavius de Rubeis in Elogiis hiſtoricis illuſt. Brixin. p. 419.

Johannes Bapt. STAINHAUSER ex Domo S. Petri Salisburgi. Vivit.

Johannes SUCHEIUS, Monachus Norwicenſis, incertæ ætatis. Vid. Pitſ. in Append. pag. 882.

Johannes STONUS, ſeu *Stonæus*, Mon. Cantuar. c. a. 1467. Vid. Pitſ. æt. 15. pag. 628. Balæ. Cent. XI. 44.

Johannes STOWUS, Anglicè *Stow*, Monachus Nordwicenſis, c. a. 1440. Balæ. Cent. XI. Pitſ. æt. 15. pag. 628. Mihi videtur idem eſſe cum priore.

JOHANNES *Sublacenſis* Abbas, de quo vid. Murat. Script. Rer. Italic. tom. 24. pag. 931.

Johannes Gregorius TARISSE, Præpoſitus Generalis Congr. S. Mauri, rei literariæ magnum columen. Ob. 1648. Vid. Pezii Diſſert. Hiſtor. de Ortu & Progreſſu Congr. S. Mauri, & le Cerf pag. 469.

Johannes TAULAUGERUS, Mon. Wigornienſis in Anglia c. a. 1488. Vid. Pitſ. æt. 15. pag. 640.

Johannes TAXTON, Abbas Monaſterii Burienſis in Anglia an. 1279. Vid. Thom. Smith in Catal. Bibl. Cotton. pag. 1.

Johannes Hieronymus TEXTORIUS, Abbas Monaſterii Saviliacenſis. Ob. 1710. Vid. Armell. part. 2. pag. 42.

Johannes TEXTOR, Anglicè *Tayſter*, Monachus Burienſis in Anglia, an. 1360. Oudin. tom. 3. col. 1089.

JOHANNES *Thannatenſis*, Monachus Cantuar. c. an. 1330. Pitſ. æt. 14. pag. 424.

Johannes THIROUX è Congr. S. Mauri novam Galliæ Chriſtianæ editionem cum aliis Congregationis ſuæ eruditis

 Soda-

Sodalibus proſequitur. Vid. le Cerf pag. 472.

Johannes TIBURTINUS, Mon. Caſinas, vixit an. 1120. Vid. Petr. Diac. de Vir. Ill. c. 46.

Johannes TINMOUTHENSIS, Monachus S. Albani in Anglia, Scriptor & Hagiographus Anglus, qui Vitas Sanctorum collegit. Ex hoc Capgravius novam Legendam ſuorum Sanctorum collegit. Vid. Acta Bolland. SS. menſe Aug. pag. 634.

Johannes TOWNSON, Anglus, Lambſpringenſis Monaſterii in Saxonia alumnus, vixit & ſcripſit an. 1703.

JOHANNES *S. Mathiæ* Trevirenſis, Scholaſticus, de quo Trithem. in Chron. Hirſaug.

Johannes TRITHEMIUS, Abbas Spanheimenſis. Ob. 1516. Vide vitam ſuprà cap. 3.

Johannes TURBEITUS, Abbas Schyrenſis, cujus ductu & auſpicio Joannes Aventinus Annales ſcripſit Schyrenſes. Vide Palignesii Monita Genealogica pag. 332. & 338.

JOHANNES *S. Vincentii* ad Vulturnum in Campania Monachus c. an. 1410. Vid. Annal. Ben. tom. 5. pag. 517.

JOHANNES Virdunenſis Monachus. Vid. Poſſev. tom. 2. pag. 264.

Johannes de VISBACH, Abbas ad SS. Udal. & Afr. Aug. Vindel. vivebat an. 1335. Vid. Bruſch. in Monaſteriol. Germ. tom. 1.

JOHANNES ex Remenſi Scholaſtico Monachus Uticenſis, Sec. XI.

Johannes ab UBITARD, Cœnobita S. Martini Colonienſis, cujus meminit Catalogus Mſſ. Codd. Bibliothecæ S. Martini.

Johannes OLDENSTAD, i. e. veteris Civitatis, Abbas; de quo vid. Legatius in Chronico apud Leibnitz S. R. B. tom. 2. pag. 407. Acta SS. Bolland. m. Jul. tom. v. p. 104.

Johannes UTONUS, Monachus Anglus, de quo Pitſeus in append. p. 883.

Johannes WALLINGFORDUS, Abbas S. Albani in Anglia. Ob. 1214. Vid. Mathæus Paris in vita 23. Abbatum S. Albani. Thomas Galeus Operum editor. Thom. Smith in Catal. Bibl. Cotton.

Johannes WEINCKENS, Prior Seligenſtadienſis, clarus Poëta, edidit præter alia Navarchiam Seligenſtadianam anno 1714.

Johannes de WELLIS, Monachus Rameſienſis c. a. 1382. Vid. Pitſ. æt. 14. pag. 540.

Johannes WETHAMSTEDUS, ſuprà *Johan. Frumentarius*.

Johannes de WELLMING, Abbas Mellicenſis, c. an. 1450. Vid. Chron. Mell. Bern. Pez. Bibl. Aſcet. tom. 8. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. IV. p. 490.

Johannes WERLINUS, Seonenſis c. an. 1646.

Johannes WESSINGTON, Prior Cathedralis Monaſterii Dunelmenſis. Ob. 1446. Vid. Henr. Warthon Angl. Sac. tom. 1. p. 789.

Johannes WESTPHAL, Abbas Burſfeldenſis, ab an. 1495. ad 1502. Vid. Trith. Chron. Spanheim. p. 351. 415.

Johannes WILTONUS, Monachus Weſtmonaſterienſis c. a. 1360. Vid. Pitſ. æt. 14. p. 496.

Johannes WISCHER, Prior Mellicenſis. Ob. c. a. 1456. Vid. Chronicon Mellic. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. IV. pag. 427.

Johannes Antonius WITLICHIUS S. Jacobi Moguntiæ an. 1628. Vid. Chriſt. Joannis Tom. 2. Rer. Mogunt.

Johannes WENTIUS, ſeu *Weentius*, Abbas Egmondanus in Hollandia. Ob. 1404. Swert. in Athen. Belg. p. 485. Foppens p. 753.

Johannes de YSENHUT, Mellicenſis fl. circa an. 1471. Vid. Bibl. Mellic.

Johannes YONGUS, Monachus Rameſienſis in Anglia cl. an. 1350. Pitſ. in Append. pag. 876.

Johannes ZERDANUS, Barcinonenſis Epiſcopus, an. 1467.

Johannes Benedictus ZITELLI, Monachus Cavenſis. Ob. 1648. Toppius in Bibl. Neapol. p. 141. Armell. part. 2. p. 33.

JOHEL, ſuprà *Joel*.

JONAS Bobienſis, aliis Luxovienſis, Abbas cl. c. a. 664. Vid. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 451.

JONAS Fontanellenſis Monachus c. an. 729. Vid. Sigebert. de S. E. Poſſev. in Appar. Miræ. in Auctar.

Joſephus BONZANELLUS à Cæſena, Monachus Caſin. an. 1591. Vid. Armell. part. 2. pag. 46.

Joſephus BURGER, Mon. Ottoburanus. Ob. 1721. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 377.

Joſephus CARELL, ex Augia Majore Brigantina, Conciones Gallicas Germanicè vertit Tom. II. vivit.

Joſephus de la CERDA, Epiſcopus Pacenſis. Ob. 1645. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. pag. 624.

Joſephus du CLOU è Congr. S. Mauri, vivit, adjunctus viris eruditis, qui ex

eadem

eadem Congr. novam Galliæ Chriſtianæ editionem adornant.

Joſephus COSTALTA è Congr. Caſin. Abbas S. Pauli de Urbe. An. 1665. Armell. part. 2. pag. 45.

Joſephus DRESCHER è S. Lamberto Styr. Ob. 1721. Vide Hiſt. U. S. pag. 377.

Joſephus FLOSMANN San-Emmeramenſis anno 1737.

Joſephus FREY è domo S. Petri Conſtantiæ, author *Quaſi-Philoſophici*. Vivebat adhuc anno 1731.

Joſephus GARZIAS, Hiſp. Mon. Ferrarienſis, vulgò *l' Errera* monaſterii, anno 1595.

Joſephus GUFFANTUS, Mediolanenſis, Monaſterii S. Simplicii itidem alumnus. An. 1651. Vid. Armell. part. 2. pag. 47.

Joſephus INDERSDORFFER, Schyrenſis, edidit Tractatum Theologico-Moralem, anno 1708.

Joſephus de LEONIBUS, Abbas S. Sixti Placentiæ. Ob. 1727. Vid. Armell. l. c. part. 2. p. 47.

Joſephus MEZGER, San-Petrenſis, Salisburgi, Autor Hiſturiæ Archiepiſcopatûs Salisburgenſis. Ob. 1683. Vid. Hiſt. U. S. pag. 378.

Joſephus PEREZ, Hiſp. Monachus S. Facundi, vixit adhuc ſub finem Seculi XVII. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 36. Edidit an. 1588. Diſſertationes, in quibus pleraque ad rem diplomaticam ſpectantia diſcutiuntur.

JOSEPHUS *Peruſinus*, Monachus Caſinas, an. 1646. Vid. Armell. part. 2. p. 47. Aug. Oldoin. in Athen. Peruſino pag. 195.

Joſephus à PLACENTIA, Profeſſus ad S. Sixtum, ibid. an. 1556. Vid. Armell. part. 2. p. 45.

Joſephus PORTA, Prior Clauſtralis in variis Monaſteriis, Congr. Caſin. Obiit exeunte Sec. XVII. Vid. Armell. l. c.

Joſephus à SACO, Abbas Diſſertinenſis Sec. 17. Vid. Pez in Catal. S. B. G.

Joſephus SAENZ DE AGUIRRE S. R. E. Cardinalis. Ob. an. 1699. Vide vitam ſuprà Cap. 4.

Joſephus de SALZEDO, Abbas Monaſterii de Arlanza Sec. 17. Vid. Nic. Ant. B. H. N. pag. 534. Franckenau Bibl. Hiſp. Geneal-Heraldica. p. 270.

Joſephus VAISET è Congr. S. Mauri, vivit, celebris ab edita Hiſtoria Septimaniæ.

Joſephus WALLNER, Oſſiacenſis in Carinthia Prior, obiit 1703. Vide Hiſt. U. S. lib. 1. cap. 7.

Joſephus ZOLLER, Prior San-Udalriciani Monaſterii Auguſtæ Vindel. Devixit paucis retrò annis immaculatæ Conceptionis aſſertor præcipuus, varia edidit Opuſcula.

JOSCELINUS, *Joſſelinus*, ſuprà *Jocelinus*.

JOTSALDUS, Monach. Cluniac. Sec. XI. Vide Mabillonii Præfat. in Sec. VI. O. S. B. num. 54. Bibl. Cluniac. p. 330. ubi ejus planctus legitur de Tranſitu S. Odilonis Abb. Cluniac.

Jovita à CASTIONO, Congr. Caſin. de quo vid. Armell. part. 2. p. 48.

Jovita de RUBEIS, Abbas S. Pauli de Urbe, Sec. XVII. Armell. part. 2. p. 49.

IRIMBERTUS, Abbas Admontenſis in Styria. Ob. 1162. Vide Chronicon Admontenſe, & Pezii Diſſert. præv. ad Tom. 2. Theſ. Anecd. pag. XI.

IRMINO, Abbas S. Germani à Pratis c a. 814. Vide Annal. Ben. tom. 3. p. 642.

ISEMBERTUS Floriacenſis cl. c. a. 977. Vid. Annal. Ben. tom. 3. p. 642. Acta SS. O. S. B. Sec. V. p. 536.

Iſibordus de AMELUNXEN, Corbeiæ Novæ Monachus an. 1082. Vide veteres hujus Monaſterii Annales, & Chriſt. Franc. Paullini in Theatro Vir. Illuſtr. Nov. Corb.

Iſidorus CLARIUS Fulgineæ Epiſcopus. Ob. 1555. Vide ſuprà c. 3. vitam.

Iſidorus COMITINUS, Abbas S. Martini de Scalis an. 1593. Vid. Mongitore in Bibl. Sic. & Armell. in Bibl. Caſin. part. 2. p. 58.

ISIDORUS *Cremenſis*, Monachus Caſinenſis c. a. 1613. Armell. l. c. p. 58.

Iſidorus LANFREDINI, Abbatiæ Florentinæ alumnus. Ob. an. 1591. Vid. Armell. part. 2. p. 58.

Iſidorus MONTACUTI, Abbas S. Ægidii & Noſocomii S. Mariæ Novæ Urbis Florentinæ Præfectus, & Gubernator. An. 1570. Armell. l. c. & alii quàm plures ab eo allegati.

Iſidorus MORATINUS S. Mariæ de Cæſena, Abbas 1680. mortuus. Vid. Armell. part. 2. p. 61.

Iſidorus de SU, Parmæ in Monaſterio S. Joan. Evangel. Profeſſus an. 1688. Armell. l. c. p. 62.

Iſidorus de VALEAZAR, Monachus Compoſtellanus an. 1530.

ISO, vide *Yſo*...

Julianus BELLAISE è Congr. S. Mauri. Vide le Cerf. pag. 398.

Julianus GARNIER è Congr. S. M. accuravit novam editionem Operum S. Baſilii M. an. 1721. & 1722. Vide le Cerf. Bibl. pag. 143. Card. Quirin. in Comment. vitæ ſuæ part. 1. pag. 92.

Julianus Gatianus MORILLON è Congr. S. Mauri, Ob. 1694. Vide Pezii & Cerfii Bibl.

Julia-

Julianus de JANUA, Congr. S. Juſtinæ de Padua Monachus, ſcripſit vitam B. Nicolai de Pruſſia, eámque nuncupavit Placido Veronenſi Congregationis ſuæ Præſidi an. 1500. Vid. Pezii Differt. Iſag. in Tom. 2. Theſ. Anecd. p. LX.

Julianus MAYALIS, Viſitator Monaſteriorum Siciliæ. Ob. 1470. Mongitore Bibl. Sic. pag. 411. Armell. part. 2. pag. 62.

Julianus VERNATIA, Monachus S. Nicolai de Buſchetto an. 1463. Vid. Armell. part. 2. pag. 62.

Julianus VARNERIUS, cujus meminit Edm. Marthene in Comment. in S. Reg. c. 55.

Julianus MOZARINI S. Arnulphi Metis, an. 1661.

Julius Maria ODESCALCUS è Congreg. Caſin. frater Innocentii XI. P. M. Epiſcopus Novarenſis. Ob. 1666. Vide Armell. part. 2. pag. 63.

JULIUS *Prunianus de Ferraria*. an. 1595.

IVO Cluniacenſis Prior vel Abbas c. an. 1270. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 440.

K.

KELEDEUS, ſuprà *Ænguſſius*.

KENULPHUS ex Abbate Petroburgenſi Epiſcopus Wintonienſis. Obiit 1006. Vid. Pitſ. de Ill. Britan. Scriptoribus.

KERARDUS, Scholæ Augienſis Magiſter, Sec. IX. Vid. Egon Lib. de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. cap. 12. Schilteri Theſaur. Antiquit. Teuton. tom. 1.

KERO ſive *Gero* Monachus S. Galli. c. an. 720. Vid. Jodoci Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 6. Annal. Ben. tom. 2. pag. 197. Goldaſt. Rer. Alemann. tom. 2. pag. 71. Et Eccard. tom. 2. de Reb. Orient. Franc. pag. 326. ubi eum ſeculo nono & poſt S. Benedicti Anianenſis tempora floruiſſe autumat.

S. KILIANUS Epiſcopus Wirtzburgenſis & Martyr An. 689. Vid. Poſſev. in Appar. tom. 1. pag. 314.

Kilianus HALMSCHMIDT, Lambacenſis. Ob. 1683. Vid. Hiſtor. U. S. p. 380.

Kilianus WERLIN è S. Lamberto in Styria, Continuator Hiſtoriæ B. V. Cellenſis ab anno 1710. ad 1719.

Kilianus WEYBECK, Abbas Nideraltaichenſis cl. 1529.

KIMBERTUS, ſuprà *Cimbertus*.

L.

LACtantius STELLA Abbas monaſterii SS. Fauſtini & Jovitæ Brixiæ. Obiit 1582. Vid. Octavius de Rubeis in Elogiis illuſtr. Brixin. Armell. part. 2. pag. 65.

LAMBERTUS, Monachus S. Agarici Virdunenſis c. an. 1312. Calmet in Catalogo Scriptor. Hiſtor. Lotharing.

LAMBERTUS Abbas Bertinianus, Sec. XII. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. IV. pag. 697.

Lambertus . . . . Abbas S. Joſephi ad pedem montis S. Georgii Tyrol. edidit *Annum Eccleſiaſtico-Politico-Aſceticum* Aug. Vind. 1750. in 4.

Lambertus CATAN Ottoburanus, Sec. XVII. Vid. Pez in Epiſt. Apolog.

Lambertus GRIENMELT, Andecenſis, edidit an. 1721. *Annum Sanctum Benedictinum*, & an. 1709. *Annum Columbinum* &c.

LAMBERTUS *Hirsfeldenſis*, infrà Lambertus *Schaffnaburgenſis*.

LAMBERTUS, Abbas Haſungenſis. Trithem. in compendio apud Poſſevinum.

Lambertus de LEGIA, vulgò *de Petra*, Monachus & Scholaſticus Trevir. an. 1067. Annal. Ben. tom. 4. pag. 423. Trithem. in Chron. de Vir. Ill. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 615.

LAMBERTUS *Leodienſis* Abbas II. S. Laurentii c. an. 1061. Vid. Reiner. Leod. de Scriptoribus ſui monaſterii. Annal. Ben. tom. 4. pag. 697. Fiſen. Flores Leod. p. 55. And. Val. p. 614.

Lambertus MOLL, monachus S. Martini Maj. Coloniæ Agrippinæ. Ob. 1622. Ex Catal. Mſs. Codd. Biblioth. hujus monaſterii.

Lambertus PARVUS Monachus S. Jacobi in urbe Leodii. Ob. 1194. Vid. And. Valer. Bibl. Belg. pag. 615. Foppens pag. 801.

LAMBERTUS *Pultarienſis* monachus, cujus meminit Mabill. Annal. Ord. S. B. Tom. 2. Append. pag. 744.

LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis* an. 1077. de quo videndi ſunt, qui ejus Hiſtoriam ediderunt, præprimis *Joannes Piſtorius*. Vide etiam Annal. Ben. tom. 4. pag. 617.

Lambertus de STIPITE, Legatus Concilii Conſtantienſis an. 1417. Vid. Herman. van der Hardt in Hiſtor. Concil. Conſtant. Tom. IV. col. 1124. Foppens p. 801.

LAMBERTUS, monachus Trevirenſis, ſcripſit poſt annum 1127. de Invent. Corp. S. Mathiæ tom. 5. Bolland. pag. 448.

KAMBERTUS, ſeu *Lamptertus* circ. an. 1040. ſcripſit vitam S. Heriberti, Archiep. Colon. Annal. Bened. tom. 4. pag. 279.

LAM-

LAMFRIDUS Anglus, Monachus Wintonienſis c. an. 980. Piſſ. æt. 10. Cæſar Baron. in Notis ad Martyrol. ad diem 2. Julii. Gerardus Voſſius de Hiſtor. Lat. l. 2. c. 46. Mabill. Annal. Bened. tom. 3. pag. 98. ubi vocatur *Lamfridus*. Acta SS. Bolland. tom. 1. Julii pag. 324.

LANDENULPHUS, Capuanus, Monachus Caſinas c. an. 1050. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. 27.

LANDENULPHUS alter, junior, Monachus Caſinas c. an. 1060. Pet. Diac. l. c. cap. 40.

S. LANFRANCUS, Archiepiſcopus Cantuarienſis. Ob. 1089. Vide vitam ſuprà cap. 2.

LANFREDUS, Chronographus Mauſſiacenſis.

LANTFRIDUS, ſeu *Lantfredus*, Wintonienſis, ſuprà *Lamfridus*.

LANZO Abbas S. Michaëlis ad Moſam c. an. 1128. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. IV. pag. 718.

LAPUS Abbas S. Miniati ad Montem Florentinum cl. c. an. 1347. Vid. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 2. pag. 7. Trith. de S. E.

Laurentius de AYALA, Pinciani Monaſterii Eccleſiaſtes clar. c. an. 1610. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov.

Laurentius de AYERBE, Hiſpanus Monachus c. an. 1540. Vide Franckenau in Bibl. Hiſp. Geneal. Herald. p. 274.

Laurentius EARTH Brevnovienſis in Bohemia Sec. 17. cujus nomen legitur apud Pezium in Epiſt. Apolog.

Laurentius BENARD, Prior Collegii Cluniacenſis Pariſiis. Ob. 1620. Vide le Cerf. Bibl. Hiſt. Crit. pag. 16.

Laurentius BORGIANI, Abbatiæ Florentinæ Monachus. An. 1673. Plac. Puccinell. in Abbatiæ Flor. Chronico p. 142.

LAURENTIUS Monachus Caſinas, ac dein incertæ ſedis Epiſcopus c. a. 950. Vid. Pet. Diac. de Scriptor. Caſin. cap. 6. & Jo. Mar. in Notis.

LAURENTIUS Cellæ Mariæ in Inſer. Auſtr. cl. medio ſeculo XV. Vid. Bibl. Mellic. p. 398. & 99.

Laurentius CLEMENT Emautinus Pragæ in Bohemia.

Laurentius CUTILLUS ...

Laurentius à DRIPT Gladbacenſis Celſ. & R.mi Epiſcopi Paderbornenſis in Eccleſiaſticis Conſiliarius, & in Spiritualibus Vicarius Generalis clar. c. an. 1672. Annus & dies emortualis notitiam meam prætereunt.

LAURENTIUS Dunelmenſis Cathedralis Monaſterii Prior. Ob. 1154. Vid. Le-*P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.* land. de Scriptor. Britan. cap. 174. Balæi I. 88. Piſſ. æt 12. pag. 221. Henr. Warthon Angl. Sac. part. 1. p. 787. Annal. Ben. tom. 6.

Laurentius FLENSHEIM floruit 1595. in Mellicenſi Monaſterio. Vide Bibl. Mellic.

Laurentius FERRARUS, Panormitanus Abbas S. Martini de Scalis, an. 1542. Vide Mongitore Bibl. Sic. part. 2. p. 5.

Laurentius GAZIUS, Monachus S. Juſtinæ Patavinæ. Ob. 1552. Vid. Armell. Bibl. Caſin. append. 8.

Laurentius à GRANIANO Congr. Caſ. 1623. Armell. part. 2. pag. 167.

Laurentius de GRAZ, Abbas Mellic. Ob. 1482. Vid. Bibl. Mellic. p. 441.

Laurentius HOLBECKIUS, monachus Rameſienſis in Anglia c. an. 1410. Vid. Piſſ. æt. 15. p. 587.

Laurentius KREAYTTER, à quo extant *Faſti Mariales* Venetiis 1695. editi.

LAURENTIUS Abbas S. Laurentii Leodienſis c. an. 1180. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 383. & tom. 6. pag. 561. Richard. Waſsburg in Hiſtor. Epiſc. Virdun. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 621. Foppens pag. 809.

Laurentius LUCALBERTI Abbatiæ Florentinæ Monachus an. 1573. Vid. Armell. part. 2. pag. 68. & qui ab eo allegantur.

Laurentius MARTINOZZI Eccleſiæ Ilicinenſis Epiſcopus. an. 1665. Plac. Puccinell. in Chron. Abbat. Florent. pag. 163.

Laurentius MASSOLUS, Abbas Congr. Caſſin. Ob. 1590. Vid. Armell. part. 2. pag. 70.

Laurentius MORESCHI, Monachus S. Sixti Placentiæ anno 1606. Vid. Armell. part. 2. pag. 72.

Laurentius ORTIZ de Ibarrola Hiſp. Sec. XVII. Nicol. Ant. B. H. N.

Laurentius le PELLETIER, Monachus S. Nicolai Andegav. an. 1616. Vid. Jac. le Long Bibl. Hiſtor. de France.

Laurentius VADUS ſive *Wadus* Mon. Cantuar. Sæc. XII. Vid. Piſſ. æt. 12. pag. 885.

Laurentius à VINCENTIA è Congr. Caſin. flor. anno 1513. Vid. Armell. part. 2. pag. 72.

Laurentius VISETIUS, Monachus Malmudarienſis cl. an. 1620. Latio donavit Meditationes in Regulam S. B. Gallicè ſcriptas.

LAURENTIUS, Abbas Weſtmonaſterienſis c. an. 1160. Vid. Henr. Warthon Angl. Sac. part. 1. pag. 787. ex Johanne Haguſtald. in continuatione Simeonis Dunelmenſis.

S. LEANDER Hiſpal. Archiep. an. 600. Vide Mabillon. in Actis SS. Ord. S. B.

Leander de GRANADA MANRIQUE, Abbas Hiſpalenſis, an. 1614. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov.

Leander JONES è S. Martino, Præſes Congreg. Angl. an. 1260. Vid. Bucelin. in Ben. Rediv. le Long in Bibl. Sac. Foppens Bibl. Belg. pag. 813.

LEBUINUS *Ripenſis* in Anglia Mon. Ob. 740. Pitſ. pag. 142.

LEIDRADUS ex Archiepiſcopo Lugdun. Monachus S. Medardi Sueſſion. vixit an. 800. Vid. Gall. Chr. tom. I. in Archiep. Lugdun.

S. LEO IV. Pont. Max. ab anno 847. ad 855. Præter Wionum, Menardum, Bucelinum, Deſingium, Gregorius Kolb & Chriſtophorus Ott è S. J. pro Benedictino habent, non verò alii, quòd Anaſtaſius Bibliothecarius eum monaſticâ inſtitutum diſciplinâ fuiſſe non quidem neget, non perinde tamen ejus profeſſionem emiſiſſe afferat. Mabillonius inter Sanctos Benedictinos illum non collocavit.

S. LEO VII. Papa ab anno 936. ad 955. Mabill. Annal. tom. 3. pag. 397. cujus ſententiam tuetur, qui annotationes in Muratorii Hiſtoriam Italiæ ſcripſit Part. V. ad an. 936.

S. LEO IX. ab anno 1049. ad 1054. Vid. Acta SS. Ord. S. B. & Annal. Ben. Mabillonius contra Hagiographos Antverpienſes, prætermiſſis aliorum teſtimoniis, *Leonem* fuiſſe Benedictinum, ex ipſius verbis demonſtrat, qui ultimæ admotus lineæ ſe Monachum extitiſſe, diſertim affirmat; *Cellam, quam monachus incolui &c.* Quòd ſi dicti Hagiographi S. Leonis teſtimonium de ſua monaſtica vita ferenti fidem habere nolint, nec ipſis fides de veritatis ſtudio, quô ſe Acta Sanctorum Commentariis illuſtrata in lucem edere præferunt, habenda eſt.

LEO, Monachus Hæcmundenſis, an. 1203. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. XI. pag. 769.

Leo MARSICANUS Mon. Caſin. S. R. E. Card. Oſtienſis. Ob. 1115. Pet. Diac. c. 30. & Marus in Notis. Muratorius in præfat. ad Chron. Leon. Marſ. Tom. IV. Scriptor. Rer. Ital.

LEO Card. Diac. Monachus Caſinas, cum priore non confundendus; cl. circa finem Sec. XI. Vid. Annal. Ben. tom. 5. pag. 570. Petr. Diac. de Scriptor. Ill. Caſ. c. 31. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 4. p. 773.

Leo MATINA, Abbas è Congr. Caſin. Sacræ Paginæ Profeſſor in Academia Patavina. Vide Papadoli in Hiſtor. Gymnaſii Patavini.

LEO *à S. Thoma*, monachus Tibianenſis in Luſitania. Ob. 1651. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov. p. 23.

LEODEGARIUS Agathocromius Divionenſis Sec. XVI.

S. LEODEGARIUS Epiſcopus Æduæ & Martyr an. 678. Vide Acta SS. Ord. S. B. & Annal. Ben. tom. I.

Leodegarius MAYER, Murenſis in Helvetia, an. 1743. edidit Explicationem ceremoniarum Eccleſiaſticarum, earum præcipuè, quæ ad S. Lyturgiam ſpectant. Alia...

Leodegarius MARTINI, Weingartenſis in Helvetia, an. 1737. vivit.

Leonardus de BORGIANIS, Abbatiæ Florentinæ Mon. c. an. 1537. Armell. part. 2. pag. 76.

Leonardus de FELDORFF, Mellic. fl. c. an. 1485. Vide Bibl. Mellic.

Leonardus KLOZ, Weſſofontanus, de quo vide Hiſt. Univerſ. Salisburg. pag. 380. Ejus cumprimis laudantur Orationes ad Sodales Academicos Salisburgi dictæ. Aug. Vind. 1742.

Leonardus MASSIOT è Congr. S. Mauri. Vivere deſiit hoc ſeculo, quo autem anno, mihi incognitum. Vide Pezii & Cerfii Bibl.

LEONARDUS Mellicenſis Abbas. Ob. 1433. Vid. Bibl. Mellic. pag. 203.

LEONARDUS Ottoburanus Abbas, magni vir nominis, clar. an. 1509.

Leonardus à PERUSIA, è Congr. Caſin. cl. c. an. 1550. Armell. part. 2. p. 76.

Leonardus PEUGER, Converſus Mellic. fl. circ. 1425. Vid. Bibl. Mellic.

Leonardus de PURCKHAUSEN, Mellic. fl. 1497. Vid Bibl. Mellic. pag. 476.

LEONARDUS *de Buremunda* S. Martini Colon. c. an. 1468.

Leonardus RUBENUS, ex Jeſuita Benedictinus, & poſtea Abbas Abdinckhofſenſis an. 1609. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Leonardus SCHILLING Lunælacenſis cl. Sec. XV. Vid. Catal. Bibl. Lunælac. p. 366.

Leonardus SEEMAN, monachus Bursfeldenſis c. an. 1115. Vid. Leuckfeld in Antiquit. Bursfeld. cap. 1. pag. 16.

Leonardus VAIRUS, Beneventanus, an. 1583. Vid. Poſſevin. Appar. tom. 2. pag. 342.

Leonardus WÜRSTLINUS, aliàs Hamaxurgus, vulgò *Wagner*, Mon. San-Udalricanus Aug. Vindel. Obiit 1522. kal. Januarii. Vid. Bruſch. in Catal. Monaſt. Germ. *Khamm in Hierarchiâ Auguſtanâ...*

Leonel-

Leonellus CROCEALE, Monachus S. Juſtinæ Patavinæ an. 1655. Vid. Armell. part. 2. p. 76.

LETALDUS, Monachus Miciacenſis c. an. 990. Vid. Añal. Ben. tom. 3. & 4. & Sec. II. Actor. O. S. B. in Obſerv. præv. ad vitam S. Maximini Miciac. Abbatis, Acta SS. Bolland. Aug. tom. 3. pag. 37.

LEVINUS, Abbas Monaſterii S. Bavonis Gandavi, floruit tempore Eraſmi Roterodami, cum quo epiſtolarum habuit commercium. Vid. Andr. Sander. de Scriptor. Gandav. l. 2. pag. 85. Libro autem I. de Gandavenſibus eruditione claris vocat *Euſtatium Levinum* pag. 40.

LEVOLDUS, Monachus Crucis S. Leutfredi. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. IV. pag. 804.

LIEBHARDUS, Monachus San-Petrenſis Salisburgi incertæ ætatis, forſan, Sec. XIII. Vide Pezii Diſſert. Iſag. Tom. I. Theſ. Anecd. p. VII.

LINDEBERTUS ex Abbate Elvacenſi Archiepiſcopus Moguntinus, vixit an. 863. Vide Eyſengren. in C. T. V. pag. 69.

LINTBERTUS, Trithemio *Luthbertus*, Abbas Hirſaug. 853. Eyſengren. in Catal. Teſt. Ver. p. 166.

LIUTBERTUS, infrà *Luibertus*.

LIUTHOLDUS, Monachus & Prior Lunælacenſis, cl. Sec. XII. Vide Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot. & Chron. Lunælac. pag. 128. Item Catal. Bibl. Lunælac. p. 367.

S. LIVINUS diſcipulus S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli, & Martyris. Vid. Annal. Ben. tom. 1. pag. 413.

LOTHARIUS Sacriſta, de quo Foppens Bibl. Belg. part. 2. p. 822.

LOTSALDUS Sylviniacenſis Monachus c. an. 1049. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. p. 830.

Lucas ACHERIUS è Congr. S. Mauri, author *Spicilegii*, Operis celebratiſſimi. Ob. 1685. Vid. Bibl. Pezii, Cerfii, & Nizronii Memorias.

Lucas BERNARDUS, S. Juſtinæ Patavinæ alumnus, an. 1495. Vide Armell. part. 2. pag. 77.

Lucas BRIXIA in S. Engenii Senarum Cœnobio Monachus Sec. XVI. Armell. part. 2. pag. 77.

LUCAS *Guilielmus*, Monachus S. Juſtinæ Patav. an. 1541. Armell. l. c.

LUCIANUS, Abbas S. Mariæ Pompoſiæ Sec. XVI. interfuit Concilio Tridentino, Armell. part. 2. p. 78.

Lucillus MARTINENGUS, Brixiæ in Monaſterio S. Euphemiæ profeſſus a. 1546. Armell. l. c. pag. 79.

LUDIGERIUS, Cellenſis Abbas tertius. V. du Freſne in Indice Autorum.

LUDOLPHUS Germanus, Monachus Erfordienſis. Vid. Anton. Poſſevin. tom. 2. pag. 357.

Ludovicus ALTENEDER, Bojus, Schyrenſis Cœnobita profeſſus an. 1702. vir mathematicis artibus inſignis vivit 1752.

Ludovicus ARIZ, Monachus Valvaneræ in Hiſpania. an. 1607. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov.

Ludovicus BABENSTUBER, Ettalenſis, author Philoſophiæ & Theologiæ Moralis Salisburgenſis. Ob. an. 1720. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pap. 381.

Ludovicus BARBO, Abbas S. Juſtinæ, Ob. 1443. Vid. Armell. Bibl. part. 2. Pez Diſſert. Iſag. Tom. 2. Theſ. Anecd. pag. LIX.

Ludovicus BLOSIUS, Abbas Lœtienſis, Aſceſeos magiſter præſtantiſſimus, an. 1566. Vide vitam ejus Operibus præfixam, & in Actis Sanctorum apud Bolland. Tom. I. Januarii.

Ludovicus Broſſe è Congr. S. Mauri, Ob. 1655. Vid. Bibl. Pezii & Cerfii.

Ludovicus Gabriel BUGNOT è Congreg. S. Mauri. Ob. 1673. Vid. Pezii & Cerfii Bibl.

Ludovicus BULTEAU è Congr. S. Mauri. Ob. 1693. Vide Pez. & Cerfium, nec non Nizronium in Memoriis.

Ludovicus CLAVENAU, Admontenſis. Ob. 1689. typis Salisburgenſibus edidit Officium S. P. B.

Ludovicus ENGEL, Mellicenſis, inſignis SS. Canonum Doctor. Vide vitam ſuprà.

Ludovicus de ESTRADA, Hiſp. Ob. 1518.

Ludovicus l' EMERAULT, è Congreg. S. Mauri, vivit. Prælo parat novam, eamque accuratam magis Operum S. Ambroſii editionem.

Ludovicus de FERRARIIS, Monachus Congr. Caſ. an. 1665. Armell. part. 2. pag. 87.

Ludovicus Thomas du FOUR è Congreg. S. Mauri. Ob. 1647. Vide Pezii & Cerfii Bibl.

Ludovicus ab HELMSDORFF, Monachus San-Gallenſis c. an. 1463. Vid. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 52.

LUDOVICUS *Senior*, Monachus & Diaconus Leodienſis c. an. 1056. Vid. Bern. Pezii Diſſert. Iſag. Tom. IV. Theſ. Anecdot. pag. XVII.

Ludovicus de MALICIIS, Patavinus, Abbas Prataleæ c. an. 1440. Decretum eſt inter-

interpretatus. Vid. Guid. Panzriolla de C. I. lib. 3. c. 33. p. 357.

Ludovicus MALUMBRA, Monachus S. Georgii Major. Venetiarum c. an. 1585. Vide Armell. part. 2. p. 88.

Ludovicus MAYNERIUS, Abbas Lerinenſis, Sec. XVII. Armellinus Bibl. Caſin. part. 2. pag. 88.

Ludovicus de MENDOZA, Monachus S. Mariæ de Spina an. 1612.

Ludovicus Morini, S. Petri Mutinenſis alumnus. Ob. 1713.

Ludovicus PELLETIER è Congr. S. Mauri, vivit. Vide le Cerſ. p. 405. augmentavit Gloſſarium Cangii. Vide le Cerf. pag. 180.

Ludovicus Piſant è Congr. S. Mauri. Ob. hoc Sec. Vide le Cerſ. p. 406.

Ludovicus SEROUX è Congr. S. Mauri. Ob. 1702. Vide Pezii & Cerſii Bibl.

Ludovicus SOMBECK, Abbas Gladbac. an. 1629. Vide Bucelin. in Bened. Rediv. pag. 166. Andr. Valer. in Bibl. Belg. p. 637. Foppens B. B.

LUDOVICUS, Weſſoſontanus, cujus meminit Pezius in Itinere Bavarico.

LUITOLDUS ſuprà *Liutoldus* Lunælacenſis.

S. LULLUS, Moguntinus Archiep. Ob. 787. Vid. Pitſ. pag. 156.

LUPUS *Servatus*, Abbas Ferrarienſis an. 861. Vide vitam ſuprà cap. 2.

LUTGERUS Monaſterii S. Michaëlis Luneburgi Scholaſticus. Ob. 1028. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. pag. 167.

LUTHBERTUS, Monachus Fuldenſis, & Abbas I. Hirſaug. Ob. 853. Vid. Tritthemii Chron. Hirſaug. Tom. 1. p. 11.

S. LUTWINUS, primus Dux Lotharingiæ circa initium Sec. VIII. tum fundator & Abbas I.mus Monaſterii Mediolacenſis, ac denique Archiepiſcopus Trevirenſis. Vid. Trith. l. 3. de Vir. Ill. Ben. cap. 188.

M.

S. MACARIUS, primus Scotorum apud Herbipolim Abbas c. a. 1139. de laude Martyrum elegans ſcripſit volumen. Vid. Eyſengrein in Catal. Teſt. Verit. pag. 95.

MACARIUS, Monachus Fuldenſis, natione Scotus Sec. IX.

MACARIUS, Monachus Pinnatenſis in Arragonia Sec. XIV. ſcripſit vitam SS. Voti & Felicis. Vid. Acta SS. Bolland. Maji tom. 7. pag. 61. & 63.

D. N. MACARTIE è Congr. S. Mauri, vivit. Ejus eſt *Traduction du Baronage d' Angleterre.* Ex Montſauconii Catalogo MS.to Scriptorum è Congreg. S. Mauri.

Magnus AGRICOLA è SS. Udalr. & Afra Aug. Vind. Ob. 1688. Vid. Hiſt. U. S. pag. 384.

MAGNUS, Cluniacenſis Prior Sec. XVII.

Magnus GRAMBLICH, Amorbacenſis. Ob. 1707. Vid. Hiſt. Amorbac. p. 157.

Magnus STER, Neresheimenſis hoc Seculo.

Magnus SCHLEYR, Elchinganus. Ob. hoc Seculo. Vid. Hiſt. U. S. pag. 442.

Magnus STRAUB, Encomiaſtes S. P. B. an. 1735.

Magnus ZIEGELBAUER in Zwifaltenſi Imperiali Monaſterio Ordinem S. B. profeſſus an. 1707. Author præſentis Hiſtoriæ Literariæ O. S. B. Obiit an. 1750. XIV. Junii. Ejus elogium hiſtoricum vide Part. I.

MAGO, Fuldenſis Monachus c. a. 780. Vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Tom. V. p. 17. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 35. p. 316.

MAINARDUS S. R. E. Cardinalis cl. c. a. 1063. Vide Tafuri in Serie Chronol. Scriptor. Neapol. & quos citat.

MANEGAUDUS, Abbas S. Michaëlis ad Molam c. a. 1150. Fabric. l. c. p. 36.

Manfredus de CRUCE, Abbas S. Ambroſii Mediolan. an. 1415. Vide Herman. van der Hardt in Hiſtor. Concil. Conſtant. Tom. V. p. 109.

MANGOLDUS ex Abbate Cremiſanenſi Epiſcopus Paſſavienſis. Ob. an. 1215. Vid. Annal. Cremiſan.

MANNIUS, Abbas Eveshamenſis in Anglia c. a. 1043. Vide Monaſticon Anglic. tom. 1. pag. 151. col. 1.

MARBODUS ex Epiſcopo Redonenſi Monachus an. 1123. Vide Ant. Beaugendre, qui ejusdem Opera vulgavit ad calcem Operum V. Hildeberti. Item Pitſ. de Illuſtr. Angl. Scriptor. ad an. 1650. Cæſ. Egaſſ. Bullæ. Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 1. p. 751.

MARCELLINUS, Monachus Eboracenſis, an. 720. Vid. Pitſ. ad an. 751. p. 152.

Marcellinus REICHEL, Ettalenſis, anno 1734.

MARCELLUS, Monachus San-Gallenſis Sec. IX. Vid. Mezler de Vir. Ill. lib. 1. cap. 15.

MARCULPHUS, Benedictinus Gallus, incertum cujus monaſterii, an. 660. Mabill. in Annal. Bened. Tom. I. Nicol. Alex. in Hiſt. Eccl.

Marcus à BRIXIA, Abbas S. Vitalis à Ravenna, anno 1551. Vid. Arnold. Wion in Ligno Vitæ, & Armell. part. 2. pag. 89. Poſſev. Appar. Sac. tom. 2. Wion Lig. Vit. lib. 2. c. 27.

MARCUS alter *à Brixia* Monachus S. Euphemiæ, an. 1592. Armell. l. c. p. 90.

MAR-

MARCUS *Caſinenſis*, S. P. B. diſcipulus, Sec. VI. Vid. Gattola Hiſtor. Caſin.

MARCUS *Cremonenſis* è Congr. S. Juſtinæ Patavinæ, de quo vid. Armell. part. 2. p. 90.

Marcus Antonius SCIPIO, Monachus S. Sixti Placentiæ cl. c. a. 1630. Vid. Armell. part. 2. pag. 91. & quos magno numero allegat.

MARCUS *Antonius*, Monachus Sublacenſis, ævi incerti. Armell. l. c. pag. 92.

Marcus VALLE, Monachus S. Georgii Venetiis an. 1697. Vid. Armell. part. 2. pag. 93.

MARCWARDUS, Abbas Corbeiæ Novæ, an. 1097. Vide veteres hujus Aſceterii Annales.

MARCWARDUS, ſeu *Marquardus*, Abbas & Princeps Fuldenſis c. a. 1151. apud Brower. l. 3. Antiq. Fuld. cap. 13.

Dominus de la MARE è Congr. S. Mauri, Sec. 17. cujus meminit Jacob le Long Hiſt. Eccl. de France.

Maria de BLEMUR, Monialis in Gallia, Ob. 1696. Vide vitam ſuprà cap. 5.

Maria Catharina CALEGARI, Monialis Mediolani in Monaſterio S. Margar. anno 1661. Armell. part. 2. p. 93.

V. MARIA *Crucifixa à Conceptione*, Monialis Sicula in oppido Palmæ. Ob. 1599. in fama ſanctitatis. Vid. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. p. 38.

Maria Magdalena GABRIELIS DE ROCHECHUARD, Abbatiſſa Fonteraldenſis. Ob. 1704. Vide vitam ſuprà cap 5.

Maria Eleonora de ROHAN, Abbatiſſa Malnovienſis. Ob. 1681. Vid. Sammarthanos Gall. Chr. tom. 4. p. 878.

Maria STELLA SCUTELLARI, Monialis in Monaſterio S. Alexandri Urbis Parmenſis an. 1673. Vide vitam ſuprà cap. 5.

Marianus ARMELLINUS è Congr. Caſin. S. Petri de Aſſiſio Abbas. Ob. 1737. Vide vitam ſuprà cap. 4. Eſt Author Bibliothecæ Scriptorum è Congreg. Caſinenſi.

Marianus BROCKIE, Benedictinus Scotus ad S. Jacobum Ratisbonæ, edidit opuſcula quædam Philoſophica, Hiſtorica & Polemica... Vivit 1752. Prioris munere fungens.

Marianus KÖNISPERGER edidit Miſſas ſolennes X. unà cum Hymno: Veni S. Spiritus, Ratisbonæ an. 1740.

Marianus LENDELMAYR, Admontenſis, Abbas. Ob. 1707. Vid. Hiſt. U. S. pag. 385.

Marianus RASSLER, Zwifaltenſis Sec. 17. edidit Theſes Philoſophicas, quo tempore erat Profeſſor in Collegio Rottwillano.

MARIANUS *Scotus*, RATISBONENSIS dictus ad diſtinctionem alterius *Mariani Scoti*, dicti *Fuldenſis*. In Germaniam venit c. a. 1074. Ex monumentis Monaſterii ad S. Jacobum Ratisbonæ, quæ tamen ad ſeverioris criticæ trutinam revocari debent.

MARIANUS *Scotus* FULDENSIS an. 1086. Vid. Schannat Hiſtor. Fuld. Trithem. Chron. Hirſaug. Bulæi Hiſtor. Univerſ. Pariſ. Mabill. Anal. Ben. Lambec. Comment. Bibl. Vindobon. &c.

Marianus SCHOTT, Einſidlenſis, cl. an. 1688. Opera Aſcetica enumerat Felix Egger Ideæ O. S. B. lib. 2. p. 550.

Marianus SCHWAB, Schyrenſis. Ob. 1664. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 386.

Marianus WISER, Abbas Cœnobii ad S. Vitum. Ob. 1723. Vid. Hiſt. U. S. pag. 387.

MARINIANUS ex Monacho Romano Monaſterii S. Andreæ Archiepiſcopus Ravennas. Ob. an. 606. Vid. Annal. Ben. Hiſt. Italiæ Muratorii, qui Marinianum an. 604. obiiſſe credit.

Marinus ALBITIUS, Monachus Cavenſis, an. 1692. Vid. Armell. part. 2. pag. 95. Card. Quirinus in Comment. vitæ ſuæ Part. 2. l. 1. c. 6. p. 105.

MARINUS S. Maximini Treviris, an. 999. Vid. Trithem. Annal. Hirſaug. tom. 1. ad an. 999.

Marquardus ARENHOLD, Monachus Corb. Nov. de quo Paullini in Theatro Vir. Ill. Corbeiæ Novæ pag. 104.

MARQUARDUS, S. Burchardi Herbipoli Monachus an. 1048. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. Tom. I. p. 186.

MARQUARDUS Epternacenſis cl. an. 932. teſte Trithemio in Chron. Hirſaug. qui tamen à Mabillonio Annal. tom. 3. pag. 419. corrigitor.

Marquardus HERRGOTT, San-Blaſianus in Hercynia Sylva Abbatis & Principis ſui Locumtenens, Author *Genealogiæ Diplomaticæ Auguſtæ Gentis Habſpurgicæ*, cujus modò extinctæ *Cenotaphia* pluribus tomis comprehenſa, atque æri inciſa formis æneis excudi curat.

Martialis KELLER, Ottoburanus, anno 1736. edidit opuſcula quædam aſcetica.

MARTINIANUS Monachus ſcripſit ſub initia Sec. X. de quo vide Mabill. Annal. tom. 3. p. 324.

Martinus ANASTASI, Abbas S. Martini de Scalis. Ob. 1644. Vid. Mongitore

 in

in Bibl. Sicul. Armell. in Bibl. Caſin. part. 2. p. 95.

Martinus BOUQUET è Congr. S. Mauri Collectionem novam Scriptorum Rerum Francicarum tomis 20. comprehenſam adornat, quorum jam plures publico exhibuit.

Martinus le BRUN, Abbas in Gerardi Montibus ad S. Adrianum, de quo vide Andr. Val. p. 648. Foppens p. 851.

Martinus de CLIVO, Cantuarienſis, Sec. xv. Vide Pitſeum in appendice pag. 887.

S. MARTINUS ex Abbate Dumienſi Braccarenſis Epiſcopus ſub an. 572. Vid. Mabill. in Actis Sanctor. O. S. B. & in Annal. Ben.

MARTINUS Fieſſenſis Abbas Sec. 17. Pez. in Epiſt. Apolog.

Martinus FRIDLINUS, Cladrubenſis in Bohemia Monachus, Seculo, ni fallor, XV. de quo vide Balbinum in Epit. Hiſtor. Rer. Bohem. pag. 67.

Martinus GUTWILLIG, SS. Udalrici & Afræ Profeſſus, Scriptor aſceticus vivit an. 1752.

Martinus HATTINGER, Abbas S. Petri Salisburgi.

Martinus KELLER, Engelbergenſis, Scriptor aſceticus claruit Sec. 17. Vid. Pez. l. c.

Martinus KROPFIUS, Mellicenſis Bibliothecæ Subpræfectus. Anno 1747. in lucem dedit *Bibliothecam Mellicenſem.* Plura ab eo exſpectamus.

MARTINUS *Jacobus* è Congr. S. Mauri, vivit, ſcribit, & floret magnâ nominis ſui celebritate.

Martinus MARRIER, Prior religioſiſſimus S. Martini à Campis 1614. Vid. vitam à Germano Cheval Pariſiis an. 1644. vulgatam.

Martinus MARTINEZ, Hiſpanus, è domo S. Æmiliani. Ob. 1633. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Martinus PRUNNER, Murenſis. Sec. 17. Vid. Pez. l. c.

Martinus RETELLIUS è Congr. S. Vitoni, ſeculo proximè præterito Chronicon Antonii Yepeſii Gallicè reddere, noviſque acceſſionibus locupletare ſtuduit.

Martinus RHEBOCK, Monachus Corbeiæ Novæ. Vide Leibnitz Introduct. Scriptor. Rer. Brunſv. Tom. 2. p. 15.

Martinus RESCH, Cremiſanenſis Abbas. Ob. 1709. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 388.

Martinus SARMIENTO S. Martini Madriti Theologiæ Profeſſor, vivit 1752.

Martinus de SENGING, Prior Mellicenſis, Sec. xv. Ob. poſt an. 1485. Vid. Chron. Mellic. Bern. Pezii Præfat. in Tom. IV. Bibl. Aſcet. Martini Kropfii Biblioth. Mellic.

Martinus de ZIPS B. V. ad Scotos Viennæ in Auſtria Abbas. Ob. ante annum 1470. Vide vitam ſuprà cap. 3.

Martinus STOCK S. Martini Coloniæ, an. 1555. Ex Catalogo Mſſ. Codd. Bibl. San-Martin.

Martinus ZETLIZ Emautinus Pragæ, Meditationes S. Anſelmi Cantuar. Archiep. à ſe Germanicè redditas prælo ſubjecit an. 1695.

Mathæus à BILENBERG, Brevnovienſis, Archiepiſcopus Pragenſis. Ob. 1675. Vid. Hiſtor. Epit. Monaſterii Brevnov. in fol. an. 1740. pag. 116.

Mathæus HUEFNAGEL, Oberaltahenſis, Sec. xv. Vid. Pez. in Epiſt. Apolog.

Mathæus LAMBERT, Prior Monaſterii Alnenſis, cl. Sec. xvi. Vid. Hæfteni Diſquiſ. Monaſt. Lib. 2. Tract. 5.

Mathæus LAURETUS, Abbas S. Salvatoris de Caſtellis an. 1620. Nic. Ant. & Armell. in ſuis Bibliothecis.

Mathæus MOULLART, ex Abbate S. Giſleni Epiſcopus Atrebatenſis. Ob. 1600. Ejus Statuta Synodi Atrebat. edita fuerunt an. 1585. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 868.

Mathæus PARISIUS, Mon. S. Albani in Anglia. Ob. a. 1259. Vid. vitam ſuprà cap. 3.

Mathæus PETITDIDIER, Præſes Generalis Congr. SS. Vitoni & Hidulphi. Ob. 1728. Vide vitam ſuprà Cap. 4.

Mathæus PRANDT è S. Paulo Carinthiæ. Vid. Pez Catal. S. B. G. in Epiſtolis Apolog.

Mathæus STAINHAUSER, Mellicenſis. Vid. Pez l. c. & Kropf. in Bibl. Mellic.

MATHÆUS *Vidocinenſis* Monachus, author *Metaphraſis Libri Tobiæ*, Poëtæ Seculo XIII. celebris, quem multi cum Mathæo Abbate S. Dionyſii in Francia confundunt.

Mathæus VOLKERUS, Weingartenſis, Sec. 17. Pez l. c.

Mathæus WEISS, Andecenſis, Author *Lycæi Benedictini*. Ob. 1658. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. p. 388.

MATHÆUS Weſtmonaſterienſis an. 1377. Vid. Pitſ. ætate 14. pag. 518. Aubert. Miræ, Warthon, Nikelſon, in Scriptor. Angl.

Mathias DALEN Cœnobita S. Martini Colon. an. 1555. Vid. Bibl. San-Martin. Catal. Mſs. Codd. Hartzheim *Bibl. Colon.*

Mathias DIEFFENBACH, S. Jacobi Moguntiæ an. 1635. de quo vide Georg. Chriſt. Joannis Præfat. ad Vol. I. Rer. Mogunt. p. 4.

Mathias

Mathias ABELIN, patriâ Auguſtanus, Weltenburgenſis O. S. B. Diœceſis Ratisbonenſis in Bavaria inferiori ad Danubium, per medium milliare ſupra oppidum Khelheim Monaſterii Abbas anno 1626. die 25. Maji electus, inter ſui temporis injurias, hoſtium extremas perpeſſus moleſtias, primus Mitram cum aliis Pontificalibus inſigniis ab *Urbano VIII.* P. M. obtinuit. *Alberti* verò Ratisbonenſis Epiſcopi hortatu, annoſi ſui Monaſterii temporum anteactorum circulos fluxúsque connectere, & in unius libelli anguſtias redigere adgreſſus eſt, conſcriptâ *Inſtructione Chronographicâ de fundatione Weltenburgici Monaſterii*, quam *Straubingæ* excudebat Simon Gallus anno 1743. in 8.

Mathias BRENNUS, Weingartenſis, cujus Poëſis de Paſſione Domini, Opus poſthumum, typis impreſſum fuit anno 1746.

MATHIAS Prior S. Martini Tornac. Ob. 1511. Vid. du Freſne in Indice Autor. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 12. tom. 5. pag. 169.

Mathias GRENET, Prior S. Martini Tornacenſis. Ob. 1502. Vid. Foppens Bibl. Belg. pag. 874.

Mathias MATHALEA, Congr. Caſin. Præſes, an. 1575. Ob. 1582. Vid. Armell. part. 2. pag. 97.

Mathias de RUREMUNDA S. Jacobi Moguntiæ an. 1500.

MATHIAS Monachus S. Mathiæ Trevirenſis.

MATHIAS B. M. Luxemburgi Abbas, Suffraganeus Trevirenſis, literis & pietate clarus ſub an. 1365... *Vid. Hontheim Tom. II. pag.* 11.

Mathias VENUSINUS, Monachus Caſinas an. 1672. Vid. Armell. part. 2. p. 97.

D. MAURICE è Congr. Caſin. vivit. Ejus Opera ſunt *Genealagie de la Maiſon de Rohan. Nouvelle Hiſtoire de Bretagne.*

Mauritius BOG, Zwifaltenſis. Ob. c. a. 1730. Inter alia Sequentiam *Dies iræ* carmine elegiaco ad animi compunctionem aptiſſimo complexus eſt.

MAURITIUS ex Abbate Cœnobii & Cathedralis Eccleſiæ Cathedralis, ejusdem Epiſcopus. Ob. 1126. Vid. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 61.

MAURITIUS N. Monachus S. Severini Neapoli an. 1562. de quo vide Topplum in Bibl. Neapol.

Mauritius ENK San-Gallenſis. Ob. 1575. Mezler de Vir. Ill. San-Gallenſ. lib. 1. c. 55.

Mauritius GEIGER, San-Gallenſis, edidit Catecheſes an. 1722.

Mauritius HOCHENBAUM edidit Ethicam Religioſam *Lucernæ* 1748.

Mauritius MÜLLER, Bibliothecarius San-Gallenſis, in vivis, ut credo, etiamnom eſt. Scripſit brevem Hiſtoriam Monaſteriorum Congr. Helvetiæ: Orationem de Immac. Conceptione B. V. & fors quædam alia.

Mauritius PONCETRA, Gallus, an. 1586. Vide le Long Bibl. Sac. pag. 910.

Mauritius ZAPATA, Monachus Parmenſis, S. Jo. Evangel. an. 1657. Vid. Armell. Bibl. Caſin. part. 2.

Maurus ALZINGER, Weingartenſis, Sec. 17. Vid. Pez. l. c.

Maurus BALDUNG, Weingartenſis, Scriptor vitæ S. Pirminii, quæ extat in Bavaria Sancta Mathæi Raderi.

Maurus de CAMBIIS, Abbas S. Pauli de Urbe. Ob. 1637. Armell. part. 2. pag. 99.

Maurus CATHARINUS, Diſſertinenſis, Sec. 17. Pez l. c.

Maurus CHIAULA, Monachus S. Martini de Scalis. Ob. 1600. Vid. Ant. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 62. Armell. part. 2. pag. 99.

Maurus DANTINE è Congr. S. Mauri, vivit, & ampliſſimam Collectionem Hiſtoriographorum Galliæ cum Domno *Bouquet* adornat.

MAURUS, Hirſaugienſis Monachus. Ob. an. 865. Vid. Chron. Hirſaug.

Maurus KREMP, Elchinganus. Ob. 1721. Vid. Hiſt. U. S. pag. 391.

Maurus LAPIUS, Monachus S. Mariæ de Murano. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 3. pag. 719.

Maurus Alexander LAZARELLI, Prior Cæſenæ. Ob. 1729. Vid. Armell. part. 2. pag. 98.

Maurus LIECHTENHEIM Abbas ad S. Lambertum in Styria. Ob. 1709. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. p. 391.

MAURUS, Lunælacenſis Abbas, continuavit miracula per interceſſionem S. Wolfgangi edita Lincii an. 1687.

Maurus de SALAZAR, Theologiæ Doctor, & Congreg. Valliſoletanæ Generalis, ſcripſit Apologiam pro Revelationibus S. Gertrudis M. cl. Sec. XVI.

Maurus LUZ, Weſſofontanus, vivit, de quo Pez. Diſſert. Iſag. in Theſ. I. Anecdot. pag. XIX.

Maurus Marcheſius è Congr. Caſin. Ob. 1650. Edidit Opera S. Brunonis Epiſcopi Signienſis. Vid. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 63. Armell. part. 2. pag. 101.

Maurus à MUTINA è Congr. Caſin. clar. c. a. 1595. Armell. part. 2. pag. 103.

Maurus

Maurus OBERASCHER, Abbas Lunælacenſis. Ob. 1697. Vid. Hiſt. U. S. lib. 2. cap. 7. pag. 373.

Maurus ORBINI, Abbas S. Mariæ de Backe c. an. 1555. Vid. Armell. part. 2. pag. 103.

Maurus PANDULPHINUS, Monachus Abbatiæ Florentinæ. Ob. 1574. Vid. Armell. & Wion in Ligno Vitæ cap. 72.

S. MAURUS Quinqueecclesienſis in Hungaria Epiſcopus c. an. 1070. Vide David Czuttinger in Specim. Hungar. Liter. pag. 252.

MAURUS hujus nominis Abbas I. Andecenſis. Ob. 1655. Vid. Hiſtor. U. S. pag. 217.

Maurus RANBECK, Abbas Andecenſis hujus nominis ſecundus. Ob. 1686. Vid. Hiſt. U. S. pag. 223.

Maurus ROSTIUS Abbas Iburgenſis, de quo vid. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. vol. 5. p. 178.

Maurus REIMAN, Prior Brevnov. Ob. 1667. Ex Monument. literar. Brevnov.

Maurus RUOSHIUS, Zwifaltenſis Sec. 17. reliquit mſtum volumen Concionum.

Maurus SELLORI, Monachus S. Pauli de Urbe. Ob. 1718. Armell. l. c.

Maurus SPINAZZI, Monachus S. Pauli de Urbe. Ob. an. 1639. Vid. Armell. l. c.

Maurus TANTUCCIUS S. Mariæ Florent. Mon. an. 1656. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. ex qua corrigendus Armellinus Bibl. Caſin. part. 2. p. 106.

Maurus de TOBAR, Vallifoletanus. 1659.

Maurus WENGER, Garſtenſis, Sec. 17. Vid. Pez. l. c.

MAWORINUS, Monachus Glaſton. inde Epiſcopus c. an. 620. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 5. p. 178.

Maximilianus FRENDEL è S. Lamberto Styriæ, Sec. 17. Pez. l. c.

Maximilianus REST, Schyrenſis Abbas an. 1722. electus literis conſignavit *Monaſteriologiam Univerſalem Ord. S. B.* Ob. 1734.

Maximilianus SANVIS è S. Lamberto Styriæ, edidit an. 1707. librum de virtute Prudentiæ.

Maximilianus THIEULAINE, Atrebas, Belga, Monachus Vedaſtinus, de quo vide Foppens Bibl. Belg. p. 884.

Maximus ab ARETIO, Abbas S. Mariæ Florentiæ. Ob. 1587. Vide Armell. part. 2. pag. 107.

Maximus MASI, Abbas Sublacenſis. Ob. 1587. Vid. Armell. part. 2. pag. 107.

Maximus SEREGNO, Monachus Congr. Caſin. Sec. 17. Armell. part. 2. p. 109.

B. MECHTILDIS, Soror S. Gertrudis, Monialis Elpediana. Ob. circa an. 1284. Scripſit & ipſa *de ſpirituali gratiâ* planè cœleſtem librum, mirorum omnium, quæ in ipsâ divinus amor fecit, ſynopſin. *Vide vitam ſuprà cap. 5. §. X.*

MEGINFRIDUS, Fuldenſis Scholaſticus, c. an. 986. Vid. Joan. Latom. & Joan. Trithem. apud Mencken. Tom. III. Scriptor. Rer. Germ. Caniſ. Antiq. Lect. tom. 2.

MEGINFRIDUS S. Butcbardi Herbipoli 1017.

MEGINGAUDUS, aliis Megingus, ſeu Megingozus Herbipol. Epiſcopus 775.

MEGINHARDUS, ſeu *Maginhardus* Fuldenſis c. an. 880. Vid. Annal. Ben. tom. 2. pag. 286. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 26.

MEGINHARDUS, ſeu *Meginradus* Hirſaug. anno 965. Vid. Annal. Ben. tom. 3. pag. 578.

S. MEINRADUS, ſeu *Meginradus*, Monachus Augienſis, & Martyr an. 861. Vid. Egon de Vir. Ill. part. 2. c. 17.

Meinradus HEUCHLINGER, Wiblingenſis Monaſterii ſui Chronographus. Ob. 1716.

Meinradus ROUSSEAU Benedictoburanus cl. an. 1734.

MEINRADUS San-Gallenſis Monachus, cujus meminit Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 52.

Meinradus SPIES Urſinenſis Sub-Prior, Muſomotheta, à quo extat Tractatus Muſicus compoſitorio-practicus. Aug. Vind. 1745. in. fol. ubi alia ejus Opera recenſentur. Vivit 1752.

Meinradus STEINEGGER, Einſidlenſis, an. 1681.

Meinradus STEIGENTESCH San-Blaſianus. Sec. 17.

Meinradus TROGER, San-Blaſianus. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. p. 395.

Melchior ALBERTI, Thereſenſis in Francia Orientali, edidit Conciones 1722.

MELCHIOR Abbas Schœnaugiæ. Ob. 1492. *Vid.* Trithem. *Chron. Hirſaug.* tom. 2. pag. 551. Hontheim *Tom. II. pag.* 314.

Melchior STAMHEIM, Abbas SS. Udal. & Afræ Aug. Vindel. an. 1465. Vide Baſilicam ſeu Hiſtoriam ejuſdem Aſceterii, deinde Bibl. Aſcet. Bern. Pezii tom. 8. pag. 612. Bibl. Mellic. p. 341. ubi obiiſſe an. 1471. dicitur.

Melchior WAGNER, San-Emmeramenſis, edidit vitam S. Wendelini Abbatis an. 1724.

Melchior WEIXER, Prunveningenſis prope Ratisbonam cl. an. 1626. Author *Fontilegii Sacri.*

MENGOR, incerti ævi Monachus, ſcripſit *de Proprietate rerum.* Vide Bartium Adverſ. l. 32. p. 1459.

ME-

METELLUS, vide infrà, QUIRINUS *Metellus.*

Michaël BAULDRIUS, Eccleſiæ Malleacenſis Cathedralis ac Regularis Magnus Prior, author *Manualis ſacrarum Ceremoniarum* Venetiis an. 1734. in 4. editi. cl. Sec. XVII.

Michaël FELIBIEN è Congr. S. Mauri ſcripſit hiſtoriam Urbis Pariſienſis, & Monaſterii S. Dionyſii in Francia. Obiit 1719. Vid. Card. Quirin. in Comment. vitæ ſuæ part. 1. pag. 90.

Michaël GERMAIN è Congr. S. Mauri, notus ex ſocio M. Mabillonio, cujus fuit Achates. Ob. an. 1749. annos ferè 49. natus. Vide Pezii & Cerſii Bibl.

Michaël GOURDIN è Congr. S. Mauri. Ob. 1708. Pez & le Cerf. l. c.

Michaël HÖCHT Weingartenſis Sec. 17. Vid. Pez in Catal. S. B. G.

Michaël de JUDICE Abbas Congr. Caſin. 1727. Vid. Mongitore Bibl. Sic. & Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p. 108.

Michaël LANGBARTNER Michaëlburanus Diœc. Salisburg. vir impensè doctus. E vivis ſublatus anno 1715. Vid. Hiſt. U. S. pag. 396.

Michaël LANG, Einſidlenſis cl. an. 1673. quo anno edidit Meditationes de Paſſione Domini.

Michaël MAYR Mellicenſis Sec. 17. Vid. Pezii Epiſt. Apol.

Michaël PEREZ *de Heredia* Vallis Paradiſi. an. 1519.

Michaël de PUTEO Fiſcanenſis. an. 1519.

Michaël REICHBECKIUS, Ottoburanus, vir benè doctus, vivebat 1752.

Michaël SEIZ, Admontenſis. Ob. 1714. Vid. Hiſt. U. S. pag. 397.

MICHAEL Abbas Monaſterii S. Florentii de Salmurio cl. c. an. 1325. Vid. le Long Hiſtor. de France.

Michaël SUEDAVIER, Garſtenſis, Sec. 17. Pez in Ep. Apolog.

Michaël BARANNO XIMENEZ, Hiſpanus 1720.

MICHO Monachus S. Richarii an. 861. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. p. 129.

MILO S. Amandi, Elnonenſis claruit ab an. 840. usque ad an. 871. Vid. Trith. in Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 33. Bulæ. tom. 1. p. 623. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 676. Miræus, Foppens, alii.

MILO *Criſpinus*, Cantor Beccenſis c. an. 1150. ſcripſit geſta B. Lanfranci Archiep. Cantuar. Vid. Annal. Ben. tom. 5. pag. 259.

Miniatus PITTUS, Abbas Florentinus an. 1550. Vide Bucelini Anal. Ben. p. 126.

Modeſtus CICCOTUS, Monachus Peruſinus ad S. Petrum. An. 1585. Vid. Armell. part. 2. pag. 111.

Modeſtus PUTRER, ſeu *Putrar*, Admontenſis Cœnobita an. 1585. Pez Diſſert. Iſag. in Tom. 2. Theſ. Anecd. p. XVI.

Modeſtus VENDERMINI, Abbas S. Mariæ extra urbem Cæſenam. Ob. 1698. Vid. Armell. part. 2. pag. 111.

MODESTUS Wiblingenſis in Suevia Abbas, à quo extat, *Apertum honoris Templum virorum illuſtrium Wiblingenſium.* Aug. Vind. 1702. in 4. cum figuris.

MONTANTIUS S. Mariæ de Florentia an. 1573. Prætermiſſus ab Armellino in Bibliotheca Scriptorum Congr. Caſin. Ejus tamen meminit Bucelinus in Annal. Ben. ad an. 1533.

N.

D. NAGEON (pronomen me latet) è Congreg. S. Mauri, de quo le Cerf. Bibl. Hiſt. Crit. pag. 36.

NALGOLDUS, *Nalgaldus*, ſeu *Nagoldus* Cluniac. c. an. 1101. Vid. Annal. Ben. tom. 2. Maji pag. 657.

NATALIS Monachus Uticenſis, ſeculo, ni fallor, XI. Annal. Ben. tom. 1. pag. 245.

Natalis MARS è Congr. S. Mauri. Ob. 1702. Vide le Cerf. Bibl. Hiſt. Crit. p. 298.

Natalis Philibertus JAMET è Congr. S. Mauri an. 1680. Vid. Pezii & Cerſii Bibl.

NENNIUS, alio nomine *Gildas Cambrius*, ſeu *Hibernicus* cl. an. 620. juxtà Thomam Galeum. Juxtà Mabillonium non fuit Benedictinus; unde inter Sanctos prætermiſſos ab eo refertur.

S. NEOTUS Aldulphus Harinſtocenſis in Anglia Mon. Ob. 883. Vid. Balæ. II. 23. & Pitſ. æt. IX. pag. 167.

NEPLACHO Opatovicenſis in Bohemia Abbas. Ob. c. an. 1370. Vid. Hier. Pez. Tom. 2. Scriptor. Rer. Auſtriac. pag. 1007. Jo. Thom. Bergbauer in vita S. Jo. Nep. pag. 270.

NEVELO, Monachus Corbeiæ Veteris, Scriptor Martyrologii an. 1096. Vid. Annal. Ben. tom. 5. pag. 372.

NICEPHORUS Barenſis cl. c. an. 1035. Vid. Jo. Bern. Tafuri in Serie Chronolog. Scriptor. Neapolit. in Continuat. Parte I.

NICOLAUS S. Albani in Anglia Monachus. an. 1170. Vide Wion in Ligno Vitæ. Joan. Leland. de Scriptor. Britan. Pitſe. æt. 12. pag. 208. Eyſengren Cat. T. V. pag. 95.

Nicolaus de ALBRCIS, Abbas S. Angeli Cajetæ. an. 1480. Vid. Armell. part. 2. pag. 112.

Nicolaus ALEXANDRE è Congr. S. Mauri cl. an. 1714. Vide le Cerf. pag. 5.

NICOLAUS *Antonius Juſtinianus*, Prior è Congr. Caſin. vivit.

Nicolaus BARPTOLOMÆUS Mon. Bened. circa an. 1532. denatus, de quo *Niceronius Tom.* 38.

Nicolaus BASELIUS Mon. Hirſaug. claruit ineunte Sec. XVI. ac ſcripſit Auctarium in Chronograph. *Joannis Naucleri* ab anno MDI. in annum MDXIIII. item *Cryphiographiam libr. IV. &c.*

NICOLAUS Beccenſis Monachus Sec. XI. Vid. Annal. Ben. tom. 5. p. 230.

Nicolaus CANTELEU è Congr. S. Mauri. Ob. piiſſimè an. 1662. Vide le Cerf l. c. pag. 57.

Nicolaus CHRISTELLIUS, Andecenſis, Sec. XVII. Pez Catal. S. B. G.

NICOLAUS in monaſterio Sueſſionenſi SS. Criſpini & Criſpiniani monachus an. 1115. Molan. in Natal. SS. Belgii 8. Novemb. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 603.

Nicolaus DONATI apud S. Eugenium Urbis Senarum Monachus clar. c. an. 1591. Vid. Wion Lign. Vit. part. 1. l. 2. c. 75. Pet. Ricord. Hiſtor. Monaſt. Dial. l. 4. pag. 463. Armell. part. 2. p. 113. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 5. pag. 331.

Nicolaus de DORSTEN, Monachus ad S. Jacobum Moguntiæ anno 1468. Vid. Treſſler in Syllabo Vir. Illuſtr. hujus Abbatiæ.

NICOLAUS *Dunelmenſis*, Anglus 1170. Vid. Pitſ. æt. 12. pag. 231. Leland. Collectan. vol. 4. cap. 112. Jo. Ger. Voſſ. de Hiſtor. Lat. lib. 2. c. 52.

Nicolaus ELLENBOGEN, Ottoburanus, cl. an. 1543. Vid. Petr. Franc. in Suevia Eccleſiaſtica, Jo. Georg. Schellhorn in Amœn. Liter. Bern. Pez Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd.

Nicolaus de FRACTURA, Abbas S. Vincentii ad Vulturnum c. an. 1299. Arnol. Wion Lig. Vit. Edm. Martene in præfat. ad Comment. in Reg. S. B. Gattola in Chron. Caſin.

Nicolaus de GORLIZ, Mellic. fl. circa an. 1411. Vid. Bibl. Mellic.

Nicolaus HABERTUS, Gallus, Prior Clauſtralis Moſomenſis cir. an. 1628.

Nicolaus HÖPNER, Monachus Ballenſtedenſis, Sec. XV. ſcripſit *Coronam Monachorum.* Vide Leuckfeld Antiq. Burſfeld. cap. 3. p. 60.

Nicolaus KOLYN, Monachus Egmondanus, inter præcipuos rerum Hollandicarum Scriptores locum fortitus claruit c. an. 1170. Foppens Bibl. Belg. pag. 913.

Nicolaus de LAINE, Abbas S. Gerardi in Comitatû Namurcenſi. Ob. 1448. Vid. And. Valer. pag. 689. Foppens pag. 913.

Nicolaus de Lariſvilla, Monachus S. Remigii Remenſis ſub an. 1394. Vid. Marlott. Hiſt. Metrop. Rem. tom. 1. pag. 360.

Nicolaus de MAZEN, Abbas Mellicenſis magni nominis. Ob. 1425. Vid. vitam ſuprà cap. 3.

Nicolaus Hugo MENARD è Congr. S. Mauri. Ob. an. 1640. Vide vitam Sacramentario S. Gregorii M. quod Notis illuſtravit, præfixam Tom. 3. novæ edit. Opp. S. Greg. M.

Nicolaus MINI, Abbatiæ Florentinæ Monachus fl. anno 1586. Vid. Armell. part. 2. pag. 113.

Nicolaus NOVILLANIUS S. Maximini Treviris Chronographus. Obiit an. 1618. die 3. Martii.

Nicolaus le NOURRY è Congr. S. Mauri. Ob. 1724. æt. 77. Vid. Nizronii Memorias. Card. Quirini in Comment. Hiſtor. de rebus ad ſe pertinentibus part. 1. p. 91.

Nicolaus OLERY, Prior Cluniac. anno 1538. ſcripſit Chronicon Cluniacenſe. Vid. Bibl. Clun. col. 1685.

NICOLAUS Monachus S. Quintini c. an. 1057. Scriptor vitæ S. Godefridi Epiſcopi Ambian. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. p. 576.

Nicolaus RADELIPFUS, Monachus Anglus ad S. Albanum, & ibidem Archidiaconus, c. an. 1390. Vid. Bzov. in Annal. Eccleſ. ad an. 1415. n. 58. p. 489. Leland cap. 453. Pitſ. æt. 14. p. 545.

Nicolaus RICCIOLI, Inſtitutor & Abbas Perpetuus Caſtro-Caſinenſis in Polonia. Ob. 1693. Vid. Armell. part. 2. pag. 114.

Nicolaus à SALODIO, Monachus Cœnobii S. Benedicti de Padolyrone cl. Sec. XVI. Wion Lign. Vitæ. l. 2. c. 78.

Nicolaus SPECKLIN, Abbas Novienti, ſeu Apri Monaſterii. Ob. 1657. Vid. Dion. Sanmarth. Gall. Chr. tomo. v.

NICOLAUS Sueſſionenſis Monachus S. Medardi c. an. 1110. Scriptor vitæ S. Godefrid. Ep. Ambian. qui ad Superos migravit an. 1118. Vid. Fabr. Bibl. med. Lat. vol. 5. pag. 340.

Nicolaus de SYGHEN, Monachus San-Petrenſis Erphordiæ, an. 1490. Verum nomen illius fuit *Nicolaus de Hottenbach.* Schœtgenius lib. 18. Bibl. med. Lat. pag. 605.

Nicolaus TEDESCUS, vulgò Abbas Panormitanus. Ob. 1445. Vide vitam ſuprà cap. 3.

Nico-

Nicolaus Maria de TEDESCIS, Archiep. Apamienſis, vixit aliquamdiu, dimiſſis honoribus, in Sublacenſi monaſterio, ex quo à Benedicto XIV. Romam revocatus fuit, purpureum, ut multi augurabantur, accepturus galerum, niſi ante Cardinalium promotionem, naturæ debitum ſolviſſet.

Nicolaus TOURNOIS è Congr. S. Mauri, vivit, Auctor Dictionarii Hiſtorici.

Nicolaus TOUTAIN è Congr. S. Mauri, præfuit novæ editioni Gloſſarii de Mr du Cange à Sodalibus Congr. S. Mauri accuratæ. Vide le Cerf pag. 477.

Nicolaus VALLE, Monachus Bellolocenſis c. an. 1640, Calmet in Catal. Scriptor. Hiſtor. Lotharing.

Nicoſtratus BARA è Congr. S. Mauri, cujus precibus & labore ſe adjutum fatetur Joannes Martianay in nova editione Operum S. Hieronymi. Vid. le Cerf, pag. 310.

Nigellus WIRECKER, al. *de Wettekre*, Monachus & Præcentor Cantuar. an. 1200. Vid. Pitſ. æt. 13. pag. 270. Jac. Thomaſii Diſſertationem de hoc Scriptore Lipſiæ 1679. editam; Mabillon. Annal. Ben. tom. 6. p. 486.

NICOLAUS, Prior Wigornienſis in Anglia Sec. XII. cujus Epiſtolam de primatu Sedis Eboracenſis in Scotia affert Warthonus tom. 2. p. 234.

NINIANUS, Monachus Cantuarienſis an. 1360. Vid. Oudin. tom. 3. col. 1089.

Ninianus WINZETUS *Renfrous*, Abbas ad S. Jacobum apud Scotos Ratisbonæ. Ob. 1592. Vide vitam ſuprà cap. 3. §. XLII.

NITHARDUS, Abbas S. Richarii, filius S. Angilberti, nepos Caroli M. ex filia, an. 853. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 635. &c.

Niverius LANGIUS, Prior S. Bavonis Gandavenſis cl. an. 1441. Vid. Ant. Sander. de Scriptor. Gandav. lib. 3. pag. 104. Andr. Valer. pag. 701. Foppens pag. 926, qui *Niverium* cum *Oliverio Longo* confundi exiſtimat.

NIZO, ſeu *Nithardus*, Mediolacenſis Abbas circa an. 1070. ſcripſit vitam S. Baſini Trevir. Archiep. *Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 5. pag. 420. Antuerp. Hagiographi ad IV. Martii...*

NOBOAS, ſive *Roboas*, Diaconus Caſinenſis c. an. 1120. *Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. 42.*

NOCHERUS, aliàs NOTGERIUS & *Notcherus*, Abbas Altivillarenſis, ſcripſit de Miraculis S. Helenæ. *Vid. Annal. Ben. tom. 5. p. 349. P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.*

NONNOSUS Abbas Attilenſis in Bavaria edidit an. 1741. Comentarium in Pſalmos omnibus laudatum. vol. 4. in 4.

Nonnoſus HÄCKEL San-Emmeramenſis edidit hoc ſeculo Opus Theologicum patrio ſermone de virtute Fidei Theologicæ, ejúsque regulis. Vivit natus an. 1691. die 6. Sept. profeſſus 1713. 8. Decembr. Sacerd. 1716. 1. Nov.

NONNOSUS, Monachus in Monte S. Michaëlis Bambergæ claruit Sec. XVI. ac ſcripſit Germanicè vitam S. Henrici II. Imp. Ob. 1529. *Vid. Acta SS. Bolland. Tom. 3. Julii pag. 225.*

NORBERTUS Iburgenſis Abbas II. a. 1118. *Vid. Joan. Eccard Tom. 2. Corp. Hiſtor. med. ævi in præfat. Num. XIX.*

NOTGERUS, ſive *Notkerus*, Medicus S. Galli an. 975. *Vid. Caniſii antiq. Lect. tom. 5.*

B. NOTGERUS *Balbulus* S. Galli Monachus. *Vid. Acta Sanctor. O. S. Ben. & Acta Sanctor. Bollandiana die VI. April. Mezler de Vir. Ill. San-Gall.*

NOTGERUS ex Monacho San-Gallenſi Leodienſis Epiſc. ab an. 972. ad 1007. ſcripſit vitam S. Remacli. *Vid. Trithem. in Chron. Hirſ. pag. 22. Annal. Ben. tom. 1. pag. 478. tom. 2. pag. 662. Bulæus tom. 1. p. 624.*

NOTGERUS, ſeu *Notkerus Labeo* ejusdem Aſceterii. Ob. 1022. *Vid. Bernardi Frenckii de hoc ſcriptore Diſſertationem Hiſtorico-Criticam in Theſauro Schilteriano Antiq. Teuton.*

NOTHELMUS Archiepiſcopus Cantuar. an. 739. *Vid. Pitſeus æt. 8. pag. 141.*

NOTKERUS San-Emmeramenſis Monachus, de quo *Bern. Pezius Tom. 3. Anecd. part. 3. pag. 22.*

NOTINGUS Monachus S. Galli, ac poſtea Epiſcopus Conſtant. Ob. 935. *Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 72. Eyſengren. C. T. V. pag. 73.*

O.

Oddo COPTICK è S. Lamberto Styriæ à R.^mo *D. Benedicto*, Archiabbate S. Martini in Hungaria, ad dignitatem Abbatialem evectus, vivit an. 1752.

Oddo GALNER, Garſtenſis, Sec. 17. *Pez. in Epiſt. Apolog.*

Oddo KAMPERGER S. Pauli Carinth. Sec. 17. *Pez. l. c.*

ODENDUNUS, Monachus Eweshamenſis Sec. 13. Vid. Leland c. 309. pag. 314. Pitſ. æt. 13. p. 362.

ODERISIUS, Abbas Caſin. S. R. E. Card. an. 1105. Pet. Diac. c. 28. & Marus in

in Notis. Angelus Nuce. in Not. ad Chron. Caſin. Gattola in Hiſt. Caſin.

Oderiſius Maria PIERIUS ex Monacho Caſin. Viſitator Apoſtolicus in Inſula Corſica, ac poſtea Paoniæ ibidem Epiſcopus. Ob. 1704. Vid. vitam ſuprà cap. 4. §. XXIII.

S. ODILO Abbas Cluniac. an. 1048. Vide Acta SS. Ord. S. B. Annal. Bened. Joannis Mabillonii, Martini Marrier Bibl. Cluniac. Acta SS. Bolland. Jan. tom. 1.

Odilo GUETHART S. Michaëlis in Beuren Diœceſ. Salisburg. Cœnobita. Ob. 1731. notus ſolùm ex libris editis.

ODILO Monachus S. Medardi an. 930. Vid. Annal. Ben. tom. 2. pag. 503. & 512. item Sec. IV. Acta SS. O. S. B. part. 1.

ODILO Abbas S. Remigii, vix. an. 1125. Vid. Mabill. Annalect. tom. 1. p. 334.

Odilo NEUMANN, Ochſenhuſanus. Ob. 1720. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 398.

Odilo SCHREGER, Ensdorffenſis natus an. 1697. 2. Nov. profeſſ. 1720. An. 1730. vulgavit *Calendarium Aſcetico-Biblicum*, & an. 1734. *Diurnale Aſceticum Religioſorum*, & anno 1740. alium denuò Libellum Aſceticum... Auxilia ad jocosè & honeſtè diſcurrendum, *Monachii* an. 1751. in 8. Alia.

ODINGTONUS, ſuprà *Odendunus*.

ODO, ſeu *Oddo* Aſtenſis Monachus c. a. 1120. Vide Catalogum Scriptorum in Bibl. Patrum Lugdun. edit. Tom. XX. p. 1816.

ODO Belluacenſis Epiſcopus ab an. 866. ad an. 880. Fabric. Bibl. med. Lat. tom. 5. p. 453.

Odo CAMBERIUS, Affligenienſis Chronographus. Ob. 1651. Vide Cornelii van Geſtel Hiſtor. Archiep. Mechlin. tom. 2. p. 176. Foppens Bibl. Belg. tom. 2. p. 929. quo teſte ob. an. 1651.

ODO, ſive *Odardus*, Cameracenſis Epiſcopus an. 1113. Vide vitam ſuprà Cap. 3.

S. ODO, Cluniacenſis Abbas 942. Vid. Bibl. Cluniac. & Annales Bened. atque Acta SS. O. S. B. Bulæ. Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 1. p. 625. Trithem. de Vir. Ill. O. S. B. lib. 2. c. 53. & lib. 3. c. 215. & lib. de S. E.

Odo de DIOGILO, ſeu DUEIL, Abbas primùm S. Cornelii Compendienſis, deinde S. Dionyſii in Francia an. 1160. Vide Franc. Chifleț. qui Odonis hiſtoriam de Ludovici VII. expeditione in Terram ſanctam Divione in 4. an. 1660. edidit. Item Annal. Ben. tom. 6. pag. 475.

ODO Foſſatenſis Monachus, Scriptor vitæ S. Burchardi Comitis Melodunenſis vix. 1058. Vid. Jac. Brol. in Supplem. Antiq. Pariſienſ. Bulæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. Tom. I. pag. 626.

ODO Abbas Ferrarienſis an. 842. exauthoratus.

ODO primùm Glannofolienſis, tum Foſſatenſis Abbas an. 870. Vid. Annal. Ben. tom. 2. p. 176. & tom. 3. p. 87. &c. Vitam S. Mauri ab eo interpolatam vide apud Mabill. in Actis SS. O. S. B.

ODO Abbas S. Martini de Bello in Anglia an. 1181. Vid. Leland. de Scriptor. Angl. c. 180. Bal. II. 97. Pitſ. æt. XII. p. 226. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 52. Mabill. Annalect. tom. 1. p. 359.

ODO Monachus Moliſmenſis c. a. 1197.

ODO SEVERUS, Archiepiſcopus Cantuar. ab an. 933. ad 958. Vid. Pitſ. æt. 10. pag. 174.

Odo de VAUCEMANI, Prior S. Germani Autiſſiodorenſis Sec. XIII. Vid. Labbei Bibl. Nov. Mſs. pag. 589.

Odoardus BISSONI Mon. Parmenſis S. Joan. Evangeliſtæ, inſignis Polygloſſus, atque Eccleſiaſtes. Ob. 1717. Vid. Armell. part. 2. p. 117.

ODORANNUS, Monachus S. Petri Vivi Senonenſis. An. 1045. Vid. Andr. du Cheſne tom. 2. Rer. Franc. Annal. Ben. tom. 4. p. 285. & 346.

OLBERTUS, ſive *Obbertus*, al. *Albertus*, Abbas Gemblacenſis an. 1048. Sigebert. de S. E. cap. 42. Miræus ad Sigebert. Andr. Valer. Bibl. Belg. p. 705. Swert. in Athen. Belg. Foppens p. 931. Trith. in Chron. Hirſaug. Gall. Chriſt. tom. 3. pag. 557.

OLDOINUS, infrà *Ordonius*.

OLIVA Monachus Rivipulli, de quo vide Baluzium in Marca Hiſp. pag. 446. Mabill. Annal. tom. 4. p. 489.

Oliverius de LANGHE, vulgò *Longus*, Prior ad S. Bavonem prope Gandavum an. 1450. Vide Andr. Valer. Swert. Foppens, item Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. cap. 6.

Oliverius LEGIPONT, Belga, Limburgenſis, natus 1698. 2. Decembr. S. Martini Maj. Coloniæ Cœnobita, profeſſus 1720. die 20. Martii. Vir indefeſſæ diligentiæ, ac in rebus Colonienſibus magnæ peritiæ, cujus documenta brevì daturus eſt.

OLIVERIUS, Monachus Malmesbur. in Anglia c. a. 1050. Vid. Bal. II. 51. & Pitſ. æt. XI. p. 187. *Dufreſnio Elmerus* ſcribitur.

ONULFUS, Monachus Stabulenſis, c. a. 1048. Scripſit vitam B. Popponis. *Vid. Annal. Ben. tom. 4. p.* 491.

ORDERICUS VITALIS, infrà, *Vitalis Ordericus.*

S. ORDONIUS Aſturicenſis Epiſcopus, Sahaguntini in Hiſpania cœnobii Monachus † 1063. 18. Febr. hoc exornatus epitaphio:

Omnibus in ſtudiis tantum celebratus, ut illi
Cederet eloquio Roma diſerta ſuo.

ORDONIUS (du Freſnio in Indice Autorum *Oldoinus*, aliis *Oddo*, ſed perperàm) Monachus & Prior Cellæ novæ in Gallæcia an. 1189. Vid. Nicol. Ant. Bibl. Hiſp. Vet. Fabric. Bibl. med. Lat. tom. 5. pag. 505.

ORTLIEBUS ex Monacho Zwifaltenſi Abbas Nereſheimenſis. Ob. 1164. Vid. Annal. Zwifalt.

OSBERNUS, ſive *Osbertus*, Præcentor ac Subprior Cantuar. c. a. 1074. Vide Graveſon Hiſt. Eccl. Sec. XI. Guil. Malmeſbur. lib. de Reg. Angl. c. 8. Oudin. tom. 2. p. 256.

OSBERNUS, ſive *Osburnus*, Gloceſtrienſis. c. a. 1140. Vid. Pitſ. æt. 22. pag. 207.

Osbernus de SCAPEYA, Prior Roffenſis c. an. 1189.

OSBERTUS, ſeu *Osbernus* de CLARA, vulgò *Clarentius*, Prior Weſtmonaſter. ab an. 1108. ad 1140. Vid. Leland. c. 158. Pitſ. æt. 12. p. 205. Warthon præfat. ad tom. 2. Angl. Sac. p. XIV. Jo. Ger. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 49.

OSBERTUS Monachus Walciodorenſis Sec. XII.

OSTACUS ex Monacho Augiæ Divitis Epiſcopus Hildeſii an. 985. Vide Egon. de Vir. Ill. Aug. Div.

OSTOPHORUS ex Monacho Pharenſi Epiſcopus Vigornienſis. Ob. an. 704. Vid. Leland. cap. 67.

S. OSWALDUS *Odonius*, ex Monacho Floriac. Epiſcopus Winton; atque inde Archiep. Eborac. rei literariæ inſtaurator in Anglia. Ob. 992. Vid. Henr. Warthon Angl. Sac. tom. 2. in Notis ad vitam. Pitſ. æt. 10. p. 180.

OSWALDUS, Monachus Vigornienſis c. a. 1010. Vide Bale. II. 43. Piti. æt. 11. pag. 181.

OTFRIDUS, Monachus Weiſſenburgenſis, Rabani Mauri auditor. Vid. Lambec. Comment. de Bibl. Cæſ. lib. 2. c. 8. pag. 761. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 128. Trithem. Chron. Hirſ. tom. 1. p. 28. Bulæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 1. pag. 627.

OTHELGRIMUS, Werthinenſis Monachus an. 864. Scriptor vitæ S. Ludgeri Monaſter. Epiſcopi. Vid. Brower. in Sider. Germ. Bolland. 26. Martii.

OTHLONUS, ſive *Othlo* San-Emmeramenſis flor. circa finem Sec. XI. Vid. Mabill. Annal. tom. 2. & 4. p. 6. ad an. 1062. Bern. Pez in Diſſert. Iſag. ad tom. 3. Theſ. Anecd. pag. X. Præfatio ad tom. 2. Bibl. San-Emmeram. n. 23. & ſeq.

Othmarus HOMBURGER San-Blaſianus Sec. 17. Pez in Epiſt. Apol.

Othmarus GOLDASTUS, Monachus San-Gallenſis, de quo vide Mezlerum de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 51.

OTHO Monachus Emmeramenſis Scriptor Seculi XI. Vid. Pezius Theſ. Anecd. Tom. I. lib. 1. f. 417. Palignesius in Monitis Genealogicis pag. 107.

OTHO *de S. Blaſio*, Abbas celeberrimi hujus Aſceterii an. 1190. Vid. Urſtiſius Scriptor. Rer. Germ. tom. 1. p. 195. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 55. Poſſev. Cav. Oud. Fabric. &c. Optimam de Othone notitiam dabunt *Origines San-Blaſianæ Mſ.tæ* authore V. C. Marquardo Hergott.

Otto AICHER, Cœnobita ad S. Vitum cis Rotam in Bavaria, Polyhiſtor inſignis. Vide vitam ſuprà cap. 4.

Otto GUZINGER, Seonenſis, præclarus Comicus. Vid. Hiſt. U. S. lib. 1. c. 2. Pez in Catal. S. B. G.

Otto LITTISCH, Schyrenſis in Bavaria Cœnobii. Sec. 17. Pez l. c.

Otto SCHARZ Cremifanenſis, Rector Univerſ. Salisburg. meritiſſimus, nuper devixit.

Otto SCHUGENTES, Monachus ad S. Michaëlis Bambergæ Sec. 17. Actis S. Ottonis Ep. & Conf. illuſtrandis egregiam operam contulit, uti fatentur Hagiographi Antverp. in Actis SS. tom. 2. Julii pag. 354.

OTTOMARUS, Monachus San-Udalricanus Auguſtæ Vindel. Ob. 1535. Vid. Poſſev. in Appar. Nat. Alex. Hiſt. Eccl. tom. 8. p. 85. qui eum pro Benedictino habent, cùm non fuerit. Ejus cognomen erat *Luſcinius*. Vid. Hertfelder in Deſcriptione Baſilicæ S. Udalrici. Brucker in Miſcel. Hiſt. p. 308.

OVO, *Ouvo*, ſeu *Omo* Fontanellenſis c. a. 710. Vide Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 593. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 27. pag. 274.

P.

PAlladius de OLIVIS Utinenſis Sec. 17.

PANDULPHUS Capuanus, Mon. Caſin. an. 1078. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. cap. 26. & Jo. Bapt. Mar. in Notis. Fabric. Bibl. med. Lat. V. 1. l. 5. pag. 575.

PANDULPHUS Caſinas S. R. E. Cardinalis, an. 1134. Vid. Pet. Diac. l. c. cap. 25. & Mar. in Notis. Fabric. l. c.

PANORMITANUS, ſuprà *Nicolaus Tedeſchi.*

PARIS-GILLE, Michaëlburanus in Diœceſi Salisburgenſi Orator & Poëta inſignis docuit literas politiores in Univerſ. Salisburg. Ob. 1701. Vid. Hiſt. U. S. pag. 401.

PACHALIS I. Pont. Max. ab. an. 817. ad an. 824. Vid. Baron. Pagius, Mabillon in Actis SS. O. S. B. Sec. IV. part. 2. & Annal. Ben. tom. 2. p. 428. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 5. pag. 581.

PASCHALIS II. Rom. Pont. ab an. 1099. ad 1118. Vid. Baron. Bzov. Mabillon. in Annal. Ben. Fabric. l. c. p. 582.

S. PASCHASIUS *Radbertus*, Abbas Corbeiæ veteris an. 851. Vide vitam ſuprà cap. 2.

Paſchaſius BERSELIUS Mon. ad S. Laurentium Leodici claruit ævo Eraſmi Rotterodami. Vid. Foppens B. B. p. 938.

PASCHASIUS Dumienſis Monachus inclinante Sec. VI. juſſu S. Martini Abbatis ſui, dein Archiepiſcopi Braccarenſis Interrogata & Reſponſa Patrum Eremi ex Græco Latinè vertit. Vid. Sigebert. de S. E. c. 118. D'Andily in Vitis Patrum pag. 277. col. 2.

Paulus ANNICOLA Cellæ veteris Abbas, de quo Bucelinus in Bened. Rediv. pag. 62.

Paulus BACCIUS, Monachus S. Pauli de Urbe. An. 1505. Vid. Armell. part. 2. pag. 119.

PAULUS, Belga, Brugenſis, cognomine MALASSUS, Monachus S. Juſtinæ Patavinæ, Polygloſſus ac Poëta non vulgaris. Ob. 1598. Armell. l. c. p. 120.

Paulus BETSCHART, Einſidlenſis claruit an. 1665.

Paulus BOTTBACHIUS S. Maximini Trevir. Sec. 17. Ab eo habemus inſigne Opus Concionum, quod anno 1634. typis vulgavit.

Paulus CATANIA, Siculus, Abbas Titularis S. Petri de Maſſa an. 1610. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 121. & ex eo Armell. part. 2. p. 121.

PAULUS, Monachus S. Petri Carnotenſis, Sec. 13. Vid. Jo. Lironis Bibl. Carnot. pag. 189. & Sammarth. tom. IV. p. 720.

Paulus Auguſtinus de FERRARIIS, Caſinas cl. c. a. 1659. Vid. Oldoin. in Theat. Liguſtico p. 453. Top. in Bibl. Neapol. Gattola in Hiſtor. Caſin. Armell. part. 2. p. 119.

Paulus COECUS, Genuenſis Caſinas c. a. 1100. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. cap. 36. & Mar. in Notis.

Paulus Baptiſta USODEMARE, Monachus Genuenſis in Cœnobio S. Catharinæ, Theologus Collegialis, ac celebris Concionator cl. an. 1652. *Armell. part. 2. pag.* 120.

Paulus GINNANIUS Abbas Monaſterii S. Pauli Romæ. Vivit. Sum̃o ſtudio collegit & exſcripſit antiqua monumenta ſui cœnobii.

Paulus GRAVINA, Abbas Catanenſis apud S. Nicolaum. Ob. 1626. Armell. part. 2. p. 121.

Paulus Andreas GUALTERIUS, Monachus Caſinenſis an. 1650. Vid. Eraſm. Gattola Hiſtor. Caſin. Sec. XII. §. IV. pag. 773.

Paulus HABERSTOCK è S. Paulo Carinth. Sec. 17. Pez in Ep. Apol.

Paulus JUDÆUS, Monachus Fuldenſis incertæ ætatis. Scripſit Vitas Sanctorum. Vide Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Vol. 5. p. 638. Kropf. in Bibl. Mellic.

Paulus LANGIUS, Monachus Zwicavienſis, Trithemii diſcipulus, an. 1515. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 3. p. 25. Piſtorius R. G. Scriptor. Tom. I. pag. 1117.

Paulus MEZGER è S. Petro Salisburgi, Author *Theologiæ Salisburgenſis*, atque aliorum præſtantium Operum. Ob. 1702 Vid. Hiſt. U. S. pag. 402.

Paulus PETSCHART, vide ſuprà *Paulus Betſchart.*

Paulus PRIEFER, Garſtenſis, docuit adhuc an. 1715. Matheſin in Univerſ. Salisburg. *Vid. Hiſt. U. S. p.* 403.

Paulus de PRAUNAU, Mellic. fl. an. 1479. *Vid. Bibl. Mellic. p.* 356.

Paulus RABUSSON, Magnus Prior Cluniac. Ob. 1717. *Vide vitam ſuprà Cap. IV. & Nizeronii Memorias.*

PAULUS *Iſuardus*, Abbas Monaſterii Ferrarienſis in Italia, floruit ſacra Poëſi, ac Muſica facultate c. a. 1578. *Vid. Wion Lig. Vit. lib. 2. Armell. part. 2. pag.* 122.

Paulus RACCHI, Abbas Titularis S. Vitalis de Ravenna. Ob. 1671. *Armell. l. c. pag.* 122.

Paulus SCHELLHAMER, Tegernſeenſis, edidit Scripta Philoſophica, an. 1699.

Paulus STOCKER è S. Paulo Carinth. docuit Philoſophiam an. 1707. in Univerſ. Salisburg. *Vide ejus Hiſtoriam l. 2. c. 7. pag.* 403.

Paulus VOLSIUS, Abbas in Alſatia anno 1539.

PAULUS *Warnefridus*, Mon. & Diac. Caſin. an. 785. Vid. Pet. Diac. c. 8. & Mar. in Notis, Mabill. Annal. Ben. tom. 1. p. 284. Bulæ. in Hiſt Univerſ. Pariſ. tom. 1. p. 628. Fabric. Bibl. med.

Lat.

Lat. Vol. 5. p. 620. & quos alios citat Recentiores.

PELAGIUS *de S. Benedicto*, Hiſp. Abbas Arlanzanus. Sec. 17. Pez in Catal. S. B. E.

PETRUS *Abælardus*, Mon. S. Dionyſii in Francia, *Gallorum Socrates*. Fabulam humanæ vitæ abſolvit an. 1142. Vid. Franc. Ambœſius, qui Opera Abœlardi typis vulgavit Pariſiis anno 1616. in 4.

PETRUS *Alberti*, Magnus Prior Cluniac. an. 1426. Vide Bibl. Clun. Fabricium Bibl. med. Lat. Vol. 1. Lib. 1. pag. 125. ubi virum eruditiſſimum memoria reliquit, remittendo Lectorem ad *Albertum Cluniacenſem*, cujus tamen nulla mentio in antecedentibus.

Petrus de ALCAMO, Siculus S. Martini de Arenis Monachus, Polygloſſus c. an. 1550. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 127.

Petrus Aloyſius GALLETUS in Abbatia B. Mariæ Florentiæ Profeſſus, nunc Philoſophiæ & Matheſeos Profeſſor, Archivio ac Bibliothecæ præfectus, variis ſcriptus iiſque doctiſſimis indies inclareſcit an. 1752. ætatis 30.

PETRUS *Alphonſus*, Monſerratenſis, Sec. XVI. *Vid. Ant. de Yepes in Chron. General. O. S. B. Tom. IV. Cent. V. p. 245. Bucelin. in Annal. Ben. ad an. 1552. Nicol. Ant. Bibl. Hiſp.*

PETRUS *Arnaldus*, Abbas S. Crucis Burdigal. an. 1316.

Petrus BAILLET, Congr. SS. Vitoni & Hidulphi Chronographus plurium Monaſteriorum ſeculo ſuperiore. *Vide Calmet in Catal. Scriptor. Hiſtor. Lothar.*

Petrus de BELLANTINIS, Monachus Congr. Caſin. cl. c. a. 1666. Armell. part. 2. p. 133.

Petrus Paulus BENNALI, Abbas Farfenſis, ac Viſitator Apoſtolicus Monaſteriorum Ordinis noſtri in Germania, Polygloſſus, Vir bonis literis inſtructiſſimus cl. an. 1606. Vid. Wion l. 3. c. 10. Pucinell. in Chron. Abbatiæ Florent. Armell. part. 2. p. 131.

PETRUS *Bercborius*, Prior S. Eligii Pariſienſis. Ob. 1362. Vide vitam ſuprà Cap. 4.

PETRUS *Boërius* ex Abbate Anianenſi Epiſcopus Urbevetanus. Ob. 1380. Trithem. lib. de Vir. Ill. O. S. B. c. 134. & lib. de S. E. ad an. 1360. ſed fuſiùs Hæſtenus Diſquiſ. Mon. l. 2. tr. 5. Diſquiſ. 3. circa medium. Marthene in Comment. ad Sac. Reg. Gall. Chr. tom. 6. p. 260.

Petrus CARPENTIER è Congr. S. Mauri, vivit; ab eo novam Operum Tertulliani editionem exſpectamus.

PETRUS *Caſtellenſis*, cognomento *Magiſter* circa an. 1401. Vid. Pezii Diſſert. Iſagog. in Tom. IV. Theſ. Anecd. pag. XXIV.

PETRUS *Senior*, Diaconus Caſinenſis, Præceptor Petri Diaconi Bibliothecarii, cl. circa an. MLXXX. Vid. Pet. Diac. c. 39. & Marum in Notis.

PETRUS *Junior*, Diaconus & Bibliothecarius Caſ. a. 1141. Vid. vitam ſuprà Cap. 3.

PETRUS *Subdiaconus* Caſinenſis c. a. 1120. Vid. Pet. Diac. c. 43. Mar. in Not.

Petrus CANALES, Monaſterii S. Cucufatis, floruit tempore Joannis Regis Aragoniæ. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Vet.

Petrus CATANIA, vide *Paulus Catania*. Mongitorius vocat *Petrum*, Armellinus *Paulum*, forſan utrumque nomen *Petri Pauli* tulit, ut quidam alii.

PETRUS *Cellenſis* Abbas, tum Epiſcopus Carnotenſis an. 1187. Vid. ſuprà Cap. 3. Vitam.

Petrus CEREBROSUS ſcripſit contra conſuetudinem ſe flagellandi, ad quem propterea extat *Petri Damiani* Epiſtola 27. & 28. lib. 6.

Petrus CHRISTIAVILLANUS, Monachus Beccenſis an. 1483.

Petrus CLAVARINUS, Abbas plurium, ſucceſſivè Monaſteriorum in Congr. Caſin. cl. c. a. 1643. Vid. Mandoſ. in Bibl. Rom. Armell. in Bibl. Caſ. part. 2. p. 133.

PETRUS *Cluniacenſis* Abbas clar. an. 1201. Vid. Bibl. Clun.

Petrus CORAL, Abbas S. Martini Lemovicenſis, Author Chronici Lemovic. an. 1247. Vid. Annal. Ben. tom. 4. p. 225. le Long Bibl. Hiſtor. de France.

Petrus COURPALAY, Abbas Monaſterii S. Germani à Pratis. Ob. 1334. Vid. Bouillart in Hiſtoria ejuſdem Monaſterii.

Petrus COUSTANT è Congr. S. Mauri ab editione Operum S. Hilarii, & Epiſtolarum Decretalium Summorum Pontificum commendatiſſimus. Ob. 1720. Vide Pezii & Cerſii Bibl. Cardinal. Quirini Comentar. vitæ part. 1. p. 92.

S. PETRUS *Damiani*, S. R. E. Cardinalis. Ob. 1072. Vid. vitam ſuprà.

Petrus DISCORDANUS, ſive CALZOLARIUS, videtur Abbati Armellino haud eſſe diverſus à *Petro Ricordato*, de quo infrà.

Petrus le DUC, Monachus S. Sergii Andegavenſis. Vid. Jac. le Long. Bibl. Hiſtor. de France.

Petrus FRIDERICUS, Monachus Erfurtenſis ad S. Petrum ſcripſit circa initium hujus ſeculi XVIII. hiſtoriam ſui Mona-

Monaſterii. Vid. Daniel Eberhard Baring de Scriptor. Rei Diplom. pag. 23. vel potiùs continuationem Chronici à *Nicolao de Sygben* cœptam continuavit. Schötgenius l. 18. pag. 605.

Petrus de GAZATA, Abbas Regienſis in Italia, mortuus an. 1414. Vid. Scriptores Rer. Italic. tom. 18. & Acta Erud. Lipſ. an. 1732. pag. 559.

Petrus Paulus della GATTA, Monachus S. Severini Neapoli, honorum fugitans, *Conſcientiarum Magiſter* ob ſummam in rebus moralibus peritiam dictus. Ob. 1644. Vid. Benedictus Laudati in Chron. S. Severini part. 2. pag. 335. Armell. part. 2. p. 131.

Petrus Paulus GINANI, Monachus S. Vitalis Ravennæ docuit ab an. 1720. ad an. 1732. & forſan ultra in celebrioribus ſuæ Congr. monaſteriis Theologiam, & Jus Pontificium. Vid. Armell. part. 2. p. 131.

Petrus de GRANNON, Hiſpanus è monaſterio S. Æmiliani c. an. 1000. *Leges Gothorum* in duo volumina congeſſit. Vid. Nic. Ant. B. H. V. pag. 380.

Petrus GUARINUS è Congr. S. Mauri, Author *novæ Grammaticæ Hebraicæ*, majorem in modum laudatæ. cl. an. 1724. Vide le Cerf. p. 176.

Petrus GISCHEL Ottoburanus edidit an. 1740. Rhetoricam majorem & minorem.

Petrus GOHATZ, Monachus S. Martini Colon. an. 1559. Ex Catal. Mſs. Codd. Bibl. Sancti Martini Maj. Coloniæ.

Petrus GUETRATHER, Abbas Tegernſeenſis an. 1715. electus, cùm antea per annos xiv. Jus Pontificium in Univerſitate Saliſburgenſi tradidiſſet. Ob. 1725. Vid. H. U. S. lib. 2. c. 3. p. 230.

PETRUS *Guilhelmus* S. Ægidii Monachus in Septimania. Ob. 1116. de quo vide Mabillon. Annal. tom. 2. & tom. 5. pag. 623.

Petrus HENHAMUS, Waldenenſis Monachus in Anglia an. 1244. Piſſ. æt. 13. pag. 297.

Petrus de ICHAM, Cantuarienſis, anno 1290. Vid. Oudin. Tom. 3. de S. E. col. 611. Jo. Gerhard. Voſſius de Hiſt. Lat. l. 2. c. 61.

Petrus Benedictus de JUMILLAC è Congr. S. Mauri. Ob. 1682. Vid. le Cerf p. 183.

PETRUS *Maria Juſtinianus*, ex Monacho Caſinate Epiſcopus Sagonenſis in Corſica, an. 1726. creatus, plura ſcripſit. Vid. Armell. l. c. part. 2. pag. 126.

Petrus KEMMERICH Mon. S. Martini Maj. Coloniæ. Ob. 1695. Ex Catal. Mſs. Codd. Bibl. S. Martini.

V. PETRUS *Mauritius*, Abbas Cluniac. Ob. 1156. Vid. Bibl. Cluniac. Annal. Bened. & Acta SS. Ord. S. B. Pagium in Critica tom. IV.

PETRUS *Malleacenſis* Sec. XI. Author Chronici Malleacenſis. Vid. Annal. Ben. tom. IV. pag. 223. 468. 601. In humanis etiam ſeculo adhuc XII. egiſſe, argumento eſt epiſtola Baldrici Archiepiſcopi ad eum data.

Petrus Vincentius MARZILLA, Hiſpanus clar. c. an. 1613. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

PETRUS S. Martialis apud Lemovicas Abbas. Ob. 1156. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 560.

Petrus MASIUS Abbas Caſalis Benedicti.

Petrus MIRANDA, Hiſpanus, Sec. 17. Pez in Epiſt. Apolog.

Petrus MURGA, Hiſpanus, Prior S. Æmiliani, celebris Canoniſta an. 1658. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Petrus MUSNIER è Congr. SS. Viti & Hidulphi cl. 1720 Vid. Calmet in Catal. Scriptor. Hiſtor. Lothar.

Petrus MUTI, Benedictinus Italus cl. initio Seculi XV. continuator *Hiſtoriæ Regienſis*, De loco profeſſionis diſputat Armell. part. 2. pag. 135.

Petrus ORDELAPHUS è Congreg. Caſin. monaſterii incomperti, veroſimiliter tamen D. Benedicti in agro Mantuano monachus cl. 1626. Armell. l. c.

Petrus OWER è Domo S. Petri Conſtantiæ ad Rhenum, clar. c. an. 1646. Vid. Felix Egger in Idea Ord. S. B. l. 2. pag. 555.

Petrus PARISELLUS, monachus S. Germani à Pratis.

Petrus PESSELIRÆUS, monachus S. Germani Antiſſiodorenſis cl. c. an. 1542. de quo Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 147.

PETRUS *de S. Joanne*, Pictavienſis, Monachus & Prior Monaſterii Cluniac. an. 1140. Vid. Bibl. Clun. Annal. Bened. tom. 6.

Petrus PONCE, Monachus S. Facundi in Hiſpania Sec. XVI. Invenit artem docendi mutos proferre verba, literas, Latinámque linguam callere, & ſcribere. Vid. Ambroſius Morales in Deſcriptione Hiſpaniæ pag. 38. & ex eo Nicol. Ant. in Bibl. Hiſp. Nov.

PETRUS, Abbas Poſavienſis in Miſnia. an. 1507. Vid. Poſſev. Appar. tom. 3.

Petrus RAYMUNDI, Abbas Malleacenſis, an. 1140. Annal. Ben. tom. 6. p. 552.

Petrus REGNIER, Prior S. Joannis Ipris clar. c. an. 1629. Vid. Foppens p. 1004.

PETRUS Monachus Caſtellenſis monaſterii in Reichenbach an. 1401.

Pe-

Petrus RICORDATUS, Decanus S. Mariæ Florentiæ, Auctor *Hiſtoriæ Monaſticæ*. Ob. 1580. Armellino l. c. part. 2. pag. 135. vocatur etiam *Calzolarius*.

Petrus ROGERII, poſtea Clemens VI. ſuprà.

Petrus de ROSENHEIM, Prior Mellicenſis an. 1464. Vide præter Trithemium, Oudinum, Eyſengren, pluréſque alios Anſelmum Schramb in Chronico Mellic. & Kropf in Bibl. Mellic.

Petrus le ROY, Abbas S. Michaëlis de Monte Tumba in Normannia cl. Sec. xv. Vid. Luc. Acher. in Notis ad Opera B. Lanfranci pag. 351.

Petrus SABBATHIER è Congr. S. Mauri pro prælo parat *Bibliorum Sacrorum Latinas verſiones antiquas*. Vide le Cerf pag. 457.

Petrus SALVIA è Congr. Anglicana. Pez. in Epiſt. Apolog.

Petrus SORBILLO, S. Joannis Ringavienſis. an. 1513.

Petrus Franciſcus le SUEUR è Congr. S. Mauri, laudatus Mabillonio in Præfat. ad Sec. I. Benedictin. Ob. 1667. Vide le Cerf. p. 468.

Petrus SYBENIUS, Abbas Gladbacenſis.

PETRUS *Theanenſis*, Diac. & Mon. Caſinas, vixit an. 1080. Vid. Pet. Diac. cap. 39.

Petrus Antonius TORNAMIRA, Aſceta S. Martini de Scalis, diligens multorum Operum Scriptor. Ob. 1681. Vid. Armell. part. 2. pag. 123. Mongitorius Bibl. Sic. pag. 128.

Petrus TRELIUS è Congr. S. Mauri, Sec. xvii. laudatus Mabillonio in Analectis.

PETRUS *Tuitienſis*, Monachus S. Martini Coloniæ. Ob. 1598. Ex Catal. Mſs. Codd. Bibl. San-Martin.

Petrus Aloyſius à TURRE, S. Mariæ Florentiæ Monachus, SS. Canonum Profeſſor Romæ in Collegio S. Anſelmi, anno 1728. electus Prior S. Pauli de Urbe. Vid. Armell. part. 2. pag. 123.

PETRUS Abbas Vangadiciæ c. an. 1066. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 681.

Petrus de VECCHIA ex Monacho & Abbate S. Juſtinæ Epiſcopus Melphictenſis. Ob. an. 1694. Vid. Armell. part. 2. pag. 138.

Petrus de VERSAILLES, Monachus S. Dionyſii in Francia. Vid. Felibien in hiſtoria ejusdem Monaſterii. Edm. Martene Theſ. Anecd. tom. 1. p. 1123.

Petrus VISSELBECCIUS, Monachus Eresburgenſis in Saxonia, auctor Chronici Huxarienſis cl. an. 1390. de quo Franc. Paullini, qui ejusdem Chronicon edidit an. 1698. in 4.

Petrus URSINUS, Caſinas, eruditus antiquarius, qui anno 1732. adhuc in vivis agebat. Armell. part. 2. p. 140. Julius Ambroſius Lucenti in Additionibus ad Ughellum in Marino Urſino, Epiſcopo Cannenſi, ubi etiam de Petro Urſino.

Petrus WAGNER, Monachus San-Udalricanus Auguſtæ Vindelic. an. 1490. Vid. Pezii Diſſert. Iſag. in Theſ. Anecd. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 2. pag. 547.

Petrus WALLONCAPELLUS, aliàs à S. Audomaro, Monachus S. Winoci in Belgio cl. 1585. Vid. Poſſevin Appar. Sac. tom. 3. pag. 37. Hæften. Disquiſ. Monaſt. l. 2. tr. 5. Foppens pag. 1020.

Phaleſius WELSONUS, edidit an. 1735. Viridarium Sacrarum Meditationum.

Philibertus HUEBER Mellicenſis Archivarius. Ob. 1725. Vide Hier. Pez. in Obſerv. præv. ad Chronicon Mellic. monaſterii Tom. I. Scriptor. Rer. Auſtr. p. 166. Bibl. Mellic p. 510.

Philibertus UTZ, Mellicenſis, docuit Philoſophiam ac Matheſin in Univerſ. Salisburgenſi. Ob. 1680. Vid. Hiſt. U. S. pag. 405.

Philippus ALLEGRET Monachus S. Nicolai de Litore Venetiarum an. 1543. Armell. part. 2. p. 141.

Philippus BASTIDE è Congr. S. Mauri non minimas turbas Mabillonio dedit ob *Sanctos Prætermiſſos* in Actis Sanctorum O. S. B. Ob. 1690. Vide le Cerf. pag. 7.

Philippus de BERGAMO, Prior Cœnobii S. Mariæ de Avantia, an. 1350. Vid. Trithem. de Vir. Ill. Ord. S. B. lib. 2. cap. 129.

Philippus BILLOUET è Congr. S. Mauri Profeſſor Linguæ Habraicæ, & Bibliothecæ, quam Aureliani locupletiſſimam habent Benedictini, Præfectus, imaturâ morte deceſſit an. 1720. Vid. le Cerf. pag. 22.

Philippus CAVARELLUS, Abbas Vedaſtinus. Ob. 1636. Vid. Andr. Valer. Bibl. Belg. pag. 771. Foppens B. B. pag. 1026.

Philippus le CERF è Congr. S. Mauri, Autor *Bibliothecæ Hiſtorico-Criticæ* Autorum ejusdem celeberrimæ Congregationis an. 1726. typis exſcriptæ.

Philippus COURAULT, Abbas S. Petri juxta Gandavum Sec. xv.

PHILIPPUS *Elnonenſis* Abbas, de quo vid. Meierum an. 1161. Poſſev. Appar. tom. 3. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 5. pag. 862.

Philippus FRANÇOIS è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi.

Philippus FROMONT, Prior Altimontenſis apud Hannones. Ob. 1636. Foppens pag. 1032.

PHILIPPUS Abbas & Princeps Fuldenſis. Ob. 1550. Vid. Schannati Hiſtor. Fuld. Bruſchii Monaſter. Germ. Chronolog. pag. 66.

Philippus de LATTRE, Subprior Cœnobii Vedaſtini. Vid. Hæfteni Disquiſ. Monaſt. lib. 2. tract. 5. Foppens B. B. pag. 1036.

Philippus Maria de PACE, Abbas Cavenſis cl. an. 1700. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 317. Armell. part. 2. p. 143.

Philippus ROMAGNY è Congr. S. Mauri, Synchronus Lucæ Acherii, de quo hunc vide in fine procemii ad Opera Ven. Abbatis Guiberti de Novigento.

Philippus ROTTENHÄUSLER, Abbas ad S. Paulum in Carinthia. Ob. 1677. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. l. 2. p. 241.

Philippus Jacobus STEYRER edidit ſententias ex operibus Ludovici Bloſii collectas Ulmæ 1742.

Philippus TANUS, Abbas Titularis è Congr. Caſin. poſtquàm in eadem diu ſcholaſticas diſciplinas cum laude docuit. Ob. 1712. Armell. l. c. p. 141.

Philippus VIBIUS, Peruſinus Abbas, Monaſterii S. Petri. Ob. 1382. Vid. Auguſtini Oldoin. in Athenæo Peruſino, & Pompeius Pellini in Hiſtoria, nec omittendus Armell. part. 2. p. 142.

Philippus de VILLETA, Abbas S. Dionyſii in Francia anno 1350. Vid. Yepes Chron. Gener. Ord. S. B. Cent. II. p. 197. Fratres Sammarth. Gall. Chriſt. tom. IV. pag. 338. Felibien in Hiſtoria Monaſterii San-Dionyſiani.

S. PIRMINIUS, celebris Monaſteriorum Ordinis ſui per Germaniam Fundator c. an. 724. & ſeq. Vid. Annal. Ben. Acta SS. Ord. S. B. Jo. Egon de Viris Illuſtribus Augiæ Divitis, quæ an. 724. ab eo fundata eſt.

Pirminius NEUREYTTER Profeſſor Salisburgi an. 1744.

Piſo monachus - - - Vid. Fabric. Bibl. inf. Lat. vol. 5. pag. 878.

Pius COSTA, Abbas S. Martini de Scalis. Ob. 1697. Vid. Ant. Mongitore Bibl. Sicul. part. 2. pag. 183. Armell. part. 2. p. 144.

PIUS Abbas & Princeps San-Gallenſis. Ob. 1654. Vid. Dionyſ. Sammarth. Gall. Chr. tom. 5. pag. 968.

Pius de MARRA, Abbas Titularis Magnæ Crucis in Cypro ab Urbano VIII. nominatus, cùm eſſet Neapoli Monachus in S. Severini Cœnobio. Ob. 1648. Nicol. Toppius in Bibl. Neapol. pag. 253. Ben. Laudati in Brevi Chron. S. Severini mſ. pag. 337. Marian. Armell. part. 2. p. 144.

Pius MUTIUS, Abbas S. Pauli de Urbe, & aliorum deinceps monaſteriorum in Congr. Caſin. Ob. 1659. Vid. Plac. Puccinel. in Chron. Glaſſ. pag. 365. Hier. Ghil. in Theat. Vir. Ill. part. 1. pag. 199. Armell. l. c. part. 2. pag. 145.

PLACIDUS, Monachus Altivillarenſis, Sec. X. Vid. Mabill. de Re Diplomat. Supplem. cap. XI. p. 51.

Placidus AMMON, Mellicenſis, rei antiquariæ ſtudioſus, characterum lectû difficilium apprimè peritus, vetera monumenta à ſe eruta, Notiſque illuſtrata prælo parata habet.

Placidus ANGERMAYR, Weſſofontanus, an. 1727.

Placidus BOCKN, San-Petrenſis Salisburgi SS. Canonum Profeſſor emeritus, Commentarium in Jus Univerſum Canonicum edidit. Obiit die 9. Februarii 1752. ætatis 62. Vide ſuprà cap. IV. §. XXXIX.

Placidus BRIDLER è S. Gallo docuit Jus Pontificium in Univerſ. Salisburg. Ob. 1679. Vid. Hiſt. U. S. pag. 406.

Placidus BUCHAUER, Abbas Cremifanenſis, magnus literarum amator. Ob. 1669. Vide Rettenpacher in Annal. Cremifan. & Hiſtor. U. S. pag. 199. & 407.

Placidus CAMPULUS, Abbas Monaſterii Meſſanenſis S. Placidi. Ob. 1455. magna ſanctitatis fama. Vid. Roch. Pirh. lib. 4. Sic. Sac. pag. 264. Plac. Samper in Iconolog. M. V. lib. 2. pag. 165. &c. Ant. Mongitore Bibl. Sic. tom. 2. pag. 184.

Placidus CAPARELLI, Prior S. Mariæ de Plaga, Neapoli an. 1727. Armell part. 2. pag. 151.

Placidus CICADA, Abbas S. Catharinæ Genuæ cl. c. an. 1660. Armell. l. c.

Placidus ERKENS S. Mathiæ Trevirenſis an. 1727. notus ſolùm ex ſcriptis editis.

Placidus FALCONIUS, Brixiæ apud S. Euphemiam Monachus, an. 1549. Vid. Armell. part. 2. pag. 151.

Placidus FLECKEN, Abbas Monaſterii Amorbacenſis ab an. 1630 ad an. 1674. ſcripſit *Librum Statutorum* & alium pro Novitiis, variis & ſelectis refertum doctrinis. Vid. Ignat. Gropp. in Hiſt. Amorbac. p. 157.

Placidus FRANCK, à quo extant Conciones tripartitæ. Aug. 1726.

Pla-

Placidus GASCOIGNIUS Congr. Anglic. Sec. 17. Pez in Ep. Apol.

Placidus MELBOCK, Prior & Aſceta Augiæ Maj. Brigantinæ. Ob. 1710. Ex monumentis Monaſterii.

Placidus de JUDICE, Cœnobita S. Martini de Scalis. Ob. an. 1673. Vid. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 185. Armell. l. c. part. 2. pag. 151.

Placidus KNITEL, Abbas Engelbergenſis.

Placidus LEGERIUS, Monachus S. Germani à Pratis. Ejus Sermones MIs. aſſervantur in Bibliotheca S. Germani Prat. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 5. pag. 887.

Placidus MAYERHAUSER, Abbas ad S. Petrum Salisburgi. Ob. 1741. Vid. Hiſt. U. S. pag. 408.

Placidus MENICH, Andecenſis, Sec. 17. Pez in Epiſt. Apol.

Placidus MILPAUER, Oberaltahenſis. Straubingæ edidit Neſtorem Peripateticum, an. 1676. in 8.

Placidus à NAZARETH, Zwifaltenſis. Ob. 1696. Vid. Monaſterii Annales.

PLACIDUS, Prior Nonantulanus c. an. 1070. de quo Anonymus Mellicenſis cap. 115. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 5. pag. 886.

Placidus PACHECO DE RIBERA, Abbas Monaſterii Hiſpalenſis an. 1627. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Placidus PETRUCCIUS, Caſinas, ſcripſit *Supplementum ad librum Petri Diaconi de Viris illuſtribus Aſceterii Caſinenſis.* Obiit ætatis ſuæ 37. circa an. 1587. De eo agunt Arnoldus Wion Lig. Vitæ part. 2. in Adjunctis pag. 190. Poſſev. Appar. Sac. tom. 2. & ut alios plures prætermittam, Armell. part. 2. pag. 152.

Placidus David PORCHERON è Congr. S. Mauri. Obiit an. 1694. Vide le Cerf. pag. 412.

Placidus Petrus à PRATIS Viſitator Reformationis Cluniac. edidit Apologeticum. Vide Catal. Bibliothecæ Tellerianæ.

Placidus PUCCINELLUS, Abbas Titularis, Congr. Caſin. Ob. 1685. Vide Armell. part. 2. pag. 153. ubi non immeritas fert laudes, Lectórque remittitur ad plures Bibliographos, qui de eo cum laude agunt.

Placidus RAUBER è gremio S. Blaſii Abbas Schwarzachenſis. Ob. 1685. Vid. Hiſt. U. S. pag. 408.

Placidus de REINOSA in Ovetenſis Urbis Collegio S. Clementis ſtudiorum Rector, & in ſchola primarius Theologiæ Profeſſor cl. c. an. 1627. Vid. Nic. Ant. B. H. N.

Placidus RENZ, *Senior* Weingartenſis, cl. c. an. 1697. celebris à Philoſophia in lucem edita, tertiùm jam impreſſa, nec minùs à Theologia typis recentibus mandata.

Placidus RENZ, *junior*, Senioris nepos, Abbas Weingartenſis, nuper Reſignatus, vivit. Anno 1741. Curſum edidit Philoſophicùm, quem in Univerſitate docuit Salisburgenſi.

Placidus SALERNO, Monachus Cavenſis. Anno 1564. Vid. Armell. part. 2. pag. 157.

Placidus SPACILLUS, Brevnovienſis, Sec. 17. Pez in Ep. Apolog.

Placidus SPIES, Prior Ochſenhuſanus, Aſceta & Catechiſta inſignis, ſeculo proximè præterito. Pez l. c. pag. 161.

Placidus STEINBACHER, Mallerſtorphenſis, ſcripſit de Virtute Pœnitentiæ, an. 1693.

Placidus TALLER Rottenſis in Boica edidit plura Concionum Volumina an. 1721. & ſeq.

Placidus TURCHI Monachus S. Vitalis Ravennæ, ac poſtea Abbas; ſed tandem dimiſſa Abbatia obiit Abbas Titularis, clar. an. 1463. Armell. part. 2. p. 156.

Placidus VELHORN, Ensdorffenſis, edidit Philoſophiam an. 1727.

Placidus VIGELLIUS, Abbas Majoris Augiæ Brigantinæ. Ob. 1651. Vide vitam ſuprà cap. 4. & Pezium præfat. in Tom. X. Bibl. Aſcet.

Placidus de VILLALOBOS, Præſes Congr. Luſitanæ an. 1585. Nicol. Ant. B. H. N.

Placidus URLAUF, Therenſis in Francia Orientali, edidit Conciones in fol. an. 1706.

Placidus WIBMER vitam S. Benedicti edidit an. 1717.

Placidus ZURLAUBEN, Abbas & Princeps Murenſis in Helvetia. Edidit Conciones Panegyrico - Morales, atque exhortationes Aſceticas.

Poncardus de VINDONISSA, Monachus S. Remigii Remenſis cl. an. 1394. Vid. Marlotti Hiſtor. Metrop. Remenſ. tom. 1. pag. 360.

Pontianus SCHÜZ, Ottoburanus. Ob. 1713. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. pag. 410.

PONTIUS, Monachus Monaſterii S. Andreæ Diœceſ. Avenione Scriptor vitæ S. Pontii, Abbatis ejusdem loci an. 1087. defuncti, ſub cujus diſciplinâ vixit. Vid. Dion. Sammarth. Gall. Chr. tom. 1. pag. 873.

POPPO Fuldenſis primùm Scholaſticus, tum Abbas anno 1000. Trithem. in Chron. Hirſaug. pag. 113. & 128.

POTHO Prumienſis Monachus ac Presbyter cl. c. a. 1152. & ſcripſit *de Statu Domûs Dei libros quinque.* Item *de magna Domo Sapientiæ Librum I.* Vid. Bibl. PP. edit. Lugdun. Tom. 21. f. 489. Nova verò eſt, & ante hunc diem inaudita ſententia, quam V. C. Bernardus Pezius de hoc *Pothone* ſtatuit. Eum enim non eſſe diverſum ab eo *Pothone*, qui Prunveningenſis Monachus Librum de Miraculis B. V. conſcripſit [cujus editionem ipſe Pezius anno 1731. accuravit] non perfunctoriè contendit. Non igitur, ſi Pezium audimus, duo ſunt *Pothones*, unus Prunveningenſis, alter Prumienſis, ſed unus tantùm, viz. Prunveningenſis, qui & libros de Domo Dei, & librum de Miraculis B.V. ſcripſit. Pezio etſi in his ſacris plurimùm tribuamus, hic tamen vix poſſumus aſſentiri, ſed veremur potiùs, ut Vir Clariſſ. hominibus eruditis, atque in utriusque Pothonis librorum lectione ſubactis ſuam probare aſſertionem poſſit. Audiamus tamen, quibus rationibus Pezius ſit adductus, ut ita ſtatuerit. „ Certiſſima, „inquit, gloria hoc Monaſterium [*Prun-„veningenſe*] ſpoliavit Alexander Braſ-„ſicanus, qui *Pothonis Prunveningenſis* „*Monachi Libros de Statu Domûs Dei, &* „*de Domo Sapientiæ* cuidam Pothoni „*Prumienſi* Cœnobitæ, qualis nullus „unquam fuit, adſcripſit, eòque lapſu „ſuò omnes eruditos viros in errorem „induxit. Porrò in eam opinionem „Braſſicanum nihil aliud induxit, quàm „nominis utriusque Ordinis noſtri Mo-„naſterii affinitas, & quædam in ve-„teribus Codicibus ſcripturæ ſimilitu-„do, dum pro Monaſterio *Prunvenin-„genſi* legit *Prumienſi.* Jam verò hæc „ita ſe habere conſtat ex citato Cata-„logo librorum Prunveningenſis Bi-„bliothecæ, in quo inter libros *diverſo-„rum Doctorum* etiam numerantur *Qua-„tuor Libri de Domo Domini, & de no-„vem Ordinibus Angelorum*, quos fecit „*P. Monachus loci*, id eſt *Potho.* Ubi „vides *libros de Domo Domini &c.* Po-„thoni Prunveningenſi certiſſimè attri-„bui. „ Nititur præterea Pezius authoritate *Joannis Lapilli*, ſeu *Stalndel*, qui de eodem *Pothone Prunveningenſi* agit in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis his verbis: „ Botho Presbyter & Mo-„nachus de Cœnobio *Brunvinngenſi* „(adeò enim diverſè nomen hujus Mo-„naſterii effertur) *ab adoleſcentia ſua in* „*ſcribendo & dictando occupatus ſcripſit* „*de Domo Domini Lib. I.* „ Atque in duplici hac authoritate, viz. Joannis Lapilli & Catalogi Bibliothecæ Prunveningenſis Pezius conquieſcens rem confeciſſe ſibi videtur.

At vereor ego, ut Vir Clariſſ. *Pothonem* novæ ſuæ ſententiæ adverſantem ſuſtinere queat. Cui enim major fides præſtanda eſt, atque *Pothoni* de ſe ipſo teſtimonium ferenti? Quæro ex Pezio, num *Potho Prunveningenſis* inter ſe pugnantia ſcripſerit? In libro de Miraculis B. V. non modò decantatam illam, aſt à peritis Criticis dudum exploſam hiſtoriam de Elſino Abbate refert, ſed approbat etiam, & Lectores ad colendam Conceptionis illibatæ feſtivitatem his verbis hortatur: *Et nos Fratres dilectiſſimi, ſi portum ſalutis volumus apprehendere, Dei Genitricis Conceptionem dignis obſequiis celebremus.* Quid verò dicit libro tertio *de Statu Domûs Dei*? Sub finem hujus libri novitatem celebrandi feſti Immaculatæ Conceptionis carpit, improbat, & conqueritur, quod *vita monaſtica, quæ erat columna & firmamentum religionis in eccleſiaſticis Officiis, repentinis viſa eſt novitatibus acquieſcere*, nempe admittendo feſta S. Trinitatis, & Transfigurationis, atque quod magis abſurdum ipſi videbatur, *feſtum quoque S. Mariæ Conceptionis.* Et credat quisquam utriusque hujus Operis eundem eſſe authorem? Utique Cl. Pezius ipſum Pothonem & arbitrum non defugiet? Sit *Potho Prunveningenſis* author libri fabulis & anilibus figmentis reſperſi de Miraculis B.V. nos *Pothonem Prumienſem* pro auctore inclyti Operis *de Statu Domûs Dei* habebimus. Nec moramur verba Catalogi Prunveningenſis, *Quos fecit P. monachus loci*, facilè enim exponi poſſunt, quos fieri vel ſcribi curavit, vel ipſe ſcripſit Potho: quæ interpretatio non eſt nova & inſolens, ſed quàm ſæpè apud Veterum Codicum tranſcriptores occurrit, uti nemo, niſi qui ſit in his ſacris hoſpes, ignorat. Quod idem dicendum eſt de authoritate *Joannis Lapilli*, Bibliographi ſatis obſcuri & paucis cogniti, cui ne quidem numerus librorum *de Domo Domini* compertus fuit, quem uno unico definit, cùm *Potho* quinque ſcripſerit. Minor error eſt in Catalogo Prunveningenſis Bibliothecæ, in quo Libri *de Domo Dei* ad quatuor rediguntur.

POTHO Monachus Prunveningenſis, nunc Priflingenſis propè Ratisbonam Monaſterii cl. Sec. XII. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 6. pag. 25.

PROBUS S. Albani Moguntiæ an. 836. Vid. Annal. Ben. tom. 2. p. 582. Trith. in Chron. Hirſaug. Annal. Fuld. ad an. 859.

859. Baluz. in Not. ad Lup. Ferrar. Epiſt. xx.

Proſdocimus PIGNOLATUS, Monachus S. Juſtinæ Patavinæ. Ob. 1552. De eo Arnold Wion Lig. Vit. l. 2. c. 75. Armell. part. 2. p. 157.

Proſper ILGER Elchingenſis in Suevia monaſterii Profeſſus, publico dedit *Quæſtiones Theologicas*. Ulmæ an. 1751. in 8.

Proſper MARTINENGUS è Comitibus de Barco Monachus Brixiæ ad S. Euphemiam, magnum Congregationis Caſinenſis ornamentum. Ob. 1595. De eo plurimi honorificè agunt, quos vide apud Armell. part. 2. pag. 159.

Proſper MAZZI, Mutinenſis Prior Titularis Congr. Caſin. an. 1680. Armell. l.c. pag. 161.

Proſper PHANELLUS Neapoli ad S. Severinum Monachus an. 1542. Armell. l. c. p. 161.

Proſper QUARAGNA, Monachus S. Laurentii de Averſa an. 1609. Armell. l. c.

Proſper VALLISNIERI, Abbas S. Pauli de Urbe an. 1550. Armell. l. c. p. 162.

Prudentius MARAN è Congr. S. Mauri vivit, operúmque S. Juſtini editionem adornat.

Prudentius de SANDOVAL, Hiſpanus, ex Monacho Naxerenſi Epiſcopus primùm Tudenſis, rum Pampilonenſis. Ob. 1621. Vid. Nic. Ant. B. H.N. Franckenau Bibl. Hiſp. Geneal. Herald. p. 369. n. 1327.

Q.

QUINETUS è Congr. S. Mauri, Sec. XVII. Bernardo Pezio in Epiſt. Apolog. vocatur *Queſnetus*.

Quintinus DURETIUS, Gerardimontenſis Collegii Rector cl. c. a. 1651. Vid. Foppens pag. 1050.

QUINTINUS *Kennedy* Abbas Crucis Regalis in Scotia, cujus quædam extant opuſcula contra Calviniſtas in appendice ad *Hiſtoriam mutatæ religionis in Scotia*; *Vita autem apud Georg. Machenzium, de Scriptoribus Scotiæ*.

Quirinus METELLUS, Monachus Tegernſeenſis, clar. c. a. 1060. uti exiſtimat Caniſius in prælud iis ad Quirinalia à ſe vulgata; Poſſevin. in Appar. Sac. Voſſ. de Hiſtor. Lat. Mabill. in Actis SS. O. S. B. Sec. 3. pag. 616. & Annal. Ben. tom. 2. pag. 129. Oudinus tom. 2. col. 1446. ubi non anno 1060. ſed 1160. claruiſſe Metellum nixus Bruſchii auctoritate, cujus tamen errores & fœdæ in chronologia hallucinationes quàm multæ à viris eruditis annotatæ fuerunt. Cum Oudino facit Baſnagius, qui Caniſii antiquas Lectiones iterato ſubjecit prælo; ad calcem tamen Quirinalium infra ad oram hæc verba leges; *Ex Scholio pag. 42. corrigendum MLX. niſi numerum MCLX. ad Scriptorem, non Autorem referas. Metellus* verò nomen *Quirini* tulit à *Quirinalibus*, quamquàm hoc nomine raro vocetur.

Quirinus REST, Abbas Tegernſeenſis, anno 1585. edidit *Roſetum B. V.* Vid. Monumenta Tegernſeenſia apud Pezium Tomo III. Theſ. Anecdot.

Quirinus MILLON, Abbas Tegernſeenſis, electus anno 1700. multa, ut erat vir magnæ induſtriæ & laboris, in Mſ.tis reliquit. Vid. l. c.

Quirinus STOCKHAMMER, Schyrenſis in Bavaria Monaſterii Cœnobita, edidit anno 1712. Ratisbonæ Opus Philoſophicum.

R.

B. RABANUS *Maurus*, Abbas Fuldenſis, & Archiepiſcopus Moguntinus, quem Cardinalis *Baronius* ex merito vocat *fulgentiſſimum Germaniæ ſidus*. Vide vitam ſuprà cap. 41. Eggs. in Pontif. docto pag. 210.

RADIMILIUS Abbas Clatovienſis ad S. Laurentium in Bohemia cl. an. 1149. Vid. Balbin. Epitom. Hiſtor. Rer. Bohem. pag. 155. & 227.

RADO Abbas S. Vedaſti Atrebatenſis, an. 795. Vid. Pet. Lambec. Comentar. de Bibl. Vindobon. l 2. c. 5. p. 402.

RADULPHUS, Monachus, deinde Abbas S. Albani in Anglia, claruit ex opu Ione Lelandi cap. 314. poſt tempora Mathæi Pariſii, qui anno 1259. obiiſſe fertur. Vid. Piſſ. æt. 12. pag. 213. Oud. de S. E. tom. 2. p. 1441.

RADULPHUS Cluniacenſis Monachus an. 1150. niſi ſit idem cum ſequenti.

RADULPHUS *Eleemoſynarius*, Weſtmonaſterienſis an. 1150. ex Congreg. Cluniac. Leland. c. 233. p. 246. Piſſ. æt. 12. p. 223.

RADULPHUS vel *Raculphus* Flaviniacenſis. Ob. c. a. 1157. Vid. Alberic. in Chron. Labbei Diſſertat. contra Mareſium tom. 2. pag. 275. & in Addend. pag. 799. Calmet in Supplem. ad B. S. pag. 314. col. 1.

RADULPHUS Funtanellenſis Abbas c. a. 1031. de quo vide non prætereundo Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. VI. p. 93.

Radulphus GLABER, ſive *Rodulphus* S. Germani Cœnobii Autiſſiodorenſis primùm, poſteà Cluniac. Mon. clar. 1046. Vide

Annal. Ben. tom. 4. p. 463. Nat. Alex. Hiſt. Eccl. tom. vi. p. 501.

RADULPHUS Roffenſis Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis. Ob. an. 1121. Vid. Bale. Cent. x. 43.

RADULPHUS, Monachus S. Sepulchri Cameraci. Vid. Acta SS. d. 23. Junii, ubi habetur vita S Lietberti, Epiſcopi Cameracenſis, ab eo ſcripta. Cl. c. an. 1290.

RADULPHUS Tudonenſis Abbas vivebat c. a. 1078. Vid. Acherii Spicileg. tom. 7. Marthene Collect. tom. 9. præfat. pag. 11.

RAIMBERTUS S. Andreæ propè Avenionem monachus, & Scriptor vitæ S. Pontii Abbatis & æqualis ſui, cl. Sec. xi. Vid. Mabill. Sec. vi. Benedictino, & Hugo Menardus l. 2. Obſervat. in Martyrolog. Benedictin.

RAIMBERTUS, ſeu *Raginbertus*, Abbas Leuconanenſis c. a. 622. ſcripſit vitam S. Walarici coævi. Vid. Annal. Bened. tom. 1. p. 318.

Raimundus GIBBONIUS, Monachus S. Germani à Pratis, de quo Montfaucon in Bibl. Mſs. Codd. tom. 2. p. 1125. & Du Freſne in Indice Autorum, ubi malè *Rainaudus* vocatur.

RAINALDUS *Calementanus*, ſeu *Colimentanus* dictus, ex Comitibus *Marſorum*, Monachus primùm Caſinas, tum S. R. E. Cardinalis. Ob. 1165. Vid. Oldoinus in Athenæo Romano, p. 574.

RAINALDUS Subdiaconus Caſinenſis, Scriptor Seculi incerti. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſin. c. 44.

RAINALDUS Prior S. Eligii Pariſienſis, cujus Commentarios in plures Sac. Scripturæ libros commemorat Montfauconius Bibl. MSs. pag. 1278.

RAINALDUS de SEMUR an. 1108. Monachus primùm Cluniacenſis, tum Abbas Vezeliacenſis, ac demùm Archiepiſcopus Lugdunenſis. Vid. Montfaucon l. c. p. 74. 76. Annal. Ben. tom. 5. p. 829. Poſſevin. tom. 2. Appar. pag. 311. 312.

RAINALDUS presbyter & monachus Tutelenſis vixit ſub Carolo Simplice. Baluzius in Notis ad Capitularia tom. 2. pag. 1214.

RANIERIUS Monachus Cellenſis in Hannonia, vulgò *S. Guislani* cl. Seculo circiter XI. de quo Mabill. Seculo II. Benedictino p. 796.

RAINERIUS, Diaconus & Monachus Pompoſiæ vixit an. 1200. & Collectionem primam Decretalium Innocentii III. adornavit, editore Stephano Baluzio. Vid. dicti Pontificis Ep. lib. 2. n. 22.

RAMOLDUS Sant-Emmeramenſis Ratisbonæ Abbas, rei literariæ & librariæ Promotor ſolertiſſimus, claruit ad an. 1001.

RANDULPHUS, Abbas Eveshamenſis. Vid. Smith in Catal. Bibl. Coton.

Ranulphus HYGDENUS, Ciceſtrenſis Monachus. Ob. 1363. Piſt. æt. 14. p. 517. Leland. c. 354. Wharton in Supplem. pag. 38.

RAPHAEL Abbas Altahæ Superioris 1574. Vid. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 3.

Raphael de BEAUCHAMPS, Monachus Marcianenſis cl. a. 1633. edidit Chronicon *Andreæ Sylvii* Prioris Marcianenſis in Hiſtoria Merovingica. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. vol. 1. lib. 1. p. 237. Foppens Bibl. Belg. p. 1054.

Raphael CASTRUCCIUS, Abbas de Aleppia. Ob. 1574. Vid. Wion Lign. Vit. lib. 2. cap. 76. p. 455. Michael Pocc. in Catal. Script. Florent. p. 155. Armell. part. 2. p. 164.

RAPHAEL *Placentinus* Monachus Divi Benedicti de Mantua anno 1477. Agunt de eo Wion in Ligno Vitæ l. 2. c. 76. Armell. part. 2. p. 164.

RATBERTUS Monachus S. Stephani Bononiæ Sec. xi. ſcripſit vitam S. Bononij Abbatis, quam typis vulgavit Cl. Calogiera Opuſc. Scientif. Tom. 21. pag. 205. anno 1740.

RATBODO S. Maximini Treviris Scholiarcha Sec. X. *de quo Trith.*

RATBODUS, Trajectenſis Epiſcopus. Ob. 917. Vid. Eyſengren. p. 72.

RATHERIUS ex Monacho Lobienſi Epiſcopus Veronenſis an. 974. aliis 972. Ejus vita habetur manuſcripta in Bibl. Gemblac. Agunt prætereà de eo Sigebert. in Chron. & de S. E. c. 127. Mabill. in Annal. tom. 3. tum in Actis SS. O. S. B. tom 5. p. 478. Acher. in Spicileg. Marthene & Durand ampl. Collect. tom. 9 Foppens B. B. pag. 1055. Barth. Fiſen Hiſt. Eccl. Leod. ad an. Chr. 951. n. 25.

RATLEICUS, Abbas Seligenſtadienſis, & Ludovici Germaniæ Regis Archi-Cancellarius mortuus an. 852. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. Vol. 6. pag. 150.

RATPERTUS San-Gallenſis an. 883. obiiſſe fertur. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 23. Ger. Voſſ. de Hiſt. Lat. Oud. tom. 2. de S. E. Baſnag. tom. 3. Antiq. Lect. Caniſii.

RATPERTUS, alter ejus loci monachus 900. Vid. Mezler l. c.

RATRAMNUS rectiùs quàm *Bertramus* Monachus Corbeiæ veteris Sec. ix. temporibus Caroli Calvi, an. 850. De illo Catholici & Proteſtantes magno numero.

RAY-

RAYMUNDUS Abbas Altenburgenſis in Auſtria. Ob. 1715. ab ipſo habemus *Jugum ſuave Chriſti*, Opuſculum pium.

RAYMUNDUS monachus Cœnobii S. Andreæ Andegavenſis. c. a. 1088. ſcripſit vitam S. *Pontii* Abbatis. Vid. Sec. VI. Bened. part. 2. p. 493.

Raymundus IRREGER è S. Lamberto Styriæ edidit anno 1736. patrio ſermone librum precatorium, ſeu Aſceticum ſub titulo: *Wiſſenſchafft derer Heiligen.*

Raymundus Odo de la MOTHE è Congr. S. Mauri. Ob. 1643. Vid. le Cerf in Bibl. Hiſt. Crit. pag. 396.

Raymundus de RIALCO Monachus Conchenſis apud Ruthenos cl. Sec. XIV. Meminit hujus Scriptoris Mabillon. in Prolegom. ad Annal. Ben.

RAYNALDUS, Caſinenſis Subdiaconus & deinde Abbas. Vid. Petr. Diac. c. 44. Mar. in Notis. Camill. Peregr. Hiſtor. Princip. Longobard. in ſerie Abbat. Caſin. Gattol. in Hiſtor. Monaſt. Caſin. Vide ſuprà *Rainaldus*.

RAYNALDUS, Abbas Vezeliacenſis an. MCVIII. conſtitutus, vitam S. Hugonis Abbatis Cluniac. cujus erat nepos, ſcripſit. Vid. Acta SS. tom. 3. April. p. 633. Vide ſuprà *Rainaldus*.

REGINA JURATA, Monialis Motylenſis in Sicilia. Ob. 1685. Vide vitam ſuprà cap. 5.

REGINALDUS Cantuarienſis Eccleſiæ Monachus vixit an. 1100. Vid. Piſt. in append. p. 893. Thom. Smith in Catal. Mſs. Codd. Bibl. Cotton. pag. 43. col. 2. Oudin. Tom. 2. c. 1432. Mabill. Analect. tom. 1. p. 295.

REGINALDUS Monachus Dunelmenſis circa an. 1170. Vid. Oudinus tomo 3. p. 1432. Schœttgenius Bibl. med. Lat. Vol. 6. p. 171.

Reginbaldus KIRCKHAMMER ad SS. Udalr. & Afr. Aug. Vindel. Sec. XVII. Vid. Pez in Catal. S. B. G.

Reginbaldus MÖHNER ad SS. Udalr. & Afr. Aug. Vindel. clar. ineunte Seculo XVII. aut paulò pòſt, Rerum Genealogicarum apprimè peritus. Vid. Bern. Pez. Diſſert. Iſag. in Theſ. Anecdot. Tom. I. p. XXXIV. Condidit Hiſtoriam urbis Auguſtanæ &c.

Reginbaldus PERCKMAR, vel *Berckmar*, Parochus ad SS. Udalr. & Afram Aug. Vind. multa prælo ſubjecit, plura pro eodem parata habet. Obiit an. 1742. 18. Septembr. ætatis 73.

REGINBALDUS, ſeu *Reinoldus*, Hirſaugienſis Monachus, & Spirenſis poſteà Epiſcopus. Ob. an. 958. Vid. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit.

REGINO, ſeu *Rhegino*, Abbas Prumienſis, an. 906. Vid. Piſtor. qui ejus Chronicon edidit, & Baluze, qui ejusdem Libros duos de Eccleſ. Diſciplin. vulgavit. Ex antiquis Sigebert. de S. E. Trithem. *in Chron. Hirſaug.* Hontheim *Hiſt. Trevir. Tom. I. pag.* 152.

Reinerus à LANDAU, Abbas Mellicenſis, an. 1637. Vide Anſelmi Schramb Chron. Mellic.

REINERUS, Monachus Cellenſis, Scriptor vitæ S. Giſleni. Vixit Sec. XI. Vid. tom. 2. Actor. O. S. B. p. 788. 796. Vid. ſuprà *Rainerus*.

REINERUS S. Jacobi Leod. Prior c. an. 1230. continuavit Hiſtoriam Leod. ab anno 1194. ad an. 1230. MS. *du Freſne* in Indic. Foppens p. 1060.

REINERUS S. Laurentii Leod. vix. c. a. 1130. ac ſcripſit de geſtis S. Lamberti. Vid. tom. 1. Hiſt. Leod. p. 411. Schöttgenius Lib. XVII. Bibl. med. Lat. p. 178.

REINERUS, alter, ſed junior & celebrior Monachus S. Laur. Leod. Ob. 1182. Vide vitam ſuprà cap. 3.

REINHARDUS S. Burchardi Herbipolenſis an. 934. Vid. Trithem. *Annal. Hirſaug. tom.* 1. *p.* 72.

REINHARDUS Abbas I. in Reinhauſen. Obiit MCI. Vide Leibnizii Introduct. in Scriptor. Rer. Bruuſv. tom. 1. n. 43. Leuckfeld Antiquit. Burſfeld. c. 3. p. 129. Mabill. Annal. Ben. tom 5. p. 373.

S. REMBERTUS, Hamburgenſis Epiſcopus, 888. Vid. Annal. Ben. tom. 3. p. 116. & 118. Andr. Val. in Bibl. Belg. Jo. Gerh. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 37.

REMIGIUS Autiſſiodorenſis an. 883. Vid. Mabill. Annal. to. 2. Trithem. de Scriptor. O. S. B. Pezius Diſſert. prævia ad Tom. 1. Theſ. Anecd. Frodoard. in Chron. Sigebertus de S. E. Bulæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 1.

Remigius CELLIER è Congr. SS. Vitoni & Hidulphi, Prior Titularis S. Firmini de Flaviniaco, in præſens occupatur adornanda Bibliotheca Generali Auctorum Sanctorum & Eccleſiaſticorum, cujus plura jam volumina in lucem emiſit.

REMIGIUS, Abbas Mediolacenſis. Sec. X. exeunte. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 1. p. 122. Geſnero malè dicitur Abbas Monaſterii *Mediolanenſis* Trevirenſis diœceſis, quod ſe non intelligere dicit Cl. Schœttgenius lib. 17. Bibl. med. & inf. Latin. p. 189. Confer Hontheimii Hiſt. Trevir. Tom. III. p. 1008.

REMIGIUS alter, prioris ex ſorore nepos, qui ſub *Nizone* I. Mediolacenſi in Treviris

viris Abbate Seculo XI. inter alios viros doctos floruit, de quo vetus Scriptor rerum D. Luotwini: *E quibus*, inquit, *Remigius, prioris Remigii ſororis filius, dulcore ejus ſapientiæ repletus, Promienſium, Metenſium, Trevirenſium doctiſſimus ſcholarum fuit &c.*

RENATUS, Monachus Vindocin. Poëta, in Cod. Reg. 1069. Vid. du Freſne in Ind. Auct.

Renatus du CHER è Congr. S. Mauri c. an. 1680. Vid. le Long. Bibl. Hiſtor. Franc. Noſcitur ex Claudio Stephanotio, cujus in colligendis veteribus monumentis ſocius erat.

Renatus MASSUET è Congr. S. Mauri. Ob. 1716. Locum inter celebrioris nominis Autores Congregationis S. Mauri promeritus eſt. Vid. Cerſii & Pezii Bibliothecas.

Richardus de S. ANGELO, Monachus Caſinas, an. 1250. Vid. Gattola in Hiſtor. Caſin. Sec. X. §. VIII. pag. 558.

Richardus ANGUILLARIANUS, Monachus Anglus. an. 1349. Leland. c. 221. Pitſ. æt. 14. pag. 467. Wharton Angl. Sac.

RICHARDUS Bardenienſis Anglus c. an. 1260. Vid. Oud. Tom. 3. col. 488.

RICHARDUS, Abbas Beccenſis a. 1219. Schœttgenius l. 17. Bibl. med. Lat. pag. 209.

Richardus BEERE, Abbas Glaſtonienſis an. 1503. Vid. Wharton Angl. Sac. tom. 2. p. 230. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 17. pag. 208.

RICHARDUS *Ciceſtrius*, Anglus, Weſtmonaſt. Monachus anno 1348. Vid. æt. 14. pag. 463.

RICHARDUS Cluniac. patriâ Pictavienſis an. 1180. de quo vide Muratorium in Præfat. ad ejus Hiſtoriam, quam edidit Antiqq. Italic. tom. 1. pag. 1075.

RICHARDUS *Divienſis*, Monachus Wintonienſis cl. 1190. Vid. Pitſ. æt. 12. pag. 255. Voſſ. de Hiſtor. Lat. l. 2. c. 52.

RICHARDUS Monachus, tum Archiepiſcopus Cantuar. an. 1184. Vid. Pitſ. æt. 12. pag. 250.

RICHARDUS *Elienſis* Prior a. 1220. Wharton. Angl. Sac. tom. 1. pag. 678. Annal. Ben. tom. 6. pag. 325. & tom. 5. pag. 251. Pitſ. æt. 13. p. 226.

Richardus FOLSHAMUS, Nordovicenſis Monachus an. 1410. Vid. Pitſ. æt. 15. pag. 590.

RICHARDUS *à S. Germano*, Monachus Caſinas, Sec. XIII. ſui Monaſterii Chronicon ſcripſit.

RICHARDUS Haguſtaldenſis an. 1192. Pitſ. æt. 12. pag. 258.

Richardus HODLESTON, Congr. Angl. Vid. Pez in Catal. S. B. E.

Richardus KEDERMINSTER, Anglus, Abbas Winchelcombenſis Sec. XVI. Vid. Thomas Hearne Præfat. ad Chronicon Joannis Glaſtonienſis.

Richardus PLUTO, Cantuarienſis an. 1180. Vid. Leland. c. 212. Pitſ. æt. 12. pag. 246.

RICHARDUS Abbas II. Monaſterii ad S. Jacobum Moguntiæ. Vid. Treſſler. in Syllabo Vir. Ill. hujus Monaſterii.

RICHARDUS, Abbas de Pratellis in Normannia. an. 1230. Vid. Mabill. Annal. tom. 5. pag. 437. Oudin. de S. E. pag. 158.

RICHARDUS Abbas S. Vitoni, ſcripſit vitas S. Rodingi & S. Vitoni. Ob. 1046. Mabill. Annal. tom. 4. pag. 475.

Richardus SORPLEY, Monachus Weſtmonaſterienſis, ſcripſit fundationem ſui Monaſterii. Vid. Monaſticon Anglic. tom. 1. pag. 55.

Richardus WALLINGFORD Angl. anno 1326. Vid. Leland. c. 470. Pitſ. æt. 14. pag. 419. Bucel. in Annal. Ben. ad an. 1326. pag. 52.

S. RICHARIUS Abbas Centulenſis ſcripſit Tractatum de *Conſtructione Eccleſiæ ejus loci* quem Ms.tum conſervat Bibl. Vaticana, ut Bern. de Montfaucon perhibet in Bibl. Mſſ. Codd. p. 181.

RICHARDUS Monachus Gemblacenſis clar. c. an. 950. Vid. Dacherii Spicileg. tom. 2. pag. 759.

RICHERIUS Abbas S. Martini Metenſis vixit & ſcripſit circa med. Sec. 12. Calmet in Catal. Script. Hiſtor. Lothar.

RICHERIUS, Monachus Senonienſis in Voſago, cl. an. 1250. & ulteriùs. Ejus meminêre Luc. Acher. in Prolegom. ad tom. 3. Spicileg. Mabill. Añal. Ben. tom. 6. pag. 418. & 428. Calmet in Catal. Scriptor. Hiſt. Lothar.

RICHERIUS Walcidorn. Monachus, an. 1102. Vid. Martene Collect. ampl. tom. 4. in Præfat. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 4 9.

RICHERIUS, ſeu *Richerus*, Monachus Remenſis anno 992. Vid. Trith. in Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 136. & 137.

RIGORDUS Monachus S. Dionyſii in Francia, & Philippi Auguſti Archiater, qui ad an. 1225. regnavit. Vid. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 538. Jo. Ger. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 57. Poſſev. in Appar. tom. 2.

RILINDIS, aliis *Regillindis*, ſeu *Regilla*, Abbatiſſa Hohenburgenſis in Alſatia. Ob. 1169. Vide vitam ſuprà cap. 5.

RIS-

RISWICHIUS Gladbacenſis Auctarium ſcripſit ad librum Trithemii de Viris illuſtribus Ord. S. B.

RITFRIDUS, aliis *Rixfridus*, Monachus in Monaſterio S. Salvatoris Trajecti, dein Epiſcopus Trajectenſis an. 828. Vid. Schœtgenius Bibl. med. Lat. lib. 17. pag. 265.

ROBOAS, vide ſuprà *Noboas*.

ROBERTUS Caſinenſis Abbas vix. an. 1045. Vid. du Freſne in Ind. Poſſev. Apparatus tom. 2. p. 341.

Robertus DODEFORDIUS, Mon. Rameſienſis an. 1270. Vid. Pitſ. æt. 13. pag. 350.

Robertus, ſive *Radulphus de* DUNSTABLE, ſive de *Dunſtaplia* Mon. S. Albani. Ob. 1151. Vid. Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. 2. c. 51. Oudin. tom. 2. c. 1416.

ROBERTUS Fiſcanenſis Mon. & Chronographus c. an. 1180. Labbe in Bibl. nova Mſs. tom. 1. p. 325.

Robertus de GABETS e Congr. SS. Vit. & Hid. Sec. XVII. Philoſophus Carteſianus, de quo Petrus Bælius Epiſt. de Scriptis Adeſpotis.

Robertus GENTILLUS, Monachus Anglus in Cœnobio Pontis fracti, ævi incomperti. Leland. & Pitſ. in append. pag. 912.

Robertus de GRAYSTANES, Epiſcopus Dunelmenſis. Ob. 1334. Vid. Hiſt. Dunelm. in Whartoni Anglia Sacra. Item Wharton in Supplem. Hiſtor. Liter. Cavei.

Robertus GRYNÆUS, Monachus Berdenigiæ in agro Lincolnienſi. Vid. Leland cap. 297. Pitſ. æt. 14. p. 409.

Robertus GUERARD è Congr. S. Mauri. Obiit 1715. Vide le Cerf l. c. pag. 178.

Robertus HARDI è Congr. S. Mauri. Vide le Long Bibl. Hiſt. de France.

Robertus KÖNIG, Garſtenſis, celebris SS. Canonum Profeſſor in Univerſitate Salisburgenſi. Vid. H. U. S. pag. 411.

ROBERTUS *de Monte*, aliàs de THORIGNY, Monachus Beccenſis. an. 1150. De eo Lucas Acherius in editione Operum Guiberti Novigentini pag. 715. & in Notis ad Epiſt. B. Lanfranci pag. 351. Mabill. Annal. Ben. tom. 6. pag. 318. & 541.

ROBERTUS S. Mariani Altiſiodorenſis Monachus, cujus Chronicon editum à Camuſato. Ob. an. 1212. du Freſne in Ind. Aut.

S. ROBERTUS Abbas Moliſmenſis exeunte ſeculo XII. Vid. Gallia Chriſt. tom. 4.

Robertus MOREL è Congr. S. Mauri piiſſimus Aſceta, plura eaque præclara Aſcetica Opuſcula publicam in lucem edidit. Vivebat adhuc an. 1726. Vide le Cerf. p. 394.

Robertus QUATREMAIRES è Congreg. S. Mauri. Ob. 1671. Vide Pezii & Cerfii Bibl.

ROBERTUS S. Remigii Remenſis Abbas c. an. 1090. Vide Marlotti Metrop. Remenſ. Bongarſii Hiſtor. Oriental. Tom. I. Pagium in Critica tom. 4. p. 447.

ROBERTUS Abbas Salopienſis, ſive de Schreswisbury in Anglia c. an. 1138. Vid. Pitſ. æt. 12. p. 206.

Robertus STEWARDE, Prior ultimus Eccleſiæ Cathedralis Elienſis in Anglia c. an. 1539. Vid. Henric. Wharton Angl. Sac. tom. 1. p. 685.

Robertus de SWAPHAN, Monachus Burgenſis in Anglia. Ob. c. an. 1273. Vide Joſeph Sparke, qui Collectionem Chronographorum dicti Monaſterii typis Londini an. 1723. mandavit.

Robertus de SYRESTON, Mon. Dunelmenſis Sec. 14. Vid. Willelm. de Chambre in Hiſtor. Dunelmenſi apud Wharton Angl. Sac. pag. 769.

Robertus TOMBLÆUS, ſeu *Tumbleus*, Monachus Croylandenſis. Vid. Pitſ. in append. pag. 904.

Robertus de TUMBALENIA, Abbas S. Vigoris ad muros urbis Bajocenſis in Normannia, an. 1050. Vid. Mabill. Analect. tom. 1. Annal. Ben. tom. 4. & 5. Hommey Supplem. Bibl. P.P.

Robertus VEYSE, Anglus, Sec. XIII. Pitſ. in append. pag. 904.

ROBERTUS Abbas Walciodorenſis, vita functus an. 1174. Vid. And. Valer. Bibl. Belg. pag. 796. Annal. Ben. tom. 6. p. 370. Acta SS Boll. tom. 3. April. pag. 807. Foppens. p. 1077.

ROBERTUS Monachus Walciodorenſis c. an. 1158. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 9.

Robertus WANTHAMUS, Monachus Cermelienſis monaſterii in Anglia, de quo vid. Leland. & Pitſ. in append. pag. 905.

Rochus STROZ, Admontenſis Sec. 17. Pez in Epiſt. Apolog.

RODULPHUS Caſæ Dei monachus, an. 1097. Vid. Mabill. Annal. Bened. tom. 5. pag. 379.

RODULPHUS Cluniac. Mon. Petri Venerabilis diſcipulus, qui ejus vitam in literas retulit. Vid. Schœtgenius lib. 17. Bibl. med. Lat. p. 325.

RODULPHUS, Fuldenſis Scholaſticus, Ludovici Germaniæ Regis Confeſſarius & Eccleſiaſtes. Ob. 865. Vid. Annal. Ben. tom. 5. pag. 142. Annal. Fuld. apud du Freſne. Bulæ. Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 1. pag. 639. Brower. Schannat. &c.

Rodulphus TORTARIUS, Floriacenſis, an. 1144. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 174. &c. tom. 6. pag. 383. & 384. Bolland. ad diem 21. Martii tom. 3. pag. 336. Bibl. Floriac. Voſſ. de Hiſtor. Lat. l. 3. c. 11.

RODULPHUS Abbas S. Trudonis an. 1110. Vid. Acher. in Spicileg. tom. 7. Mabill. Analect. tom. 2. Voſſ. de Hiſt. Lat. Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Annal. Ben. tom. 6. & tom. 5. p. 109. & 284.

ROFFRIDUS Abbas Caſin. & S. R. E. Card. an. 1189. Vid. Angel. à Nuce in annotat. ad vitam S. Benedicti c. 18.

ROGERIUS Caſæ Novæ Monachus, Scriptor vitæ S. Placidi Rhodienſis, qui ob. an. 1248. Ughell. Ital. Sac. tom. 6. pag. 898.

Rogerius CADOMUS, Monachus Beccenſis, vixit ſub S. Herluino Abbate c. a. 1078. Vid. Annal. Bened. tom. 5. pag. 134.

ROGERIUS *Ciceſtrenſis*, Monachus Weſtmonaſterii, an. 1340. Vid. Lel. Bal. Pitſ. Poſſev. Voſſ. & qui hos corrigit, Oudinus tom. 3. col. 938.

ROGERIUS, Monachus Corbeiæ Novæ, clar. & ſcripſit c. an. 1024. de quo Trithem. in Annal. Hirſaug.

Rogerius COMPOT, ſive *Computiſta*, Monachus S. Edmundi an. 1360. Vid. Pitſ. æt. 14. p. 488.

ROGERIUS, Monachus Croylandenſis, poſtea Prior Friſonienſis, anno 1210. Vid. Jo. Leland. Collect. vol. 4. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 56. Oudin. tom. 3. pag. 17.

ROGERIUS, ſeu *Routgerus*, Crucis S. Leufredi Abbas an. 960. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. 1042. Leibniz de Scriptor. Brunſv. Voſſ. de Hiſt. Lat. &c.

ROGERIUS *Vacarius*, Abbas Beccenſis an. 1149. ſubinde in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus, *Paratitla* conſcripſit, quod à Juſtiniano permiſſum fuerat. Ob. 1180.

Rogerius de VENDOVERA, Monachus S. Albani in Anglia cl. c. an. 1235. Vid. Pitſ. æt. 13. pag. 308. & præ hoc Mathæum Weſtmonaſter.

ROGERUS, Monachus Fuldenſis, Hagiographus c. an. 1156. Vide Wicel. in Præfat. Hagiologii, Joan. Bolland. in Præfat. Gener. ad Acta SS. tom. 1. p. 19.

ROGERIUS Abbas Uticenſis an. 1120. Schœtgenius Lib. 17. Bibl. med. Lat. pag. 340.

ROLANDINUS, Monachus Patavinus, de quo vide Muratorium Tomo VIII. Scriptor. Rer. Italic.

Romanus CHRISTMANN, Garſtenſis, Sec. 17. Pez in Epiſt. Apolog.

Romanus ENDEL, San-Blaſianus Ss. Theologiæ Profeſſor in Univerſ. Salisburg. vivit & ſcribit.

Romanus EFFINGER, Theologus, vulgavit 1634. Concordiam Thomiſticam.

Romanus FEHLER, Monachus Schyrenſis, de quo Bern. Pez Diſſert. Iſag. in Tom. 1. Theſ. Anecd. p. 31.

Romanus HAY, Ochſenhuſanus in Suevia Cœnobita, Antiquorum Ordinum doctiſſimus & invictus vindex contra Laymannum, Cruſium, alióſque Jeſuitas. Ob. 1653.

Romanus HÜTTER, Brevnovienſis. Sec. 17. Pez. l. c

Romanus KRINNER, Tegernſeenſis, an. 1716.

Romanus KISTLER è SS. Udal. & Afræ monaſterio Aug. Vindel. clar. an. 1712. Vid. Diſſert. Iſag. Pezii in Tom. I. Theſ. Anecd. pag. XXXI.

Romanus MÜLLER, Abbas Seonenſis perdoctus, an. 1675. Vid. Hiſt. U. S. pag. 412.

Romanus RAUSCHER, Abbas Garſtenſis. Ob. 1683. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 413.

Romanus SCHELL, Cœnobita Atilenſis in Bavaria. Ob. 1696. Vid. Bern. Pez Theſ. Noviſſ. Anecd. tom. 1. Diſſert. Iſag. pag. X.

Romanus SEDELMAYR, San-Blaſianus. Ob. 1722. Vid. Hiſtor. Univerſ. Salisburg. pag. 413.

Romanus SINCERUS, Abbas S. Martini de Scalis. Ob. 1550. Arnold. Wion Lig. vit. part. 1. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 204. Armell. part. 2. pag. 166.

Romanus STEGER, Rottenſis Abbas. Ob. 1661. Vid. Hiſt. U. S. pag. 416.

Romanus WEIXER, Ettalenſis, edidit an. 1730. Theſes Philoſophicas.

Romualdus DREYER, Ettalenſis. Vid. Hiſtor. U. S. pag. 417.

Romualdus HAIMBLINGER, Abbas Ettalenſis. Ob. 1708. Vid. Hiſt. U. S. pag. 227.

Romualdus RIBERA, Monachus S. Severini Neapoli. Ob. an. 1707. Vid. Armell. part. 2. pag. 166.

Romualdus SERRA, Cæſenas, ibidem in Monaſterio S. Mariæ de Monte Bibliothecarius. Vivebat adhuc 1731. Vid. Armell. l. c. pag. 167.

RORICO, Monachus, Geſta Francorum à gentis origine ad Clodovæi obitum deduxit. Vide du Freſne tom. 1. Scriptor. Rer. Franc.

ROSTAGNUS, Monachus Cluniac. vixit & ſcripſit tempore Hugonis Abbatis

XI.

xi. Cluniac. Vid. Bibl. Cluniac. p. 1481. Carol. à S. Jacobo in Bibl. Pontif. lib. 1. Hugo autem Abbas rexit ab an. 1180. ad an. 1199.

ROTGERUS S. Pantaleonis Colon. Monachus clar. an. 970. Scripſit vitam Brunonis Archiep. Ottonis M. Imp. fratris. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 573. Oudin. tom. 2. pag. 472.

ROTHOMANUS primus Abbas Klatovienſis in Bohemia Sec. xii. ſcripſit *Origines Klatovianas*. Vid. Berghauer in vit. S. Jo. Nepomuc. lib. 1. c. 1. pag. 3. col. 1. à Balbino vocatur *Radimilus*. Vid. ſuprà *Radimilius*.

Rudeſindus BARLO è Congr. Angl. Sec. 17. Vid. Pez in Catal. Script. B. quem in Epiſtolis Apologeticis exhibet.

RUDIGERUS Epternacenſis Scholaſticus an. 990. Vid. Mabillon. Annal. O. S. B. tom. 4. pag. 67. ex Trithemio, Chron. Hirſaug. ad an. 990. pag. 135.

RUDOLPERTUS Augienſis 1006. Vid. Annal. Ben. tom. 4. pag. 188.

RUDOLPHUS *Caſæ Dei* in Arvernia Monachus, & Scriptor vitæ S. Adelelmi cl. Sec. xii. Vid. Mabill. Sec. vi. Bened. part. 2. pag. 895. Bolland. tom. 2. Jan. pag. 1056.

RUDOLPHUS Flaviniacenſis cl. 925. Trithem. in Chron. Hirſ. pag. 66.

RUDOLPHUS Fuldenſis, ſuprà *Rodulphus*.

Rudolphus GLABER, ſuprà *Radulphus*. Vide Nizeronii Memorias Tom. 28.

RUDOLPHUS Hirſaugienſis Monachus, de quo Trithem. in Chron. tom. 1. pag. 46.

RUDOLPHUS, Abbas S. Trudonis, ſuprà *Rodulphus*.

Rudolphus WISER è S. Lamberto. Ob. 1667. Vid. Hiſt. U. S. p. 417.

RUFFINUS, Monachus S. Sabini Placentiæ c. an. 1250. Vid. Annal. Bened. tom. 2. pag. 105.

RUGERUS, an *Rutgerus* ? Vide Leibnitium Tom. 2. Scriptor. Rer. Brunſv. n. 25. pag. 27.

RUGGERUS, ſeu *Rogerius* Fuldenſis, ſuprà *Rogerus*.

RUODPERTUS Monachus S. Galli Sec. viii. Vita S. Theodori Epiſc. Sedunenſis ab ipſo ſcripta, extat in Cod. Thuan. 275. Vid. du Freſne in Indice Autor. Goldaſt. Rer. Alem. tom. 2. p. 66.

RUPERTUS, Augienſis Monachus c. an. 996. Vid. Egon. part. 2. cap. 25. de Vir. Ill. Aug. Div.

RUPERTUS S. Albani Moguntiæ an. 991. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. Nicol. Serrar. Rer. Mogunt. Laun. de Schol. celebr. Georg. Helwich in Chronico S. Albani. Scripſit teſte Trith. ab anno 892. vitam S. Albani Moguntini, judice verò Janningo in Actis SS. tom. iv. Junii pag. 89. ejus vitæ author eſt Rupertus Junior, qui metricè illam reddidit Sec. xiii. vel etiam ſeriùs.

RUPERTUS Caſinenſis Abbas, de quo vid. Trithem. cap. 59.

Rupertus CARL, Prior Weichenſtephanenſis, Mappis Geographicis Hiſtoriam Benedictinā illuſtravit, denatus a. 1750.

RUPERTUS Abbas Gottwicenſis ab an. 1173. - 1199. Vid. Hieronymii Pezii Obſervationes prævias ad vitam B. Altmanni à Ruperto ſcriptam tom. 1. Script. Rer. Auſtr.

Rupertus GANSLER San - Udalricanus Aug. Vindel. 1706. notus ſolùm ex libris Germanicè ſcriptis in lucem editis.

Rupertus HAUSDORF, Brevnovienſis. Ob. hujus ſeculi anno ---- Scripſit inter cætera *Sacram Eloquentiam*, quæ à me in Ms.to lecta fuit; Vitam S. P. Benedicti, Germanicè, & quædam alia.

Rupertus KIMPFLER, Abbas Glunicenſis. Ob. hujus ſeculi anno ---- Vid. Hiſtor. U. S. pag. 418.

Rupertus KOBLITZ, Brevnovienſis in Ms.to quædam reliquit, ante quàm juvenium è vita ſublatus.

S. RUPERTUS, Abbas Limburgenſis, an. 1124. Trithem. in Chron. Hirſaug. Sixt. Sen. Bibl. San. lib. 4. Bulæ. tom. 2. pag. 774.

Rupertus LUDWIG, Ottoburanus Sec. 17. Pez. in Ep. Apol.

Rupertus NESS, Abbas Ottoburanus. Ob. 1740. Vid. H. U. S. pag. 272.

Rupertus PRESSINGER, Prior ad S. Petrum Saliſburgi, Aſceſis Benedictinæ inſignis Scriptor. Obiit piiſſimè, uti vixerat, anno 1741.

Rupertus STARCH Admontenſis J. U. D. & SS. Canonum in Univerſit. Saliſburg. Profeſſor, edito Tractatu juridico ad tit. xxxi. libr. 1. Decretal. Judicis Eccleſiaſtici jura, dignitatem & amplitudinem eâ ſtyli puritate, doctrinæ præſtantiâ, ac ſacræ eruditionis copiâ propugnavit, ut & in Canonicis & polemicis verè *virum ſe fortem* probârit. Alii ejus ingenii partus in uſum & robur aliorum deſiderantur. Vivebat an. 1752.

Rupertus SUTOR anno 1719. vitam S. Benedicti edidit.

RUPERTUS Abbas Tuitienſis an. 1135. Vide vitam ejus Operibus præmiſſam. Mabill. in Annal. Ben. Pagium Crit. tom. 4. pag. 374. & alios quàm plures, præcipuè Bibliographos Belgas. Ejus Opera nuper recuſa ſunt Venetiis cum *Gerberonii* Apologeticis &c.

RUPERTUS, Monachus Weiſſemburg. Epiſcopus Spirenſis an. 996.

RUTHARDUS, Hersfeldenſis Abbas 1059. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. ad an. 1059. Annal. Ben. tom. 5. p. 73.

RUTHARDUS, Hirſaugienſis, 845. Trith. in Chron. tom. 1. p. 26. Scriptor vitæ S. Bonifacii fuiſſe dicitur. Vid. Schöttgen. in Bibl. med. Lat. lib. 17. pag. 393. & quos plures citat.

RUTHARDUS S. Jacobi Moguntiæ, Sec. XI. de quo vid. Mabill. in Annal. Ben. tom. 4. pag. 527. Scripſit Ordinarium Divinorum, & Regulas vivendi Monachorum; quod opus MS. in membranis extat in ejus loci Bibliotheca. Incipit: *Kal. Octobris poſt menſam ſedeant fratres in Conventu cum libris ſuis, puerique legant, vel cantent apertè in ſcholis...*

S.

SALOMON ex Monacho San-Gallenſi Epiſcopus Conſtant. hujus nominis tertius. Ob. 919. Vid. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. l. 2. c. 16. Cruſius in Annal. Suev. l. 3. c. 3. Hartman. in Annal. Eremit. p. 22. Joſeph. Pichler S. J. in Hiſtor. Imperat. Tract. 8. p. mihi 47.

SALVATOR patriâ Cremenſis, Monachus Parmæ ad S. Joan. Evang. an. 1560. Vid. Armell. part. 2. pag. 168.

SALVATOR Cremonenſis, unus è primis Monachis Congr. S. Juſtinæ Patav. de quo vid. Armell. part. 2. pag. 168.

Salvator-Maria BLASI, Monachus Caſin. Lector & Bibliothecarius, ac Præfectus Muſæi monaſterii Gregoriani S. Martini Panormitani, publico dedit Diſſertationem valdè eruditam *ſupra picturam vaſculi antiqui Græco-Siculi* in ſymbolis Florentinis Vol. V. recenſitam an. 1749. Alia...

SALVIUS, Abbas Alveldenſis propè Locronium in finibus Navarræ & Caſtellæ Veteris, Ob. 962. Vid. Nic. Ant. in Bibl. Hiſp. Vet. Mabill. Annal. tom. 3. p. 562. Ant. Pagi in Crit. 963. tom. IV. p. 3. Miræ. de S. E.

SAMSON, Abbas Monaſterii S. Zoili in Hiſpania. Ob. 890. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. vet. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. p. 108.

SAMSON, Monachus Cantuarienſis, c. an. 1170. Vid. Leland. de Scriptor. Britan. cap. 219. Piſt. æt. 12. p. 232.

SAMUEL Fuldenſis, Rabani Mauri in ſchola Collector, tum Vangionum Epiſcopus an. 840.

Sanderadus BREUNIG, Amorbacenſis Abbas ab an. 1713. ad an. 1725. à R.^{mo} D. Voluſio, Suffraganeo Moguntino *Laureatus Poëta* creatus.

SARRACINUS, Monachus Alveldenſis in Hiſpania Sec. X. exeunte.

SAXOWALDUS, Centulenſis Chronographus, an. 1095. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 358.

S. SCHOLASTICA Soror S. P. Benedicti inter Familiæ Benedictinæ Scriptores à Proſpero Mandoſio Bibl. Rom. Cent. VII. 65. refertur, quòd *Regulam pro ſuis Monialibus*, & *Epiſtolas* ſcripſerit. Credidit hoc V. C. Schöttgenius Bibl. med. Lat. lib. 18. pag. 430, ubi etiam illi inter Scriptores medii ævi locum dedit.

SEBASTIANUS, Monachus Caſin. Scriptor vitæ S. Hieronymi clar. an. 560. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. C. 3. Mar. in Not. Gattola Hiſtor. Caſin. Sec. 1. pag. 12. Schöttgenius l. c. pag. 434.

Sebaſtianus MARCAILLE è Congr. Cluniac. an. 1616.

Sebaſtianus MAYRLECHNER, Prior Cremifanenſis. Edidit Saliſburgi Profeſſor Apparatum Philoſophicum an. 1721. in 4.

Sebaſtianus à PLACENTIA ad S. Sixtum ibidem Profeſſus an. 1592. Vid. Armell. part. 2. p. 168.

Sebaſtianus RÖHR, Ottoburanus, magnæ virtutis Aſceta. Ejus vitam ſcripſit *Albertus Krez*. Vid. etiam Hiſt. U. S. pag. 410.

Sebaſtianus TEXTOR, Ottoburanus, Archiepiſcopi Saliſburgenſis Confeſſarius, & celebris Eccleſiaſtes, qui plures ſuarum Concionum tomos typo vulgavit. Vid. Hiſt. U. S. p. 421.

SEGENIUS, quartus Cœnobii Huenſis in Hibernia Abbas, cujus Beda meminit Hiſt. Eccl. III. 5. Ob. a. 651. Waræus de Scriptor. Hiberniæ p. 23. Schœttgenius l. 18. Bibl. med. Latin. p. 444.

SEGFRIDUS ſeu *Seyfridus*, Monachus S. Michaëlis Bambergæ ſcripſit vitam S. Ottonis Ep. Bamberg. Vid. Acta SS. Bolland. tom. 1. Julii p. 351.

SEGFRIDUS Abbas Tegernſeenſis ab an. 1048. Schœttgenius l. 18. p. 444.

SENATUS, ſuprà *Bravonius*. Piſt. æt. 12. pag. 237.

Seraphinus CANTONUS è Congr. Caſin. Monachus Mediol. in S. Simplicii Cœnobio an. 1580. Vid. Armell. part. 2. pag. 168.

Seraphinus CASULANUS, Abbas S. Mariæ Florentiæ quàm doctus, tam benè de ſuo monaſterio meritus. Ob. 1645. Vid. Armell. l. c. p. 170.

Seraphinus CERASOLI, Abbas Titularis Mo-

Monaſterii Farfenſis clar. c. an. 1631. Armell. l. c. p. 170.

Seraphinus à FLORENTIA, ibidem in monaſterio S. Mariæ Profeſſus, an. 1529. Vid. Armell. l. c. Wion Lign. Vit. part. 1. l. 2. c. 77. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 3. pag. 108.

Seraphinus KIRCHMAYR, Garſtenſis Sec. 17. Pez Ep. Apol.

Seraphinus de QUINTIANO Brixiæ Monachus SS. Fauſtini & Jovitæ, an. 1529. Armell. part. 2. p. 171.

Seraphinus TANSI, Abbas Montis Caveoſi, Vir ſingularis doctrinæ, an. 1723. Procurator Generalis totius Congr. Caſin. electus eſt. Vid. Armell. l. c. p. 171.

Serenus CRESSY è Congr. Angl. cl. c. a. 1668. quo labente edidit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Britanniæ*. Vid. Pez in Epiſt. Apolog. p. 245.

S. SERGIUS I. Pont. Max. ab an. 688. ad 702. Vid. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 21.

SERGIUS IV. Pont. Max. ab an. 1009. ad 1022. Vide Mabill. Acta SS. Ord. S. B. Sec. VI. part. 1. in Indice prætermiſſ.

SERLO Abbas Gloceſtrienſis; de quo Leland. cap. 121. p. 159.

SERLO Anglus ex Monacho Epiſcopus Cornubienſis c. a. 960. Vid. Pitſ. æt. 10. p. 175.

Severinus BOCCIUS Congr. Caſin. Viſitator & plurium ſucceſſivè monaſteriorum Abbas. Ob. 1697. Vid. Armell. l. c. pag. 173.

Severinus de PEDEPENNIS, Bitontinus cl. Sec. XV. de quo vide Mabillonii Iter Italicum p. 147.

SIBERTUS, Prior Monaſterii S. Pantaleonis Coloniæ, an. 1136. Vid. Mabill. Analect. tom. 2. p. 415.

SICARDUS, Monachus Weſtmonaſterienſis ſcripſit librum de prima ejusdem loci conſtructione. Vid. Annal. Ben. tom. 5. pag. 189.

SIGEARDUS, vel *Sigbardus*, Monachus S. Albani Moguntiæ an. 1297. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 314. Helwich in Chron. monaſterii S. Albani.

SIGEHARDUS S. Maximini Treviris Cœnobita ſcripſit *de Miraculis S. Maximini* an. 962.

SIGEBERTUS, Monachus Corbeiæ Novæ, Scriptor vitæ S. Voymonis Bremenſis Archiepiſcopi vivebat annis 905. Vid. Trithem. Chron. Hirſaug. tom. 1. p. 56. Eyſengren in C. T. V.

SIGEBERTUS Gemblacenſis, Chronographus percelebris. Ob. 1113. De eo agunt plurimi Jo. Trithem. Valer. Swertius, Miræus, Foppens, Acherius, Dupinius, Scævola Sanmarth.

Sigefridus SCHLÜNDLIN, Amorbacenſis an. 1456. in tranſcribendis libris indefeſſa induſtria fuit, & Sanctorum quorundam Vitas compoſuit. Vid. Ignat. Gropp. in Hiſt. Amorbac. p. 157.

Sigismundus DALLINGER, Seonenſis in Bavaria Abbas. Ob. 1634. Vid. Hiſt. U. S. lib. 2. c. 4. p. 238.

Sigismundus HÆRINGSHAUSER, Mellicenſis. Ob. 1598. Vid. Bibl. Mellic.

Sigismundus MAISTERLIN, San - Udalricanus Aug. Vindel. c. a. 1483. Vid. Piſtorium, qui ejus Chronicon Auguſtanum edidit, & Bern. Pez Differt. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecdot.

Sigismundus ZANNETUS è Congr. Caſin. arte Poëtica excelluit, an. 1560. ab impio & perfido famulo interemptus. De eo agunt Octavius de Rubeis in Elogiis hiſtoricis Illuſtrium Brixinenſium p. 340. Proſper Martinengus in lib. *Diverſ. Poëmat.* pag. 263. Armell. part. 2. p. 175.

Sigismundus ZEDROWSKY, Polonus Reg. Mon. Tynecenſ. Vice-Prior, Ss. Theologiæ Doctor, & illius Profeſſor ſcripſit Octavarium Benedictinum. Cl. c. a. 1678.

SIGMARUS, Cremiſanenſis Monaſterii Cellerarius circ. an. 1300. Scripſit Chronicon, ſeu Catalogum Abbatum Cremiſan. Vid. Hanſiz in prælim. ad Germ. Sac. Tom. I.

SIGULFUS, Lelando cap. 89. *Sigwolfus.* Vide etiam Pitſeum æt. 9. p. 154.

Simeon BASCHIERA, Monachus in Cœnobio S. Benedicti propè Mantuam cl. c. a. 1617. Vid. Armell. part. 2. pag. 177.

SIMEON Dunelmenſis Monaſterii Cathedralis Monachus an. 1164. Vid. Leland. Balæ. Pitſ. præprimis verò Jo. Seldenum & Rogerium Twysdenum Operum Editores.

SIMON Affligemienſis, Belga an. 1290. Vid. Sander. in Chronograph. Brabantiæ tom. 1. p. 47. Andr. Val. Bibl. Belg. p. 811. Foppens tom. 2. p. 1098.

SIMON S. Bertini Abbas 1148. Vid. And. Valer. l. c. Foppens pag. 1099.

Simon BLICH, Abbas Pegavienſis, anno 1524. contra Lutherum librum patrio ſermone ſcripſit. Ob. an. 1539. vel aliquanto ſeriùs. Vid. Chriſtian. Schöttgen in Hiſtoria Pegav. Monaſterii pag. 173.

Simon BONNET è Congr. S. Mauri auſpicatus eſt *Biblia Maxima Patrum*, quod Opus è vivis anno 1705. ſublatus aliis perficiendum reliquit. Vide le Cerf pag. 41.

Simon BOUGIS, Præpoſitus Generalis Congr. S. Mauri. Ob. 1714. le Cerf pag. 43.

Simon de CAMPIDONA, Mellicenſis, fl. an. 1248. Vid. Bibl. Mellic.

Simon FIRBAS, Schyrenſis. Ob. 1639. Vid. Hiſt. U. S. p. 422.

Simon GENOUX, Subprior Caſæ Dei ſcripſit vitam S. Roberti Abbatis Caſæ Dei. Vid. Gall. Chriſt. tom. 2. c. 329.

Simon GEIGER, Wiblingenſis. Ob. 1547. Vid. Annal. Wibling. p. 76.

Simon GRAB, Wiblingenſis. Ob. 1636. Vid. Annal. cit. & Hiſtor. Univerſ. Salisburg. p. 422.

Simon GUILLEMOT, S. Gisleni in Belgio Subprior, pleraque Belgicorum Cœnobiorum Chronica manu ſua deſcripſit, & ad Mabillonium miſit, ut hic grato animo profitetur in Præfat. Generali ad Annal. Ben. n. 29.

Simon HUEBMAN, Admontenſis, cl. 1662. Vide Felix Egger in Idea O. S. B. lib. 2. pag. 552.

Simon LANGHAM, Archiep. Cantuar. Ob. 1376. Vid. Pitſ. æt. 14. p. 517.

SIMON, Lunælacenſis in Auſtria ſuperiore Abbas edidit vitam S. Wolfgangi Ep. an. 1655.

Simon Germanus MILLET è Congreg. S. Mauri. Ob. 1674. Vid. Felibien in Hiſtoria Monaſterii S. Dionyſii, & le Cerf in Bibl. Hiſtor. Crit. p. 360.

Simon MOPINOT è Congr. S. Mauri, Ob. 1724. Vide le Cerf p. 393.

Simon REBISER, Abbas Lunælacenſis, Ob. 1668. Vid. Hiſt. U. S. p. 423. Pez tom. 3. Theſ. Anecdot.

Simon RETTENPACHER, Cremiſanenſis Chronographus, Ob. 1706. Vid. Hiſt. U. S. p. 424. Mabill. Annal. Ben. tom. 2. pag. 242.

SIMON, Abbas Sithienſis. Ob. 1148. Vide le Long Bibl. Hiſtor. de France.

Simon SOUTHRAY, Monachus S. Albani in Anglia an. 1382. Vid. Bucelin. in Annal. Ben. pag. 28.

Simon de AMPACH Mellic. flor. an. 1493. Vid. Bibl. Mellic.

Simpertus NIGGELIUS, Abbas Nereshemenſis in Suevia. Erat Prælatus Domeſticus Cæſ. Legati ad Ottomanicam Portam. Edidit Itinerarium Conſtantinopolitanum patrio conſcriptum ſermone.

Simplicianus GODY, ſtrictæ Obſervantiæ Cluniac. Vid. Gabr. Bucel. in Benedicto Rediv. Adrian Baillet Jugemens de Savans.

S. SIMPLICIUS tertius poſt S. P. Benedictum Abbas Caſinenſis. Vid. Gattol. in Hiſt. Caſ. Sec. I. part. IV. p. 12.

Simplicius CAFFARELLA, Abbas Caſinenſis, & totius Congr. Præſes. Ob. 1635. Vid. Cæſar Engenius Caracciolus in Neapoli Sacra pag. 322. Jul. Ambroſ. Lucenti in Ital. reſtr. & auct. p. 1034. Armell. part. 2. p. 178.

SIMPLICIUS, Monachus S. Sulpitii Bituricenſis, de quo le Long Bibl. Hiſt. Eccl. l. 2.

SINAUDUS, Abbas S. Simphoriani Metenſis. c. a. 1005. Scripſit vitam Adalberonis II. Epiſcopi Metenſis, coævi. Vid. Calmet in Catal. Scriptor. Hiſtor. Lothar.

D. SINSART (prænomen me fugit) Abbas Monaſterii in Valle S. Gregorii annis proximè præteritis inſignia edidit Opera Polemica...

B. SIVIARDUS, Abbas Aniſolenſis, Sec. VIII. ineunte claruit. Vid. Mabill. tom. I. Actor. Ord. S. B. pag. 642.

Smaragdus ARDO, Monachus Anianenſis, Ob. 843. Bulæ. Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. I. p. 641. multa ſcripſit, de quibus conſule Catalogum Mſs. Codd. Bibl. S. Germani à Pratis. Mabill. Tract. de Stud. Mon. Vol. 2. p. mihi 610. Marthene præfat. in Comment. in Reg. S. P. B.

SMARAGDUS, Monachus & Presbyter S. Maximini Trevirenſis circa an. 800. Schœttgenius l. XVIII. p. 561.

SMARAGDUS, Abbas S. Michaëlis in agro Virdunenſi an. 819. Vid. Honor. Auguſtodun. de S. E. lib. 4. Trith. Chron. Hirſ. tom. I. p. 68. Sixt. Sen. Bibl. San. pag. 470. Mabill. Tract. de Stud. Mon. cap. 16. pag. mihi 84.

Stanislaus SCZYGIELSCHI, Polonus, Monachus Tinecenſis, Author *Aquilæ Polono-Benedictinæ*, cl. an. 1668.

Stanislaus WILBERTS San-Blaſianus vivit. Edidit, & à V. C. Romano Sedelmayr incœptam Hiſtoriam Univerſitatis Salisburg. ad faſtigium perduxit. Alia prælo parata habet.

STEPELINUS, Monachus Caſæ Dei Sec. XI. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. p. 555. & tom. 5. p. 235.

STEPHANUS II. Pont. Max. nonnullis III.

STEPHANUS III. aliis IV. P. M.

STEPHANUS IV. aliis V. P. M. de his tribus Papis vide Baron. Pag. Mabill. &c.

STEPHANUS IX. ſuprà *Fridericus* Abbas Caſin.

STEPHANUS I. Ædnenſis Epiſcopus, ac ſubinde Monachus Cluniac. Sec. XII. Vid. Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Sec. 12. tom. 6. pag. 518.

STEPHANUS Abbas S. Agerici an. 1062. Vid.

Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 189.

Stephanus de AMICO, Abbas S. Martini de Scalis in Sicilia. Ob. 1662. Vid. Rocchus Pyrrhus in Notis Eccleſiaſticis Montis Regalis p. 437. & lib. 4. de Abbatiis Siciliæ p. 192. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 238. Armell. part. 2. pag. 178.

Stephanus de AMORE è Congr. Caſin. Ob. 1691. cujus mutabilem genium, & præſtantiam in Poëtica facultate vide apud Armell. part. 2. p. 179.

Stephanus BRIKINGTONUS, Monachus Cantuar. clar. 1380. Vid. Piſſ. in append. pag. 910. Wharton Angl. Sac. tom. 1. pag. xx. & in Supplem. ad Cavei Hiſtor. Liter.

Stephanus BOCHEVALLIUS, Zwifaltenſis. Ob. 1663. Vid. Annal. Monaſterii pag. 285.

Stephanus BURCKHARDI Mellicenſis, flor. an. 1517. Vid. Bibl. Mellic.

Stephanus BRICE è Congr. S. Mauri vivit, in Gallia Chriſtiana ad faſtigium perducenda cum aliis Congr. ſuæ eruditis Sodalibus occupatus.

Stephanus CATANEUS, Abbas & Præſes Congr. Caſin. interfuit Concilio Tridentino. Ob. 1580. De eo Pet. Ricord. in Hiſtor. Monaſt. dial. 4. p. 465. Philippus Labbe tom. 4. Concil. in Concil. Trid. col. 932. Armell. part. 2. pag. 181.

STEPHANUS, Monachus & Prior Cellæ Novæ in Gallicia. Sec. 12. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Vet. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. p. 646.

Stephanus de CONTY, Monachus Corbeiæ Veteris, anno 1400. Vid. Luc. Acher. in Notis ad Opera V. Guiberti Abbatis p. 563. col. 2. Annal. Ben. tom. 6. pag. 65. Conſule etiam Catalogum Mſſ. Codd. in Bibl. San-Germ.

Stephanus EDDIUS, ſuprà *Heddius.*

Stephanus HARMIETTER edidit Theologiæ Moralis Nucleum. Saliſb. 1740.

Stephanus HERRANDUS, ex Abbate Iſenburgenſi Epiſcopus Halberſtadenſis. Ob. an. 1107. Trithem. de S. E. & in Chron. Hirſaug. tom. 1. p. 304. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. lib. 8. pag. 722.

Stephanus HIDEUX è Congr. S. Mauri ab obitu *Simonis Bonnet* 1705. continuat *Biblia maxima Patrum.* Vide le Cerf pag. 42.

Stephanus KOLB, Abbas Scotorum Viennæ fl. c. a. 1482. Vid. Bibl. Mellic. pag. 444.

Stephanus du LAURA, Monachus Sylvæ Majoris c. a. 1669. Vid. Acta SS. Boll. Tom. I. April. die 5. in Comment. præv.

STEPHANUS S. Jacobi Leodienſis Abbas 1100. Vid. Edm. Martene Collect. ampliſſ. tom. IV. in Præfat. pag. xx. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. p. 516. Andr. Val. Bibl. Belg. p. 816. & præ hac Foppenii Bibliothecam. Ejus Scripta recenſet Eccardus de Rebus Oriental. Franciæ tom. 2. p. 796.

Stephanus LENZIUS, Abbas S. Pauli Romæ, & totius Congr. Caſ. Præſes. Ob. 1682. Vid. Armell. part. 2. p. 182.

Stephanus LEUZIUS Donawerdenſis Monachus, vir græcis & hebraicis literis clarus ad an. 1543.

Stephanus NERITINUS, Abbas Monaſterii S. Mariæ Montis alti p. 1361. ſcripſit Chronicon Monaſterii Neritini.

Stephanus PALTRAM, Prior Mellic. fl. circ. 1400. Vid. Bibl. Mellic.

STEPHANUS *Pariſienſis* inſignis regulæ S. Benedicti commentator claruit circa an. 1193. de quo ſuprà Part. III p. 22.

Stephanus PEROZZI è Congr. Caſin. cl. c. a. 1621. Vid. Armell. l. c. p. 182.

Stephanus PORRUS è Congr. Caſin Meſſanæ ad S. Placidum Monachus an. 1589. Vid. Armell. l. c.

STEPHANUS, Monachus S. Pantaleonis Coloniæ an. 990. Scriptor vitæ S. Maurini Abbatis & Martyris. Vid. Acta SS. tom. 2. Junii.

STEPHANUS *Rotomagenſis*, Monachus Bremenſis, cujus complura Mſ.ta habentur in Bibliotheca S. Germani à Pratis. Vid. Catal. mſſ. Codd.

Stephanus REITTBERGER, Abbas Schyrenſis. Ob. 1634. Vid Hiſt U. S. p 215.

Stephanus de SPANNBERG, Abbas Mellicenſis. Ob. 1453. Ejus Epiſtolas vulgavit Bern. Pez Theſ. Anecd. tom. 6. Vide etiam Chronicon & Bibl. Mellic.

Stephanus STEGBUCHER, Schyrenſis in Bavaria cl. 1722.

STEPHANUS, Monachus S. Trudonis c. a. 1082. Vid. du Freſne in Indice Autorum.

Stephanus de VILLA, Hiſpanus Monachus S. Jo. Burgenſis an. 1673. Vid. Nic. Ant. Bibl. Hiſp. Nov.

STEPHANUS Monaſterii S. Urbani Abbas an. 1078. patroni ſui vitam ſcripſit. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. p. 138.

STEPHANUS *Wytebienſis*, primus Abbas S. Mariæ Eborac. an. 1080. Vid. Jo. Leland. Collect. vol. 2. & 4. Piſſ. æt. 11. pag. 189.

STEPHELINUS Monachus S. Trudonis ſcripſit de Miraculis S. Trudonis. Vid. Sander. in Chorograph. Brab.

S. STURMIO, Abbas Fuldenſis mortuus an. 776.

an. 776. vel 779. Hiſtoire literaire de la France tom. IV. pag. 161.

SUGERIUS Abbas S. Dionyſii in Francia, & Regens Franciæ. Ob. 1152. Vid. vitam ſuprà Cap. 3.

SULCARDUS, Monachus Weſtmonaſterienſis c. an. 1090. Vid. Jo. Ger. Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. 2. pag. 385. Pitſ. æt. 11. pag. 188.

S. SWIBERTUS Epiſcopus an. 717. Vid. Pitſ. in append. pag. 911.

S. SWITHUNUS, Wintonienſis Epiſcopus, an. 862. Vide Capgrav. Leland. Pitſ. append. pag. 912.

SYLVESTER II. Papa, ſuprà *Gerbertus* Floriacenſis.

Sylveſter LANGHAYDER, Cremiſanenſis J. U. Profeſſor, edidit an. 1751. Specimen juris de piis diſpoſitionibus & alia.

Sylvius STELLA, Abbas, Viſitator, & Præſes Congr. Caſin. Ob. 1646. Vid. Octav. de Rubeis in Elogiis Illuſtr. Brixinenſium, Armell. l. c. p. 183.

Sympertus BERCKMÜLLER è Monacho S. Udal. Aug. Vind. Franciſcanus c. an. 1622. Vid. Hiſt. U. S. p. 424.

Sympertus REITTER, Monachus Andecenſis. Ob. 1711. Vide Hiſt. U. S. pag. 425.

Sympertus VISCHER è SS. Afræ & Udal. Monaſterio Aug. Vindel. Ob. 1666. Vid. Hiſt. U. S. pag. 425.

SYNTRAMMUS San-Gallenſis Scriba excellens. Vid. Mezler. lib. 1. c. 28.

SYRUS Cluniacenſis ſcripſit vitam S. Majoli Abb. Clun. an. 994. defuncti. Vide Acta Sanctorum 11. Maji tom. 2. pag. 668. Annal. Ben. tom. 4. p. 86.

T.

TASO Abbas Monaſterii Vulturnenſis ſcripſit Decreta pro regimine Monachorum circa an. 732. Vide Taſuri in Serie Chronol. Scriptor. Regni Neapol.

TASSAIN (prænomen me latet) è Congr. S. Mauri, vivit, ac in nova Operum Theodori Studitæ editione adornanda laborat.

TATWINUS, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Ob. 735. Vide Leland. cap. 96. Pitſ. æt. 8. p. 129.

TECLANUS Scotus natione & cognomento, Abbas S. Jacobi majoris Wirceburgi. Obiit an. 1217. Hippolytus Maraccius in Bibl. Mariana Tomo II. pag. 387. Schöttgenius Bibl. med. & inf. Lat. lib. 18. pag. 614.

TEUTCARIUS monachus S. Galli de *Computo Eccleſiaſtico* MS. in Bibl. Vaticana. Bern. de Montfaucon Bibl. Mſs. Codd. pag. 58. Schöttgenius l. c. p. 618.

TEODINUS S. R. E. Card. cl. c. an. 1066. Vid. Taſuri in Serie Chronol. Scriptorum Neapolit.

TEULFUS, aliis Theodericus, & *Tholdus* S. Criſpini Abbas, auctor Chronici Mauriniacenſis. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. & 6.

TEUZO, Monachus Florentiæ c. a. 1038. Vid. Mabill. Annal. tom. IV. pag. 421. Julius Niger de Scriptor. Florent. pag. 510.

THADDÆUS, Abbas Scotorum ad S. Jacobum Ratisbonæ vixit an. 1457. Vid. Caniſ. antiq. Lect. tom. 4. in vitâ S. Virgilii Archiep. Salisburg.

Thaddæus SCHWALER claruit. an. 1700.

THEGANUS, Monachus Augienſis 815.

Theobaldus de WIENA Mellicenſis flor. 1458. Vid. Bibl. Mellic. pag. 298.

THEOBAUDUS, al. *Thebaudus*, Beſuenſis in Burgundia Monachus, 1120. Vid. Annal. Ben. tom. 3. pag. 244. & tom. 5. pag. 617.

THEODEMARUS, neſcio cujus Monaſterii Monachus, vixit ſub Carolo M. edit. à Brolio cum Chronico Caſinenſi. Vid. du Freſne in Indice Autorum. Mabill. Præfat. ad Sec. IV. Bened. part. 1. pag. 60.

THEODEMIRUS, & *Theudomirus*, Abbas II. Pſalmodienſis in Gallia monaſterii Sec. IX. Scripſit contra Iconomachiam Claudii Taurinenſis. Vid. Carol. le Cointe ad an. 828. tom. 8. Annal. pag. 33. Annal. Ben. tom. 2. Gall. Chr. tom. 6. col. 472.

THEODERICUS S. Albani Moguntiæ. 985. Vid. Georg. Helwich in Chron. S. Albani cap. IX. Trithem. Chron. Hirſ. tom. 1. pag. 117. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 31.

THEODERICUS *alter* ibidem an. 1040. Trithem. in Catal. Vir. Ill. Germ. part. 1. pag. 135.

THEODERICUS S. Audoeni Monachus ſcripſit vitam metricam ejusdem S. Audoeni. Vid. Mabill. Analect. tom. 2. pag. 456.

THEODERICUS, Caſinenſis, vixit an. 1012. Vid. Pet. Diac. c. 16. Mar. in Notis. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 274.

THEODERICUS Monachus Dunelmenſis, Scriptor vitæ S. Margaritæ, Scotorum Reginæ, cui à confeſſionibus fuit. Vid. Acta SS. Junii tom. 2. pag. 320.

THEODERICUS, Weiſſenburgenſis Abbas, Congr. Clun. Scriptor vitæ Hildegardis c. an. 1210. Jo. Simler in Epitome Bibl. Geſner. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. pag. 109. Oud. tom. 2. col. 1695.

THEO-

THEODERICUS Monachus Clnniac. cl. an. 1040.

THEODERICUS *Danus*, incerti monaſterii anno 1180. an tàmen Benedictinus? nullus, quem ſcio, inquit Oudinus tom. 2. col. 1595. meminit hujus Scriptoris hucusque incogniti.

THEODERICUS Epternacenſis, an. 1194. Vide Martene & Durand Collect. ampliſſ. tom. IV. p. 453.

THEODERICUS Floriacenſis ſub an. 989. Vid. Trithem. in Annal. Hirſaug. ad an. Chr. 1125.

THEODERICUS Fuldenſis, diſcipulus Trithemii. Vid. Epiſtol. familiares hujus Abbatis.

Theodericus GHISBERTI, Supprior Monaſterii S. Salvii, claruit ineunte Sec. 17. Vid. Annal. Ben. tom. 6. p. 57.

THEODERICUS Herſfeldenſis cl. 1030. Vid. Annal. Bened. tom. 3. pag. 215. Ignat. Gropp. Hiſtor. Amorbac. pag. 156.

THEODERICUS Hirſaugienſis, de quo Trithemius de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 2. c. 27.

Theodericus ab HOMBORCH, Abbas Burſfeldenſis. Ob. 1487. Vid. Leuckfeldii Antiquit. Burſfeld. pag. 25. Henr. Bodo in Chron. Cluſin. tom. 2. Scriptor. Brunſv. p. 352.

Theodericus à NIHAUSEN S. Martini Colon. an. 1679. Ex Catal. Bibl. mſ.

THEODERICUS Norwegienſis anno 1137. ſuprà *Dietrichus*.

THEODERICUS, Monachus Rotomagi, in Cœnobio S. Audoeni an. 1092. Vid. Mabill. Annal. tom. 5. pag. 296. Pomeray in Hiſt. Monaſterii S. Audoeni. Acta Bolland. SS. tom. 4. Aug. p. 795. Scripſit Theodericus an. 1044. verſibus Leoninis vitam S. Audoeni.

Theodericus RUINART è Congr. S. Mauri, illuſtris diſcipulus Mabillonii. Obiit 1709. Vid. Nizeron in Memoriis tom. 2. Pez & le Cerf in Bibl.

THEODERICUS Monachus Theologienſis an. 1066. Scriptor vitæ S. Conradi Archiep. Trevir. Vid. Bolland. tom. 1. Junii p. 126.

THEODERICUS, Monachus S. Mathiæ Trevirenſis vix. c. an. 1012. Vid. Calmet in Hiſtor. Lothar. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 658. & tom. 5. pag. 216. Trithem. Eyſengrep. Oudin &c.

THEODERICUS Abbas S. Trudonis in Epiſcopatû Leodienſi. An. 1100. And. Val. Bibl. Belg. pag. 822. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 48. Cav. Hiſtor. Lit. pag. 558.

THEODINUS, Monachus Caſinas, aliis Farfenſis, & juxtà Wionem Cardinalis ab Alexandro II. creatus. *Mabillon Annal. Bened.* Tom. V. pag. 266.

Theodorus à CRUCE è Congr. SS. Vitonis & Hidulphi an. 1628. Vid. Bellhome in Hiſtoria Mediani Monaſterii pag. 428.

THEODORUS San-Gallenſis an. 670. niſi ſit larvatus ille Scriptor vitæ S. Magni Abbatis, de quo Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. cap. 3. Schöttgenius Bibl. med. Lat. l. 19. p. 645.

Theodorus GANGELT S. Pantaleon. Colon. an. 1663.

THEODORUS S. Mathiæ Trevirenſis Scholaſticus Sec. XI. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. tom. 1. pag. 154. Mabill. Annal. Bened. tom. 4. pag. 230.

Theodorus THIER, Werdinenſis, ſcripſit de cognitione & amore Jeſu an. 1716.

THEOFRIDUS, Abbas Epternacenſis, an. 1160. Vid. Annal. Bened. tom. 2. pag. 115. & tom. 4. pag. 371. 596. tom. 5. pag. 136. & 498. Andr. Valer. Bibl. Belg. p. 832. Bibl. PP. edit. Lugdun. tom. 12. pag. 412. Hontheim *Hiſtor. Trev. Tom. III. p.* 979.

THEOGERUS, vid. *Dietgerus.*

THEOPHANIUS, Diac. Monachus Caſinas, vixit an. 855. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. cap. X.

Theophilus BONA, Brixiæ in S. Euphemiæ monaſterio profeſſus an. 1492. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 2. p. 184.

THEOPHILUS Caſinenſis ſcripſit Sum̃am Moralem. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 2. pag. 197.

THEOPHILUS alter Caſinenſis. Vid. Armell. l. c.

Theophilus FOLENGUS, Monachus è Congreg. Caſ. Brixiæ in S. Euphemiæ Cœnobio, Poëta celebris. Ob. 1544. De eo Wion in Ling. Vit. tom. 1. lib. 2. c. 78. pag. 463. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 3. pag. 293. Armell. part. 2. p. 191.

Theophilus MARTIUS, Monachus Caſinas. Ob. 1586. Vid. Plac. Diac. in Supplem. c. 24. Wion Lig. Vit. l. 2. c. 78. pag. 467. Armell. l. c. p. 194.

Theophilus MICHAELIS, Præſes Congregationis S. Juſtinæ Patavinæ, an. 1430. Vid. Armell. part. 2. pag. 197.

THEUDUS S. Pauli de Radiolo Abbas. Ob. an. 1095. Scripſit vitam S. Benedicti, & in ejus Regulam. *du Freſne in Indice Autor.*

THEULFUS, ſuprà *Teulfus.*

THIMO, ſeu *Thiemo*, Monachus S. Michaëlis Bambergæ an. 1146. Vid. Eyſengren in Catal. Teſt. Verit. pag. 97. Acta SS. Bolland. tom. 1. & alu pag. 351. Scripſit Dialogum de S. Ottone Bamberg. Epiſc.

THIETLANDUS, Abbas Monaſterii Einſidlenſis, an. 845. Vid. Annal. Einſidl. & Hermannum Contractum in Chronico ad an. 847.

THINREDUS, Cantuarienſis Monachus Anglus. Ob. 1371. Pitſ. æt. 14. pag. 510. Balæus Cent. VI. 47.

THOMAS, Abbas S. Albani in Anglia edidit an. 1531. Conſtitutiones in Capitulo Generali.

Thomas de BADEN, Prior Mellicenſis, fl. c. an. 1475. Vid. Bibl. Mellic. p. 363.

S. Thomas cognomento BECKET, Archiep. Cantuar. & Martyr Sec. XII. Vid. Oud. Tom. II. p. 1474.

Thomas BLAMPINUS è Congr. S. Mauri. Ob. 1710. Huic nova Operum S. Auguſtini editio immortalem gloriam conciliavit. Vid. Pezii & Cerſii Biblioth.

Thomas BONNET, cujus meminit le Long Hiſtor. Bibl. n. 13972.

Thomas BRINTONUS ex Nordwicenſi Monacho Epiſcopus Roffenſis. Ob. 1389. Pitſeus in append. pag. 913. Plura leges apud Monachum Eveshamenſem in vita Richardi, quam Thomas Heame edidit Oxon. 1728. Wharton Angl. Sac. tom. 1. p. 379.

Thomas CÆSARANUS, Abbas S. Severini Neapoli. Ob. 1667. Vid. Armell. part. 2. pag. 198.

Thomas CASTELFORDIUS, Pontisfracti in Anglia Monachus 1316. Pitſ. æt. 14. pag. 410. Leland cap. 340.

Thomas CAWSTON, Monachus Cantuarienſis, an. 1486.

Thomas CHILLENDENUS, Mon. Cantuar. incertæ ætatis. Vid. Pitſ. in append. de Ill. Angl. Scriptor. pag. 914.

Thomas ab EBULO, Caſinenſis, an. 1566. Vid. Plac. Diac. in Supplem. Vir. Illuſt. Caſin. cap. 27.

THOMAS, Monachus Elienſis in Anglia, an. 1190. Vid. Henr. Wharton Ang. Sac. tom. 1. Annal. Ben. tom. 5. pag. 521. & tom. 6. pag. 235. Acta Sanctorum Boll. m. Jun. tom. 4. pag. 489.

THOMAS, Abbas Erfurtenſis in Turingia c. an. 1481. Scripſit de utilitate, dignitate, & neceſſitate Studii Hiſtorici Sermonem egregium ad Abbates & Monachos Congregationis Burſfeldenſis.

Thomas ERHARD, Weſſofontanus, quem hoc ſeculo ſcribentem commendant *Biblia Latino-Germanica* ſæpiùs recuſa. Ob. an. ----

Thomas du FOUR è Congr. S. Mauri. Ob. 1647. Vid. Pezii & Cerſii Biblioth.

Thomas le FOURNIER è Congr. S. Mauri, de quo vide Cangium in præfat. ad Gloſſarium.

Thomas GUALTERIUS, Abbas S. Andreæ Vercellarum, cujus Opera notis illuſtravit Conſtant. Cajetanus. Vid. Armell. Bibl. Caſin. Congr. part. 1. p. 131.

Thomas LANGLÆUS, Hulmenſis, an. 1430. Vid. Pitſ. æt. 14. pag. 622.

Thomas de LAA, Mellic. flor. c. an. 1452. Vid. Bibl. Mellic. pag. 246.

Thomas LUYTENS Abbas Lœtienſis an. 1637. Vide vitam Lud. Bloſii.

Thomas MANNARINUS, Siculus, Congreg. Caſin. Ob. 1636. Vid. Armell. Bibl. part. 2. pag. 199. & Hiſt. Univerſ. Saliſburg. pag. 426. ubi *Thomas Marianus* vocatur. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 161.

Thomas MELLINGUS, Abbas Weſtmonaſter. tum Epiſcopus Hersford. an. 1495. Vid. Pitſ. in append. Cent. 4. pag. 416. Leland. cap. 591.

THOMAS Monimetenſis, ſeu Monemuthenſis, an. 1160. Vid. Leland. c. 288. Pitſ. æt. 12. pag. 226.

Thomas MEZLER, Zwifaltenſis, quem Bern. Pezius in Epiſt. Apolog. Sueviæ Pindarum vocat, ob. an. 1655. Vid. Annales Monaſterii part. 2. Hiſt. U. S. pag. 437.

Thomas à NEAPOLI, Monachus S. Angeli de Cajeta cl. c. an. 1650. Vid. Armell. part. 2. p. 195.

Thomas PONTIUS, Abbas Cantuar. an. 1332. Vid. Leland. cap. 344. Pitſ. æt. 14. p. 427.

Thomas PRÆSTONUS, Anglus, Monachus Caſinas, Theologus & Miſſionarius. Obiit Londini an. 1647. pro fide Catholica incarceratus per 40. annos. Confer tamen Armellinum l. c. p. 200. Ejus Commentarios Theologicos Mſs. laudat Angelus à Nuce in Notis ad Chron. Caſin. l. 4. c. 108.

Thomas RINGMAYR, Weſſofontanus. Ob. 1625. Vid. Hiſtor. Univerſ. Saliſburg. pag. 427.

Thomas le ROY, Prior ad S. Martinum Tornaci, de quo Andr. Valer. in Bibl. Belg. p. 838.

Thomas RUDBURNUS, Eccleſiæ Cathed. S. Swithuni Monachus an. 1460. Vid. Henr. Wharton Angl. Sac. tom. 1. Præfat. pag. XXVII. & in Supplem. Hiſt. Lit. Cavei Leland. c. 583. Pitſ. æt. 15. pag. 668. Schöttgenio *Radburnus* vocatur.

Thomas SCHMITZ, Brauwellerianus propè Coloniam an. 1735. edidit Theologiam Scholaſticam ad mentem Divi Thomæ Aquin. Item Medullam Juris Canonici an. 1740. Eſt hodie Regens Collegii Colonienſis.

Thomas SPOTTUS, aliis *Spottæus*, ſeu *Sprottus*, Monachus Cantuar. an. 1274. Vid.

Vid. Leland. de Scriptor. Britan. cap. 287. pag. 299. Pitſ. æt. 13. p. 355.

Thomas WALSINGHAMUS, monachus S. Albani in Anglia, anno 1440. Vid. Wharton in Supplem. pag. 98.

Thomas WEISS, Neresheimenſis in Suevia Monachus cl. 1650.

Thomas WINCHECOMBIUS, Monachus Eveshamenſis, an. 1300. Pitſ. in append. pag. 917.

THOMELLUS, Monachus Haſnovienſis, Belga, cl. an. 1070. Vid. Foppenium pag. 1143. ubi corrigit Valerium Andr. qui ex Thomello Monachum facit Elnonenſem.

Tilmannus ab EYDELL, Munſterienſis Abbas & Suffraganeus Trevirenſis an. 1398. *Vide* Hontheim *Hiſtor. Trev. Tom. II.* pag. 11.

Timothæus RICCI è Monaſterio S. Mariæ Florentiæ Abbas S. Salvatoris. Obiit 1450. De eo Pet. Ricord. Hiſt. Monaſt. Dial. 4. pag. 451.

TITMARUS, Abbas Helmwardenſis, Scriptor non inelegans Translationis SS. Modoaldi, Auctoris, Abrunculi & Bonoſi, Archiep. Trevir. ad Monaſterium Helmwardechuſenſe. Vid. Act. Boll. SS. tom. 3. Maji pag. 50.

TIUFURGUS, Monachus S. Galli, cl. c. an. 1272. Vid. Goldaſti Scriptores Alemañ. Rer. tom. 1.

TOBIANUS, Cantianus, Roffenſis Ep. an. 726. De eo Vid. Beda Angl. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. c. 9. Leland. c. 63. Balæ. I. 96.

Torquatus de VARGAS, novæ Cellæ in Gallicia monachus. Vid. Franckenau Bibl. Hiſp. Geneal. Herald. p. 400.

Toſſanus du CARROY, Supprior S. Petri Vivi, illuſtravit tabulas circa S. Theodechildim, cl. c. an. 1691. Vid. Act. SS. Junii tom. 5. p. 362.

TOSSANUS, ſeu *Touſſaint du Pleſſis* è Congreg. S. Mauri præter alia anno 1730. Hiſtoriam Eccleſiaſticam Diœceſis Meldenſis vulgavit in 4.to Pariſiis.

TRUMHERUS ex Abbate Epiſcopus in provincia Merciorum, de quo Vid. Beda in Hiſt. Eccl. Angl.

TURGOTUS, Monachus Ellenſis, & poſtea S. Andreæ in Scotia Epiſcopus. Vide Selden in Præfat. ad. x. Scriptores Angliæ. Hect. Boet. lib. 12. ubi *Turgotum* laudat ut virum ſanctiſſimum juxtà & doctiſſimum.

TUTILO, Monachus S. Galli ſub an. 907. Mezler de Vir. Ill. San - Gall. lib. 1. c. 24. Caniſ. ant. Lect. tom. 5. part. 2. poſt pag. 728.

V.

VALCANDUS, Monachus Mediani Monaſterii Sec. XI. vixit. Vid. Bellhome in Hiſtor. Monaſterii Mediani. Calmet in Catal. Hiſtor. Lothar. Scriptorum.

Valentinus LARSON, Prior Monaſterii Mellicenſis, author *Theatri Dolorum Jeſu Chriſti* an. 1709. Edidit etiam Volumen Concionum. Ob. 1728. Vid. Bibl. Mellic. p. 544.

Valentinus RATHGEBER, in Banthenſi Franconiæ monaſterio Profeſſus, inſignis Muſicus. Obiit an. 1749.

Valerianus CASTIGLIONI, Mediolani apud S. Simplicium Profeſſus, Abbas Titularis Congr. Caſin. Ludovici XIII. Regis Galliarum Hiſtoriographus. Ob. poſt an. 1662. Vid. Philip. Picinell. in Athen. Literat. Mediolan. p. 508. Armell. part. 2. pag. 3. Lit. V.

Valerianus DEGANUS, Mediolani apud S. Simplicium Profeſſus, Abbas regiminis, & ex regimine Abbas titularis, Mathematicus & Arithmeticus celeberrimus. Ob. Sec. 17. Vid. Armell. l. c. pag. 7.

Valerianus de FRANCHIS, Prior S. Salvatoris Cærami è Congr. Caſin. Mathematicus excellens. Ob. 1635. Mongitore Bibl. Sicul. part. 2. p. 271.

S. VALERIUS, Abbas Monaſterii de Montibus in Hiſpania. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. pag. 604. Nic. Ant. in Bibl. Hiſp. vet. pag. 302.

UDALRICUS, Monachus Bambergenſis in monte S. Michaëlis an. 125.

S. UDALRICUS Monachus Cluniac. Scriptor Conſuetudinum Cluniacenſium an. 1090. Vid. Bibl. Cluniac. Mabill. in Aonal. Ben. Acher. in prolog. ad tom. IV. Spicilegii.

UDALRICUS ex Abbate S. Blaſii in Hercynia Sylva Epiſcopus Conſtantienſis an. 1130. Vid. Henr. Caniſ. antiq. Lect. Oud. tom. 2. c. 1125. Origin. San-Blaſ. Mſs.

Udalricus FREYBERGER è domo S. Petri Salisburgi. Ob. 16.-- Vid. Hiſt. U. S. pag. 430.

Udalricus HUHNDORFF, Neresheimenſis edidit *Inſtitutiones Philoſophiæ rationalis* anno 1746. in 8. *Hiſtoriam Philoſophiæ* 1745. *Inſtitutiones Metaphyſicæ* 1747. &c.

Udalricus de LANDAU, Monachus Tegernſeenſis Sec. XVI. de quo vide Pezii Differt. Iſag. Tom. I. Theſ. Anecdot. pag. XIV.

Udalricus ROTTENHEUSLER, Abbas Zwifaltenſis. Ob. 1699. Vid. Annales Monaſterii, & Hiſtoriam U. S. p. 266.

Udalricus STAUDIGEL, Andecenſis, Tractatum Mabillonii de Studiis Monaſticis Latinè reddidit. Ob. an. ----

UDALRICUS Abbas Tegernſeenſis ab an. 1041. Schöttgenius Bibl. med. Lat. l. 20. pag. 802.

UDALRICUS Monachus *San - Udalricanus*, Auguſtæ Vindel. de quo vide Poſſevin. in Appar. Sac. tom. 3.

Udalricus WEIS, Urſinenſis in Suevia Monaſterii inſignis Philoſophus, edidit Opus præclarum *de Emendatione intellectûs*; plura prælo parat.

Udalricus WITMEILER, Monachus Einſidlenſis ſcripſit vitam B. Nicolai à Rupe, Eremitæ.

UDALSCALCUS, Abbas ad SS. Udalr. & Afr. Aug. Vind. an. 1120. Vid. Henr. Caniſ. tom. 2. Lect. antiq. Bruſch. in Monaſt. Germ. Chronolog. pag. 137. Goldaſt. tom. 2. de Scriptor. Rer. Alemann.

Udiſcalcus HUEBER, Seittenſtettenſis, docuit Philoſophiam 12. Salisburgi.

Venantius GALVAGNI è Congr. Caſin. incertæ ætatis. Vid. Armell. part. 2. pag. 8.

Venuſtus MÜLLER, Aſceta Augiæ Majoris Brigantinæ. Edidit præclarum de Sacrificio Miſſæ Tractatum. Ob. 1733.

Veremundus BADER San - Emmeramenſis, an. 1742.

Veremundus EISVOGEL, Weſſofontanus, Novitiorum in Congregatione Bavarica ſubinde Magiſter, multa hoc ſeculo aſcetica vulgavit. Natus verò Weilhemii an. 1687. die 17. April. profeſſus an. 1707. 23. Octobr.

Veremundus GUFL, Prunveningenſis, SS. Canonum & Theol. Moralis Profeſſor, vivit, & præclarè ſcribit. Ejus Philoſophia prodiit Ratisbonæ an. 1750. Tom. 4. in 4.

UFFINGUS, ſive UFFO, Werthinenſis anno 1000. Scripſit vitam S. Ludgeri Epiſcopi. Vid. Valer. Andr. pag. 843. Bolland. in Actis Sanctorum, Surium 4. Sept. Leibnit. Introd. ad Scriptor. Rer. Brunſv. tom. 1. Foppens pag. 250.

VICTOR III. Pont. Max. an. 1087. Vid. Pet. Diac. de Vir. Ill. Caſ. c. 18. Baron. & Mabillon. in Añal. Gattol. in Chron. Caſin. & ante eum Leo Oſtienſis; Jo. Bapt. Marus in Not. ad Pet. Diac. Acta SS. Bolland. April. tom. 2. pag. 97.

Victor COTTRONIUS è Congr. S. Mauri plurium Monaſteriorum hiſtorias ſcripſit. Ob. 1673. Vid. le Long Bibl. Hiſtor. de France. Annal. Ben. tom. 6. p. 207. Acher. præfat. tom. 2. Spicileg. n. 5.

Victor PERRIN Subprior Luxovienſis.

Victorinus AURELLUS, vel *Aucellus*, Prior Clauſtralis S. Martini de Scalis, propè Panormum in Sicilia. Ob. 1642. Ant. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. pag. 272. Armell. part. 2. p. 8. Lit. V.

Victorinus MANSO, Monachus Cavenſis, ſummus Theologus, & Epiſcopus Arianenſis. Ob. 1611. De eo Wion Lig. Vit. part. 1. l. 2. c. 79. pag. 468. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 3. p. 145. Ughell. Ital. Sac. tom. 3. col. 813. Pet. Ricord. Hiſt. Mon. dial. 4. pag. 466. Armell. part. 2. pag. 11. Lit. V.

Victorinus HAAN, Mellicenſis, Sec. 17. Pez in Epiſt. Apolog.

Victorinus à MESSANA, Prior Monaſterii S. Placidi, ejuſdem urbis cl. 1610. Vid. Armell. l. c. part. 2. p. 13. Lit. V.

Victorinus à PARMA, Monachus ibidem S. Jo. Evang. cl. 1633. Armell. l. c.

Victorinus SIRI, Monachus Parmenſis S. Jo. Evang. Ludovici XIV. Galliarum Regis Hiſtoriographus longè celeberrimus. Ob. 1685. Vid. Armell. l. c.

VIDERICUS, aliis *Vindricus*, Abbas S. Apri Tullenſis, cl. an. 994. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. Calmet in Catal. Scriptor. Hiſtor. Lothar.

VIGILA, Monachus Alveldenſis in Hiſpania Sec. x. exeunte. Mabill. Annal. tom. 3. pag. 366.

VILIANUS, Monachus Elyenſis in Anglia, dictus *Rhetor*. Vid. Act. SS. m. Jun. tom. 4. pag. 566.

Vincentius Barralis SALERNA, Monachus Lirinenſis & Abbas Titularis in Sicilia cl. an. 1609. Vid. Philip. Labbe Bibliotheca Bibliothecarum pag. 349. Bucel. in Bened. Rediv. ad an. 1515. Armell. loc. cit. pag. 16. Lit. V.

Vincentius BORGHINUS, Monachus S. Mariæ Florentiæ Prior, ſive Hoſpitalarius magnæ domûs Iñocentium. Ob. 1580. De eo Wion Lign. Vit. part. 1. l. 2. c. 79. pag. 468. Poſſev. in Appar. Sac. tom. 2. pag. 527. Marian. Armell. l. c. & alii quàm plures.

Vincentius CAMPANUS, Monachus S. Severini Neapoli an. 1508. Vid. Armell. l. c. pag. 24. Lit. V. Pet. Ricord. Hiſt. Mon. Dial. 4. p. 461.

Vincentius à MEDIOLANO, Monachus S. Salvatoris Papiæ, an. 1524. Armell. l. c.

Vincentius SADLER è Congr. Angl. Sec. 17. Pez Catal. in Epiſt. Apolog.

Vincentius SEILER, S. Martini Colon. 1688. Ex Catal. Bibl. Sm. Mart.

Vincentius SQUALDUS, Monachus apud S. Xiſtum Placentiæ, tum Abbas, rerum Politicarum Scriptor elegantiſſimus flor. c. a. 1640. Vid. Armell. l. c. ubi plures, qui de eo honorificè agunt.

Vin-

Vincentius de TUCCIS, Monachus Cavenſis an. 1609. Armell. l. c. p. 24.

Vincentius THUILLIER è Congr. S.Mauri adornavit præter alia verſionem Gallicam Hiſtoriæ Polybii. Ob. an. 17... Vid. le Cerf p. 473.

Virgilius FABER, Garſtenſis. Ob. 1704. Vid. Hiſt. U. S. pag. 431.

Virgilius GLEISSENBERGER, Oſſiacenſis in Carinthia vulgavit an. 1712. Boleslaidos libros VI. Poëma. Fuit Profeſſor Poëſeos in Univerſ. Salisburg. deinde Monaſterii ſui Abbas.

Virgilius SEDELMAYR, Weſſofontanus, edidit Catalogum hæreſeos an. 1733. Defenſionem Immaculatæ 1731. in fol. &c. Reflexiones Criticas in Ideam divini amoris Aug. 1749. &c.

Virgilius VALSECHIUS, Monachus S.Mariæ Florentiæ in Academia Piſana S. Scripturæ Profeſſor. Laudatur Armellino part. 2. p. 28. Lit. V. & Card. Quirino in Commentario ſuæ Vitæ.

Virginius ALVISET, Monachus Sublacenſis è Congr. Caſin. clar. c. a. 1661. de quo vid. Armell. l. c. p. 28. Lit. V.

Vitalis MATARELLUS, Monachus S. Vitalis Raveſiæ an. 1627. Vid. Seraphin. Paſſolinus de Vir. Illuſtr. Raveñat. l. 3. c. 3. pag. 64. Armell. l. c. p. 32.

Vitalis ORDERICUS, Monachus Uticenſis in Normannia c. a. 1140. De quo nemo meliùs, atque ipſe ad calcem ſuæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Vitalis ROTHALLER è domo S. Petri Salisburgi. Vixit circa an. 1519. Vide Catalog. Bibl. Sant-Emmer. p. 114.

Vitalis TERRA-RUBRA, Parmenſis, S. Jo. Evang. Ob. 1692. Vid. vitam ſuprà cap. 4.

Vitus de AMICO, Monachus S. Nicolai de Arenis, rei antiquariæ perquàm ſtudioſus. Vivebat adhuc anno 1732.

Vitus ARENPECKIUS, Prior Eberſpergenſis in Bavaria an. 1460. Vid. Bern. Pezii Obſerv. præv. in Part. III. Tom. III. Theſ. Anecd. p. XXII.

Vitus BILDIUS, San - Udalricanus Aug. Vind. cl. c. a. 1518. Vid. Bern. Pez Diſſert. Iſag. Tom. I. Theſ. Noviſſ. Anecd. pag. XXXIII.

VITUS, Abbas Superioris Quercus in Bavaria claruit circ. an. 1627.

Vitus SEIDEL, è monaſterio S. Jacobi Moguntiæ 1730. à quo extant Conciones & alia.

ULMARUS, Cœnobita Vedaſtinus c. an. 873. Mabill. Annal. Bened. tom. 3. p. 20. & 182.

Ulricus MANTWIN, Burſfeldenſis Cœnobita an. 1404. Vid. Paulini Syntagma Antiqq. German. pag. 117.

UMBERTUS, Abbas Sublacenſis Sec. XI.

URBANUS II. Pont. Max. ab an. 1088. ad 1099. Vide vitam à Theoderico Ruinarto conſcriptam, Labbeum, Harduinum, aliósque Conciliorum Collectores

URBANUS V. Pont. Max. ab an. 1362. ad 1370. cujus Epiſtolæ & Oratio de expeditione Terræ ſanctæ ubi extent, te docebit Schöttgenius Bibl. med. Lat. lib. 20. p. 255.

Urbanus PLANCHER, è Congr. S. Mauri, vivit. Ex noviſſima (an. 1740.) editione Hiſtoriæ Burgundiæ celebris.

Urbanus PICKELIUS, è S. Lamberto Styriæ. Sec. 17. Pez in Epiſt. Apolog.

Urſinus DURAND, è Congr. S. Mauri, doctiſſimus Achates & collaborator Edmundi Marthene. Vivit.

URSINUS, Loceciagenſis monachus, an. 690. Vid. Mabill. in præfat. ad vitam S. Leodegarii ab Urſino ſcriptam. Item ejusdem Annal. tom. 1. p. 567.

URSIO, Altimontis Abbas propè Malbodium in Hannonia, an. 1070. ſcripſit vitam S. Marcelli. Vid. And. Valer. in Bibl. Belg. pag. 848. Bolland. in Actis Sanctor. tom. 2. p. 9. Foppens part. 2. pag. 1159.

USUARDUS, Monachus S. Germani Pariſienſis 850. Vid. D. Bouillart in Hiſtoria Monaſterii S. Germani à Pratis, & in præfat. ad novam editionem Uſuardini Martyrologii. Mabill. Annal. Ben. tom. 1. & 2. p. 631. Bulæ. in Hiſt. Univerſ. Pariſ. pag. 446.

UTDREDUS, *Boltonius*, Dunelmenſis Monachus, ac gravis Theologus, docuit Oxonii, cl. 1380. Vid. Leland. cap. 449. pag. 392. Pitſ. æt. 14. p. 528.

W.

WALAFRIDUS *Strabo*, Abbas Augiæ Divit. Ob. an. 849. Vide, quæ ſcribat Jo. Egon de Vir. Ill. Aug. Divit. part. 2. c. 13. ex quibus, teſte Bernardo Pezio, fabella de duobus *Strabis*, Augienſi & Fuldenſi evaneſcit. Fuit igitur Walafridus Monachus Augienſis, ſed Fuldæ edoctus ſub Rabano Mauro, cui omnem ſuam eruditionem & doctrinam in acceptis referre debet. Confer etiam Mabillonium in Obſerv. præv. ad vitam S. Galli Act. SS. Sec. 2. p. 227. Annal. Bened. tom. 2. Caniſ. Antiqq. Lect. tom. 6. p. 331. 546. 672. Goldaſt. in Alemann. tom. 1. pag. 229. tom. 2. p. 195. Bulæ. Hiſtor. Univerſ. Pariſ. tom. 1. pag. 446.

S. WALBURGIS, Abbatiſſa Hëidenheimenſis in Suevia, an. 780. fertur ſcri-

ſiſſe

pſiſſe Hodeporicon S. Wilibaldi ſui fratris atque Epiſcopi Aichſtadiani. *Du Freſne* in Indice Autorum, & alii plures, quos vide apud Schoettgenium Bibl. med. Lat. l. 21. p. 870.

WALDRAMUS ex Monacho San-Gallenſi factus fuit Epiſcopus Argentoratenſis an. 895. Vid. Schöttgenium, & quos citat Bibl. med. Lat. l. 21. p. 873.

WALRAMUS, Monachus Hirsfeldenſis Sec. XII.

Walterus de MONITOUN Glaſtonienſis in Anglia Monachus.

WALTERUS ſancti Sepulchri primus Abbas, Scriptor vitæ S. Vindiciani. Vid. Annal. Ben. tom. 5. p. 109. 159.

WALTHERUS, Prior Eccleſiæ Wintonienſis ad Abbatiam Weſtmonaſterienſem translatus, an. 1175. Vid. Wharton in ſucceſſione Priorum Eccleſiæ Winton. Angl. Sac. part. 1. p. 325.

Walterus de WITLESEY, Chronographus Burienſis in Anglia, circ. an. 1321.

WALTMANNUS, San-Gallenſis Cœnobita Sec. IX. Vid. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. lib. 1. c. 25.

WANDELBERTUS, Monachus & Scholarcha Prumienſis, claruit Sec. IX. anno 840. Vid. Sigebert. & Trithem. de S. E. Andr. Val. *Bibl. Belg. p.* 848. Mabill. *Annal. Ben. tom.* 2. Hontheim *Hiſt. Trevir. Tom. I. p.* 151.

WARINUS, Abbas Metenſis S. Arnulfi c. a. 998. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 4. pag. 124. & in Analect. tom. 1. pag. 225. &c.

WARINUS, Abbas Corbeiæ Novæ Sec. IX. de quo vide du Cheſne Tom. 2. Scriptor. Rer. Franc.

WARMANNUS, Comes à Dilingen, ex Augienſi Monacho Epiſcopus Conſtantienſis. Ob. 1034. Vid. Annal. Ben. tom. 2. pag. 188. Egon de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 25.

WARNERUS *Homiliarius* Weſtmonaſterienſis, an. 1092. Vid. Pitſ. de Scriptor. Brit. æt. 11. pag. 191.

WASSELINUS, cognomento *Momalius*, S. Laurentii Leodii Abbas cl. an. 1130. Mabill. Annal. Ben. tom. 6. pag. 426. & Analect. tom. 1. pag. 339. Foppens Bibl. Belg. pag. 1161.

WASSELINUS II. Abbas S. Laurentii, ab obitu prioris electus, ſcripſit lib. de Concord. Evang. Vid. Mabill. Annal. Bened.

WEICHARDUS, Prior Monſeenſis ſcripſit Collationes an. .... Vid. Catal. Bibl. Lunælac. Claſſ. V. pag. 376.

WENZESLAUS, Abbas Altahæ inferioris an. 1055. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. IV. p. 510. Hund, in Metrop. Salisburg.

WEREMBERTUS, Monachus San Gallenſis, an. 862. Vid. Mezler de Vir. Ill. San-Gall. l. 1. c. 16. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 246.

WERENBALDUS, Hirſaugienſis Cœnobita ſcripſit de laude Martyrum, ac obiit an. 991. Eyſengren C. T. V. p. 77.

Werignandus KOGLER, Michaëlburanus Diœceſ. Salisburg. Ob. 1736. Edidit Poëmata, quibus me anno 1731. donavit.

WERLINUS, Monachus Seonenſis c. an. 1646. de quo Pezius Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd.

WERNERUS, Abbas San-Blaſianus in Nigra Sylva an. 1210. Trithem. in Chron. Hirſaug. Tom. I. pag. 502. Orig. San-Blaſ. Mſs.

WERNERUS, Abbas Einſidlenſis. Ob. 1210. Vid. Annal. Einſidl.

WERNERUS Sigebergenſis, de quo vide Molani Bibl.

WERNHARUS, Abbas Altahenſis in Bavaria, Ob. 1317. Schottgenius l. 20. pag. 887.

WETTINUS, Monachus Divitis Augiæ, Ob. 824. Vid. Egon de Vir. Ill. Aug. Div. part. 2. c. 7.

WETTINUS, Monachus Divitis Augiæ ſcripſit de vita & miraculis S. Galli lib. 2. qui in monaſterio San-Gallenſi adhuc ſuperſunt. Vid. Goldaſt. tom. 2. Antiquit. Alemann. Pagius ad an. 824. n. 20. Egon de Vir. Ill. Aug. II. 7.

WIBALDUS, Abbas Stabulenſis & Corbeienſis. Ob. 1158. Vide vitam ſuprà cap. 3.

S. WICBERTUS, Anglus Wiremuthenſis Abbas. Ob. an. 730. Pitſ. æt. 8. p. 125.

WIDBERTUS, Abbas S. Petri Carnotenſis c. a. 965. Vid. Annal. Ben. tom. 3. pag. 576.

WIDRADUS Flaviniacenſis Abbas an. 748. Vid. Acta Sanctor. O. S. B. tom. 3. pag. 683. Du Freſne in Ind. Autor.

WIDRICUS, ſuprà *Vidricus.*

WIDUS, Monachus, cujus extat Epiſtola ad Heribertum, Archiep. Colon. ſcripta c. a. 1000. in Balluzii Miſcellaneis tom. 1. p. 412.

WIGBERTUS ſeu *Hunebertus* Anglus an. 757.

WIGO, Monachus & Decanus Feuchtwangenſis Monaſterii in Suevia dudum extincti, c. a. 983. cujus epiſtolas vulgavit Pezius Theſ. Anecd. tom. 6.

S. WILFRIDUS, Ripenſis Abbas, ac poſteà Archiep. Eborac. an. 710. Vid. Leland. Balæ. Pitſ. Wharton, Clementem Reinerum in Apoſtolatu Benedictino.

Wilhelmus BIRCKMAN, Cœnobita S. Martini Coloniæ an. 1678. Mathematicus inſi-

inſignis; edidit Tractatum de Stereometria. Ex Catal. Mſſ. Codd. Bibl. San-Mart. & Hartzheimii Bibliotheca Colonienſi.

Wilhelmus BRICONNET, Abbas S. Germani an. 1540.

Wilhelmus BONGEVILLE, Monachus Beccenſis an. 1288.

Wilhelmus CHARTAM, Monachus Cantuar.

WILHELMUS *Cluſenſis*, ſeu *Cluſinus* Monachus apud Taurinos, an. 1091. Vid. Annal. Bened. tom. 3. p. 580. & tom. 5. pag. 288.

Wilhelmus CURTEYS, Abbas S. Edmundi in Anglia. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 18.

Wilhelmus FRANCIGENA, Monachus S. Bertini cl. c. a. 1137. Vid. Annal. Ben. tom. 6. pag. 291.

Wilhelmus GODELLUS, Monachus S. Martialis Lemovicenſis, ſcripſit Chronicon ab orbe condito ad an. 1172. quod extat MS. Pariſiis in Bibl. Reg. Bern. de Montfaucon in Bibl. MSs. Codd. p. 936.

B. WILHELMUS, Abbas Hirſang. Ob. an. 1037. de literis & diſciplinæ monaſticæ per Germaniam inſtauratione quàm optimè meritus. Vid. Annal. Bened. Chronicon Hirſaug. Acta Sanctor. O. S. B. & Bollandiana. Ejus Opera quædam Mſſ. extant in Bibliotheca Sant-Emmerami Ratisbonæ.

Wilhelmus HON, Tuitienſis cl. c. a. 1637. quo Orationes vocales & mentales ſub epigraphe *Citharæ Spiritualis* in lucem dedit.

Wilhelmus MALVERNE, Abbas, ſcripſit fundationem Abbatiæ Gloceſtrienſis.

WILHELMUS Montis aurei Remenſis Sec. XII.

WILHELMUS Pariſienſis S. Dionyſii, de quo Trith.

WILHELMUS *Procurator*, Monachus Egmondanus clar. an. 1333. de quo videndus eſt Mathæus Antonius in Analectis, ubi tom. 4. editionis veteris, novæ autem tom. 2. ejus Chronicon edidit. *Andr. Valer.* ex cujus ſententia claruit an. 1424.

Wilhelmus STADEN S. Martini Coloniæ. *In Catal. Mſs. Codd. Bibl.* & *Hæfteno*, Author dicitur cujusdam *Commentarii in Regulam S. Benedicti*... Vide ſuprà *Guillelmus*.

Wilhelmus STUMPH, Amorbacenſis c. a. 1415. Scripſit inſignem Tractatum de Profeſſione Monachorum. Vid. Groppius in Hiſt. Amorbac. pag. 157.

WILHELMUS S. Victoris propè Maſſiliam, an. 1343.

S. WILLEBALDUS, Epiſcopus Aichſtettenſis. Vid. Annal. Ben. tom. 2. pag. 172. & 276. Trith. Miræ. Caniſ. antiq. Lect. tom. 4. pag. 347.

Willebaldus KOBOLT, Weingartenſis. Vulgavit an. 1737. Hortum Allegoriarum.

Willebaldus LENDING, Ochenhuſanus. Ob. 1674. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. pag. 434.

WILLELMUS Merulenſis Monachus, de quo vid. Mabill. tom. 3. p. 642.

WILLELMUS, Abbas Metenſis, an. 1073. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 39. & Analect. tom. 1. p. 155. 163. 247. & ſeq.

WILLERAMUS ex Monacho Fuldenſi Abbas Eberſpergenſis in Bavaria an. 1085. Vid. Tom. I. Theſ. Antiqq. Germ. auctore Schiltero, & Acta SS. Bolland. tom. 6. Maji pag. 41. ubi vitam S. Aurelii Epiſcopi in Armenia ſcripſiſſe dicitur. Schöttgenius Willeramum non Eberſpergenſis, ſed Merſeburgenſis in Suevia Abbatem fuiſſe contendit. Sed oſtendat Vir Cl. Merſeburgenſe in Suevia Monaſterium.

WILLELMUS, Monachus S. Martini Tornac. Sec. 13. Vid. Mabill. in præfat. ad nov. edit. Opp. S. Bernardi.

S. WILLIBRORDUS, Epiſcopus Ultrajectenſis, Friſiorum & Danorum Apoſtolus an. 739. Vid. Leland. c. 72. Balæ. Cent. 1. Pitſ. æt. 8. pag. 140. Voſſ. de Hiſt. Lat. l. 2. c. 28.

Willielmus CAPISACCHI, Mon. & Chronographus Sublacenſis cl. c. an. 1573. Vid. Armell. part. 2. pag. 15. Lit. V.

WIMUNDUS, vide ſuprà *Guitmundus*.

WINDRICUS, vide *Vidricus*, ſeu *Vindricus* ſuprà.

WINFRIDUS, vide *Bonifacius*, Archiep. Mogunt.

S. WINNIBALDUS, ſeu *Wunibaldus*, Abbas Eichſtadianus.

WINTOLFUS ex Monacho Corbeiæ Novæ Abbas in Bigau an. 1100. Vid. Mabill. Annal. Ben. tom. 5. pag. 426.

WITIKINDUS, Corbeiæ Saxonicæ Monachus anno 975. Vide Freherum, Reineccium, Meibomium, Leibnitium, qui celebres ejus Annales ediderunt. Conſule etiam Annal. Ben. tom. 3.

WITMUNDUS Monachus Rotomagenſis. 1053. Vid. Orderic. Vital. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3.

WITIUS, Monachus Lisbornenſis Sec. XV. Scripſit Chronicon Lisbornenſe. Vide Schattenii Añales Paderbornenſes. lib. 5. pag. 432.

WOLBERO, Abbas S. Pantaleonis Coloniæ 1167. Vid. Henr. Grævius, qui ejus Com-

Commentarium in Eccleſiaſten edidit. Mabill. Annal. Ben. tom. 6. pag. 460.

WOLFERUS, Monachus Altahæ inferioris c. a. 1045.

S. WOLFGANGUS, Comes de Achalm, ex Monacho Einſidlenſi Epiſcopus Ratisbonenſis. Vid. Acta Sanctor. O.S.B. Pezium Differt. Iſag. in Tom. 2. Theſ. Anecdot. Hartman in Annal. Eremit.

WOLFGANGUS, Monachus Altahæ ſuperioris in Bavaria cl. Sec. XIV. Vid. Pezii Diſſert. Iſag. in Tom. I. Theſ. Anecd. pag. XLV.

Wolfgangus FRISCHMAN de Emerstorff Mellicenſis fl. c. an. 1474. Vid. Bibl. Mellic.

Wolfgangus HOFFMAN, San-Lambertinus in Styria edidit Res Philoſophicas Styræ an. 1740.

Wolfgangus de NEUBURGA, Mellicenſis fl. c. an. 1449. Vid. Bibl. Mellic. pag. 227.

Wolfgangus SCHMIDT, Abbas Zwifaltenſis, ſub quo vota Benedictina nuncupavi. Erat doctrinæ & eruditionis cultor, eámque in Monachis ſuis amavit. Mihi primos ad lucubrandum ſtimulos addidit. Edidit Theſes Philoſophicas, & quædam alia ad cultum D. Virginis attinentia contra Acatholicos. Obiit 1715.

Wolfgangus SEELENDER, Abbas Brevnovienſis. Ob. 1620. Vid. Epitom. Hiſtor. Monaſterii Brevnov. an. 1740. typis vulgatam.

WOLFGANGUS Seonenſis, quem laudat Pezius Differt. Iſag. in Tom. I. Anecdot. pag. X.

Wolfgangus de STYRA, Mellicenſis. Ob. c. an. 1490. Vid. Hier. Pez tom. 2. Script. Rer. Auſtr. Chron. Mellic. Item Bibl. Mellic.

Wolfgangus TREFFLERUS, S. Jacobi Moguntiæ an. 1521. De eo Trithem. ep. 35. Serrarius cap. 35. pag. 149. Catal. Vir. Ill. Monaſterii S. Jacobi.

Wolfgangus WEISSHAUPT, Einſidlenſis, an. 1680. Vid. Felix Egger in Idea O. S. B. l. 2. pag. 550.

Wolfhardus STRAUS Abbas Ratisbonæ ad S. Emmeram. c. an. 1450. Vid. Catal. Bibl. pag. 108.

WOLFHARDUS, ſeu *Wulfhardus*, Haſenriedanus, ſeu Haſerenſis, ſub an. 894. Voſſ. de Script. Lat. l. 3. c. 4. pag. 761.

WOLFRANUS Monachus & præcentor Wintonienſis c. an. 984. Aliis *Wolfſtannus* vocatur. Scripſit vitam S. Ethelwoldi &c. Mabill. Annal. Ben. tom. 3. pag. 98. & 662.

S. WOLPHELMUS, Abbas Brauwilleranus, an. 1068. Ejus vitam ſcripſit Conradus Monachus, quæ extat in Actis Sanctorum die 22. Aprilis.

S. WOLSTANUS, Wigornienſis Epiſcopus. Ob. 1095. Baron. in Notis ad Martyrol. Rom. ad diem 1. Aug. Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. 2. c. 41. Oud. de S. E. tom. 2. col. 500.

WOLSTANUS alter, Wintonienſis Monachus, cl. an. 1000. Piſ. æt. 11. p. 181. niſi ſit idem cum *Wolfrano*, de quo paulò ſuprà.

WORGESIUS, Glaſconienſis Abbas ſub annum 630. Vid. du Freſne in Ind. Autor.

WRDISTENUS, Abbas Landevenecenſis cl. c. an. 870. Vid. Annal. Bened. tom. 3. pag. 249.

WRMONOCUS, monachus Landevenecenſis, ſcripſit & vixit an. 884. Vid. Annal. Ben. tom. 3. pag. 249. & 504.

Wunibaldus REICHENBERGER, Priſſlingenſis an. 1739. librum Italicè ſcriptum, à ſe Germanicè verſum edidit, & plura alia Aſcetica.

Y.

YMARUS S. Martini de Campis Monachus, tum S. R. E. Cardinalis. 1164. Vide ſuprà *Imarus*.

YSO Scholaſticus San-Gallenſis. 871. Vid. Ekkehard. lib. de Caſibus S. Galli.

Yſo PHAW San-Gallenſis ſeculo proximè præterito floruit, & de Privilegiis tum ſui Monaſterii, tum Congregationis ſcripſit. Vid. Felix Egger in Idea O.S.B. part. 2. p. 563.

YSO II. Abbas Cluniacenſis an. 1276. Vid. Bibl. Cluniac. Baluz. Miſcell. tom. 6.

Yſo WALSER San-Gallenſis edidit præludia Phyſicæ doctæ & jucundæ, &c. 1750. in 12.

Z.

ZACHARIAS Pont. Max. ab an. 741. ad an. 752. Vid. Baron. in Annal. Eccl. Mabill. in Annal. Bened. & Actis SS. O. S. Ben. Sec. 3. part. 1. p. 521.

Zacharias de ALOYSIIS, Abbas ad S. Petrum Peruſii. Ob. 1647. Vid. Armell. part. 2. pag. 35. Lit. V. Eggs Purpura Docta l. 6. p. 375.

Zacharias de BASTARDIS, Mutinæ in monaſterio S. Petri Cœnobita cl. an. 1639. Vid. Armell. l. c.

Zacharias FIRMATURA, Monachus S. Martini de Scalis an. 1645. tum Abbas & Viſitator Congreg. Caſin. Ob. an. ··· Vid. Armell. l. c.

Zacha-

Zacharias SERSALIUS, Monachus S. Laurentii de Averſa anno 1558. ad quem verò annum vitam produxerit, non exprimit Armellinus loc. cit. qui ejus poëticam venam laudat.

Zacharias WITZENBERGER, Neresheimenſis in Suevia, Linguæ Hebraicæ apprimè gnarus, plura eo idiomate conſcripſit. Vid. Hiſt. Univerſ. Salisburg. pag. 445.

ZENOBIUS PROLOGUS, Monachus & Abbas S. Mariæ Florentiæ. Ob. 1579. Vid. Armell. l. c. pag. 36. Lit. V.

ZDISLAUS LADISLAUS ex Comitibus *de Berka*, Societate Jeſu egreſſus ad Benedictinos tranſiit, atque Abbas deinde ad S. Nicolaum Vetero-Pragæ eligi meruit ſeculo proximè præterito. Ejus Scripta memorantur in monumentis literariis Monaſterii Brevnovienſis an. 1740. à me pervolutatis.

Atque hæc eſt noſtra Scriptorum utriusque ſexûs notitia, hæc collectio & idea *generalis illius Bibliothecæ Benedictinæ*, quam ſæpe laudatus Sodalis noſter D. OLIVERIUS LEGIPONT adornandam in ſe recepit ſub hoc titulo: BIBLIOGRAPHIA BENEDICTINA, ſive *Novus rei literariæ Studiorúmque Monaſticorum Apparatus, in quo Scriptorum cujuscunque Congregationis, Obſervantiæ, regionis, & ætatis, ſub norma Divi Benedicti militantium, qui variis ingenii ſui monumentis Rempublicam literariam condecorarunt, vitæ ſynopſis, fata, elogia, lucubrationes, earúmque editiones, alphabetico cognominum ordine tamquam faciliori, & ad digerendum requirendúmque aptiſſimo repræſentantur...* Ad quod quidem opus millenis difficultatibus & ſpinis obſeptum, maximam verò partem jam elaboratum, feliciùs perficiendum, Author omnes & ſingulos Eruditos, cumprimis verò colendiſſimos Sodales noſtros, quibus res literaria Benedictina cordi eſt, perhonorificè invitat, & impenſiſſimè obteſtatur, ut pro ſtudio ac fervore, quo de rei literariæ augmento, & antiquiſſimi Ordinis ornamento, ſuóque decore ſunt ſolliciti, minùs nota Bibliographis ſuorum Scriptorum nomina, unà cum vitæ ſynopſi, die & anno obitûs, operúmque tùm typis impreſſorum, cùm manuſcriptorum deſignatione, additis loco, tempore, & formâ editionis, uti & Manuſcriptorum ætate notisque diagnoſticis, & quæ notatu digna, aut diligentiam ipſius effugere poſſe ipſis videbuntur, benevolè cum eo communicare dignentur. Hoc facto ſuos olim concellitas, defunctos manes, Ordinem noſtrum, orbémque eruditum ſibi demerebuntur, ipſúmque Bibliographum beneficii & ſubſidii ſibi præſtiti memorem habebunt & præconem gratiſſimum. Conatum Deus Sapientiæ parens & altor felicem fauſtúmque eſſe jubeat!

APPENDIX
DE
SCRIPTORIBUS
ANONYMIS, & PSEUDONYMIS.

ANonymi ſunt, qui nullô, *Pſeudonymi*, qui alieno, perſonato, vel fictitio nomine ingenii ſui monumenta evulgant. Priores, ſi ex Ordine ſunt monaſtico, plerumque humilitatis ſtudio, quod Monachos cumprimis commendat, nomen ſuum diſſimulant: poſteriores, adſcito alieno, ut nomen proprium occultent (*), variæ cauſæ, quas referre longum eſſet, commovere poſſunt. Scriptoribus Pſeudonymis etiam accenſeri poſſunt, quibus aliorum opera ſupponuntur, vel qui ab impoſtoribus confictì pro Benedictinis venditantur. Cùm verò Authores Pſeudonymi ſatis multi, Anonymi autem numero ingenti habeantur, ex utraque claſſe non omnes, ſed aliquos tantùm more noſtro recepto adducemus.

§. I.
DE ANONYMIS.

ANONYMUS, qui ſcripſit *Exemplum meditandi de ratione fidei*, eſt S. *Anſelmus*, qui illud opus ita inſcripſerat, nullo Auctoris nomine præpoſito, ut præfert MS. Sagienſe, quod cæteris antiquius duxit Gerberonius. Hugone verò Lugdunenſi Archiepiſcopo jubente, ut nomen ſuum illi præſcriberet,

(*) Legatur Jo. Alb. Fabricii præfatio ad Vincentii Placcii opus de Scriptor. Anonym. & Pſeudonym. cui facem prætulit *Adrianus Baillet* Jugemens de Sçavans.

beret, ipſe jam Abbas Beccenſis, illud *Menologium*, id eſt, Soliloquium nominavit. *V. Gerberon* in Operum S. Anſelmi cenſura, in Menologii cenſura.

ANONYMUS auctor libri *pro Inſipiente* adversùs S. Anſelmi in Proslogio ratiocinationem: *id quod majus cogitari nequit, eſt ſaltem in intellectu, ergo & neceſſariò reipſa exiſtet*, non ratum eſſe purans, eam refellere geſtiens, ſcriptum illud edidit, ut narrat Eadmerus lib. I. de vit. S. Anſelmi pag. 62. Hujusce *Reſpondentis* nomen, quod hactenus auditum non fuerat, detexit Gerberonius ex MS.torum fide, quæ Gaunilonem, Majoris Monaſterii monachum, hujus reſponſionis auctorem proclamant. *In Cenſura Reſponſionis pro Inſipiente.*

ANONYMUS Scriptor vitæ S. Bonifacii Germanorum Apoſtoli à *Laurentio Surio* editæ eſt *Othlonus*, Monachus San-Emmeramenſis; nomen illius derexit Henr. Caniſius. Scripſit etiam, tacito ſuo nomine, *Libellum de Tentationibus*, quod Mabillonius nobis manifeſtavit Analect. tom. IV.

ANONYMUS author eſſe volebat Venerabilis *Arnoldus* Abbas Bonævallis in Francia *Carnotenſis*. Etſi enim præclarum Tractatum de *Cardinalibus Chriſti Operibus* ſcripſerit ad Hadrianum IV. ab an. 1154. ad 1159. Pontificem Maximum; nomen tamen ſuum ſuppreſſit. Cujus ſuæ ſuppreſſionis etiam rationes attulit; licèt earum præcipua fuerit magna ipſius humilitas, quæ ipſum graſſari ad famam prohibebat: *In capite*, inquit, *libri ſui, quisque Auctorem ſe poſuit, ut & ſtylus Auctori & ſtylo Auctor famularetur, & auctoritate altrinſeca communis gloria muniretur. Hæc virorum illuſtrium præclara meruerunt ingenia, & per hæc vivax eorum fama & gloria indelebilis perſeverat. Nos verò, qui vix intelligimus, quæ ab eis dicta ſunt, ſenſu & eloquentia omnino iis impares, ſi quid aliquando indignum titulo judicamus, cujus explanationi ſtudium adhibemus, decoloratam ſe potiùs quàm ornatam noſtra præſumptione queratur.* Hæc tamen nominis reticentia illud incommodi habebat, quòd locum aliis fecerit, ut inſignem hunc Tractatum ſub nomine S. *Cypriani* in lucem miſerint.

ANONYMUS Murenſis Acta Monaſterii ſui, ſeu *Librum fundationis* conſcripſit, vixítque ante annos ſexcentos & plures.

ANONYMUS Mellicenſis circa annum 1362. *Hiſtoriam de Particula S. Crucis Mellicenſis* literis mandavit.

ANONYMUS Congregationis Caſinenſis paucis abhinc annis edidit: *Vita e miracoli di San Mauro Abbate &c. inſieme coll' Iſtoria del Monaſterio di Glannofolio, fondato dal medeſimo Santo, e diverſe traslazioni delle ſue Reliquie fatte in più luoghi, diviſa in due parti, deſcritta da NN. Monaco Benedettino della Congregazione Caſinenſe in Lucca 1722. per Domenico Ciuffetti in 8. pag. 212.* id eſt: *Vita & Miracula S. Mauri Abbatis, unà cum hiſtoria Monaſterii Glanofolienſis, fundati ab eodem Sancto; nec non diverſæ translationes ſacrarum ejus Reliquiarum in plura loca; diviſa in duas partes; literis verò mandata à Monacho Benedictino Congr. Caſin. Lucca 1722. typis Dominici Ciuffetti.* Author eſt D. Deodatus Bartholini à Florentia Abbatiæ Florentinæ Alumnus.

ANONYMUS CELLOTIANUS, ſic dictus, quia P. Cellotius S. J. libellum de Euchariſtia edidit, cùm de vero authore non conſtaret; eum verò eſſe *Herigerum* Abbatem Laubienſem prolixè probat Mabillonius tom. I. Analect. pag. 211.

ANONYMUS collector *Florum S. Bernardi* fuit Willelmus ſeu Wiihelmus, Monachus S. Martini Tornacenſis. Vid. Mabill. Annal. tom. 1. pag. 318. & 319.

ANONYMUS, qui libellum in quendam Porphyrii locum lucubravit, eſt juxta Mabillonium *Gerbertus* Remenſis Archiepiſcopus, non verò Gebehardus Auguſtenſis Epiſcopus. Mabill. Analect. tom. 2. p. 215.

ANONYMUS, ſub cujns nomine prodiit Hiſtoria de Geſtis & Reb. Franc. tempore Caroli M. ſcripta à cap. 54. libri IV. ad finem usqne libri quinti, verus Auctor eſt Aimoinus, Monachus Floriacenſis. Placc. de Anonym. cap. 5. pag. 29.

ANONYMUS auctor Chronici Aſchafnaburgenſis ſine nomine illius primùm vulgati eſt *Lambertus* Monachus Aſchafnaburgenſis.

ANONYMUS Monachus S. Dionyſii in Francia ſcripſit Geſta Dagoberti I. Vide du Cheſne Tom. I. Scriptor. Rer. Franc.

ANONYMUS monachus Monaſterii S. Sulpitii in ſuburbio Bituricenſi conſcripſit Hiſtoriam Archiepiſcoporum Bituricenſium.

ANONYMUS commentatus eſt in Quinque Libros Decretalium, qui Apparatum, ſeu Commentaria hæc Lugduni poſt Concilium ibi celebratum ſine nominis ſui inſcriptione edidit; fuit verò

In-

Innocentius IV. ex Benedictino Monacho Romanus Pontifex.

ANONYMUS monachus eſt auctor Chronici Beneventani monaſterii S. Sophiæ.

ANONYMUS Admontenſis ſcriptor vitæ S. Eberhardi Archiepiſcopi Salisburgenſis.

ANONYMUS Andaginenſis circa an. 1106. coodidit ſui monaſterii hiſtoriam, quam Edmundus Martene vulgavit Tom. IV. Collect. ampliſſ. col. 915.

ANONYMUS Andaginenſis ſcriptor vitæ S. Theoderici Abbatis. *Martene l. c. in præfatione.*

ANONYMUS Andaginenſis ſcriptor vitæ S. Beregiſi Abbatis primi Andagin.

ANONYMUS Walcidorenſis Chronographus ejusdem monaſterii gravis & accuratus editus ab Acherio Spicil. tom. VII.

ANONYMUS Admontenſis edidit Opus Aſceticum, cui titulus: *Lac Parvulorum*, Styræ in 8. an. 1724.

ANONYMUS Monachus Corbeiæ Novæ, quem P. Martene Annaliſtam Saxonem eſſe ſuſpicatur.

ANONYMUS Weiſſenburgenſis ſcripſit ſeculo IX. Catecheſin Theotiſcam.

ANONYMUS Brevnovienſis expoſuit Canticum S. Adelberti Epiſcopi Pragenſis.

ANONYMUS Blandinienſis Monachus ſcriptor vitæ Sancti Bertulfi.

ANONYMUS Gemmeticenſis ſcriptor vitæ S. Filiberti. pag. 521.

ANONYMUS Stabulenſis ſcriptor vitæ S. Remacli.

ANONYMUS Congregationis Bursfeldenſis concinnavit hiſtoriam Monaſterii Brauweillerenſis propè Coloniam. Martene Præfat. in Tom. IX. Collect. ampliſſ.

ANONYMUS, qui Sec. XII. ſub Friderico Barbaroſſa ſcripſit inſignem librum de Pœnitentia & Tentationibus Religioſorum, ex cujus cap. XXXII. videtur auctor datâ operâ nomen ſuum celâſſe, ubi contra obtrectatores ſuos id ſibi ſolatio futurum exiſtimat, quòd *perſonam auctoris ignorent.* Vulgavit Pezius Tom. II. Bibl. Aſcet.

ANONYMUS Monachus auctor vitæ S. Augendi.

ANONYMI Fuldenſes tres Annaliſtæ & Chronographi.

ANONYMUS Monachus Dunelmenſis, quē de *Wicleffo* optimè impugnato laudat *Waldenſis.* Vid. Ant. à Wood in Hiſt. Univerſ. Oxon. lib. I. pag. 189.

ANONYMA Sanctimonialis ſcripſit Acta SS. Wilibaldi & Wunibaldi.

ANONYMUS ſcripſit de vita Bartholomæi Abbatis majoris Monaſterii.

ANONYMUS Augiæ Majoris Brigantinæ ſcriptor vitæ B. Fidelis ex Ord. Capuc. quæ variis in locis excuſa eſt. Verus auctor eſt *Placidus Viggelius*, ejusdem Aſceterii Abbas anno 1651. Vitam hanc præfixo authoris nomine Bern. Pezius Tom. X. Bibl. Aſcet. iotexuit.

ANONYMUS monachus Corbeiæ Novæ ſcriptor translationis S. Viti.

ANONYMUS monachus Mediani monaſterii ſcriptor vitæ S. Hidulphi.

ANONYMUS Werthinenſis ſcriptor vitæ ſancti Liudgeri.

ANONYMUS monachus literis mandavit Annales celebris monaſterii Laureshei-menſis. Vid. Mabill. Aňal. tom. 2. p. 228.

ANONYMUS Monachus lucubravit Chronicon Monaſterii S. Michaëlis ad Moſam.

ANONYMUS Abbas in literas retulit vitam & Geſta S. Alferii.

ANONYMUS Gottwicenſis, ſcriptor vitæ S. Altmanni Epiſcopi c. an. 10 0. Vid. Pez. Scriptor. Rer. Auſtr. tom. I. pag. 115.

ANONYMUS Affligenienſis in Brabantia ſui monaſterii Chronographus.

ANONYMUS S. Germani Pratenſis monachus, qui Aimoini Floriacenſis libro V. de Hiſtoria Francorum nonnulla additamenta ſubjecit.

ANONYMUS Altaichenſis Monachus ſcripſit de vita S. Salomes Virginis & Judithæ Viduæ recluſarum apud Altaich in Bavaria Seculo IX. Vid. Acta Sanctorum 29. Junii Tom. V. p. 493.

ANONYMUS monachus memoriæ prodidit hiſtoriam diſcidii Rodulfum inter & majoris Monaſterii monachos.

ANONYMUS Calmeliacenſis omnes monaſterii ſui chartulas in unum redegit corpus, cui & breve chronicon adjunxit.

ANONYMUS monachus S. Galli libris duobus vitam Caroli M. complexus eſt. Vid. Mabill. Annal. tom. 3. p. 245.

ANONYMUS Monachus Cœnobii Engolismenſis S. Eparchii vitam Caroli M. à Petro Pithœo editam conſarcioavit.

ANONYMUS Monachus Paderbornenſis, POETA SAXO, Annales Caroli M. libris V. complexus eſt.

ANONYMUS monachus Inſulanos librum conſcripſit de miraculis S. Quintini.

ANONYMUS monachus Jurenſis ſcriptor vitæ S. Wandregiſili.

ANONYMUS Autiſſodorenſis multos in S. Scripturam commentarios edidit, fuitque celebris ille REMIGIUS. *In omnibus autem nomen ſuum tacuit, ut cum ſapientia culmen quoque humilitatis attingeret.*

ANONYMUS monachus Cantuarienſis commentatus eſt in Apocalypſin S. Joannis. Vid. Piſt. in Append. p. 824.

ANONYMUS, Monachus in Cœnobio Cathedrali Dunelmenſi edidit Chronica. Piſt. l. c.

ANONYMUS Malmesburienſis adornavit *Eulogium Hiſtoriarum.* Piſt. æt. 14. pag. 498.

ANONYMUS, Monachus Carnutenſis librum ſcripſit de vita & miraculis S. Gilduini.

ANONYMUS, Monachus Lambacenſis in ſuperiore Auſtria Acta Adalberonis Wirzeburgenſis Epiſcopi literis conſignavit.

ANONYMUS Sigebergenſis vitæ S. Annonis Archiepiſcopi Colonienſis Auctor.

ANONYMUS Roffenſis monachus vitam Gundulphi Epiſcopi lucubravit.

ANONYMUS Sylvæ majoris monachus vitam S. Geraldi Abbatis ſcripſit.

ANONYMUS Senonenſis monachus auctor eſt libri de miraculis S. Romani.

ANONYMUS, Monachus Trajectenſis ſcripſit vitam S. Ansfridi.

ANONYMUS Ochſenhuſanus in literas retulit vitam B. Henrici Prioris ſui monaſterii, quæ habetur apud Henricum Caniſium tom. 5. Antiqq. Lect.

ANONYMUS Benedictinus ſcripſit Tractatum inſignem de Pœnitentia & tentationibus cujusdam juvenis monachi, Inc. *Dilecto filio ſenior ſalutem* &c. Auctor hic ſe dixit ſcripſiſſe carmen contra monachos, qui deſiderio martyrii ſub Friderico Imp. & Clemente Pontifice contra paganos ad Terram ſanctam recuperandam proficiſci voluere: quos verſus operi huic ſuo inſeruit. Floruit ergò Seculo XII. Ejus tractatus inter Codd. Mſs. Bibliothecæ Mellicenſis aſſervatur. Vid. Hiſt. Bibl. Mell. pag. 62.

ANONYMUS Cœnobita Mellicenſis c. a. 1362. compoſuit Hiſtoriam fundationis Cœnobii Mellicenſis, quod Petrus Lambecius ex MSs. Bibliothecæ Vindobonenſis L. 2. C. 8. à pag. 627. usque 633. primus typis excudendum curavit.

ANONYMUS Prüfflingenſis propè Ratisbonam Monaſterii ſcripſit libros duos de S. *Erminoldo* Abbate ejusdem Cœnobii, qui à Caniſio editi fuerunt Tomo II. Antiqq. Lect. editionis novæ.

ANONYMUS è Congr. S. Mauri ſcripſit *de Divinitate D. N. Jeſu Chriſti manifeſtata in Scripturis, & Traditione* anno 1749.

ANONYMUS Monachus Condomienſis, literis mandavit vitam *Joannis de Marre,* Condomienſis in Gallia Epiſcopi, anno 1519. in magna virtutis opinione defuncti.

ANONYMUS è Congr. S. Mauri artem ſcribendi aureis literis, dudum in deperditis habitam inſtauravit, teſte Montfauconio in Palæographia Græca pag. 5.

ANONYMI Mediolacenſes Monachi Vitam & miracula S. Adalberti Diaconi Egmondani literis conſignârunt editam cum Notis Henſchenii Tom. v. in Actis Sanctor. Junii p. 97 - 103.

ANONYMUS Nideraltahenſis in Bavaria ſcripſit vitam B. *Alrunæ,* Marchioniſſæ Chambenſis, quam publici juris fecit Pezius Tom. 2. Anecdotorum part. 3. p. 253 - 265.

ANONYMI Monachi S. Pantaleonis Coloniæ Agrippinæ *Chronicam Regiam* conſcripſerunt. Primus, qui Operi initium dedit, vixit Ottonum tempore ſeculo X. Egregium hoc cimelion extulit illuſtris Eccardus in Corp. Hiſt. med. ævi.

ANONYMUS Monachus collegit *Variorum Germaniæ Monaſteriorum fundationes* à temporibus Henrici III. ad annum Chriſti 1212. quas edidit Joach. Joan. Maderus Helmſtadii 1665. 4.

ANONYMUS Peruſinus circa an. 1115. Monachus Ord. S. B. Scriptor Actorum & Miraculorum S. *Herculani,* ſive *Herculiani* Epiſcopi Peruſini & Martyris. Extant illa in Actis Sanctorum Tom. I. Martii 1. pag. 51. & in Tractatu præliminari ad Tom. 1. Julii cap. 1. atque integriora in Bernardi Pezii Anecdotis Tom. 2. part. 3. p. 125 - 144. Vid. Fabric. Bibl. med. Lat. l. 15. p. 672.

ANONYMUS è domo S. Petri Salisburgi edidit brevem Hiſtoriam de Origine, Conſecratione, & Reparatione Speluncæ, ſeu Eremitorii; ejúsque Capellæ in Monte propè cœmeterium Monaſterii S. Petri Salisburgi. ibid. anno 1661. in 4.

ANONYMUS Author *Diſſertationis Chorographicæ de Italia medii ævi* eſt Joannes Caſpar Barreta è Congr. Caſin. de quo V. C. Lud. Ant. Muratorius in Monito prævio ad Tom. X. Script. Rer. Italic. perhibet, quòd ſit vir non minùs antiqua eruditione, quàm judicio Critico ſummè commendandus, ſummè accuratus, & cui benè ſanguis caleat in venis. Vix me compeſcere poſſum, inquit, quin ejus nomen prodam, ſed mihi timeo, & præſtat obtemperare homini famam ſpernenti, unúmque in iſta lucubratione quærenti, hoc eſt, ut argumento ſibi tradito ſatisfaciat, & Literariæ Reipublicæ proſit.

ANONYMUS San-Emeramenſis ſcripſit Legendam

gendam S. Wolfgangi Ep. Ratisbon. quæ MS.ta aſſervatur in Bibliotheca Lunælacenſi cum Hieronymi de Werdea Prioris Lunælac. Commentario in hanc ipſam Legendam ſeu Vitam. Vid. Catal. Bibl. Lunælac. Claſſ. VI. p. 388.

ANONYMUS Garſtenſis edidit Germanicis typis vitam S. Bertholdi Abbatis.

ANONYMUS ad S. Petrum Salisburgi edidit Obſervationes Criticas in Tomū II. Germaniæ Sacræ R. P. Marci Hanſizii S. J.

ANONYMUS Seculum ſeptimum Monaſterii S. Viti Ord. S. B. cis Rotam in lucem dedit Germanicè, Landishuti an. 1730. in 4.

ANONYMUS S. Dionyſii in Francia Monachus ſcipſit vitam Caroli VI. Francorum Regis Latinè. Plura libro ſequenti.

ANONYMUS Monaſterii S. Sophiæ in Urbe Benevento ſcripſit Chronicon Ducum & Principum Longobardorum.

ANONYMUS Monachus San-Gallenſis ſcripſit libros duos de vita Caroli M.

ANONYMUS Pegavienſis Monaſterii ſcripſit Hiſtoriam vitæ Fundatoris hujus Cœnobii, qui fuit Vipertus, Marchio Luſatiæ.

ANONYMUS Admontenſis ſcripſit vitam *Ignatii Clavenau*, Aſcetæ Admontenſis, viri vitæ venerabilis, & magni Servi Dei anno 1701. ad Superos, ut piè credere fas eſt, tranſlati.

ANONYMUS ſcripſit de Origine & Abbatibus Monaſterii Ringavienſis ad S. Joannem, editus à Jo. Frid. Schannat in Vindemiis Literariis p. 154 - 159. Fuldæ 1723. in fol.

ANONYMUS Monachus ſcripſit *Breve Chronicon* rerum Neapolitanarum an. 1626. in 4. impreſſum.

ANONYMUS Monachus Dervenſis ſcriptis celebravit miracula S. Bercharii.

ANONYMUS Monachus Congr. Caſin. Poëma edidit ſatis prolixum in laudem S. P. Benedicti.

ANONYMUS Congreg. Caſin. Monachus *Concordiam duodecim Tribuum Iſraël, cum totidem Eccleſiis, nempe Hieroſolymitana, Antiochena, Alexandrina, Conſtantinopolitana, Romana, Epheſina, Smirnenſi, Pergamenſi, Tiatyrenſi, Sardicenſi, Philadelphienſi, Laodicenſi*. Vid. Armell. Bibl. Caſ. part. 1, pag. 47.

ANONYMUS Monachus Fontanellenſis ſcripſit de miraculis S. Wolframi.

ANONYMUS Monachus S. Vitoni literis tradidit vitam S. Arnulfi Epiſcopi Vaſpincenſis.

ANONYMUS Congr. Caſin. ſcripſit *Tractatum de Confeſſione, quæ Exhomologeſis* dicitur.

ANONYMUS monachus ſcriptor miraculorum S. Oricoli.

ANONYMUS monachus ſcripſit librum chartarum ſui monaſterii.

ANONYMI Monachi San-Gallenſes Theologiam Vol. X. comprehenſam ediderunt an. 1670.

ANONYMUS è Congr. Caſin. ſcripſit *de Jure & uſu Pontificalium Abbatum, & de poteſtate Abbatis circa collationem Ordinum minorum ſuis ſubditis ſecularibus intra fines propriæ Diœceſis commorantibus.* impreſſus liber anno 1629. Armell. l. c.

ANONYMUS Cantuarienſis literis mandavit Hiſtoriam controverſiæ inter Archiepiſcopos Cantuarienſes & Eboracenſes de Primatu, quam Whartonus Angliæ Sact. Tomo I. pag. 65. vulgavit.

ANONYMUS Abendonienſis, qui additamenta attexuit ad Hiſtoriam Cœnobii Abendonienſis, quam Wharton tom. 1. pag. 163. edidit.

ANONYMI Monachi Wigornienſes, qui Florentii Monachi Wigornienſis Chronicon continuârunt. Vid. Wharton in præfat ad Angl. Sac. tom. 1. p. xxiv.

ANONYMUS Monachus Wintonienſis Annales condidit Eccleſiæ Wintonienſis ab anno 633. ad annum 1277. edidit Angl. Sac. Tom. I. p. 288.

ANONYMI Vedaſtini Sacræ Scripturæ interpretes.

ANONYMI duo Monachi Elienſes ſeſe invicem excipientes Hiſtoriam Epiſcoporum Elienſium conſcripſerunt.

ANONYMUS è Congr. Caſin. ſcripſit *de vita ſolitaria*.

ANONYMI Monachi Congr. Caſin. atque Abbates compoſuerunt librum magnum in folio Sermonum & Concionum linguâ Italicâ, quæ in ſacris ſolennitatibus haberi ſolent. Vid. Armell. l. c.

ANONYMUS Caſinenſis Academicus *Inquietus*, de quo Armell. l. c.

ANONYMUS Monachus Congreg. Caſin. ſcripſit librum Romæ de anno Jubilæi 1625.

ANONYMUS Monachus Congreg. Caſin. edidit *Vitam & miracula S. Mauri Abbatis* Italicè an. 1722.

ANONYMUS Monachus Petroburgenſis fecit deſcriptionem Norſolciæ.

ANONYMUS Monachus Nonantulenſis vitam Hadriani Papæ ſcripſit. Mabillonius edidit Muſæi Italici parte 2. p. 38.

ANONYMUS Monachus San-Udalricanus Auguſtæ Vindel. concinnavit Catalogum Epiſcoporum Auguſtanorum, quem

quem typis exſcripſit Joannes Georgius Eccard in Corp. Hiſt. medii Ævi tom. 2.

ANONYMUS Rotenſis in Bavaria ſcripſit breve Chronicon ſui temporis.

ANONYMUS Cœnobita Divitis Augiæ Scriptor rerum ad Hiſtoriam Concilii Conſtantienſis pertinentium. Vide Pregizer apud Hermannum von der Hardt in prolegom. ad Hiſtor. Concilii Conſtantienſis pag. 13.

ANONYMUS Scriptur de multiplici Berengarii damnatione.

ANONYMUS Dolenſis de Miraculis B. Virginis MARIÆ.

ANONYMUS de Kaldeborne hiſtoriam duplicem de Landgraviis Thuringiæ conſcripſit.

ANONYMUS Weingartenſis hiſtoriam de Guelphis ſcripſit. Vid. Caniſ. Lect. Antiq. Leibnit. Scriptor. Rer. Brunſv. tom. 1.

ANONYMUS Monaſterii S. Dionyſii in Francia Hiſtoriam Caroli VI. Regis Francorum edidit.

ANONYMUS Monachus Benedicto-Buranus ſeculo XII. hiſtoriam thermarum Heilbrunenſium ſcripſit.

ANONYMUS Caſinenſis hiſtoriam Longobardorum condidit.

ANONYMUS alius eandem tractavit hiſtoriam.

ANONYMUS Bendicto-Buranus Scriptor Hiſtoriæ Peregrinorum.

ANONYMUS, vulgò *Annaliſta Saxo*, quem Joan. Georg. Eccard ab *Eggebardo* Uragienſi Abbate, inſigni ſui temporis *hiſtoriarum* magiſtro diverſum non eſſe exiſtimat.

ANONYMUS Monachus Poſſov. Annales Boſovienſes ab anno 1125. usque in annum 1198. continuavit. Quam continuationem edidit Eccardus Tom. I. Corp. Hiſt. med. ævi.

ANONYMUS de Canales, Hiſpanus ex monaſterio de Hirache dedit verſibus antiquis Caſtellanis eo metri genere, quod *Coplas de arte major* illa ætas dixit: Item *Compendio de tota la Filoſofia natural de Ariſtoteles.* Vid. Nicol. Ant. Bibl. Hiſp.

ANONYMUS Monachus Sec. XI. commentarium in Eccleſiaſten adornavit, Mabill. Annal. tom. 5. p. 261.

ANONYMUS, Monachus Brunſwicenſis circa annum 1460. fuit Chronographus.

ANONYMUS, Monachus Weingartenſis Chronicon Incubravit, quod Caniſius & Leibnitius ediderunt.

ANONYMUS Augienſis ſcripſit de vita S. Pirminii, primi Augiæ Divitis Abbate ac Fundatore librum unum, qui in ejus monaſterii Bibliotheca adhuc extare perhibetur. Vid. Goldaſt. Antiq. Alemao. tom. 2. part. 2. p. 195.

ANONYMUS, Monachus Gemblacenſis Sec. XII. continuavit Chronicon Sigeberti.

ANONYMUS, monachus Affligemenſis Chronicon Sigeberti pariter continuavit.

ANONYMUS, Monachus Aquicinctinus continuator ejusdem Chronici.

ANONYMUS, Monachus Cantuarienſis ſcripſit Annales à Nato Chriſto usque ad an. 1325.

ANONYMUS San - Petrenſis Cœnobita ſcripſit Chronicon Salisburgenſe.

ANONYMUS, Monachus Altivillarenſis cœnobii, vulgò Hautvilliers Hagiographus.

ANONYMUS Augienſis ſcripſit Hiſtoriam *de Translatione Sanguinis Chriſti.*

ANONYMUS Augienſis ſcripſit hiſtoriam Translationis Reliquiarum S. Marci Evangeliſtæ.

ANONYMUS, Monachus Patavinus Chronicon de Rebus Geſtis in Lombardia conſcripſit.

ANONYMI Admontenſes Hiſtoriæ ſui Monaſterii Scriptores.

ANONYMUS è Congr. Caſin. Hiſtoriam Rerum Laudunenſium Tomo VI. inter Scriptores Rerum Italicarum an. 1725. luci publicæ exhibitam, doctiſſimis ſuis annotationibus magnam partem illuſtravit. Vide V. J. Joſeph. Ant. Saxium Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectum in ſuo ad Lectorem de Laudunenſi hiſtoria proloquio.

ANONYMUS è Congregatione Caſinenſi ſcripſit libellum, cui titulus: *Dieci Meditazioni familiari ſopra la Vita, & Miracoli del Glorioſo Patriarca S. Benedetto per uſo privato delle Signore Monache Benedettine, compoſte da una Religioſa del ſuo Sant' Ordine da doverſi diſtribuire per li dieci Martedì nuovamente introdotti in onore dell' iſteſſo Santo Fondatore da un altra divota Clauſtrale del medeſimo iſtituto.* id eſt; *Meditationes decem familiares ſuper Vitam & Miracula Glorioſi Patriarchæ S. Benedicti pro uſu privato Monialium Benedictinarum, compoſitæ ab una Familiæ Benedictinæ Sanctimoniali; diſtribuendæ in X. Dies Martis, noviter introductos in honorem hujus ipſius ſancti Fundatoris ab alia devota Virgine Clauſtrali ejusdem Inſtituti. Neapoli per Felicem Moſca.* An. 1706. Verus Autor habetur Alphonſus Mariconda è Congr. Caſin. Epiſcopus Triventinus. Vid. Armell. part. 1. p. 10.

ANONYMUS Brauwillerenſis Monaſterii

ſcri-

ſcripſit fundationem loci, quæ complectitur vitam Fundatorum Erenfridi, ſeu Ezonis & Mathildis Comit. Palatin. Vid. Gelen. lib. de magnit. Coloniæ. Opuſculum extulit Leibnitius Scriptor. Brunſwic. Tom. I. completius extat Mſ. in Bibliotheca S. Martini Coloniæ...

ANONYMUS edidit Opuſculum Parthenicum de conſervanda caſtitate, Glazii typis Mathæi Schwab Regii typographi anno 1740. in 12. Germanicè. Author eſt R. P. Auguſtinus Forſter, Brevnovienſis Aſceta.

ANONYMUS, Monachus S. Michaëlis Bambergæ, ſcripſit vitam S. Henrici II. ſeu potiùs meram rerum varietatem ad ejus ſanctitatem, & in eccleſias munificentiam compilationem. *Vid. Acta Sanctorum tom. 3. Julii p. 754. col. 2.*

ANONYMUS *Malmundarienſis* ſcripſit vitam S. Agilolphi Epiſcopi & Martyris. *Vid. Acta SS. tom. 1. Julii pag. 719.*

ANONYMUS *Silviniacenſis* ſcripſit juſſu S. Odilonis miracula S. Majoli Abbatis Cluniacenſis. *Vid. Acta SS. tom. 2. Maji pag. 690.*

ANONYMUS Imperial. Monaſterii Werdinenſis edidit an. 1722. inſigne Opus, cui titulus: *Septendialis Recollectio ſeptem Spiritûs S. Donis accommodata.*

ANONYMUS Uſuardi San-Germanenſis editor eſt Jacobus Bouillart è Congr. S. Mauri.

VOTUM ANONYMI pro Seminario Benedictino ex reſiduis deſolatorum in Palatinatu Rheni Monaſteriorum proventibus Heidelbergæ erigendo, *Coſmopoli* 1748. editum, Authorem habet R. P. *Oliverium Legipontium*, qui etiam tacito nomine edidit *Methodum Studiorum* &c.

ANONYMUS Mellicenſis Monachus Chronographus Auſtriæ... Plures Anonymi Mellicenſes recenſentur in illius loci Bibliotheca an. 1747. editâ.

ANONYMUS Tegernſeenſis Monachus breve Chronicon Auſtriæ congeſſit.

ANONYMUS Monachus S. Medardi ſcripſit de devotione Ludovici Pii erga S. Sebaſtiannm Martyrem.

ANONYMUS, Monachus S. Dionyſii in Francia Geſta S. Ludovici IX. Francorum Regis literis mandavit.

ANONYMUS Monachus S. Medardi Sueſſionenſis ſcripſit de Proſapia Regum Francorum.

ANONYMUS Weſſofontanus in Bajoaria Monachus Collectaneum fecit de Viris illuſtribus.

ANONYMUS, Monachus San-Gallenſis Ideam ſacræ Congregationis Helveto-Benedictinæ adumbravit.

ANONYMUS, Monachus S. Michaëlis in Hildesheim ſui monaſterii Chronicon elaboravit.

ANONYMUS, Monachus Novientenſis Cœnobii ſcripto ejusdem hiſtoriam complexus eſt.

ANONYMI Monachi & Theologi Duacenſes, quorum ſtudio & labore prodiit *Bibliotheca Mundi*, ſeu *Speculum Vincentii Beluacenſ. fol. IV. Tomi. Duaci. an. 1624.*

ANONYMUS Andecenſis ſui monaſterii hiſtoriam literis conſignavit.

ANONYMI Monachi Schwarzachenſes ſui monaſterii hiſtoriam condiderunt.

ANONYMUS Monachus Caſæ Dei hiſtoriam Abbatum ejusdem loci ſcriptam reliquit.

ANONYMUS perantiquus ſcripſit elegantem libellum *de Stabilitate animæ*, quem juris publici fecit Bern. Pezius Bibl. Aſcet. Tom. IV.

ANONYMI è Congr. S. Mauri quàm plurimi, qui vel Opera SS. Patrum ad fidem Mſ.orum Codicum recognoverunt, vel in eadem Opera indices quàm diligentiſſimè contexuerunt. Homines multi & tœdioſi laboris, atque ad ſtudia Eccleſiæ Catholicæ utilia juvanda indefeſſi, quorum nomina uti literatus orbis ignorat, ita in cœlo, ubi pro tam ſancto labore merces æterna rependitur, ſcripta eſſe nullus dubito.

§. II.

DE PSEUDONYMIS.

GORDIANUS Monachus, qui S. Placido & ſociis pro Fide Catholica à Barbaris in carcerem conjectis, fugâ clam ſe ſubduxerat, ſanctorum Martyrum corpora ſepulturæ mandâſſe, totámque Martyrii hiſtoriam in literas Græcè retuliſſe fertur. *Mabillonio* Annal. tom. 1. p. 91. eſt author perſonatus, qui quòd non ante *Joannis VIII.* pontificatum vixerit, ex eo colligitur, quòd is Pontifices recenſens, qui *Tertulli* donationes in Sicilia factas comprobarent, à *Vigilio* Papa numerat quadraginta novem; totidem enim à *Vigilio* ad *Johannem octavum* numerantur Romani

mani Pontifices. *Gordianum* tamen illius vitæ authorem genuinum agnoſcit *Cave* cum aliis.

S. GREGORIUS M. Lib. IX. Epiſt. 68. ad EuſebiumTheſſalonicenſem Epiſcopum queritur, *Andream* Monachum inter diverſa mala aliquos etiam Sermones (Græcè ut videtur) ſcripſiſſe, atque eos ex Gtegorii nomine titulâſſe: *Nos*, inquit, *nec Græcum novimus, nec aliquod opus Græcè aliquando conſcripſimus.*

THEODORUS Monachus, S. Magni diſcipulus, ejus vitam libris II. conſcripſiſſe ceu oculatus teſtis fertur, cùm tamen *Theodorus* ille larvatus ſit auctor, & ſpecioſo *Theodori* nomine vitam illam conſarcinârit, quæ tot viros doctrinâ inſignes in errorem induxit. Vide Mabill. Sec. III. Bened. p. 505. Pagium ad an. 665. tom. 3. pag. 51. col. 1. Nulla igitur fides habenda Goldaſto, qui Pſeudo-Theodori libros ab Ermenrico Elewangenſi Monacho emendatos & diſtinctos fuiſſe perhibet, quos ipſe primùm in lucem protraxit Tom. I. Part. II. Rerum Alamannicarum.

JOANNIS TURPINI ex Monacho S. Dionyſii in Francia Archiepiſcopi Remenſis *Liber de Geſtis Caroli Magni ac Rolandi.* Qui ſabuloſum hoc Scriptum *Turpino* ſeu *Tilpino*, adſcribunt, longè à vero aberrant, cùm in aperto ſit, *Tilpinum* ante prædictum Imperatorem è vita diſceſſiſſe. Vide Marlott in Hiſtoria Metrop. Remenſ. l. 3. pag. 315.

CALLIOPIUS, qui Terentianas Comœdias in calamo exaratis codicibus recenſuiſſe notatur, judice Barthio Adverſ. lib. 6. cap. 20. pag. 291. 292. haud alius fuit, atque *Alcuinus*: is enim in Codice Mſs. vitæ S. Wilibrordi appellatur *Dominus Albinus Magiſter optimus Calliopicus*, id eſt, totus fictus, factus, ac formatus à Colliope cæteriſq; Muſis. Mihi nullo modo credibile fit, quòd Alcuinus comœdiis Terentii, meretriciæ artis magiſtri, recenſendis operam impenderit; cùm nec lectionem Virgilii, quem Parthenicum vocant Poëtam, ſuis in monachis ferre potuerit. Vide, quæ libro præcedenti cap. VI. diximus.

JULIANUS POMERIUS, confictus à Pſeudo-Hauberto in Chronico ad annum 534. *Julianus cognomento Pomerius, Monachus Benedictinus, ſuccedit in ſede Toletana Montano. Fuit Hiſtoricus inſignis natione Gallus. Cujus patruus cognomento Pomerius in modum dialogi librum compoſuit. Hic Julianus habuit amicitiam cum Vero presbytero, cujus alterius Juliani mutuis interrogationibus librum, quem ſuprà dixi, Julianus cognomento Pomerius natione Gallus compoſuit.* Commentitia hæc eſſe demonſtrat. Nic. Ant. Tom. I. Bibl. vet. Hiſp. lib. IV. cap. 5. pag. 229. & ex eo Fabric. tom. 4. p. 582.

QUOD VULT DEUS Abbatis, id eſt, Bernonis Abbatis Augiæ Divitis Epiſtolæ, quarum mentio fit apud Mabillonium Analect. tom. IV.

CONRADUS Hirſaugienſis Monachus claruit circa annum 1190. ac ſub nomine *Peregrini* multa præclara opuſcula nomen ſuum ex humilitate occultans conſcripſit: *Matricularium, Didaſculum, In Evangelia per annum, De vita ſpiritus & fructu mortis, De muſica & tonis. Carmen de S. Benedicti laudibus. Speculum Virginū libris octo Dialogorum in Peregrinum Presbyterum & Theodoram ſacratam Deo virginem*, quod in Bibl. San-Germanenſi Cod. 367. evolvit Cangius. Vid. Trithem. in Chron. Hirſaug. Tom. I. pag. 1166. & illuſtr. Benedictin. II. 103. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. Tom. I. pag. 1166. & Tom. V. pag. 669.

HAUBERTUS Hiſpalenſis Scriptor fictitius, qui venditat ſe monachum Benedictinum Cœnobii Dumienſis, aiſque ſe *Chronicon* in monaſterio ſuo abſolviſſe A.C. 919. ætatis ſuæ undeoctogeſimo. Chronicon illud edidit & prolixis notis illuſtravit Gregorius Argaizius Benedictinus Madriti 1667. fol. Pars prior Chronici à creatione Mundi usque ad Gratianum; Pars poſterior à Virginis partu usque ad annum Chriſti 919. cum additione neſcio cujus Walambroſii Merii. Merum eſſe commentum hoc opus, ſicut etiam Pſeudo-Dextri & Pſeudo-Liberati ſcripta, quæ Argaizius ſubjunxit, liquidò demonſtratum dedit Nicolaus Antonius lib. VI. Bibl. vet. Hiſp. c. 22. pag. 400. ſeq. Fabric. Bibl. med. & inf. Lat. p. 577. lib. 8. tom. 3. Fabulæ architectus fuit *Antontius Lupian* Hiſpanus.

LIBERATUS Gerundenſis, Monachus Benedictinus & Abbas Pampilonenſis an. 614. ut ajunt Pampilone defunctus, commentitius ſcriptor *Chronici*, ad Dextri, Maximi, Juliani, Hauberti commenta ſtipanda, ne perpluerent in lucem producti & Pſeudo-Hauberto ſubjuncti à Gregorio Argaizio Benedictino. Madrit. 1667. fol. quod ab ipſis ſagacioribus Hiſpanis exploditur, ut nomina-

tim

tim à Nic. Antonio Tomo I. Bibl. Hiſpan. vet. pag. 210. 316. 400. &c. Fabric. l. c. tomo IV. pag. 806.

GREGORII VII. DICTATUS Propoſitiones quædam, ſeu Effata nullatenus inter ſe cohærentia, nullâque temporis notâ conſignata, Gregorii VII. Regeſto inſerta ſunt inter Epiſtolam LV. libri ſecundi, & Epiſtolam LVI. cum quibus nullam etiam habent connexionem. Illam farraginem Gregorii VII. *Dictatum* inſcriptam Baronius refert ad VII. Synodum Romanam ab eo, hoc anno celebratam, ſed nullius auctoris teſtimonio, imò nec probabili ratione fultus. Quare Bellarminus & Labbeus in lib. de Script. Eccleſiaſt. Gregorii VII. Opera recenſentes ejus tantùm Epiſtolarum mentionem faciunt, quòd viderint, utì exiſtimo, nullum Auctorem coævum aut ſupparem hujus *Dictatûs* meminiſſe, aut eum ei adſcripſiſſe; nullum ex ejus adverſariis de illo quæſtionem adversùs ipſum moviſſe, quod certè præſtitiſſent, & imprimis *Benno* ille maledicentiſſimus Pſeudo-Cardinalis, & atrociſſimus calumniator: denique nusquam Gregorium ipſum in ſuis Epiſtolis *Dictatum* laudâſſe aut vindicâſſe, ut aliàs ſua Decreta, ac Propoſitionum adeò ſingularium, plerumque nempe nullum in ejus Regeſto veſtigium extare. Articuli illi numero ſunt XXVII, quos jam aliqui Viri docti confutârunt, & nuper Natalis Alexander in Parte II. Sec. XI. & XII. Diſſert. III. In articulo XXIII, ut cæteros omittam, dicitur, *quòd Romanus Pontifex, ſi canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus teſtante ſancto Ennodio Papienſi Epiſcopo, ei multis ſanctis Patribus faventibus, ſicut in Decretis B. Papæ Symmachi continetur.* De Pontificalis Officii ſanctitate, non de perſonali ſanctimonia loquitur Ennodius in Apologetico contra Symmachi Papæ adverſarios, qui Donum etiam ac Privilegium impunè peccandi tribui ironicè dicebant. *Non nos*, inquit, *B. Petrum, ſicut dicitis, à Domino cum Sedis Privilegiis, vel Succeſſores ejus, peccandi judicamus licentiam ſuſcepiſſe. Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros. Quod illi conceſſum eſt pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par converſationis ſplendor illuminat. Quis enim Sanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ à loci Deceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eliguntur, illuſtrat.* Verùm Auctor Dictatûs de vitæ ſanctitate loqui videtur, & Decretum illud inventum ab inimicis hujus ſancti Pontificis, doctioris ac ſapientioris, quàm ut ſimilem propoſitionem, aliáſque in eo Dictatu contentas literis mandârit. Hæc verbatim ex Antonii Pagii Critica Hiſtorico-Chronologica in Annales C. Baronii tomo IV. ad an. 1077. num. VIII. pag. 265. col. 1.

PSEUDO-ALCUINUS. Quis ille confictus Alcuinus? *Calvinus*, ſi neſcis. Is enim exigua literarum metatheſi *Alcuini* nomen initio per ſummam fraudem & impoſturam uſurpavit, & tractatulis quibusdam ſuis fallaciſſimè præſcripſit. Vid. Henr. Caniſ. in antiq. lect. Poſſev. in Appar. Raynaud. de bon. & mal. libris.

LUDOVICUS BLOSIUS, Abbas Lœtienſis, *Speculum Monachorum* ſub nomine *Dacryani* anno 1538. in 4. edidit Lovanii typis Bartholomæi Grævii. Nomen verò *Dacryanus* ſonat *Lacrymatorem*, quia Bloſius pius & verus Lacrymator, Jeremiam agens aut Heraclitum, ſub larvato nomine *Dacryani*, corruptos monaſticæ vitæ ſuo ſeculo mores religioſis viris non ſine gemitu, tanquam in *Speculo* ſpectandos ad emendationem aut emundotionem exponit. Hujus verò ſubſtituendi nominis Bloſium duas cauſas, humilitatem & prudentiam habuiſſe Operum ipſius editores teſtantur, quos vide art. VI. in Præfat. Sapienter Antonius Winghius Abbas Lœtienſis advertit, nec novum, neque mirum eſſe, ut inſignes Auctores ſub alieno nomine aliquando deliteſcant. Sic olim, inquit, eximius & pius Scriptor ſuo devotarum Contemplationum libro IDIOTÆ nomen impoſuit. Sic illuſtris Eccleſiæ Pater SALVIANUS Maſſilienſis, aureis illis *ad Eccleſiam Catholicam libris Timothei* ſeu *divinæ gloriæ Zelatoris* nomen dedit: ſic alii non pauci; ut temerarium ſit illicò alienos fœtus credere, ubi alienum nomen aſpexeris. Falſus eſt Antonius Poſſevinus in Appar. tom. 1. p. 178. ubi *Dacryanum* pro vero auctore habuit, cùm tamen ſit perſonatus. Non minùs erravit Margarinus de la Bigne Dacryanum in ſuo Indice Chronologico referens ad Seculum VIII. Vid. Theoph. Rayn. de mal. & bon. lib. pag. 137. Guil. Cav. Cartophyl. Eccl. pag. 417, Card. Bona

na in Notitia Auctorum præmiſſa Pſalmod. div. in v Lud. Bloſius.

LUPI SERVATI PRESBYTERI MOGUNTINENSIS *Liber & collectaneum de tribus quæſtionibus*, de libero arbitrio, de prædeſtinatione bonorum & malorum, & de ſanguine Chriſti pro omnibus effuſo, ut omnes vult ſalvos Deus, quamquàm culpa propria non omnes ſalventur. Titulus commentitius, quem Gilbertus Mauguinus Pariſ. 1650. 4. in parte altera tomi primi Scriptorum Seculi IX. de prædeſtinatione & gratia præfixit. Verus auctor habetur Lupus Servatus Abbas Monaſterii S. Petri, quod Bethleem ſive Ferrarias dicitur in diœceſi Galliæ Senonenſi, qui an. 849. hoc Collectaneum ſcripſit.

DEMOSTHENES. Quis iſte fuit *Demoſthenes*? Epiſtolâ noua inter Gerberti, poſtea *Sylveſtri II.* Pont. Max. epiſtolas hæc leguntur: *Demoſthenes Philoſophus librum edidit, qui inſcribitur Ophtalmicus, ejus principium ſi habetis, habeamus, ſimúlque finem Ciceronis pro Deiotaro.* Poſtulat Gerbertus ſibi mitti illud principium. *Demoſthenis* meminit hujus etiam Epiſt. CXXX. ſuſpicatur autem Barthius Adverſ. lib. 42. col. 1889. fictum nomen eſſe Monachi alicujus temporum ſubruentium. Cùm enim, inquit, vetitum iis eſſet talibus ſtudere, qui ſcribebant aliquid operoſius, veterum cujuslibet nomen illi indebant, ut prodeſſent cupidis vel alieno nomine. Sic natos puto non paucos eorum ſcriptorum, qui antiquitatem altiorem mentiti deprehenduntur.

GUILHELMUS GIFFORDIUS ſub nomine *Guilielmi Roſſæi* Autor à Scavenio perhibetur eſſe Operis *De juſta Reipublicæ Chriſtianæ in Reges impios & hæreticos animadverſione, juſtiſſimáque Catholicorum ad Henricum Navarræum, & quemcunque hæreticum à Regno Galliæ repellendum, confœderatione. Antwerp.* 1592. *in* 8. At enim Scavenium vero authori larvam non detraxiſſe, ex eo conſpicuum fit, quòd alii hoc Opus *Genebrardo*, alii *Bouchero*, alii *Reginaldo* adſcribant, cui ultimo etiam Pitſeus adſcribit, ſed invitis Jeſuitis, qui *Roſſæum* ſibi tanquam ſuum objici indignantur. Quid ergo Benedictini illum ſibi adoptari ferant? Quis deinde prudens animum inducat, ut Gallos eo usque Giffordio, regiæ dignitatis hoſti, faviſſe credat, ut illum ad ſublimem Archiepiſcopi Remenſis dignitatem eveherent, primúmque Franciæ Parem crearent, qui tamen Genebrardum Aquenſi Sede pepulerunt, quòd ex ſuggeſtu in Henricum Navarræum verbis invectus fuiſſet? Non hæc hujusmodi præmia Giffordio decreta fuiſſent, ſi dicti Operis author extitiſſet.

PIUS COSTA Cœnobii Panormitani S. Martini Abbas vitam religioſiſſimè actam cum morte comutavit an. 1697. Edidit ſub nomine *D. Prudentii Amadaſpi: Vita, e Miracoli di S. Chriſtoforo Martire Apoſtolo della Licea, cavata da molti Scrittori, Greci, Latini, Caldei e Arabi.* id eſt: *Vita & Miracula S. Chriſtophori Martyris Apoſtoli Lyciæ, deprompta ex multis Scriptoribus Græcis, Latinis, Caldæis, & Arabibus.* Venetiis apud Pezzanam an. 1680.

Item ſub nomine PETRI PROPONI: *Vita e Miracoli del S. Onofrio Anacoreta, Rè di Perſia, Potentiſſimo Principe tra l' eletti appo Dio.* id eſt: *Vita & Miracula S. Onuphrii Anachoretæ, Regis Perſiæ, Potentiſſimi Principis intra electos apud Deum.* Panormi apud Carolum Adanum an. 1681. in 4.

Item ſub nomine D. PETRI CORSARI PATAVINI: *Le Vittorie delle Fenici Penanti, ovverò l' Anime tormentate nel fuoco del Purgatorio, diviſe in cinque libri.* Id eſt: *Victoriæ Phœnicum pœnas luentium*, ſeu *Animæ afflictæ pœnis in igne purgatorio &c. diviſæ in quinque libros.* Panormi apud Dominicum Anſelmum an. 1684. in 4. Auctor vir erat doctrinâ & laude clarus; at morum integritate, immò monaſticæ perfectionis longè clariſſimus. Vid. Mongitore Bibl. Sic. part. 2. p. 183.

BERNARDUS ISIPONTANUS, qui Irruptionem Bavaricam in Tirolim an. 1703. à Gallis & Bavaris factam libris tribus in 12. vulgavit, eſt *Bernardus Pezius*, veteres enim *Ipſium*, Auſtriæ Inferioris civitatem, Bernardi patriam, *Pontem Iſidis* vocare conſueverant.

ORATIUS MELLITUS, qui Epiſtolas Apologeticas pro Ordine S. Benedicti à Bernardo Pezio ſcriptas notis & obſervationibus illuſtravit, eſt ipſe Bernardus Pezius.

EULOGIUS ABBAS EUROPOLITANUS, cujus Epiſtola *de Autore Curæ Salutis* ad Bernardum Pezium ſcripta inter Epiſtolas Apologeticas pro Ord. S. B. legitur, eſt Benedictus Abelzhauſer, Abbas Seitenſtettenſis in Auſtria Infer. an. 1717. in ſenectute bona ac meritis plenus defunctus.

Inco-

Incognitus Author Commentarii in Pſalmos, qui vulgò *Michaëli de Ayguanis*, Carmelitæ, tribuitur, verus eſſe perhibetur *Petrus Berchorius*, ſcriptis vindiciis à *Michaële Ximenio Baranconé*. Vide ſuprà vitam Berchorii.

Hunibaldus de Francis eſt totus ex mendaciis compoſitus, cujus figmentorum Philippus Cluverius Trithemium auctorem immeritò facit, cùm eadem pene fabularum portenta apud complures antiquorum, Sigebertum Gemblacenſem, Epitomatorem Gregorii Turonenſis, alioſque magno conſenſu, etſi non eò ordine nec tanto verborum apparatu inveniantur. Vid. Herm. Conring. in Exercit. Academ. 7. Theſ. 4. fin. pag. 329. Placc. de Scriptor. Pſeudon. pag. 290.

Joannes Mabillonius (*) de immodico cultu Sanctorum, qui è cœmeteriis Romanis in Galliæ partes ſuo tempore afferebantur, diſſertatoriam Epiſtolam Cardinali Colorедo nuncupatam ſcripſerat; ſed antequam in publicum exire juſſerat, à Cardinali eam legi voluit. Is licèt *plenam eruditionis ac pietatis Literam* dilaudâſſet, in literis tamen ad Mabillonium datis eas difficultates propoſuit, ex quibus huic facilè ſuboluit, Epiſtolam non omnibus Romæ eſſe placituram. Unde larvam *Euſebii Romani* aſſumſit, prout ipſe nos his verbis docet: (**) „ Huc ſpectat *Epiſtola Euſebii Romani ad Theophilum Gallum* ab annis ſex edita, cujus quidem me auctorem eſſe haudquaquam diffiteor. „ Hanc verò ſub alieno nomine vulgare mihi viſum eſt, non quaſi me ejus auctorem profiteri ſuppuderet; ſed quia honeſtiùs & modeſtiùs videretur nomen diſſimulare meum, „ ne aperta ac directa fronte eos impetere viderer, quibus fortè hæc epiſtola diſplicitura eſſet. Etſi enim neminem lædere, aut convitiari hac lucubratiuncula permaximè cuperem; lubricum tamen & invidioſum eſſe argumentum haud neſciebam. Quod ſanè tractandum minimè unquam aggreſſus eſſem, niſi me ſincerum ſanctioris diſciplinæ ſtudium, & propenſa in Romanam Eccleſiam reverentia ad id audendum impuliſſet. Etſi verò huic epiſtolæ alienum præfixerim nomen, „ nihil hac in re peccatum à me puto „ contra regulas ſacroſancti Concilii „ Tridentini. Sufficit quippe, ut verum auctorem agnoſcat librorum „ cenſor, vel magiſtratus, qui imprimendi facultatem concedit, quod „ quidem in hujus epiſtolæ editione „ à me obſervatum eſt. „ .

Mauguinus Præſes Curiæ Monetarum librum an. 1650. Pariſiis in 4. vulgavit, cujus titulus *La defenſe de la Prédeſtination & de la grace*; ejus verus author dicitur eſſe *Robertus Quatremaires* è Congr. S. Mauri. Vide le Cerf in Bibl. Hiſtor. Crit. pag. 422.

Merlinus Coccaius, id eſt, Theophilus Folengus è Congr. Caſin. Monachus & Theologus luci publicæ exhibuit Venet. 1564. in 8. *Opus Macoronicorum* cum epiſtolis & Epigrammatis. De ipſo præter alios quàm plures Freherus in Theatro virorum eruditione clarorum pag. 449. „ Ad „ Latinas deinde Muſas tunc refloreſcentes converſus, cùm aſſiduus „ Virgilii concivis ſui volveret opus, „ ejuſque venuſtatem exprimere conaretur, ruri intra ſolitudines aliquamdiu abditus, Opus novo dicendi „ lepore jucundum condidit, quo amœno Carmine Romanis & Hetruſcis vocibus interdum ruſticis variato, non neglectè metri harmonia „ jocosè aliorum facta perſtrinxit. „ Poëma id tanquam rude & ruſticum *Maccoroneam* appellavit: ſunt „ enim Macarones buccellæ ex farina, „ ovis, & caſeo factæ, quæ inter „ menſæ delicias agreſtibus habentur. „ Edidit autem id Poëma ſub nomine „ *Merlini Coccai*. „ Poëma lepidum, feſtivum, ingenioſum, ſed Monacho & Theologo haud ſatis dignum.

Albertus Corbantinus vocari voluit *Benedictus Guidus* Abbas è Congr. Caſin. complurium ſucceſſivè monaſteriorum, Orationem typis vulgando, quam habuit ad Juſtinianum Præfectum, claſsiſque Venetæ Legatos, quæ incipit: *Magno meo dolore* &c. Vid. Poſſev. Appar. pag. 219.

Baptista de Reviere perſonatus eſt auctor, à quo in lucem emiſſæ fuerunt Vindiciæ editionis Operum S. Auguſtini

(*) Vid. Opp. poſth. lib. 3. pag. 305.
(**) l. c. pag. 210.

ſtini à Benedictinis adornatæ, adverſùs epiſtolam Abbatis Germani, Romæ 1699. & poſtmodùm in Gallia recuſæ. Verus auctor eſt V. C. *Bernardus Montfauconius* è Congr. S. Mauri, qui Italico in itinere ſuo conſtitutus ſub larvato nomine eas publico exhibuit. Benedictini in Gallia dnce *Thoma Blampino* Opera S. Augnſtini typis exſcribenda dederant. Qui verò eorundem gloriæ minùs favebant, iis doluit hæc editio. Unde in publicum protruſa fuit epiſtola, neſcio cujus larvati Abbatis Germani, qui nulli religioni ſibi duxit, Benedictinam editionem Janſeniſmi poſtulare. Hæc epiſtola multas dedit turbas, quæ paucis enarrari non poſſunt. Inter alios, qui eandem confutârunt, etiam fuit doctiſſimus Montfauconius, cui Eminentiſſimus Cardinalis Cantelmus animos addidit, quàm ægerrimè ferens illorum malignum livorem, qui laudatiſſimam hanc, numeriſque omnibus perfectam editionem traducere non vererentur. Vide plura apud le Cerf in Bibl. Hiſt. Crit.

HONORIUS PHILOPONUS eſt CASPAR PLAUTIUS Abbas Seittenſtadienſis in Auſtria, qui Hiſtoriam Americanæ Miſſionis D. Buellii Abbatis Montis Serrati, typis mandavit fol. an. 1521.

RIGBERIUS, ſub quo nomine latere voluiſſe P. Gabrielem Gerberon notat Bailletus des Auteurs deguiſez p. 438. & 849. & ex eo le Cerf Bibl. Hiſt. Crit. p. 259. Anno enim 1673. Bruxellis Acta *Marii Mercatoris* in vol. in 12. cum ſuccinctis juxtà ac judicioſis notis vulgavit. Unde Bailletus dicit, quòd parvus *Rigberius* vaſtum P. Garnier Jeſuitæ volumen, amplis quidem, ſed inutilibus notis conſtipatum abſumpſerit. In parvo iſto libello, quod P. Gerberon luci publicæ expoſuit, continentur memorabilia contra Julianum, traductio ſeu verſio ſermonis Theodori Mopſueſtini, unà cum ejusdem prologo, duæ literæ contra Neſtorium, & Tractatus cujusdam Hiſtorici. Elias Dupinius notas Gerberonii Garnerianis præfert; etſi enim non ſint tam prolixæ, utiles tamen & prudentes exiſtunt. Nihiloſeciùs utriusque editionem judicat eſſe defectuoſam: nam illa Garnerii non tam Marii Mercatoris editio eſt, quàm grandis Commentarius in Hiſtoriam Pelagii & Neſtorii: hæc verò Patris Gerberon exiguam tantùm partem Operum Marii Mercatoris exhibet: accedit, quòd neuter editorum ad fidem manuſcriptorum Codicum editionem ſuam ſatis accurârit. V. Du Pin Nonvel. Bibl. des Auteurs Eccl. Tom. IV. p. 57. Melior editio eſt *Stephani Baluzii* Pariſ. anno 1684. in 8.

JOANNES GASPAR BERRETA, Italus, Mediolanenſis è Congr. Caſin. publicus in Ticinenſi Univerſitate Profeſſor, plura Opera vel ſub alienis, vel ſub confictis nominibus evulgavit, in quibus nomen ſuum abſcondit, obſtinato nimium, ſed tamen irrito latendi propoſito, ubique ſervato. A Ludovico Antonio Muratorio, qui ejus *Diſſertationem Chorographicam de Italia Medii Ævi* Tomo XII. Scriptorum Rerum Italicarum inſeruit, vocatus Vir non minùs antiqua eruditione, quàm judicio critico ſummè commendandus, ſummè accuratus, & cui bene ſanguis calet in venis. Vix me compeſcere poſſum, pergit Cl. Muratorius, quin ejus nomen prodam; ſed mihi timeo, & præſtat obtemperare homini famam ſpernenti, unúmque in iſta lucubratione quærenti, hoc eſt, ut argumento ſibi tradito ſatisfaciat, & Literariæ Reipublicæ profit. Armell. Bibl. Caſin. part. 2. p. 41.

COELESTINUS SFONDRATUS, Italus, Mediolanenſis Marchio, Abbas, & Princeps San-Gallenſis, ac S. R. E. Cardinalis authoritatem Innocentii XI. Summi Pontificis contra Ludovicum XIV. Regem Galliarum defendit, ac ſub nomine EUGENII LOMBARDI Regale *Sacerdotium* typis vulgavit.

BARACHIÆ SCUTENSIS, id eſt, *Benedicti Bacchini* Diſſertatio ad nodum Prædeſtinationis Cardinalis Sfondrati. Armell. part. 1. pag. 81.

ALEANDRI DESIDERII SICANENSIS, id eſt, *Alderani Deſiderii Caſinenſis* Monachi, & inſignis Mathematici Opera Aſtronomica, de quibus Armell. part. 1. pag. 2.

CLAUDIUS DE VERT, monachus Cluniacenſis, antiquæ obſervantiæ ſub nomine *F. Columbani* oppugnavit non modò Joannis Mabillonii Tractatum de Studiis Monaſticis, ſed in operis etiam autorem verbis inofficioſis, ac ſodali parùm dignis invehi non erubuit.

GILBERTUS GENEBRARDUS dicitur author eſſe libri de juſta Reipublicæ Chriſtianæ in Reges impios & hæreticos animadverſione, qui ſub nomine *Gulielmi Roſſæi* divulgatus fuit. Sed hanc fibulam hæretici Genebrardo pro

immani odio, quo ipſum propter Catholicæ fidei ſtudium proſecuti fuerunt, temerè affinxerunt.

EUSEBIUS CARLYMMÆSCIN eſt *Anſelmus Schramb* Chronographus & Bibliothecarius Mellicenſis, qui ſub perſonato illo nomine *Antilogiam* pro Ordine S. B. contra *Auguſtinum Erath* Can. Reg. O. S. A. edidit an. 1715.

DOMINI DE BOISFRANC, *Abbas Commendatarius*, Pars 1.

DOMINI DE FROTMOND, *Abbas Commendatarius*, Pars 2. Coloniæ an. 1673. & 1674. Primæ partis author perhibetur eſſe *Franciſcus Delfau*, ſecundæ *Gabriel Gerberon*, ambo è Congr. S. Mauri. *V. le Cerf p.* 93.

Il y a certains Livres Anonymes, dont il ſeroit bien agréable de ſavoir les Auteurs: par exemple, celui des *Avantures de Pomponius*, dont la Clef eſt imprimée en Hollande, & ſe vend ſous le manteau. L'Auteur eſt *Benedictin*, comme l'a fort bien remarqué le Pere *Niceron*. On m'aſſure, que c'etoit D. F. D. P. Des Gens, au Fait de l'Hiſtoire des Livres de cette Societé, en avoient ſoupçonné le P. L. mais je ne doute, que ce ne ſoit le premier indique. *V. Voyage Litteraire pag.* 168.

ROMUALDI RICCOBALDI Apologia Diarii Italici *P. Bernardi Montfauconii* contra Obſervationes *Franciſci Ficoroni*. Italicè Venetiis an. 1710. *Riccobaldus* in fronte libri Monachus Caſinenſis fuiſſe dicitur; ſed gratis: cùm revera hæc Apologia authorem habuerit *Paulum Alexandrum Maffeium*, Equitem S. Stephani, à ſingulari eruditione per omnium ora commendatum. Plura & explicatiùs Tomo ſequenti.

§. III.

Alii Benedictini, qui in Eruditorum Societates adlecti varia nomina tulerunt.

NOtius eſt, quàm ut multis explicari debeat; nullam eſſe in Europa regionem aut provinciam, in qua plures Eruditorum Societates inſtitutæ fuerint, atque Italiam. Paucæ verò ſunt, in quibus non mira quædam nomina, atque adeò, ſi dicere fas eſt, nominum portenta Sociis imponantur. Quia verò etiam complures ex Congregatione Caſinenſi Benedictini propter ſingularem ingenii ac doctrinæ excellentiam in varias id genus Societates ab Eruditis Italis cooptati fuerunt, eorum nomina non neſcire juvat.

ANGELUS GRYLLUS, Abbas Parmæ, ac totius Sacræ Congregationis quater Præſes præter aliarum virtutum copiam nobiliſſimis etiam optimarum literarum ſtudiis emicabat. Unde Academiæ omnes per Italiam florentiſſimæ, eruditionis ejus famâ compulſæ, ut refert Janus Nicius Erithreus Pinacotheca 1. imagin. 131. pag. 237. glorioſum ſibi fore putabant, ſi Gryllum ſibi poſſent adjungere, Romana præſertim *Humoriſtarum* (quam ipſe Gryllus, dum eſſet Abbas S. Pauli unà cum Paulo Mancino Patritio Romano, aliiſque doctiſſimis viris inſtituerat) tantum homini tribuit, ut eum Principem ſibi delegerit, ac deinde mortuum celeberrimo funere ac lugubri pompa proſequuta ſit, ejúſque imaginem manu egregii Pictoris, Equitis nempe Joſephi Arpinatis in tabula expreſſam, aureóque ſerto redimitam, inter illuſtrium Academicorum Icones in magna Aula collocaverit.

ANGELUS à NUCE Abbas Caſinenſis & Archiepiſcopus Roſſanenſis in Calabria, fuit in limine ipſiusmet Fundationis celebris Academiæ *Arcadum* Romæ, anno ſcilicet 1691. omnium votis inter ipſos cooptatus, attributo nomine *Hiſmenii Laugiani*, eíque paulò poſt defuncto ſolemniter parentârunt, erecto ſcilicet, publico decreto, in ejus honorem lapide à Cl. Prælato Marcello Severoli, & in nemore Palatino (quò convenire ad literarias exercitationes tunc ſolebant) pulcherrimâ ecloga è Leonardo Gerardo in ejus laudem recitatâ, in qua plurimum commendatur, non ſolùm à doctrina & eruditione, ſed etiam pietate in Deum, cultu Religionis, exacta cuſtodia Monaſtici Inſtituti, amore evangelicæ paupertatis, charitate erga egenos, aliiſque virtutibus regulari Præſule, & Epiſcopo dignis. Vid. Armell. l. c. pag. 38.

ANTONIUS MARIA COTONUS, celeberrimus Eccleſiaſtes inſigniores totâ Italiâ ſuggeſtus aſcendit, nempe Genuæ, Parmæ, Bononiæ, Venetiis, Romæ, Melitæ, aliiſque in locis. Fuit variis Academiis Senis, Romæ, alibíque adſcriptus. In Academia Senenſi *Intronatorum* cognominari meruit *il Fecondo*. Vid. Armell. l. c. p. 52.

AUGUSTINUS LAMPUGNANUS, nobilis Mediolanenſis, atque alumnus Mona-

ſterii S. Simpliciani ejusdem urbis ad dignitatem Abbatis in Congregatione Caſinenſi evectus fuit. Eum celebriores per Italiam Academiæ, Veneta *Incognitorum*, Brixienſis *Errantium*, Bononienſis *Indomitorum*, Genuenſis *Dormitantium*, aliæque inter ſocios certatim cooptârunt, cùm præter doctrinam, morum etiam comitate, candore, & affabilitate omnes in ſui amorem & benevolentiam alliceret. In Academia *Indomitorum* nomen *Fugitivi* obtinuit. Vid. Armell. l. c. p. 62.

HIERONYMUS RAYNERIUS Monachus Parmenſis in cœnobio S. Jo. Evangeliſtæ Poëticam artem coluit circa finem elapſi Seculi XVII. quamobrem Romanæ Academiæ, ea tempeſtate florentes, *Infœcundorum* nimirùm, ubi cognomen ſibi ſumpſit *l' Inaridito*, & *degl' Intrecciati*, ſuorum albo eum adjunxerunt, in quibus Raynerius ingenii ſui haud ſemel ſpecimen dedit. Vid. Armell. l. c. p. 220.

HIPPOLYTUS A' VIGILIIS in Appulia, familia de Berarduccis Monachus in S. Severini Monaſterio Neapoli, tum Abbas, ac poſtremò Epiſcopus Caſertanus, anno 1695. rebus humanis exemptus. Vir fœcundo ac prompto ingenio præditus, non modò ſcholaſticis, ſed humanioribus etiam literis excultus, Philoſophiam ac Theologiam plures annos docuit, ac *Otioſorum* Academiam, aliàs Neapoli valdè celebrem inſigniter promovit, auxítque. Quòd verò nomen ſibi aſciverit, non lego apud Armellinum l. c. p. 229.

LACTANTIUS STELLA nobilis Brixianus, monachus primùm ac tum Abbas Monaſterii SS. Fauſtini & Jovitæ, Vir fuit in literarum ſtudiis egregius, celebríſque Academiæ *Errantium* in Brixiana Urbe inſtitutor, multa proſa ac verſu compoſuit, quæ ab Armellino part. 2. pag. 64. recenſentur. In laudata verò *Errantium* Academia Academicus *Fiſſus* vocari volebat.

ANONYMUS *Caſinenſis*, neſcio in quam Academiam cooptatus, nomen tulit Academici *Inquieti*. Recognovit verò, & auxit librum utiliſſimum, & erudiſſimum, cui titulus: *Teſoro delle gioie &c. raccolto dall' Academico Ardente etereo, riviſto & accreſciuto dall' Academico Caſinenſe* Inquieto. id eſt: *Theſaurus gemmarum &c. collectus ab Academico Ardente, Ethereo, recognitus verò & locupletatus ab Academico Caſinenſe Inquieto.*

Idem Academicus INQUIETUS hoc aliud opuſculum edidit; *Diſcorſo nuovo in Materia del gran Cometa, che ſi vede dal principio del Novembre di queſt' anno* 1618. *compoſto per l' Academico Caſſinenſe, detto* l' Inquieto, *con la dichiarazione della Grandezza, e ſue qualità, è delli ſuoi prodigj in 4. Venezia appreſſo Antonio Turini*, 1619. id eſt: *Diſcurſus novus in materia magni Cometæ, qui ſe ineunte menſe Novembri bujus anni* 1618. *videndum præbuit, compoſitus per Academicum Caſſinenſem, dictum Inquietum, cum declaratione magnitudinis, qualitatis, ejúsque prodigiorum in 4.to Venetiis apud Antonium Turinum an.* 1619.

ANSELMUS PAIOLUS, Ferrarienſis, in Monaſterio S. Benedicti ipſius urbis Ferrariæ Profeſſus, omnibus doctrinarum diſciplinis inſtructiſſimus fuit. Unde Academici *Infœcundi*, qui Romæ floruerunt, eum ſibi ſodalem adlegerunt; quod nomen verò ipſi impoſuerint, me fugit. Fuit verò per antiphraſin *infœcundus*, ut qui & multos & præſtantes ingenii ſui fœtus in lucem edidit, de quibus vid. Abbas Armell. part. 1. pag. 50.

HIERONYMUS BENDANDUS, Abbas S. Benedicti Ferrariæ, & S. Vitalis Ravennæ, in Bononienſi Gymnaſio annis omninò duodecim Theologiam publicè docuit, eo ſanè plauſu, ut inſigni Elogio, marmoreis tabulis conſignato, ejus virtus celebraretur, ibíque ſacræ Inquiſitionis Conſultor, & Librorum Cenſor, rem Catholicam egregiè promovit. Ab Academicis *Indomitis* in ſocietatem adlectus *Aſſicurato* vocatus fuit. Vide plura apud Armell. part. 1. pag. 209.

JOANNES BAPTISTA BECCIUS, Abbas Monaſterii Aretini in concinnandis Anagrammatibus mirè excelluit. In Academia Romana, vulgò *degl' Intrecciati*, quæ præcedenti ſeculo decimo ſeptimo ibidem floruit, cuíque Beccius adſcriptus fuit, quod nomen ſortitus fuerit, non reticerem, ſi in promptu eſſet liber, cui titulus: *Faſti dell' Academia degl' Intrecciati* &c. in Roma 1673. Fuit etiam aggregatus inter Academicos *Concordes Ravennates*; ſed nomen ei impoſitum pariter me fugit, cùm ad manum non ſit horum Academicorum Catalogus, cujus meminit Armellinus part. 2. pag. 21.

JAON-

JOANNES BAPTISTA DE MIRO, Præſes Sac. Congreg. Caſinenſis, omni ſcientiarum genere ornatiſſimus in Romana Arcadum Academia, in quam erat cooptatus, *Meonis Laſionii* nomine cenſebatur. Scripſit Eclogam Græcam in laudem *Alnani Melki*, Academici Arcadis, id eſt, *Joannis Franciſci* Cardinalis Albani, qui poſteà in Pontificem Maximum electus Clemens XI. vocatus fuit. Vid. Armell. l. c. pag. 29.

PETRUS PAULUS GINANNI, nobilis Ravennas, Theologiæ ac Juris Pontificii Profeſſor perdoctus, de Muſis æquè, ac de Hiſtoriis benè mereri ſategit, adſcriptus proinde in Patria Academicis *Concordibus*, *Informibus*, & *Excitatis*. Nomen expreſſum non lego in Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi part. 2. pag. 131.

PIUS MUTIUS poſtquam varias in Congregatione Caſin. Abbatias adminiſtravit, iis ſe abdicavit, ut privatus Deo, ac ſtudiis deinceps viveret. Puerili adhuc ætate præmaturam ſtudiis operam dedit, & vix quinquennis Grammaticam, ſeptennis autem Rhetoricam artem ita callebat, ut Orationes, Carmina, & alia id genus cunctis admirantibus, ac plaudentibus publicè recitaret. Mediolani, & Patavii ſcholaſticis Facultatibus operam dedit; Papiæ deinde in Academia *Affidatorum*, & in aliis Italiæ celebrioribus, quibus certatim adſcriptus fuit, doctis ingenii fœtibus, omnium commendationem promeruit. Nomina ab Academicis ipſi impoſita ſilentio involvit Armellinus part. 2. pag. 145.

PLACIDUS PUCINELLUS ſanctæ Mariæ de Florentia Alumnus, Mediolani plures annos commoratus, Principiſque Trivultii amicitia, ac familiaritate uſus, & inter Academicos *Faticoſos* ſub nomine *Inſatiabilis* admiſſus, multa compoſuit, typiſque tradidit, de quibus vid. Armell. l. c. part. 2. pag. 153. ſeqq.

FINIS.

APPENDIX

Scriptorum in noſtro Catalogo Capite VI. omiſſorum, cum quibusdam additamentis & correcturis.

HOc Volumine tumultuariâ, quam tanto Operi ſatis expoliendo longè impar anguſti temporis brevitas permiſit, curâ retractato typisque exſcripto, ad manus meas venit inſigne Opus Doctiſſimi Abbatis CALMETI ſub tit. *Bibiotheque Lorraine, ou Hiſtoire det hommet illuſtret, qui ont fleuri en Lorraine dans les troit Evechét, dans l' Archevechê de Trevet; dant le Duchê de Luxembourg &c.* Nanceii A. 1751. editum, in quo cùm plures ex Otdine Benedictino compareant Sctiptores, quorum nulla priùs nobis ſuppetebat notitia, ſupplementi loco hanc Appendicem eorum, qui in noſtro Indice deſiderantur alphabeticâ Prænominum ſerie ibidem obſervatâ digeſtam placuit ſubnectere, non quòd Lectori velim eatenùs adblandiri, ut exiſtimet omnia, quæ hanc in rem cogi poſſunt, me coacervâſſe, lacunásque omnes & hiatus impleviſſe, ſed ut aliquale ſaltem Viris ſtudioſis commodum adferrem, atque novi & accuratioris Operis fundamenta ſubſternerē, quibns deinde liceat Erudito cuipiam pinquiori otio utenti ampliorem ſuperſtrnere molem, cœptísque noſtris colophonem addere. Tu interim, *Lector candide!* hunc qualemcunqne laborem æqui boníque conſule, atque ad Opus magis exornandum tuas ſymbolas & ſuppetias benevolè ſubmitte.

A.

ADALBERTUS ſeu *Adelbertus* S. Vincentii Metenſis Cœnobita & Scholarum Præfectus *in omni ſcientiarum genere doctiſſimur* effulſit circa A. 958. Scripſit *Chronicon Metenſe*, & alia quædam. *Vid. Trithemius Chron. Hirſaug. Tom. I. pag.* 100. Calmet *Bibl. Lor. col. 6.*

Albericur SORLET S. Michaëlis Lotharingiæ Cœnobii Monachus 19. Decembris 1630. Profeſſus, mortales exuvias poſuit inBellilocenſiAſceterio 3. Maji 1678. Hiſtoriam ſcripſit Abbatiæ vulgò dictæ, *Nesle la Repoſte*; quam Franciæ antiquiſſimam, atque ab ipſomet *Clodovæo* primo Rege Chriſtiano fundatam eſſe contendit. Vid. *Calmet cit. loc. pag.* 906.

Albertus aliàs *Johannes* BELIN ortu Veſontionenſis, in Favemeienſi Cœnobio 29. Decembr. 1629. Profeſſus, poſt abſoluta ſtudia in Galliam miſſus, apud Cluniacenſes aliquamdiu ſubſtitit, factus deinde Prior Collegii Pariſienſis, variísq; alibi functus officiis, demùm Bellinenſis Epiſcopus anno 1666. à Rege renunciatus, vivere deſiit A, 1677. Scripſit Gallicè 1. *De Lapide Philoſophico.* 2. *De Iconibus Taliſmannicis*, quas à ſuperſtitione vindicat. 3. *De Pulvere Sympathetico.* 4. *De ejusdem Projectione.* 5. *Iter Philoſophi incogniti.* Quæ Opuſcula Pariſiis impreſſa prodiêre A. 1653... 6. *Principia fidei per rationem demonſtrata*, Pariſiis 1658. & 1667. in 4... 6. *Emblemata Evchariſtica in* 12. 1647. & 1660... 8. *Cogitationes animæ ad benè agendum.* Patiſ. 1668. in 12. Et alia quædam gallico idiomate... *Calmet pag.* 102. *ſeq.*

ALBERTUS de quo Calmet pag. 31. Vide *Adelbertus* S.ti Mathiæ Tteviris in noſtro Indice pag. 537.

ALEXANDER S. Bartholomæi de Carpineto in Epiſcopatu Pinnenſi Monachus circa A. 1192. clarus, Poſteris conſignavit *Chronicon ſui Cœnobii*, quod in Ughelli Italia ſacra legitur Tom. X. pag. 350. editionis ſecundæ.

Alexius la PIED ortu Metenſis, in S. Agarici Vetodunenſi Cœnobio 24. Junii 1636. Profeſſus, vitæ periodum clauſit 26. Sept. 1661. Poſteris reliquit *Tractatum de Uſu Paſſionum*, cujus autographum in Altivillarienſi Monaſterio adſervatur. *Calmet ſuppl. Bibl. Lorr. pag.* 73.

Ambroſius COLLIN Barroducæus in S. Leopoldi Nanceienſi Cœnobio 15. Maji 1729. Profeſſus, Theologiam in S. Michaëlis ad Moſam aliquamdiu docuit, variásque animadverſiones & collectiones in SS. Patres, præſertim in *Epiphanium* adornavit. A *Calmeto* ſub A. 1745. ad Senonenſe Monaſterium accitus, ut præſideret Academiæ Religioſorum à ſe erectæ, Jus Canonicum, & Theologiam Dogmaticam ibidem junioribus tradidit, & comentarios in quinque Libros Decretalium compoſuit. Varia etiam condidit Poemata, videlicet:

1. *In*

1. *In nuptias Franciſci à Lotharingio & Thereſiæ Auſtriacæ Epigrammata* 1736... 2. *Sereniſſimi Principis Eugenii à Sabaudia Tumulus.* 1736... 3. *In Barroducatûs ceſſionem, Diſtycho.* 4. *Caroli VI. Tumulus.* 5. *Genethliacon Ser.*^mi *Principis Joſephi à Lotharingia Archiducis Auſtriæ.* 6. *Carolus Alexonder à Lotharingia præmaturus & invictus Heros*, heroico carmine. 7. *In nuptias Caroli à Lotharingia & Mariæ Auſtriacæ.* 8. *Epitre preſentée à Modame la Princeſſe Charlotte ſur ſon depart de Lorraine.* 9. *Ode ſur le retabliſſement de la ſanté du Roy, imprimée a Toul* 1744. 10. *Fable & Epigramme ſur l' election de l' Empereur Francois* 1... 11. *Franciſco à Lotharingia Romanorum Imperatori electo, Epigrammota.* 12. *Vers ſur la mort de Modame de Châtelet*, 1749... *Calmet Bibl. Lor. p.* 296.

Ambroſius MENGIN S. Vitoni Veroduni Cœnobita A. 1660. die 26. Auguſti Profeſſus, variis deinceps admotus muniis, ſtudio tuendi Ordinis decus & Benedictini nominis gloriam maximè enituit. Dum Metis in S. Symphoriano Prioris officium gereret, prolixum quoddam ſcriptum juridicum protulit, quo inflatam Abbatiſſarum S. Petri & S. Mariæ Mediomatricum præſumptionem, ob aſſumptum *Canoniſſarum* titulum, ſuppreſſo nomine *Benedictino*, egregiè revincit. Multa hac in cauſa cum laude præſtitit, & conſcripſit, inter quæ eminet Opus hoc titulo inſignitum. *Inventaire des Titres & autres documens, qui ſervent a prouver, que les Abbeſſes de ſainte Marie & de S. Piere de Metz ſont fondées pour l' Ordre de S. Benoit, & que l' Abbaye de S. Symphorien de la même ville & du même Ordre, a droit de juridiction ſpirituelle ſur l' une & ſur l' autre.* Evictâ denique causâ in pace quievit in S. Arnulphi Monaſterio die 16. April. 1714... *Calmet Bibl. Lor. col.* 654. *& in ſuppl. col.* 52.

Ambroſius MERCIER Dolenſis, Luxovii 27. Maji A. 1653. O. S. B. Profeſſus, Virtute & Doctrinâ magnum ſibi peperit nomen. Philoſophiam & Theologiam aliquamdiu docuit, primáſque functiones in ſua Congregatione exercuit, denatus Prior Luxovienſis 29. Januarii 1702. In ſcriptis reliquit *Theologiam ad mentem SS. Gregorii, Anſelmi & Bernardi à ſe concinnatam*, quæ Luxovii MS. adſervatur, publicâ luce digna. *Calmet in Suppl. Bibl. col.* 54.

Ambroſius PELLETIER Lotharingus 7. Sept. A. 1703. natus, Ordinem S. Benedicti in S. Vitoni Congregatione amplexus eſt 22. Sept. A. 1721. factus deinde Senonenſis Parochus A. 1740. Artem pictoriam ipſe ſuo genio didicit, hodiéque inter illuſtres ejus Provinciæ Miniculatores & Pictores efflorefcit, *Eleemoſinarii* titulo à Rege *Stanislao* honoratus. Ingentem ille Iconum copiam confecit, è quibus eminet *Stemmatographia nobilitatis Lotharingicæ à Seculo XIV.* ad noſtram usque ætatem diducta. Quædam è ſuis artefactis *Carolo à Lotharingia*, & *Stanislao* Regi, aliſque Magnatibus dicavit, apud Artis peritos plauſum promeritus. *Vid. Calmet Bibl. Lor. pag.* 721.

ANDREAS S. Emmerami Ratisbonæ Monachus, quem *Trithemius* inter Scriptores Hiſtoricos, quos in condendo Hirſaugienſi Chronico ſecutus eſt, commemorat in Præfatione.

Andreas ROYER in S. Michaëlis Lotharingiæ Cœnobio 30. Novembris Profeſſus, Pariſiis ſtudia in Cluniacenſi Collegio ſub *Athanaſio Mongin* abſolvit, variis deinceps tum in Congregatione Lotharingica, cùm in Sant Mauriana admotus Officiis. Plurima ſubinde ab iis, qui ſtrictiori Obſervantiæ obluctabantur, indigna perpeſſus, obiit 13. Octobris 1662. Opuſcula quædam aſcetica publico dedit, è quibus maximè probatur: *Animéues*, ubi ſub veræ hiſtoriæ allegoria, Divini erga animam Chriſtianam amoris effectus repræſentantur... *Remis* 1627. in 12. Ejus quædam Epiſtolæ adſervantur in Archivo Senonenſi... *Calmet Bibl. pag.* 847. *ſeq.*

Anſelmus ROLLE in S. Vitoni Monaſterio Veroduni 23. Maji 1612. Profeſſus, deinde ſtrictioris Obſervantiæ ſtudio Congregationem S. Mauri ingreſſus, varia cum laude munia obivit, vitâ functus Burdigalæ 14. Aug. 1627. Primus eſt è Scriptoribus Congregationis S. Mauri, qui aliquid publico dedit. Ipſus nonnulla evulgavit Opuſcula S. P. *Benedicto* perperàm adſcripta, cum notis & animadverſionibus à ſe adnexis. *Colmet cit. loc. pag.* 835.

ANSTÆUS Gorzienſis in Lotharingia Abbas circa an. 945. electus, vir in Scripturis oppidò verſatus & eloquens, ac cumprimis in architectura excellens vivere deſiit anno 960. relictis, ut fertur, aliquot ingenii monumentis, quæ interciderunt, aut latent incognita. *Calmet Bibl. pag.* 55.

Antoninus JACQUET in S. Manſueti Tulli Leucorum Cœnobio 5. Octobr. 1616. O. S. B. amplexus, magnæ vir prudentiæ & pietatis, per omnes ſuperioritatis gradus cum honore tranſiit, Præſidens generalis electus anno 1635, introductâ in Gandenſi S. Petri apud Belgas Cœnobio reformatione maximè commendatus, Opuſculum conſcripſit aſceticum ſub tit. *Solitudo Gandenſis.* Inde

redux ad S. Michaëlis Monaſterium, vitæ periodum clauſit A. 1659. In literas prætereà retulit *Acta Domni Petri Freminet* ejusdem loci Monachi 1628. die 21. Novembris denati. *Calmet pag.* 538.

Antonius L'ARCHER in S. Agarici Verodunenſis Monaſterio O. S. B. Profeſſus, Philoſophiam & Theologiam cum plauſu docuit, variis deinceps admotus officiis, Præſes obiit in Argonnia 26. Octobris 1737. Poſteris duo reliquit Opuſcula oppido docta his titulis: 1. *Critique du livre de la Promotion Phyſique.* 2. *Les Caracteres de la Charitè*... Cit. pag. 561.

Antonius L'ESCAILLE ortu Barroducæus, in Mediano Monaſterio O.S.B. die 7. Novembr. 1617. Profeſſus, quùm inſigni diſciplinæ ſervandæ ferveret ſtudio, rerúmque gerundarum peritiâ excelleret, Romam aliquoties in arduis quibusdam negotiis miſſus fuit. Strenuam ille navavit operam pro Libris *de Imitatione* Abbati *Gerſonio* vindicandis, utì fuſiùs enarrat *Calmetus* in Bibl. Lothar. pluribus hanc in cauſam additis documentis à pag. 572. ad 582.

ANTONIUS Senonenſis Abbas ineunte Seculo XII. percelebris, cujus ſumâ laudatur doctrina, & augendæ rei librariæ cura, ſed avara vetuſtas nihil ab eo ad nos transmiſit, præter narrationem eorum, quæ in Dedicatione Eccleſiæ Senonenſis Monaſterii anno 1124. peracta ſunt. *Vid. Calmet Hiſt. Lothar. Tom. II. pag. 292. & Bibl. col. 56.*

Arſenius ALVIZET Veſontionenſis Favernei 21. Maji 1644. O. S. B. Profeſſus, vivere deſiit 19. Martii 1598. *Commentarium in Regulam S. Benedicti* MS. reliquit, in quo nimiam ipſius acrimoniam reprehendit *Calmetus Bibliothecæ Lothar. pag.* 42.

Auguſtinus DORNBLÜET Gengenbacenſis, indefeſſi vir laboris, cujus hi ſunt fructus: 1. *Hiſtoriæ Univerſalis Auguſtini Calmet in linguam Germanicam verſio,* quæ prelum exſpectat. 2. *Ejusdem Commentarii in Reg. S. Bened. translatio vernacula, Tom. II. in* 4... 3. *Obſervationes pro bona verſione, unâ cum Criticâ* Gottſchedii, *quem linguæ teutonicæ corruptorem eſſe contendit.* 4. *Translatio novi Martyrologii Romani Benedicti XIV.* in qua enormes Heſſeri errores correxit. 5. Opuſculi *R. P. Morel* è Congregatione S. Mauri ſub titulo: *Bonheur d' un ſimple religieux qui aime ſon etat*, verſio teutonica... 6. *Opus Sermonum* P. Segaud S. J. Concionatoris regii vernacule redditum, *Auguſtæ* ſub Jeſuitarum gemit cenſura. 7. *Sermones Quadrageſimales* D.ni Laſitau *Epiſcopi Sciterenſis, cum ejusdem Exercitiis pro ſecularibus.* 8. *Verſio inſignis Operis* P. Felicis à S. Joſepho *Carmelitæ diſcalc.* ſub tit: *Science du Chretien.* 9. *Concionum* R. P. Bretonneau S. J. *Germanica verſio.* 10. *Meditationes P. Neveu* 1736. *editæ.* 11. *Boſſueti elucidationes orationum Miſſæ, vernaculè*, Auguſtæ 1739. 12. Meditationes P. Neuville S. J. ſub tit. *Sittenlehre des neuen Teſtaments*, cum Libris *de Imitatione Chriſti* noviter à ſe translatis, *Francofurti* 1748... 13. *Praxis Regulæ S. Benedicti*, ibidem 1749... 14. *Vita Abbatis de Rancè Trappenſis Reformatoris. Auguſtæ* 1752... 15. Ejusdem *Tractatus de Sanctitate & obligationibus vitæ Monaſticæ* ibidem 1750... 16. *Ejusdem Exhortationes*, Auguſtæ 1750... 17. *Commentarius ejusdem in Regulam S. Benedicti*, ibidem 1753... 18. R. P. Bougeant S. J. *Catechiſmus triplex, Hiſtoricus, dogmaticus & practicus*... 19. Calmet *von Geiſtern und Vampirn* cujus tertia jam facta editio... 20. *Seelig ſterbender Geiſt. P. Belecii S. J.* Auguſtæ 1750... 21. *Hæfteni via regia Crucis* vernaculè ibid. 1752... 22. *Anleuthung zum Chriſtlichen Leben*, à ſe compoſitum ibidem 1751... 23. *Nothwendige Vernunffs-Schluß von der wahren Religion* ibid. 1751. Et alia quædam nobis ignota... Vivit in ſuo Monaſterio continuis laboribus literariis intentus A. 1754. Faxit diu!

Auguſtinus FANGE Lotharingus doctiſſimi Abbatis Calmeti nepos, & ejus in Senonenſi Abbatia Coadjutor anno 1728. Profeſſus Theologiam & Philoſophiam cum laude docuit, & *Tractatum conſcripſit de Sacramentis in genere & in ſpecie* prelo paratum. Iter ſuum Helveticum de an. 1748. typis Einſidlenſibus exſcribendum dedit. Nunc *Vindobonenſe* ſeu *Danubianum* anni 1753. deſcribit... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 360.

B.

B*Artholomæus* CLAUDON Belliloci in Argonnia XI. Martii 1639. O. S. B. Profeſſus, variis in Congregatione S. Vitoni functus officiis, in odore Sanctitatis obiit 2. Maji 1693. Poſteris conſignavit: 1. *Hiſtoriam Senonenſis Monaſterii monumentis & Diplomatibus ſtipatam.* 2. *Diſſertationem quandam de juribus ejusdem Abbatiæ.* 3. *Epiſtolas ad diverſos in gravibus cauſis.* 4. Alia quædam Boſonis villæ incendio anno 1683. abſumpta... *Calmet Bibl. pag.* 281.

Bar-

Bartholomæus REMION in Michaëlis Lotharingiæ Cœnobio die 2. Januarii 1663. vitam amplexus monaſticam, rebus gerendis maximè idoneus, magnis negotiis deinceps eſt adhibitus. Domina de Guiſe ei curam ſui chartophylacii concredidit, & honorificam penſionem ob merita eidem teſtamento addixit. Prinris munus in S. Michaëlis Monaſterio ab A. 1690. ſomma cum laude nec minori fructu ſuſtinuit: Varia etiam conſcripſit ſynthemata circa negotia ſibi demandata. In extremis ſorditate afflictus obiit 18. Sept. 1708... *Cit. pag.* 800.

Baſilius PAYEN Luxovii 29. Julii 1697. O. S. B. Profeſſus, Philoſophiam & Theologiam diverſis in Cœnobiis docuit, variáque munia cum laude ſuſtinuit, ac erudita quædam ingenii monumenta Poſteris conſignavit, videlicet: 1. *Apparatum in omnes Auctores ſacros veteris & novi Teſtamenti.* 2. *Apparatum in Scriptores Eccleſiaſticos quatuor priorum Eccleſiæ Seculorum.* 3. *Antidotum ſalutiferum adversùs Queſnelianam doctrinam.* 4. *Bibliothecam Sequanam.* 5. *Commentarios ad Hiſtoriam Virorum illuſtrium Comitatûs Burgundiæ*, & alia MSS. *Calmet pag.* 719.

Benedicta à Paſſione, aliàs *Breſmia* Rembervillerenſis Abbatiſſa, rebus geſtis & ſcriptis inclyta, cum fama ſanctitatis adSuperos evocata migravit 24. Octobr. A. 1668. Ejus elogium hiſtoricum edidit *Maria de Blemur* Pariſiis 1679. Plura in ejus laudem commemorat Calmetus in Bibl. Lothar. pag. 712.

Benedictus ALVIZET, de quo Calmet ibidem pag. 42. Vide *Virginius Alvizet* in noſtro Indice p. 635.

Benedictus DARD Veſontionenſis ortu, Luxovii die 20. Januarii 1658. vitam amplexus monaſticam, plures Novitios Magiſtri munere clarus docuit & formavit, Scriptis quibusdam Opuſculis aſceticis in uſum Tyronum, & Inſtructorum, qui uberes inde fructus hodiéqne colligunt. Vitæ periodum clauſit 9. Maji 1707... *Calmet Bibl. pag.* 321.

Benedictus DEHM Divi Ethonis in Brisgoja Monaſterii Cœnobita benè doctus, in Philoſophicis & Mathematicis diſciplinis potiſſimùm verſatus, aliquot ejus commatis Tractatus ad prelum elucubravit, pluréſqne promittit,

queis ſe quoque poſſit
Tollere humo, victórque Virûm volitare per ora.

Benedictus HENRIET Verodunenſis Mediani in Vogeſo Monaſterii Alumnus anno 1617. die 15. Auguſti Profeſſus, diverſas in Congregatione functiones honorificè explevit, denatus in S. Manſueti Aſceterio 25. Decembris 1657. In ſcriptis reliquit. 1. *Inſignem Apparatum ad Hiſtoriam Congregationis Lotharingicæ.* 2. *Rhetoricam Latinam.* 3. *Scripta quædam Theologica*, & alia in Altivillarienſi Monaſterio adſervata... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 488. *ſeq.*

Benedictus D'ORGAIN ſeu *Organi* Lotharingus, in Dei cuſtodiæ Monaſterio inter Anglos Ord. S. B. amplexus, apud S. Maclovium Prioris officium anno 1624. cum laude ſuſtinuit, ſcripſitque Gallicè pios quosdam libellos, videlicet: 1. *Breviarium devotionis.* 2. *Diurnale precationum.* 3. *Inſtructiones Chriſtianas.* 4. *Vitas Sanctorum O. S. B.* &c... *Maihew in Trophæis Bened. tab.* 3. *pag.* 386.

Benedictus SINSART Senonenſi in Cœnobio die 7. Septembr. A. 1716. Profeſſus, nunc Mauri, Monaſterii in Alſatia Abbas digniſſimus ab anno 1745. præfectus, inter alia ſuæ eruditionis ſpecimina edidit: *Tractatum de gratia*, ſub tit: *Les veritables de S. Auguſtin ſur la grace, & ſon accord, avec la liberté*, Rotomagi 1739. 2. *Defenſedu dogme chatolique ſur E'ternite des peines...* Ibidem 1748... 3. *La verité de la religion Catholique...* Argentinæ an. 1746... 4. *Eſſai ſur l'accord de la foy & de la raiſon touchant l'Eucbariſtie* Coloniæ an. 1748... *Calmet Bibl. Lor. p.* 900. & *in noſtro Indice p.* 628.

BENEDICTUS Weſſoſontanus Abbas, Grammaticus, Poëta, Matbematicus & Scriptor inſignis, *Adelberonis* nepotis S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi inſtructor, obiit A. 943. V. Idus Novembr. Supereſt ejus Calendarium à *Cœleſtino Leuthner* in Append. ad Chrnnicon Weſſofontanum editum, ubi plura de Authore pag. 64.

BENNO Abbas incerti nobis Loci & temporis, ſcripſit quamdam Suevorum Hiſtoriam, quâ uſus eſt Trithemius in concinnando Hirſaugienſi Chronico, ut ipſe fatetur in Præfatione.

Bernardus GRANT S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ Profeſſus, & in Erfurtenſi Academia Philoſophiæ Profeſſor, veſtigiis *Andreæ Gordon* inhærens Tnmum ſecundum Phyſicæ experimentalis ab eo conſcriptum, ſed nb præmaturam mortem imperfectum, retractavit, perfecit, & edidit A. 1753. plura pollicetur præclari ingenii Vir.

Bernardus MARECHAL Veroduni in S. Agarici Monaſterio die 26. Junii 1721.

1721. Profeſſus, publico dedit inſigne Opus de Concordantia Patrum Græcorum & Latinorum in rebus fidei, morum & diſciplinæ hoc rubro: *Concordance de ſaints Peres de l' Egliſe grecque & latine ſur le dogme, la Morale & la diſcipline...* Pariſ. 1739. Vol.II. in 4. *Calmet Bibl. pag.* 631.

BERTRANDUS Hirsfeldenſis Monachus incertæ ætatis, cujus ſcriptis in adornando Hirſaugienſi Chronico ſe uſum fuiſſe gratus agnoſcit *Trithemius* in Præfatione Operi præfixâ ſub finem.

C.

Carolus CHARDON in S. Vitoni Cœnobio 3. Julii 1712. Profeſſus, Vir in linguis Orientalibus, ſolidioribúſque ſtudiis verſatiſſimus, edidit Tractatum inſignem de Origine & uſu rituum in adminiſtratione Sacramentorum hoc tit: *Hiſtoire des Sacremens, ou de la maniere dont ils etoient celebrés & adminiſtrés dans l' Egliſe, & de l' uſage, qu'on en a fait depuis les Apôtres jusqu' a preſent...* Pariſiis 1745... *Calmet Bibl. pag.* 263.

Carolus CRETOT Veroduni in S. Vitoni Aſceterio die 29. Aug. 1685. Profeſſus Philoſophiam & Theologiam docuit, primáſque functiones in ſua Congregatione cum laude exercuit, obſervantiæ ſtudio, & morum concinnitate oppidò commendatus, obiit in Muſſionenſi B. Mariæ Cœnobio 30. Junii 1743. Latinè compoſuit *Hiſtoricam relationem funeſti illius incendii*, quod Monaſterium S. Vincentii Metis A. 1705. die 25. & 29. Auguſti abſumpſit. Alia ejus ingenii monumenta manſerunt inedita. Unius fragmentum ſatis prolixum attulit D. P. *Munier* in Hiſt. reform. Lothar. pag. 795. Tom. IV. *Calmet ſuppl. Bibl. Lor. pag.* 14.

Carolus de GONDRECOURT ex nobili genere ſatus in S. Michaëlis Aſceterio Monachum induit 20. Martii 1623. Variis deinceps admotus officiis, dierum & meritorum ſatur mortales exuvias poſuit 10. Jan. 1678. Typis dedit Acta D. Caroli de Durre hoc tit: *Remarques ſur la vie, & la conduite de Meſſire Charles durre, Chevalier Seigneur de Theſſieres, & Conſeiller de ſon Alteſſe Charles III. duc de Lorraine, & de Madame Marie de Marcoſſey ſon épouſe, Jeanne & Mabaut Durre ſes ſœurs, Dames D' Epinal, & de ſainte Gloſſinde de Metz. Tulli Leucorum* 1690. in 8. Inſignes quoque Commentarios de rebus & Statu Senonenſis Abbatiæ an. 1653. literis conſignavit. *Vid. Calmet pag.* 426.

Carolus de BAR Barroducæus in S. Apri Tullenſi Monaſterio 28. Maji 1683. Profeſſus, in Mediani Monaſterii Academia ſtudiis operam dedit, dein Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſuras in Senonenſi Cœnobio cum laude ſuſtinuit. Abbas demùm Longævillæ an. 1710. electus, omnibus charus vivere deſiit 9. Aug. 1718. Varia elucubravit Opuſcula, quæ manſerunt inedita, videlicet: *Vindiciæ Diplomatum Abbatiæ Remirici Montis à Franciſco de Rozieres editorum, & ab Abbate Riguet falſi poſtulatorum.* 2. *Diſſertatio de Antiquitate punctorum vocalium.* 3. *Lettres ſur des pierres Canelées, qui ſe trouvent dans les champs & les vignes auxenvirons de l' Abbaye de Longeville, & que quelquesuns ont pries pour d'anciennes Mounoyes.* 4. *Eloge funebre de Meſſire Dom Matthieu Galliot Abbaté de S. Avold*, editum 1709. in 4... *Calmet pag.* 78.

Claudius FRANÇOIS Pariſienſis, in S. Vitoni Lotharingiæ Monaſterio 21. Martii an. 1589. Profeſſus, primas in ſua Congregatione dignitates cum laude tenuit, duodecies Præſidis munere functus, & ad Caſinenſes pro diſcenda regulari eorum praxi deputatus, ac etiam in Gallias ad diſciplinæ reformationem invehendam miſſus, meritorum gloriâ inclytus, obiit in S. Michaelis Monaſterio die x. Auguſt. 1632. ætatis 73. Statuta ipſe condidit Congregationis Lotharingicæ, in quibus Articulus de ſtudiis oppidò memorabilis occurrit: *On erigera, aux frais de la Congregation, un Monaſtere dans la ville de Pont-a-Mouſſon, pour entretenir les jeunes Religieux propres a l' Etude, ſous des ſuperieurs, qui prendront ſoin de leur conduite, tant pour les mœurs, que pour ce qui regarde les etudes* &c. Exortâ A. 1625. controverſiâ de quinquennali Superiorum regimine, duo ipſe ſcripta hac de re compoſuit, quibus contendit *Quinquennium* poſſe prorogari, ubi neceſſitas vel utilitas id exigit. Multas quidem oppoſitiones in ſuis moliminibus ſuſtinuit, ſed patientiâ & morum integritate victor adverſa quæquæ ſuperavit. *Vide Calmet Bibl. pag.* 386. *ſeqq.*

Claudius Hydulphus BRENIER Faverneienſis Abbas XXVII. cui Luxovium eſſe naturæ, Faverneium gratiæ dedit A. 1608. Ex vix novitio Magiſter, ſed magnus, quia potens opere & ſermone, verbo & exemplo, ſuis imò omnibus

bus præfuit & profuit ſemper. Ex Magiſtro Prior, ſed major, quia prodeſſe maluit quàm præeſſe. Ex Priore Coadjutor, ſed maximus, quia unus ſuſtinuit onus, & feliciter ex Coadjutore Abbas meritiſſimus, re & nomine Monachorum pauperúmque Pater; qui primus, imò ſolus inter plures reformationem ſuſcepit, auxit, fovit Seculo æquè ac Clauſtro venerandus; Huic Religionis ſpeculum, illi Sanctitatis exemplum. Utilis omnibus, vivere debuiſſet ſemper; ſed Parca nemini parcens, nec huic pepercit, qui in Capitulo generali generalis Præſes electus, rediens in Sant-Michaëli obiit anno MDCLXII. die 18. Maji ſacrâ Chriſto aſcendenti, cui comitem dedit animam, ſicut in cruce dederat patienti, ætatis 73. Scripta quædam Theologica & Aſcetica Poſteris reliquit. *Ex ejus Epitaphio & Calmeto Bibl. Lor. pag.* 499.

Claudius PAQUIN è Congregatione S. Vitoni Monachus perdiligens noſtra ætate conſpicuus, vitam conſcripſit *R. P. Nicolai Maillot* Avunculi ſui, ejúſque Opera in unum ſedulò comportavit, propitiore lucinâ typis exſcribenda. *Vid. Calmet Suppl. p.* 47.

Claudius RICQUECHIER Doctor Sorbonnicus, Commerciaci natus, Divi Benedicti leges in S. Apri Tullenſi Monaſterio amplexus eſt, ſervando gregi Prioris nomine A. 1595. Præfectus; quo in munere ſtrenuè laboravit pro regularis diſciplinæ reformatione, & ſtudiorum Monaſticorum inſtauratione, variis hunc in finem conſcriptis libellis. Claruit ad A. 1620. *Calmet Bibl. Suppl. pag.* 86. *ſeq.*

Claudius SENOQUE Veroduni natus à teneris vitæ annis Religionem in Altivillarienſi Monaſterio die 2. Junii 1636. Profeſſus, zelo pietatis ac ſalutis animarum maximè enituit; Monaſterium S. Mauri Virdunenſis diu ſummâ cum prudentia & ſedulitate rexit; diſciplinæ regularis illibatæ conſervandæ ac rei literariæ provehendæ zelantiſſimus, omnibus amabilis, in ſuis oculis ſemper humilis, & neſciri cupidus, tandem rebus bene geſtis in odore ſanctitatis ad plures abiit 12. Aug. 1669. relictis aliquot ſui ingénii monumentis.. *Calmet Bibl. Suppl. pag.* 91.

CONON Abbas S. Vitoni Veroduni præfuit ab anno circiter 1146. ad 1178. Ejus rogatu Eugenius III. Pont. Max. Verodunum profectus, Monaſterium S. Vitoni inviſit, hujusque Epiſcopi ſacrum Corpus in novo ſarcophago repoſuit. Celebrato deinde Remis concilio A. 1147. præſente *Eugenio* interfuit Conon, ſingulari à ſummo Pontifice affectus honore. Ab eo ſuperat Epiſtola ad *Bertham* Lotharingiæ Duciſſam Matthæi I. conjugem... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 299. *ſeq.*

Conradus POZZO Monachus & Chronographus Weſſoſontanus ineunte Seculo XIII. ſub *Conrado* II. Abbate XX. clarus, ſupra modum allaboràſſe dicitur, *ut literarum cultui exiſtimationem conciliaret, eumque inter Sodales ſuos propagaret.* Ipſus *Epitomen Chronicam* ab anno 1195. usque ad 1227. pertexuit. Leguntur in hac epitome, quæ per Imperium Romanum eo tempore geſta ſunt. *Stephanus Leopolder* ejusdem loci Monachus eam in antiquo lectionario pulcherrimè deſcripſit. *Vid. Cæleſtini Leutbner Hiſt. Monaſt. Weſſofont. pag.* 253. *§. VII.*

CONSTANTINUS S. Symphoriani Metenſis Abbas, cui *Albertus* ejus loci Monachus ſuum Opus *de diverſitate temporum* inſcripſit. Benedictione Abbatiali ab *Alberone II.* donatus, hujus Præſulis Acta in literas retulit, edita à *Labbeo* in Bibliotheca manuſcriptorum pag. 970. Rexit Abbatiam per annos fere viginti, denatus 1024... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 300.

CONSTANTINUS Herivallenſis in vogeſis Monaſterii è Remirico monte milliario diſſiti Prior circa A. 1228. clarus, ſcripſit *Hiſtoriam fundationis hujus Cœnobii, & de Regula ibidem primitùs obſervatâ.* Vide Calmeti *Hiſt. Lor. Tom.* 3. *pag.* 270. *& Bibl. pag.* 300.

Conſtantius GUILLOT in S. Vincentii Veſontionenſi Abbatia 10. Junii Profeſſus, Viſitatoris munere aliiſque functus officiis, obiit Favernei die 26. Januarii 1730. Condidit *Chronicon Monaſterii S. Vincentii Veſontionenſis*, quod manuſcriptum ibidem adſervatur... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 34.

D.

DANIEL Wintonienſis Epiſcopus, apud Anglosaxones natus, ſplendorem generis alioqui illuſtrem doctrinæ & pietatis lumine illuſtriorem reddidit. *Maidulphi* Hiberni, & S. *Aldelmi* diſcipulus extitit, abſolutóque ſtudiorum curſu, *Aldelmo* conterraneo ſuo inſeparabiliter adhæſit, & cum eo propter morum ſimilitudinem, & omnium diſciplinarum æqualitatem indiſſolubile contraxit amicitiæ vinculum, ita quidem, ut Epiſcopatus Wintonienſis, qui usque ad id temporis nonniſi unicum agno-

agnoverat Epiſcopum, jam in duas ſedes diviſus hos duos, tamquam animis unum, ſimul ſuſceperit Epiſcopos. Defuncto *Adelmo* multo tempore ſuperſtes fuit, atque ut vivacem ſenectam ſancto conſummaret otio, Epiſcopatu abdicato *Melduni* ſeu *Malmesburiæ* Monaſticen, quam in juventute cum *Aldelmo* amplexus fuerat, ad extremum exercuit, denatus A. 746. Ejus Opera ſunt: 1. *De Rebus geſtis Auſtralium Saxonum Liber unus.* 2. *Hiſtoria ſuæ Provinciæ.* 3. *De Inſula Veeta Liber unus.* 4. *Vita S. Ceddæ Epiſcopi.* 5. *De Obitu S. Aldelmi Liber unus.* 6. *Epiſtolæ ad Sanctimoniales.* 7. *Catechefis pro inſtituendis infidelibus ad S. Bonifacium Germaniæ Apoſtolum*, edita à Baronio Tom. 9. ad A. 724... 8. *Epiſtolæ ad eundem, & Commendatitiæ in favorem ipſius ad Gregorium II. Pap. &c.* de quibus *Pitſeus, Harpesfeldius* & *Eduardus Maihew in Tropheis tab.* 3. *pag.* 105. *ſeqq.*

DEUSDEDIT aliis *Theodatus* & *Adeodatus* Cantuarienſis Archiepiſcopus, ad A. 665. conſpicuus, quem Benedictinis Scriptoribus accenſent *Pitſeus* & *Eduardus Moihew*, eúmque multa eruditè ſcripſiſſe tradunt, quæ vetuſtas obliteravit. In confeſſo tamen eſt Opus Poſteris reliquiſſe, *de ſuis Prædeceſſoribus Archiepiſcopis Cantuarienſibus.* Fuſiùs de eo agit Maihew 14. Julii, & tab. 3. pag. 38.

DIEDERICUS aliis *Theodericus* Hersfeldenſis Monaſterii Cœnobita doctiſſimus, qui nonnulla ingenii ſui monumenta *de S. Benedicto* elaborata *Richardo* Abbati Fuldenſi Amerbacenſis Monaſterii Fundatori inſcripta voluit, vitâ functus circa A. 1039. *Vid. Bollandiſtæ ad diem XXI. Martii pag.* 300. & in noſtro Indice pag. 631, art. *Theodericus Hersfeldenſis.*

E.

EBERWINUS Sigebergenſis Hiſtoricus, cujus ſcriptis ſe uſum fuiſſe in condendo Hirſaugienſi Chronico perhibet Trithemius in Præfatione, ſed quo tempore vixerit, non indicat; *Auctorum verò*, inquit, *de quibus auxilium habui, iſta ſunt nomina: ... Eberwinus Monachus Segenbergenſis &c.*

Edwardus MAIHEW gente Anglus, Dintonii in Comitatu Wiltonienſi non longè à Sarisberia è nobilibus ortus Parentibus, Catholicè & piè educatus, duodennis à Patre Remos, inde Verodunum, ac denique Romam ad ſtudia miſſus eſt. Factus Sacerdos A. ætatis 24. in Angliam rediit. Ubi poſtquam in vinea Domini xii. annis magnâ diligentiâ, nec minore cum fructu deſudâſſet, habitum S. Benedicti in Weſtmonaſterienſi Monaſterio ſuſcepit, & Congregationi Anglicanæ à R.do P. *Seberto* unico ejus Cœnobii ſuperſtite Monacho A. 1607. die 21. Novembris ſolito ritu aggregatus eſt. Exacto in Anglia Sexennio A. 1613. in Lotharingiam ad Monaſterium S. Laurentii *de Dei cuſtodia* vulgò *Dieulward* ſe contulit, eíque *Prioris* munere per octo circiter annos magno cum fructu præfuit. Vivebat adhuc A. 1625. ætatis 54. Scripſit Anglicè, 1. *Tractatum de Fundamentis veteris & novæ Religionis;* qui in lucem prodiit 1608... 2. *Tractatui Guillielmi Craſhaw* de Romanis Scriptorum adulterationibus, *Reſponſum oppoſuit priori Operi annexum.* 3. *Manuale ſive ritum baptizandi, aliáque Sacramenta adminiſtrandi*, notis illuſtravit & edidit. 4. *Librum Precum & Meditationum* typis dedit Duaci 1613. 5. *Tropheæ Congregationis Anglicanæ O. S. B. tribus tabulis ſeu potiùs Libris comprehenſa* edidit Remis apud *Nicolaum Conſtant.* A. 1625. in 4. Prelo autem parata tunc temporis habebat, *Replicam ad Richardum Fieldum de fundamentis veteris & novæ Religionis... Reſponſionem ad Concionem Guillielmi Craſhaw, quâ viginti vulnera Romanæ Eccleſiæ imputavit... Reſponſum ad ejusdem libellum:* Evangelium Jeſuitarum... *Tractatum de Definitione & notis Eccleſiæ... Summam doctrinæ de Symbolo Apoſtolorum & de Sacramentis...* Ex ipſomet Authore Tab. III. pag. 387. vide ſupra in Indice pag. 565. & Part. IV. pag. 605, ubi Author noſter corrigendus.

Elias PEREULE in S. Vincentii Veſontionenſi Cœnobio O. S. B. 22. Julii 1615. amplexus, obiit 19. April. 1667. Opuſculum publico dedit aſceticum ſub Tit: *Mariage de l' Agneau celeſte avec ſainte Gertrude* 1641. in 8... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 722.

ENGELBERTUS S. Mathiæ Treviris Monachus & Scholaſticus, ac demùm Abbas, *Vir*, Trithemii elogio, *tam in Divinis Scripturis, quàm in ſeculari Philoſophia doctiſſimus, ingenio promptus & diſertus eloquio, metro ſimul exercitatus & proſâ*, ſcripſit inter alia, *Vitam & Paſſiones XII. Apoſtolorum* metricè Libris XII... *De Muſica & proportionibus Libr. I... De Compoſitione Monochordi Libr. I. &c.* Obiit xii. Cal. Maji circa A. 987. Ejus Epitaphium exhibet Calmetus ex Trithemii Chronico Hirſaug. Tom. I. pag. 130.

ENGEL-

Engelhardus Incerti nobis loci Abbas, à quo vita B. Mæthildis in Dyezzen conſcripta extat in Weſſofontana Bavariæ Bibliotheca, *Stephani Leopolder* manu elegantiſſimè deſcripta, uti memorat *Cæleſtinus Leuthner* in Hiſt. Weſſof. pag. 389.

F.

FAuſtus Labbe' in S. Vincentii apud Veſontionenſes Cœnobio 2. Febr. 1673. Profeſſus, vivere deſiit Luxovii 8. Junii 1727. Conſcripſit *Hiſtoriam Abbatiæ Luxovienſis Libr. X.* Illuſtrandis quioque aliorum Ord. S. Bened. Monaſteriorum Comitatûs Burgundiæ Hiſtoriis plurimùm inſudavit. *Dictionarium Biblicum* duobus Voluminibus complexus eſt... *Calmet Bibl. Lorr. pag.* 553.

Fiacrius de Rey S. Michaëlis ad Moſam A. 1624. Profeſſus, Novitiorum Magiſtri & Parochi functus muniis, zelo Apoſtolico maximè commendatus obiit xi. Maji 1644. Opuſculum reliquit aſceticum ſub Tit: *Traité de l' exacte obſervance des petites choſes en la Religion...* *Cit. Suppl. pag.* 86.

Franciſcus George Lunævillæ A. 1717. natus, in Senonenſi Cœnobio vitam amplexus eſt monaſticam die 14. Decembr. 1734. Philoſophiam & Matheſin actn docebat A. 1750. in valle S. Gregorii, novâ planè & inſolitâ utens methodo, quam ipſe propitiori Lncinâ publico exponet. Naturæ curioſa quædam jam aliquot Diſſertaionibus ſumo cum plauſu illuſtravit, de quibus fusè *Calmetus* in Supplemento ad Bibliothecam Lotharingiæ, pag. 27. Sed enim,

Magna licèt laus ſit, natura inquirere vires:
Major in hoc ipſum munere nôſſe Deum.

Franciſcus Jobal Lotharingus O. S. B. in S. Michaëlis Aſceterio A. 1661. Profeſſus, Prioris officium cum laude geſſit in Metenſi S. Vincentii Cœnobio, ubi mortales exuvias poſuit 28. Januarii 1723. In ſcriptis reliquit: 1. *Commentarium literalem in Pſalmos.* 2. *Reflexiones in vitam S. Benedicti.* 3. *Animadverſiones in Epiſtolas & Evangelia per annum.* 4. *Exhortationes pias*, & alia. *Calmet pag.* 546.

Franciſcus Massu Congregationis S. Vitoni Cœnobita benè doctus A. 1696. Profeſſus vivere deſiit in animarum cura diſtentus 7. Martii 1739. Edidit *Meditationes in ſingulos anni dies* Nan-

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

ceii 1717. Tom. II. in 8. Ingentem quoque Adverſariorum congeriem comportaverat ad aliud grande Opus inſcriptum: *Lotharingia Chriſtiana &c.* Cit. pag. 645.

Fridolinus Kopp Murenſis Abbatiæ Monachus literis noſtro ævo clarus, protulit *Vindicias Actorum Murenſium pro & contra R. P. Marquardum Hergott* San-Blaſianum... *Muri* 1750. in 4.

Frotarius Tullenſis Epiſcopns, in Gorzienſi Monaſterio à teneris educatus, in S. Apri Cœnobio Ord. S. B. amplexus, ibíque pro meritis Abbas electus, ad Epiſcopalem denique Cathedram evectus eſt A. 813. Interfuit Thionisvillæ Synodo A. 821. Vivere deſiit 22. Maji 848. Ab eo ſuperant Epiſtolæ quædam ad diverſos in *Quercetani* Hiſtoria Franciæ Tom. II. p. 712. & ſeqq. relatæ... *Vid. Calmet Bibl. p.* 394.

Fulgentius Camus Dolenſis ortu, nobilis viri *Marini Camus* in ſuprema Sequanorum Curia Senatoris Filius, Ordinem S. Bened. amplexus eſt in Veſontionenſi S. Vincentii Cœnobio 23. Decembr. 1661. Inde ad Cluniacenſes digreſſus, negotiorum tractandorum ſolertiâ, obſervantiæque regularis zelo maximè enituit in diverſis ſuperioratuum gradibus etiam eminentioribus, quibus in iſta Congregatione inſignitus eſt. Varios ipſe conſcripſit Libellos pro unione Congregationis S. Vitoni cum Cluniacenſi. Tandem gravi infirmitatum pondere preſſus obiit 1707. ætatis 64... *Calmet pag.* 217.

G.

GAbriel Bigot S. Vitoni Veroduni Profeſſus 25. Martii 1608. Prioris, Abbatis, Viſitatoris, & Definitoris munere in ſua Congregatione ſnnctus, obiit 4. Julii 1695. Scripta quædam Eriſtica & Amæbæa in ſui defenſionem edidit. *Calmet Bibl. Lorr. p.* 118.

Gabriel Thomassin in S. Apri Monaſterio 30. Novembr. 1674. O. S. B. amplexus, compoſuit *Grammaticam Gallico-Teutonicam & Teutonico-Gallicam.* Dictionarium item Germano-Gallicum. Quædam Sanctorum Officia. Nonnnlla Muſicalia, in quibus excellebat. Diverſis admotus muniis ſplendidè enituit, denatus 7. Octobr. 1741. *Cit. in Suppl. pag.* 103.

Garamannus Gorzienſis B. *Joannis* Abbatis in itinere hiſpanico Comes, hujus legationis relationem literis con-

ſignavit, quæ legitur in Actis laudati *Joannis* Gorzienſis. Claruit circa A. 955. *Vide Calmet pag.* 405. & 542.

Georgius TOUSSAINT in Congreg. S. Vitoni O. S. B. anno 1734. die 26. Septembris Profeſſus, Theologiam actu docet in Apri Monaſterio. Publico dedit Tractatum Dogmatico - practicum *de Sacramento Matrimonii* 1739. Tom. II. in 8. Tractatum *de Pœnitentia*; quem excipiet alius *de Cenſuris Eccleſiaſticis.* Vivebat anno 1753... *Calmet p.* 947.

Geraldus ZÜRCHER San - Gallenſis Theologiæ Profeſſor, typis dedit, *Hiſtoriam Pœnitentiæ publicæ notis & animadverſionibus illuſtratum*, cum gemina diſſertatione, unâ præviâ *de eruditionis præſtantia* ad Neo - Theologos, alterâ ad calcem *de ſatisfactione* contra Novatores. 1752. in 8.

Germanus CARTIER D. Ethonis in Briſgoia Monaſterii Profeſſus, vir planè eximius à morum integritate, eruditionis præſtantiâ, & editorum Operum copiâ ſummè commendabilis, ſtudiis propè conſumptus & exhauſtus, placidè obdormivit in Domino die 18. Febr. 1749. ætatis 59. Unde corrigendus error, qui in noſtro Indice irrepſit pag. 572. art. *Gallus Cartier*, ubi hic defuncti Frater per inadvertentiam ab Authore noſtro inter mortuos vivus eſt repoſitus. *Vid. Index p.* 574. *lin.* 1. & *Part. IV, Sect. VI. pag.* 705.

GEZO Derthonenſis in Italia Cœnobii S. Martiani Abbas circa A. 980. clarus ſcripſit Librum *de Corpore & Sanguine Chriſti*, qui Muratorii judicio, *etſi nihil aliud præſtare poſſet, quàm confirmare Eccleſiaſticam Seculi X. traditionem de Veritate Corporis & Sanguinis Chriſti in auguſto Sacramento negatam, libenti animo à Catholicis amplectendus foret.* Extulit illum Muratorius Tom. III. Anecdotor. pag. 239.

GIRALDUS Floriacenſis Poëta eximius, elegiaco carmine *Translationem S. Corporis Divi Benedicti in Gallias* deſcripſit. Poëma hoc conſtans ducentis & quinqoaginta ſeptem diſtichis Romæ in Bibliotheca Reginæ Sueciæ repertum curârunt deſcribi Bollandi Socii, ejúſque initium dedêre ad diem XXI. Martii pag. 300. Scripſit idem *Giraldus* Poëma in laudem S. Benedicti ad 70. extentum diſticha. Aliud *de Deipara Virgine* verſibus ferè centum. *Vide Citatos.*

GISLA & *Richtruda* Sanctimoniales B. *Alcuini* diſcipulæ, quas *Fitſius* & *Eduardus Maihew* inter Scriptores Eccleſiaſticos reponunt, & quaſdam ſcripſiſſe Epiſtolas, aliáque Opuſcula ſpiritualia elaborâſſe commemorant ad A. 780.

Godefridus ARMEINE in S. Michaëlis Lotharingiæ Monaſterio die 6. Sept. A. 1625. O. S. B. amplexus, obiit in Altivillarienſi Cœnobio 22. Febr. 1679. Condidit Hiſtoriam Abbatiæ S. Agarici Verodunenſis hoc Tit: *Recueils autentiques de la Fondation de l'Abbaye de S. Airy de Verdun, & des Abbés, qui l'ont gouvernée, avec les divers ſuccés & evenemens arrivés en icelles, tirés trés - fidelement de ſes Archives...* *Calmet pag.* 59.

Gregorius BERTHELET in Alſatiæ Monaſterio, quod vulgus *Münſter* nuncupat, O. S. B. 16. Junii 1697. Profeſſus ætatis 17. Varia varii conatis Opera, & Diſſertationes compoſuit, videlicet: 1. *Tractatum hiſtoricum de abſtinentia &c.* Gallicè *Rotomagi* 1731. in 4. 2. *De Scriptura Sacra & Religionibus antiquis & modernis.* 3. *De Habitu monaſtico.* 4. *Supplementum ad Commentarium Calmeti in Regulam S. Bened.* 5. *De Benedictione Abbatum & horum Prærogativis.* 6. *De Exemptione Monaſteriorum à juriſdictione Epiſcopali.* 7. *De Abbatibus commendatariis, & abuſibus inde emergentibus.* 8. *De diverſis Monachorum generibus.* 9. *De Clericatu Religioſorum.* 10. *De Decimis Eccleſiarum parochialium. Monaſteriis unitarum.* 11. *De Superiorum Clauſtralium & aliorum Officialium muniis.* 12. *De Paupertate Monachorum.* 13. *De Religioſis mendicantibus, & eorum à primæva obſervantia receſſu.* 14. *De Eccleſiis Monaſteriorum, earúmque ornamentis, fundationibus &c.* 15. *De Vitio paupertatis in Abbatibus Monachis.* 16. *De Teſtamentis, Sepulturis, & Epitaphiis Abbatum.* 17. *De Hierothecis in brachii formam factis.* 18. *De Manu juſtitiæ, & Benedictione Epiſcopali.* 19. *De Origine & uſu Pallii Eccleſiaſtici.* 20. *Paraphraſes in S. Scripturam.* Vivebat A. 1743... *Calmet Bibl. Lor. p.* 110.

Guillelmus SIMONIN S. Vincentii Veſontionenſis Monachus, per varios Officiorum gradus Abbatis dignitatem adeptus, factúsque Veſontionenſis Archiepiſcopi Suffraganeus, & Corinthiorum *in Partibus* Archiepiſcopus, ſanctitate, doctrinâ & zelo Religionis ſplendidè enituit, vitâ functus 26. Auguſti A. 1630.

1630. Strenuè laboravit pro invehenda in ſuum S. Vincentii Monaſterium regulari Obſervantiâ Congregationis S. Vitoni; quem in finem nonnulla evulgavit ſynthemata. *Cit. in Suppl. p.* 91.

H.

HEnricus BAGARD in S. Michaëlis Congreg. S. Vitoni Monaſterio 8. Junii 1663. O. S. B. Profeſſus obiit 26. Martii 1709. Succinctam conſcripſit Domûs Lotharingicæ Hiſtoriam *Vignierii* ſyſtema ſecutus. Item, *Traité des alliances de la Maiſon d'Autriche; & des alliances de la Maiſon de Lorraine. Calmet cit. loc. pag.* 71.

Henricus FAULQUES Abbas Longævillæ Congr. S. Vitoni, O. S. B. an. 1703. amplexus, plura ingenii ſui ſpecimina edidit, 1. *Diſſertationē de Baptiſmo.* 2. *De Verbo* Logos *in S. Joannis Evangelio contra Socinianos.* 3. *E Græco* in Gallicum ſermonem *vertit Librum Joſephi, qui inſcribitur*, Les Machabées, *Calmeti Commentariis inſertus.* 4. *Epiſtolas tres ad Abbatem Hugonem de editione* HERCULANI 1725. & alia quædam Opuſcula metro & proſâ. *Cit. pag.* 360.

Henricus HENNEZON in Montis-Rolandi Burgūndiæ Monaſterio anno 1615. Profeſſus, variis functus officiis, in omnibus commendatus, Concionator eximius, doctrinâ excellens affabilis & humanus, in dignitate modeſtus, Abbas primùm S. Naboris, deinde Sanmiellanus, totius Congregationis ſepties Præſidens generalis, ſæpiùs Viſitator, omnibus charus & honoratus, Vir ſupra titulos Reverendus, Abbatialem Sedem tenuit annis XXIII. pretioſâ per id tempus & ſacrâ inprimis ſupellectile, egregiâ Bibliothecâ, magnis ædificiis Monaſterium ditavit, ornavit, amplificavit, tum probis omnibus ipsíſque Principibus juxta & pauperibus triſte ſui deſiderium relinquens, obiit A. ætatis 72. Monaſt. Prof. 55. Dom. Incarn. 1689. XI. kal. Octobr. Acerrimo cum pollerer ingenio, perfectâ eruditione, & inſigni eloquentiâ, lucubrationes quamplurimas Poſteris conſignavit: 1. *Hiſtoriam Abbatiæ Sanmiellanæ* Tulli Leucor. A. 1684. in Chron. Bened. p. 651. impreſſam. 2. *Commentarios & adverſaria ad Hiſtoriam Lotharingiæ MS.* 3. *Conſpectum Ethicæ naturalis & Chriſtianæ.* 4. *Le zele juſtifié contre la Cenſure du Directeur prétendu de certaines Religieuſes.* 5. *Hiſtoriam Controverſiarum circa gratiam MS.* 6. *Præfationem ad Conſtitutiones Montis-Martis.* 7. *Explicationem gratiæ juxta Carteſii principia.* 8. *De Statu Abbatiæ Sanmiellanæ Libr. I, editum* 1684. in 12. Et alia quædam minuta, de quibus *Calmet Bibl. Lorraine pag.* 484. *ſeqq.*

P. Ziegelbauer Hiſt. P. III.

Hermannus D'OGEVILLER ex illuſtri Principum de Salm & Blamont Stemmate ſatus, miſſo mundi illecebris nuncio, ſeipſo major Divi Benedicti legibus cervicem flexit in S. Apri-Tullorum Monaſterio, ubi per varios Officiorum gradus virtutis & doctrinæ laude inclareſcens, Abbas electus fuit. Inde ad Concilium Conſtantienſe Orator à Tullenſi Clero miſſus, diſciplinæ regularis inſtaurationem egregiè urſit, eámque indeſeſſo labore inter ſuos redoxit, docuit verbis, illuſtravit exemplis, ſtabilivit ſcriptis, omni laude ſuperior, vitâ functus VIII. kal. Febr. 1473. *Calmet Hiſt. Loth. Tom. III. pag.* 585. *Bibl. pag.* 697.

Hidulphus JOBART Mediani Monaſterii Cœnobita die 7. Sept. 1605. Profeſſus, in S. Michaëlis Monaſterio mortales exuvias poſuit 20. Sept. A. 1632. Præcipua in ſua Congregatione munia cum laude obivit, rerum humanarum divinarúmque ſcientiâ publicis etiam ſcriptis conſignatâ commendatus. Edidit elogium funebre Henrici II. Lotharingiæ Ducis hoc Tit: *L'honneur du Prince regretté ſur la vie & le trepas de Henri, II. Duc de Lorraine* A. 1625. in 8. Condidit etiam Abbatiæ S. Michaëlis Hiſtoriam Voll. 2. in fol. &c. *Calmet Bibl. pag.* 546.

HIBERGRINUS O. S. B. in Italia Monachus ad Imolenſis ſeu Cornelienſis Eccleſiæ Cathedram circa A. 1046. evectus, antiqua jura, bona univerſa ac ſingula prædia ſuis diſtincta limitibus ad S. Mariæ in regula Monaſterium (è quo aſſumptus fuerat) ſpectantia, publicis juſſit deſcribi tabulis, denatus circa A. 1055. *Ex Ughelli Italia ſacr. Tom. X. col.* 272.

Hieronymus PICHON Metenſis, Vitoniano A. 1660. addictus Sodalitio, Socios omnigena virtute & doctrinâ ſuperavit, ſcientiarum in limine factus Sodalium Pædagogus. Omnes ille Apoſtoli Epiſtolas memoriæ ad verbum commendavit: Auguſtiniani Dogmatis, imò Pauli, imò Chriſti inde futurus procul dubio Aſſertor acerrimus. Philoſophicos Theologicóſque nodos probè edoctus aliis extricavit. Verbi Divini Præco verè Apoſtolicus, verbis, factis, ſcriptis noxios à peccatis innocens de-

terruit. In annoſa juventute ſenex, Prior, Abbas, Viſitator, Præſidens factus, omnes gravi comitate devinxit, Divi Benedicti mentem aſſecutus, eâdem alios imbuit, Monachos, Clericos, Eccleſiæ Præſules, ſcriptis & conſiliis juvans. In regendo providus, nulli, niſi invitus, aſper, de omnibus benè mereri cupidus, ad virtutis ſtudium ſuis calcar tacitus ſubdebat. Difficillimis bellorum tumultibus, diſceptationum ſciſſuris, pacem in ſpinea pace continuit. Hunc fecêre, in calculi morbo patientia *Martyrem*, fidei zelus *Confeſſorem*, pudor *Virginem*, pietas *Sanctum*. Octogenarius piâ morte occubuit in S. Vincentii Metenſis Monaſterio XIV. Cal. April. 1722. Ejus Scripta Philoſophica & Theologica magno habentur in pretio. Inſignem quoque Bibliothecam Monaſterio S. Petri Catalauni ad Matronam comparavit... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 744.

Hilarion MONNIER in S. Vincentii Veſontionenſis Cœnobio 2. Aug. 1651. Profeſſus, toto virtutis niſu ad majora ſurrexit, Prioris, Viſitatoris, Definitoris aliiſque functus officiis, animi candore & doctrinâ maximè commendatus, obiit 17. Maji 1707. relictis pluribus præclari ingenii monumentis videlicet: *Reflexions ſur le Traité de la grace. Eclairciſſemens des droits de la Congregation de S. Vanne, ſur les Monaſteres qu'elle poſſede en Franche-Comté* &c. *Cit. p.* 667. *ſeq.*

Hilarius RUTANT S. Michaëlis ad Moſam Familiæ 25. Maji 1685. adſcriptus, Nanceii obiit in S. Leopoldi Monaſterio 13. Octobr. 1724. Compoſuit *Breviarium monaſticum* ſumma cum cura, Voll. II. in 4. *Calmet pag.* 854. & *in Suppl. p.* 89.

S. HILDA Abbatiſſa natione Angla clariſſimis orta Parentibus, ſcripſit *pro Obſervatione rituum Britañicorum*, Libr. I. *Meditationes pias*, & *Epiſtolas ad diverſos*. Obiit 680. *Maihew, tab.* 3. *p.* 42.

Hippolytus BONNIER aliàs *Bouter*, S. Vincentii apud Veſontionenſes A. 1667. Profeſſus, Vir operoſus & in optica, artibúsque Mathematicis verſatiſſimus, varia hujus argumenti elucubravit Opuſcula valdè æſtimata. Obiit Faverneii 8. Martii 1690. *Calmet p.* 166.

Hugo SCHMITFELD Sancti Blaſii in Hercinia Sylva Monachus anno 1742. laborabat in condenda *Bibliotheca Benedictina Viton. Hidulphiana* ad normam *Maurianæ* per Pezium evulgatæ. *Calmet in Præf. ad Bibl. Lothar. pag. XXVIII.*

Humbertus BARROIS Mediani Monaſterii A. 1711. Profeſſus, Philoſophiam & Theologiam aliquamdiu docuit; Abbas renuntiatus A. 1727. primas in Congregat. S. Vitoni functiones cum laude ſuſtinuit, Scriptiſque variis ejusdem Congr. Jura, Privilegia & Statuta egregiè vindicavit. *Vid. cit. pag.* 84.

Humbertus ROLLET Magnum Ordinis & Seculi ſui Decus, Sant-Vitonianæ Familiæ A. 1600. 20. Jan. adſcriptus, præcipuorum muniorum ſapienti adminiſtratione, veteris diſciplinæ reſtaurationis procurandæ, ac etiam in Germaniæ Monaſteria *Campidonenſe*, *Fuldenſe*, *Murenſe* &c. invehendæ ſtudio commendatus, poſt exactos in terris 80. años extinctus eſt, ut in cœlo fulgeret 12. Maji 1666. Conſcripſit Vitam R. P. *Deſiderii à Curia*, Congregationis S. Vitoni Inſtauratoris, cujus ipſe diſcipulus & in labore Socius fuerat, Varia etiam Scripta elucubravit juridica, Apologetica, & Amæbæa; de quibus *Calmet pag.* 836. *ſeqq.*

Hyacinthus ALLIOT Barroducæus, ſtudiis humanioribus, Philoſophiæ & Medicinæ operam dedit in Patria; Monaſticen Profeſſus in S. Michaëlis ad Moſam Cœnobio 4. Maji 1656. Pariſiis Carteſianæ Philoſophiæ incubuit, eamque progreſſu temporis Sodalibus ſuis tradidit. Tùm negotiis adhibitus, primùm Procurator generalis, dein variis in locis Prior & Viſitator, ac demùm *Coadjutor* factus R. P. *Philippi Galavaux* Mediani Monaſterii Abbatis, eidem A. 1676. in dignitate ſucceſſit. Res Monaſterii per diutinas bellorum procellas valdè attritas reſtituit, ſtudiorum Fautor eximius literarum cultum ubique promovit; Sublectus Vitonianæ Congregationis Præſes obiit 22. April. 1705. ætatis 70. Varias ille ſymbolas Mabillonio ſubmiſit, Academiam Religioſorum in ſuo Cœnobio erexit, in qua *Calmetus* Ss. literis imbutus fuit. In Ephemeridibus ſapientûm 16. Febr. 1693. compareт Epiſtolica quædam ejus diſſertatio *de Framontanis Antiquitatibus. Vid. Calmet p.* 36. *ſeq.*

Hyacinthus ALLIOT Prioris Nepos O. S. B. Profeſſus eſt in eodem Mediano Monaſterio 25. Julii 1681. conſcripſit. *Prolegomena in S. Scripturam.* 2. *In linguas Hebraicam, Chaldaicam, Arabicam* &c.

3. Diſ-

3. Diſſertationem *de inſpiratione Librorum Moyſis.* 4. Diſſertationem *de ultimo Chriſti Paſchate.* 5. *De barba figuræ cujusdam Mercurii.* 6. *Tractatum de Cancro, & alia quædam Opuſcula medica.* Obiit in S. Manſueti Tullenſis Cœnobio Prioris ornatus munere, die 5. Febr. 1701. ætatis 37... *Calmet p. 38.*

I.

JAcobus de TAVAGNII Apri. Tullorum Abbas Regularis 15. Martii 1559. electus, diſciplinæ reſtaurationis procurandæ ſtudio inclytus, obiit 4. Martii 1596. ætatis 68. varia condidit Statuta tum pro bono regimine Monaſterii S. Apri; tùm etiam pro reformatione Cœnobiorum Lotharingiæ. *Calmet p. 916.*

Joachimus la ROCHE in Senonenſi Monaſterio O.S.B. A. 1685. Profeſſus, obiit 18. Jan. 1738. Eruditas quaſdam Diſſertationes conſcripſit, *de quibusdam Nummis* Tulli leucorum A. 1712. repertis; *Notas & animadverſiones in Librum Geneſis*; Epiſtolas plures *de Religioſorum habilitate ad beneficia perpetua ſeu ad vitam*, & alia, de quibus cit. pag. 833.

JOHANNES *Burſfeldenſis* Abbas in reformatione quartus, magnæ vir modeſtiæ & humilitatis, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, ſcripſit 1. *de Profectu Clauſtralium Opuſculum in tres partes diviſum*, eruditionis ac totius ædificationis plenum. 2. *De Novitiorum inſtitutione*, & alia. Obiit 21. Maji 1502... *Trithemius Chron. Hirſaug. Tom. 2. 588.*

Johannes Claudius PETITOT in S. Vincentii Veſontionenſi Monaſterio 23. Decembr. 1619. Profeſſus in Faverveienſi. Obiit 29. Junii 1690. ætatis 92. Magnalia Dei extulit in Libro *dolæ* 1656. edito hoc rubro: *La Divine Providence reconnue... Calmet p. 736.*

Johannes RHIBAUCOURT Mediani Monaſt. Sodalitio 6. Junii 1698. adſcriptus, Parochi munere in Domartino prope Remiricum Montem functus, obiit 10. Jan. 1743. *Commentarios in Jus Canonicum*, ſelectu & methodo inſignes Poſteris conſignavit. *Cit. p.* 810.

Joſephus CAILLET in S. Petri Catalauni Cœnobio Congr. S. Vitoni 7. Septembr. 1670. Profeſſus elucubrandis Opuſculis aſceticis præſertim incubuit, cujusmodi ſunt. 1. *Exercitium diurnum* in 4. pag. 400. 2. *Scholia & Reflexiones in Epiſtolas S. Pauli & Canonicas.* In 12. 3. *Commentarii in Pſalmos Voll. III.* Obiit 3. Maji 1707. *Cit. pag.* 178.

Joſephus HOMASSEL S. Vincentii Metis A. 1651. Profeſſus, per varias in ſua Congregatione functiones, eam virtutis & doctrinæ laudem promeritus eſt, ut aliis in exemplum proponatur. Diverſas conſcripſit diſſertationes & Epiſtolas in ſui Sodalitii negotiis, ac etiam in rebus Philoſophicis & Theologicis adverſus Syſtema *Roberti Gabets* de Euchariſtia &c. Obiit 12. April. 1695. *Calmet p. 504.*

Joſephus de L'ISLE nobili ſtemmate fatus, ex milite Monachus in Mediano Monaſterio 28. Juni 1711. effectus, Philoſophiam & Theologiam in diverſis ſuæ Congregationis Cœnobiis docuit. Ad varias functiones clauſtrales deinceps evocatus, ſcripſit. 1. *Tractatum Dogmatico - Hiſtoricum de eleemoſyna*, Neocomi in 8. editum 1736... 2. *Vitam M. Heigui è Calviniſmo Converſi*, Nanceii 1731... 3. *Defenſionem veritatis Martyrii Thebæorum.* ibidem 1737... 4. *Hiſtoriam jejunii.* Pariſ. 1741. in 12. 5. *Vitam S. Nicolai.* Nanceii 1745. 6. *Diſſertationem de Epiſcopis.* 7. Aliam *de Scholis Monaſticis.* 8. *Hiſtoriam Abbatiæ S. Michaëlis ad Moſam actu elucidat... Calmet p. 588.*

Joſephus SAULNIER Regulæ Benedictinæ in S. Vincentii Veſontionenſi Cœnobio addictus, ejusdem Monaſterii Abbas A. 1631. electus eſt, Andrevilli *in partibus* Epiſcopus, & Veſontionenſis Archipræſulis Suffraganeus A. 1639. renuntiatus. Conſummatæ vir eruditionis & prudentiæ inter honores modeſtus, vitam vitæ auſteritatem morum ſuavitate lenivit, ſuorum pariter ac exterorum ſpes & amor. Tres ille ſacravit Archiepiſcopos, & Eccleſiæ miniſtros creavit, Pater Cleri ſequanici vulgo dictus. Vixit annos octoginta quinque, & *qVasI Vas aVrI, qVasI soL refVLsIt In teMpLo DeI*, denatus 26. Aprilis 1681. Scripſit ipſe *ſui Epiſcopatus*, & rerum in hac Provincia geſtarum Hiſtoriam &c, *Calmet* pag. 867.

L.

LAURENTIUS S. Vitoni Veroduni Abbas ab an. 1098. ad 1140. vir ingenio, pietate, & rerum prudentia, uſuque commendatus, continuis prope agitatus procellis tempore Schiſmatis *Henrici IV.* Imp. & *Richardi* Virdunenſis Epi-

ſcopi, Epiſtolam hac de cauſa ſcripſit ad Canonicos Verodunenſes, quæ extat Tom. V. Annalium Bened. Mabillonii. *Calmet Suppl. Bibl. p.* 39.

Laurentius MAJORET in Mediano Monaſterio 6. Maji 1612. Profeſſus; deinde S. Vitoni Verodunenſis Prior, vitæ periodum clauſit Metis in S. Arnulphi Cœnobio 2. Novembr. 1657. Edidit elogium funebre Catharinæ à Lotharingia hoc Tit. *Monument & parfum, ou diſcours funebre des vertus de trés-haute, trés-illuſtre & trés-vertueuſe Princeſſe, Madame Catherine de Lorraine, Abbeſſe de Remiremont...* à Nancy 1648. *cit. p.* 623.

Leopoldus DURAND in Santmielis vico natus 29. Novembris 1666. octennis S. Gangulphum Tulli Canonicatum accepit, quo in Fratrem ſuum reſignato, Muſſiponti juriſprudentiæ operam dedit, Metis deinde & Pariſiis inter cauſidicos receptus. Sanctiori demùm actus conſilio monaſticem in Valle S. Gregorii Alſatiæ Monaſterio induit xi. Febr. 1701. ætatis 37. indefeſſi vir laboris, ſummæque induſtriæ, ob ſua merita penſione annua 300. libr. à Duce Leopoldo aggratiatus, mortales exuvias poſuit in S. Avoldi Monaſterio 5. Novembr. 1749. Innumera propè præclari ingenii monumenta Poſteris conſignavit videlicet. 1. *Traité des Bains & des Eaux de Plombieres, accompagné de figures deſſinées de ſa main*, quod Opuſculum Calmetùs edi curavit *Nanceii* 1748. in 8. 2. *Le plan du Chateau de Commercy.* 3. *Deſſein de l' Abbaye de S. Evre de Toul, d' Epternach, de Moyenmoutier &c.* 4. *Carte Geographique des environs de S. Avold.* 5. *Carte des diſtricts des Abbayes de Vôges.* 6. *Recueil ſur l' Architecture, ſur la Peinture, Sculpture & ſur les Theatres des Anciens.* 7. *Recueil ſur les forces mouvantes, ſur les Orgues, ſur la Muſique, & ſes inſtrumens.* 8. *Deſcriptions & plans de diverſes Egliſes.* 9. *Relations des gouts ſur les anciennes Egliſes.* 10. *Deſſeins de Tabernacles portails, elevations & autres ornemens d' Egliſe.* 11. *Deſcription des Temples de la Chine, avec une Diſſertation ſur les Cimetieres & les honneurs rendus aux morts.* 12. *Explication du compas de proportion, & de ſon uſage.* 13. *Traités de Geometrie, & d' Arithmetique.* 14. *Dictionnaire de Marine.* 15. *Termes de l' Art & Architecture militaire.* 16. *Dictionnaire des Arts.* 17. *Deſcription de l' Allemagne & des Pays-Bas.* 18. *Deſcription des Pieces d' Artillerie, Armes à feu, Feux d' Artifices; & quelsques Additions au Dictionnaire des Arts &c.* 19. *Deſcription de Verreries, des Verres, de la Vitrerie & dependances.* 20. *De Moulins à eaux, à vent, à bras &c.* 21. *De Labyrinthes, de Grottes, du Nivellement, du Rez de chauſſées, des Cours, des chambres, &c. avec un plan du Labyrinthe de Verſailles.* 22. *Deſſeins & figures de Cloîtres.* 23. *De la conſtruction des Voutes.* 24. *Memoire ſur la conſtruction & conduite des Forges.* 25. *Traité du mouvement des Eaux & des autres corps fluides.* 26. *Memoires pour ſervir à un traité des Eaux, Fontaines &c.* 27. *Traité des papetries & du papier.* 28. *Deſcription particuliere du canal de Languedoc.* 29. *Deſcription de la machine de Marly avec deux cayers contenans l'elevation & profil d' un chateau d'eau.* 30. *Traité des machines hydrauliques, de Tuilleries & Briqueteries.* 31. *Traité des Fours, & de la Boulangerie.* 32. *Du jardin & du jardinage.* 33. *Deſcriptions & elevations des portes, des cheminées tant anciennes que nouvelles, des fenêtres en general, tant des Egliſes que des Maiſons.* 34 *Cayer ſur les Caiſſes & ſur les Glacieres.* 35. *Traité des Metaux en general, or, argent, cuivre &c.* 36. *Des Voitures, du charonnage, & des lieux communs.* 37. *Traités des Tanneries, jeux de combats des Grecs, des places publiques, de la Limace, ou Vis d' Archimède, de diverſes ſortes de couvertures pour les combles, des Machines à applatir le plomb; des Niches, des Ponts de l' Orbite annuel de la terre autour du ſoleil; du labourage, de la Mer, des Vignes, du vin & autres boiſſons.* 38. *Recueil des mots, & memoires pour le Dictionnaire d' Architecture, des Arts & des Metiers.* 39. *Des Cauſes de la fumée des cheminées, & des moyens d'y remedier.* 40. *Remarques ſur le ſon & la ſuſpenſion des cloches.* 41. *Differens plans & formes de chœurs & de Sieges; des Conſoles, & autres ornemens de Colonnes & pilaſtres.* 42. *Remarques ſur Vignole, & deſcriptions des Tireries ou Filieres.* 43. *Traité ſur la Manuiſerie, & la Serrurerie avec des deſſeins.* 44. *Explication de la Sphere, Mappemonde, & de differentes parties de la terre.* 45. *Abregé de l' Hiſtoire univerſelle avec l' Hiſtoire abregée des differentes cours de l' Europe & Genealogies d'icelles.* 46. *Deſcription de la nouvelle Chapelle du chateau de Verſaille, du Louvre, du Palais d' Orleans, de Marly &c. avec differens plans des mêmes, & dependances, de diverſes*

mai-

maiſons & châteaux. 47. *Deſcription & Repreſentation de differentes ſortes d' Horloges.* 48. *Traité des meſures & des poids.* 49. *Anatomie du Corps humain.* 50. *Traité des Eſcailliers & de la Charpente. &c.* Calmet pag. 338.

Ludovicus le PELLETIER è Congregatione S. Mauri de quo le Cerf pag. 405. obiit A. 1733. Ejus Vocabularium prodiit *Pariſiis* A. 1753. in fol. hoc Tit. *Dictionnaire de la Langue Bretonne, ou l' on voit ſon antiquité, ſon affinité avec les anciennes langues, l' explication de pluſieurs paſſages de l' Ecriture ſainte & des Auteurs profanes, avec l' Etymologie de pluſieurs mots des autres langues &c.*

Ludovicus RICLOS S. Vitoni Verodunì 28. Maji 1679. Profeſſus, diem explevit ſuum Metis in S. Vincentii Cœnobio 19. Martii 1738. Edidit *Paraphraſes in Epiſtolas S. Pauli, & in Canonicos*, Pariſiis 1709. & 1718. Metis 1727. Voll. IV. in 8... *Calmet pag.* 826.

M.

Marcus d' ABONCOURT in S. Manſueti Tullenſi Cœnobio A. 1613. Ord. S. B. Profeſſus, ſtrenuè ſtetit à partibus *Philippi Francois* S. Agarici Veroduni Abbatis, qui contendebat Snperiores Congregationis S. Vitoni poſt quinqnennale regimen debere biennio vacare; qua de cauſa varios conſcripſit Libellos, vitâ functus 13. Novembr. 1651... *Calmet Bibl. Lor. pag.* 1.

Marcus COUCHE Luxovii in Comitatu Burgundiæ O. S. B. amplexus 10. Junii 1683. ſequentia conſcripſit Opera: 1. *Principia Gramaticæ præceptis Philoſophiæ accommodata.* 2. *Rhetoricæ Religioſæ præcepta.* 3. *Logicæ, Metaphyſicæ & Phyſicæ præcepta ex veteribus & novis Philoſophis excerpta.* 4. *Commentaria Theologica Benedictino-Thomiſtica in Summam divi Thomæ.* 5. *Defenſio Decretorum Pontificiorum circa Regulas morum.* 6. *Philoſophiæ cum Theologia Chriſtiana connexio.* 7. *Brevis ad Prolegomena S. Scripturæ manuductio.* 8. *Apologia Doctrinæ S. Thomæ.* 9. *Le vrai Centon Theologique apposé au faux.* 10. *Eſſais de Conferences ou Exhortations monaſtiques pour les fêtes & dimanches.* 11. *L'art de vivre heureux dans une Communauté religieuſe.* 12. *Opuſcula quædam de occurrentibus p.* 1. *materiis.* Omnia prelo parata. *Vid. Calmet. pag.* 305.

Martinus GERBERT inter Cœnobitas Principalis Abbatiæ B. Blaſii in Hercinia ſylva eruditionis laude inſigniter florens, ac SS. Theologiæ Profeſſor optimè meritus, nuper protulit *Apparatum ad eruditionem Theologicam*, de meliori nota commendatum. Alia præclari ejus ingenii ſpecimina me latent.

Matthæus DUCHESNE Luxovienſis Cœnobii Profeſſus 10. Junii 1683. Philoſophiam & Theologiam aliquandiu docuit, Religioſorum Academus etiam præfuit, & Superioris munia diverſis in locis cum laude obivit; Opuſcula quædam Philoſophica, & *tres Hymnos de S. P.* BENEDICTO compoſuit, quos extulit *Calmetus* in Bibl. Lothar. pag. 277. ſeq. vivebat adhuc A. 1750.

Matthæus JAQUESSON è Congregatione S. Vitoni Monachus Verodunì ad S. Vitonem 21. Sept. A. 1618. Profeſſus, Vir pius & eruditus, Abbas S. Agarici A. 1635. & Præſes Congregationis 1644. & 1660. electus, in Bellilocenſi Argoniæ Monaſterio diem explevit ſuum 3. Sept. 1661. *Scholia in compendium Privilegiorum Congregationis S. Vitoni* literis conſignavit Lib. uno ſatis ſpiſſo. *Calmet pag.* 538.

Matthæus POTHIER Semurenſis ortu, in S. Vitoni Monaſterio die 27. Februarii 1611. Profeſſus, Vir pietate in Deum, & obſervantiæ regularis ſtudio, æqnè ac doctrinâ commendatus, varias in Congregatione functiones cum laude exercuit, vitâ functus in Muſſonenſi Cœnobio 1. Aug. 1645. Ejus ingenii monumenta ſunt. 1. *Adverſariorum ſanctæ Reformationis Monaſticæ argumenta & objectiones contra abſtinentiam à carnibus & uſum ipſarum, non eſſe abſolutè contrarium Reformationi.* 2. *Vindiciæ Reformationis Huberto - Benedictinæ, ſive Reſponſio brevis, ac diſſolutio argumentorum ab Adverſariis poſitorum contra abſtinentiam à carnibus..* 3. *Compendium Epiſtolæ Pareneticæ* F. Caroli Ferdinandi, *ad Sagienſes Monachos O. S. B.* MSS. in Agarici Bibliotheca. *Calmet Suppl. pag.* 75.

Maurus HILLART S. Matthiæ Treviris Cœnobita Ss. Theologiæ Doctor & Profeſſor optimè meritus, edidit *Hiſtoriam Abbatiæ S. Matthiæ cum deſcriptione Vitæ & Miraculorum ejuſdem* Apo-

Apoſtoli, *adjunctis inſtitutionibus Chriſtianè vivendi*, *meditandi & moriendi* 1747. 2. *Libellum Confraternitatis S. Matthiæ Apoſt.* 3. *Librum Exercitiorum ſpiritualium.* Plura comite vitâ & ſanitate typis dabit Vir doctus ſuâ forte meliorem meruiſſe contentus. *Calmet in Suppl. Bibl. Lothar. pag.* 21.

Meinradus SCHWICKARDT Ottoburani in Suevia Monaſterii Alumnus, Ss. Theologiæ & Juris utriusque Licentiatus, p. t. Theol. & Canonum Profeſſor, *Sacramentum Baptiſmi juxta doctrinam & diſciplinam Eccleſiæ dogmaticè expoſitum* publico dedit *Ottoburæ* 1753. in 4.

N.

NANTHERUS Abbas S. Michaëlis ad Moſam immortalis memoriæ vir, cujus acta in literas retulit Anonymus ejus Cœnobii Monachus Synchronus. Rexit Abbatiam ab anno 1020. ad 1044. Fautor ille literarum & Literatorum extitit maximus, curavítque conſcribi Chronicon ſui Monaſterii, à *Calmeto* inſertum Hiſtoriæ Lotharingiæ. Alia ejus ingenii monumenta interciderunt. *Cit. Bibl. Lorr. pag.* 683.

Nicolaus DESBORDES Regulam S. Benedicti in S. Agarici Veroduni Cœnobio 4. Junii 1673. Profeſſus, vivere deſiit die 25. Octobr. 1713. Egregius erat Metaphyſicus, cujus commatis aliquos diſcurſus ſat prolixos & doctos compoſuit; Scripſit etiam adverſus *Franciſci Lamy* è Congr. S. Mauri Librum *de Cognitione ſuiipſius*, & alia quædam. *Calmet pag.* 326.

Nicolaus CHRE'TIEN O. S. B. in S. Vitoni Veroduni Monaſterio 28. Maji 1679. Profeſſus, obiit Metis in S. Arnulphi Cœnobio 16. Novembr. 1747. Literis conſignavit *Muſſonenſem Hiſtoriam* MS. in 4. *Calmet pag.* 279.

Nicolaus ERNAULT Rhemenſis in Muſſonenſi Monaſterio 28. Maji 1702. Profeſſus, Vir in Geometricis ita verſatus, ut excellat; cujus ſcientiæ publica dedit ſpecimina *in ſolutione problematis duplicationis Circuli*, Ephemeridibus Luxemburgicis A. 1722. inſerta. Alia ejusdem argumenti ſynthemata prelo parata habet. *Cit. pag.* 346.

Nicolaus HASTIFRAGUS Anglicè *Breakſpeore*, aliis *de Malmesberia* dictus, in S. Albani Monaſterio O. S. B. amplexus, factus deinde Cardinalis, & Pontifex Maximus, diem clauſit ſuum Anagniæ Cal. Sept. 1159. Scripſit *ad Petrum Pontiniocum de ſua Legotione. Homilias item & decretales Epiſtolas* unam *ad Fridericum I. Imperatorem*, alteram *ad Angliæ Regem Henricum II. pro expeditione Hiberniæ...* Pitſeus p. 219.

Nicolaus LOUVANT O. S. B. in S. Michaëlis ad Moſam Monaſterio circa A. 1532. amplexus, obiit 15. Junii 1550. Literis mandavit *Itineris ſui in Palæſtinam Relationem hiſtoricam.* Poëma inſcriptum: *Les trois journées du jeu & Myſtere de S. Etienne Pape & Martyr.* Alia MSS. *Calmet pag.* 604.

Nicolaus MAILLOT in S. Avoldi Lotharingiæ Monaſterio O. S. B. Cal. Novembr. 1669. Profeſſus, Philoſophiæ ſub *Roberto Gabets* operam dedit, atque ab eo Carteſii principia hauſit, quæ deinde ſuis diſcipulis in vallis Gregorianæ Monaſterio cum plauſu tradidit. Inde ad S. Manſueti Cœnobium translatus, novum prorsùs vitæ genus iniit, totus deinceps rebus divinis & auſteritati deditus, in fama Sanctitatis obiit 3. Octobris 1722. ætatis 73. *Claudius Poquin* ejus Nepos Acta ipſius in literas retulit, & Scripta collegit; ea verò ſunt: 1. *Epiſtolæ quædam morales ad diverſos plus quàm ducentæ.* 2. *Tractotus nonnulli de Humilitate*, *aliíſque Virtutibus.* 3. *Directorium Conſcientiæ.* 4. *Animadverſiones in prætenſas Mariæ de Agreda viſiones*, hoc Tit: *Difficultés ſur les Viſions de Marie d' Agreda*, *dans ſon Hiſtoire de la ſainte Vierge.* Plures ille propoſitiones ab Agreda allatas ſolidè confutat. *Vide Calmet Suppl. Bibl. pog.* 47.

Nicolaus VAILLANT in Muſſonenſi Lotharingiæ Cœnobio vitam amplexus monaſticam die 9. Novembris 1708. Philoſophiam & Theologiam cum laude aliquamdiu docuit, factus deinde Prior & Viſitator in ſua Congregatione. Sedecim Volumina in fol. ipſe conſcripſit, quæ exactam & judicioſam Authorum Librorúmque Bellilocenſis in Argonia Bibliothecæ analyſin exhibent. *Calmet Suppl. pag.* 104.

O.

ODilo BEBIN Favernæi 3. Januarii 1635. Regulam S. Benedicti Profeſſus, variis deinceps admotus officiis, pieta-

pietate & doctrinâ ac regularis obſervantiæ ſtudio maximè enituit, ſatis functus ibidem 4. Octobris 1676. Poſteris conſignavit *Hiſtoriam Faverneienſis Monaſterii* Vol. 1. in 4. *Calmet Bibl. Lor. pag. 91.*

P.

PAulinus de LISLE Catalauni ad Matronam in S. Petri Monaſterio Congreg. S. Vitoni Profeſſus, poſt exactos in hoc Sodalitio 25. annos, ad Trappenſes tranſiit, ubi in odore ſanctitatis obiit 22. Maji 1698. Epiſtolarum ipſius aſceticarum collectio edita eſt Cabillonii in Campania A. 1723. hoc Tit: *Idée d'un vrai Religieux dans le Recueil des Lettres de Dom Paulin de Lisle.* Calmet *Suppl. Bibl. Lor. pag. 43.*

Paulus CACHET in Mediano Monaſterio 10. Julii 1605. O. S. B. amplexus, munia Prioris, Viſitatoris & Definitoris in Congregatione S. Vitoni cum honore exercuit, ſubinde electus Abbas S. Michaëlis, ſed excluſus per Cardinalem *Bichi*, ſcriptum vulgavit hoc Tit: *De l'état & qualité de l'Abbaye de S. Michel*, quo probat ſuam electionem fuiſſe Canonicam. Alia ejus Opuſcula nos latent. Obiit in S. Manſueti Tullenſi Cœnobio 17. Sept. A. 1652... *Calmet pag.* 174. *ſeq.*

Paulus JUSSY in S. Mauritii Belli-Loci Cœnobio 27. Maji 1664. Profeſſus, doctrinâ, pietate & rerum gerundarum uſu clarus enituit, Procuratoris generalis ac Præſidis in Congregatione S. Vitoni functus officiis, obiit in Sant-Vitoni Monaſterio 29. Junii 1729. Ab eo ſuperant Epiſtolæ magno numero de rebus Congregationis. Factum aliquod A. 1680. editum. Collectio inſtrumentorum in lite Vitonianos inter & Cluniacenſes agitatâ &c. *Calmet pag.* 552.

Paulus WILLAUME in S. Michaëlis ad Moſam Monaſterio Regulæ Benedictinæ ſe addixit 20. Octobr. 1625. Obiit 7. Julii 1673. Scripſit adverſus Jeſuitas pro revendicandis Prioratibus S. Valentini de Rufach, S. Jacobi de Volsbach, & S. Morandi O. S. B. rémque feliciter in tribunali regio evicit, ſed praxi Jeſuiticâ ſententiæ executio fuit eluſa. *Vid. Tom. I. de la Morale-Pratique des Jeſuites ed. 1689. p. 127. Petri Munier Hiſtoria Reform. Vitonianæ Tom. 5. p. 324. & 461. Calmet Bibl. Lorraine pag. 1043.*

Petrus COURT S. Vitoni Veroduni 1. Junii 1685. Profeſſus, dein Prior S. Agarici, ſemper pro ſua & aliorum ædificatione laboravit. Anno 1712. *Pariſiis* edidit vitam R.mi *Domini de Aligre* Abbatis Canonicorum Regularium S. Jacobi *de Provins*. In compendium redegit Commentarios Calmeti in S. Scripturam Voll. ſeptem vel octo in 4. Collegit in unum *Sequentias ſeu Proſas veteres & Cantica* Vol. I. in 4. Pontifici inſcriptum. Opus aliud conſcript ſub Tit: *Concordia diſcordantium Theologorum circa gratiam Chriſti Salvatoris & meritum hominis* MS. in 4. *Paraphraſin* elucubravit in Cantica Canticorum, & in Proſam *Dies iræ &c.* Denique condidit *Hiſtoriam Abbatiæ S. Vitoni Verodunenſis tripartitam...* *Calmet pag.* 308. *ſeq.*

Petrus des CROCHETS nobili proſapiâ natus, in S. Apri Tullenſi Monaſterio die 25. Juni 1624. vitam amplexus monaſticam, primos in ſua Congregatione honores cum laude ſuſtinuit, atque lucem literis, nomen libris, Ordini gloriam, ſibi famam peperit, denatus Metis in S. Arnulpho 14. Junii 1672. Erat is in re Diplomatica verſatiſſimus, curáſque ſuas & ſtudia illuſtrandis Monaſteriorum Metenſium hiſtoriis potiſſimùm applicuit: Inſignes quoque ſuppetias tulit Santmarthanis ad *Galliam Chriſtianam* peramplius elucidandam... *Calmet pag.* 312.

Petrus GUILLEMIN Barroducæus vota emiſit Monaſtica in S. Michaëlis ad Moſam Monaſterio 9. Junii 1703. ac ſummâ morum integritate & eruditione ſacrâ deinceps effulſit, vitâ functus 9. Septembr. 1747. Edidit Pariſiis A. 1721. *Commentarium literalem in S. Scripturam*, cum reflexionibus quibusdam moralibus, Voll. 3. in 8. Operis Continuatio deſideratur. *Vid. Calmet pag.* 456.

Petrus ROZET in S. Vitoni Aſceterio 21. Martii 1601. receptus, quùm ingenio, prudentiâ, judicio, & doctrinâ inſignis emineret, naſcentis Congregationis negotia ei demandata ſunt provehenda; quam ob rem ter Romam profectus, varia à Summis Pontificibus reſcripta in favorem hujus reformationis obtinuit, totúmque negotium feliciter perfecit. Scriptis hac de re pluribus Epiſtolis & Libellis, omni laude ſuperior tandem ad beatarum mentium ſedem migravit Romæ 1622. hoc

à *Calmeto* mactatus elogio: *Dom Rozet étoit un homme d'un grand merite, bon Theologien, profond Canoniſte, habile dans le maniement des affaires, d'un air majeſtueux, d'une converſation douce & aiſée; il a rendu de grands ſervices à ſa Congregation & en a rempli avec honneur les prémiers emplois...* Cit. Bibl. Lor. pag. 850. ſeqq.

Petrus STROHOL in S. Michaëlis Lotharingiæ Monaſterio 23. Octobr. 1714. Profeſſus, prolixum & doctum compoſuit *Tractatum de Pœnitentia.* Jam verò à pluribus annis *concinnandæ Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ,* ſub directione R.P. *Remigii Cellier* Prioris Flavigniacenſis collaborat. *Cit. pag.* 910.

Philibertus BOULANGER in S. Vitoni Verodunenſi Cœnobio 8. Sept. 1636. Profeſſus, exuvias poſuit 24. Octobr. 1707. Diſſertationem oppido eruditam publico dedit, in qua probat *Corpus S. Urbani I. Papæ & Martyris,* quieſcere in S. Urbani Campaniæ Monaſterio, à *Nicolao I.* Pont. Max. A. 862. illuc translatum... *Calmet p.* 138.

Philibertus IGNACE in S. Vitoni Congregatione 13. Aprilis 1621. Profeſſus, inde ad Cluniacenſem, tum ad Sant-Maurianam translatus, variis utrobique functus officiis in S. Dionyſii Franciæ Monaſterio mortalitatem exuit A. 1667. Inſigne Opus condidit de *B. Columbani* & diſcipulorum ejus monachatu Benedictino hoc Tit: *Hiſtoire de la ſacrée Colombe Benedictine.* Quo in Opere *Joannis Marnavicii* Zagrabienſis in Hungaria Archidiaconi Librum confutat A. 1629. editum hoc rubro: *Sacra Columba Venerabilis Capituli RR. DD. Canonicorum S. Petri Romarici montis...* Calmet pag. 544.

Philippus TEINTRUX Mediani Monaſterii in Lotharingia Monachus ante reformationem Profeſſus, ſcripſit *Acta & miracula S. Hydulphi* & alia quædam deperdita. *Vid. Hiſt. Med. Monaſt. pag.* 146. Calmet *Suppl. pag.* 99.

Placidus OUDENOT in Mediano Monaſterio 12. Maji 1705. Profeſſus, inſignis Orator, Philoſophus & Theologus evaſit. Pariſios miſſus Calmeto in editione Commentariorum in S. Scripturam ſuppetias tulit. Inde redux concinnandis novis Sanctorum legendis operas & ſtudia addixit, ſed opus imperfectum reliquit. Breviarium ille compoſuit regalis Abbatiæ S. Gloſſindæ Metis. Elogium funebre *Matthæi Petit-Didier* edidit A. 1728. Orationes item funebres *Leopoldi I.* Lotharingiæ Ducis, & Domini de Gondrecourt, Nanceienſis Curiæ Præſidis. Compoſuit prætereà varias Panegyres, & alia eloquentiæ ac pietatis Opuſcula... *Calmet pag.* 704.

Placidus TROTOT in S. Manſueti apud Tullenſes Monaſterio 10. Auguſti A. 1658. vitam amplexus monaſticam, Metis in S. Arnulphi Cœnobio obiit 15. Octobr. 1716. In ritibus & Cæremoniis Eccleſiaſticis maximè excelluit, ediditque *Cæremoniale,* quo utitur Congregatio S. Vitoni, *Tulli Leucorum* 1695. in 8. cum fig. Compoſuit etiam Lectiones in feſtis Sanctorum ejusdem Congregationis, & alia quædam. *Cit. pag.* 951.

Placidus de VILIERS patriâ Veſulanus, piis & honeſtis parentibus natus, adoleſcens in Luxovienſi Abbatia habitum S.mi P. Benedicti die 5. Aug. 1656. ſuſcepit, in quo per 33. annos maxima cum omnium ædificatione enituit. Studium literarum cum pietate tanto profectu conjunxit, ut omnes ferè ſcientias & artes aſſiduâ exercitatione ſit adeptus. Philoſophiâ, Theologiâ, Hiſtoriæ Scientiâ, Muſicâ, Organorum conſtructione, & mirâ modulatione cumprimis excelluit. Verbi Divini prædicatione, ingenii vivacitate & facilitate, junctâ morum honeſtate, apud omnes ſingularem ſui exiſtimationem promeruit. Tot egregias animi dotes unus epilepſiæ morbus ferè inutiles reddidit: quo ingraveſcente tandem A. 1689. die xi. Martii ſuffocatus interiit. Elogium ejus hiſtoricum literis conſignavit Domnus *Leander Vincent* ejusdem Sodalitii Monachus, quod præfixum legitur Chronico Luxovienſi ab ipſo Domno *de Villiers* conſcripto hoc Tit: *Luxovium è tenebris, ſeu ex vetuſtis illius monumentis tamquam ex pulvere eductum A.* 1684. Præter hanc lucubrationem, concinnavit etiam *Pſalterium Afflictorum* ex diverſis Pſalmis ſelectum, & multis refertum SS. Patrum ſententiis... *Calmet Bibl. Lorr. Suppl. p.* 111.

Placidus WATRINELLE Belliloci in Argonnia Ordinem S. Benedicti 22. Junii 1722. amplexus, Sacrarum Literarum ſtudiis tantâ animi contentione incu-

incubuit, & antilogias, quæ hinc inde in S. Scriptura apparent, congruâ expoſitione conciliare niſus eſt, inſigni condito Opere hoc Tit: *Accord Literal de pluſieurs contradictions apparentes, qui ſe trouvent entre les paſſages de l' Ecriture ſainte.* Quod Opus ceu publicâ luce digniſſimum deprædicat *Calmetus* in Supplemento Bibliothecæ Lotharingicæ pag. 112.

S. PLEGMUNDUS Cantuarienſis Archiepiſcopus, anno 889. aſſumptus, *Vir*, Godwini elogio, *omnium ſui temporis doctiſſimus, in Mercia natus, adoleſcens Monaſticam amplexus vitam, aliquamdiu Eremita vixit in Inſula Ceſtria. Inde ut* Alfredum *poſteà Anglorum Regem inſtitueret evocatus, cujus operâ Archiepiſcopus Cantuariæ deſignatus, Romam profectus, à* Formoſo *Papa* Pallium accepit, ac ſumma cum laude præfuit ad A. 915. De inſigni ejus eruditione fuſiùs agit Pitſeus, Scriptorum tamen ipſius nulla eſt apud Poſteros mentio, niſi quòd *Alfredus* Rex Præf. in Paſtorale S. Gregorii, inſinuat hunc *Plegmundum* in tranſlatione ejuſdem Libri in linguam Anglicam, præcipuam præſtitiſſe operam. *Vid. Eduard. Maihew Troph. Bened. Tab. III. pag.* 172.

Proſper LEVESQUE Congregationis S. Mauri in Gallia Monachus, Luxovii 29. Septembr. A. 1729. Profeſſus, aliquamdiu Veſontionenſis S. Vincentii Bibliothecæ curam geſſit, ubi Epiſtolas aliáque monumenta ad Hiſtoriam Cardinalis *de Granvelle* ſpectantia ſolerter collegit, è quibus Opus condidit in Mercurio Franciæ menſe Majo 1750. his verbis annunciatum: *Memoires pour ſervir à l' hiſtoire du Cardinal de Granvelle, Premier Miniſtre de Philippe II. Roi d' Eſpagne, dans les quels on donne une idée du caractere & du genie des differents Princes, qui régnerent du tems de ce Cardinal, & des grands Hommes, qui eurent quelque part au gouvernement ſous ſon Miniſtere.* Vol. I. in 4. *Calmet Bibl. Lorr. pag.* 584.

Pulchronius l' AVIGNON Veroduni in S. Vitoni Monaſterio 17. Febr. 1607. Profeſſus, S. Avoldi Abbas A. 1624. die 16. Septembris canonicè electus, per decennium graves ſuſtinuit antidixes ex parte D.^{ni} de *Bourlemont*, qui Romæ Abbatiam pro ſuo filio ſubreptitiè *tamquam vacantem* impetraverat. Qua de cauſa ſuam *Pulcronius* edidit Apologiam *Lugduni* 1630. in 8. hoc Tit. *Apologie pour le R. P. Dom Pulcrone l' Avignon Abbé de S. Avold & autres Religieux de l' Ordre de S. Benoît en la Congregation de Lorraine.* Multis deinceps ab adverſario laceſſitus moleſtiis, tandem auſpiciis Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis, & Tullenſis Epiſcopi Abbatiæ reſtitutus. Obiit 19. Febr. 1660... *Calmet Bibl. Bibl. Lor. pag.* 565.

R.

REmigius DESMONT in S. Mauritii Belliloci Cœnobio Ord. S. B. die 9. Junii 1722. Profeſſus, edidit Tractatum ad Atheiſmum & Deiſmum, autoritate & teſtimoniis ipſorummet Ethnicorum confutandum... *Calmet pag.* 327.

Remigius MICHEL in Belliloci Abbatia 5. Junii 1654. vitam amplexus monaſticam, pluribus annis Theologiam & Sacram Scripturam Religioſos in S. Petri Catalaunenſi Cœnobio docuit; dein ad Cathedralis Eccleſiæ Metenſis ſuggeſtum evocatus, polemicas conciones aliquamdiu ad populum habuit, ac illuſtre nomen ſuâ eruditione & facundiâ ſibi peperit, denatus Catalauni in S. Petri Monaſterio die 29. Septembr. 1706. Ejus relicta ingenii monumenta ſunt: 1. *Conferentiæ* ſeu *Diſſertationes* in XXXVI. Capita Libri Geneſis, *de Diluvio, de Promiſſis Dei, de Præcepto Abrahæ dato &c.* 2. *Quæſtiones Criticæ, Hiſtoricæ, & Dogmatico - Politicæ in primo Eccleſiæ Seculo.* 3. *Remarques tirées du livre des Ceremonies de l' Egliſe de M. Devert.* 4. *Abregé Chronologique de l'Hiſtoire univerſelle;* & alia quædam Opera, quæ ob præmaturum ipſius obitum manſerunt inedita... *Calmet Bibl. Lor. Pag.* 661.

RICHERIUS S. Symphoriani Metis Abbas, claruit ad annum 1056. vitam ſcripſit *Adalberonis II.* Mediomatricum Epiſcopi, quæ extat Tomo II. Bibliothecæ Manuſcriptorum Labbeanæ pag. 670... *Calmet Bibl. pag.* 820.

Robertus GANOT in S. Agarici Veroduni Monaſterio 24. Aug. 1677. Profeſſus doctrinâ & pietate ſpectabilis enituit ad A. 1722. quo obiit 7. Januarii. Ejus Opera ſunt. 1. *Hiſtoire generale de l' Ordre de S. Benoît, contenant tout ce qui y eſt arrivé depuis ſon etabliſſement.* Voll. IV. in fol... *Exercices ſpirituels* des

des Novices, avec des Reflexions d'un Pere-Maître. 3. *La pénitence, ou les raiſons, qui empêchent les gens du monde de faire pénitence.* 4. *Reflexions morales ſur la profeſſion chrêtienne & religieuſe.* &c. prelo parata. *Calmet* pag. 404.

Romanus CALAME in Tullenſi S. Apri Cœnobio 3. Junii 1614. Profeſſus, ingenii vivacitate, aſſiduóque ſtudio commendatus, humaniores literas, Philoſophiam & Theologiam aliquamdiu docuit; inde ad ſublimiores ſcientias converſus, difficillimas quasque materias ſuſcepit elucidandas, præpropero abreptus fato 4. Sept. 1707. Ejus ingenii monumenta ſunt: 1. *Summa temporum ab Orbe condito ad Chriſti in Cælos Aſcenſionem deducta, & in tres partes Methodicam, Demonſtraticam, & Hiſtoricam diſtributa* 1698. Voll. V. 2. *Opuſcula tria Chronologica*, de Natali Chriſti; de Die Paſſionis Chriſti; & de Die obitûs S. Benedicti. 3. *Studiorum curſus in ſeptem Tomos diſtributus, quibus Grammatica, Rhetorica, Philoſophia, & utraque Theologia* Scholaſtica *nimirum &* Thetica *breviter & perſpicuè traduntur.* 4. *Anti-Sfondratus ſive nadus Prædeſtinationis ab Emin. Cardinali Sfondrato, neque ex ſacris Scripturis, neque ex doctrina SS. Auguſtini & Thomæ diſſolutus.* Eo in Opere contendit doctrinam Cardinalis de Prædeſtinatione, eſſe ex præjudicatis legitimè ſuſpectam, convenire cum Maſſilienſibus in eo, quòd Prædeſtinatio una Dei Præſcientia nitatur &c. 5. *Diſquiſitio an Ordo Diaconatûs ſit Sacramentum?* 6. *An Maria Magdalena ſit unica vel non?* 7. *Tractatus de Poteſtate Eccleſiaſtica.* 8. *De Factorum doctrinalium deciſione.* 9. Opuſcula quædam *de Tabernacula Moyſis, de Templo Salomonis ejúsque ornamentis, de Ezechielis & Zorobabelis Templis; de Sacrificiis Hebræorum, de Miniſtris, Ritibus* &c. *Calmet Bibl. Lor. pag.* 179. *ſeq...*

Romanus COLSON in S. Apri Tullorum Monaſterio 15. Junii 1664. Profeſſus, Philoſophiam & Theologiam cum laude docuit, vitâ functus 28. Sept. 1712. Poëta cùm eſſet inſignis Opuſculum contexuit 450. verſibus conſtans hoc Tit: *L'Ombre de Louis V. Roy de France, apparoiſſant à Louis XIV. en dialogue entre Louis XIV. & l'ombre MS... Calmet pag.* 297.

Romualdus SPERLETTE in Congregatione S. Vitoni 28. Maji 1679. Regulam S. Benedicti amplexus eam deſeruit A. 1687. in Boruſſiam evocatus, ut profugam è Gallia juventutem Berolini inſtrueret, quo in loco edidit A. 1703. *Opera in quatuor partes diſtributa.* in 4... *Calmet* pag. 907.

Rupertus RENAUT in S. Petri Catalaunenſi Monaſterio VI. Julii 1645. Profeſſus, politiori literaturæ potiſſimùm incubuit, in linguis Orientalibus, in arte Poëtica ita verſatus, ut excelleret. Obiit in Altivillarienſi Cœnobio 16. Febr. 1710. Fœcundi ipſius ingenii partus ſunt: 1. *Dictianarium Ritbmicum, in quo ad Scholaſticorum juvamen elegantiores phraſes reperiuntur.* 2. *Rudimenta nova concinnandi verſibus Gallicis accommodata.* 3. *Methodus Hebraica*, quæ tamen peritis minùs expedita videtur. 4. *Lexicon Ritbmicum, Tetragloton Hebraïcum, Chaldaicum, Syriacum & Rabinicum.* 5. *Vita B. Virginis Mariæ.* 6. *Hymnodia ſacra*, & alia quædam Manuſcripta... *Calmet pag.* 805.

Ruſtenus HEER Principalis ad S. Blaſium in Hercinia Sylva Monaſterii Cœnobita, Bibliothecæ & Numiphylacii Præfectus, in edendis Domûs Auſtriacæ monumentis cum Cl. Viro P. *Marquardo Hergott* ſtrenuè collaborat 1754. Titulus Operis ſanè ſplendidi jam tribus Tomis cum figuris, numis &c. editi ſic habet: *Monumenta Auguſtæ Domûs Auſtriacæ, ſigilla vetera & inſignia, cum Numotheca Principum Auſtriæ, ex Gazis Aulæ Cæſareæ potiſſimùm inſtructa, & aliundè aucta à prima ætate, quâ in Auſtria cuſa fuit moneta ſub Babenbergicæ ſtirpis Marchionibus ad usque Habſpurgicæ gentis Principes &c...* in fol. maj.

S.

SEbaſtianus MOUROT in S. Manſueti Cœnobio vitam amplexus monaſticam 10. Febr. 1691. Orator extitit præcipuus, ac principales ſuggeſtus Tulli Leucorum & Veroduni cum laude occupavit. Copioſam ille Concionum congeriem manuſcriptis reliquit, ſed unam duntaxat orationem funebrem R. D. *Hilarionis* Abbatis Longevillani typis exſcribendam dedit... *Calmet pag.* 673.

SIGELAUS Abbas S. Martini prope Metas claruit anno 841. ſub *Lotbario* Imperatore, cujus juſſu ordinatiſſimè deſcribi curavit *Librum Evange-*

lio-

liorum, ut teſtantur ſequentes verſus in fronte præfixi:

Sed Sigilaus parens juſſu Regis Studioſè,
Hoc Evangelium illic totum ſcribere juſſit.

Paucos poſt annos Monachi ejusdem loci ſub *Viviano* Abbate integra exarârunt Biblia, quæ *Carolo Calvo* obtulerunt. Hujus operis oppidò pretioſi frontiſpicium æri inſculptum dedit *Baluzius* Tomo 2. Capitularium pag. 1276. *Calmet Bibl. Lor. pag.* 895.

Simon OLRY Lotharingus à militia mundi ad militiam Chriſti, ſub Regula S. Benedicti evocatus, in Catalaunenſi S. Petri primùm A. 1656. die 15. Decembris, tùm in S. Arnulphi Metenſis Monaſterio receptus, zelo propagandæ fidei maximè enituit; quo ipſe ſtudio, Miſſionisque in Americam deſiderio pulſus, Ordinem Prædicatorum illi facilitatem ad tale opus Charitatis concedentem reſpexit, & poſt repetitas preces apud Superiores pro arctiori vita amplectenda, votis tandem damnatus eſt A. 1667. atque peracto Novitiatu profeſſionem apud Prædicatores emiſit 7. Julii 1668. *Urbanus* deinceps nuncupatus. Inde acceptâ Cruce Benedictâ A. 1670. Maſſiliam profectus, triremibus Gallicis ſe commiſit, atque in Candiam, tum in Americanas inſulas zelo animarum fervens penetravit, multósque ad fidem convertit denatus A. 1676. *Gratias verò in extremis agebat Sacro Benedictinorum Ordini, quòd eum ſuſceperat in militiam Chriſti, gratias Ordini Prædicatorum, quòd in militiam fidei & Miſſionis Apoſtolicæ; in illo attendebat ad petram unde exciſus fuerat; in iſto ad honorem Miſſionis in qua feliciter conſummabatur; Luctare non fecit* Dominicum *cum* Benedicto, *ſed utriusque ſanctitatem complexus ambobus ſe indignum proteſtatus eſt*, Benedicto, *qui eum genuerat*, Dominico, *qui eum ablactârat, laudes pronuntiabat, conteſtans ſe non Ordinem S. Benedicti contempſiſſe nec tædio aliquo reliquiſſe, ſed vitam contemplativam in activam & Apoſtolicam commutâſſe.* Ex literis *Hugonis Noë Marchand*, & *Calmeti* Bibl. Lotharing. pag. 699. ſeq.

Stephanus LEOPOLDER Monachus & Chronographus Weſſofontanus *A.* 1502. profeſſus, variis deinceps functus officiis, nulli ſe ita impendit, ſicut muneri Bibliothecarii & Archivarii, id quod multiplicia ejus ſcripta luculenter produnt, videlicet: 1. *Chronicon Weſſofontanum ad A.* 1498. 2. *Catalogus Abbatum Weſſofontanorum productus ad A.* 1525. 3. *Alius Catalogus cum hiſtoria Eccleſiaſtica & profana Imperii ad A.* 1254. 4. *Duplex Catalogus inſtrumentorum & diplomatum Archivi Weſſofontani.* 5. *Rhapſodia tabularum, rerùmque notabilium ad Hiſtoriam ejusdem Monaſterii pertinentium.* 6. *Chronica fundationum plurium Epiſcopatuum & Monaſteriorum præſertim verò in Bavariâ extantium.* 7. *Catalogi Epiſcoporum Salisburgenſium & Auguſtenſium.* 8. *Catalogi Abbatum in Tegernſee, & Ss. Udalrici & Afræ.* 9. *De fundatione Monaſterii S. Michaëlis in Staffelſee, & Dieſſenſis.* 10. *Chronici Hersfeldenſis compendium ex Lamberto Schaffnaburgenſi.* 11. *Collectanea de Hiſtoria S. R. Imperii, & Bavariæ.* 12. *De Inventione Corporis Chriſti juxta Memmingam Sueviæ oppidum.* Et alia quædam. Obiit Vir optimè meritus A. 1532. cùm triginta annos à profeſſione religioſa Monaſterio & patriæ egregiè laborâſſet. *Vid. Leuthner in Chronico Weſſofontano pag.* 389.

Stephanus Abbas S. Michaëlis in Lotharingia, dein Lobienſis, ac ſimul Epiſcopus Tungrenſis ſive Leodienſis, *Vir tam in divinis Scripturis, quàm in ſecularibus literis egregiè doctus, nec minùs Sanctitate, quàm eruditione Clariſſimus.* Ad Epiſcopatum evectus eſt anno 901. vel 903. ut vult Trithemius, vixítque ad annum 920. Scripſit verò ad *Heimannum* Colon. Archiep. *Vitam & Paſſionem S. Lamberti Ep. & Mart. elegantiore Stylo.* Ex libro *Albini* ſeu *Alcuini* Abbatis Turonenſis ordinavit Cantus varios, *de Ss. Trinitate*, *de S. Stephano, aliiſque Sanctis.* MABILLON *Annal. Bened. Tom.* 3. *pag.* 267. 296. 304. & 367. CALMET *Bibl. Lor. pag.* 352. *ſeq.* Trithem. *in Chron. Hirſaug. p.* 51.

Stephanus PIERRE in B. Mariæ Muſſonenſi Abbatia Congr. S. Vitoni 1. Novembr. A. 1724. Profeſſus Philoſophiam & Theologiam docuit, primaque in Congr. munia cum honore obivit. Servando Gregi *Prioris* nomine in S. Arnulpho Metis præfectus, tres, quatuórve diſſertationes epiſtolicas ſcripſit ad *Toſſanum duplex* Congr. S. Mauri Monachum, *de Translatione Reliquiarum S. Santini in Eccleſiam S. Vitoni Veroduni.* Calmet *Suppl. Bibl. Lor. pag.* 74.

T.

Theodorus MOY Veroduni in S. Vitoni Cœnobio monaſticen amplexus 23. Novembris anno 1613. mortales exuvias poſuit Nanceii 1635. 26. Decembris. Labores ejus literarii ſunt: 1. *Vita S. Hydulphi Trevirenſis Archiepiſcopi Gallicè edita Tulli Leucorum in 8...* 2. *Eſſay ſur aucunes guériſons miraculeuſes operées à Moyenmoutier es années* 1626. & 1627. *MS.* 3. *Pharmacie ſpirituelle remplie de bons remèdes contre toutes ſortes de foibleſſes & langueurs d'eſprit. MS.*.. *Calmet pag.* 677.

Thomas MANGEART in S. Apri Tullenſi Cœnobio 21. Decembris anno 1713. profeſſus, ut erat facundus & velut ad ſuggeſtum natus, ſtatim à ſuis Superioribus concionandi officio admotus eſt, quod ille munus in præcipuis Lotharingiæ Urbibus ſumma cum Laude exercuit, atque etiam ut publico magis prodeſſet, *Sermones de purgatorio* à ſe habitos, Tullenſis Epiſcopi hortatu, typis exſcribendos dedit Nanceii 1735. vol. 2. in 8. addito Tractatu dogmatico & critico ejusdem argumenti. Anno 1747. in Auſtriam accitus, Ser.mi Principis *Caroli Alexandri à Lotharingia* Eleëmoſynarius, Antiquarius, Hiſtoriographus & Conſiliarius effectus eſt. Totus in eo jam diſtinetur, ut Principis Numiphylacium augeat & exornet: quæ res adeo feliciter ipſi ſuccedit, ut anno 1750. cimeliarchium plusquam 15000. numismatibus ex ære, auro & argento cuſis locupletatum oſtentaret. *Calmet Bibl. Lor. pag.* 627.

V.

Veremundus GUFL Priflingenſis prope Ratisbonam Cœnobita, natione Tyrolenſis, in generali ſtudio Congregationis Bavaricæ Ss. Canonum & Theologiæ moralis Profeſſor emeritus, publico dedit *Philoſophiam Scholaſticam contra neotericos præcipuè defenſam, experimentorum quoque Matheſeos tùm puræ, tùm mixtæ acceſſionibus auctam.* Ratisbonæ typis & ſumptibus Seiffarti 1750. Tom. IV. in 4. cum figoris. Finis Aothori propoſitus fuit, *Neotericorum*, ut vocat, Syſtemata à Scholis removere, Scholaſticam verò Philoſophiam ſuperfluis ſubtilitatibus exonerare; viciſſim illis, quæ pulchra, quæ utilia novi Philoſophi attuliſſent, relicta ſpatia implere. Atque hinc quæſtiones omittendas aut arctandas deduxit Scholaſtico quidem calamo, ſed in fine, reflexionibus Criticis illarū noditatē oſtendit. Tum verò congruis ſedibus interſeruit Arithmeticam, Geometriam, Trigonometriam, Geo- & Hidro-Staticam, Opticam, Catoptricam, Dioptricam, & quædam experimenta, cum ſuis tabellis æri inciſis. Quæ omnia in præliminari Diſſertatione *de ſelectu Philoſophiæ* latè explicuit; adeo ot opus ipſum plus in receſſu, quàm in fronte exhibeat. Publicæ inſuper Criſi in communi ſuæ Congr. Studio finaliter expoſuit *Crimen Simoniæ* A. 1752. in 4. Hodiernos bonorum Eccleſiaſticorum impugnatores nuper ſibi præſumſit ex jure naturæ & divino potiſſimùm confutandos. Faxit feliciter! *Vid. Ind. pag.* 634.

Vincentius DUCHESNE Veſontionenſis è Lotharingica S. Vitoni Congregatione Monachus in Architecturâ & artibus mechanicis verſatiſſimus, varias ædificiorum ichnographias dedit, nováque inventa ad ſecandum marmor, & ad lapides Salinarum urnis adhibitos magis indurandos, retexit. Ipſus anno 1716. *Ludovicum XV.* Galliæ Regem trium horarom ſpatio ſcribere docuit, oſtendendo omnem literarum formam in duobus ferè ductibus C. & I. conſiſtere. Hac occaſione icon æreis fòrmis expreſſa eſt, in qua Domnus *Vincentius* Regi in tabula ſcribenti adſtans conſpicitur, additâ in baſi hâc epigraphâ:

D. VINCENT DVCHESNE PRÈS DV ROY.
En trois heures de tems le Roy ſçait bien éçrire,
Par un ſecret nouveau, que tout le monde admire,
Le ſeul Dom Ducheſne, enfant de Beſançon,
Sçut faire ce prodige, en moins de ſix leçons.
Calmet Bibl. Lor. pag. 278.

I. O. G. D.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Scriptorum et Rerum memorabilium In tertia parte occurrentium.

Numerus paginam indicat.

A.

ABBAS COMMENDATARIUS. Quis hoc nomine veniat, & unde Abbates Commendatarii dicti. 396. Commendarum Origo col. 2. Commendæ ſunt ſacrilegæ bonorum Eccleſiaſticorum uſurpationes 397. Symmachi Papæ contrà eas Decreta. *Ibid.* Concilia easdem damnant. *ibid.* De varia fortuna Monaſteriorum ratione Commendarum, *pag.* 397. *& ſeqq.* Quo fine, & quibus ex cauſis Monaſteria in Commendas data fuerint. 399. Commendatariorum inhabilitas & repugnantia cum ſtatu Monaſtico. *ibid.* Commendarum poſſeſſio eſt injuſta. *ibid.* Commendæ ſunt contrà Jus divinum, naturæ, & Eccleſiaſticum, nulláque ratione legitimari poſſunt. *pag.* 400. Commendas capucini propugnant. 401.

Abbates ignorantiæ patronos redarguit Trithemius *p.* 233. Tenaciores ad ſubſidia pro Ordine ſtimulat. 257. 259.

ABÆLARDUS (*Petrus*) ad Clauſtrum ſe recipit. 501. Vid. *Heloiſſa.*

ADAMI (*Adamus*) Epiſcopus Hierapolitanus, & Hildeſienſis Suffraganeus. 389. Ejus patria, Parentes, educatio, progreſſus in Studiis, Religioſa profeſſio, Regulæ obſervantia, legum Imperii, & Hiſtoriæ, necnon Theologiæ ſumma peritia, *pag.* 390. Seminario Benedictino Coloniæ præficitur, & SS. Theologiæ Doctor renuntiatur. 391. fit Prior in S. Jacobi Moguntiæ Cœnobio *ibid.* Status rei Catholicæ in Suevia, & Ducatu Würtembergico *ib. col.* 2. Adamus Murhartenſi Monaſterio præfectus, rem Ordinis ore & calamo tuetur, *pag.* 391. Ad pacis Weſtphalicæ Congreſſum legatus, quâ prudentiâ & dexteritate rem geſſerit *ibid.* ne quidquam obitente Duce Würtembergicô in Senatum penetrat. 392. Pace firmatâ Romam mittitur ab Archiepiſcopo Colonienſi, ibique Epiſcopus Hierapolitanus renuntiatur 393. Laboribus litterariis ſe totum reddit, & Acta pacis Weſtphalicæ in compendium redigit *ibid.* Ejus mors A. 1663. Teſtamentum. 394. à quibus illius memoria celebretur *ibid.* Ejus ingenii partus *p.* 393. & 395.

ADALBERTUS S. Vincentii Metis Chronographus. *p.* 654.

Adamus ESTON, Vid. ESTON.

Adamus VILLICUS, Vid. *Villicus.*

ADELA Monialis Marciniacenſis, Carnotenſium, Meldenſium, atque Bleſenſium Comitiſſa 497. Ejus natales & parentes 497. à febri prodigiosè curata marito ſuadet, ut caſtra in terram ſanctam ſequatur *ibid.* quô abſente & peremtô Bleſenſem Comitatum ſuſcipit regendum, 498. atque plura Eccleſiis præſtat beneficia, filiósque in pietate excolit. *ibid.* Infirmatur, & à S. Anſelmo inviſitur. ibid. *col.* 2. Monaſticen Marciniani amplectitur, *ibid. p.* 498. Guillelmi Gemeticenſis de illa teſtimonium. 499. Ejus obitus, Epitaphium, & Scripta. *p.* 499.

Admontium Sanctimonialium Benedictinarum Monaſterium in Styria. In eo viget ſacrarum litterarum ſtudium, *c.* 5. *pag.* 488.

ADO Archiepiſcopus Viennenſis. Ejus patris *p.* 86. Virtutibus & litteris imbuitur Ferrariis inclyto Benedictinæ familiæ Aſceterio. Inde in Prumienſe Monaſterium mittitur, ex quo Romam & Ravennam, deinde Lugdunum petit 87. fit Archiepiſcopus Viennenſis. 87. Moritur A. 875. Ejus Scripta *pag.* 88.

AGUIRRE (*Joſephus Saenz de*) S. R. E. Cardinalis 420. Ejus natales, educatio, profeſſio, & munia *ibid.* Studiis præficitur, & docet Salmanticæ. *ibid.* fit Præſidens ſuæ Congregationis, & Cathedram Petri defendit, atque purpurâ donatur. *ibid. col.* 2. Quietiſtarum Coryphæum proterit *ibid.* Moritur A. 1699. *p.* 420. Modeſta Sepulchralis inſcriptio 421. Ejus ex Brietio elogium *ibid.* Scripta. *pag.* 421. *& ſeqq.*

AICHERUS (*Otto*) Profeſſor Univerſitatis Salisburgenſis. Educatus inter Academica ſubſellia quadraginta octo annis Profeſſorem agit. Vivis eripitur A. 1705. *p.* 435. Bibliothecam Academicam in ordinem digeſſit. Variæ ejus lucubrationes, *c.* 4. §. 24. *p.* 435.

ALBERICUS Monachus Caſinenſis S. R. Cardinalis. 93. Quis fuerit. Berengarium impugnat. *ibid.* Ejus virtutes. Ejus Scripta ubinam extent MS. *c.* 2. §. 13. *pag.* 93.

ALBERICUS, alter *junior* pariter Monachus Caſinenſis. Quis, & quid ſcripſerit. *pag.* 94.

B. ALCUINUS (*Flaccus*) De illius nomine

p. 60. *col.* 2. Ejus patria, genos, educatio, Studia, virtutes. *p.* 61. Egberto Archiepiſcopo charus Eboracenſi Bibliothecæ, dein Scholæ præficitur ab Ælbertô ſucceſſore 61. à Carolo M. in Franciam invitatus Palatinæ Scholæ Magiſter conſtituitur *ibid.* In Angliam, redux iterum vocatur in Franciam *p.* 61. *col.* 2. Turonenſem Abbatiam adeptus tertiò Scholas aperuit 62. In aula Pariſienſi frequens Carolo auctor eſt, ut ibidem publica ſtudia inſtituat. 62. Solutus Aulæ negotiis Deo & ſibi vivit. *ibid. col.* 2. piè obit. A. 804. Ejus vitæ Scriptores. 62. Utrum fuerit Monachus, an Canonicus. 63. Ejus Scripta. *ib. p.* 63. In gratiam Giſlæ & Rictrudis Monialium Commentarium in Evangelium S. Joannis elucobravit. *c.* 5. *pag.* 488.

S. Aldhelmus Epiſcopus Schierburnenſis. 43. Ejus patria, & educatio *ibid.* Literis Græcis & Hebraicis inſtructus, Bladuni Monachum induit. *p.* 43. *col.* 2. Fit Abbas 44. Primus inter Anglos Poëſin excolit *ibid.* Romam acceſſitur & fit Epiſcopus. *ibid. col.* 2. Librum de virginitate ſcribendum ſuſcipit *ibid.* Quantus in literis fuerit 45. Moritur à 709. Scripta *ibi. p.* 45. & *ſeqq.* an Monialium in literis primarius Inſtitutor fuerit. *c.* 5. *p.* 486.

Alexander *de Carpineto* condit Chronicon ſui Monaſterii. 654.

Alvizet (*Arſenius*) commentator in Reg. S. Bened. *p.* 656.

Ambroſius Autpertus. Vid. *Autpertus.*

Angelus de Nuce. Vid. *Nuceus.*

Anonymi *Scriptores. pag.* 639. §. 1.

S. Anselmus Archiepiſcopus Cantuarienſis. 99. Ejus natales & educatio *ibid.* Monachum Becci induit A. 1060. & Cadomenſis Prior efficitur. A. 1063. demum Herluino in Abbatiæ Beccenſis dignitate ſuccedit, & à Giſleberto Epiſcopo conſecratur A. 1079. *pag.* 99. *col.* 2. Evocatus venit Cantuariam, mortuique Lanfranci ibidem Archiepiſcopi dignitatem accipere cogitur *p.* 100. Pro tuenda immunitate Eccleſiaſtica Romam ſe confert *ibid.* In Concilio Barenſi cum Græcis publicè diſputat *p.* 100. Revocatus in Angliam homagium Henrico II. Regi præſtare recuſat. *ibid. col.* 2. Iterùm Romam proficiſcitur. 101. Rebus cum Henrico II. Becci compoſitis in Angliam abit *ibid.* Cantuariæ moritur. A. 1109. Miraculum ante ejus ſepulturam *p.* 101. Quinam ejus vitam deſcripſerint. *ib. col.* 2. Ejus Opera. *ib. p.* 102.

L' Archer (*Antonius*) cujus opuſcula. *p.* 656.

Armellinus (*Marianus*) Abbas è Congregatione Caſinenſi 476. Ejus natale ſolum, progreſſus in ſtudiis, Profeſſio Monaſtica, Præceptores &c.; ad Collegium Anſelmianum mittitur; in virum evadit; fit Philoſophiæ Profeſſor *ibid. col.* 2. Cathedram cum ſacro ſuggeſtu commutat, inſigni facundia Auditores ad ſe pellicit, quos doctrinâ Chriſtianâ inſtruit *p.* 477. Concinnandæ Caſinenſium Scriptorum Bibliothecæ incumbit *ibid.* Variis admovetur officiis. *p.* 477. *col.* 2. Anno 1722. Abbas creatur. *ibid.* Ejus infirmitas, & obitus A. 1737. *p.* 478. *col.* 2. Scripta, *ib.*

Auctores. Quid ad hiſtoriam literariam conferat Auctorum ſeu virorum eruditorum notitia *pag.* 1. Vitæ Auctorum Fœminei ſexûs O. S. B. Doctrinâ, eruditione, ac ſcriptis libris illuſtrium. *c.* 5. *pag.* 485. Vid. *Scriptores.*

Autpertus (*S. Ambroſius*) Ejus patria & primæ juventutis anni *pag.* 57. Cucullum induit. *p.* 58. Orationi & SS. litterarum ſtudio aſſiduè vacat. *ibid.* Commentaria in S. Scripturam ſcribere aggreditur, cujus rationem reddit. 58. Editis in Apocalypſin libris maledicorum invidiam in ſe concitat, quibus leniſſimè reſpondet. *ib. col.* 2. Primus omnium à Romano Pontifice librorum approbationem petit. *ibid. pag.* 59. Præter graves in ſcribendis libris labores prædicarionis quoque munus aſſumit. *ibid.* Abbas eligitur. *col.* 2. Obit A. 778. Scripta. *ib. p.* 59. & 60.

B

Babenstuber (*Ludovicus*) Theologus Ettalenſis. 444. Breve ejus elogium, & natales *ibid.* Saliſburgi annis pluribus docet 444. Moritur. A. 1726. ipſius in Rempublicam literariam merita *col.* 2. Scripta ipſius. *ibid. pag.* 444. & 445.

Bacchinus (*Benedictus*) Abbas Congregationis Caſinenſis. *p.* 445. Ejus natales, parentes, educatio, Profeſſio Religioſa, ſtudia, *ibid.* fit Secretarius Abbatis Arcioni. *col.* 2. Varia conficit itinera *ibid.* Bibliothecam ſui Cœnobii ordinat. *ibid.* à Duce Parmenſi Theologus eligitur. 446. Simultates ei ſuſcitantur *ibid.* Conſultor S. Officii Mutinæ conſtituitur A. 1691. Rainutii Ducis in eum Benevolentia. *p.* 446. Bacchini iter litterarium *ibid.* Ducali Bibliothecæ Mutinæ præficitur *ib. col.* 2. Variis in ſua Congregatione officiis defunctus, tandem moritur A. 1721. Ejus ingenii partus. *p.* 446. & *ſeqq.* Manuſcripta *p.* 448. & *ſeqq.*

Baitelli (*Angelica*) Natalibus illuſtris fœmina virtute & doctrinâ illuſtrior Ordinem S. Benedicti amplectitur *p.* 514. Calamum exercet in ſui cœnobii antiquitatibus illuſtrandis, editque Annales Monaſterii S. Salvatoris Brixiæ. A. 1657. Cozzandi de ea præconium. *p.* 514. *col.* 2.

Bar (*Carolus de*) varia elucubravit opuſcula. *pag.* 658.

Baradat (*Domina de*) dicta *de S. Gertrude*, Monaſterii Jotrenſis virgo Veſtalis. Ejus opera. *c.* 5. *pag.* 491.

Baſilius Valentinus Vid. *Valentinus.*

V. Beda *p.* 46. Ejus natales & educatio 47. Monachum induit. *ibid.* Ejus ſtudium & meditatio Scripturarum, Græcæ linguæ peritia, Præceptores. *ibid. col.* 2. Fit Presbyter, & libros ſcribere incipit. *p.* 47. & *ſeq.* Primus in ſeptem Epiſtolas Canonicas comentatur. *p.* 48. Numerus Diſcipulorũ, quibus varios inſcribit libros *ibid.* ipſius ſanctitas & modeſtia. *p.* 48. *col.* 2. Ejus obitus A. 735. & epitaphium. *p.* 49. Statim poſt mortem *Sanctus.* habetur. *ibid. col.* 2. Cur *Venerabilis Presbyter* dicatur. *ib. pag.* 49. Ejus Scripta.

pag. 50. Ejus opera dubia, & ſuppoſititia. *ib.* *p.* 51. Opera ejus in editis deſiderata *p.* 52. & deperdita *ibid. col.* 2. Opera omnia in unum corpus collecta. *p.* 52. & 53. Bedæ elogia *ibid. col.* 2. Sororem habuit latinè doctam. *c.* 5. *p.* 486.

Belin (*Albertus*) cujus labores literarii laudantur *pag.* 654.

S. Benedictus A. 480. orbi natus *pag.* 2. De genere ejus & proſapiâ *ibid.* Ætatis annô Septimô Romam ad Studia mittitur ibid. col. 2. unde ætatis anno decimoquarto recedit, & in eremum ſe abdit. *pag.* 3. Gymnaſium Sanctioris vitæ aperit A. 506. Sublacum repetit, & nobiles liberos educandos Suſcipit A. 522. Caſinum migrat A. 529. idola evertit & Regulam Scribit, ex quâ elucet ejus Sapientia & vitæ ratio *ibid. pag.* 3. Prædicatione ſuâ gentes ad fidem vocat *pag.* 4. Moritur A. 543. Vitæ ejus Scriptores. *ib. pag.* 4. & 5. Ejus Scripta *pag.* 6. Sacra ipſius Regula an ab ipſo Scripta, *ibid.* Vid. *Regula S. Benedicti.* De aliis Opuſculis S. Benedicto adſcriptis, *ibid. Sect.* 2. *pag.* 32. & *ſeqq.*

Berchorius (*Petrus*) Prior Collegii S. Eligii. Ejus genus, patria, inſtitutum, dignitas, & obitus. *c.* 3. §. 20 *pag.* 183. & 184. Ejus Scripta, *ibid.* & *pag.* 185.

Bernardus (*Aiglerius*) Abbas Caſini, & S.R.E. Cardinalis. Qua gente natus, ejus Inſtitutum, geſta & vita. *pag.* 172. obitus A. 1282. *pag.* 173. Opera, *pag.* 174.

Berthelet (*Gregorius*) polygraphus. *p.* 662. *col.* 2.

Bertrada Vilecenſis Sanctimonialis. Breve ipſius elogium *pag.* 496. Scripſit vitam S. Aleidis *ibid.* claruit circa A. 1030.

Besselius (*Godefridus*) Gottwicenſis in Auſtria Monaſterii Abbas *pag* 481. Natus A. 1672. à teneris Muſas colit *ibid.* Religionem ingreditur A. 1693. Fit Presbyter & Doctor Theologiæ. A. 1696. Acceſitur in Aulam Moguntinam, & ibi Officialis munere fungitur *pag.* 481. Varias legationes ſuſcipit. *pag.* 482. *Eliſabetham* Auguſtam in fide Catholicâ Inſtruit *ib.* Abbas eligitur. Nominatur Theologus ac Legatus Cæſareus. *Caroli Sexti* Imperatoris de eo effatum. Monaſterium flammis A. 1718. abſumtum ſplendidè iuſtaurat. Eccleſiam clenodiis ornat. 482. Singolares ejus virtutes, in pauperes clementia, inſignis facundia, in literas & Literatos propenſio, labores literarii, & conſummata eruditio *pag.* 483. Ex caſu pedem concutit *pag.* 484. ad mortem ſe præparat, quam ſubit A. 1749. Publicum ipſius elogium *ibid.* Inter alia ejus Opera, celebratur Chronicon Gottwicenſe. *pag.* 483.

Billius (*Jacobus*) Abbas S. Michaëlis in Eremô 353. Ejus natale Solum 354. In variis Academiis literarum Studio incombit. *ibid.* Duas Abbatias ægrè acceptat. 354. *col.* 2. Sacro Benedictino Ordini ſe mancipat. *ibid.* Sæviente in Galliis bellô Nannetum primò, tum huc illuc commeat *ibid.* Fratres Germanos amittit. *ibid.* Ad Prioratum de Tauſignis ſe recipit. 355. In literas, quà licuit, incumbit *ibid.* col. 2. Fatis ceſſit Pariſ. A. 1581. 25. Decembr. *ibid.* Ejus Scripta, *pag.* 355. & 356. Auctores qui de eo agunt. *pag.* 357. *col.* 2.

Blemur (*Maria de*) Sanctimonialis è Congregatione perpetuæ adorationis SS. Sacramenti. *pag.* 530. Nobili loco nata A. 1618. à teneris in pietate enutrita juvenis admodùm Sacram veſtem induit, votisque ſolemnibus Deo ſeſe obſtringit. *ibid.* Paulò pòſt Novitiarum Magiſtra, dein Prioriſſa effecta omnium in ſe convertit corda 531. Conſcribendo *Anno Benedictino* manum admovet, Opúsque cum plauſu perficit *ibid.* Ejus in divinis Officiis aſſiduitas & Regularis obſervantiæ amor, quô ſuccenſa ad rigidioris inſtituti Congregationem migrat, ubi ex Magiſtra fit Novitia 532. Varia elucubrat Opera *ibid.* Moritur A. 1696. Ejus Scripta. 532. & eorum criſis *ibid.* fuit Magnæ doctrinæ fœmina, & præclaris operibus celebris. 490.

Böckhn (*Placidus*) Ejus natales; fit Monachus, Doctor & Profeſſor Canonum. Commentarios in Jus Canonicum edit. Procancellarii munere in Univerſitate Salisburgenſi fungitur. In Plain cultum Deiparæ promovet. Vivere deſiit. A. 1752. *pag.* 484. & 485.

S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus. 54. Ejus Patria, & Illuſtriſſima proſapia *ibid.* Ordinem Benedictinum amplectitur. 54. Inſignis ejus progreſſus in literis *ibid.* Monachos & Moniales SS. Literis, Germanos populos Chriſtianis Sacris imbuit, & apud Ipſos Academias inſtituit, literarum ſemper amantiſſimus. *ibid. col.* 2. Martyrio coronatur A. 754. Cavillatio Sagittarii retunditur *pag.* 55. & Heumannus revincitur *pag.* 56. S. Bonifacii vitæ Scriptores. *ibid. col.* 2. Ejus Scripta *pag.* 56. & *ſeqq.* Num S. Bonifacius Monialium in Literis primarius Inſtitutor fuerit, an verò Aldhelmus præiverit, 485. & 486. Moniales ab ipſo in Germaniam accitæ quibus Studiis Incubuerint. *ibid.*

Bossutius (*Jacobus le Boſſu*) Conſultor Congregationis de Auxiliis, Natus A. 1545. Varia ejus munia *pag.* 371. Romam accerſitus Congregationi de auxiliis Sociatur. *ibid.* In Urbe domicilium figit, & pro Eccleſiâ laborat. *ib.* Ejus ex Sanctio elogium hiſtoricum. *p.* 372. Romæ jubetur ſubſiſtere. Ejus animi dotes & Officia *ibid.* Jejunii rigidus Servator, & carnis macerator acerbus. 372. Opus de gratia elucubrandum Suſcipit. *ibid.* Opes ſuas in pauperes diſtribuit, & moritur A. 1626. Ejus Cœnotaphium & Scripta, *ibid.* 373.

Bounbachius. Vid. *Piemontanus.*

Bree (*Balthaſar Reiner à*) Abbas S. Martini Coloniæ cujus elogium *pag.* 369. *col.* 2.

Breulius (*Jacobus*) Prior S. Germani à Patris. Natus A. 1528. fit Monachus & Variis addicitur Officiis. *pag.* 370. Singulares ejus virtutes *ibid.* Opera ab eo

Digitized by Google

vulgata *ibid.* Obitus, A. 1614. & Epitaphium *pag.* 370. *col.* 2. Vitæ ipſius Synopſis ab ipſomet exarata. *ibid.* & *pag.* 371.

S. Bruno Epiſcopus Signienſis, S. R. E. Cardinalis *pag.* 129. *col.* 1. Berengario in Concilio Romano diſputatione repreſsô, Cardinalis & Epiſcopus Signienſis renuntiatur; dein abdicatô Epiſcopatu Abbas Caſinenſis eligitur *ibid.* Juſſu Papæ ad Signienſem Eccleſiam revertitur. *ibid.* Mortuus A. 1125. Beatorum Collegio adjungitur *ibid.* Ejus Scriptæ. *pag.* 129. & 130. Quinam Scriptores ejus meminerint. *ibid. col.* 2.

C.

Cæsarius *de Millendunc* Prumienſis Abbas *pag.* 170. Ordinem Ciſtercienſem in valle S. Petri Heiſterbaci amplectitur A. 1220. An idem cum *Cæſario Heiſterbacenſi*? *p.* 170. *col.* 2. Ejus Opera *ibid.* Vixit ad A. 1237. *p.* 171.

Cajetanus (*Conſtantinus*) Abbas S. Baronti. *p.* 379. Ejus Patria, genus & parentes, Profeſſio Religioſa, & ſtudia *pag.* 379. Romam accitus antiquis monumentis operas dicat *ibid.* Baronio Symbolas communicat. *col.* 2. Bibliothecæ Vaticanæ præficitur. *ibid.* Abbas S. Baronti eligitur. *ibid. col.* 2. Collegium Romæ de propagandâ fide, & Anicianam Bibliothecam excitat. *pag* 380. Moritur. *A.* 1650. ejus opera *p.* 381. & *ſeqq.*

Caillet (*Joſephus*) commentatur in Pſalmos & in Epiſtolas S. Pauli. *pag.* 665.

Calame (*Romanus*) Polygraphus. *p.* 672.

Carolus Fernandus. Vid. *Fernandus.*

Cartier (*Germanus*) Operum editorum copiâ commendatur. 662. †. 1749.

Castanniza (*Joannes de*) *pag.* 367. *col.* 1. Ejus virtutes & munia, nec non lucubrationes. *ibid. col.* 2. Moritur A. 1699. *ibid.* Quanti eum fecerit Alfonſus Curiel in Salmanticenſi Univerſitate primarius SS. Theologiæ Profeſſor *pag* 368.

Chardon (*Carolus*) ſcribit de origine & uſu rituum Eccl. *pag.* 658.

Chretien (*Nicolaus*) Hiſtoriographus. *pag.* 668. *col.* 1.

Christina Abbatiſſa Gandersheimenſis literis imbuta. 487.

Chronici Gottwicenſis à Godefrido de Beſſel ibidem Abbate editi deprædicatio, *c.* 4. §. 38. *pag.* 483.

Clarius (*Iſidorus*) Fulginei Epiſcopus. *p.* 344. *col.* 1. Ejus natales & Religionis Ingreſſus. *pag.* 344. *col.* 2. Sapientiæ & virtute Eccleſiam illuſtrat. *ibid.* Ex Abbate fit Epiſcopus, verbô potens & opere *ibid.* Proventus in pauperes diſtribuit. *ibid.* Gregem ſolicitè paſcit. 345. Ejus patientiæ ſpecimen 345. Quantum doctrinâ præſtiterit *ibid.* In Concilio Tridentino habetur pro oraculo *ibid. col.* 2. Moritur A. 1555. Ejus Epitaphium & ſcripta *p.* 345. *col.* 2. & *ſeq.* Auctores, qui de eo agunt, *pag.* 347.

Claudon (*Barthelom.*) cujus ſcripta. *p.* 656.

Clavenau (*Ignatius*) Græcii in Styriæ natus Admontii literis imbuitur *p.* 427. In conflagratione ejus dem Monaſterii illæſus ſervatur, & ibidem Monachum induit. A. 1658. *pag.* 427. *col.* 2. Lycæi Moderatoribus adjungitur; dein excolendis Religioſis Tyronibus præficitur. 428. Göſſenſi Parthenoni Confeſſarius præficitur *ibid.* Mira ejus frugalitas & abſtinentia. *col.* 2. Aſſidua Chori frequentatio. *ibid. pag.* 428. Ejus patientia in calculi doloribus *p.* 429. Extremi ejus cruciatus, & obitus. A. 1701. Multa in eo præter naturæ ordinem notata *ibid. col.* 2. Opera ejus poſthuma pietatis & doctrinæ ipſius teſtes, *ib. pag.* 429. & 430.

Clemens VI. Pontifex Maximus *p.* 180. In Galliâ nobili loco natus vitæ Monaſticæ, dein Studiis Lutetiæ ſe dat, ubi Theologiam profitetur *ibid.* Venit Romam, pérque varios dignitatum gradus ad Romanam purpuram, & ad Summi Pontificatûs apicem aſcendit. *ibid.* Ejus elogium ex Petrarcha. *p.* 181. Literatos amat in literis ipſe haud parùm verſatus. *ibid.* Moritur A. 1352. Ejus ſcripta. *pag.* 181. *ſeqq.* Vitæ ſcriptor Bosquetus *p.* 183.

Collin (*Ambroſius*) cujus ingenii partus *pag.* 654. recenſentur.

Commenda. Vid. *Abbas Commendatarius.*

Commentatores in Regulam S. Benedicti, quinam & quot ſint. *c.* 1. *Sect.* 1. §. 4. *pag* 12., & *ſeqq.*

Concordia Regularum cum Regula S. Benedicti à quo concinnata, & quanti facienda. *c.* 1. *Sect.* 1. §. 4. *pag.* 14. Vid. *Regula &c.*

Congregatio S. Mauri in Galliâ. Alexandri VIII. Papæ de ea pronunciatum. *c.* 4. §. 51. *pag.* 426.

Conſtantinus Cajetanus. Vid. *Cajetanus.*

Cornelia Piscopia (*Helena Lucretia*) *pag.* 514. *col.* 2. Ipſius genus & patria *pag.* 515. *col.* 2. Ejus à teneris educatio & animi dotes, ingenii acies & eruditio. 516. Septennis literariis ſtudiis addicta linguas ea perfectione diſcit, ut ab ipſa edita ſpecimina mirarentur eruditi omnes *pag.* 517. Sicut in literis, ita in pietate eminuit. *ibid.* Votô caſtitatis ſe obſtringit. *ibid. col.* 2. Philoſophiæ & Theologiæ operam navat eo cum fructu, ut Magiſtrali laureâ fuerit redimita. *pag.* 517. *col.* 2. De eligendo ſtatu deliberat, & ad Leges Benedicti vitam componit à quo propoſito nunquam ſe dimoveri paſſa eſt. 518. Ejus pietas, corporis maceratio, Regularis obſervantia. 519. Gradibus Academicis in Collegio Patavino ſolemniter A. 1678. inauguratur in æde ſumma maximo cum plauſu. 519. & 520. Creſcente eruditionis ipſius famâ in varias accerſitur Societates literarias. 520. *col.* 2. Apud exteros celebris, & Principibus grata, ſummis honoribus & teſſeris cumulatur. 421. Accitis Doctoribus Sorbonicis in linguis & ſcientiis ſpecimina edit. *pag.* 522. & *ſeqq.* Morbi, quibus conflictata fuit; adhibita remedia; obitus ipſius A. 1684. funebris ritus, & honores *pag.* 523. Epitaphium

Digitized by Google

phium, & alia honoris monumenta, atque elogia. 523. & ſeqq. Mabillonii de ea commendatio pag. 524. Ejus corporis & animi dotes, æqui & juſti amantiſſima, inter litigantes arbitra cauſas dirimit. pag. 524. aliæ virtutes ipſius. p. 525. Ejus ingenii partus. pag. 526 & ſeqq.

Corvenus (*David Gregorius*) naſcitur A. 1587. Pragæ & Græcii ſtudet pag. 375. Parochi munere fungitur. ibid. Ex Parocho fit Monachus. 376. Rem Catholicam promovet. ibid à perduellibus hæreticis malè habetur, & in carcerem conjicitur. 376. Redux ad Monaſterium Abbas eligitur. ibid. Conſiliarius Cæſareus, Sacri Palatii Comes, & Rector Univerſitatis Viennenſis renunciatur A. 1638. p. 376. col. 2. Moritur, A. 1648. Ejus modeſtia, ibid. Libri ab eo Scripti. pag. 376. & ſeqq. corrigendi errores ibidem in anno obitûs ad marginem.

Cortesius (*Gregorius*) S. R. E. Cardinalis. Ejus natales; in linguis, moribus, & ſcientiis inſtruitur pag. 339. Juri Civili & Canonico operam navat. 340. Sermonis nitore, & Græca linguâ eminet. ibid. Ex auditore cauſarum fit Monachus. ibid Ad Lerinenſes accerſitur. pag. 341. Summorum virorum gratiam colligit pluréſque diſcipulos ad ſe allicit. ibid Siniſtra valetudine afficitur. 341. Abbas renuntiatur. pag. 342. pòſt Cardinalis & Epiſcopus creatur. A. 1542. Moritur. A. 1548. pag. 343. col. 1. Ejus ingenii partus. ibid pag. 343. & 344.

Covat (*Petrus*) cujus opera pag. 669.

Crucifixa à *Conceptione* (Maria) Vid. Maria Crucifixa.

D.

Damiani. Vid. *Petrus Damiani.*

Dard (*Benedictus*) Aſceta. pag. 657.

Deim (*Benedictus*) pag. 667.

Delfavius ſeu Delfau (*Franciſcus*) natus A. 1637. Profeſſus 1656. Ejus ſtudia, & ingenii acies pag. 395. Edendis Auguſtini Operibus admovetur. ibid. Solum vertere coactus mari Armorico mergitur. A. 1676. Eruditorum ob ejus fata planctus. 395. Epitaphia. pag. 396. Scripſit inter alia librum ſub titulo: *Abbas Commendatarius.* duabus partibus diſtinctum, propter quem Solum vertere juſſus eſt. 396. & ſeqq. Vid. *Abbas Commendatarius.* alia ejus Opera. pag. 401.

Dimudis Sanctimonialis Weſſofontana. 494. Ejus natales. ibid Arte Scribendi peritiſſima, plures deſcripſit libros. 495. col 1. & ſeq. Floruit circa A. 1073. ibid. Quædam ejus epiſtolæ pag. 496.

Dornblüet (*Auguſtinus*) Gengenbacenſis, cujus labores literarii. pag. 656.

Drogo S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis pag. 140. Ejus patria & vita clauſtralis ibid. col. 2. Abbas præficitur Cœnobio S. Joannis Laudunenſis. A. 1128. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis creatur A. 1136. Ejus Scripta. pag. 140. col. 2. † 1138.

Duchesne (*Vincentius*) in Mechanicis verſatus. pag. 674.

Durand (*Leopoldus*) Polygraphus p. 666. & ſeq.

E.

Eadmerus Epiſcopus S. Andreæ in Scotia. pag. 140. in Cantuarienſi Cœnobio Monachus factus, S. Anſelmo Comes jungitur, quocum Concilio Barenſi intereſt. pag. 141. Multa literis conſignat. ibid. Epiſcopatus ei defertur, quô ſe abdicat. pag. 141. & ſeq. Moritur A. 1137. Ejus Scripta ibid. pag. 142. & 143.

S. Elisabetha Schœnaugiæ Abbatiſſa p. 499. Ortus ipſius & Profeſſio religioſa. ibid. Cœlitùs inſtructa viſiones ſuas revelat, quas *Ecbertus* literis conſignat. p. 499. Oudinus, qui eas impugnat, refellitur, & cum aliis fanaticis caſtigatur. 500. Franciſci Riberæ & Ludovici Mesuil hac de re judicia. ibid. Ejus obitus A. 1165. Viſionum libri quinque à quo editi. 500. Emiconis Abbatis libellus de laudibus S. Eliſabethæ. ibid. col. 2. Elogium ob peritiam linguæ latinæ pag. 490.

Ellenbogius (*Nicolaus*) Ejus natales & ſtudia. pag 330. Religionis ingreſſus & munia. ibid. Obitus A. 1543. & Epitaphium. pag. 339. Ejus ingenii partus. ibid. col. 1.

Engel (*Ludovicus*) SS. Canonum Doctor & Profeſſor. pag. 401. Illuſtri locô natus Monachum induit Mellici A. 1654. juris utriusque Doctor Salisburgi renunciatur. A. 1657 pag. 401. col. 2. Interpretandis Canonibus adhibetur. A. 1659. Evulgat Manuale Parochorum pag. 402. Ejusdem libellus de privilegiis Monaſticis, & Collegium Juris Canonici laudantur. ibid. col. 2. Parochus effectus moritur. A. 1674. ipſius Elogium & Opera. ibid. pag. 402. & 403.

Engelbertus Abbas Admontenſis pag. 175. col. 1. Ejus natales, inſtitutum, & vita. ibid. col. 2. Moritur A. 1331. pag. 176. Opera p. 177. & ſeqq.

Escaille (*Antonius l'*) Gerſenio vindicat libros de imitatione. pag. 656.

Eston (*Adamus*) S. R. E. Cardinalis pag. 185. Unde oriundus. ibid. Ejus inſtitutum, dignitas, ærumnæ, ab iis liberatio pag. 186. Romæ moritur. A. 1397. Ejus Epitaphium & elogium pag. 186. col. 2. Varia ejus Scripta. pag. 187. Godwini de iis judicium. p. 188.

Etiennot. Vid. *Stephanotius.*

F.

Fangé (*Auguſtinus*) Calmeti Coadjutor. pag. 656.

Faucherius (*Dionyſius*) Prior Lerinenſis. pag. 351. Natus A. 1492. Monachum induit. A. 1508. Lerinam translatus pro inſtaurandâ diſciplinâ laborat. pag. 351. Taraſconenſes Moniales latinis literis imbuit. ibid. & pag. 352. Ejus ſtudia & officia, mors, Epitaphia, quæ ſibi ipſi com-

compoſuit decumbens & morti proximus. *pag.* 352. Ipſius lucubrationes. *ibid.* † A. 1562.

Faulques (*Henricus*) plura ingenil ſui monumenta edidit. *pag.* 663.

Feckenamus (*Joannes*) Ultimus Weſtmonaſterienſis in Aoglia Abbas. *pag.* 357. Ejus natales, patria, parentes, ſtudia, Monachatus, Aſyla, fata. *pag.* 358. Londini incluſio, & hujus cauſæ *ibidem* cuſtodiâ mittitur ad diſputationes de fide: carceri retruditur, & iterùm liberatur. *ibid.* Abbas Weſtmonaſterienſis factus, pro Eliſabetha interpellat. *col.* 2. Ad eam Regno jam potientem accitus Religionis cauſam perorat. *pag.* 359. Pro fide diſputare affectat. *ibid.* In cuſtodiam iteratò conjicitur. *col.* 2. Ipſius contrà Horoum defenſio. *ibid.* Moritur A. 1585. Ejus animi & corporis dotes, ac elogium. *pag.* 359. *col.* 2. Doctorina & zelus pro avitâ fide. *p.* 360. Incarceratio & Lucubrationes. *pag.* 360.

Fernandus (*Carolus*) Quid de eo memoret Trithemius. *c.* 3. §. 28. *pag.* 203. Ejus Scripta. *ibid.*

G.

Ganot (*Robertus*) Hiſtoriam generalem O. S. B. condidit. *pag.* 671. alia ejus opera 672.

Geisserus (*Georgius*) Abbas ad S. Georgium in Sylva nigrâ natus. A. 1639. literis imbuitur Ochſenhuſii, ac præclara vivacis ingenii ſpecimina edit. *c.* 4. §. 15. *pag.* 403. Monaſticen Villingæ profitetur. A. 1656. Perceptis cum laude ſcientiis alios inſtruit. *pag.* 403. Parochum agit de cura ſalutis maximè ſolicitus. *ibid.* Prior, tùm Abbas renuntiatur. *col.* 2. Virtutibus claret. *p.* 404. Severa ejus vivendi ratio & Singularis in agendis prudentia. *pag.* 405. Orator ad Electorem Palatinum pro recuperandis Monaſteriis ablegatur. *col.* 2. Dæmonis technas ipſius Cœnobitis ſtructas avertit, & veneficia curat. *pag.* 405. Mortis ſuæ diem prænontiat, & denaſcitur. A. 1690. *pag.* 406. Ejus Opera. *ibid. col.* 1. à quibus ejus memoria celebretur. *col.* 2.

Genebrardus (*Gilbertus*) Archiepiſcopus Aquenſis. Ejus natales, Monachatus, ſtudia, *c.* 3. §. 43. *pag.* 361. Romam petit. *pag.* 362. inde redux avitam Religionem propugnat. *ibid.* Aquenſis Archiepiſcopus creatur. A. 1591. quinquennio poſt ejicitur. *pag.* 362. Evulgat librum de jure Sacrarum electioonum. *ibid.* Moritur. A. 1597. Ejus Epitaphium. *ibid. col.* 2. Encomia, & de eo teſtimonia. *pag.* 364. & *ſeqq.* Vitæ Scriptores. *pag.* 366.

Gerburdis Gandersheimenſis Abbatiſſa Ludolphi Ducis Saxoniæ filia, literis docta, *c.* 5. *pag.* 487.

SS. Gertrudis & *Mechtildis* Sorores & Abbatiſſæ. *p.* 510. Utriuſque ortus, profeſſio Religioſa, virtus & doctrina. *ibid.* Divinoû nutu revelationes ſuas literis conſignant, quas ineptè ſugillat Oudinus; laudant & approbant viri Sapientiſſimi. *pag.* 511. Harum revelationum Interpretes & Editores. *ibid. col.* 2. & *pag.* 512. Earum Biographi. *pag* 513. Scriptores, qui ex harum revelationum libris nova procuderunt Opera. *ibid. col.* 2. S. Gertrudis ob linguæ Latinæ peritiam elogium *c.* 5 *pag.* 490.

Gezo Derthonenſis de Corpore & Sanguine Chriſti. *pag.* 662.

Gifford (*Guilielmus*) Archiepiſcopus Rhemenſis Comitum ſtemmate natus. *pag.* 373. Oxonii literis addicitur; indè Lovanium migrat, ubi Bellarminum docentem audit. Pariſios poſteà, deinde Romam petit. *pag.* 374. In Pontamuſſana Acedemia Doctor creatur. Romam iterum proficiſcitur; indè ad Rhemenſes redux Monaſticen induit. *col.* 2. Prior Maclovienſis & Congregationis Anglicanæ Præſes eligitur. *ibid.* Fit Rhemenſis Suffraganeus, dein Archiepiſcopus circa A. 1622. *obiit* 1629. Ejus Scripta. *ibid. col.* 2.

Godefridus Abbas Admontenſis. *pag* 161. Quis fuerit. *ibid.* Monachus efficitur in Monaſterio S. Georgii in Sylva Hercynia. *ibid.* primò Abbas Weingartenſis, dein Admontenſis eligitur. *ibid. col.* 2. Admontium incendio abſumptum intrà annum ferè reſtituit S. Eberhardi potiſſimùm munificentiâ. *pag.* 161. *col.* 1. Summi fit à viris clariſſimis. *col.* 2. Moritur A. 1165. *ibid.* Ejus Scripta. *pag.* 162.

Godefridus *Beſſelius.* Vid. Besselius.

Goffridus Abbas Vindocinenſis, & R. E. Cardinalis. *pag.* 132. *col.* 2. Monachis Vindocinenſibus accenſetur *ibid.* Novitius adhuc Abbas eligitur *pag.* 133. Tribus ſummis Pontificibus charus, pro utilitate Eccleſiæ Romanæ duodecies alpes ſuperat. *ibid.* Sirmondus Goffridi Biographus. *pag.* 133. Epiſtolarum ejus libri quinque. *ibid.* Opuſcula decem & octo. *col.* 2. Sermones undecim *p.* 134. Quinam Scriptores de Goffrido agant. *ibid.*

Gondrecourt (*Carolus de*) ſcribit acta Caroli de Durre. *pag.* 658. *col.* 1.

Gotescalcus Orbacenſis Monachus *pag.* 104. Ipſius hiſtoriæ Synopſis & Apologia Auctore Henrico Noriſio S. R. E. Cardinali tribus capitibus comprehenſa. *pag.* 105. & *ſeqq.* Ejuſdem hiſtoriæ Synopſis priori oppoſita, Auctore R. P. Ludovico du Meſnil Soc. Jeſu. *ibid. pag.* 122. & *ſeqq.* Mabillonii de Gotheſcalco judicium *pag.* 126.

Gottwicensis Chronici deprædicatio. *pag.* 390. *col.* 2.

Gregorius M. Papa *pag.* 34. Ejus natales, & educatio. *ibid.* Ethicen maximè coluit *p.* 35. Ad dignitates in Urbe evehitur. *ibid.* Vitam Monaſticam amplectitur. *col.* 1. Conſtantinopolim mittitur. *col.* 2. Romæ Abbas primùm, deinde Pontifex eligitur. *ibid.* Ejus de literis cura *ibid. col.* 2. Varia ipſius elogia. 36. Quantus otii & deſidiæ oſor fuerit. *ibid.* Obitus A. 604. Scripta *per Tomos recenſita. pag.* 36. & *ſeqq.*

Gubb-

Gutelius (*Veremundus*) cujus Scripta. *pag.* 674.
Guillemin (*Petrus*) commentator in S. Scripturam *pag.* 669.

H.

Haeftenus (*Benedictus*) Præpoſitus Affligemienſis. Ejus natales, ſtudia, profeſſio Religioſa, Officia, c. 4. §. 7. *pag.* 377. Ejus elogium, *ibid.* Linguarum paritia, eruditio, animi demiſſio, Aſceſeos cultus, Hoſpitalitas, facundia, amœnitas, modeſtia, Candor, &c. Opera. *pag.* 377. & *ſeqq.* Cœnotaphium. *pag.* 379.
S. Hathumoda Abbatiſſa Gandersheimenſis, & Ludolphi Saxoniæ Ducis filia, literis imbuta fuiſſe perhibetur. *c.* 5. *p.* 487.
Heloissa Paracletenſis Abbatiſſa, Natalibus, doctrinâ, & corporis formâ præſtans, à proco Abælardo furtim ſeducitur, & ad connubium urgetur, quod variis ex motivis ipſa detrectat: initô demùm conjugiô, in Monaſteriô ſe abdit; Abælardus quoque ad clauſtri latibula confugit. *c.* 5. §. 6. *p.* 501. Separati varias invicem ſcribunt epiſtolas, ex quibus muliebris levitas, & maſcula gravitas eluceſcunt. 502. Heloiſſæ virtutes & elogium. *ib.* S. Bernardi, Petri Mauritii, &c. in eam affectus. *col.* 2. Abælardi & Heloiſſæ obitus. *ibid.* Quid de ea Fabricius, & alii Scriptores cenſeant. *ibid. col.* 2. Utriúsque epiſtolæ à Gervaſio editæ. *ib. pag.* 503.
Hennezon (*Henricus*) lucubrationes plurimas edidit. *p.* 663.
Henriet (*Benedictus*) varia ſcripſit opera. *pag.* 657.
Herradis Hohenburgenſis Abbatiſſa. Virtute & doctrina præſtat. *p.* 509. Ab ea ſupereſt ſententiarum liber præliminari epiſtola & Dithyrambis exornatus. *col.* 2. & *pag.* 510.
Herveus Burgidoleoſis Aſceta *p.* 130. Ejus patria, laudes, & merita à Monachis Burgidolenſibus in Epiſtola Encyclica celebrantur, in qua & ejus Opera recenſentur. *p.* 131. Quinam Auctores de eo agant. *ib. pag.* 132.
Hildæ Monaſterii Streaneshalenſis Abbatiſſæ elogium. *c.* 5. *pag.* 486.
Hildebertus (*Venerabilis*) Patria Vindocinenſis. *p* 134. Magiſtro utitur Berengario, cujus errorem non hauſit *col.* 2. Cluniacenſe Cœnobium ingreditur. *ibid.* In Epiſcopum Cenomanenſem aſſumtus multa patitur. *p.* 134. *col.* 2. Cleri populique ſtudia in ſuum Præſulem. 135. Ejus de emendandis populi, inprimis verò Cleri vitiis, itémque de ornandis Eccleſiis cura. *ibid.* Monachia Cenomanenſibus favet. *ibid.* Archiepiſcopus Turonenſis eligitur. A. 1125. Concilium provinciale celebrat. *p.* 136. Curat, ut populis benè ſit. *col.* 2. Magna ævo illo authoritate valet. *ibid.* S. Anſelmo Auctor eſt, ut ſcribat Tractatum de ſpiritu ſancto. *pag.* 137. Moritur. A. 1134. Ejus opera à D. Beaugendre edita Pariſiis. A. 1705. *ibid. pag.* 137. & *ſeqq.*

S. Hildegardis Abbatiſſa in monte S. Ruperti propè Bingas. *p.* 503. Natales ipſius, educatio, & Religionis profeſſio. *ibid.* Cœleſtibus viſionibus illoſtrata, eas literis conſignat, quas Eugenius III. Papa indicta Synodo examinat, & cum S. Bernardo aliiſque approbat. 503. *col.* 2. Magnates Hildegardem paſſim conſulunt. *ibid.* Obiit. A. 1178. *p.* 504. Ejus elogiom ex Anonymo, & Alberico triom ſontium Monacho. *p.* 504. Ejus ſcripta. *ibid. col.* 2. & *ſeq.* Recenſentur aliorum Epiſtolæ ad eam ſcriptæ. *pag.* 505. & *ſeqq.* Laudatur ob linguæ latinæ peritiam. *c.* 5. *pag.* 490.
Hincmari Remenſis crudelitas in Rothadum & Gotheſcalcum. *p.* 112. & 116.
Historiæ *Literariæ* fructus & commoda. *pag.* 1. & in Præfatione.

J.

Jacquet (*Anton.*) S. Manſueti Tullenſis ſcripſit opuſculum ſub tit: *Solitudo Gandenſis. p.* 655.
S. Ildephonsus Archiepiſcopus Toletanus. Ejus natales & parentes *p.* 39. Agalienſe Cœnobium ingreditur. *col.* 2. Eugenii Toletani curâ literis imbuitur. *ibid* Toletanæ Eccleſiæ præficitur. *p.* 39. & 40. *obiit* A. 669. Hermanni Monachi de eo teſtimonium. *pag.* 40. Ipſius ingenii monumenta. *ibid. col.* 2. & *ſeqq.* Opera dubia & ſuppoſititia. *p.* 42. Julianus ejus Biographus. *pag.* 43.
Jobal (*Franciſcus*) commentator in pſalmos &c. *pag.* 661. *col.* 1.
Jobart (*Hidulphus*) cujus labores lit. *pag.* 663.
Isle (*Joſephi del*) ſcripta *pag.* 665.
Joſephus Saenz de Aguirre. Vid. *Aguirre.*
Jurata (*Regina*) Claro genere nata S. Benedicti legibus ſe mancipat, & aſceſin maxime excoluit. *p.* 528. moritur. A. 1685. Scripta ipſius. *ibid. p.* 528.

K.

Kham (*Corbinianus*) Ejus natales, Profeſſio, ſtudia, Profeſſuræ, Officia, labores literatii. *p.* 457. obiit. 1730.
Kopp (*Fridolinus*) de actis Murenſibus. *pag.* 661. *col.* 2.

L.

B. Lanfrancus Arhiepiſcopus Cantuarienſis. *p.* 94. Illuſtri ortus proſapia, ſtudia excolit. *p.* 94. De vita Monaſtica cogitat, eámque Becci amplectitur. *ibid. col.* 2. publicè docet *p.* 94. & *ſeq.* Licèt à ſuperbia ſuperbiſque plurimum abhorreret, invidiæ tamen tela evitare nequivit. *p.* 95. Abbas in Cadomenſi Monaſterio. A. 1063. dein Epiſcopus Cantuarienſis renuntiatur. A. 1070. *p.* 95. & *ſeq.* De ipſo B. Herluini ſomniom, cujus veritatem eventus comprobat. *ibid. pag.* 96. Plura ejus facinora enarrantur. *p.* 97. Breve ipſius vitæ compendium. *ibid.* Ejus Opera *p.* 97. & 98. Moritur. A. 1089.
Leopoldaa (*Stephanus*) Weſſofontanus ad A. 1532. polygraphus. *p.* 673.

Lin-

LIDGATUS (*Joannes*) Natione Anglus, Monachus S. Benedicti, Pariſinam & Patavinam Academias adit. *pag.* 194. Redux in patriam literas humaniores docet. *ibid. col.* 2. Ejus ſcripta. *pag.* 194. obiit circa. A. 1440. Ejus Epitaphium & Scriptores, qui ipſius meminerunt. *pag.* 195.

S. LIOBA à S. Bonifacio ex Anglia in Germaniam evocatur, ut Moniales divinis Scripturis inſtruat. *col.* 5. *pag.* 488.

LITERÆ. Quotuplex ſit in literis proficiendi via, & quænam ſit præferenda. *pag.* 1.

LUPUS (*B. Servatus*) Ejus patria, familia & literarum ſtudia. 83. Ferrariis Monachum induitur. Fuldam ſtudiorum cauſa mittitur. *ibid.* Magiſtri munus obit in ſuo Cœnobio. *col.* 2. In Aulam Cæſaream adlegitur. *ibid.* Fit Presbyter & Abbas. *pag.* 83. Ejus de literis, imprimis verò de virtutibus cura. 84. Caſtra ſequi jubetur à Rege. *ibid. col.* 2. Difficillimis temporibus præeſt. 85. Undè *Servatus* cognominetur. *ibid.* In bello capitur. A. 844. Legatione pro Carolo Rege fungitur *pag.* 85. Synodo Epiſcopali, Itémque Conventui apud Marſnam ſecùs Trajectum, necnon Concilio Sueſſionenſi intereſt. *ibid.* Ingenium illi elegans & feſtivum. *ibid. col.* 2. Vivere deſinit. A. 861. Ejus Scripta editionis Baluzianæ. *p.* 86. Elogium. *ibid. col.* 2.

M.

MABILLONIUS (*Joannes*) MAGNI nomen promeritus. 436. Ejus natales, Profeſſio Religioſa *ibid.* Cellarii munus gerit. *c.* 2. Acherio ſocius adjungitur. A. 1664. S. Bernardi Opera recenſet, & illuſtrat. *ibid.* Actis SS. O. S. B. manum admovet, atque eruditis notis & præfationibus exornat. 437. Vetera edit Analecta. *ibid.* Rem Diplomaticam illuſtrat; hujus operis præſtantia & utilitas. *ibid.* Ejus iter per Germaniam, & Italiam. 437. Tractatus de ſtudiis Monaſticis. *ibid. col.* 2. Annales Benedictini 438. Extrema vitæ periodus. A. 1707. Ejus virtus & eruditio in ſingulis ipſius lucubrationibus relucent. 438. Ipſius vitæ ſcriptores. *ibid.* & opera. *pag.* 438. & 439.

MAIHEW (*Eduardus*) de quo plura. *p.* 660.

MAILLOT (*Nicolaus*) Agredæ propoſitiones confutat. *pag.* 668. *col.* 2. Alia ejus opera. *ibid.*

MAINOTÆ. Qui ſint. *c.* 4. §. 23. *pag.* 430. *col.* 2. Eorum ritus & errores. *ibid. pag.* 433. &c. ab iis revocantur ab Oderiſio Pierio. *ib.* Vid. Pierius.

MARECHAL (*Bernard.*) agit de concordantia patrum. *pag.* 658.

MANGEART (*Thomas*) Antiquarios & Hiſtoriographus. *p.* 674.

MARGARITA *à S. Gertrude* Vallis-Gratiæ in Gallia Abbatiſſa O. S. B. literis conſpicua. *c.* 5. *pag.* 490.

MARIA *Crucifixa à Conceptione.* 528. Ipſius natales, educatio, & Religionis ingreſſus. *ibid.* in qua omni virtute, pietate, & patientia effulſit; prodigiis, gratiis, ac doctrina cœlitùs hauſta mirificè illuſtrata ad cœlites migrat. A. 1699. Ejus Ingenii fœtus *pag.* 530.

MARRE (*Joannes de*) Epiſcopus Condomienſis. *pag.* 333. *col.* 2. Natus A. 1436. Monachus efficitur. *ibid.* primò Juris Utriúsque Doctor, ac Prior; demùm Epiſcopus renuntiatur. A. 1496. *p.* 334. *col.* 1. Arnoldi Ferroni de eo teſtimonium. *col.* 2. Illius Ingenii monumenta. *ibid.* Badii ad eum epiſtola. *p.* 335. vivere deſiit. A. 1521. *ibid. col.* 2.

MARTINUS Abbas Scotorum Viennæ. *p.* 201. *col.* 2. Natione Hungarus, Monachum induit in Campania Regni Neapolitani provincia. *ibid.* Inde rigoris cauſa diſcedens Viennæ iterùm Monachus, ac denique Abbas efficitur. *p.* 201. Monaſteria viſitat. 202. Poſita cura paſtorali ſcribere aggreditur *Senatorium*, & alia Opuſcula. *ibid. col.* 2. Obiit ante A. 1470. *ib.*

MATTHÆUS *Pariſius.* Vid. *Pariſius.*

MAURITIUS (*S. Petrus*) cognomento *Venerabilis*, Abbas Cluniacenſis. *p.* 151. *col.* 1. Ejus natales & parentes. *ibid.* Monaſtiçen amplexus, cùm in ſtudiis multum profeciſſet *Seniorum Doctoris* aliáque munia obit. *ibid.* Poſtea Abbas factus ſubditos ad pietatis & literarum ſtudium inducit. 151. Petri Pictavienſis de eo elogium, & ad lucubrandum adhortatio. *ibid. col.* 2. Poſt confecta graviſſima negotia ſacro & literato otio fruiturus non procul Cluniaco in ſolitudinem ſecedit. 152. Inde ad Petrum Pictavienſem literas, & lucubrationes ſuas dirigit. *col.* 2. Unde *Venerabilis* dictus. *ibid.* ſanctè moritur. A. 1156. *p.* 153. Ejus Epitaphium, & Scripta. *pag.* 153. & 154. Operum ejus Editores, & Scriptores qui de eo mentionem faciunt. *p.* 154. & 155.

MAURUS (*Rabanus*) Vid. *Rabanus Maurus.*

MAZEN (*Venerabilis Nicolaus de*) Ejus natales & patria. 192. Studiorum cauſa viennam miſſus SS. Theologiæ Baccalaureus, & Rector Univerſitatis creatur *ibid.* Sublaci Monaſticam veſtem induit. *col.* 2. Monaſterium S. Annæ propè Neapolim ſibi commiſſum optimè regit. *ibid. col.* 2. Ad Concilium Conſtantienſe veniens Pontificiâ tiarâ à nonnullis dignus judicatur. 193. Ad Inſtantiam Alberti Ducis miſſus à Martino Papa V. coloniam deducit in Auſtriam, factus poſtea Abbas Mellicenſis. *ib. col.* 2. Septendecim Monaſteria reformat. 194. vita cedit. A. 1425. Ejus opera. *ibid. pag.* 194.

MEGRIGNY (*Renata de*) Abbatiſſa Caromontenſis apud Biturīges Monaſterii. Ejus ob doctrinam elogium. *c.* 5. *pag.* 491.

MEICHELBECKIUS (*Carolus*) Benedicto-Burani in Bavaria Cœnobii Monachus. 458. Ejus natales, educatio, & ingreſſus in Religionem. *ibid. col.* 2. altiora ſtudia & munia. *ibid.* Philoſophiam, & mox Theologiam docet. 459. Fit Hiſtoricus ſuæ Congregationis. *ibid.* Archivum Benedicto-Buranum inſtruit, illúdque tomis quatuor deſcribit. *col.* 2. Multorum ore celebratur. *ibid.* Senſerum Paſſautam reducit. 460. Paſſionem S. Anaſtaſiæ edit. *ibid.* Romam mittitur *ibid.* Res ibi ab ipſo geſtæ. *col.* 2. Scribit Necro- & Biologium.

gium. *ibid. p.* 460. *col.* 2. Campidonam invitatur, & Fuldam. 461. In Auiam Friſingenſem accitus Hiſtoriam conſcribit. *ibid. pag.* 461. Hujus operis elogia eruditorum. *ibid. pag.* 462. & 463. Chronicon domeſticum ſcribere aggreditur. 463. *col.* 2. Moritur. A. 1734. *pag.* 464. Prudentia & veritatis ſtudium. *ib. col.* 2. Ejus Operum index. 465.

S. Mechtildis Vid. *Gertrudis & Mechtildis.*

Mengin (*Ambroſius*) cujus ſcripta *p.* 655.

Mercier (*Ambroſius*) Theologiam ſcripſit Dogmaticam. *pag.* 655.

Michel (*Remigius*) varia in S. Scripturam condidit opuſcula. *pag.* 671.

Milada Boleſlai Bohemiæ Ducis filia. Romæ in Sanctimonialium Benedictinarum Cœnobio literis inſtructa, & velô donata Pragam redit, & S. Georgii Aſceterium illuſtrat. *c.* 5. *pag.* 490.

Monachi, Seculo XIII. & ſequentibus ſtudia remittunt. *pag.* 488. Deſides & inſipidos egregie vellicat Trithemius. *pag.* 234.

Moniales. Num S. Bonifacius Monialium in literis Inſtitutor primarius fuerit. *c.* 5. *pag.* 485. ab ipſo in Germaniam accitæ quibus ſtudiis incubuerint. *ibid. p.* 486. Heidenheimenſes & Gandersheimenſes Moniales literis incytæ. *ib. pag.* 487. Moniales Admontenſes Sacris ſtudiis intentæ, & in Scripturis exercitatæ fuerunt. *ib. pag.* 488. Seculo XIII. & ſequentibus Moniales æquè ac Monachi ſtudia remittunt. *ib.* Eas Patres Concilii Clavecovienſis hortantur ad excolendas literas. *ibid.* Moniales in Gallia pecuniis magis, quàm ſcientiis inhiant. *ibid.* Motem hunc à ſuo Paracletenſi Gynecæo arcet Abœlardus, ſuáſque exemplo Hieronymi, & Heloiſſæ olim uxoris ſuæ, quam ipſis præfecerat, ad ſtudia excitat. *ib.* Fancherius Taraſconenſes Moniales pariter ad ſtudia ſtimulat, & inſtruit. *ibid. pag.* 489.

Montfaucon (*Bernardus de*) natus an. 1655. Ex milite fit Monachus. Ejus ſtudia. Iter literarium in Italiam. Inter Academicos Regios cooptatur *pag.* 479. Ipſius Opera. *ibid. & p.* 480. Elogium, & obitus. A. 1741. *pag.* 481.

Moy (*Theodorus*) cujus Opuſcula recenſentur. *pag.* 674.

N.

Nicolaus *de Mazen.* Vid. *Mazen.*

Ninianus *Winzetus.* Vid. *Winzetus.*

Nuceus (*Angelus de Nuce*) Archiepiſcopus Roſſanenſis. *pag.* 407. Ejus natales, Profeſſio, & ſtudia. *ibid.* Abbas inauguratus A. 1651. Diſciplinam & ſtudia egregiè promovet. 407. Synodum Caſſini celebrat. A. 1658. Jura Caſinenſium vindicat. *ibid.* Fundatorum ſtatuas excitat. *pag.* 407. Frequens illi Sermo de rebus ad ſcientias ſpectantibus. 408. In ſumma apud Cardinales dignatione fuit. *ibid.* Chronica Caſinenſis Monaſterii typis reddit cum notis, circà quas variant Criticorum judicia. *ibid. pag.* 408. Refellendis quatuor Gallicani Cleri propoſitionibus adhibetur. *p.* 409. Illarum cenſuram procudit, quæ aliquibus acerbior viſa eſt. 409. Alia ejusdem Opera. *ibid. pag.* 409. & *ſeqq.* Ejus elogium. *p.* 411. animi demiſſio & modeſtia, aliáque geſta, labores, Officia, virtutes, cura paſtoralis, beneficia Roſſanenſibus præſtita. *ibid.* Reſignat Archiepiſcopatum. *ib. pag.* 412. *col.* 2. Obitus ipſius, & funeris deſcriptio. 413. Honores ab Arcadum Academiâ eidem exhibiti. *ibid.* Extrema illius fata & animi conſtantia. *ib. pag.* 413. *col.* 2. † A. 1691.

O.

Oddo Abbas S. Martini Tornacenſis, atque Epiſcopus Cameracenſis. Natus 1087. Tornaci publicè docet. *pag.* 126. Lectione S. Auguſtini penitùs immutatus fit Monachus, Abbas, denique Epiſcopus Cameracenſis. 127. ab Henrico IV. Imperatore inveſtituram accipere renuens in cœnobio Aquiscinctino exulare cogitur *col.* 2. Tandem laboribus & ſeniô confectus, alacer & ſecurus migrat ad Dominum. A. 1113. Ipſius vitæ Scriptores. 128. Scripta. *ibid. col.* 2. ubi mortuus fuerit, an in exilio, an ſecus &c. *ib. pag.* 128. & 129.

Olry (*Simon*) Miſſionarius. *pag.* 673.

Orgain (*Benedictus*) Aſceta. *pag.* 657.

P.

Pariſius (*Mathæus*) Regis Angliæ Hiſtoriographus. *pag.* 171. Natione Anglus, ad S. Albanum Congregationis Cluniacenſis Monachus, omni virtute & eruditione præſtat. *ibid.* Monaſticam diſciplinam reſtaurat. *ib.* Hiſtoriographus Regius renuntiatur. *col.* 2. Ejus labor & induſtria in ſuis Scriptis. *ibid.* Moritur. A. 1259. Ejus Scripta, quorum aliqua cenſentur fuiſſe corrupta. *pag.* 172.

Parma Civitas. Ejus elogium. *c.* 4. §. 17. *pag.* 413.

Paschasius *Radbertus.* Vid. *Radbertus.*

Payen (*Baſilius*) cujus opera recenſentur, *pag.* 657.

SS. Patrum O. S. B. corona, eorúmque vitæ & Scripta. *c.* 2. *pag.* 34. & *ſeqq.*

Pelletier (*Ambroſius*) Pictor inſignis. *pag.* 655.

Pergenium, ſeu *Bergenſe* S. Crucis Monaſterium. Ejus ſitus, & fundatio. *c.* 5. §. 8. *pag.* 508.

Perezius (*Anton.*) Archiepiſcopus Taraconenſis. Ejus natales, Profeſſio, officia, Elogium, & Ingenii partus. *pag.* 375. Obiit A. 1637.

Perionius (*Joachimus*) Theologus Univerſitatis Pariſienſis. Ejus elogium. 348. Natales & Profeſſio Monaſtica. *ibid.* Græcis latinisque literis eminet. *ibid.* Platonem & Ariſtotelem vertit. *ib.* Ejus æmuli. 348. Petrum Ramum convellit. *col.* 2. Theologiam docet Pariſiis. *ibid.* Ejus converſandi ratio. 348. Idioma Gallicum expolit. col. 2. Vitas Apoſtolorum conſcribit

Digitized by Google

ſcribit, & multa etiam ex Patribus Græcis in Latinum transfert. 349. Moritur A. 1559. Auberti Miræi & aliorum de eo judicia. *ibid. & pag.* 350. Opera ei adſcripta. *ibid. pag.* 351.

Petit - Didier (*Mathæus*) Ipſius elogium. 455. Natales, ſtudia, profeſſio Monaſtica. *ibid.* Fit Profeſſor Philoſophiæ & Theologiæ. *col.* 2. Sodalitio literario præficitur, ex quo natæ animadverſiooes in Du-pinii Bibliothecam. 455. Apologiam Epiſtolarum ad Proviocialem ipſi adſcriptam à ſe removet. *ibid.* Cætera ejus Opera *pag.* 455. & 456. Abbas eligitur Cœnobii, quod *Bonzonville* vulgus appellat; poſtmodum Senonienſis. 476. Romam accitus variis cumulatur honoribus. *ibid.* Indè redux pro ſummâ Sede pugnat. *ibid. col.* 2. Faris ceſſit A. 1728. Opera poſthuma *p.*456. *col.* 2.

Petrus (*Bercborius*) Vid. *Bercborius.*

Petrus *Cellenſis* Abbas, ac poſteà Epiſcopus Carnotenſis. 162. Primò Monachum O. S. B. in incertô Monaſterio, deinde Abbatem Cellenſem, poſtea Rhemenſem agit. *ibid.* Eccleſiam, Monaſterium ac Bibliothecam inſtaurat. *col.* 2. Thomæ Angliæ Archicancellario familiaris, eum Sanctum prædicat, ac Martyrem. 163. In Theobaldi Pariſienſis Epiſcopi gratiam Sermones ſcribit. *ib.* Ejus modeſtiæ ſpecimina. *pag.* 163. *col.* 2. De feſtô Conceptionis B. V. diſputat cum Nicolaô ad S. Albaoum apud Anglos Monacho. *pag.* 164. Alexander Papa II. plures ad eum literas dat. *ib.* Fit Epiſcopus Carnotenſis. 164. *col.* 2. E vivis abit A. 1187. Epitaphium. *p.* 165. Plurium Cl. Virorum laudibus celebratur. *ibid.* Ejus Scripra. *ibid. pag.* 165.

B. Petrus *Damiani* S. R. E. Cardinalis. Naſcitur Ravennæ. A. 1007. In inſantia à matre, dein à fratrum uno durè habitus, alterum tandem in ſe benignum experitur. *pag.* 88. Divinarum Scripturarum ſcientiâ claret. 89. Factus primùm Abbas Eremi Foutis Avellani, deiu Epiſcopus Oſtienſis, & S. R. E. Cardinalis triplici hoc munere egregiè fungitur. *ibid.* Varias Legationes obit. *pag.* 89. *col.* 2. Faventiæ è vivis abit. A. 1072. Alexandri II. de eo teſtimonium. 90. Variæ ſententiæ cur *Damianus* ſeu potiùs *Damiani* cognominetur. *ibid.* Ejus Opera juſſu Clementis VIII. collecta, & vulgata. *pag.* 90. 91. & 92. Varia de Petro Damiani honorifica teſtimonia. 93. Ejus vitæ Scriptores *ibid. pag.* 93.

Petrus *Diaconus* Caſinenſis. 143. Romæ illuſtri locù natus quinquennis B. Benedicto in Monte Caſſino offertur. *ibid.* Sacris humaniſque literis eruditus, in exiliò plurima Scribit. *pag.* 143. *col.* 2. Legum Longobardicarum diſtributionem primus adornat. 144. Caſſinum redux varias legationes ſuſcipit. *col.* 2. A Lothario II. diverſis aulæ Officiis, ae publicô encomiò honoratur. *ibid pag.*144. vix tandem à ſe dimiſſum Imperator per literas ad Aulæ negotia revocat, jubétque, ut hiſtoriam texat Imperarorum occidentis. 145. Vitam ponit. A. 1140. Ejus opera, quæ excuſa ſunt. *ib. pag.* 145. & *ſeqq.* Quinam de eo meminerint. *pag.* 147.

Petrus Mauritius. Vid. *Mauritius.*

Pezius (*Bernardus*) Bibliothecarius Mellicenſis. *pag.* 466. Ejus patria, parentes, educatio, ingenii vis, progreſſus in ſtudiis, Religionis ingreſſus, adverſitates, perſeverantia, Profeſſio, ſtudia Philoſophica, *pag.* 466. Grammaticæ doceodæ admovetur. 467. Theologiæ operam navat. *ibid.* Fit Presbyter. A. 1708. Scribit hiſtoriam irruptionis Bavaricæ in Tyrolim. 467. Critices ſtudia ſectatur. *ib. col.* 2. Bibliothecam Benedictinam ſuſcipit conſcribendam, quam in rem varia adornar itinera *ibid. pag.* 467. Carrophylacia Supetioris Auſtriæ perluſtrat. 468. Libellum de curâ ſalutis confutat. *ibid.* Inferioris Auſtriæ monumenta ſcrutatur. 468. San - Maurianam edit Bibliothecam. *ibid.* Hiſtoriæ ſtudium excitar. *col.* 2. Iter literarium in Bajoariam, &c. adornat. *ibid.* à Gentilotto laceſſitus ſe vindicat. *pag.* 468. Anecdororum theſaurum evulgat. 469. Jurgio à Taubengall impetitus, ab impoſturis ſe purgat. *ibid.* Bibliothecam aſceticam, Godetridi Admontenſis Homilias, & alia typis vulgat. *p.* 469. Scientiarum Academiam in Auſtria erigendam conſuluit. *ibid. col.* 2. Acta S. Trudperti retegit. 470. vulgat epiſtolas de origine Domûs Auſtriacæ, & de S. Ruperti ætate. *ibid.* Alia ejus collectanea præſertim pro Bibliothecà Benedictinâ. 470. Ejus ſtyli puritas. *col.* 2. Inſtructa ab eo Mellicenſis Bibliotheca, excitata ſtudia. *ibid. pag.* 470. Magna ejus apud eruditos æſtimatio. 471. Labores Apoſtolici. *ibid.* Auimi dotes; ſumma humilitas; in opem aliis ferendam promptitudo; patientia &c. *p.* 471. Nominis celebritas. Principum & Procerum in eum propenſio *ibid. col.* 2. Quid de eo Lipſienſes eruditi diſſerant *pag.* 471. Ejus lethalis infirmitas, mors. A. 1735. mœror indè & luctus. *pag.* 472. Ejus Epitaphia, & elogia, *ibid. pag.* 473. Operum index *pag.* 474. & *ſeqq.*

Pied (*Alexius la*) ſcribit de uſu Paſſionum. *pag.* 654.

Piemontanus (*Joannes*) cognomentò *Bouzbachius.* 335. Ejus patria, natales, ſtudia, Monachatus. *ibid.* Prior Lacenſis efficitur. *p.* 336. Studia ſolenter promovet. *ibid.* Ejus virtutum ſplendor, & Obitus. A. 1526. *pag.* 336. & *ſeqq.* Ejus opera *ibid. pag.* 336. & *ſeqq.* Buſchii, Trithemii, & aliorum de eo judicia. 336. Jacobi Syberti ejus diſcipuli, Pauli Langii, Joannis Schœfferii & aliorum de eodem teſtimonia. *ibid. pag.* 337. & 338.

Pierre (*Stephanus*) ſcribit de Translatione, B. Santini. *pag.* 673.

Pierius (*Oderiſius*) In Græcia natus Romam ad ſtudia mittitur. 430. Caſinum petit, & ibi Monachum induit. A. 1670. Viſitator Apoſtolicus ad *Mainotas* miſſus, hiſce Schiſmaticis ad fidem reducendis inſudat. 430. Ejus apud ipſos geſta. *pag.* 431. & 432. Redux Caſinum paulò

lò pôſt iterùm ad miſſionem revocatur. 433. Ipſius zelus commendatur. *ibid. col.* 2. Anno 1696. Caſinum redit præclaris cumulatus elogiis. *ib.* Moritur. an. 1702. Ejus ingenii partus. *ibid. p.* 434.

PISCOPIA. Vid. *Cornelia Piſcopia.*

POZZO (*Conradus*) Chronographus Weſſofontanus. *pag.* 659.

Pſeudonymi Scriptores. *pag.* 645. §. 11.

B. RABANUS *Maurus* Archiepiſcopus Moguntinus. *pag.* 65. Ejus natales. *ibid.* Fuldæ Monaſticen à puero amplexus ſtudiorum causâ in Gallias mittitur. 66. Redux in patriam Scholis præficitur. 66. Locô dein cedere coactus ſub Egile Abbate iterum reſtituitur. *col.* 2. Fuldenſis Academiæ eo docente celebritas. *ibid. col.* 2. Fit Abbas A. 822. Abbatiali dignitate ſpontè ſe abdicat. 67. Archiepiſcopus Moguntinus eligitur A. 847. Moritur A. 856. An Sanctus vel Beatus appellandus. *ib.* Baronii de eo elogium. *p.* 67. *col.* 2. Ipſius vitæ Scriptores & Scripta *pag.* 68. *& ſeqq.* Conſilium de nova ejus operum editione 75. MSS. Codd. *ibid. & pag.* 76.

R.

RADBERTUS (S. *Paſchaſius*) Abbas Corbejæ veteris. 77. Ejus educatio. *ibid.* Primò Clericum, dein Monachum Profeſſus Corbeienſi Scholæ præficitur *col.* 2. Studiis maximè deditus nullum tamen Monaſticæ vitæ officium prætermiſit. *ib.* 77. Ejus diſcipuli. *pag.* 78. Variis legationibus fungitur. *ibid.* Abbas eligitur. *pag.* 78. Plurimis virtutibus, maximè humilitate illuſtris. *col.* 2. Abbatiali dignitate ſe abdicat. *ibid.* Ejus ingenii monumenta, præprimis de SS. Altaris Sacramento. 78 *& ſeq.* Ab Hæreticis ceu novator laceſſitur; at horum putidum commentum refutatur. 79. Paſchaſii dogma Catholicum ulterius comprobatur. *ibid. col.* 2. Obiit circa A. 860. Miracula ad ejus ſepulchrum, & Translatio. *p.* 80. Ejus Scripta. *ibid. pag.* 80. *& ſeqq.* Elogium. *pag.* 82. *col.* 2.

RABUSSON (*Paulus*) Superior Generalis Congregationis Cluniacenſis. *pag.* 441. Ejus natales, parentes, Religioſa Profeſſio. *ibid.* In S. Martialis Monaſterio Prioris & Profeſſoris munere fungitur *ibid.* Tricas ex electione Abbatis Cluniacenſis ortas cohibet, & eâ de re tractatum evulgat. 441. Breviarium Cluniacenſe concinnat. *ib.* col. 2. Superior generalis ſuæ Congregationis renuntiatur. *ibid. col.* 2. Magna ejus apud alios æſtimatio. 442. Eligitur Superior generalis reformationis. An. 1708. Obiit An. 1717. *pag.* 442.

RAULINUS (*Joannes*) Regii Navarræ Gymnaſii Magnus Magiſter. Ejus primordia. *c.* 3. §. 30. *pag.* 213. Collegio Navarrico præficitur. *pag.* 214. Eccleſiæ jura defendit. *ibid.* Relictô Collegiô Navarricô Cluniacenſibus ſe adjungit. *pag.* 214. Badii, Dantonii, & Launoii de eo teſtimonia. *pag.* 215. Ejus Scripta. *ibid. & pag.* 216. Ejus Epitaphium. *ibid.* Duo alii ejusdem nominis, qui eodem, quô ipſe, ſeculô floruêre. *ibid.* Vid. *Rolin.*

REGULA *S. Benedicti.* An S. Benedictus eam ſolus Scripſerit. *c.* 1. *Sect.* 1. *pag.* 6. Quot ſint illius autographi, & apographi, ſeu manuſcripti Codices. *ibid.* §. 1. *p.* 6. *& ſeqq.* Quot illius verſiones. *ibid.* §. 2. *pag.* 8. *& ſeqq.* Illius editiones, declarationes, variæ lectiones, notæ & obſervationes. §. 3. *pag.* 10. *& ſeqq.* Quinam in eandem commentati ſint. *ibid.* §. 4. *pag.* 12. *& ſeqq.* Texitur index Scriptorum, è quibus concordiam Regularum cum Regula S. Benedicti concinnavit S. Benedictus Junior Abbas Anianenſis. *ibid. pag.* 13. *& ſeqq.* Auctores, qui in S. Regulæ quædam Capita & loca difficiliora commentati ſunt. *ibid.* §. 5. *pag.* 24. *& ſeqq.* Quinam lucubrationes ad S. Regulæ commendationem, praxim, & uſum ediderint. *ibid.* §. 6. *pag.* 29. *& ſeqq.*

REINERUS Monachus S. Laurentii Leodienſis. *pag.* 166. Ejus educatio & præceptores. *ibid.* Poëſi & Muſicæ operam navat. *ibid.* Ad Scribendum ſe convertit. *col.* 2. Morti mirabiliter eripitur *pag.* 166. Et ſtudia proſequitur. 167. Periculoſiſſimè decumbens denuò miraculosè convaleſcit. *ibid.* Abſtruſas quæſtiones à Sciolô quodam ſibi propoſitas editô libellô diſſolvit. *ibid.* 167. Alia ejus ingenii monumenta. *ibid.* Claruit cœleſtibus viſionibus. *ibid. & ſeq.* Floruit A. 1182. De ejus obitu nil certi conſtat. *pag.* 168. Ejus Scripta recenſentur. *ibid. & ſeqq.*

REINEAUS (*Clemens*) Abbas Lampspringenſis. Natione Anglus in Lotharingiâ O. S. B. profeſſus, Duaci publicè docet, variáque gerit Officia. Hæreticos profligat. *pag.* 383. Recuſatâ pinguiori Abbatiâ Lampspringenſem ſuſcipit. A. 1643. *ibid. col.* 2. Ejus pro Religione & patriâ labores. Obitus A. 1651. Epitaphium. Scripta. *pag.* 384.

REMION (*Bartholomæus*) *pag.* 657.

RENAUT (*Rupertus*) Poligloſſus. *pag.* 672.

RHEDINO (*Auguſtinus*) Abbas & Princeps Einſidlenſis. Ejus elogium, patria, profeſſio, promotio, doctrina. Fit Decanus Einſidlenſis, deindè Abbas. *pag.* 415. Bellizonenſe Gymnaſium inſtaurat. Obitus ejus & Scripta. *ibid. pag.* 416.

RICTRUDIS. In ejus & *Giſlæ* Monialium gratiam Alcuinus Commentarium in Evangelium S. Joannis elucubrat. *c.* 5. *pag.* 488.

RILINDIS ſeu *Regilindis* Abbatiſſa Hohenburgenſis Virtute & doctrina illoſtris, primò Bergenſis ſeu Bergenii Monaſterii Abbatiſſa; indè ad Hohenburgenſe translata Moniales reformat & auget. Ejus eâ de re poëmata. Multa de eâ tacuit Bruſchius, quæ alii produnt. *c.* 5. §. 8. *pag.* 508. Ejus obitus. A. 1169. Quàm literis exculta fuerit indicat Irimbertus. *p.* 509.

ROCHECHOVARD (*Maria Magdalena Gabriëlis de*) Abbatiſſa Fontebraldenſis. 633. Ejus parentes, educatio, & diſcendi ſtudium. *ibid.* Philoſophiæ, & cultiori literaturæ incumbit. *col.* 2. Facta

ta Abbatiſſa Sorores ad ſtudia maximè excitat. *pag.* 533. Denaſcitur. A. 1704. Funebre ipſius elogium. Uberes in ſcientiis fructus, & alia ejus merita, ac ingenii monumenta. *ibid. pag.* 534.

ROHAN (*Eleonora de*) Abbatiſſa Malnovienſis, *Ethicam Salomonis* orbi erudito donavit. *c.* 5. *pag.* 441.

ROLIN ſeu *Raulinus* (*Joannes*) Duo ejuſdem cognominis recenſentur. *c.* 3. §. 30. *pag.* 216.

ROLLE (*Anſelmus*) *pag.* 655.

ROSWITA Monialis Gandersheimenſis. Ejus genus & ætas, variæ eâ de re opiniones, veriſimilior Leibnitii de ipſius ingreſſu Religionis ſeutentia. Roswithæ in literis & moribus Magiſtræ fuerunt Richardis & Gerberga. Sexum ingeniô ſuperâſſe dicitur. Terentium legiſſo ſeipſamet prodit, ſéque excuſat. *c.* 5. §. 1. *pag.* 491. *&* 492. An Græcæ linguæ perita fuerit. *ib.* Harenbergii de ea epigramma. Operum ipſius editiones. *ibid. pag.* 493. *&* 494. Scriptores qui de ea fuſiùs agunt. *ibid.*

ROYAA (*Andreas*) Opuſcula ſcripſit aſcetiça. *pag.* 655.

ROZET (*Petrus*) Reformationis Vitoni-Hyldulphianæ inſignis prumotor. *p.* 669.

RUBENUS (*Leonardus*) Abbas Abdinckoſenſis. 368. Factus Jeſuita mittitur ad exteros *ibid.* Theſes edit de idololatria Olumucii, ubi Seminario præficitur. A. 1591. De mutandô ſtatu cogitat. *col.* 2. Coloniæ Benedictinum induit. A. 1596. *pag.* 368. *col.* 2. Theologiam junioribus prælegit. 369. Lexico Biblico inſudat. *ibid.* ejus ſpecimen edit. A. 1606. Congregationis Burſſeldenſis Præſes efficitur. A. 1601. Scribit de bono taciturnitatis, & alia. *p.* 369. Moritur A. 1609.

S.

SAENZ *de Aguerre.* Vide *Aguirre.*

SAINTE-MARTHE (*Dionyſius de*) Ortu Pariſienſis à teneris paterna cura educacatus in Pontilevienſi Lyceô ſtudiis humanioribus finem imponit. *pag.* 451. D. Benedicti Inſtitutum amplectitur. *col.* 2. Totus eſt in antiquitatibus Eccleſiaſticis & linguis originalibus. *ibid.* Præclaræ ejus animi dutes ad varia officis eum provehunt, quibus detentus nihil de ſtudiis remittit. *pag.* 452. Edendis D. Gregorii Operibus incumbit *col.* 2. Fit Priur Alborum Mantellorum Pariſiis, & alibi *ibid.* Sibi ipſi parcus & auſterus aliis beneficus & lenis, præcipuè in pauperes. *ibid. pag.* 452. Præpoſitus generalis electus an. 1720. nihil de animi modeſtia detrahit. 453. Pacis Eccleſiæ ſtudioſus, præclara multa gerit. *ibid.* Ad extrema deducitur, & ad murtem ſe parat; inviſentes & mœrentes ſolatur ipſe. *pag.* 453. *col.* 2. Moritur 1729. Luctus, funebres honores, & ingenii monumenta. *pag.* 454. *& ſeqq.*

SCHÖNAUGIA. Quot hujus nominis Monaſteria numerentur. *c.* 5. §. 4. *pag.* 500.

SCRIPTORES. Ordine Alphabeticô recenſentur nomina plurimorum utriusque Sexûs Scriptorum, qui variis ingenii ſui monumentis Rempublicam literariam locupletârunt. *c.* 6. *pag.* 535. *& ſeqq. usque ad pag.* 639. *incluſivè.*

Appendix I. de Scriptoribus Anonymis, & Pſeudonymis §. 1. *De Anonymis. p.* 369. *& ſeqq. usque ad pag.* 645. *incluſ.* §. 2. *De Pſeudonymis. pag.* 645. *& ſeqq.*

Appendix altera omiſſorum capite ſexto. *pag.* 654.

SCUTELLARI (*Maria Stella*) Monialis effecta ſacris ſtudiis operas dicat, & varia SS. Patrum Opuſcula Italicè vertit; in quorum præfatione Sexûs ſui infortunium, vanitatem, & malam educationem deplorat, ſuique conſilii rationes exponit. Moritur. A. 1702. *pag.* 533.

SECRETA Patrum S. J. monita. *pag.* 269.

SERVATUS *Lupus.* Vid. *Lupus.*

SFONDRATUS (*Cæleſtinus*) Princeps & Abbas San-Gallenſis, S. R. E. Cardinalis. *pag.* 416. Ejus natales, ſtudia, Profeſſio religioſa. *ibid.* Campidonæ, & domi ſeveriores tradit diſciplinas. 416. Salisburgi Jus Canonicum docet. *ibid. col.* 2. Edit Regale Sacerdotium. 417. Fit Parochus. *ibid.* Vicarius generalis San-Gallenſis paulò pòſt creatur. *ibid.* Galliam vindicatam evulgat. *col.* 1. Navarinum Epiſcopatum ſibi à S. Pontifice delatum dimittit, & Abbas San-Gallenſis eligitur. A. 1687. Ejus in ægros, & Inopes munificentia. 417. *col.* 2. Menſæ ejus frugaliras, Chori frequentatio, zelus pro avitâ Religiune *pag.* 418. Sacrâ purpurâ exornatur. A. 1695. qua paulò pòſt cum vitâ exutus eſt. A. 1696. *pag.* 418. *col.* 2. Reperta apud eum mortificatiunis ſigna. 419. Corpus Romæ ſepelitur; cor verò in San-Gallenſi Baſilicâ. *ibid.* Ejus Epitaphia, & Opera *p.* 419. Auctores, qui de eo ſcripſerunt. *pag.* 420. *col.* 1.

SIGELAUS S. Martini prope Metas Abbas ad A. 841. *pag.* 672. *col.* 2.

SINSART (*Benedictus*) cujus opera. *pag.* 657. *col.* 2.

SOPHIA Monialls Gandersheimenſis Ottonis II. Rom. Imp. filia, & Ottonis III. Soror, legum humanarum notitiâ fuit Imbuta. &c. *c.* 5. *pag.* 487.

STEGANOGRAPHIA quid ſit. *pag.* 312. Ejus interpretes. 313.

STENGELIUS (*Carolus*) Abbas Anhuſanus. 386. Ortu Auguſtanus in SS. Udalrici & Afræ Monaſterio profeſſus, Abbas fit Anhuſanus. *ibid.* Ejus animi dotes & ſtudia. *ibid.* Summa in Jeſum & Mariam devotio *ibid. col.* 2. Agitur in exilium A. 1632. *pag.* 386. *col.* 2. Acerbas ſuſtinet moleſtias. 387. Auguſtam regreſſus moritur A. 1663. Ejus Epitaphium. 387. Operum Catalogus ab ipſo conſcriptus. *ibid. & pag.* 388.

STEPHANOTIUS (*Claudius*) Vulgò *Etiennot de la Serre* : Natus A. 1639. Monaſticen profitetur. 1658. Scribit hiſtoriam cœnobii S. Martini Pontiſaræ A. 1670. Ejus ad Scribendum promptitudo, & animi dotes. *pag.* 424. Vetera colligit monumenta & documenta, *pag.* 425. Summa ejus in rebus gerendis dexteritas. *ibid.* Congregationis ſuæ Procurator

con-

conſtituitur A. 1684. *pag.* 425. Romæ ſubſiſtit per quindecim annos. 426. Omnes ferè Bibliothecas excutit. *ibid.* In magnâ dignatione habetur. *col.* 1. Frequens illi cum Prælatis literarum commercium. *ibid.* Congregationi ſuper diſciplinâ Regularium admovetur. *col.* 2. Vivere deſinit A. 1699. Ejus circà vulgandas lucubrationes ſuas modeſtia *ibid. pag.* 426. & 427.

STROHOL (*Petrus*) ſcribit de pœnitentia & de Scriptoribus Eccleſiaſticis *pag.* 670.

SUGERIUS Abbas S. Diooyſii , & Regens Franciæ 147. Obſcuris in Gallia natalibus ortus , Monachus , dein Abbas S. Dionyſii factus , ad graviſſima negotia , imò ad vicariam Franciæ gubernarionem adhibetur. *pag.* 148. Vitâ cedit. 1152. *ib.* Sammarthani de eo multa prædicant. *ibid. p.* 148. & *ſeq.* Ejus Scripta. *p.* 149. Epitaphium. *p.* 150.

T.

TEDESCHUS (*Nicolaus de Tudeſchis*) Abbas Panormitanus. 198. De ejus patria lis ioter Panormltanos & Catanenſes. *ib.* Monachum Catanæ Induit A. 1400. Bononiæ Jurisprudentiæ ſtudet. *col.* 2. Doctoris laureâ inſignitus variis in locis publicè docet. *col.* 2. Fit Abbas A. 1425. Romæ præclara munia obit. *pag.* 198. Regis Siciliæ Conſiliarius , & Archiepiſcopus Panormitanus eligitur A. 1434. Ad Concilium Baſileenſe miſſus diſſolutionem ejus curat jubente Eugenio IV. *ibid. col.* 2. Eò redire coactus *Felici V.* Antipapæ adhæret , à quo Cardinalis creatur A. 1440. Acta Felicis *Nicolao V.* confirmante. 199. Eccleſiæ jura defendit. *ibid.* Moritur An. 1445. Epitaphium ipſius & alia honoris argumenta. *ibid. col.* 2. Varia ejus inigenil mooumenta. *pag.* 200. & 201. *Hoc in Articulo col.* 1. *Lin.* 7. *loco A. MCD. lege MCCCC. col.* 2. *lin.* 5. *loco* 1412. *lege* 1421.

TERRA-RUBRA (*Vitalis*) è Congregatione Caſinenſi. 413. Ejos natales , & Profeſſio Religioſa 414. Sevetiores diſciplinas docet, ſummi Philoſophi nomen adeptus, Bononieoſem cathedram per annos decem & octo moderatus eſt. *ibid.* Indè Rinaldo Mutinæ Ducis filio præceptor datus Invidendô elogiô mactatus eſt, decretâ eidem lecturæ reſervatione *col.* 2. Exactô moderarionis Officio Romam accerſitur ; indè Patavium , ubi Cathedram cooſcendit. *pag.* 414. *col.* 2. Abbas creatur. *pag.* 415. Diem ſuum explet. A. 1692. Ejus ingenii partus. *ibid. p.* 415.

THOMASIN (*Gabriel*) Grammaticus. *p.* 661.

TOUSSAINT (*Georgius*) ſcribit de pænitentia. *pag.* 662.

TREFLERUS (*Florianus*) Benedicto-Burani in Bavaria Monaſterii Cœoobita percelebris. Ejus animi dotes , & eruditio. *p.* 353. Charitas & cura ergà proximos. *ib.* Rem librariam egregiè promovet. *col.* 2. Methodum adotnandæ Bibliothecæ evulgat. *ib.* Moritur 1565. Acta ipſius carmine complexa. Ejus Epitaphium. *p.* 353. *col.* 2.

TRITHEMIUS (*Joannes*) Abbas Spanheimenſis. Ejus vita , Opera , & Apologia tribus libris comprehenſa. LIBER I. exhibet beatæ ipſius vitæ Analyſim , præclaráſque ejus animi dotes, geſta , fata & merita. *pag.* 217. & *ſeqq.* LIBER II. omnia ejus Opera , quotquot vel olim typis excuſa , vel anecdota reperiri potuerunt , ſervatâ , quâ licuit , annorum Serie , locisque indicatis , in quibos de ſingulis mentio occurrit , curatè recenſet , additis ſubinde rerum Summariis, & eruditorum de iis judiciis & ceoſuris. *pag.* 244. & *ſeqq.* LIBER III. Pios ejus manes & Scripta ab ioiquis obtrectatorum cenſuris , criminationibus & calumniis viodicat. 309. & *ſeqq.* Edendorum ejus operum conſpectus. *pag.* 332.

TOUTTÉE (*Antonius Auguſtinus*) è Congregatione S. Mauri. 442. Ejus natales, ſtudia , & profeſſio Monaſtica. *ibid.* Theologiam novâ methodo tradit. 442. Cyrilli Opera recudenda ſuſcipit , notiſque & diſſertatioolbus illuſtrat. *ibid. col.* 2. Indè totus In Meditatione Chriſti defigitur. 443. Amot veritatis in eo eximius , nec diſpar pro Eccleſia Zelus. *ibid.* Siniſtra valetudo , mira ejus pietas & patientia. *ibid.* Beata mors. A. 1718. Scripta. *ibid. pag.* 443. & 444.

V.

VALENTINUS (*Baſilius*) Natione germanus. 188. Monachus Confratrem ope Chymiæ à calcull doloribus liberat. *ibid.* Compoſtellam peregrinatur. *ibid.* Ejus mortis tempus incertum. Sunt , qui eum extitiſſe omnino negant. *pag.* 188. & *ſeqq.* Ejus Scripta. *ibid. pag.* 191.

VERT (*Claudius de*) Prior S. Petri Abbatis-Villæ. 439. Natus A. 1645. Ordinem S. Benedicti amplectitur in Congregatione Cluniacenſi. A. 1662. Inſtaurandis Regularibus Comltiis plurimùm contulit. 439. Mira ejus ſuavitas , prudentia , affabilitas , & animi modeſtia. *ibid.* Variis admotus officiis vivere deſiit. A. 1708. Ejus ſcripta. *ibid. pag.* 440.

VIGELIUS (*Placidus*) Abbas Majoris Augiæ Brigantinæ. 384. Ejus natales , educatio. *ibid.* Ob virtutis & doctrinæ famam ad dignitatem Abbatialem provehitur. A. 1616. Studii Salisburgenſis inſtitutionem egregiè juvat. *pag.* 384. & *ſeq.* Graſſante peſte periclitantibus per ſe ſuóſque ſuccurrit. 385. Studia ſtrennè promovet. *ibid.* Publico conſulit atque Exules Monachos hoſpitiô excipit. *ibid.* Ipſe in exilium agitur. A. 1647. Moritur. A. 1651. Ejus Epitaphium & Scripta. *pag.* 385. & *ſeqq.*

VILIERS (*Placidus*) Luxovium illuſtrat. *pag.* 670.

VILLICUS (*Adamus*) vulgo *Mayer* , Abbas S. Martini Majoris Coloniæ. *p.* 204. Ejus patria. *ibid.* Fit Monachus Treviris in S. Mathiæ cœnobio , dein Abbas Sancti Martini Coloniæ. A. 1454. *pag.* 204. *c.* 2. Sub eo refloreſcit diſciplina Monaſtica ac literarum ſtudium. 205. Ejus Mona-

ſterii Alumni in aliis diſciplinam reſtituunt. *ibid.* Qui Scriptores ſub ejus regimine claruerint. *col.* 2. Eccleſiæ, ac Monaſterii decori, & commodis ſtudet. *p.* 205. Viſitator generalis Congregationis Burſfeldenſis conſtitutus plura Monaſteria reformavit, & ad Congregationem perduxit. *pag.* 206. Varia privilegia à Summo Pontifice impetrat. *col.* 2. Generalem Monaſteriorum per Germaniam unionem meditatur, quod conſilium optatum non ſortitur effectum. *p.* 207. *Salvum conductum* obtinet ad viſitanda Monaſteria inferioris Germaniæ. *col.* 2. Ulteriores ejus labores in reformatione exantlati. *ibid. p.* 207. Abbatiæ Werthinenſis, & Helmſtadienſis adminiſtrationem ſuſcipit. A. 1474. Privilegia Monaſterio S. Martini & Werthinenſi ad ipſius preces firmata & aucta. *pag.* 208. Divorum cultum augere ſatagit. *ibid. col.* 2. Werthinenſi Abbatia ſe abdicat. A. 1478. Adverſantes reformationi per Bullam Sixti IV. Treviris promulgatam reprimuntur. *p.* 290. Hermanno ab Haſſia Arhiepiſcopo Colonienſi librum inſcribit. *ibid.* Alia ab eo præclarè geſta enarrantur. *ibid. pag.* 209. 210. & 211. Ad Superos migrat. A. 1499. Ejus Epitaphium. *p.* 211. Huberti Holthuiſen, & Trithemii de eo elogium. *ibid.* & 212. Ejus ingenii partus. *ibid.* Oliverii Legipontii de eo carmen epicum. *ibid. pag.* 213.

Viri Illustres. Vitæ Virorum Doctrina illuſtrium O. S. B. Medii ævi indè à ſæculo XII. *c.* 3. *p.* 126. *&c.* Viri illuſtres recentioris ævi. *c.* 4. *pag.* 368. & c. VI. *p.* 535. item *p.* 654. *ſeqq.*

Vitæ Auctorum feminei ſexûs O. S. B. Doctrina, eruditione, ac ſcriptis illuſtrium. *cap.* 5. *pag.* 485. *&c.*

Vitalis Terra rubra. Vid. *Terra rubra.*

W.

S. Walburgis Abbatiſſa Heideheimenſis S. Bonifacii neptis ſcripſiſſe fertur vitam Fratrum ſuorum SS. Wilibaldi, & Wunibaldi. *c.* 5. *pag.* 487.

Watrinelle (*Placidus*) de Antilogiis S. Scripturæ. *p.* 671.

Whethamstedus (*Joannes*) Abbas S. Albani in Anglia. Ejus vita & geſta ex variis Auctoribus. *pag.* 195. & 196. Multa ſcripſiſſe perhibetur. *ibid.* & *pag.* 197.

Wibaldus Abbas Stabulenſis & Corbejenſis. *pag.* 155. Ejus genus & educatio. *ibid.* Leodium accerſitur, ut doceat. *col.* 2. In Valciodori ſolitudinem abit. *ibid.* indè extracto à Stabulenſibus Abbatis munus Imponitur. A. 1130. quô præclare fungitur. *pag.* 156. De imperio, & Monaſterio Stabulenſi optimè meritus, à vicinis Eccleſiis in Paſtorem nequicquam depoſcitur. *p.* 157. Corbejæ novæ regimen invitus ſuſcipit. *col.* 2. Bello Lutitiis & Obotritis Sclavis facto juſſu Eugenii intereſt. *p.* 157. Abſente Conrado imperatore negotia imperii procurat. 158. Redux Imperator conſilia cum Wibaldo participat. *col.* 2. Conrado mortuo charior adhuc *Friderico* eum in ſolium evehere allaborat. 158. *col.* 2. De connubiô Regis cum Manuelis Imperatoris filia tractat. 159. Bis ad Græcorum imperatorem ablegatur. *ibid.* Obit veneno, ut creditur, Interfectus. A. 1158. Epiſtolarum ejus Tomum unum edidit Martene. 159. Ejus Epitaphium. 160.

Winzetus (*Ninianus*) Natus in Scotia fit Presbyter ſæcolaris. A. 1518. Calviniſtas impugnat. *pag.* 360. Exulare cogitur *ibid.* Romam accitus Abbas deſignatur. A. 1577. *pag.* 360. *col.* 2. Optimè præeſt & prodeſt. 361. Denaſcitur. A. 1592. Ejus Epitaphium hodiedum extans, & Ingenii partus. *ibid. pag.* 361.

Z.

Zallwein (*Gregorius*) Weſſofontanus in Jus Canonic. *pag.* 577.

Zürcher (*Gerardus*) San-Gallenſis ſcribit Hiſtoriam pœnitentiæ publicæ. *pag.* 662.

F I N I S.

HAG 202326 7